Digitized by Google

Exeg 951.

11.

JO. CHRISTOPHORI WOLFII
PAST. AD D. CATHAR. ET SCHOLARCHÆ

CVRÆ PHILOLOGICÆ ET CRITICÆ

TOMVS III.

IN

IV. PRIORES S. PAVLI EPISTOLAS,

QVIBVS INTEGRITATI CONTEXTVS GRÆCI CONSVLITVR, SENSVS VERBORVM EX PRÆSIDIIS EXEGETICIS ILLVSTRATVR, DIVERSÆ INTERPRETVM SENTENTIÆ ENARRANTVR, ET MODESTO EXAMINI SVBJECTÆ VEL APPROBANTVR VEL REPELLVNTVR.

ACCEDIT,
APPENDICIS LOCO, EXAMEN LOCORVM ALIQVOT PAVLINORVM,
A
L. M. ARTEMONIO
NVPER TEMERE ET INFELICITER SOLICITATORVM.

Bayerische Staatsbibliothek München

BASILEÆ,
Sumtibus JOHANNIS CHRIST, MDCCXLI.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI
S.
IN CHRISTO.

T*Andem præſto, Lector amice, quod receperam, ſed tardius, quam quidem animo deſtinaveram, non tamen oblivione pro-*

Digitized by Google

miſſi, nec negligentia adductus. Manum enim alteri Volumini harum Curarum parando vix admoveram, & aliquos feceram progreſſus, quum, Summi Numinis nutu, animi corporisque vires ita proſtratas viderem, ut vix ac ne vix quidem publici muneris partibus præſtandis parem me ſentirem. Huic conditioni, adflictæ omnino, ſed per DEI gratiam, in ſpe & ſilentio conſtanter perlatæ, per integrum triennium obnoxium me vidi. Itaque danda erat opera, ut de aliis non cogitarem, quibus ſuperſedere, ſalva religione, poteram, in ea vero tantum incumberem, quæ muneris rationes a me jure ſuo poſtulabant. Interim, ex quo per divinam indulgentiam cum valetudine & animi robore in gratiam ita redii, ut firma-

matum me penitusque mihi redditum eſſe intelligerem, nihil eorum reliquum feci, quæ ad fidem datam præſtandam pertinebant. Accipis itaque heic alterum Curarum mearum Volumen, eodem, quo prius illud, filo contextum, quod primas quatuor S. PAULI *epiſtolas complectitur. Ut plura præfando tempora tua morer, nihil neceſſe eſt. Si ea in memoriam Tibi revocaveris, quæ in præfatione ad Volumen I. fuſius expoſui, totius inſtituti mei ratio neutiquam obſcura fuerit. Hoc ſcilicet ago, ut contextui Græco, adhuc ex probatioribus Codicibus recepto, integritatem, ab aliis temere ſolicitatam, vindicem, dictioni Scriptorum Sacrorum adſperſam intempeſtive labem externorum Græciæ Auctorum exemplis abſter-*

)(3 *gam,*

gam, diverſas Interpretum ſententias, ubi res fert, recenſeam, & inſolentioribus illis, quæ ſola novitate ſe curioſulis nonnullis commendant, quibusve hodie mirum quantum abundamus, valere juſſis, eas adſeram, quæ & dictioni ipſi, & menti divinorum Scriptorum proxime reſpondere videntur. Qui vel plura, vel alia, quæſiverit, non mea culpa, ſed ſuo judicio falletur. Plura ſcilicet poſtulabit, quam quidem promiſi. Monitum Te præterea velim, primum illud Volumen Lipſiæ cum maxime ſub prelo ſecundum calere, brevi, ſine ullis acceſſionibus, ſublatis tamen, quæ illud frequentius deturpaverant, operarum mendis, prodíturum. Reſtat unum Volumen, quo ceteros Novi Inſtrumenti libros,

Divi-

Divina gratia fultus, perſequar. Supplementa ſuo tempore, ubi ſcilicet opus ad finem fuerit perductum, ſi Deus dederit, ſingula ſequentur, in quibus inter cetera iis facere ſatis conabor, quibus præter rem alia placuerunt. Ita vale in DOMINO, *& conatibus meis bene precare!*

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM S. PAULI AD ROMANOS.

IN epiſtolas S. Pauli commentaturus operæ pretium duco, nonnulla generatim, & quaſi per lancem ſaturam adſerre, quæ ad Paulum ipſum ejusque epiſtolas dicendique rationem ſpectant. De *Pauli* nomine & *Sauli* altero, cum quo illud permutatum fuit, dixi in his Curis ad *Actor.* VIII. 1. & XIII. 9. Scriptores, qui vitam ejus & res geſtas ſtilo perſecuti ſunt, diligenter, more ſuo, laudat præſtantiſſimus *Jo. Albertus Fabricius* in Bibliotheca Græca lib. V. p. 151. & in Codice Apocrypho N. T. p. 793. ſq. His nuper acceſſit *Joach. Langius*, Theologus Halenſis, in commentatione Hiſtorico-Hermeneutica de Vita & epiſtolis Apoſtoli Pauli, ita adornata, ut Iſagogen generalem & ſpecialem Hiſtorico-Exegeticam præbeat in Acta Apoſtolorum & Pauli epiſtolas, Hal. 1718. 4. Addi merentur Cl. *Jo. Weſſelii* Orat. Inauguralis de laudibus Pauli, quæ cum Diſſertatt. ejus Leidenſibus Leidæ 1721. 4. recuſa eſt; & *Hieron. van Alphen* Diſſertationes variæ ad hiſtoriam Pauli, Trajecti ad Rhenum an. 1718. & ſeq. editæ. In converſionis ſpeciatim Paulinæ epocham, hiſtoriam item & nomen Pauli inquirit *Frider. Spanhemius* Tomo II. Operum libro III. Converſionis origines ſcrutatur breviter *Jo. Pet. Grunenbergius* in Diſputat. de divina S. Miniſterii conſtitutione §. 4. ſqq. Martyrium ediſſerit laudatus *Fabricius* l. c. p. 450. 455. & 882. & *Paulus Aringhus* in Roma Subterranea lib. III. c. 2. p. 243. ſqq. qui etiam lib. IV. c. 46. p. 188. de ſtatua Pauli in columna Antonini poſita commentatur. Diem mortis inveſtigare conatur *Paulus Zacagnius* in præfat. ad Tom. I. Collectaneorum p. 57. ſq. Eum in III. Kal. Julias anni XXXIII. ab obitu Salvatoris noſtri incidiſſe, traditur in Codice quodam MS. Coisliniano, teſte Celeb. *Bernardo Montfauconio* Parte I. Catalogi Bibl. Coislinianæ p. 77. Chronologiam Pauli Biblicam habes in Relationibus Theologicis innoxiis an. 1704. p.

405. De itineribus exponit *Chriſtianus Gottlob Pitſchmannus* in Supplementis ad Dubia vexata Hiſt. Eccleſ. Sec. I. p. 55. ſq. ubi eadem opera diſputat, num in *Hiſpania* præconio ſalutaris doctrinæ perfunctus fuerit. Adſtruxit illud, quod *Pitſchmanno* veri viſum eſt ſimile, *Sam. Basnagius* in Annalibus ſuis Tom. I. p. 574. In *Anglia* Evangelii præconem egiſſe *Eduardus Stillingfleetus* Antiquitatum Britannicarum cap. I. contendit, quod, conſultis temporum rationibus, inficiatur *Jo. Clericus* in Memoriis Trevoltinis an. 1701. p. 285. edit. Amſtelodamenſis.

Scripta, Pauli nomine falſo inſignita, enarrat Cl. *Fabricius* in Codice Apocrypho N. T. p. 853. ſqq. & Tom. III. p. 668. ſqq. tum *M. Bernh. Elſing* in diſput. de Pſeudepigraphis Pauli Lipſ. 1707. Hiſtoriam & ordinem epiſtolarum, in canonem receptarum, exponit præter B. *Thomam Ittigium* in Selectis Capitibus Hiſtor. Eccleſ. Sæc. II. p. 465. ſqq. *Jo. Braunius* in Selectis Sacris p. 1. ſqq. ubi de epiſtolis Apoſtolorum, ad quos ſcriptæ ſint, *Jo. Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 3. ſqq. & ante ipſum *Jo. Pearſonius* in Annalibus Paulinis. Idem argumentum nuper tractavit *Jo. Jac. Hottingerus* in Pentade Diſſertationum Biblico-Chronologic. Diſſert. V. Confer Relationes Theolog. innoxias an. 1724. p. 1075. & Acta Eruditorum Germanica Parte 88. p. 264. ſqq. Ad ſenſum earum felicius inveſtigandum faciunt *Joach. Langii* commentatio ſupra laudata & B. *Jo. Franc. Buddei* Eccleſia Apoſtolica, ſive de Statu Eccleſiæ Chriſtianæ ſub Apoſtolis, Jenæ 1729. 8. Speciales ſingularum Interpretes ex illis petes, qui huic argumento induſtriam impenderunt, laudati a me Vol. II. Bibliothecæ Hebraicæ p. 275. Nobis hic ſuffecerit, eos commemorare, qui de *ſtilo* S. Apoſtoli ſententiam dixere. In eum recentiorum nonnulli injurii fuerunt, quem veteres doctores, nominatim Chryſoſtomus, Euſebius, Photius & Hieronymus locis a Cl. *Fabricio* lib. IV. Bibl. Græcæ p. 153. allatis, ab eloquentia præclare commendarunt. Horum exemplo *Jo. Picus Mirandulanus*, teſte Vita ejus, Pauli epiſtolas Oratorum omnium, Tullii etiam, ipſiusque Demoſthenis, primarii dicendi artificis, lucubrationibus præſtare aſſeveravit. Viciſſim barbariſmos illi exprobare auſus eſt *Elias Benedictus* (Benoit) V. D. Miniſter Reformatus, Delphenſis, in defenſione uſus Pſalmorum ex Maroti verſione, cui ſtrenue occurrit Cel. *Taco Hajo van den Honert* ſingulari diſſertatione, Syntagmati Scriptorum de ſtilo N. T. an. 1702. edito, inſerta p. 99. ſqq. quam paulo poſt ab *Amica Expoſtulatione* Benedicti vindicavit in *Stylo N. T. Græco a Barbariſmis & ſermonis vitiis ei nuper ab Elia Benoit afflictis vindicato* Amſt. 1703. Hac commentatione, quæ in dicto Syntagmate exſtat, Apoſtolo Paulo ſuum inter Græce doctiſſimos locum aſſerit. Ante ipſum *Ciliciſmos* a Paulo amolitus eſt *Balthaſar Stolbergius* de Solœciſmis N. T. p. 91. ſq. & *Solœciſmos* p. 53. ſq. qua opera perfuncti itidem ſunt *Laur. Mullerus* in Diſſertat. de ſtylo Pauli minime idiotico, Schleuſing. 1718. & nuper inſigni eruditionis apparatu *Jo. Conr. Schwarzius*, ὁ ἑλληνικώτατος, de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquitatis, *Coburgi* in 4. p. 54. Eandem cauſam egerunt *Amelius* Part. II. der Erörterung p. 262. *Pet. Zornius* in Diſſ. de Apoſtoli Pauli eloquentia exteriori Tom. I. Opuſculorum Sacrorum

p. 335.

p. 335. ſqq. *Georg. Guil. Kirchmaierus* de Apoſtoli Pauli eloquentia, *Witteb.* 1695. *Jo. Guil. Bergerus*, in diſſert. de τῷ βαρεῖ καὶ ἰσχυρῷ Paulino, Witteberg. 1721. *Olaus Mœllerus* in Exercitat. de Paulo Apoſtolo, humaniorum literarum cultore, quæ exſtat in Bibliotheca Lubecenſi Vol. V. p. 104. ſqq. & *Adamus Rechenbergius* de Stylo Pauli Epiſtolico in Exercitatt. ad N. T. p. 1. ſq. Phraſes quasdam Talmudicas in epiſtolis Paulinis obſervaſſe ſibi viſi ſunt Rev. *G. G. Zeltnerus* in Bircat. Hamminim p.76. & Cl. J.C. *Harenbergius* in Biblioth. Lubecenſi Vol. 6. p. 232. ſq. Ita Paulum Græcorum externorum ſcriptis uſum eſſe contra *Jo. Clericum*, in notis ad 1 *Cor.* XV. 33. id inficiantem, contendit Cl. *Lakemacherus* in Oratione de utilitate Græcorum Scriptorum profanorum ad interpretationem V.T. p.310. Partis III. Obſerv. Philologic. in notis: quo etiam pertinet Cl. *Jo. Henr. a Seelen* Programma de dictis Poetarum Græcorum in N. T. citatis, & *Georg. Philipp. Olearii* diſputatio de Scripturis profanis a Paulo allegatis Lipſ. 1701. Dictionem Pauli hinc inde obſcuriorem eſſe nemo negaverit. In obſcuritatis hujus cauſas præ ceteris inquiſivit *Jo. Lockius* in Conatu ad epiſtolas Pauli ex ipſo Paulo rectius intelligendas anglice edito, & Paraphraſi ejus notisque in epiſtolas Paulinas Lond. 1707. 4. præfixo. Summam recitat *Jo. Clericus* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p.37. ſq. non ſine inſperſis animadverſionibus, quas copioſiores affert Scriptor anonymus Obſervationum, in libros nonnullos anglice Londini 1709. 8. editarum, p. 117. ſqq. Vide etiam, quæ de Parentheſibus Paulinis contra Lockium obſervat Cl. *Chriſtoph. Wolle* in Commentatione de Parentheſi Sacra p.11. Eas Apoſtolo alioquin frequentari, ac vel ideo probe obſervandas eſſe monuit *Jo. Creyghton* in Prolegomenis ad *Salomonis Tillii* commentarium Belgicum in 1. epiſtolam ad Corinth. Harlemi 1728. editum, p.69. ex noſtratibus vero Rev. *Zeltnerus* in notis ſuis ad Verſionem Lutheri Germanicam paſſim. Nec minus *interpunctionum* rationem maxime habendam eſſe inculcavit *Jo. Chriſtian. Herzogius* in diſſert. de interpunctionum poſitu in epiſtola ad Romanos Lipſ. 1704. quem tamen in illis immutandis mire luxuriatum eſſe Cl. *Heumannus* in Bibliotheca Nova Halenſi Parte XLI. p. 70. recte obſervat, & a nobis ſuis locis oſtendetur.

Paulum in epiſtolis ſuis egregia doctrinæ exterioris ſpecimina edidiſſe a diverſis admonitum eſt. Lege B. *Severinum Lintrupium* de Polymathia Scriptorum Sacrorum & ſpeciatim Pauli *Hafniæ* in 4. *Jo. Dav. Strobach* in diſput. de eruditione Pauli Lipſ. 1708. & *Jo. Henr. Schramm* in Sermone Acad. de ſtupenda Pauli eruditione Herborn. 1710. Eum formulis e medio jure petitis uſum eſſe, quarum indicem in alio opere texuerit, obſervat *Alex. Morus* in notis ad N. T. p. 155. Spectat huc Cl. *Jo. Ortwini Weſſenbergii* Oratio de Jurisprudentia Pauli Apoſtoli, *Franequ.* 1723. 4. & *Joh. Sam. Stryckii* Halæ 1695. Metaphyſicam ſive Pneumaticam Paulinam *Chriſtianus Phil. Dohm*, Profeſſor Rintelienſis, expoſuit Rinthelii 1717. Iſagogen ad ſtudium Theologicum ex epiſtolis Paulinis conformavit Rev. *Jo. Georg. Walchius* commentatione ſingulari, quæ in Primitiis ejus Jenenſibus ſecundo loco recuſa exſtat. *Doxologias* Paulinas ſigillatim illuſtravit Rev. *Jo. Jac. Quandt*, Regiomonti 1716. quemadmo-

admodum *Subſcriptionibus* epiſtolarum eandem operam præſtitit *Jo. Chriſtianus Herzogius* Lipſ. 1703. *Salutandos & ſalutantes* ſeorſim conſideravit Rev. *Jac. de Mellen* peculiari diſſertatione Roſtoch. 1681.

Hæc de epiſtolis Paulinis, generatim conſideratis, ſuffecerint. Jam de epiſtola ad Romanos ſpeciatim pauca quædam in medium afferre juvat. Præcognita, futuro Interpreti neceſſaria, pleno modio admenſus eſt Rev. *Jo. Jac. Rambachius* in Introductione Hiſtorico-Theolog. in epiſtolam Pauli ad Romanos, cui adjuncta eſt B. Lutheri aurea præfatio, variis obſervationibus exegeticis atque apologeticis illuſtrata, Halæ 1727. 8. Alio inſtituto Rev. *Jo. Ulricus Meurerus*, Stendalienſium Inſpector, Apparatum in epiſtolam Pauli ad Romanos iſagogicum ἀνωνύμως Stendaliæ 1705. 4. edidit, analyſin tantum & œconomiam, ac præcipua doctrinæ momenta ſuppeditans. Præcipuas voces phraſesque, in hac epiſtola obvias, in Apparatu ſuo ad demonſtrationem epiſtolæ ad Romanos explicare inſtituit *Henr. Horchius*, Herbornæ 1694. Huc ſpeciatim quoque pertinet *Ruardi Andalæ*, Theologi quondam Franequerani, Diſput. de vera notione legis & varia vocis acceptione tum in Scriptura V. T. tum in epiſtolis Paulinis,& vel maxime in epiſtola ad Romanos & Galatas,Franequer. 1722. 4. De aditu, quem ad epiſtolam ad Romanos munire ſibi viſus eſt *Jo. Claudius* in libro gallice ſub titulo: *Ouverture de l'épitre de S. Paul aux Romains*, Amſtelod. 1685. 12. edito, ex merito ſiniſtre judicat B. *Jo. Henr. Majus* in Examine Hiſtoriæ Criticæ Simonianæ p. 175. Nec mitius aut præclarius ſentiendum eſt de *Chriſtiani Fendii* Introductione fundamentali in eandem hanc Pauli epiſtolam, quæ *Francof. ad Mœnum* 1721. Arianiſmi veſtigia, ut alia taceam, impreſſa præferens, germanica lingua lucem adſpexit. Vidi præterea Cl. *Tac. Hajonis van den Honert*, Theologi Leidenſis, Diſſertationes octo de argumento, occaſione, ſcopo, & methodo hujus epiſtolæ diverſis temporibus Lugduni Batav. promulgatas. *Herm. Witſius* nonnullas diſſertationes ad lucem illi fœnerandam retulit in Miſcellaneorum Tomo altero. Hujus enim Exercit. XX. de Theologia Gentilium in negotio Juſtificationis, XXI. de Theologia Judæorum circa eandem, XXII. de controverſiis, quæ Apoſtolorum ætate in Eccleſia Chriſtiana ortæ ſint circa Juſtificationem, commentatur; quemadmodum XXIII. oſtendit, Paulum in tota epiſtola hoc agere, ut gentes pariter & Judæos ab omnibus ſuis quibuscunque operibus ad ſolam Chriſti juſtitiam conſectandam avocet. De commentatoribus ſpecialibus data opera expoſuit Cl. *Jo. Chriſtoph. Wendlerus* in Prodromo Bibliothecæ Biblicæ perfectioris, quo exhibet Hiſtoriam Criticam commentatorum in epiſtolas Paulinas, *Jenæ* 1721. 8. Ideam commentarii in hanc epiſt. dedit Cl. *Heumannus* in Biblioth. Nova Halenſi Part. XLI. p. 69.

Fuit, qui novam verſionem Germanicam quod ad priora capita VIII. moliretur. Eam lege, ſi placet, in Actis Eruditorum Germanicis Parte CXVI. p. 528. ſq. collata, quæ ibidem Parte CXVII. p. 663. ſq. exſtat admonitione, ac adhibita de auctore ejus obſervatione in Novis Literariis Lipſienſium Germanicis an. 1726. p. 568. Non facile quisquam illam ei, quam incomparabili B. Lutheri

theri induſtriæ debemus, prætulerit, qui & obſcuram hinc inde dicendi rationem, & novandi ſtudium inconſultum perſpexerit. Obſervationes ſuccinctas, ex comparatis verſionibus Syriaca & Neo-Græca petitas, exhibent Auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom. III. p. 455. ſqq. *Jo. Clericus* Tomo I. Biblioth. Veteris & Novæ Parte II. p. 320-382. animadverſiones ſuas, nonnunquam bonæ frugis, ſuppeditat in diverſas hujus epiſtolæ verſiones Gallicanas, quæ ex *Portu Regio*, *Rich. Simone*, *Dominico Bouhours*, & *Jo. Martianæo* profectæ ſunt.

Denique non omittendum eſt, epiſtolam hanc Pontificiis inprimis ſudem in oculis fuiſſe, tanquam talem, quæ palmariis eorum dogmatibus valide opponi poſſit. Confirmavit id, allatis quorundam ex iis doctorum effatis Cl. *Heumannus* in Pœcile Tom. I. lib. III. p. 500. Hinc factum eſt, ut B. *Abrah. Calovius* in Theologia Apoſtolica Romana Witteb. 1672. 4. edita hujus inprimis oraculis uteretur, cujus veſtigiis poſtea inſtitit B. *Jo. Guntherus*, Lipſienſis quondam Theologus, in Demonſtratione ſolida ex epiſtola ad Romanos, quod Eccleſia Lutherana ſit Apoſtolica, Romana vero apoſtatica, Lipſ. 1701. & 1707. 4. quæ germanice converſa & amplificata prodiit *Francof.* 1709. 8.

CAP. I.

VErſ. 1. Παῦλος δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ) *miniſter Jeſu Chriſti*, quo ſenſu eundem titulum Moſi & Prophetis in Veteris Teſtamenti tabulis tributum eſſe recte obſervat *Richardus Simon* in Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti Parte II. quæ de Verſionibus exponit, p. 470. eadem opera non præter rem caſtigans verſionem Gallicam *Montenſem*, quæ in nota marginali vocem δοῦλος per *eſclave*, expreſſerat. Tituli hujus dignitatem aliorum, quibus idem placuit, exemplo commonſtrat *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 687.

Κλητὸς Ἀπόστολος) *ad gerendum Apoſtolatum vocatus*, ut *Rich. Simon*, *Bouhourſius* & *Martianæus* in verſionibus ſuis recte exprimunt, approbante *Clerico* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Parte II. p. 321. Sic v. 7. *κλητοῖς ἁγίοις, ad ſanctificationem vocatis.* Eodem ſenſu *Lutherus:* **berufen zum Apoſtel.** Itaque nulla hic opus eſt interpunctionis mutatione, quam arriſiſſe video Cl. *Jo. Chriſtiano Herzogio* in Obſervationibus Philologicis de Interpunctionum poſitu in ſelectioribus locis epiſtolæ ad Romanos §. 5. Is enim vocem κλητὸς ad vocem δοῦλος, interpoſito commate, τὸ ἀφωρισμένος autem ad vocem Ἀπόστολος referri vult, ut ſic utrumque ſubſtantivum δοῦλος & ἀπόστολος adjectivo aliquo munitum, compareat. Sed video, S. *Paulum* Tit. I. 1. S. *Jacobum* I. 1. S. *Petrum* 2 epiſt. I. 1. & S. *Judam* v. 1. ſe eodem modo δοῦλους nunc θεοῦ nunc Χριστοῦ ſine addito κλητὸς appellare; viciſſim autem Paulum 1 Cor. I. 1. κλητὸν Ἀπόστολον Ἰησοῦ Χριστοῦ ſe dicere. Itaque rectius perſiſtimus in recepta interpunctione, inprimis cum vox ἀφωρισμένος commode & eleganter ad utramque vocem δοῦλος & ἀπόστολος referatur. Cur *Rich. Simon* in notis ad verſionem Gallicam τὸ κλητὸς pro nomine Subſtantivo haberi velit, cauſam non video. Ceterum κλητὸν ſe vocat Apoſtolus, non κεκλημένον, ideo quod non ſolum vocatus

catus fuerat, ſed vocationi etiam paruerat. Hanc enim utriusque vocis differentiam eſſe *Eraſmus Schmidius* ad Matth. XXII. 3. commonſtravit. De voce ἀπόστολος diximus ſatis Volumine I. harum Curarum p. 623.

ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ) *Jo. Druſius* in de Sectis lib. II. c. 2. non inconcinne ſuſpicatur, Paulum ad Phariſaiſmum, quem olim in Judaiſmo ſectatus ſit, hac voce alluſiſſe, tamquam qui olim ἀφωρισμένος (נפרש) fuerit εἰς τὸν νόμον, *ſegregatus ad ſtudium legis*, nunc autem εἰς εὐαγγέλιον. Quod cum malignius ita accepiſſet *Serarius*, in Minervali lib. IV. c. 2. ac ſi Druſius Paulum, jam converſum, Phariſaiſmo adhuc addictum fuiſſe cenſeret; ille quidem in Reſponſione lib. II. cap. 6. mentem ſuam ea, qua non fecimus, ratione expoſuit. Scilicet Phariſæi plerorumque judicio a פרש i. e. *ſeparando*, dicti exiſtimantur. Eandem alluſionem ſubindicare voluiſſe videtur Interpres Syrus h. l. quando vocem ἀφωρισμένος explicat per ואתפרש. Confer eruditos auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom. III. p. 455. *Adriani Relandi* Antiquitates Hebræas p. 266. & *Jo. Henr. Reizii* notas ad *Thomæ Goodwini* Moſen & Aaronem p. 77. Interim omittendum hic non eſt, quod S. Lucas Act. XIII. 2. ſine ejusmodi reſpectu nutum divinum de Paulo & Barnaba, ad gerendum Apoſtolicum munus deligendis, eadem hac voce exprimat: ἀφορίσατε δή μοι τὸν Βαρνάβαν καὶ τὸν Σαῦλον εἰς τὸ ἔργον, ὃ προσκέκλημαι αὐτοῦς. Cl. *Jac. Elsnerus* in Obſervationibus Sacris ad h. l. p. 1. ſq. non putat rectius aut elegantius verti poſſe, quam *deſtinatus* ad Evangelium Dei, cum verbum ἀφορίζειν illique reſpondens Latinum *deſtinare* de rebus aut perſonis, rei divinæ adſcriptis & dedicatis, uſurpetur. Sic *Strabo* lib. XVI. p. 1104. Judæis Moſen auctorem fuiſſe dicit τέμενος ἀφορίσαντας καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν (τὸ Θεῖον) εἴδους χωρίς. Cumque οἱ LXX. Levit. XX. 26. ὁ ἀφορίσας ὑμᾶς ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν εἶναί μοι de Iſraelitis a ceteris gentibus ſegregatis conſecratisque Deo, item *Num.* VIII. 11. de Levitis & *Exod.* XXIX. 24. de Sacerdotibus eximia & ſingulari ratione ad cultum divinum deſignatis, eodem verbo utantur, huc potius, quam ad Phariſaiſmum alluſiſſe Apoſtolum, idemque ex allegato *Act.* XIII. 2. loco patere, exiſtimat. Mihi quidem ille Actuum locus aliquid amplius quam *deſtinationem* inferre videtur. Propius autem ad Elsnerianam ſententiam ornandam phraſis Pauli facit, quam *Gal.* I. 15. adhibet, ὁ θεὸς ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου.

In commatibus ſeptem prioribus duas potiſſimum parentheſes ſeu μεταξυλογίας exſtare poſt alios obſervavit Cl. *Chriſtoph. Wolle* in commentatione de Parentheſi Sacra p. 63. ſqq. exque iis ait elucere *ſanctiſſimum* πάθος *Pauli, ſigillatim adfectum amoris erga* JESUM CHRISTUM *ardentiſſimum, quo divinum ejus pectus ita abundarit, ut ſuaviſſimi hujus Servatoris mentionem injiciens ſibi temperare non poſſet, quo minus ſummam ejusdem perſonam atque induſtria erga nos merita maximis in cœlum laudibus extolleret, ſuo ſimul muneri Apoſtolico auctoritatem ac pondus conciliaturus.*

Verſus *tertium* & *quartum* illuſtratos vide a B. *Jo. Philippo Storrio* in Diſſert. de ſenſu vocum *Carnis* & *Spiritus*, ubi de Chriſto ſermo eſt. Exſtat illa

illa in Decade Exercitationum ejus Exegeticarum. Eosdem explicandos ſibi ſumſit *Jo. Weſſelius*, Theologus Leidenſis, in Exercitationibus Sacris Leidenſibus p. 395. ſqq. eo inprimis conſilio, ut ſententia *Hermanni Alexandri Roëllii* confutaretur. Is enim in commentario ſuper epiſtolam ad Epheſios cap. I. contenderat, *ſecundam Trinitatis perſonam vocari filium Dei, quatenus eſt θεάνθρωπος, ac ſupponere quidem hoc nomen Chriſto datum cum naturam divinam, tum ejus cum humana unionem, neutiquam tamen dici filium Dei, vel propter divinam naturam tantum, vel propter humanam, ſed rationem formalem, nominis ejus eſſe ſimilitudinem unam & alteram, quæ intercedat inter θεάνθρωπον & filium proprie dictum & maxime Regis.* Contra hæc *Weſſelius* ita diſputat, ut inprimis ex commatibus his oſtendat, Chriſtum eſſe filium Dei *tantum* ſecundum divinam naturam, cum Paulus hic tradat, Chriſtum, Dei filium, hominem eſſe excellentiſſimum, ut, qui certa ſui parte in tempore aſſumta, nimirum humana natura, quam *carnem* vocet, factus ſit ex ſemine Davidis Regis; ſimul vero addat, illum per id ipſum minime factum eſſe filium Dei in tempore, nec eſſe, nec vocari ita cum reſpectu ad nativitatem ac naturam humanam, ſed tantum ſecundum divinam, quam πνεῦμα ἁγιωσύνης appellet, ac in tempore talem eſſe *demonſtratum* filium Dei ex reſurrectione mortuorum. Conferantur Acta Eruditorum Lipſienſia anni 1723. p. 124. Facile cuique patet, Chriſtum hoc loco *filium Dei* a Paulo appellari, reſpectu tantum habito ad *divinam naturam*, in cujus quippe ὑπόστασιν aſſumta ſit *humana*. Interim non penitus inficiandum eſt, Chriſtum etiam qua hominem naturalem Dei filium vocandum eſſe, id quod Theologi noſtrates abunde evicerunt. Vide v. c. B. *Scherzerum* in Syſtemate Theolog. Loco VIII. §. 8. & ibi citatos. Sed hæc quidem obiter tetigiſſe ſuffecerit, cum ad circulos noſtros vix pertineant.

Verſ. 3. Τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβίδ) Eadem phraſi Gal. IV. 4. Chriſtus dicitur γενόμενος ἐκ γυναικός, i. e. *factus*, non *natus*, quod non ſine emphaſi dici *Tertullianus* admonuit, adſtipulante Rev. *Raphelio* in Annotationibus Xenophonteis p. 193. reſpectu ſcilicet ad naturarum in Chriſto diverſitatem habito. *Natus enim*, quæ Raphelii verba ſunt, *Chriſtus ex Maria eſt ſecundum utramque naturam, Luc. I. 15. factus autem ex eadem ſecundum ſolam humanam, quam ex ipſa Mariæ ſubſtantia aſſumſit.* Alioquin conſtat, γεννᾶσθαι & γενέσθαι a Xenophonte & Græcis aliis alias nullo diſcrimine uſurpari.

Verſ. 4. Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ &c.) Vide huc ex noſtratibus B. *Mich. Færtſchii* Diſſertat. de ὁρισμῷ filii Dei, Tubingæ 1699. 4. in decade diſſertationum ejus Theologic. p. 140. recuſam, Anonymi Programma Lipſienſe in *Gabr. Ternii* Sylloge I. Programmatum Exegeticorum p. 628. exſtantem, Cl. *Heumannum* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe IV. Faſcic. II. p. 281. ſeq. *Starckium* in Notis Selectis ad loca Selecta epiſtolæ ad Romanos p. 108. & *Jo. Franc. Buddeum* in Meditationibus Sacris a M. Jo. Dav. Leonardo Jenæ 1725. 4. junctim editis, p. 132. Ex Reformatis *Jo. Marckium* in Exercitationibus Textualibus p. 381. ſqq. & *Herman. Witſium* in Symbolum Apoſtolicum p. 205. & 343. Ex

Ponti-

Pontificiis *Rich. Simonem* in Hiſtoria Critica N. T. Parte II. ubi de verſionibus p. 187. 261. & 378. & Parte III. ubi de variorum Interpretum ſententiis p. 256. 472. 548. 551. & 848. *Dionyſ. Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tom. VI. de Incarnatione lib. XI. c. 13. ſq. item *Antonium Arnaldum* in Defenſione verſionis Gallicæ Montenſis p. 339. ſqq.

Τ8 ὁρισθέντος) Unus Codex *Barberinianus* a Millio allatus legit προορισθέντος, atque hanc lectionem antiquiſſimis exemplaribus Græcis, & forte Apoſtolico, quo Vulgatus, per *prædeſtinatus* vertens, uſus ſit, receptam fuiſſe contendit *Amelotus* in notis ad verſionem ſuam Gallicam, recte ideo caſtigatus a *Simonio* in Hiſtoria Critica Parte II. p. 378. *Euſebius* hanc Lectionem Marcello, hæretico Sabelliano, tribuit, contra quem Millius in Prolegomenis §. 737. potius contendit, lectoris cujusdam orthodoxi ſcholion eſſe, quod tandem ex margine in contextum nonnullorum exemplarium irrepſerit. Mihi quidem ita ſtatuendum videtur. Vulgatus Interpres converterat *prædeſtinatus*. Eam verſionem repetierunt Patrum multi, a *Millio* & *Petavio* ll. cc. allati, atque hinc facile fieri potuit, quod & alias uſu venit, ut Lector aliquis, Latini Interpretis ſtudioſior, exemplar Græcum ex eo refingendum putaret, temere omnino, cum, quod *Rich. Simon* loco modo allegato obſervat, Interpreti illi τὸ *prædeſtinatus* idem ſit, quod ſimplex *deſtinatus*, ſicut *præordinatus* apud eundem idem eſt, quod *ordinatus*.

Quæritur autem proxime, quid ſibi velit vox ὁρισθείς? *Petavius* l. c. pro *prædeſtinationis* notione acriter militat, eo ſenſu, ut Chriſti humana natura ad hypoſtaticam cum verbo unionem prædeſtinata dicatur. Idem viſum eſt *Simonio* in notis ad verſionem ſuam N. T. Gallicam, quamvis alio & ſequiori ſenſu. B. *Jo. Hulſemannus* noſtras in Anti-Bellarmino p. 52. parum intereſſe arbitratur, ſive *prædeſtinationis*, ſive *declarationis* ſignificatum h. l. præferas, nempe talis, quæ ad officium mediatorium ſpectet. Noſtrates communiter, plerique etiam Reformatorum, & recte quidem, tum vero ex Pontificiis nonnulli, nominatim *Jo. Martianæus* in Conatu novæ verſionis Gall. *declarationem* & *demonſtrationem* manifeſtam inferri cenſent. Lege præter B. *Buddeum* l. c. B. *Feſſelium* in Adverſariis ſacris, (quorum nova editio, quam ante hos viginti & amplius annos molitus ſum, ſine mea culpa nec dum lucem vidit,) Tom. I. p. 38. *Heumannum* in Bibliotheca Bremenſi & *Starckium* ll. cc. Senſus ſcilicet eſt, Chriſtum ut Dei filium manifeſtatum & diſerte demonſtratum eſſe tum aliis miraculis tum inprimis per reſurrectionem ex mortuis. Hac mente B. *Lutherus* noſter: **und kräſtiglich erweiſet ein Sohn GOttes.** Atque hæc explicatio veterum ſacri cœtus Doctorum, *Chryſoſtomi*, *Theophylacti*, *Oecumenii &c.* ſententiis reſpondet, qui τὸ ὁρισθέντος per δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος, ἀποδειχθέντος, βεβαιωθέντος & ἀποφανισθέντος explicant. Nec abit ea a profanorum Scriptorum uſu, de quo legendi ſunt *Feſſelius* l. c. & *Alexander Morus* ad h. l. p. 103. Accedit parallelismus ſcripturæ *Act.* II. 22. ubi ſimili modo Jeſus dicitur ἀνὴρ ἀπὸ θεȣ̃ ἀποδεδειγμένος, &, quem *Martianæus* hic comparari vult, *Act.*

XIII.

XIII. 33. Non omittenda quoque eſt Interpretis Syri auctoritas, qui h. l. per אתידע i. e. *cognitus eſt*, convertit. Nemini præterea mirum videri debet, Apoſtolum heic maluiſſe uti voce ὁρισθεὶς, quam ulla alia, forte magis perſpicua. In hac enim aliquid amplius latet, quam in reliquis ſimilibus deprehendas. Vidit id *Jo. Clericus* in epiſtola III. quam ſub nomine *Liberii a S. Amore* edidit. Τὸ ὁρίζειν, inquit, *ſignificat demonſtrare, ita clare definire, ut nulla poſſit eſſe ambiguitas, ita clare oſtendere, ut id in dubium revocari non poſſit.* Idem antea perſpexit *Ludov. de Dieu* ad h. l. *Witſius* ad Symbolum Apoſtolicum p. 99. & *Alex. Morus* ad h. l. p. 104. Poſtremus eorum vocem juridicam hic agnoſcit, ejuſque vim eam eſſe profitetur, ut ὁρισθεὶς dicatur, cui ſtatus controverſiæ amplius moveri non poſſit, Chriſtusque ipſius Dei *judicio* filius Dei *ſancitus* intelligatur. Eam is notionem tum aliunde tum ex *Heſychio*, cui Dictionarium aliquod Eccleſiaſticum ſuppetias fert, adſtruit. Hic enim verbum ὁρίζει explicat per ἵστησι, ὅρον δίδωσι, κρίνει, θεματίζει, διαιρεῖ, ἀφορίζει. Ex quibus ſignificationibus inter ſe comparatis iſta elicit *Starckius* l. c. p. 108. *Quando igitur filius Davidis ita intra* terminos *ſuos* conſtituitur, *eoque a communi omnium creaturarum ſorte* ſeparatus eſt, *ut natura quoque divina ejus dilucide cognoſcatur, ut idem ſit* filius Dei, *non ἐν λόγῳ*, non υἱὸς λεγόμενος, filius appellativus, ſed *ἐν δυνάμει*, cum potentia, *quid aliud hoc eſt, quam logica & diſtincta illius* definitio, apodictica demonſtratio & declaratio? Non diſſimiliter *Jo. Weſſelius* l. c. p. 422. per τὸ ὁρίζεσθαι, ait, non nude indicari, quod declaratus ſit Dei filius, ſed quod idem ut filius Dei jam in ſe per naturæ divinæ communionem ab omnibus aliis in tempore factis, & metaphorice dictis filiis Dei ſatis diſtinctus, ſeparatus & determinatus, palam deinde promulgatus & judicatus, ſignisque aliis, tanquam terminis conſtitutis, demonſtratus ſit. Adde in eandem ſententiam *Jo. Lockii* notam ad h. l. in commentario ſuper epiſtolas Pauli Anglice ſcripto. Noviſſime Cl. *Elsnerus* p. 4. huc recte advocavit illum verbi ὁρίζειν uſum, ſcriptoribus profanis frequentiſſimum, quo leges, quid juſtum æquumque ſit, declarantes, ὁρίζειν dicuntur, eademque opera Socinianorum, *conſtituendi* aut *efficiendi* ſignificatum hic urgentium, corruptelæ occurrit, quam nec idoneis veterum Scriptorum locis ornare, nec cum propriis hypotheſibus conciliare poſſint. Patrum ſententias lege apud *Petavium* in Dogmat. Theolog. Tom. VI. p. 77. ſq.

Ἐν δυνάμει) Voces hæ conjungi poſſunt vel cum ὁρισθεὶς vel cum υἱὸς θεοῦ. Si prius fiat, plerorumque noſtratium poſt B. Lutherum, qui per kräftiglich convertit, exemplo, idem erit, quod *potenter*, vel *efficaciter*. Sin poſterius; ſignificabit per Ebraiſmum, (per quem adjectivum ſæpe ope ſubſtantivi cum præpoſitione exprimitur, ut 1 *Chronic.* XXVI. 14.) *potentem*, ſive *omnipotentem*, ut ſic filius Dei diſtinguatur a filiis Dei adoptivis. Hoc poſterius mavult poſt *Sebaſt. Schmidium*, *Starckius* l. c. p. 109. ideo, quod in contextu proxime conſtruatur cum vocibus υἱοῦ θεοῦ. Cum vero eadem phraſis ἐν δυνάμει etiam alias, v. c. 2 *Theſſalon.* I. 11. ratione ordinis proxime jungatur

 phraſi,

phraſi, ἔργον πίστεως, quæ tamen ratione ſenſus pertinet ad verbum antecedens πληρώσῃ, malim priorem ſententiam amplecti, ut idem ſit, quod *efficaciter*. Eodem ſenſu Paulus *Coloſſ.* I. 29. commemorat τὴν ἐνέργειαν θεοῦ ἐνεργουμένην ἐν δυνάμει i. e. *potenter*. Confer Cl. *Heumannum* l. c. p. 282. & *Weſſelium* p. 410. qui in antecedentibus una cum *Marckio* alias aliorum interpretationes affert. Verſio *Montenſis* Gallica reddit: *dans une ſouveraine puiſſance*, quæ recte ex additamento non neceſſario diſplicet *Rich. Simonio* Parte II. Hiſtor. Criticæ N. T. p. 470. & *Jo. Clerico* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Part. II. p. 323. *Simplicius Verinus*, i. e. *Claud. Salmaſius* de Transſubſtantiatione p. 365. δύναμιν hanc ad Spiritum Sanctum refert, præter rem, ſi quid video.

Κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης) *ſecundum Spiritum ſanctitatis.* Oculum heic intendi ad viſibilem Spiritus S. effuſionem ſuper Apoſtolos, qua effuſione, tanquam infallibili argumento, deitatis ſuæ potentiam illuſtrarit Chriſtus, cum nemo poſſit hoc modo mittere Spiritum S. niſi is ſolus, a quo procedit, & cujus proprius eſt ille Sacer Spiritus, exiſtimat *Feſſelius* in Adverſariis l. c. p. 38. Sed rectius a plerisque Interpretibus *Spiritus ſanctitatis* accipitur de *divina* Chriſti *natura*, ſecundum quam filium Dei eſſentialem ſe demonſtravit. Hanc interpretationem poſcit præpoſitio κατὰ, *ſecundum*, quam prior explicatio cum διὰ præter rem commutat. Deinde opponuntur ſibi heic phraſes κατὰ σάρκα i. e. *ſecundum humanam naturam*, & κατὰ πνεῦμα i. e. *ſecundum ſpiritum*, quam proinde vi oppoſitionis de divinitate recte accipies. Hæc enim oppoſitio eodem modo & ſenſu occurrit 1 *Pet.* III. 18. ubi Chriſtus dicitur θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι. Conf. 1 *Tim.* III. 16. & *Hebr.* IX. 12. Similiter Chriſtus Rom. IX. 5. dicitur ἐκ πατέρων κατὰ σάρκα, ſed ſimul θεὸς εὐλογητὸς εἰς αἰῶνας. Quod hic per κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ſubinnuitur, id l. c. per vocem θεὸς diſertius indicatur. Hanc interpretationem B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, & alii, a *Starckio* ὁμοψήφῳ allati, amplectuntur, quibus adde ex recentioribus *Heumannum* l. c. & *Pet. Zornium* in Opuſculis Sacris Tom. I. p. 261. Ex Reformatis poſt *Roellium* in epiſt. ad Epheſios p. 482. lege inprimis *Weſſelium* l. c. p. 410. ſqq. qui & Patrum auctoritatem urget p. 413. & diſſentientium depravationes refellit. De Patribus, divinam Chriſti naturam per vocem πνεῦμα indicari ſtatuentibus, lege Rev. *Raupachii*, Collegæ mihi amiciſſimi, Decadem I. Obſervationum Sacrarum ex Patribus Apoſtolicis p. 5. Ceterum S. Paulus hic non πνεῦμα ἅγιον, ſed πνεῦμα ἁγιωσύνης dicit, partim ad indicandam hujus hominis θεανθρώπου præ aliis φιλανθρώποις ὑπεροχὴν, partim ad innuendum hujus πνεύματος diſcrimen a Spiritu Sancto, tertia SS. Trinitatis perſona, quæ obſervatio eſt *Heumanni* p. 283.

Ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν) *ex reſurrectione a mortuis*, ſive *per reſurrectionem ex mortuis*, ut ſcilicet in ea, tanquam certiſſimo argumento demonſtratio Chriſti, tanquam veri Dei & filii Dei collocetur. Reſurrectionem enim Chriſti ex mortuis pro adſtruenda divinitate ejus in ſacris literis paſſim urgeri conſtat. Τὸ ἐκ vero idem eſſe, quod διὰ, manifeſtum eſt ex collatis inter ſe locis

locis *Rom.* III. 3. & *Gal.* II. 16. Sunt, qui τὸ ἐκ accipiunt pro ἀπὸ, ut ſic *tempus*, vel *terminus a quo*, inferatur manifeſtatæ deitatis Chriſti. Nec ſtatuunt illi quicquam, quod ratione phraſeos vel ſacris literis, vel profanorum Græcorum dictioni ſit adverſum. De ſacris literis lege *Varenium* ad h. l. de profanis *Raphelium* in Annotationibus Polybianis p. 409. ubi variis Arriani locis v. c. de Expeditione Alexandri I. 26. 3. oſtendit, τὸ ἐκ ſignificare *poſt*. Præterea hæc interpretatio cum re ipſa & noſtra expoſitione facile conciliari poteſt, ſi dicamus, Chriſtum poſt reſurrectionem ſe inprimis & clariſſime filium Dei demonſtraſſe, quando ſe & viventem oculis Apoſtolorum ſtitit, & per præconium eorum aliis repræſentavit, addito miraculorum, per eosdem editorum, ſignaculo. Prior tamen expoſitio menti Paulinæ magis reſpondere videtur. Ab illa vero longius abeunt, qui ἀνάστασιν νεκρῶν cum *Eraſmo Schmidio* ad h. l. & paucis aliis non de reſurrectione Chriſti ex mortuis, ſed de reſuſcitatione mortuorum, per Chriſtum facta, accipiendam eſſe exiſtimant. Quamvis enim vox ἀνάστασις hunc ſenſum nonnunquam habeat, quod & Rev. *Raphelius* in Semicenturia Annotationum Philolog. §. 31. locis aliquot Euſebii demonſtrat, hoc tamen loco aliter judicandum eſſe ex dictis apparet. In contrariam ſententiam nihil quicquam facit, quamvis id *Schmidio* viſum ſit, quod non dicatur ἐξ ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν, ſed ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. Nam ſicut particula ἐκ, proxime antecedens, obvie admodum repeti poteſt, ceu *Eraſmus* recte monuit; ita ſimiliter *Act.* XVII. 32. reſurrectio Chriſti ἀνάστασις νεκρῶν vocatur. Confer huc *Weſſelium* l. c. p. 430. *Ludov. de Dieu* in Critica Sacra ad h. l. & *Starckium* p. 111. Phraſin Paulinam longius extendit Anonymus in Muſeo Hiſtorico-Philologico-Theologico Bremenſi Vol. II. p. 201. per ἀνάστασιν νεκρῶν intelligens reſurrectionem illorum, quos Chriſtus excitavit in diebus carnis ſuæ, tum Chriſti ipſius, tum illorum mortuorum, qui in ejus nomine per Apoſtolos & diſcipulos excitati ſunt, tum denique mortuorum omnium, per vocem ejus excitandorum in die extremo. Quæ ut pie & doctrinæ Evangelicæ convenienter cogitantur, ita effectus ſiſtunt reſurrectionis Chriſti, ad quam tamen heic unice reſpexit Apoſtolus. Ut rem omnem in ſummam conferamus, ſenſus loci obſcurioris iſte fuerit: *Chriſtus ex Davide, ut homo, ortus, per reſurrectionem ſuam a mortuis efficaciter demonſtravit, ſe eſſe filium Dei, ſecundum divinitatem ſuam ſanctiſſimam.*

Verſ. 5. Δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν) *Rich. Simon* reddit: *la grace de l'Apoſtolat*, adeoque per hendiadyn duas voces ad unam rem deſignandam refert. Et ſenſum quidem phraſeos hunc eſſe exiſtimat Cl. *Clericus* tum in notis ad verſionem N. T. Gallicam, tum in Biblioth. Vetere & Nova Tom. I. Part. I. p. 325. ut ſcilicet ſic innuantur dona ad prædicandum Evangelium neceſſaria. Atque hæc non inconcinne admonentur, inprimis cum S. Paulus eodem modo Rom. XV. 15. commemoret τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν (ἑαυτῷ) ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς τὸ εἶναι λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ubi diſerte prædicatur *gratia Dei* in eo manifeſtata, quod conſtitutus ſit Apoſtolus. Sic Catena MS. in

B 2 epiſt.

epiſt. ad Romanos, a *Millio* allata χάριν ἀποστολῆς h. l. exhibet in textu. Fortaſſe tamen utraque vox rectius eo ſenſu accipitur diſtincte, ut χάρις referatur ad converſionem Apoſtoli ipſius, quam alias prædicat 1 Tim. I. 13. ἀποστολὴ vero ad miniſterium inter gentes obeundum.

Εἰς ὑπακοὴν πίστεως) *in obedientiam fidei.* Eadem phraſi utitur Paulus infra XIV. 26. *Obedientia fidei* eſt *fides* ipſa Evangelio præſtita, h. e. illi præcepto, quo jubemur teſtimonio Dei aſſentiri & credere in Chriſtum, ut alibi laudat Apoſtolus ὑποταγὴν τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ 2 *Cor.* IX. 13. Ita recte *Witſius* in Miſcellaneis Tom. II. p. 747. poſteriorem locum eo adhibens, ut appareat, aſſentiri myſteriis a Deo revelatis, quia revelantur a ſuprema veritate, non tam ex naturali aliqua ratiocinatione procedere, quam ex ſubmiſſa animi ad obſequium edomiti ſub verbo Dei ſubjectione. Φράσιν hanc non inepte explicat *Alex. Morus* in Notis p. 105. *Similitudo*, inquit, *ducitur a ſervis fidelibus, qui ſtatim, ut audiunt, obediunt. Hinc* משמעה *Hebræis* obedientia, *& Ezech.* III. 6. audirent te, *quod eſt in Hebræo, Chaldæus interpretatur:* obedirent tibi; *&* ἀκούειν *Græcis* ὑπακούειν, *&* audire *Latinis* obedire *eſt. Quo reſpexit mos aures perforandi ſervis apud Hebræos, & apud Græcos proprie* ὑπακούειν *dicitur de ſervo, qui pulſantem fores exaudit, eique reſpondet.* Anonymus in Muſeo Bremenſi Vol. II. p. 202. indicari hic putat obedientiam, quæ fide præſtetur, qua nomen Chriſti glorificetur, &, quæ ex fide fluat, quando omnia fiunt in nomine Chriſti, & ad ejus gloriam diriguntur *Col.* III. 17. Conf. *Suiceri* Theſ. Eccleſ. I. p. 733.

Verſ. 6. Κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ) Apoſtolus cum nomine Chriſtiano communes ſuos titulos habet. Servum ſe Chriſti dixerat: nunc ait, ut ſit obedientia fidei inter omnes gentes in ejus nomine, h. e. ut omnes ſint ſervi Chriſti. Se dixerat κλητὸν Ἀπόστολον, eos dicit κλητοὺς Ἰησοῦ Χριστοῦ. Se vocaverat ἀφωρισμένον, eos etiam vocat κλητοὺς ἁγίους. v. 7. Eſt autem proprie ἅγιος, ἀφωρισμένος τῷ Θεῷ. Ita ingenioſe *Alex. Morus* l. c. Conf. *Suicerum* I. p. 113.

Verſ. 7. Τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ) *qui Romæ degunt*, ſive ſint patria Romani, ſive advenæ, quorum hos maximam partem eorum, qui ad Chriſtum converſi erant, effeciſſe veri ſit ſimile. Proinde non probanda eſt *Rich. Simonis* verſio Gallica: *qui ſont de Rome*, h. e. qui Roma ſint oriundi. De κλητοῖς ἁγίοις *Petavius* Tom. I. Dogmat. Theolog. p. 431.

Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη) De hac ſalutandi formula lege Auguſtini locum apud *Simonium* in Hiſtoria Critica N. T. lib. III. p. 257. & *Suicerum* I. p. 1032.

Ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ) Probo B. *Gottfr. Olearii* cogitata in Prælectionibus MSS. ad h. l. fieri ſcilicet in hoc voto mentionem Patris, tanquam Dei placati, qui homines in Chriſto ut filios adoptarit; Filii, tanquam Κυρίου, qui jus dominii per redemtionem acquiſiverit; Spiritum Sanctum vero omitti, tanquam qui referatur inter dona gratiæ, & qui ſit arrhabo filiationis, miſſus a Patre & Filio, adeoque in donis illis comprehendatur, quæ Apoſtolus apprecetur, nec proinde in voto ipſo locum habere poſſit.

Verſ.

Verſ. 8. Πρῶτον μὲν εὐχαριςῶ τῷ Θεῷ μȣ) Græcam hanc eſſe φράσιν ex *Polybii* IV. 72. & aliis locis evincit Cl. *Georg. Guil. Kirchmaierus* in Parallelismo dictionis N. T. & Polybii p. 38. De re ipſa confer Anonymi cogitata in Muſeo Bremenſi Vol. II. p. 202. ſq.

Ὅτι ἡ πίςις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ) Hyperbolice iſta quidem dici videntur *Eraſmo Schmidio*, cui nonnulla obvertit Rev. *Rambachius* in Introductione in epiſtolam ad Romanos p. 64. ſq. Argumento hæc inſerviunt, quo conſtet, jam Pauli ætate Evangelicam doctrinam orbem univerſum egregie pervagatam fuiſſe, ſicut & Chryſoſtomus homilia LXXVI. in Matthæum auctor eſt, Evangelium intra viginti vel triginta annos ad omnes terras & regiones penetraſſe. Inſpice *Anton. Bynæi* Chriſtum crucifixum cap. III. §. 42.

Verſ. 9. ᾧ λατρεύω) Verbum λατρεύω idem eſt, quod alias δȣλεύειν dicitur. Sermo enim eſt de ſervitio, quod Apoſtolus præſtabat Deo in prædicando Evangelio. Confer, quæ ſcripſimus ad *Matth.* IV. 10. Itaque nec *de cultu interiori mentis* hic cogitandum eſt cum verſione Gallica *Montenſi*, quam ideo caſtigavit *Simonius* in Hiſtoria Critica N. T. Parte II. p. 471. recte præterea admonens, τὸ λατρεύειν in τοῖς LXX. reſpondere Hebræo עָבַד. Conf. *Suicerum* I. p. 1445. II. p. 216.

Ἐν πνεύματί μȣ) i. e. *ſincere & vere.* Joh. IV. 24. ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ. Lege etiam *Simonium* l. c.

ὡς μνείαν ὑμῶν ποιȣ̃μαι) ὡς h. l. ſignificat *quod*, ſicut apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. VIII. p. 172. & alibi apud *Raphelium* in Annotatt. Xenophonteis p. 193. Idem Xenophon Cyropæd. lib. I. p. 26. Λέγεις σὺ, ὡς καὶ καρτερώτερον δεῖ πρὸς πάντα τὸν ἄρχοντα τῶν ἀρχομένων εἶναι.

Verſ. 10. Εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι) De verbo hoc lege *Jo. Conradi Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. Part. I. p. 342. item *Wolfburgii* Obſervationes Sacras p. 244. Exiſtimo hic Apoſtolum *felix iter* voto præcipere, quo Romam deferatur. Hæc enim propria verbi eſt notio.

Verſ. 11. Ἵνα τὶ μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν) i. e. *ut prædicando vobiscum communicem doctrinam Evangelii.* Hæc enim χάρισμα πνευματικὸν ſæpe vocatur, ut infra XV. 27. & 1 *Cor.* IX. 11. quia Evangelii prædicatione & cognitione animus ſeu ſpiritus alitur, illuſtratur, ſuſtentatur, & conſolatione fruitur, ſicut cibo & potu alitur corpus &c. Confer *Lamberti Bos* Exercitationes p. 92. Sic Paulus 1 *Cor.* IX. 15. εὐαγγελίσασθαι dicit, quod v. 11. expreſſerat per σπείρειν πνευματικά.

Εἰς τὸ ςηριχθῆναι ὑμᾶς) Verbum hoc efficax eſt, & dicitur proprie de corpore debili & infirmo, quod innititur baculo, aut, quod cibo & potu ſuſtentatur. Hinc vis ſuſtentandi, quæ eſt in pane, vocatur ςήριγμα ἄρτȣ. *Ezech.* IV. 16. & XIV. 13. Idem ſcilicet hic dicitur, quod ad *Hebr.* XIII. 9. effertur per χάριτι βεβαιȣ̃σθαι τὴν καρδίαν.

Verſ. 12. Συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν) Hic non ſimpliciter ſolatium in

Apoſtolum redundaturum, ſed & inprimis excitatio nondum converſorum ex Romanis, & ſic ſimul ſolatii fructus ad Apoſtolum perferendus innuitur. Id enim & contextus ſermonis & ipſa vocis conditio infert. Vide Unſchuldige Nachrichten an. 1716. p. 144. Ita *Beza* efficaciam verbi hujus expreſſit, quando vertit: *ad communem exhortationem percipiendam.* Vulgatus reddidit, *ſimul conſolari*, ſenſu paſſivo, quod ex uſu & more veterum recte fieri oſtendit Cl. *Jo. Alberti* in notis ad h. l. p. 295. Adde *Vechneri* Hellenolexiam lib. 1. cap. 9.

Verſ. 13. πολλάκις προεθέμην ἐλθεῖν) Apoſtolus hic, ſimplicitatem ſtyli ſectatus, non dicit ὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ πολλάκις, ſed ſimpliciter πολλάκις. Quam in rem vide *Ariſtidis* p. 352. de dictione ſimplici obſervationem apud Rev. *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 194.

Καὶ ἐκωλύθην ἄχρι τῦ δεῦρο) Τὸ καὶ videtur hic poni ἀντιθετικῶς pro ἀλλὰ, *at*, *verum*, *prohibitus ſum usque huc.* Lege Cl. *Chriſtoph. Wollium* de Parentheſi Sacra p. 61. & 43. ubi hujus ſignificatus particulæ καὶ varia exempla afferuntur.

Ἵνα καρπόν τινα σχῶ) Cl. *Sam. Battierius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 97. verbum σχῶ ab Apoſtolo hic poſitum cenſet pro compoſito παράσχω, hoc ſenſu: *ut fructum aliquem exhiberem.* Præſidium interpretationis ſuæ collocat in antecedente φράσει, ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικόν. Fateor locum hoc habere poſſe. Rectius tamen verbo σχῶ propriam ſignificationem, qua *perceptionem* ſeu *conſecutionem* fructus alicujus infert, hic relinqui planum fecit Cl. *Alberti* p. 293. Obſervatt. ad h. l. Ita enim τὸ ἔχειν externi Scriptores frequenter adhibent, v. c. *Plutarchus* in Themiſtio p. 121. ἔσχηκε δόξαν, *gloriam aſſecutus eſt.* Theocritus Idyll. XXVI. 31. τιμὰν ἔχει. Nec minus Sacri, ut Matth. XIX. 16. & Paulus *Rom.* V. 2. ubi compara *Lamb. Bos.* Non minus Latini *τὸ habere* pro *conſequi* adhibent, ut *Plautus* Trucul. Act. I. Scen. II. v. 59. Nec comparari debet phraſis ἵνα καρπόν τινα σχῶ cum altera, ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα. Communicatio enim illa donorum ſpiritualium, ab Apoſtolo quæſita, commemoratur una cum ſcopo, quem in ea ſibi præfixum habebat, ut ſcilicet Romanos confirmaret, ipſe vero eadem opera ſimul ſolatii fructum perciperet. Vide v. 11. & 12. Atque hunc fructum diſertius in hoc commate exprimit verbis: ἵνα καρπόν τινα σχῶ ἐν ὑμῖν.

Verſ. 14. Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις) Idem *Battierius* ad confirmandam, quam diximus, expoſitionem ſuam verba hæc abripit, tanquam in quibus deſiderii Apoſtolici de fructu, fidelibus Romanis præſtando, cauſa indicetur. Atque ideo pro τε legi mavult δὲ, hoc vero δὲ interpretatur per γὰρ, *enim.* Temere omnino mutatio hæc ſuſcipitur, invitis Codicibus & verſionibus omnibus, inprimis cum ſequens phraſis σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις receptam lectionem τε adſtruat. Verum eſt, commate hoc quarto & decimo rationem quandam contineri, ſed talem, quæ ad communicationem donorum ſpiritualium v. 11. indicatam, non autem ad fructus perceptionem pertinet. Illam vero cauſam per particulam δὲ vel

vel γὰρ exprimi neceſſe non erat, cum ipſa orationis ſeries ſatis id indicaret. Quod ad voces ipſas attinet, conſtat, per Ἕλληνας *Græcos*, per βαρβάρυς *Romanos* intelligi. Ipſi ſe Romani barbaros interdum, quod in notis hic obſervat *Alex. Morus* p. 105. vocant κατὰ συγχώρησιν. Manifeſtum enim erat, Græcos artium cultu præcellere, Romanos Marte. *Heſychius*: Ἕλληνες φρόνιμοι εἴτε σοφοί. Idem: βάρβαροι, ἀπαίδευτοι. Sic Paulus ἕλλησί τε ϗ βαρβάροις ſtatim ſubjicit σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις. Loquitur enim ex uſu Græcorum, qui ſubacti Romanorum armis, tamen eos præ ſe barbaros cenſebant, ſibique ingenium & os rotundum ſoli vendicabant. Romani contra Græcis hoc ipſum nomen probro vertebant, & Romæ *Græculus eſuriens*, vel etiam *Græcus* dicebatur homo vanus, mendax, ſciolus. *Plutarchus* de Cicerone: Γραικὸς ϗ σχολαςικὸς *Græculus & otioſus*, ut ipſe Cicero verterat, quem vide Orat. pro Flacco. *Hæc ille*. Ita jam olim Plato in Epinomide: ὅπερ ἅπαντες, Ἕλληνές τε ϗ βάρβαροι γινώσκομεν. Ita *Sextus Empiricus* adverſus Logicos lib. VII. §. 246. & lib. VIII. §. 287. ubi vide utrinque præſtantiſſimi *Jo. Alberti Fabricii* noſtri notas. Sic quoque *Latini*, ut *Chalcidius* p. 225. *Teſtis eſt hujus beneficii cuncta Græcia, omne Latium, omnisque Barbaria*. Addam *Philonis* Judæi locum a Cl. *Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. p. 117. obſervatum ex p. 19. Operum ejus: τιμᾶται δὲ καὶ παρὰ τοῖς δοκιμωτάτοις Ἑλλήνων ϗ βαρβάρων. Plura veterum in hanc rem loca apud *Dougtæum* in Analectis p. 100. *Salmaſium* in Oſſilegio Linguæ Helleniſticæ p. 353. *Suicerum* I. p. 660. & 1089. II. p. 985. *Vitringam* Obſervatt. Sacr. lib. I. p. 102. ſq. qui & de etymologia vocis βάρβαρος exponit, & noviſſime *Pet. Zornium* in Bibliotheca Antiquaria Tom. I. p. 765. legantur.

Verſ. 15. Οὕτω τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον) Subintelligendum hic eſſe verbum ἐςὶ, & ſeries ſermonis & Apoſtoli reliquorumque Scriptorum Græcorum uſus evincit. *Scaliger* in Actis Literariis a *Schurzfleiſchio* editis p. 29. vertit: *pro virili paratus ſum.*

Verſ. 16. Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τȣ̃ Χριςȣ̃ κ. τ. λ.) Variorum diſſertationes ad hoc comma affert B. *Severinus Lintrupius* in Lineamentis Protheoriæ Theolog. & *Jo. Chriſtoph. Wendlerus* in Prodromo Bibliothecæ Biblicæ p. 90. ut M. *Wildeshauſenii* Bibliothecam Diſputationum omittam. Præter eos totum comma illuſtrat *Alethæus* Tom. III. p. 33. ſqq. & B. *Jo. Guilielmus Baierus* in Vindiciis & Analyſi illuſtrium Scripturæ Sac. dictorum Part. I. p. 7. ſqq. quod & non ita pridem fecit Cl. *Jo. Philip. de Crouſaz* in concione Gallica de gloria eorum, qui Evangelium cognitum habent, illique ſe ſubmittunt, Groningæ 1725. 8. in qua is ſpeciatim obſervat, Paulum his verbis ad potentiam Romanorum, faſtumque & gloriæ, in omnibus aliis rebus quæſitæ, ſtudium reſpicere, atque adeo indicare, aliud omnino eſſe, in quo vera gloria collocari debeat, nec habere ſe, cur ab Evangelio, inter ipſos terrarum dominos prædicando, avocari ſe patiatur. In eadem cogitata ante eum incidit *Alex. Morus* p. 106. *Audax facinus*, inquit, *ad crucem vocare terrarum Dominos. Non quærit enim* τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, *ut myſteria gentium. Nihil in eo erubeſcendum: nulla pars in eo tegenda.* *Undi-*

Undique ſe luſtrandum & ubique præbet; non lucem hominum reformidat, ne Prætorium quidem. Similiter *Eduardus Stillingfleetus* in Originibus Sacris p. 643. ad contrarium morem Gentilium, Eleuſinia ſua ſacra diligenter occultantium, alludi exiſtimat, cujus obſervationes explicatas lege ab *Amelio* in Illuſtratione variorum locorum Scripturæ Sacræ N. T. Part. I. p. 28.

Ἐυαγγέλιον τȣ̃ Χριςȣ̃) Vox poſterior deeſt in Codicibus nonnullis, verſionibus item & Patribus, unde *Zegero* ſubdititia viſa eſt, & ex aliis hujus epiſtolæ locis inſerta. Sed nulla eſt cauſa, cur non hic æque ac multis aliis in locis, v. c. infra XV. 19. 1 *Cor.* IX. 12. 2 *Cor.* II. 12. Apoſtolum credamus *Chriſti Evangelium* vocaſſe doctrinam, quam promulgabat. Confer *Whitbii* Examen p. 56.

Δύναμις γὰρ Θεȣ̃ ἐςιν) *Roma, pollens brachio carnis, potentiam ſuam in ultimas oras extendit: Evangelium, brachium Dei, latius regnat, & vim ſuam exſerit in omnes credentes, ne Romanis quidem exceptis. Libenter audiebant Romani, potentiam ſuam victis etiam gentibus ſalutarem & mundi fluctuantis anchoram. At Evangelium vere* ἄμαχον πρᾶγμα *potentia victrix omnium gentium beabit omnes fideles æterna ſalute. Græcorum ſapientia & ingenium, Romanorum erat potentia & imperium; Græcorum artes, Romanorum vis bellica.* Ita hic *Alex. Morus*, apud quem plura lege. Divina illa Evangelii vis in eo ſe exſerit, quod non ſolum unicam viam ſalutis per fidem in Chriſtum obtinendæ aperiat, ſed & ad fidem recipiendam vires conferat: id quod noſtrates ad h. l. recte monent. Itaque nolim cum *Moro* modo laudato, in notis ad *Jeſaiæ* LIII. p. 128. ad miracula hic reſpicere, quibus Evangelium pollebat. Abſtractum heic pro concreto non ſine emphaſi, quam addita vox Θεȣ̃ auget, poni per ſe patet. Cetera, quæ huc pertinent, excuſſit B. *Chriſtoph. Sonntagius* in Diſſertatione ſingulari: *quo ſenſu Evangelium dicatur potentia Dei?* Altorfii 1693. edita, & ibidem an. 1716. recuſa. Inſpice etiam *Suicerum* I. p. 969.

Ἰȣδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι,) πρῶτον abeſt ab uno alterove Codice. Itaque ex aliis hujus epiſtolæ locis huc translatum videtur *Millio*. Scilicet eadem phraſis occurrit II. 9, 10. ubi, cum nulla in Codd. varietas occurrat, manifeſtum eſt, phraſin omnino eſſe Paulinam, nec temere h. l. mutilandam, præcipue cum Paulo conſtiterit, Evangelium Judæis primum & prædicandum ex Chriſti mandato fuiſſe, & vim ſuam in eorum animos emendandos exſeruiſſe. Paulum hic more Judaico locutum eſſe *Grotius* ait: ita vero ſcribit etiam *Arrianus* in Epictelteis lib. II. c. 9. p. 163. Τί ἐξαπατᾶς τȣ̀ς πολλȣ́ς; τί ὑποκρίνῃ Ἰȣδαῖος ὢν Ἕλληνας; Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 409.

Verſ. 17. Δικαιοσύνη γὰρ Θεȣ̃ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται) Sunt, qui juſtitiam hanc Dei de juſtitia vindicativa, comminationibus divinis manifeſtata, accipiunt. Ita Cl. *Hombergius* in Parergis p. 188. & *Jo. Clericus* in notis ad Verſionem ſuam N. T. Gallicam, provocantes ſimul ad v. 18. Enimvero Evangelium non minatur aut terret, ſed allicit potius & reficit, fidem prædicando, per quam ad juſtitiam coram Deo pervenire liceat. Nec v. 18. ſermo amplius eſt

eſt de Evangelio, tanquam iræ divinæ interprete, ſed de interno conſcientiæ dictamine & convicio, quod a Deo animis Gentilium peccantium inſitum eſt. Vide v. 19. & cap. II. 15. Itaque hæc *Dei juſtitia* recte a plerisque omnibus accipitur de juſtitia, quæ, ut B. *Lutherus* vertit, *apud Deum valet*, i. e. *de juſtitia Chriſti*, fide apprehenſa, quæ (fides) propterea in Evangelio urgetur. Ita cap. III. 21. eodem ſenſu dicitur: δικαιοσύνη Θεȣ̃ πεφανέρωται, atque eadem v. 22. explicatur, quod ſit δικαιοσύνη Θεȣ̃ διὰ πίστεως Ἰησȣ̃ Χριστȣ̃ h. e. *juſtitia apud Deum per fidem in Jeſum Chriſtum conſequenda.* Lege in eandem ſententiam *Herman. Reiners* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 397. & Cl. *Heumannum* Claſſ. IV. p. 284. In eandem ſententiam *Lockius* ad h. l. de illa juſtitia ait eſſe ſermonem, *cujus Deus ſit auctor*, *& quam Deus recipiat*, *quæque unice in Deo ſit fundata.* Quod ad rem ipſam non alienus ab hac ſententia eſt *Steph. le Moyne* in notis ad *Jeremiæ* XXIII. 6. p. 267. quamvis diverſo id probandi modo utatur. Putat enim, *juſtitiam Dei* idem hic eſſe, quod *Deum juſtum*, *Deum juſtitiæ*, יהוה צדקנו i. e. *Chriſtum*, qui in Evangelio annunciatur. Sed, ut taceam, hunc interpretandi modum cum ſequente phraſi ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν difficulter ſtare poſſe, verba Prophetæ יהוה צדקנו de *Deo juſtitiæ*, ſeu *Deo juſto* accipi nequeunt, qui potius ex Linguæ Hebr. rationibus hoc ſenſu appellandus erat אלהי צדקנו. Conſtat enim, nomen יהוה in ſtatu regiminis nunquam collocari, ſed, ſi occurrat, aliud nomen ſubintelligendum præſtruere. Contra *Trillerum*, qui in *Examine vernaculo locorum difficiliorum* N. T. p. 320. has voces verti vult per *juſtitiam Dei*, lege *Schönlandii* Vindicias p. 311. *Clerico*, in hoc comma in Arte Critica Parte II. Sect. I. c. 12. §. 25. eo, quem diximus, modo commentanti, recte ſe oppoſuit B. *Jo. Franckius* in Præfat. ad Syſtema Ethices divinæ, ſeu commentarium in Eccleſiaſten p. 11-20. Adde Anonymi obſervationes in Muſeo Bremenſi Vol. II. p. 208.

Ἐκ πίστεως εἰς πίστιν) Diverſas harum vocum interpretationes lege apud B. *Glaſſium* in Philologia Sacra p. 1027. *Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 435. & *Clericum* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Parte II. p. 329. *Witſius* in Miſcellaneis Tom. II. Exercitat. XXIII. p. 736. ita: *Porro eadem juſtitia eſt* ex fide. *Retegitur*, *offertur*, *confertur Evangelio*, *ceu manu exhibentis eam Dei: accipitur fide*, *veluti manu apprehendentis eam animæ. Porro ſic eſt ex fide*, *ut &* ad fidem ſit. *Eſt* ex fide, *qua credo Teſtimonio Dei Patris de Filio ſuo*, *& de vita*, *quæ in ipſo eſt: denique*, *qua recipio eum*, *ut meus eſt Servator. Eſt* ad fidem, *qua credo & firmiter perſuaſus ſum*, *Deum eſſe clypeum meum*, *& mercedem meam maximam*, *Chriſtum eſſe dulciſſimum Servatorem meum &c.* Idem tamen addit: *Niſi ſic malimus:* ex fide ad fidem; *ut denotetur*, *fide inchoari*, *& fide conſummari*, *adeoque unam hic fidem eſſe*, *quæ ab initio ad fidem uſque ſola valeat*, *ut nec ipſa in ſubſidium veniat antecedentium operum*, *nec in ſubſidium adſciſcat ſubſequentia.* Ultimam hanc expoſitionem noſtrates Theologi & nominatim *Calovius* in Bibliis Illuſtratis recte amplectuntur, ex

 Anglis

Anglis vero *Jo. Lockius* ad h. l. qui conferri vult infra cap. VI. 19. ubi ἡ ἀνομία εἰς τὴν ἀνομίαν memoratur, & 2 Cor. III. 18. ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν. *Jo. Clerico*, iſta *Lockii* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 115. ſq. afferenti, *incrementum* potius & *progreſſus* in fide hac phraſi indicari videtur ex ſimili Davidica *Pſalm.* LXXXIV. 8. in quam ſententiam idem in notis ad Hammondum, tum ad Verſionem Gallicam, & in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Part. II. p. 330. commentatur. Confer *Simonii* notas ad Verſionem Gallicam, & in Hiſt. Critica N. T. Part. II. 472. Similiter *Salomon van Till* de Tabernaculo p. 116. *incipiendo a fide confugiente, & concludendo in fide* πληροφορίας. Et facile quidem hoc admitti poteſt, cum ipſa illa *perſeverantia* & *incrementum* in fide, quæ ab Evangelio urgetur, evincat, omne juſtitiæ & ſalutis præſidium in una fide eſſe collocandum. Utramque igitur interpretationem amico nexu conjungi poſſe exiſtimo: alteram enim phraſis, alteram conſequentia ex re ipſa ducta requirit. *Jo. Martianæum* ab utraque deſeri exiſtimo, quando in Conatibus novæ verſionis Gallicæ p. 396. exiſtimat, juſtitiam Dei, in Evangelio revelatam, afferri heic ut cauſam ſanctitatis juſtorum, tum eorum, qui ante vixerint, tum, qui impoſterum tales ſint futuri. Ab omnibus his diſcedunt, qui per voculas εἰς πίστιν *finem* indicatum putant, cur juſtitia Dei tanquam ex fide conſequenda promulgata ſit, ut ſcilicet, abjecta meritorum noſtrorum fiducia, ſolam fidem quæramus. Ita olim *Franc. Junius* apud *Surenhuſium* l. c. p. 436. *Jo. Crellius* in h. l. p. 50. ex noſtratibus autem Cl. *Heumannus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 285. qui ita verba hæc convertit: *In Evangelio nobis revelatur vera coram Deo juſtitia, proveniens ſcilicet ex fide, ut proinde credamus.* Comparari idem in hanc ſententiam vult *Act.* XI. 18. In easdem partes concedit *Hombergius* in Parergis, ita παραφράζων: Juſtitia Dei non ex operibus, ſed ex fide in Evangelio revelatur, & quidem ad fidem, i. e. ut amplectenda, & ut talis, quæ credi debeat tam a Judæis, quam a Græcis, ad ſalutem obtinendam. Sed vide, quæ contra *Crellium* hac in parte monuit B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, & *Surenhuſius* contra *Junium* l. c. Nuperrime, quod miror, *Will. Wallius* in Notis Criticis ſuper N. T. Anglice editis p. 225. præter omnium omnino & codicum & verſionum fidem lectionem receptam ita ſolicitavit, ut voces εἰς πίστιν prorſus expungendas cenſeret. Cauſas facinoris has affert, quod alibi v. c. III. 22. IV. 13. IX. 30. & X. 6. ubi itidem ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη commemoretur, nusquam τὸ εἰς πίστιν additum inveniatur, quod præterea commodo ſenſu inſtrui non poſſit. At non deeſſe ſenſum ex dictis patet, ex quo non minus intelligitur, Paulum cauſam habuiſſe, cur hoc loco eas voces addiderit, ad rationem juſtitiæ illius, de qua hic prima vice mentio eſt, rectius explicandam.

Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται) B. *Lutherus* in verſione particulam δὲ omiſit, indignante *Trillero*, in Examine locorum difficiliorum p. 3. Factum ſcilicet hoc eſt ideo, quod in ſerie ſermonis Paulini nihil hic, ut apud Habacucum II. 4. exſtat., ad quod particula adverſativa referri poſſit. Confer *Schönlandii*

landii Vindicias p. 8. Allegationem Paulinam cum Habacuci loco comparat *Jo. Melchior* Tomo I. Operum Theol. p. 467. & *Surenhuſius* l. c. qui & *Junii* affert ſententiam, exiſtimantis, per accentum diſtinctivum, qui apud Habacucum vocem באמונתו a verbo יחיה ſeparat, legendum eſſe: *ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως, ζήσεται*, h. e. *qui juſtus eſt*, *in* vel *ex fide ſua vivet*. Apparet omnino, utrinque ſenſum eundem prodire, ſive *fidem* ad ſubjectum, ſive ad prædicatum proxime referas: itaque nodus in ſcirpo non erat quærendus. Interim Junianam ſententiam etiam amplectitur *Car. le Cene* in Specimine novæ verſionis p. 366. Pro *ζήσεται* unus Codex habet *ζῇ*, & ſic nonnullæ verſiones. Scholion ſcilicet hoc eſt, de quo lege *Whitbium* p. 57. *Hieronymum* hic legiſſe *ἐκ πίστεώς μου* patet ex commentario ejus ad Habacuc II. 4. Inſpice *Jo. Pearſonii* Parænesin ad lectionem *τῶν* LXX. p. 14.

Verſ. 18-32. fuſe & erudite ex antiquitatis monumentis illuſtrantur a *Corn. Adami* in Exercitatt. Exegeticis Exerc. V. p. 501-731. Has voluit *Wendlerus* in Prodromo Bibliothecæ Biblicæ p. 91. ubi pro illis facili memoriæ lapſu *Obſervationes* ejus *Theologico-Philologicas* affert.

Verſ. 18-21. perſequitur B. *Franc. Julius Lütkenius* in Collegio Biblico p. 1. ſqq. & *Jo. Guil. Baierus*, filius, in Analyſi & vindicatione illuſtrium Scripturæ Sacræ dictorum, Parte I. p. 25. ſq.

Verſ. 18. *Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ θεοῦ ἀπ᾽ οὐρανοῦ*) Nonnulli *revelationem* hanc *cœleſtem* referunt ad prædictiones Scripturæ, quippe quæ cœleſtis ſit originis. Alii *ad pœnas ſpirituales*, ſeu traditionem in mentem reprobam. Alii ad *pleniſſimam manifeſtationem* in extremo die edendam. Sed nihil horum vel cum ſcopo Apoſtoli, vel cum nexu orationis conſpirat, id quod *Adami* l. c. poſt alios evincit, p. 574. Is vero eventus inſignes intelligit, quibus Deus Romanorum corruptos diſſolutosque mores caſtigarit, quique tunc, ſub Nerone ſcilicet, imminebant, cujus aulam *Suetonius* in vita Neronis cap. 38. publicarum cladium officinam appellet. Ex noſtratibus B. *Buddeus* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ p. 927. poſtquam Grotium, in Evangelio iſtam revelationem quærentem, recte confutavit: *judiciorum pœnarumque divinarum genera* varia itidem huc advocat. Sed non crediderim, Apoſtolum eo inprimis reſpexiſſe. Is enim v. 19. ſtatim urget *τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ*, h. e. quod Deum Gentiles cognitum habuerint, ſcilicet, ut conditorem omnium, ut ſanctum, juſtum &c. adeoque vel ſic a ſe ipſis etiam ſine lege edocti ſint, peccatis imminere pœnas, quas ipſa eorum conſcientia II. 25. timere jubeat. Hæc notitia, animis hominum inſita, recte poteſt appellari revelatio *a cœlo*, i. e. *a Deo* profecta.

Ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν τῶν ἀνθρώπων) *Ἀσέβεια* plerisque Interpretibus *profanitatem in Deum*, *ἀδικία* vero *injuriam in proximum* inferre recte videtur. Lege *Adamum* l. c. p. 575. ſq. qui de utraque voce diligenter commentatur, & Muſeum Bremenſe Vol. II. p. 209.

Τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων) Per *ἀλήθειαν Hombergius* in Parergis p. 190. exſiſtentiam Dei ejusque cognitionem, quæ omnium veritatum

initium

initium & fundamentum ſit, intelligit, *ἀδικίαν* vero de *mendacio* vel *injuſtitia* interpretatur. Τὸ ἐν ἀδικίᾳ *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 195. idem eſſe cenſet, quod ἀδίκως *injuſte*, ut ſupra v. 4. ἐν δυνάμει idem eſt, quod *potenter*. *Injuſtitiam* quoque idem de impietate in Deum potiſſimum, qua nulla major injuſtitia detur, accipit, quemadmodum *Xenophon* lib. I. Memorabil. init. teſtis eſt, Socratem Athenienſibus viſum eſſe ἀδικεῖν, quod Deos receptos pro diis non habuerit. Erudite hæc quidem ita traduntur. Alii vero ἀδικίαν per *mendacium* interpretari malunt. Ita vocem hanc ex noſtratibus accepit *Eraſmus Schmidius* in Annotatt. ad *Act.* I. 18. *Interdum*, inquit is, *opponitur ἡ ἀδικία in ſpecie τῇ ἀληθείᾳ, ut ſit ſignificatio ejus ſpecialior* de mendacio, *præſertim in ſpiritualibus, cum illud fons ſit injuſtitiæ omnis.* Refert huc Vir doctus *Joh.* VII. 18. *Rom.* II. 8. & 1 *Corinth.* XIII. 6. Addi poterat illuſtris locus 2 *Theſſal.* II. 10. 11. ubi Deus efficaciam erroris immittere dicitur iis, qui credunt τῷ ψεύδει, ut damnentur omnes, qui non crediderunt τῇ ἀληθείᾳ, ſed acquieverunt ἐν τῇ ἀδικίᾳ. Idem viſum eſt *Salmaſio*, in notis ad Grotii commentarium de Anti-Chriſto, *Wittichio* ad h. l. & *Cornel. Adami* l. c. p. 586. Equidem, dum recogito, ἀδικίαν in eodem hoc commate paulo ante *impietatis* notionem manifeſte obtinere, eam heic deſerendam eſſe non exiſtimo, ut ſic indicetur, qua ratione factum ſit, ut veritas a natura revelata (de ea enim, non autem de Evangelica, in verbo divino demum expoſita, & Gentilibus hactenus ſubducta, ſermonem h. l. eſſe orationis ſeries evincit) tandem in ipſis obſcurata vel enervata ſit. Id ſcilicet factum eſt ſceleribus variis, quibus effectum eſt, ut conſcientiæ dictata, tanquam libidinibus & inſtitutis ſuis adverſa, non admitterent, & procul a ſe eſſe juberent. Huc facit, quod Apoſtolus paulo poſt enormium criminum telam texit, in quæ præcipites ſe ita dederint Gentiles, ut, quamvis cognoviſſent, illa mortis pœnæ obnoxia eſſe, vel ſic cum voluptate illis indulſerint. Peccata itaque illa erant inſtar funiculorum & compedum, quibus veritas captivata (hæc enim emphaſis eſt verbi κατέχω) in animis coërcebatur, ut vim ſuam exſerere apud invitos non poſſet. Sic *Radulphus Cudworthus* in Syſtemate Intellectuali p. 471. ἀλήθειαν de cognitione veri & ſummi Dei accipit, quam Gentiles habuerint quidem, ſed paulatim obſcurarint. Lege quoque ſis de his verbis *Jo. Fechtii* diſſertationem de veritate injuſtitia detenta *Roſtoch.* 1703. ubi p. 3. hæc legis: Τὸ κατέχειν τὴν ἀλήθειαν *eſt veritatem quidem noviſſe, & intra animum ſuum, natura ipſa dictante, ſentire, ſed vim tamen ejus & dictata ſupprimere, nec aliter ſe gerere, ac ſi veritatem nullam haberes, nec illa, quid agendum tibi ſit, vel aperiret, vel ad illud te ſollicitaret, atque duceret.* Κατέχω itaque idem hic eſt, quod κωλύω, ut explicat *Heſychius* in Lexico, quem hic ſequendum putat B. *Gottfrid Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. Ita *Philo* p. 1. Operum τοὺς μυθικοῖς πλάσμασι τὴν ἀλήθειαν ἐπικρύψαντας memorat, quod monuit Cl. *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. p. 117. Totam φράσιν illuſtrat præterea Anonymus ibidem Vol. II. p. 209. ſq.

Quod

Quod ad rem ipſam attinet, quod nempe Gentiles veritates, lege præceptas, etiam ſine lege per naturam cognitas habuerint, conſtat id quidem ex ipſorum monumentis, & ſpeciminibus illis, quæ inde *Pfannerus* in Syſtemate Theologiæ Gentilis, *Grotius* in notis ad egregium librum de veritate religionis Chriſtianæ, *Huetius* in Quæſtionibus Alnetanis, & plures alii repetierunt. Adde illis, quod ad hunc inprimis locum, *Jo. Mich. Dilherrum* in Electis lib. II. cap. 8. Viciſſim vero exempla varia falſarum doctrinarum, quas Gentiles veris illis paſſim oppoſuerunt, congeſſit *Adami* l. c. p. 587. ſqq.

Verſ. 19. Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς) Τὸ γνωστὸν idem hic eſſe vult *Hombergius* in Parergis p. 190. quod γνῶσις τοῦ Θεοῦ, *notitia Dei*, quia verbalia pro Subſtantivis crebro ponantur, quemadmodum II. 4. χρηστὸν pro χρηστότης uſurpetur. Sed facile cuique patet diverſitas, quæ inter γνωστὸν, adjectivum verbale, & χρηστὸν, adjectivum nominale, intercedit, ut proinde ſecum invicem comparari omni ex parte non poſſint. Accedit, propriam vocis notionem eam eſſe, ut inferat id, quod de Deo cognoſci (ſcilicet ex natura) poteſt: quemadmodum *Momma* ideo vertit per *cognoſcibile Dei*. Appoſitus eſt *Arriani* locus lib. II. cap. 20. p. 224. ubi Epictetus ita: γίνωσκε, ὅτι οὐδέν ἐστι γνωστον, ἀλλὰ πάντα ἀτέκμαρτα. *Scito, quod nihil ſciri* ſive cognoſci & certo percipi *poſſit, ſed, quod omnia ſint obſcura.* Hinc *Heſychius* ἄγνωστον per ἄσημον exponit, quod ſcilicet nulla nota deprehendi poteſt. Ita quoque *Salmaſius* apud Spanhemium in Exercit. de Gratia Univerſali p. 1313. & *Colomeſium* in Gallia Orientali p. 202. Γνωστὸν, inquit, idem eſt, quod *noſcibile*, ut τὸ αἰσθητὸν, *ſenſibile*, τὸ νοητὸν *intelligibile*, τὸ ὁρατὸν *viſibile*. In alia omnia abit *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 108. Is enim, ubi monuerat, vim vocis hujus ex *Galeni* Protreptico ad Artes, & *Ciceronis* Quæſtionibus petendam eſſe, exiſtimat, hoc loco Latine reddi poſſe & debere per: *quod notificat*, ſeu *id*, quo cognoſci aliquid poteſt, ut idem ſit, quod γνωστικὸν, h. e. *notificandi vi præditum*. Quam in rem varia affert veri quidem ſpecie non deſtituta, ſed quæ aſſenſum non extorqueant: Recte enim *Adami* p. 607. urget, quod Deus dicitur ἄγνωστος, i. e. *ignotus*, non autem qui nullam ſui cognitionem adferat. Γνωστὸς dicitur, qui alteri notus eſt. *Luc.* II. 44. XXIII. 49. *Joh.* XVIII. 15. 16. & γνωστὸν εἶναι in Actis paſſim v. c. I. 19. II. 14. IV. 10. &c. id dicitur, quod alicui notum eſt. Præterea Apoſtolus ipſe in ſequentibus explicat, quid de Deo cognoſci ex natura poſſit, nempe *potentia & divinitas*, v. 20. *gloria incorruptibilis* v. 23. *veritas ejus* v. 25. &c. Patrum ſententias collegit *Suicerus* Theſaur. Eccleſ. Tom. I. p. 775.

φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς) Verti hæc poterant: *manifeſtum eſt inter ipſos*, h. e. Gentiles. Τὸ ἐν enim paſſim hanc habet notionem, ut *Matth.* XVI. 7. & *Luc.* VIII. 5. Sed amplius aliquid innuit Apoſtolus. Loquitur enim de notitia animis ipſorum ita impreſſa, ut deinceps II. 15. dicere poſſet eam γραπτὴν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Confer *Act.* XIII. 15. εἰ ἐστὶ λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως. Recte itaque tum alii, tum noſtrates inprimis Theologi & Philoſophi, *notitiam*

Dei *innatam*, tanquam ab *acquiſita*, de qua v. 20. diſtinctam exprimi his verbis contendunt. Non licet nobis nunc deſcendere in commemorationem eorum, quæ vel ſuperiore vel noſtra memoria de idea illa innata iisque, quæ huc pertinent, diligenter diſputata ſunt. Lege interim nobiſcum facientem B. *Mich. Fœrtſchium* in Diſputat. ad h. l. *de Notitia Dei nobis innata*, Jenæ 1721. ubi Sectione I. hiſtoria doctrinæ hujus ſummatim enarratur. Adde *Jac. Altingii* Heptadem VI. Diſſert. II - V. Tom. V. Operum p. 166. ſqq. Pertinet huc, quod non detur gens ulla ἄθεος. Vide quos in eam cauſam citat Cl. *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria p. 228. & quæ commentatus eſt Rev. *Jo. Fridericus Reimmannus* in Hiſtoria Atheiſmi.

Ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε) *Epiſcopius* Tom. I. Operum p. 20. minus recte hæc ita accipit, quod nunc, ex quo Evangelium illuxerit, omne id, quod de Deo cognoſci poſſit, manifeſtum ſit, ut ignorantia nulla prætendi queat. Quam variis modis τὸ γνωςὸν τȣ̃ θεȣ̃ ad Gentiles pervenerit, oſtendit B. *Dilherrus* in Diſſert. de Notitia Dei modo non uno cum Gentilibus communicata, quæ legitur in Diſputationibus ejus Academicis Tom. I. p. 362. ſqq. Adde *Gerh. Jo. Voſſium* Tom. VI. Operum p. 4. ſqq. & *Cornel. Adami* p. 612. ſqq. ubi, quæ Gentiles de Deo cognita habuerint, adductis idoneis ipſorum teſtimoniis, recenſet. Neque tamen Gentiles, ante promulgatum Evangelium, diviniore doctrina prorſus deſtitutos fuiſſe, exiſtimandum eſt. Contrarium nuper admodum egregie oſtendit *Waterlandius* in Vindicatione variorum Scripturæ S. locorum a corruptelis *Tindalli* in libro, quem inſcripſit *Chriſtianity as old as creation*, anglice edita, appendice Partis II.

Verſ. 20. Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτȣ̃ κ. τ. λ.) Cl. *Hombergius* in Parergis pag. 191. ſq. totum comma, quod ad ſenſum, ita diſponi vult, ut τὰ ἀόρατα ad verba: τοῖς ποιήμασι νοȣ́μενα, ſequentia autem, ἥτε ἀΐδιος αὐτȣ̃ δύναμις ϰ̀ θειότης ad verba: ἀπὸ κτίσεως κόσμȣ καθορᾶται, referantur. Eo ſenſu, *quod Deus ſit inviſibilis, nec quicquam eorum, quæ oculis videmus, ex actionibus, factis & operibus quibuscunque cognoſci poſſit: quemadmodum æterna ejus potentia & divinitas ex univerſitate rerum condita conſtet.* Hoc fine vocem τὰ ἀόρατα non per *inviſibilia*, ſed per *inviſibilitatem*, quod Deus ſcilicet ſit aliquid inviſibile, converti vult. Poterat hæc ſententia ſpeciem aliquam veri habere, ſi Apoſtolus ſcripſiſſet τὸ ἀόρατον, pro quo nunc in plurium numero legimus ἀόρατα. Hæc vero ſtructura compellit lectorem, ut inquirat, quid per illa ἀόρατα indicare Paulus voluerit: nempe duo potiſſimum, quæ ſtatim ſequuntur, δύναμιν & θειότητα. Præterea non video, quomodo ex actionibus operibusque divinis, in quantum opera ſunt, conſtare potuerit Gentilibus, Deum eſſe inviſibilem. Poterant enim illa opera a Deo perfici, etiamſi Deus externa quadam & viſibili forma aſſumta uti, & hominibus ſe conſpiciendum dare voluiſſet. Imo poterat Deus humana vel viſibili forma inſtructus eſſe, & vel ſic mundum condere, modo omnimoda ejus perfectio eam admitteret. Taceo, Gentilium multos, de potentia & divinitate Numinis æterna alioquin perſuaſiſſimos, Deo formam

formam quandam externam tribuiſſe. Præſtat itaque in communi interpretatione acquieſcere, quæ τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ, ut ſubjectum generale, δύναμιν vero & θειότητα, ut momenta ſpecialia ad duplicem phraſin, τοῖς ποιήμασι νοούμενα ἀπὸ κτίσεως κόσμου καθορᾶται, junctim refert. Patrum plerique hic itidem attributa divina intelligunt. Vide *Suiceri* Theſaurum Eccleſiaſt. Tom. I. p. 402.

Ἀπὸ κτίσεως κόσμου) Τὸ ἀπὸ alii convertunt per: *inde a*, vel *poſt:* alii per *ex*. Priores id ſibi volunt, quod inviſibilia Dei *jam inde* a mundo condito, tanquam *termino a quo*, cognoſci potuerint. Poſteriores vero creationem mundi pro *indicio* & *argumento* illorum, quæ alioquin inviſibilia ſunt, habent. Priorum partes amplectuntur *Beza*, *Piſcator*, *Lud. de Dieu* & alii, a *Cornelio Adami* p. 628. ſqq. citati. Poſterioribus ſe jungunt cum B. *Luthero* noſtro plerique omnes, inter quos eſt *Jo. Pearſonius* in Expoſitione Symboli Apoſtolici p. 31. verſionis Latinæ, ubi *Socinum* ſpeciatim, cum prioribus facientem, confutat, item *Adami* l. c. & *Hombergius* p. 192. Atque hi quidem rectius agunt. Nam τὸ ἀπὸ paſſim idem eſt, quod *ex*, ut *Matthæi* XXIV. 32. ἀπὸ τῆς συκῆς μάθετε, *ex ficu diſcite:* & VII. 16. 20. ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς, *ex fructibus eorum cognoſcetis illos.* Nec deſunt idonea externorum Scriptorum exempla, quæ pleno calatho nuper attulit Cl. *Elsnerus* ad h. l. p. 5. Sic auctor libri de Mundo cap. VI. πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος ἀπ' αὐτῶν ἔργων θεωρεῖται ὁ θεός. *Omni mortali naturæ cum ſit inviſibilis, ex ipſis operibus conſpicitur Deus.* *Plato* apud Cyrillum adverſus Julianum lib. III. p. 97. Ὅτι ἀπὸ τοῦ κάλλους τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὸ νοητὸν τοῦ θεοῦ κάλλος ἀναφοιτῆσαι δεῆσαι· ἀπὸ δὲ τοῦ ἐν τοῖς νόμοις καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ δεῖ θεωρεῖν. *A rerum ſenſibilium pulchritudine ad eam, quæ mente cernitur, Dei pulchritudinem deveniendum eſſe; ab ea, quæ in legibus & inſtitutis apparet, virtutem ejus ſpectandam.* Eodem itaque ſenſu τὸ ἀπὸ h. l. accipiendum eſſe ipſe Apoſtoli ſcopus demonſtrat. Is enim non de eo nunc ſolicitus erat, quid jam inde a cognito mundo de Deo cognoſci potuerit, ſed quid homines ſuæ ætatis ex illius creatione colligere poſſent & deberent. Ceterum B. *Gottfr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. κτίσιν κόσμου de actu vel potentia creatrice accipi vult, quæ ex ipſis operibus mundi eorumque ſtructura & ſucceſſione eluceſcat.

Τοῖς ποιήμασι νοούμενα) ποιήματα vel *homines* meditantes, vel *res conditas* deſignare poſſunt. Prior ille ſignificatus ex *Epheſ.* II. 10. adſtrui poteſt, quando Paulus de ſe & aliis ad Chriſtum converſis ait: αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Hoc modo τοῖς ποιήμασι νοούμενα Latine diceres, *a creaturis* vel *hominibus* intellecta, quam loquendi rationem variis veterum exemplis confirmat ipſe ita ſentiens *Hombergius* l. c. Præſtat vero *res conditas* hic intelligere, quæ hominibus argumento ſint exiſtentiæ & potentiæ divinæ. Verba enim ποιεῖν & ποίημα a Sacris & profanis Scriptoribus generatim de operibus divinis, per creationem productis, adhiberi ſolent. Ita *Thales* apud Diogenem Laërtium lib. I. §. 35. κόσμον dicit eſſe ποίημα θεοῦ. Senſus eſt, inviſibilia Dei

Dei perſpici, ſi opera ejus cum mundo condito producta recte judicentur & perpendantur. *Socinum* de *miraculis* Chriſti & Apoſtolorum cogitare hic potuiſſe mirum eſt. *Qua enim ratione*, quod recte illi obvertit *Elsnerus* p. 6., *docere Apoſtolus potuiſſet, Dei ἀΐδιον δύναμιν καὶ θειότητα ex Chriſti Apoſtolorumque miraculis demum conſpectam fuiſſe, quæ inde a Moſis ætate e tot miraculis patratis tam luculenter jam apparuerat?* Longius hinc diſcedit *Epiſcopius* Tom. I. Opp. p. 20. *Per τὰ ποιήματα*, inquit is, *non intelligo opera per creationem facta, nec miracula, aut ſigna, per Chriſtum & Apoſtolos edita, ſed omnia tum bonitatis, ſive gratiæ, tum ſeveritatis ſive iræ divinæ temporalis documenta, quæ unquam ante Evangelium revelatum facta aut edita a Deo ſunt: per νοούμενα vero ſive νοεῖσθαι intelligo collectionem, quæ ratiocinatione ſive ingenioſa mente facta fuit, ex iſtis ſignis atque indiciis gratiæ atque ultionis divinæ: oppoſite ad ea, quæ φανερὰ ſunt, &, uti inquit Apoſtolus, καθορᾶται i. e. jam ita clare ac dilucide omnibus annunciata ſunt, ac ſi oculis viderentur, & conſpicerentur.* De verbo νοεῖσθαι nullam movero controverſiam. Hanc enim illius vim eſſe vel ex *Heſiodo* in Ἔργοις v. 12. conſtat, ubi νοήσας de *ſapiente, prudente* & *ſagace* adhibetur, quemadmodum νόημα ibidem v. 129. *ingenium* denotat. Compara ibi ad v. 12. *Jo. Clerici* & *Heinſii* notas, ad v. 129. vero *Grævii*. In altero vero illo momento vel unum requiro exemplum, quo conſtet, ποιήματα de gratiæ vel iræ divinæ documentis unquam adhiberi.

Καὶ θειότης) *Socinus* de eo accipit, *quod nos Deus perpetuo facere vult*, abuſus ſcilicet loco hinc alieniſſimo *Coloſſ.* II. 9. & aliis deſtitutus, quod recte monet Cl. *Elsnerus* p. 6. qui ibidem obſervat diſtinctionem faciendam inter θεότητα & θειότητα; per illam enim *Dei naturam*, per hanc ſummam ejus *divinitatem majeſtatemque*, vel per illam *Deitatem*, per hanc *divinitatem* exprimi. Sic *Auguſtinus* lib. VII. de Civitate Dei cap. 1. Græcum θεότητα expreſſius transferri dicit *Deitatem*, quam *Divinitatem*, & Hephæſtioni ad Dei dignitatem per Alexandrum evecto θειότητα tribuit *Lucianus* de non temere credendo calumniis p. 575. Idem obſervatum eſt *Eraſmo Schmidio* ad h. l. B. *Gottfr. Olearius* in Prælectionibus MSS. cultum Dei religionemque adverſus Deum venerationemque ei debitam innui cenſet. Cognata vox θεῖον a veteribus de Deo ſummo uſurpatur, quod oſtendit *Radulphus Cudworthus* in Syſtemate Intellectuali univerſi p. 263. *Phalaridis* epiſtolæ, quæ vocantur, plenæ ſunt exemplis. Vide v. c. epiſt. 88. Quicquid in ſuo genere eximium eſt, id θεῖον vocari monuit *Euſtathius* ad Iliad. Homeri p. 635. πᾶν τεράστιον ϗ ὑπερφανὲς θεῖον λέγεσθαι παρὰ τοῖς ποιηταῖς. Imo, quem laudatum cupiebant inter homines, hunc θεῖον ſeu *divinum* Virum vocitabant. Vide *Jo. Meurſium* in Laconicis lib. II. c. 7. p. 135. *Cœlium Rhodiginum* II. 2. & *Ludov. Creſollium* in Theatro Sophiſtarum p. 62.

Καθορᾶται) *perſpiciuntur, pervidentur.* Hanc verbi efficaciam *Beza* & alii agnoſcunt, quam quæri hic debere inficiatur Cl. *Elsnerus* p. 7. ideo, quod alibi de ſimplici viſione ſeu conſpectu uſurpatur, v. c. apud Platonem in *Phædro*

p. 350.

p. 350. ubi cicadæ canentes *καθορᾶν κ ἡμᾶς conſpicere etiam nos* dicuntur. At non negaverit Vir doctus, τὸ κατὰ in compoſitis ſignificatum rei frequentiſſime intendere. Exemplis id probavit *Eraſmus Schmidius*, ἑλληνικώτατος, in Annotatt. ad N. T. p. 58. 86. 195. 203. 422. & alias. Hoc vero loco emphaſin locum omnino habere vel ex νοήσει, quæ hic prævia requiritur, apparet. Ut enim illa νόησις non qualiscunque eſt conſideratio, ſed cum meditatione conjuncta, qualem vox ipſa infert, ita καθόρασις, hinc conſequens, non qualiscunque ſed penitior indicatur. Quod ad rem ipſam attinet, Gentiles ipſi tradunt, eum in finem natos eſſe homines, ut Deum, alioquin inviſibilem, mente perſpiciant. Vide eorum effata in notis *Gatakeri* ad Antoninum VII. 47. p. 277. & XII. 8. ubi ſimul eorundem teſtimonia de Deo inviſibili contra Stoicorum ſententiam leges. Quomodo vero exiſtentia, potentia & divinitas æterna Numinis ex univerſo hoc rebusque in eo obviis & cognoſci potuerit a Gentilibus & agnita ſit, oſtendit *Adami* l. c. p. 632. ſqq. *Epicteti* ſpeciatim effata ex *Arriano* repetit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis p. 410. & *Xenophontis* in Annotationibus Xenophonteis p. 195. Idem noſtra inprimis ætate certatim commonſtrarunt illi, qui pro veritate Theologiæ Naturalis integris ſcriptis propugnarunt. Eorum agmen produxit præſtantiſſimus *Jo. Albertus Fabricius* noſter in Delectu argumentorum, & Syllabo Scriptorum, qui veritatem religionis Chriſtianæ adverſus Atheos, Epicureos, Deiſtas, idololatras, Judæos & Muhamedanos lucubrationibus ſuis adſeruerunt, cap. VII. & repetita induſtria in præfat. ad verſionem vernaculam Aſtro-Theologiæ Derhamianæ.

Egregios ſe in hac palæſtra præſtiterunt *Bernhardus Nieuwentyt* in libro Belgico, qui *de vero uſu contemplationis hujus univerſi ad convincendos Atheos & alienos a fide* inſcriptus belgice primum Amſtelodami 1715. 4. prodiit, jam vero *Anglice* & hinc *Gallice* converſus extat; & *Wilhelmus Derham* in *Aſtro-Theologia* Lond. 1715. 8. & alias, ubi ex contemplatione cœli exiſtentia & attributa Dei, & in *Phyſico-Theologia*, ibid. 1714. 8. anglice edita, ubi eadem ex operibus creationis demonſtrantur. Uterque hic liber laudatiſſimi *Fabricii* cura Germanica veſte indutus comparuit, prior quidem Hamburgi 1728. poſterior ibid. 1730. 8.

Εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους) Ultima hac voce, rarius alias obvia, utitur *Cicero* XVI. 7. ad Atticum, & *Polybius* p. 1265. Lege etiam Rev. *Raphelium* in Annotatt. Polybianis p. 413. & *Georg. Guil. Kirchmaierum* in Paralleliſmo dictionis Novi Fœderis & Polybii p. 39. De re ipſa commentatur *Jo. Conr. Durrius* in Triga Diſputatt. Theologic. Jenæ 1673. & *Dav. Eversbach* de ἀναπολογήσει Gentilium, Lipſ. 1701. Comma præterea integrum ſingulari diſſertat. illuſtravit M. *Carol. Aug. Wolfius*, Lipſ. 1729. & *Jo. Dryſenius* Upſal. 1725. 8. de ἀναπολογήσει Gentilium.

Verſ. 21-32. gradus accreſcentis malitiæ Romanorum indicantur, notatis etiam periodis ſeu intervallis temporum, in quæ inciderunt. Gradus illi ab *Henr. Grœnewegio* in Comment. Belgico ad h. l. p. 108. ita deſignantur, ut

primus ſit isque omnium ſcelerum origo & fons ingratus Dei contemtus, v. 21. *ſecundus*, vanus Dei cultus v. 22. 23. *tertius*, vita impudica v. 24. *quartus*, idololatria publica, v. 25. *quintus*, obſcœnitates nefandæ, v.26.27. *ſextus*, pleniſſima omnis injuſtitiæ menſura v. 28-31. *ſeptimus* denique mutua contra Deum conſpiratio, alienorumque peccatorum comprobatio. His *gradibus* ſingulis ſingula temporum intervalla adſignat *Adami* l. c. p. 642. ita ut *primus* comprehendat ſpatium 170. annorum poſt urbem conditam, quibus ſcilicet Romani, teſte *Plutarcho* in Numa p. 65. nullum ſimulacrum habuerunt: *ſecundus*, unum alterumve ſeculum, quo uſus ſimulacrorum invaluit, complectatur: *tertius* uſque ad Punici belli tertii finem protendatur, quando ſcortatio adaucta eſt: *quartus* a fine illius incipiat, quando idololatria incrementa a Græcis aliisque populis, per arma ſubactis, ſumſit: *quintus* in ſequentia incidat tempora, quibus Romani, Aſiatico luxu effœminati, maſculam venerem amplexi ſunt: *ſextus* cum bellis civilibus inter Cæſarem & Pompejum, deinde in Triumviratu geſtis, tum vero ſequentibus aliis conjunctus ſit, quando ſcilicet, teſte *Floro* IV. 6. *oppreſſa eſt armis Respublica*, & nullus *juſtitiæ* amplius locus fuit.

Διότι γνόντες τὸν Θεὸν) Apoſtolus Θεὸν in ſingulari, non autem plurium numero Θεὺς appellat, tum ideo, quod naturæ lumen ad unum homines Deum ducit, tum, quod Gentiles primum unum tantum univerſitatis conditorem & rectorem Deum agnoverunt, quemadmodum &, invecta jam idololatria, prudentiores eandem notionem ſibi ſervarunt. Rem extra dubium collocavit *Radulphus Cudworthus* in egregio libro Anglicano, quem *Syſtema intellectuale hujus univerſi* inſcripſit. Adde Cl. *Jo. Alberti Fabricii* Delectum argumentorum pro veritate religionis Chriſtianæ p. 312. ſqq. Hypotheſi nimium indulſit *Hammondus*, quando verbum γνόντες eo abripuit, ut de Gnoſticis ſuis ſermonem hic eſſe contenderet, recte a Clerico confutatus. De Gentilibus enim loqui Apoſtolum, totus orationis nexus commonſtrat. Illi vero hic dicuntur γνόντες, quibus v. 28. ἐπίγνωσις defuiſſe dicitur, obſervante *Cudwortho* libri modo citati p. 471.

οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν) Verbi hujus notionem & vim ediſſerit *Adami* l.c. p. 645. qui & p. 444. de voce δόξα commentatur. Glorificatio vero Dei, quæ ipſo digna erat, a Gentilibus aberat, ſive glorificationis objectum ſpectes, ſive homines glorificantes, ſive actus præcipuos, quibus vera Dei glorificatio continetur, ceu idem oſtendit uſque ad p. 647. *Glorificationem* equidem retulerim ad prædicationem ſolemnem majeſtatis, potentiæ & ſapientiæ divinæ, quæ ex operibus ejus effulgebat: *gratiarum* vero *actionem*, de qua mox, ad agnitionem beneficiorum, per continuam Numinis providentiam & univerſi adminiſtrationem in homines profectorum, quam Gentiles omittere conſueverant, beneficia hæc nunc idolis, nunc fato, nunc cœco caſui accepta ferentes.

ἢ εὐχαρίστησαν) Probum eſſe verbum ſupra obſervavimus ad v. 8. Pro eo Atticos dicere χάριν εἰδέναι ſententia eſt *Claud. Salmaſii* in Commentario de Lingua Helleniſtica p. 98.

ἀλλ'

ἀλλ' ἐματαιώθησαν) *inſulſos*, *inſipidos ſe reddiderunt*, ut convenienter in Verſione Gallica *Clericus*, quem & lege in Bibliotheca Vetere & Nova Tomo I. Part. II. p. 331. Verba enim formæ paſſivæ ſæpe induunt ſignificationem reciprocam. Forte vero hic inprimis reſpicitur ad vaniſſimam εἰδωλομανείαν. Simulacra enim Gentilium κατ' ἐξοχὴν μάταια vocantur. Vide *Sam. Bocharti* Hierozoicon Parte I. p. 642. & notata noſtra ad *Actor.* XIV. 15.

Ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν) Vide *Adamum* l. c. p. 649. & Muſeum Bremenſe Vol. II. p. 211.

Καὶ ἐσκοτίσθη) Similiter Polybio p. 1392. homo aliquis ambitioſus ὑπὸ τῆς φιλονεικείας ἐπισκοτούμενος dicitur.

Quæ toto hoc commate de Roma pagana affirmavit Apoſtolus, ea idoneis exemplis ex hiſtoria hujus gentis comprobat *Adami* p. 653-663.

Verſ. 22. Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ) *Dicentes* ſive *exiſtimantes*, *ſe eſſe ſapientes*. Infinitivo ſcilicet additur nominativus, cum in eadem oratione ſubſiſtit. Ita *Xenophon* Cyropædiæ VII. p. 153. Ἀρτάβαζος ὁ συγγενής ποτε φήσας εἶναι. Lege *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 196. ubi & alia ſimilia afferuntur loca, ex quibus conſtare poſſit, φάσκειν tribui hominibus, qui ſapientia virtutibusque ſe præſtare & putant, & profitentur. Sic *Xenophon* Memorabil. lib. I. p. 564. ἴσως οὖν εἴποιεν ἂν πολλοὶ τῶν φασκόντων φιλοσοφεῖν. *Demoſthenes* in Philippica de Pace p. 122. ex editione *Andreæ Dounai* τοὺς συνεληλυθότας τούτους καὶ ἀμφικτύονας εἶναι, ad quem locum *Dounæus* ſimilem Platonis ex lib. VI. de Republ. affert, πολὺ δὲ μεγίστη καὶ ἰσχυροτάτη διαβολὴ γίνεται φιλοσοφίας διὰ τοὺς τοιαῦτα φάσκοντας ἐπιτηδεύειν. Romanos, ad quos Apoſtolus inprimis reſpicit, multum ſibi ſapientiæ nomine tribuiſſe teſtis eſt *Chryſoſtomus* ad *Rom.* I. 16. ἐπειδὴ, inquit, καὶ λόγῳ μέγα κομπάζοντες καὶ τῇ περιβεβλημένῃ σοφίᾳ ἐφυσῶντο, *quandoquidem & dicendo valde ſibi placerent Romani*, *ac peregrina ornati ſapientia turgidi eſſent.* Argumentum hoc pluribus perſequitur Rev. *Jo. Georg. Walchius* in Obſervationibus Philologicis Part. I. p. 87. ſqq. ubi non minus ſapientiam Romanorum, quam illius oſtentationem, ſtultitiamque ab Apoſtolo iisdem exprobratam ediſſerit.

Ἐμωράνθησαν) Lege, ſodes, quæ ſcripſimus ad *Matthæi* Evangelium p. 88. Inſipientiæ & fatuitatis hujus, ab ipſis Gentilibus in nonnullis ſuorum agnitæ, exempla affert *Adami* l. c. p. 666. ſq.

Verſ. 23. Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ) Similiter David Pſalm. CVI. 20. וימירו בבודם בתבנית שור *commutaverunt gloriam ſuam* (i. e. Deum, qui gloria Iſraëlis dicitur) *cum exemplari bovis.* Adde *Jerem.* II. 11. & *Hoſ.* IV. 7. quos locos recte huc advocat *Hackſpanius* in Miſcellaneis p. 149. ut oſtendat, Paulina hac phraſi non inferri unius rei mutationem in aliam, ſed permutationem alterius cum altera. Ipſa δόξα θεοῦ *ſignificat eum divinæ Majeſtatis ſplendorem*, *quo tamquam imagine & ſpecie cognoſci & diſcerni poteſt ab univerſis rebus creatis. Quare gloria & facies Dei ſunt ſynonyma. Exod.* XXXIII. 18. *roganti Moſi:* הראני נא את כבודך oſtende mihi, quæſo, gloriam tuam,

reſpondet Deus v. 20. לא תוכל לראות את פני non potes videre faciem meam. *Conjuncta itidem occurrunt* εἰκὼν *&* δόξα θεȣ̃ I *Cor.* XI. 7. *& Chriſtus vocatur* ἀπαύγασμα τῆς δόξης ϗ χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως ἀυτȣ̃ Hebr. I. 3. Ita Cl. *Elsnerus* p. 8. quod quidem malim, quam cum Cl. *Jo. Baptiſta Ottio* in Annotatt. ad Flav. Joſephum Tom. II. editionis Havercampianæ p. 315. per δόξαν vel *gloriam* Deo debitam, vel *ſententiam* ſeu doctrinam de Deo intelligere. Poſteriorem notionem apud Joſephum contra Appionem II. p. 1078. inveniſſe ſibi videtur Vir doctus in his verbis: ἐι δέον τȣ̉ναντίον τὴν περὶ τȣ̃ θεȣ̃ δόξαν ἀυτȣ̀ς καὶ τὴν πρὸς ἀυτὸν τιμὴν ἀμετακίνητον διαφυλάττειν. At Joſephus hic non δόξαν θεȣ̃, ſed δόξαν περὶ τȣ̃ θεȣ̃ commemorat, quod ut *ſententiam* de Deo infert, ita δόξα τȣ̃ θεȣ̃ eandem ſignificare ex ratione linguæ non poteſt.

Τȣ̃ ἀφθάρτȣ θεȣ̃) *Dei incorruptibilis*, vel *immortalis.* Hoc poſterius mavult *Clericus* in Biblioth. Vet. & Nova Tom. I. Part. II. p. 332. ex I *Corinth.* XV. 12. & I *Timoth.* I. 17. prius autem Cl. *Adami* l. c. p. 430. & 677. cum quo facere malim, ideo, quod Apoſtolus ipſa hac voce innuere voluiſſe videtur, inepte & præter rationem hanc *permutationem* vel *immutationem* ſuſceptam eſſe in Deum, omnis corruptionis adeoque & viciſſitudinis aut mutationis expertem. Idem infert verbum ἤλλαξαν, quod de mutatione in pejus accipi ſolere, ex *Act.* VI. 14. & *Hebr.* I. 12. evincit *Elsnerus* p. 9. cui & propterea, reſpectu ſcilicet ad δόξαν, ſeu *gloriam* ante commemoratam habito, *obſcurationem* inferre videtur.

Ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος) Idem eſt ὑμοίωμα & εἰκὼν licet illud latius pateat. Ita *Geneſ.* I. 26. *faciamus hominem* בצלמנו כדמותנו LXX. *κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν, quod vertere potuiſſent* ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος. *Credi tamen poſſet* εἰκόνος *h. l. poſitum eſſe pro* εἰκονικὸν, *quemadmodum ſæpiſſime adjectivorum vicem explere ſolent ſubſtantiva: quo pacto* ὁμοίωμα εἰκόνος *accuratius vertetur: SIMULACRUM ICONICUM, qua voce uſus eſt* Suetonius *Caligula cap.* 22. *erant autem ſimulacra ſeu EFFIGIES ICONICÆ ad vivum facta EX MEMBRIS SIMILITUDINE EXPRESSA, auctore Plinio lib.* 34. *Hiſt. Nat. cap.* 4. ἀγάλματα εἰκονικὰ *Athenæo dicta lib. V.* c. 8. p. 205. *Solebant nempe idololatræ ſummam curam artemque in fingendis Deorum ſimulacris conſumere, ut* vivere *&* ſpirare *viderentur.* Hæc Cl. *Elsnerus* p. 10. qui & p. 11. illuſtria ipſorum Gentilium, illam Deum fingendi libidinem caſtigantium, loca affert p. 11. qualia etiam leges apud *Huetium* in Quæſtionibus Alnetanis III. p. 327. *Dougtæum* in Analectis N. T. Excurſu LXIX. & *Jo. Jac. Schudtium* in Compendio Hiſtor. Judaicæ p. 259. & 262. Afferemus unum *Herodoti* locum lib. I. c. 131. de Perſis ita tradentem, ἀγάλματα μὲν καὶ νηȣ̀ς καὶ βωμȣ̀ς ȣ̉κ ἐν νόμῳ ποιευμένȣς ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖς ποιȣ̃σι μωρίαν ἐπιφέρȣσι.

Φθαρτȣ̃ ἀνθρώπȣ, ϗ πετεινῶν, ϗ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν) Rem diligenter enarrant, qui de origine & progreſſu idololatriæ cum *Voſſio* commentati ſunt, quorum ſcrinia hic non compilabimus. Suffecerit præter *Voſſium* nominaſſe *Dilherrum* de Uſu Scriptorum Secularium Tom. I. Diſputatt. Academ.

dem. p. 244. *Amelium* Part. II. p. 301. ſq. Illuſtrationis locorum difficiliorum N. T. & *Adamum* p. 683. ſqq. nec non Rev. *Zeibichii* diſſertat. de Sacris Gentilium ἀλόγοις, Vitemberg. 1702.

Verſ. 24. Διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς) Simili loquendi ratione *Lucianus* in Nigrino utitur: καὶ τοὺς ὄρους συγχέουσι πάντοθεν τῇ τροφῇ παραδόντες τὰς ψυχὰς πατεῖν. *Fines cupiditatum confundunt, animum voluptatibus undique calcandum permittentes.* Senſus verborum eſt, permiſiſſe Deum, ut indulgerent cupiditatibus ſuis, quod recte monet *Simonius* in notis ad Verſ. Gallicam. Ita olim *Chryſoſtomus* & alii Patres τὸ παρέδωκε per εἴασε interpretati ſunt, cum quibus facit *Sebaſt. Schmidius* in Collegio Biblico Poſteriori p. 115.

Ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις) ſcilicet ὄντας. h. e. *cupiditatibus pleni cum eſſent;* Verti etiam poterat: *per cupiditates eorum*, cum *Eraſmo Schmidio* & *Deſiderio Eraſmo.* Verbum enim παρέδωκε non cum hac phraſi, ſed cum ſequente εἰς ἀκαθαρσίαν conjungi debet. Confer *Hombergii* Parerga p. 194.

Εἰς ἀκαθαρσίαν) de impudicitia & obſcœnitate Gentilium, a qua nec in ſacris ſibi temperabant, & in quam nec animadverti ſolebat, lege *Adamum* p. 698. ſqq.

Τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς) de vago & promiſcuo Veneris uſu recte hæc accipiunt Interpretes, quos ſciam omnes. Id fieri jubet vox ἀκαθαρσία, quam ad impudicitiam in ſacris literis frequentiſſime referri conſtat. Pudicitia fit, ut unusquisque vas (corpus) ſuum poſſideat in ſanctificatione & honore, quod vult Apoſtolus 1 *Theſſal.* IV. 3-5. Itaque oppoſita ſcortatione corpus deturpatur & ignominia afficitur. Adde *Witſii* Ægyptiaca p. 106. Cave itaque, ne cum *Primaſio* ad h. l. fœdationem hanc corporum referas *ad characteres & uſtiones, quas ſibi inflixerint* Gentiles, *in conſecrationibus idolorum.* A qua ſententia non alienus videtur *Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus p. 534.

Verſ. 25. Οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει) *Veritatem Dei* nonnulli de *Deo vero*, *mendacium* autem de idolo interpretantur. Ita *Hackſpanius* in Miſcellaneis p. 150. *Deinde cum veritatem*, inquit, *commutaſſe dicuntur cum mendacio*, τὸ ψεῦδος *reſpondet Chaldæo* טעוא *quod ſonat cum* errorem, *tum vero* idolum, *cauſam erronei cultus, ſicut ex adverſo Deus* אמרת *ſive veritas eſt. Uti igitur gloriam Dei i. e. Deum glorioſum permutarunt cum imagine hominis, quadrupedum, reptilium, ita Deum veritatis permutarunt cum idolis, ceu illico ſubjicitur:* ſervierunt creaturæ præterito creatore; *i. e. cultum ſoli Deo debitum minus recte applicarunt, uſque adeo, ut obliti fere ſint Dei, qui* Φύσει *talis erat.* Idem placuit *Alethæo* Tom. II. p. 234. Equidem malim ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ accipere pro *veritate Dei*, h. e. veritate a Deo ipſo Gentilibus manifeſtata, de qua v. 18. ſqq. Eam commutarunt cum *mendacio*, h. e. maleſanis & inſulſis opinionibus, in quas per διαλογισμοὺς ſuos inciderant v. 21. Nec obſtat, quod urget *Hackſpanius*, cultus creaturæ præ Deo præſtitus, qui mox commemoratur. Nam hic affertur, ut neceſſaria proxima ſequela inſul-

ſæ perſuaſionis & ratiocinationis. Itaque nec τὸ ψεῦδος in genere pro omni impietate, quo ſenſu Diabolus mendaciorum pater dicitur, cum *Hombergio* p. 195. accipi h. l. poſſe putem. Nec vero contemnendum cenſeo *Eraſmi Schmidii* ad h. l. obſervationem, qui phraſin ἐν τῷ ψεύδει cum verbo μετήλλαξαν negat ita conjungendam, ut *objectum* ſeu *res* indicetur, in quam mutatio facta ſit, ſed ut innuatur modus ſive medium, per quod mutatio ſit ſuſcepta, nempe *per efformatam hominis imaginem* v. 23. & per *mendacium* ſeu *errorem* mentis ſuæ v. 25. Nam τὸ ἀλλάσσειν & μεταλλάσσειν per linguæ rationes cum particula εἰς, ubi de objecto ſermo eſt, conſtrui debere patet ex v. 26. Senſus itaque hic erit, quod Gentiles, poſtquam *mendacio* & *errori* ſe dediſſent, veritatem a Deo inditam inmutarint & everterint. Cl. *Elsnerus* p. 11. ex comparatione commatis hujus cum præcedente 23. apparere putat, τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ *ſignificare* veram Dei imaginem, *quæ cognitiones, curam artemque omnium mortalium ſuperet, quamque idololatræ factis Dei ſimulacris corruperint* ἐν τῷ ψεύδει, *falſa illa, vana & deformi creaturarum imagine.* Quam in rem varia producit Græciæ & Latii Scriptorum loca, in quibus *veritas exemplaris* opponitur *pictæ imagini.* Sic *Ælianus* Variar. Hiſtor. II. 3. ἀληθινὸν ἵππον, *verum equum* opponit τῷ ἐν εἰκόνι, *picto.* Ita Cicero Tuſculan. Quæſt. V. 5. *cum*, inquit, *animum ab iſta pictura imaginibusque virtutum ad rem veritatemque traduxeris.* Per ψεῦδος idem *idola* intelligit, quia ſunt ſimulacra arte ficta, non vero φύσει θεοὶ, quemadmodum *falſus* opponatur *nativo* apud *Propertium* lib. I. Eleg. 2. v. 19. & idola שקר ψεῦδος *Jeſ.* XLIV. 20. Dii autem gentium μάταιοι *vani* vocentur 2 *Theſſ.* II. 11. & *Act.* XIV. 15. Idola quoque a Græcis μάταια appellata eſſe oſtendit *Sam. Bochartus* Part. I. Hierozoici p. 642.

Ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν) Interpretes quidam Galli verba hæc ita expreſſerunt, ut prius de adoratione qualicunque, poſterius de *cultu ſupremo* accipiendum eſſe indicarent. Sed tale vocum diſcrimen nullum eſſe recte monuit *Jo. Clericus* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Parte II. p. 331. qui & conferri vult *Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſt. & *Jo. Dallæum* de objecto cultus religioſi lib. I. cap. 5. Adde *Iſaaci Caſauboni* Exercitat. XVI. Anti-Baronian. n. 57. Utraque voce rem eandem exprimit Apoſtolus, ſed efficaciter, ut appareat, quo impetu, quantaque animi contentione Gentiles vano illo ſimulacrorum, & creaturarum cultu perfuncti ſint.

Παρὰ τὸν κτίσαντα) Diverſimode hæc vertuntur. *Beza* & *Eraſmus Schmidius* habent: *præterito conditore.* *Chemnitius* in Examine Concilii Tridentini Part. III. Loc. IV. §. 8. *præter Creatorem*, h. e. non tantum creatorem; quod & rectum viſum eſt *Joſepho Medo* p. 49. Operum. Eraſmus: *ſupra creatorem.* Sic olim *Syrus*, tum *Vulgatus*, & B. *Lutherus* noſter: *creaturæ potius quam creatori*, mehr denn dem Schöpfer. Conſentiunt *Voſſius* de Idololatria lib. I. p. 24. & *Richardus Cumberlandus* in Hiſtoria Sanchoniathonis Phœnicia, ex qua id teſtatum relinquunt Memoriæ Literariæ Magnæ Britanniæ, gallice editæ Tom. VIII. p. 376. *Grotius* vertit: *loco creatoris*, de Jure Belli & Pacis lib. II.

c. 20. §. 47. Ex ratione linguæ ſingulæ hæ interpretationes locum habere poſſunt, non minus autem, ſi rem ipſam ſpectes. Nam, ſicut Gentiles non uno eodemque tempore in eandem εἰδωλομανείαν abrepti ſunt, nec omnes cœcitate æque magna in ea verſati, ita pro diverſo temporum & cœcitatis illius ſtatu alii idolorum cultum tantum, excluſo conditore, ſectati ſunt, alii utrumque conjunxerunt, alii idolis plus externo, quam Deo ipſi, interno animi cultu tribuerunt. *Cudworthus* interim in Syſtemate Intellectuali p. 472. ſq. de ſignificatu præpoſitionis παρὰ h. l. differens, *Bezæ* interpretationem deferendam arbitratur. Ceterum negari non poteſt, luculenta exſtare in Gentilium monimentis teſtimonia, quibus profitentur, ſe non idolis ipſis aut ſtatuis, ſed Diis, quorum imaginem referant, cultum præſtare. Nubem hujusmodi teſtium habes apud *Pfannerum* in Syſtemate Theologiæ Gentilis cap. XI. §. 7. *Bochartum* in Hierozoico Parte I. p. 347. *Cudworthum* in Syſtemate Intellectuali lib. I. c. IV. §. 32. p. 515. & *Eduard. Stillingfleetum* in libro Anglicano, quem de idololatria Eccleſiæ Pontificiæ inſcripſit, cap. I. §. 6. p. 65. ſqq.

Ὅς ἐςιν εὐλογητὸς εἰς τὺς αἰῶνας) De hoc Dei elogio, vide, quæ diximus Vol. I. harum Curarum p. 529. & *Alethæum* l. c. p. 237. qui toti huic commati lucem affundit.

Verſ. 26. Εἰς πάθη ἀτιμίας) *affectus probroſi* & fœdi, ſeu cupiditates cum dedecore & ignominia conjunctæ; quemadmodum πάθος per ἐπιθυμίαν explicatur *Galat.* V. 24. & *Coloſſ.* III. 5.

Αἵτε γὰρ θήλειαι αὐτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν) Idem exprimit *Lucianus* in Amoribus p. 888. συνῆλθεν εἰς μίαν κοίτην μία φύσις. Tales feminas idem in Lesbo fuiſſe tradit in *Dial. Meretric.* p. 525. diramque hanc libidinem, tanquam legi naturæ adverſam, damnat p. 888. Confer huc *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 93. ſq. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris, p. 196. *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico p. 143. ſq. & 152. ſq. *Seldenum* præfat. ad Tractat. de Diis Syris, & *Cornel. Adamum* p. 712. ſq. ex noſtratibus autem *Joſuam Arndium* in Miſcellaneis p. 95. *Feſſelium* Tom. I. Adverſariorum cap. VIII. §. 5. & *Dilherrum* Tomo I. Diſputatt. Academic. p. 248. ſq. Unum producam locum ex Cod. lib. IX. Tit. IX. *Cum vir nubit in feminam, viris porrecturam quid cupiatur, ubi ſexus perdidit locum? Ubi ſcelus eſt, quod non proficit ſcire? Ubi Venus mutatur in aliam formam?* Punitum tamen hoc ſcelus interdum a gentibus eſſe, teſtis eſt de Athenienſibus & Spartanis *Ælianus* Var. Hiſtor. III. 12. ubi conferantur Interpretes. De aliis lege *Arndium* l. c. p. 97.

Vox χρῆσις eodem ſenſu, quo hic ab Apoſtolo, uſurpatur a *Polybio* p. 1376. Adde *Raphelium* p. 413.

Verſ. 28. Καὶ καθὼς ὐκ ἐδοκίμασαν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει) Verbum δοκιμάζειν tum in N. T. tum alias ſignificat *probare, explorare, inquirere*, tum vero etiam approbare, recte æſtimare. Vide omnino *Cornel. Adami* in Obſervatt. Theologico-Philolog. p. 478. & in Exercitationibus Exegeticis ad h. l. p. 717. ſq. Atque hic quidem recte monet, id ſibi velle Paulum, quod Gentiles

tiles *non quæſiverint augere cognitionem Dei*, *nec illa ſint delectati.* Similiter *Jo. Clericus* in Biblioth. Vetere & Nova Tom. I. Part. II. p. 335. confutatis aliis Gallorum quorundam verſionibus, hunc ait eſſe ſenſum, *quod non fuerint ſolliciti de conſervanda cognitione Dei.* Id enim proprie ſibi vult phraſis: ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, cui ſimilis eſt Polybii illa p. 915. ἔχειν ἐν παραδόσει h. e. *traditione acceptum ſervare.* Inſpice *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 414.

Παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν) Τὸ καθὼς antecedens ſubindicat, particulam redditivam οὕτως heic eſſe omiſſam. Frequens vero eſt hæc ellipſis, quod oſtendit *Lamb. Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ p. 380. & *Noldius* in Concordantiis Particul. Hebr. p.437. De emphaſi verbi παραδιδόναι lege *Georg. Schaubii* cogitata in Bibliotheca Bremenſi Claſſe IV. p. 729. ſq. qui cum ex *Wilh. Momma* comment. ad h. l. obſervaſſet, verbum eſſe forenſe & de illis adhiberi, qui judici aut tortori traduntur, ut *Actor.* III. 17. & *Matth.* XVIII. 34. reddi id vult per *concludere*, quemadmodum de Paulo dicitur *Actor.* VIII. 3. παρεδίδου εἰς φυλακήν. Malim tamen in iis acquieſcere, quæ ad v. 24. admonui. Permiſit Deus, ut magis magiſque procederent in inſulſis ſuis ratiociniis, quibus ſe dederant, nec vi quaſi quadam ab iis aut obtorto collo retraxit.

Ἀδόκιμος νοῦς a variis varie redditur, quod patet ex Bibliotheca Bremenſi l. c. p. 726. Potiores interpretationes ſunt *Eraſmi* & *Bezæ.* Ille vertit per *mentem, quæ*, propter ſcelera, *omnibus diſpliceat.* Hic vero per *mentem omnis judicii expertem.* Atque cum hoc facit *Eraſmus Schmidius*, nec multum diſcedit B. *Lutheri* noſtri interpretatio: **in verkehrten Sinn.** Eraſmum ex recentioribus ſequitur *Hombergius* in Parergis p. 195. his veterum locis uſus: Sicuti δεδοκιμασμένος apud Platonem eſt *in pretio habitus*; ita ἀδόκιμος eſt, *qui nullam meritus laudem*, πονηρὸς, ἀπόβλητος, ἄχρηστος. Unde apud Ariſtotelem ἀδόκιμον νόμισμα *nummus adulterinus.* Hunc igitur vult eſſe ſenſum: *Cum gentes Deum verum tanti non æſtimarent, ut operam dare vellent, quo eum cognoſcerent, &, uti debebant, glorificarent: hinc Deus eos viciſſim tradidit menti perverſæ, reprobatæ, nulliusque pretii, quæ plane deficeret ab humanitate & ratione, abjecta omni ſpecie virtutis, quæque proinde non poſſet ſuſtinere* βάσανον, *vel explorationem debitam.* Viciſſim Bezam tuetur *Schaubius* l. c. p. 727. *Gentiles*, inquit, *nolebant* Deum ἔχειν, *retinere in notitia:* ergo Deus juſta vindicta judicium auferebat juxta illud: Per quod quis peccat, per idem punitur & idem. Atque hoc mihi quoque præplacet. Cum enim Apoſtolus ſtatim addat: ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, tanquam id, quod per ἀδόκιμον νοῦν fuerit effectum, apparet facile, per τὸ ἀδόκιμον hic *perverſa* & *inſulſa* mentis cogitata, tanquam fontem ſcelerum nefandorum, innui. Similiter hujusmodi homines διεφθαρμένοι dicuntur 1 *Timoth.* VI. 5. & 2 *Timoth.* III. 8. atque ideo πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι *Tit.* I. 16. Idem, credo, exprimere voluit *Jo. Lockius* in Commentar. ad h. l. vertens *unſearching mind*, h. e. Deus gentibus, non explorantibus divinæ cognitionis veritatem, permiſit mentem *non exploratricem.* Quo ipſo ſubindicat, S. Paulum vocem ἀδόκιμον per paronomaſiam quandam, cujus & alias divinus Scriptor ſtudioſiſſimus eſt, cum verbo δοκιμά-

ζειν

ζειν conjunxiſſe. Rem ipſam quod attinet, pœnam hanc inter judicii divini documenta numerarunt ipſi Gentiles. Ita *Lycurgus* in Orat. contra Leocratem: οἱ γὰρ θεοὶ ὐδὲν πρότερον ποιῦσιν ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγυσιν. Conf. *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 95. ubi Jambica, his ſimilia, a Lycurgo ibidem allata legis. Adde *Alciphronem* lib: III. ep. 40. & *Vellejum Paterculum* lib. II. c. 57.

Ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα) Judicio *Campegii Vitringæ* lib. III. Obſervatt. Sacrar. p. 190. id Paulus vult dicere, quod in iis etiam, quæ Gentium Philoſophi ad τὰ μὴ καθήκοντα retulerint, large a gentibus peccatum ſit. Addit præterea, accuratiores Philoſophos inter κατόρθωμα & καθῆκον ita diſtinxiſſe, ut *perfectum officium* κατόρθωμα commune vero τὸ καθῆκον dixerint, teſte *Cicerone* de Officiis lib. I. cap. 3. ubi Grævii notæ comparandæ fuerint.

Verſ. 29. Πεπληρωμένυς πάσῃ ἀδικίᾳ κ. τ. λ.) Quæ hic & in ſequentibus commemorantur vitiorum nomina, ea tum ex Linguæ Græcæ rationibus, tum ex hiſtoria Romana, adductis idoneis exemplis diligenter illuſtravit ſæpe nobis laudatus *Adami* p. 719. ſqq. Adde *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico p. 138. & Anonymum in Muſeo Bremenſi Vol. II. p. 212. ſq.

πονηρίᾳ) Codices nonnulli omittunt, forſan ut ſuperfluum, judice *Millio*: ſequitur enim κακίᾳ. Sed temere illi ita ſtatuerunt. Nam Paulus ſimiliter 1 Cor. V. 8. κακίαν & πονηρίαν conjunxit. Nec dubium eſt, diſcrimen quoddam ſignificatus inter utrumque intercedere. *Eraſmus* πονηρίαν de *verſutia* & *aſtutia*, *Grotius* non diſſimiliter de verſuta & fallace nocendi ratione interpretatur, ſicut κακίαν de conſuetudine aliis nocendi, quam *Cicero* Tuſcul. Quæſt. IV. 15. per *vitioſitatem* convertit.

Μεςὺς φθόνυ, φόνυ) Habes hic iterum paronomaſiæ exemplum. Confer v. 28. *Iſocrates* in Panathenaico ſimiliter φθόνυ μεςὸν dixit, ſicut in II. ad Philip. epiſtola ςάσεως μεςῶς. Conf. *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 96.

ἔριδος) Prudentiores Gentilium vitium hoc damnaſſe ex *Heſiodo* oſtendit Cl. *Jo. Henr. a Seelen* in Bibliotheca Lubecenſi Vol. II. p. 452.

Κακοηθείας) Eraſmus: *malis præditi moribus*, quem probat *Hombergius* p. 196. quippe quæ generalis vocabuli ſit notio, ſub qua *malignitas*, quam *Beza* hic vult innui, comprehendatur. Tribuit *Ariſtoteles* Rhetoricorum II. hoc vitium ſenibus, per quod omnia in deteriorem partem vertant, *Plutarchus* vero in libello περὶ τῆς Ηροδότυ κακοηθείας ſummum illius apicem ait eſſe, ſi quis ſimplicitatem ſimulans intolerabilem ſe præſtet. Lege *Hombergium*.

Verſ. 30. ψιθυριςὰς) de verbo ψιθυρίζειν conſule Interpretes ad *Theophraſti* Characteres cap. III.

Καταλάλυς) *obtrectatores*, ſeu loquaces in alium: quam vocis emphaſin eſſe oſtenditur in Unſchuldigen Nachrichten von Theologiſchen Sachen anno 1716. p. 145.

θεοςυγεῖς) *Beza* ſcribi hic vult accentu mutato θεοςύγεις, & ſic *Grotius*, vertuntque uterque per *oſores Dei*, cum alterum θεοςυγεῖς exoſos Deo inferre videatur. Enimvero verſio recte habet, & vel ſic receptus accentus locum

E tuetur.

tuetur. Sic apud *Pollucem* in Onomaſtico μισόθεος & θεομίσης vocatur etiam θεοςυγὴς, addita hac obſervatione, quod poſtrema hæc vox tragica ſit. *Millius* ad h. l. unum Codicem affert, qui legat θεοςύγεις, ſed addit, forte recentiorem manum accentum mutaſſe. *Heſychium* quidem & vetera Gloſſaria θεοςυγεῖς paſſive ſumere, ſed *Theodoretum*, *Oecumenium*, & *Suidam* per μισȣ̃ντας τὸν Θεὸν, adeoque activo ſenſu, interpretari.

ὑβριςὰς) *Xenophon* in Apologia p. 557. & in Memorabilibus lib. I. p. 564. ὑβριςὴν opponit σώφρονι, unde Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis, p. 198. conficit, ὑβριςὰς eſſe, *qui hominis nullius rationem habent, alios pulſant, aliorum pudicitiam contaminant, quidvis ſibi in quemvis licere putant, injuria & contumelia quemcunque afficiunt, prava tantum animi libidine adducti.* Hinc patet, *Hammondum* vocis notionem nimis coarctaſſe, quando ad libidinem ſolam refert. Quamvis enim ad ejus intemperantiam deſignandam adhibeatur, ut patet ex *Ariſtophanis* Nubibus v. 1064. ibique *Ludolphi Kuſteri* notis, petulantiam tamen quamcunque generatim infert. Lege *Jac. Perizonium* ad Æliani Var. Hiſtor. IV. 15. Eodem ſenſu *Philoſtratus* in procemio ad Vitas Sophiſtarum p. 483. ὕβριν ἀσκεῖν dixit.

ὑπερηφάνȣς, ἀλαζόνας) Utramque vocem conjungit etiam *Polybius* p. 529. Ταῦτα μὲν ȣ̃ν προήχθην εἰπεῖν χάριν τῆς ἀλαζονείας τῶν ὑπερηφανȣ́ντων ἑαυτȣ̃ς. Scilicet verborum jactantia ex animi faſtu naſcitur, recte obſervante *Raphelio* in Annotatt. Polybian. p. 414. *Perronius* in Perronianis p. 39. ὑπερηφανίαν non *faſtum* ſed *contemtum* ſignificare uno Platonis loco contendit. Sed vereor, ut is illud evincat. Alioquin certum eſt, contemtum aliorum faſtus eſſe filiam, adeoque, ſi cetera ferant, eum voce illa ſignificari poſſe. Ἀλαζόνες proprie ſunt jactatores fallaces, & vaniloqui. Vide *Xenophontem* lib. II. Cyropædiæ p. 38. & Memorabilium lib. II. p. 578. ubi ἀλαζὼν vocatur, qui tibiis canendi imperitus tibicinem ſe ſimulat. Conf. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 199. Apud Ælianum Var. Hiſt. II. 15. ἀλαζονείαν *petulantiam* cum aliorum contemtu conjunctam ſignificare monuit ad illum locum *Perizonius*. Lege quoque de hac voce *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. Tom. I. p. 76. a. & *Suicerum* Tom. II. p. 1377.

Verſ. 31. Ἀσυνέτȣς, ἀσυνθέτȣς) Priorem vocem ex poſteriore affini, atque adeo varie ſcripta, natam eſſe ſuſpicatur *Grotius*, præcipue cum Syrus eam non habeat, nec de intellectus, ſed voluntatis vitiis hic ſermo ſit. Poſt eum Cl. *Zach. Pierce* in epiſtolis duabus ad F. V. ſcriptis, quarum altera de editione N. T., a Cl. Bentlejo ſuſcepta, agitur, altera conjecturæ de locis quibusdam N. T. corruptis proponuntur, unum *Grotii*, quem non appellat, argumentum in eandem ſententiam adhibet, *quod, qui carent intelligentia, improbi non ſint*, nec dici ait poſſe, ἀσυνέτȣς *poſſe ſignificare eos, qui libenter ſint inſipientes*, cum Paulus v. 21. dicat, ὅτι ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος ἀυτῶν καρδία, hinc factum eſſe, ut in ſcelera ruerent, de quibus v. 29. exponat. *Grotio* jam reſpondit *Adami* l. c. p. 730. alteri vero cetera erudito non minus eruditus harumque literarum

rarum callentiſſimus *Jo. Henr. Majus* in Vindiciis Græcæ veritatis ſtylique Apoſtolici adverſus illas epiſtolas p. 4. ſq. Et omnino vox proba eſt. Non diſſentit Codex MS. ullus. Eadem lectio exſtat apud *Suidam* Tom. I. p. 362. edit. Kuſterianæ, ubi primo loco ἀσυνέτους memorat, altero ἀσυνθέτους, manifeſto argumento, eum ad hunc Pauli locum alluſiſſe. Eum ſequitur *Varinus* in Lexico, col. 304. *Syri* Interpretis tanta hinc non debet eſſe auctoritas, quippe qui in hoc ipſo capite v. 13. omiſerit vocem τινὰ, & v. 16. τοῦ Χριστοῦ. De vitiis voluntatis, non autem intellectus agere his commatibus Apoſtolum, precarium eſt. Paulo ante enim appellavit ἐφευρετὰς κακῶν, qui omnino intellectus vitio ſimul laborant. Adde, *imprudentiam* hic commemorari, ut dignam ſceleribus & vitiis pœnam, & majorum ſcelerum matrem. Quo ſenſu Paulus v. 28. hos homines *in reprobam mentem datos* dixerat. Præterea elegans paronomaſia inter voces ἀσύνετος & ἀσύνθετος hanc loquendi rationem Paulo ſatis vindicat. Hujus enim ſtudioſum eſſe divinum Scriptorem modo ad v. 29. monuimus. Confer II. 1. V. 19. XII. 3. 2. Cor. IV. 8. &c. Denique non erraveris, ſi cum *Suida* vocem ἀσυνέτους per ἀσυνειδήτους, i. e. *conſcientia deſtitutos* verteris. Sic vero habebis non ſolum vitium voluntatis, omne conſcientiæ dictamen averſantis & eludentis, maximum, ſed etiam fœcundiſſimam omnium ſordium matrem. Hoc ſenſu *Coccejus* hic *perfrictæ frontis homines* intelligit.

Ἀσυνθέτους) ἀσύνθετος eſt *fœdifragus*, cui opponitur ἐυσυνθετῶν, *fidem* ſervans apud Polybium p. 1166.

Ἀσπόνδους) Deeſt hæc vox in Codicibus nonnullis & verſionibus. *Millius* in notis ideo omiſſam putat, quod videretur ejuſdem eſſe ſignificationis cum præcedente ἀσυνθέτους. At in Prolegomenis §. 447. ex 2 *Tim.* III. 3. huc inruſam eſſe ſuſpicatur. Temere omnino. Librarii facile hic labi poterant in cumulatis tot una ſerie vocibus. Interim vox Paulina eſt, & a præcedente ἀσύνθετος ſatis diſtincta. Ἄσπονδος enim denotat eum, qui reconciliari & placari nequit, unde πόλεμος ἄσπονδος vocatur bellum internecinum Polybio p. 1166. Lege *Raphelii* Notas Polybianas p. 414. Hinc h. l. ἄσπονδοι cum ἀστόργοις proxime conjunguntur. Fortaſſe & ἄσπονδοι eos notant, qui nec arctiſſimis religionis vinculis uniri poſſunt: quæ ſententia eſt B. *Godofr. Olearii* in Prælectionibus MSS. in h. l. Σπένδειν enim ſignificat *libare*, & receptum olim Gentibus erat, ut per ſacra arctior ſocietas iniretur. Lege ejuſdem Diſſertat. de communione cum Jeſu Chriſto & dæmonibus.

Verſ. 32. Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες) Vox δικαίωμα in Sacris & profanis Scriptoribus πολύσημος eſt, quod poſt *Jac. Cappellum* in Obſervationibus Sacris & *Jac. Altingium* Tom. V. Operum p. 363. alii oſtenderunt, a me in notis ad Tomum II. Anecdotorum p. 5. appellati. *Lockius* in Commentar. ad *Rom.* II. 26. ex comparatis inter ſe diverſis Scripturæ Sacræ locis rem ita conficit: δικαίωμα eſt norma juſti & æqui: in quantum Deum habet auctorem, vocatur δικαίωμα θεοῦ; quatenus lege præſcriptum exſtat, vocatur δικαίωμα νόμου: quatenus inſtituta cultus Levitici ſpectat, dicitur δικαίωμα λατρείας: quatenus

quatenus indicat legalem ſeu ritualem Judæorum ſanctitatem, *δικαίωμα σαρκός*: quatenus eſt in ſanctis, *δικαίωμα ἁγίων*. Confer, quæ ad hæc monuit *Jo. Clericus* in Biblioth. Selecta Tom. XIII. p. 117. &, quæ ad II. 26. dicentur. Hoc quidem in loco *Lockius* intelligit normam æqui & juſti, quam Deus dederit hominibus, ſanam rationem illis largiendo. Itaque idem erit, quod *Jus naturæ*, quod *Beza* ad h. l. monuit. Idem *Paulus* 2 Theſſ. I. 6. *δίκαιον παρὰ Θεῷ* appellat. *Guſſetus* in Lexico Hebr. p. 882. vindictam jure debitam h. l. intelligit, adductus *Ariſtotelis* loco, qui in Ethicis ad Nicomachum V. 10. *δικαίωμα* per *ἐπανόρθωμα τῦ ἀδικήματος* interpretatur.

Ἐπιγνόντες) Unus alterque codex hic addit *ὐκ ἐνόησαν*, vel *ὐκ ἔγνωσαν*, vel *ὐ συνῆκαν*. Eandem vocem ſupplent etiam Patres nonnulli, a *Millio* hic allati, qui inde confidentius conficit, veram hanc eſſe & genuinam Apoſtoli lectionem, quæ jam ante Origenis tempora corrupta ſit. Apoſtolum enim id velle, quod, qui in *ἀδόκιμον νῦν* traditi ſint, eo tandem devenerint ſtupiditatis, ut, quamvis legis naturalis notitiam retinuerint, pœnarum tamen, ejusdem violatoribus debitarum, notionem haberent omnino nullam, nec conſiderarent usquam, morte dignos eſſe, qui facinora ejusmodi perpetrarent. Ante eum *Colomeſius* in Obſervatt. Sacris p. 135. & poſtea *Lockius* in commentar. ad h. l. tum vero Anonymus Editor N. T. Græci cum nova verſione Anglicana, Lond. 1729. 8. vulgati p. 589. in notis, & noviſſime *Will. Wall* in Notis Criticis ſuper N. T. p. 226. *τὸ ὐκ ἐνόησαν* ut genuinum amplexi ſunt. Sed non video cauſam eſſe, cur in has partes diſcedamus. In recepta lectione ſenſus expeditus & commodus eſt. Id vult Apoſtolus, ſceleſtos illos homines naturæ quidem lege edoctos fuiſſe, juſtum eſſe apud Deum, ut, qui talia perpetrent, morti ſint obnoxii, & vel ſic non ſolum ipſos ea feciſſe, ſed & ſui ſimilibus applauſiſſe. Si quæras, qui illud fieri potuerit, reſponſio in promptu erit ex v. 28. quia ſcilicet *εἰς νῦν ἀδόκιμον* præcipites ruerint, atque eo devenerint, ut omnia conſcientiæ monita & convicia ſupprimerent. Hinc vero ſimul patet, unde nata ſit phraſis, *ὐκ ἐνόησαν*, nempe ex interpretamento, quo aliquis opus eſſe cenſebat, ad mentem Apoſtoli ex ſuperioribus rectius perſpiciendam. Ab Apoſtolo ipſo eam *φράσιν* non eſſe profectam inde præterea conſtat, quod, qui eam exhibent Codices, in reliquis hujus commatis verbis, ad eam accommodandis, non conſentiant. Cum enim illa poſtulet, ut pro verbis *ὀυ μόνον ἀυτὰ ποιῦσι* legatur: *ὐ μόνον ἀυτὰ ποιῦντες*, plerique tamen *τὸ ποιῦσι* retinent. Taceo, paucos illos Codices in ipſis verbis *ὐκ ἐνόησαν* admodum variare, quod ſcholii ſuſpicionem omnino firmat. Latinis Patribus, qui, Vulgatum Interpretem ſecuti, aſſumentum illud adoptarunt, merito opponuntur Græci præſtantiores & omnes verſiones Orientales, quæ in recepta lectione conſentiunt. Recte itaque Celeb. *Pfaffius* de Variantibus Lection. N. T. p. 207. communem lectionem retineri vult, id quod & *Whitbius* ſtatuit in Examine Variant. Lectionum Millii p. 32. & non ita pridem Cl. M. *Chriſtoph. Wolle* de Partheſi Sacra p. 41. ſq. qui tamen verba: *ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες θανάτυ ἄξιοί εἰσιν* parentheſi putat includenda.

CAPUT

CAP. II.

VErſ. 1. Διὸ ἀναπολόγητος) Inexcuſabiles eſſe Gentiles B. *Joſua Arndius* in Miſcellaneis Sacris ad h. l. p. 113. ſq. ex eo evincit, quod multa, quæ in Sacro Codice hiſtorica traduntur, v. c. *de lapſu Adami*, *diluvio*, *arca Noachi*, *Jona* &c. non incognita illis fuerint. Enimvero ἀναπολογησίας hujus rationem aliunde, nempe ex naturali Dei notitia, ad quam capita illa hiſtorica certe non pertinent, repetendam eſſe ex cap. I. 20. apparet, ubi diſerte teſtatur Paulus, eam efficere, ut gentes ſint ἀναπολόγητοι. Omitto, hoc loco de iſta ἀναπολογησίᾳ Gentilium univerſali non amplius ſermonem eſſe, ſed de ſpeciali eorum, qui, cum iisdem criminibus teneantur, ſententia & judicio lato in alios graſſantur.

Ὦ ἄνθρωπε) Judæum hic intelligi vult *Lockius*, qui ſcilicet tam abjecte ſentiat de converſis gentibus, ut ſe ab iis alienum oſtendat. Id putat patere ex v. 17. & 27. ubi diſerte Judæus appelletur. Idem fuſius adſtruit *Marckius* in Exercitat. Scripturaria XIX. p. 604. ſq. Vide tu, quæ in contrarium affert B. *Calovius* noſter in Bibliis Illuſtrat. ad h. l. & *Steph. Curcellæus* Inſtitutt. lib. VII. c. 6. & Diſſertat. Theolog. III.

Verſ. 2. Οἴδαμεν δὲ, ὅτι τὸ κρίμα τȣ̃ Θεȣ̃ ἐςὶ κατὰ ἀλήθειαν) *Novimus, rem hanc eſſe certiſſimam, reveraque impios a Deo judicari.* Ita hæc convertit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis p. 416. prolatis p. 415. variis locis Polybii, in quibus phraſis κατὰ ἀλήθειαν hanc notionem obtinet. Sic p. 1029. καὶ γὰρ ἦν τȣ̃το κατὰ ἀλήθειαν *& erat hoc revera*, & p. 1285. ὃ κατ' ἀλήθειαν ἦν, *quod ſane ita erat.* Neque tamen negat Vir doctus, τὸ κατ' ἀλήθειαν ad juſtitiam judicii hujus cum aliis referri poſſe, præcipue cum ſimilis locutio, ἐν ἀληθείᾳ quæ alias apud LXX. idem eſt, quod *revera*, apud eosdem *Proverb.* XXIX. 14. idem ſit, quod *juſte.* Atque hoc poſterius malim, cum nusquam alias in N. T. tabulis phraſis κατ' ἀλήθειαν adhibeatur, ubi aliquid vere fieri dicitur, ſed ſemper vel per ἐπ' ἀληθείας, vel per ἐν ἀληθείᾳ exprimatur.

Ἐπὶ τȣ̀ς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας) *contra patrantes talia.* Ita B. *Godofr. Olearius* in Prælect. MSS. ad h. l. ubi & ſuas in S. Matthæum Obſervationes conferri jubet.

Verſ. 3. Ὦ ἄνθρωπε) *homuncule!* quod Germani dixerint: **Du guter Menſch.** Vox enim ἄνθρωπος ſimpliciter poſita reſpondet Hebræo אנוש quod hominem *miſerum*, *futilem* &c. infert: quo ipſo & λογισμὸς ejus ut futilis rejicitur. Hæc ſunt ejusdem Olearii cogitata in Prælect. MSS.

Verſ. 4. totum illuſtrat *Jo. Marckius* in Exercitat. Scripturaria XIX. p. 601. ſq. eo inprimis ſcopo, ut oſtendat, ad Judæos hic dirigi orationem, atque adeo hinc argumentum pro ſufficientia gratiæ, omnibus ad converſionem & ſalutem collata, peti non poſſe. At ponamus, Apoſtolo hic cum Judæis tantum rem eſſe, quod ab aliis negari monuimus, num hinc conſequeretur, de Gentilibus id protinus negari debere, quod Judæis hic in univerſum tribuitur? Deinde

 vero,

vero, nonne abſoluti decreti & ſufficientis gratiæ particularis infelices patroni adfirmant alias, etiam Judæis non omnibus gratiam illam collatam fuiſſe? At Paulus cuicunque Judæo, in peccatis conſtituto, verba hæc efficaciter occantat. Quidni igitur de Gentilibus, ad gratiam cum iisdem vocatis, idem aſſeveres? Cetera nunc per inſtituti noſtri rationem mittimus aliis excutienda. Confer interim *Stempelii* diſſertat. de benevolentia Dei univerſali ex h. l. Lipſ. 1671. habitam & B. *Neumanni* aliam de tempore gratiæ non niſi cum morte hominis elabente, Witteb. 1701.

Τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς) De μακροθυμίᾳ Dei inſignia Patrum effata lege apud *Suicerum* Tomo II. Theſauri p. 294.

Εἰς μετάνοιάν σε ἄγει) Τὸ ἄγειν non de ipſo eventu adductionis ad reſipiſcentiam, ſed *motu* & *impulſu* valido ad eandem interpretandum putat *Marckius* l. c. p. 603. Quod ut heic admitti poteſt, conſtat tamen, idem verbum apud Græcos Scriptores, & nominatim Polybium, frequenter eventum ipſum & effectum declarare. Sic Polybius p. 507. πεπεισμένοι καταπλήξεσθαι διὰ τὴν ἡλικίαν καὶ ταχέως εἰς μετάνοιαν ἄξειν τὸν βασιλέα, *ratus, facile ſe propter ætatem terrorem illi incuſſurum, & ad mutandam ſententiam compulſurum.* Conf. idem p. 219. εἰς μέγαν μὲν φόβον ἐκείνους ἤγαγον, p. 510. & alias, quæ loca diligenter congeſſit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 407. ſq. Unde conſtat, Paulum hac phraſi non ſine efficacia uti ad declarandum ſerium Dei conſilium de peccatoribus ad pœnitentiam revocandis.

Verſ. 5. Κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου) *propter duritiem tuam*, ut idem ſit ac ſi dicas, τῇ σκληρότητί σου. Sic *Arrianus* de Expedit. Alexandri V. 21. 4. in eadem oratione eademque ſignificatione & κατὰ & dandi caſum ponit, narrans, Porum ſe dedidiſſe Alexandro κατὰ ἔχθος τὸ Πώρου μᾶλλον, ἢ φιλίᾳ τοῦ Ἀλεξάνδρου h.e. *magis odio Pori, quam amore Alexandri motum.* Similiter ab eodem V. 27. 15. τὸ διὰ & κατὰ in eundem ſenſum permutantur. Lege plura apud *Raphelium* l. c.

Θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν) *coaggeras atque reponis tibi ipſi iram.* Verbum enim hoc non ſolum de rerum utilium ſed & quarumcumque copia congerenda adhibetur. Heſychius Θησαυρίσασαν exponit per συνάξασαν. Euripides Jone v. 923. μέγαν θησαυρὸν κακῶν dixit. Nec aliter Latini, ut *Plautus* Mercat. Act. III. Sc. IV. v. 56. *theſaurum mali.* Lege plura apud Cl. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris p. 297. & *Corn. Adami* in Obſervatt. Theologico-Philolog. p. 89. Confer &, ſi placet, Curas noſtras in Matthæum p. 137. Innuitur vero hoc verbo, iræ divinæ judicia paulatim coacervari, ut tandem univerſa promantur. Pertinet huc, quod *Caſaubonus* apud Polybium p. 408. ὀργὴν per *ſupplicium* vertit.

Ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ) Ἐν ἡμέρᾳ idem hic eſt, quod εἰς ἡμέραν, ceu rectiſſime expreſſit B. Lutherus. Codices nonnulli, a *Millio* memorati, item Patres & verſiones quædam ante vocem δικαιοκρισίας ponunt particulam καὶ, & ſic *juſtum Dei judicium* a *revelatione* diſtinguunt, quam

quam alii cum eodem conjungunt. Atque hæc lectio genuina videtur Millio in Prolegomenis §. 860. *Sublatum*, inquit, *eſt* καὶ, *ex ignoratione ſenſus Apoſtolici.* Ἀποκάλυψις *ſcilicet hoc loco non eſt revelatio juſtitiæ divinæ, facta per legem Evangelicam; ea ſiquidem diu præceſſit hanc diem* ὀργῆς καὶ δικαιοκρισίας. *Alia omnino D. Paulo mens. Dies enim iræ deſignat tempus ultimum, quo ira magna futura eſt populo Judæorum, quos hic ſpeciatim alloquitur Apoſtolus. Hæc ſequitur* ἀποκάλυψις Θεȣ̃ *per Chriſtum de cœlo apparentem in die judicii, tum vero* δικαιοκρισία, *ſeu juſta pœnarum & præmiorum pro ſuis cujusque meritis diſtributio.* Idem viſum eſt Cl. *Sam. Battierio* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 98. ideo, quod illa die, de qua heic Apoſtolus, non ſolum revelandum ſit juſtum Dei judicium, ſed & Chriſtus Jeſus demonſtrandus ſit, ut Dei Filius, & ut verus Deus. ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, *Joh.* XIX. 37. Speciem hæc habent: ſed rem tamen non conficiunt. Manifeſtum eſt, Paulum hic loqui de uno eodemque die, nempe eo, quo extremum judicium de omnibus, tum Judæis, tum Gentilibus, habebitur, v. 9. Ille enim vere & κατ᾽ ἐξοχὴν eſt dies iræ, quæ ὀργὴ ἐρχομένη vocatur 1 *Theſſal.* I. 10. Itaque hic non cogitandum eſt de die, ſeu tempore eo, quod iræ & judiciis Dei in Judæos exſerendis ſit deſtinatum. Hinc nec ἀποκάλυψις de apparitione Chriſti eſt accipienda. Quamvis enim ἀποκάλυψις aliquoties de Chriſto, ad judicium illud prodituro, in N. T. uſurpetur, v. c. 2 *Theſſal.* I. 7. & 1 *Pet.* I. 7. & 13. nusquam tamen id fit ſine addito nomine Κυρίȣ vel Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃. Itaque rectius ἀποκάλυψις hic conjungitur cum voce δικαιοκρισίας, quia extremus dies juſtitiam divinam eminenter & ita revelabit, ut nullus de ea dubitandi locus ſit futurus. Grotius, ubi lectionem illam, quam Millius tuetur, affert, tanquam in textu exſtantem, monet, occurrere hic ἓν διὰ δυοῖν, pro ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας, ut generalius dicat, quod deinde explicaturus ſit ſpecialius. Bene quoque additum ait eſſe δικαιοκρισίας, ne nomine iræ affectus inordinatus intelligeretur.

Verſ. 6. Ὃς ἀποδώσει) *qui dabit*, non tanquam ex merito, cum etiam vinitoribus non promeritis, præmium daretur, Matth. XX. 8. quod a B. *Godofr. Oleario* in Prælectionibus MSS. in h. l. recte affertur contra *Jac. Altingium*, hac phraſi olim abuſum, ut oſtenderet, Chriſtum ſecundum opera homines judicaturum eſſe.

Verſ. 7. Τοῖς μὲν καθ᾽ ὑπομονὴν ἔργȣ ἀγαθȣ̃, δόξαν, κ. τ. λ.) *Bezæ* hic, ſublato commate, voces ἔργȣ ἀγαθȣ̃ cum voce δόξαν conjungit, ut indicentur illi, qui cum patientia ſectentur gloriam bonorum operum. Idem ſtatuit *Herzogius* in Obſervationibus de poſitu Interpunctionum in epiſtola ad Romanos p. 5. At ſic receditur a communi interpunctione, tum Interprete Syro, & aliis veterum, præter rem, & contra ſtructuram reliquarum hujus commatis vocum. Nusquam video in N. T. afferri δόξαν ἀγαθῶν ἔργων, nec perſpicio, quomodo bono operi ἀφθαρσία tribui poſſit, quæ tamen, ſi novam illam interpunctionem admittas, cum vocibus ἔργȣ ἀγαθȣ̃ conjungenda eſſet. Quamvis enim Eph. VI. ult. pii Jeſum amare ἐν ἀφθαρσίᾳ, aliique tranquillam & manſuetam animam

animam ſervare dicantur ἐν ἀφθάρτῳ 1 Pet. III. 4. quos locos hic urget *Herzogius*, inde tamen non efficitur, ut ἀφθαρσίαν ἔργου ἀγαθοῦ quærentes h.l.dici poſſint, ubi de immortalitate quæſita ſermonem eſſe, tum voces, τιμὴ καὶ δόξα, quæ cum illa conjunctæ erunt, tum ſequens ζωὴ αἰώνιος indicant. Obverteris forte, ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ incommode & ſine exemplo dici. At ſimilis loquendi ratio occurrit 1 *Theſſal.* I. 3. μνημονεύοντες ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως, καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης, καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ibi ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος nihil aliud profecto infert, quam *perſeverantiam in fide.* Itaque & h. l. ὑπομονὴ ἔργου ἀγαθοῦ ſignificabit perpetuum bonorum operum ſtudium, inque eo perſiſtentiam. Nam ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος σωθήσεται. Matth. X.22. Recte *Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. III. p. 85. ὑπομονὴ inquit, *heic loci eſt patientia in bene operando, quod tantundem eſt, ac continuitas & conſtantia in quovis etiam caſu & occaſione. Sic accipitur verbum Matth.* X. 22. Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, qui perſeverat uſque ad finem, σωθήσεται, ſalvabitur. Convenit Pauli admonitio 1 *Cor.* XV. 58. Itaque, fratres mei dilecti, ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι, περισσεύοντες ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ Κυρίου πάντοτε.

Singularis hic eſt B. *Jo. Fechtii* ſententia, quam in Corollario ad Hiſtoriam Caini & Abelis proponit, quærens: an non h. l. per ἔργον ἀγαθὸν fides poſſit intelligi, tanquam ἔργον τοῦ θεοῦ *Joh.* VI.29. quia, ſi de virtutibus intellexiſſet Apoſtolus, in plurium potius numero ex antecedentibus repetiturus fuiſſet τὰ ἔργα, quam τὸ ἔργον. Urget præterea, ἔργῳ ἀγαθῷ eodem pacto hic tribui ζωὴν αἰώνιον, quo incredulitati θυμὸς καὶ ὀργὴ impingitur; & patientiam fidei æque ac bono operi adſcribi poſſe. Confer Nova Literaria Maris Balthici an. 1704. p. 199.

Verſ. 8. Ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ) Vide ad cap. I. v. 18.

Θυμὸς καὶ ὀργὴ) Differt proprie θυμὸς ab ὀργή. Θυμὸς eſt fervor ſanguinis, qui circa cor movetur, ira fervens, teſte Scholiaſte Ariſtophanis ad Ranas v. 252. & *Laërtio* in Zenone. *Cicero* θυμὸν vertit *excandeſcentiam*, Tuſculan. IV. 9. Ὀργὴ vero eſt libido ulciſcendi & puniendi eum, qui læſiſſe videtur injuria. Ὀργή ἐστιν ἐπιθυμία τιμωρίας τῶν ἠδικηκέναι δοκούντων, ut idem Scholiaſtes & Laërtius ll. cc. Debes hæc *Lamberto Bos* in Exercitatt. p. 97. ubi plura lege in eandem ſententiam. Adde Interpretes ad *Laërtium* VII. 114. & inprimis *Menagium* p. 304. itemque *Kühnium* p. 531. *Boſii* obſervationibus junge Cl. *Elsneri* animadverſiones p. 14. ad h.l. qui vocabula hæc a Scriptoribus frequenter conjungi idoneis locis probat, & utriusque genuinam notionem inveſtigat. Adde Tomum IX. Supplementorum Actorum Erudit. Lipſienſ. p. 15. Apoſtolus mihi quidem hic innuere videtur, iram & ultionem divinam non ſolum vehementiſſimam fore, qualis eſt *excandeſcentia*, ſed & continuam nec unquam terminandam. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. Hendiadyn ſtatuit, ut idem ſit, quod *poculum iræ*, ſeu θυμὸς τῆς ὀργῆς. Confirmari ſententia ejus poteſt phraſi Apocalyptica XVI. 19. ubi commemoratur τὸ ποτήριον τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς

ὀργῆς

ὀργῆς αὐτȣ̃, quo procul dubio Vir doctus reſpexit. Denique hic obſervandum eſt, σολοικοφανῆ nonnullis creditam eſſe Pauli orationem, quandoquidem θυμὸς καὶ ὀργὴ in nominandi caſu poſitæ non reſpondent antecedentibus accuſativis δόξαν καὶ τιμήν. Enimvero nec opus eſt, ut reſpondeant, modo ellipſin verbi ἔςαι ſatis frequentem ſuppleas. Vide huc Cl. *Jo. Conr. Schwarzium* de Soloeciſmis Diſcipulorum Chriſti antiquitatis p. 92.

Verſ. 9. Θλῖψις καὶ ςενοχωρία) Differentiam inter utramque vocem intercedere patet ex 2 *Corinth.* IV. 8. θλιβόμενοι ἀλλ' ȣ̓ ςενοχωρȣ́μενοι. Eam latius exponit *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 278. Vocem ςενοχωρία, quæ hic ad animum refertur, in proprio ſignificatu de *anguſta via* adhibet *Xenophon* de Expeditione Cyri lib. I. p. 202. Utramque vocem conjunxit *Epictetus* apud Arrianum lib. I. c. 25. Ὁρᾶς ὅτι σὺ σαυτῷ ςενοχωρίαν παρέχεις, σὺ σαυτὸν θλίβεις. Et paulo poſt: Καθόλȣ γὰρ ἐκείνȣ μέμνησο, ὅτι ἑαυτȣ̀ς θλίβομεν, ἑαυτȣ̀ς ςενοχωρȣ̃μεν, τȣτέςι, τὰ δόγματα ἡμᾶς θλίβει καὶ ςενοχωρεῖ. Τῇ ςενοχωρίᾳ opponitur εὐρυχωρία, quam conciliare (περιποιῆσαι) ſibi hominem quod ad animum poſſe oſtendit *Antoninus* IX. 32. De conſcientia mala, tanquam tortura ad h. l. commentatur *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 688.

Ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπȣ) Polybius p. 1382. de Annibale, tanquam caſus alicujus auctore, ait: εἷς ἦν ἀνὴρ αἴτιος καὶ μία ψυχή. Frequens alioquin Hebræis eſt hæc phraſis, ut animam pro toto homine ponant. Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. c. 4. ſed nec Latinis inſueta, quod oſtendit *Suicerus* in Theſauro Tom. II. p. 1579.

Verſ. 11. Οὐ γάρ ἐςι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 99. & *Suiceri* Theſaurum Eccleſiaſt. Tom. I. p. 497.

Verſ. 12. Ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον) Ἀνόμως idem eſt, quod ἄνευ νόμȣ, ſine lege, cui mox ἐν νόμῳ opponitur. Conf. 1 *Cor.* IX. 21. Ita veteres Eccleſiæ doctores recte acceperunt. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 366. Scilicet Judæi legem habebant, qua deſtituebantur Gentiles. Eodem ſenſu vox ἀνόμως occurrit apud *Iſocratem* Panegyr. p. 94. τȣ̀ς Ἕλληνας ἀνόμως ζῶντας καὶ σποράδην οἰκȣ̃ντας, *Græcos olim ſine legibus viventes, & ſparſim habitantes.* Ibi vero paulo poſt de legibus latis, & conſtituta Republica idem loquitur. Confer Cl. *Jo. Alberti* p. 297.

Ἀπολȣ̃νται) Ex hoc verbo *Henr. Dodwellus*, τῇ ὑποθέσει δȣλεύων, patere putat, eos, qui legis divinæ ignari fuerint, perituros potius eſſe, & in nihilum redituros, quam judicio divino aliquando ſiſtendos. Vide eum in Diſſert. Epiſtolica anglice edita de anima, principio in ſe mortali p. 141. ſqq. Ratio hæc eſt, quod in priore commatis parte de Gentilibus dicatur, ὅτι κριθήσονται. Sed nullum hinc eſt ſententiæ inſolentiori præſidium. Paulus enim v. 9. eandem calamitatem pœnamque comminatur omnibus hominibus, ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπȣ, eo tantum diſcrimine, quod Judæis primum, deinde vero etiam Gentilibus, ea immineat. Cauſa hujus diſcriminis affertur v. 12. quia Judæi legem habuerint, ac proinde voluntatem Dei præ Gentilibus edocti ſint, Gentiles

 autem

autem eadem caruerint. Nihili eſt, quod idem p. 143. urget, quod ſcilicet v. 16. ἐν ἡμέρᾳ ὅτι κρινεῖ ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων, ad Judæos tantum pertineant, de quibus proxime dicatur: καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, διὰ νόμου κριθήσονται. Nulla enim cauſa eſt, cur deſignationem temporis, quo judicium hoc exercebitur, atque adeo judicium ipſum ad alteram tantum hominum claſſem referamus, cum omnibus & ſingulis ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς merces, operibus reſpondens, exſpectanda dicatur v. 6. Verbum ἀπολοῦνται contra ſtilum Scripturæ de abſoluta hominis abolitione heic accipi, non eſt, cur moneamus. Judas dicitur υἱὸς ἀπωλείας, quem tamen judicio extremo aliquando ſiſtendum eſſe, ipſe Dodwellus non negaverit.

Verſ. 13. Οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ νόμου) Ab hoc commate parentheſin, quam alii communiter commati 14. & 15. vindicant, incipi vult Cl. *Chriſtoph. Wolle* in Commentatione de Parentheſi Sacra p. 65. ubi & de affectu Apoſtoli hic expreſſo diſſerit. Ἀκροατὴς non ſolum *auditorem* ſed & *lectorem* Legis infert. Sic *Polybius* p. 752. ſcriptionem ſuam ait πρὸς ἓν γένος ἀκροατῶν οἰκειοῦσθαι, h. e. *uni lectorum generi accommodatum eſſe.* Confer *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 420.

δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ) Inſpice *Suicerum* Tomo I. p. 676.

Verſ. 14. Ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ) Legas, velim, B. *Carpzovii* Specimen Theologiæ Chemnitianæ p. 47. ſqq. & quos ille citat. Vox φύσει idem eſt, quod *ſponte ſua, a nullo docti aut inſtituti.* Sic *Xenophon* Cyropæd. lib. II. p. 42. μάχην ἐγὼ ὁρῶ πάντας ἀνθρώπους φύσει ἐπισταμένους, ὥσπερ γε καὶ τἄλλα ζῶα ἐπίσταταί τινα μάχην ἕκαστα, οὐδὲ παρ' ἑνὸς ἄλλου μαθόντα ἢ παρὰ τῆς φύσεως h. e. *Pugnam homines ego univerſos a natura noſſe video, quemadmodum & aliorum animalium quælibet aliquam pugnam norunt, quam non aliunde niſi ab ipſa natura didicerunt.* Inſpice *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 200.

Phraſin τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν alii aliter explicant. Plerique ita accipiunt, ut gentes Legem obſervare dicantur. Pauci vero alii ita, ut facere dicantur, non quæ *lex jubet*, ſed, *quæ lex facit.* Lex vero jubet, convincit, terret, punit, damnat. Atque hoc etiam faciunt Gentiles in ſe ipſos, & alios, ubi rationis uſu pollent & adoleſcunt. Ita verba accipit *Jac. Cappellus* in Obſervatt. ad h. l. Idem ſtatuit *Sam. Bochartus* Tom. II. Operum p. 987. in epiſt. ad Tapinum. Accipe verba ejus: *Imo, inquit Apoſtolus, licet* Græci *ſeu* Gentes Legem non habeant *h. e. Decalogum Dei, digito in lapidibus exaratum,* faciunt tamen natura ſua ea, quæ ſunt Legis, *h. e. ea, quæ lex facit, non ea, quæ lex jubet. Lex declarat, quid ſit rectum, quid minus; quid Dei voluntati conſentaneum, quid adverſum; quid faciendum, ut vivamus; quid vitandum, ne pereamus, & æternæ maledictionis rei peragamur: hæc, inquam, facit lex, Judæis a Deo tradita. Hæc ergo facere, eſt ea facere, quæ ſunt Legis. Atqui hæc omnia faciunt etiam ii, quibus lex non eſt data;* &, cum legem non habeant, ipſi ſibi ſunt legis inſtar, cum oſtendant opus legis, *non opus a lege juſſum aut vetitum; ſed opus, quod præſtat ipſa lex. Sic enim, cum aliquid*

jubet

jubet aut vetat Rex, *puta*, *cum vetat*, *ne quis venari auſit*; *cum certis hominibus aliquod vectigal imponit*; non venari, *aut* vectigal ſolvere, *non dicitur eſſe opus Regis: opus enim eſt non Regis*, *ſed eorum*, *qui Regi ſubſunt*. *Sed hoc ipſum vel vetare vel jubere*, *hoc vero eſt opus Regis.* In eandem ſententiam *Frider. Chriſtoph. Neubour* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. I. p. 254. affert locum ex Ariſtotele lib. I. Rhetoricorum XV. 6. ubi de lege ſcripta, contra quam excipi poſſit, ſi cauſæ noſtræ adverſetur, ait: ἐ ποιεῖ ἔργον τȣ̃ νόμȣ, h. e. vertente *Mureto*, *non facit id*, *quod opus & munus eſt legis*. Ibi Schraderus in Commentario obſervat, legis munus eſſe *id*, *quod ex rei veritate juſtum & ſalutare eſt*, *decernere*. Senſum itaque hunc eſſe vult: *Si Gentiles*, *qui non habent*, ſicuti Judæi, *legem a Deo* datam; *tamen ſolius naturæ inſtinctu ea faciunt*, *quæ legis ſunt propria*, videlicet præſcribere res juſtas & ſalutares, *ſequitur*, *iſtos Gentiles*, *quanquam lege divina deſtituantur*, *ſibi ipſis legem eſſe*, *utpote*, *qui manifeſte* legibus tam juſte, tam ſalutariter latis, *produnt*, *opus* ſive objectum *legis*, juſtum puta & ſalutare, *animis ſuis eſſe inſcriptum*. *Bocharto* applaudit *Elsnerus* p. 16. Obſſ. Sacr. Ingenioſe, fateor, & erudite hæc ita diſputantur, ſed nimis ſubtiliter, & minus vel ſcopo Apoſtoli, vel nexui ſermonis ejus convenienter. S. Paulus v. 13. amoliturus gloriationem Judæorum, quam de poſſeſſione legis prodere ſolebant, monet, non auditores aut lectores legis, ſed ποιητὰς νόμȣ h. e. *qui legem ſint obſervaturi*, juſtificatum iri. Ad hanc vero Legis ſcriptæ obſervationem Judæos tanto magis ait eſſe obſtrictos, quod & gentes ipſæ hinc inde faciant τὰ τȣ̃ νόμȣ, & quidem φύσει, h. e. in quantum naturæ lumine & inſtinctu tum norunt, tum præſtant aliqua, quæ legi a Deo latæ ſunt conformia, atque hoc ipſo oſtendunt, habere ſe legem cordibus inſcriptam, cui ſint audientes. Requirebat itaque Apoſtolus ποιητὰς νόμȣ inter Judæos, lege ſcripta donatos, quia etiam inter Gentiles obſervabat τὰ τȣ̃ νόμȣ ποιȣ̃ντας. Quod hic Apoſtolus τὰ τȣ̃ νόμȣ ποιεῖν dicit, id *Galat.* V. 3. τὸν νόμον ποιεῖν, & hic v. 25. τὸν νόμον πράσσειν appellat. Nec dubitari debet, Paulum obſervationem legis, a natura præſcriptæ, Gentilibus hic tribuiſſe. Idem enim facit v. 26. clarius: ἐὰν ȣ̃ν ἡ ἀκροβυστία (i. e. Gentiles) τὰ δικαιώματα τȣ̃ νόμȣ φυλάσσῃ, ȣ̓χὶ ἡ ἀκροβυστία αὐτȣ̃ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται; Nec obverti poteſt, quod facit *Bochartus* l. c. *ante regenerationem nos plane mortuos eſſe in peccatis*, *unde ſequatur*, *nos nihil poſſe præſtare conſentaneum mandato legis*. Quamvis enim ante regenerationem nihil præſtare poſſimus, quod legi exacte reſpondeat, & Deo gratum ſit, Gentiles tamen aliqua præſtare poſſunt, quæ lege naturæ præcepta ſunt, & in tantum legi divinæ, quamvis illa & ampliori & perfectiori modo præſtanda poſtulet, conformia. Quam in rem notari par eſt, Apoſtolum hic dicere, Gentiles ποιεῖν τὰ τȣ̃ νόμȣ, i. e. *quædam*, *quæ ſunt legis*, non autem, quod alias facit, τὸν νόμον. Quod ipſum niſi a diſſentientibus admittatur, non habebunt illi viciſſim, quod pro ſua interpretatione reſpondeant. Ajunt illi, Gentiles ex mente Apoſtoli, facere, quod lex divina facit h. e. *declarare*, *quid ſit rectum*, *quid minus* &c. num vero quiſquam Gentilium unquam legis naturalis præſcripto

 omnia,

omnia, quæ vel juſta ſunt, vel iniqua, hinc præcepit, hinc vetuit? *Ariſtotelis* denique locus huc non admodum pertinet. Neque enim Paulus hic ait, ποιεῖν τὸ ἔργον τȣ͂ νόμȣ, ſed τὰ τȣ͂ νόμȣ, h. e. vel τὰ ὄντα τȣ͂ νόμȣ, *quæ ad legem pertinent*; vel τὰ ἔργα τȣ͂ νόμȣ. Quod vero Apoſtolus per ἔργα τȣ͂ νόμȣ, non *munera* ſeu *officia* legis, ſed opera, ad normam legis præſtanda, intelligat, id quidem tot aliis locis conſtat, ut probari non debeat.

Omiſeram fere monere, quod *Smalzius* contra *Franzium* p. 419. interpunctionem hujus commatis mutatam velit, eo ſenſu, ut *gentes*, *quæ legem non habent natura*, h. e. quæ cum lege natæ non ſunt, *ea, quæ legis ſunt, facere dicantur*. Sed huic corruptelæ facile ex contextu occurritur. Compara tamen, ſi placet, *Hackſpanii* Miſcellanea lib. II. c. 5. p. 227.

Verſ. 15. Οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τȣ͂ νόμȣ) Ἔργον τȣ͂ νόμȣ hic poſitum puto pro τὸν νόμον ſimpliciter. Sic *Epheſ.* IV. 12. Apoſtolus ait Dominum aliquos dediſſe εἰς ἔργον διακονίας, h. e. in miniſterium ſanctum obeundum, quod alias, & frequentius, dicitur διακονία. Atque hinc reſpondebitur ad ea, quæ *Bochartum* modo videmus ex hac phraſi pro nova ſua interpretatione ſubtilius urgere. Ejuſmodi pleonaſmi varia exſtant in Scriptoribus exempla. Sic *Ariſtophanes* Pluto v. 895. dixit χρῆμα τεμάχων, ubi lege *Ezech. Spanhemium*. Ita σῶμα ποταμȣ͂, ἀνέμȣ σῶμα, σῶμα τȣ͂ λόγȣ, pro ποταμὸς, ἄνεμος, λόγος. Vide *Vechneri* Hellenolexiam lib. II. c. 8. & Cl. *Jo. Henr. Maji* Obſervatt. Sacras lib. IV. p. 100. ubi σῶμα Μωσέως ex Judæ epiſtola v. 9. de *Moſe* explicatur. Videtur autem Paulus non ſimpliciter νόμον, ſed ἔργον τȣ͂ νόμȣ hic commemoraſſe, quia ἔργα illius objectum proprium ſunt, & ipſe antea de ποιητῇ τȣ͂ νόμȣ locutus fuerat.

Γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις) *animis ſuis inſcriptum.* Ita quoque οἱ ἔξω, tum Græci, tum Latini, ut *Æſchylus* in Prometheo Vincto, v. 787. Prometheum ſic inducit loquentem:

- - Πολύδονον πλάνην φράσω
Ἣν ἐγγράφȣ σὺ μνήμοσιν σȣ δέλτοις φρενῶν.

Cicero Academic. Quæſt. lib. III. c. 1. *Ut literis conſignamus, quæ monumentis mandare volumus: ſic ille in animo ſuo res inſculptas habebat.* Alia hujusmodi lege apud *Jo. Clericum* in Arte Critica Part. II. Sect. I. cap. 4. §. 10. & *Ægid. Menagium* ad Laërtium VI. 5. nec non præſtantiſſimum *Fabricium* noſtrum in notis ad Codicem Apocryphum N. T. p. 316. Quod ad rem ipſam attinet, de κοιναῖς ἐννοίαις iſta jam olim accepit *Origenes* contra Celſum lib. I. p. 6. & alii naſcentis Eccleſiæ doctores, de quibus *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 417. legatur. Comparandus hic eſt *Hieroclis* locus, qui exſtat inter Fragmenta ejus p. 288. edit. Cantabrig. Εἶτα τὸ μὲν ἔθος ἄγραφός τις εἶναι βȣ́λεται νόμος, καλὸν ἐπιγεγραμμένος νομοθέτην τὴν τῶν χρωμένων ἁπάντων εὐαρέστησιν. Propius huc facit *Juliani* locus ex Orat. VII. p. 209. a *Lamb. Bos* p. 99. Exercitatt. allatus: Ἀλλὰ καὶ τȣ̀ς ἐκ τῶν Θεῶν ἡμῖν ὥσπερ ἐγγραφέντας (νόμȣς) ταῖς ψυχαῖς, ὑφ᾽ ὧν πάντες ἀδιδάκτως εἶναι θεῖόν τι πεπείσμεθα, *ſed etiam* (leges) *a Diis nobis quaſi inſcri-*

inſcriptas animis, a quibus omnes absque doctore perſuaſi ſumus, eſſe aliquod Numen. Ex quo loco intelligitur ſimul, in phraſi illa aliquid amplius latere, quam, ut *memoria* tantum *tenere* ſignificet, ceu *Clericus* l. c. ſibi perſuaſit. Adde Cl. *Chriſtoph. Wolle* Regulas XXX. ad circumſpectam illuſtrationem N. T. ex auctoribus profanis utiles, p. 18. qui phraſeos hujus vim inprimis ex *Ezech.* XXXVI. 26. 27. æſtimari vult. Adi quoque *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 688.

συμμαρτυρȣ́σης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως) *Caſtellio* vertit: *id quod teſtabitur ipſorum conſcientia*, pro qua verſione idem pugnat in Defenſione ſua p. 444.

καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορȣ́ντων ἢ καὶ ἀπολογȣμένων) Similia Gentilium de vi conſcientiæ effata lege apud *Gatackerum* in notis ad Antoninum II. 6. X. 9. & XI. 26. *Pet. Dan. Huetium* in Alnetanis Quæſtionibus III. 9. p. 338. ſq. & *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 688.

Verſ. 16. κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μȣ) Sic *Polybius* p. 786. κατὰ τὸν τȣ́τȣ λόγον, i. e. *prout ille ait.* Evangelii notio tam lata hic eſt, ut, quicquid in ejus prædicatione docuit Apoſtolus, complectatur, atque adeo & doctrinam de judicio extremo per Chriſtum, Dominum noſtrum, habendo. De eo enim Apoſtolus paſſim meminit, ut *Act.* XVII. 31. & 2 *Timoth.* II. 9. Ampliorem hunc Evangelii ſignificatum ediſſerit Cl. *Raupachius*, Collega mihi amiciſſimus, in Decade II. Obſervationum Sacrarum ex Patribus Apoſtolicis Obſ. IV. Cave itaque, de Evangelio heic cogites proprie dicto, quod Paulus unquam exaraverit, & nunc quidem inter deperdita numeretur. Lege inter ceteros M. *Bernh. Elſingii* diſſertat. de Pſeudepigraphis S. Pauli Apoſtoli Lipſ. 1707. edita p. 2. ſqq. & doctiſſimi *Jo. Alb. Fabricii* Codicem Apocryphum N. T. p. 372. Patrum cogitata explicata lege a *Suicero* in Theſauro Tom. I. p. 905. & 1230.

Verſum 17. & ſequ. illuſtrat *Jac. Altingius* in Heptade IX. Diſſertationum Tomo V. Operum p. 306. ſqq. ubi ad ductum Apoſtoli prærequiſita diſcentis, diſcendi ordinem, & conſequentem diſcendi aptitudinem ediſſerit.

Ἰȣδαῖος ἐπονομάζῃ) *Judæus es.* Sic Jeſus ὀνομάζεται Ἐμμανȣήλ. Ita B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. Hinc inter cetera apparet, gente Judæos tunc temporis Romæ fuiſſe, quam in rem lege Rev. *Jo. Jacobi Rambachii* Introductionem in epiſt. ad Romanos p. 42. ſq.

Ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ) *Antoninus* IV. 31. idem per προσαναπαύεσθαι exprimit. Vide ibi *Gatackerum* p. 156. LXX. Intt. *Mich.* III. 11. dicunt ἐπὶ τὸν Κύριον ἀναπαύεσθαι. Olympiodorum in Phædone verbo ἐπαναπαύεσθαι uſum eſſe ex Caſaubono in Caſaubonianis meis p. 74. obſervavi.

καυχᾶσαι ἐν Θεῷ) *gloriaris, te eſſe Dei.*

Verſ. 18. καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα) *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 99. ita: *Priora verba:* δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα *reddunt vulgo*: probas utiliora, *ſive*, præſtantiora. *Mallem*: exploras controverſias, *vel*, quæſtiones. Nam τὰ διαφέροντα ſcilicet πράγματα Græcis dicuntur res, de quibus lis eſt & controverſia. Lyſias Orat. adverſus Diagitonem p. 533. Ἐι μὲν μὴ μεγάλα ἦν τὰ διαφέροντα, ὦ ἄν-

ὦ ἄνδρες δικαςαὶ &c. *Niſi magnæ eſſent res, de quibus diſceptatur, judices, numquam hos accedere ad vos permiſiſſem.* Addit idem Polybium in Excerptis Legationum p. 1301. eodem ſenſu dixiſſe, διευκρίνειν τὰ διαφέροντα. *Jo. Clericus* in Biblioth. Vetere & Nova Tom. I. Parte II. p. 339. vertit: *vous diſtinguez ce qui en eſt différent*, h. e. vos diſtinguitis, ſecernitis id, quod ab illa (voluntate Dei, de qua ante dixerat: γινώσκεις τὸ θέλημα) eſt diverſum. Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 421. nihil definit, poſtquam oſtendiſſet, διαφέροντα a Scriptoribus dici *eximia*, & *præ aliis excellentia*; tum *utilia*, ac denique *controverſias*. Cl. *Elsnerus* p. 17. cum *Beza* vertit: *diſcrepant*, i. e. (quod addit) *diſcernere potes, quæ a voluntate Dei diſcrepant, noſti, quantum malum a bono, licitum ab illicito diſtet.* Sic, eodem monente, acceperunt *Theodoretus* & *Theophylactus*, quorum hic ita: κρίνεις τί δεῖ πρᾶξαι καὶ τί μὴ δεῖ πρᾶξαι. Idem ibidem firmatur aliis veterum locis. Ex ejuſdem ſententia τὸ δοκιμάζειν idem eſt, quod *diſcernere*, aut *diſcernere poſſe* ut infra XII. 2. quemadmodum *Xenophon* Memorabilium IV. p. 797. appellat τὺς ἄλλυς ἀνθρώπυς δοκιμάζειν δυναμένυς, *qui alios mortales diſcernere poſſint.* Non diſſimiliter B. *Godofred. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. τὰ διαφέροντα accipit de moraliter bonis aut malis, ex lege ſcilicet judicandis, quemadmodum & *Lockius* ad dijudicationem rerum controverſarum, licitæ ne ſint, an illicitæ, refert. Nec diſſiteor, me in has partes pronum eſſe. De *Boſii* & aliorum interpretationibus lege *Amelium* Parte II. p. 789. *Rich. Simonem* in Obſervationibus Novis in N. T. p. 305. & in Hiſtoria Critica N. T. lib. III. p. 899. item *Carol. le Cene* in Specimine novæ verſionis Gallicæ p. 616. qui mavult: *approbas utilia.* Patrum expoſitiones habes apud *Suicerum* in Theſauro Tom. I. p. 889.

Κατηχύμενος ἐκ τῦ νόμυ) De verbo κατηχεῖσθαι lege Volumen I. harum Curarum p. 551. & 1318. Hoc loco latius ſumtum idem eſt, quod διδάσκεσθαι, παιδεύεσθαι, *doceri*, *inſtitui.* Ita acceperunt Patres, quorum loca promit *Suicerus* Theſauri Tom. I. p. 70.

Verſ. 19. φῶς τῶν ἐν σκότει) Sic Talmudici doctorem aliquem נר ישראל i. e. *lumen Iſraëlis* vocant. Vide *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. III. p. 200. *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. II. p. 225. σὺν μέν σοι πᾶσα ἡμῖν ὁδὸς εὔπορος· ἄνευ δὲ σῦ πᾶσα ἡ ὁδὸς διὰ σκότυς, ὐδὲν γὰρ αὐτῆς ἐπιςάμεθα. *Per te nobis omnis via tranſitu facilis eſt; abſque te autem omnis via caliginoſa erit, quippe cujus ignari plane ſumus.* Cicero Orat. III. in Catilinam viros inſignes & claros *lumina civitatis* vocat. Confer *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. VII. c. 2. §. 33.

Verſ. 20. Παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων) Νήπιοι Græcis non raro vocantur *inſipientes*, *maleſani*, qui magna mentis imbecillitate laborant; unde hic eleganter cum ἄφροσι conjunguntur. Vide Bibliothecam Lubecenſem Tom. VII. p. 452. De voce νήπιος Patrum & externorum Scriptorum loca habes apud *Suicerum* Tomo II. Theſauri p. 398.

Ἔχοντα τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως) Nonnulli μόρφωσιν de *vana ſpecie* & *externa forma* heic accipiunt, provocantes ad 2 Tim. III. 5. Cum vero hic ad

ad doctorem Judæum ſermo habeatur, qui ſe doctorem rudium, tanquam ἔχοντα τὴν μόρφωσιν profiteatur, videtur potius intelligenda *delineatio* ſeu *forma*, quæ Græce etiam τύπος & ὑποτύπωσις, ut infra VI. 17. & 2 *Tim.* I. 13. vocatur, quæ duæ voces a pictoribus & architectis ſunt deſumtæ. Sic Heſychius: μόρφωσις, σχηματισμὸς, εἰκών. Lege *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 100. Mavult tamen M. *Wolle* Paulum ex Paulo ita interpretari, ut ſenſus v. 19. & 20. iſte ſit: *in eo confidis arroganter*, - - *quod habeas ſpeciem cognitionis & veritatis in lege.* Eo fine idem μορφώσεως ideam cum idea λόγου *Coloſſ.* II. 23. confert. Vide Regulas ejus Hermeneuticas XXX. ad circumſpectam Scripturæ S. illuſtrationem ex auctoribus profanis utiles p. 5. Compara tu eum his, quæ leguntur in Collectione continuata Nov. antiquorum Theologic. an. 1728. p. 640. ſq. Patrum ſententias expoſuit *Suicerus* Tomo II. Theſauri p. 378.

Verſ. 21. Ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον σεαυτὸν οὐ διδάσκεις;) Cl. *Herzogius* in Obſervationibus ſæpe citatis p. 6. punctum interrogandi poſt διδάσκεις & cetera verba heic ſequentia, nulla ratione tolerari poſſe cenſet. *Interrogatio enim*, inquit, *affirmative prolata, vim negativam habet, quod eſſet contra Apoſtoli ſenſum & Judæorum ſceleſtam vitam.* Aut non intelligo canonem hunc, aut vehementer vereor, ut eum probare ſatis poſſit Vir doctus. Interrogative hæc omnia pleræque editiones efferunt, ſimpliciter autem & ſine interrogatione *Eraſmus* & *Lutherus.* Utrinque autem ſenſus, ſcopo Apoſtoli accommodatus, in vado eſt. Efficacior tamen eſt reprehenſio, ſi interrogative pronuncietur, quæ ſententia eſt *Eraſmi Schmidii*, Viri certe ἑλληνικωτάτου, in notis ad h. l.

Quod ad ſententiam ipſam attinet, ſimilia Patrum & profanorum Scriptorum loca lege apud *Schottum* in Adagialibus N. T. p. 100. Conf. quæ ſcripſimus Parte I. harum Curarum p. 321. & 1110.

Verſ. 22. Ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν) Vide huc B. *Jo. Henr. Maji* Exercitationes Selectiores Tom. I. n. VI. quæ de ſubtili idololatria commentatur.

βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα) Sic *Polybius* p. 1342. τὸν Ἡρακλείδην ἐβδελύττοντο προφανῶς.

Verſ. 24. Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ Θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι, καθὼς γέγραπται) Non nominatur hic ſpeciatim locus Scripturæ, in quo id, de quo hic Apoſtolus, Judæis exprobretur. Plura enim ſunt Prophetarum loca, quæ huc pertinent. Inter ea eminent *Jeſ.* LII. 5. & *Ezech.* XXXVI. 23. Ad priorem vero hic inprimis reſpexiſſe Apoſtolum veri fit ſimile ex eo, quod illis verbis utitur, quibus οἱ LXX. ibi Prophetæ mentem expreſſerunt. Lege præterea *Jo. Melchiorem* Tom. I. Operum Theologic. p. 467. *Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς, p. 437. ſq. & *Vitringæ* commentar. ad *Jeſ.* LII. 5. De re ipſa inſpice *Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium p. 250. Verbi βλασφημεῖν efficaciam ex Patribus explicat *Suicerus* Tomo I. p. 697.

Verſ. 26. Ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ) De voce δικαίωμα lege, quæ ſupra ad I. 32. dicta ſunt. *Lockius* hic intelligit præcepta legis,

legis, quæ complectuntur partem naturalis aut æternæ normæ recti & æqui, hominibus per lumen naturæ communicatæ. Conf. *Jo. Clerici* Biblioth.Selectam Tom. XIII. p. 117. qui affirmat, δικαιώματα in genere quæcunque Dei præcepta denotare,quia Deus nil niſi quod juſtum (δίκαιον) ſit,præcipiat,interdum vero etiam obſequium illis præceptis præſtitum, ſeu actiones juſtas. Legi in hanc rem vult notas ſuas in *Hammondum* ſuper *Rom.* VIII. 4. Compara quoque *Witſii* Miſcellanea Sacra Tom. II. p.482. ſq.ubi de eo, quodnam diſcrimen inter voces ἐντολὴ, δικαίωμα & κρίμα intercedat, diſputat, nec omitte *Suiceri* Theſaurum Tomo I. p. 917.

Verſ. 27. Καὶ κρινεῖ-σὲ τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου) Per γράμμα *Sam. Petitus* hic nove intelligit φυλακτήρια legis literis inſcripta, quæ geſtabant Judæi in fronte & brachiis. Vide eum in Var. Lectionibus cap. X. At manifeſtum eſt, γράμμα hic legem, a Moſe latam, indicare, prout relata erat in literas,quæ ad Gentiles non pervenerant. Τὸ διὰ γράμματος idem h.l. eſt, quod 1 *Tim.* II. 15. διὰ τεκνογονίας h. e. *in lege cum verſeris, cum legem habeas. Caſtellio* ita convertit: *qui natura præputiatus legem exſequitur, damnabit te, qui literas & circumciſionem habens contra legem facis.* Hanc verſionem idem tuetur in Defenſione ſua p. 445.

Verſ. 28. Οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖός ἐστι) Οὐ γάρ. *Itaque non eſt.* Τὸ γὰρ hic, ut alibi paſſim, non eſt αἰτιολογικὸν, ſed illativum, quod recte mihi monere videtur B. *Olearius* in Prælection. MSS. ad h. l. Cetera ex Karæorum ſcriptis illuſtrat *Triglandius* in Diatriba de Secta Karæorum p. 176. Similem *Epicteti* locum de Judæo non ex nomine & externa profeſſione, ſed ex animi adfectu vitæque inſtituto æſtimando, ex *Arriano* lib. II. c. 9. affert *Raphelius* in Annotationibus Polybianis p. 422.

οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ, ἐν σαρκὶ, περιτομή) *Zach. Pierce* in epiſtolis duabus, quas ad cap. I. v. 31. ſupra allegavi, ita: *Voces, ἐν σαρκὶ, puto additas fuiſſe in margine MStorum, ut interpretamento eſſent vocibus ἐν τῷ φανερῷ. Bene exprimunt ſenſum loci, ſed in textum ipſum non opus eſt, ut recipiantur, cum eodem jure hic deeſſe poſſint, quo deſunt in ſuperiore parte ſententiæ.* Phraſin itaque ἐν σαρκὶ expunctam ille vult, nullo nec Codicum, nec verſionum, nec Interpretum veterum auctoritate nixus, ſed tantum, quia abeſſe poteſt, & paulo ante in phraſi οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖός ἐστι, non exſtat. Sed dixero rectius: quia phraſis prior ὁ ἐν τῷ φανερῷ non explicata erat, ideo neceſſe putabat Apoſtolus, ut ἡ ἐν φανερῷ περιτομὴ, quæ Judæum potiſſimum conſtituit, additis vocibus ἐν σαρκὶ explicaretur, atque adeo ſimul conſtaret, eum dici Ἰουδαῖον ἐν τῷ φανερῷ tantum,qui externa modo ſigna quædam Judaiſmi,quale eſt circumciſio, in carne conſpicua præ ſe ferret. Cl. *Jo. Henr. Majus* in Vindiciis illi oppoſitis p. 7. commode obſervat, eandem loquendi rationem 2 *Cor.* X. 11. occurrere, ubi dicitur: τῷ λόγῳ δι᾽ ἐπιστολῶν, quorum poſterius prius illud explicat, per προσδιασάφησιν, figuram Scriptoribus familiariſſimam,cujus exempla dedit *Jul. Cæſar Scaliger* lib. IV. Poëtices c. 34. Imo rectiſſime idem monet, ſi has voces,

ἐν σαρκὶ

ἐν σαρκὶ omittas, ſuavem oppoſitorum ſeriem, quæ commate 28. & 29. deſtinato conſilio nectitur, perire. Opponuntur enim ſibi ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖος & ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, tum ἡ ἐν τῷ φανερῷ περιτομὴ & ἡ περιτομὴ τῆς καρδίας, denique ἡ περιτομὴ ἐν σαρκὶ, & ἡ περιτομὴ ἐν πνεύματι.

Verſ. 29. περιτομὴ καρδίας) Vide huc *Jo. Caſp. Suiceri* Obſervatt. Sacras p. 56. ubi Patrum loca huc pertinentia afferuntur.

Ἐν πνεύματι καὶ γράμματι) πνεῦμα & γράμμα ſibi invicem opponuntur, ut opus *internum* a Spiritu S. profectum, atque in animo hærens; & opus *externum*, juxta legem factum. Prioris generis circumciſio ἀχειροποίητος dicitur *Coloſſ.* II. 11. poſterioris vero περιτομὴ ἐν σαρκὶ χειροποιητός. Conf. B. *Jo. Caſp. Barthii* Diſputat. de Litera & Spiritu §. 23. quæ exſtat in Primitiis ejus Academicis p. 18. & *Godofr. Jungſtii* Diſput. de Judæo in oculis Dei genuino ſub N. T. *Bremæ* 1723.

CAP. III.

VErſ. 2. Πολὺ) Editiones quædam habent πολλή, quia ſcilicet proxime antecedit ὠφέλεια. Propterea & *Eraſmus* mavult πολλή. Sed mutatione non opus eſt: ſive Paulum ad remotius πρῶτον reſpexiſſe dicas, ſive πολὺ abſolute poſitum exiſtimes pro πολύ τι.

Κατὰ πάντα τρόπον) Eadem phraſi utitur *Polybius* p. 45. 445. & 481.

Πρῶτον μὲν γὰρ ὅτι) *Præcipuum quidem eſt*, ut ſupra I. 8. Origenes in Catena MS. teſte *Millio*, interpretatur, ac ſi ſcriptum eſſet, ὅτι πρῶτον, quod ipſum innuit idem Comment. in Matthæum p. 209. & 462. eo ſenſu, quod Judæi ante Gentiles diviniorem Scripturam poſſederint. Quicquid hujus eſt, hinc non conſequitur, Origenem in Codice ſuo vel aliter, quam quidem in noſtris eſt, legiſſe, vel legendum cenſuiſſe. Confer *Whitbii* Examen p. 57. Interim Cl. *Hombergio* in Parergis p. 197. levis trajectio hic ſtatuenda videtur, quaſi ſcriptum eſſet: ὅτι γὰρ πρῶτον μὲν, *quod primum ipſis eloquia Dei commiſſa ſunt.* Hæc notio eſt vocis πρῶτον *Matth.* XIII. 20. & *Marc.* VII. 27. Nonnullis τὸ πρῶτον viſum eſt referendum ad orationis Paulinæ ordinem. Sed ſic præter rem ſtatuitur ἀνανταπόδοτον, cum nihil poſtea ſequatur, quod ſecundo loco commemoretur. Placet tamen hoc *Simonio* in Hiſtoria Critica N. T. Parte III. p. 914. Enimvero nihil hoc opus eſt, ſi τὸ πρῶτον per *præcipuum* vel *primarium* vertamus, ſubintellecto ἐστί. Compara Cl. *Dan. Maichelii* Introduct. ad hiſtor. literariam de Bibliothecis Pariſienſibus p. 29.

Ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ) Verbum ἐπιστεύθησαν vel cum voce Ἰουδαῖοι ſubintelligenda conſtrui poteſt, vel cum phraſi λόγια τοῦ Θεοῦ. Si prius; vox λόγια in accuſandi, ſi poſterius; in recto caſu poſita exiſtimabitur. Prius illud amplectuntur Interpretes plerique, ſimiles Græcorum locutiones magna copia afferentes, & canone præterea Grammatico nixi. Eum ita effert *Eraſmus Schmidius* ad h. l. Accuſativus objecti acquiſitivus (h. e. quem Activum cum Dativo ſubjecti regit) verbo Paſſivo, & Paſſivam ſignificationem habenti junctum

 manet,

manet, ſed Dativo in Nominativum mutato, ut apud *Sophoclem* Trachin. II. 1. δέλτος ἐγγεγραμμένη ξυνθήματα. Confer *Actor.* XXVIII. 20. 1 *Cor.* IX. 17. & *Gal.* II. 7. Adde *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 423. Imo ipſa phraſis Paulina exemplis τῶν ἔξω confirmatur. Ita *Sextus Empiricus* adverſus Logicos p. 408. ait τȣ̃ πιςευθῆναι τὴν αρχὴν, ad quem locum Cl. *Fabricius* ſimilem Juliani ex epiſtola ad Athenienſes p. 277. promit: πεπίςευτο δὲ τῶν βιβλίων μȣ τὴν φυλακήν. Alia lege apud *Jo. Alberti* p. 300. Viciſſim tamen *Hombergius* in Parergis p. 197. τὸ ἐπιςεύθησαν ad vocem λόγια, tanquam in caſu recto poſitam, pertinere putat, eo ſenſu, quod *eloquia Dei credita ſint*, i. e. *verificata* ſeu, *ut vera admiſſa a Judæis*, ſive, quod promiſſiones Dei inter Judæos *implementum acceperint.* Atque ad hoc confirmandum affert ſequentia commata, ubi Apoſtolus, πίςιν καὶ ἀλήθειαν θεȣ̃ oſtendere volens, objectionem occupat dicens: *At, quomodo ut vera admiſſa ſunt, cum tamen quidam increduli fuerint?* at reſpondet, *eo ipſo fidem Dei non inanem reddi, cum ipſe verax ſit in hominibus.* Enimvero nova ſic verbo πιςευθῆναι notio vindicatur, cujus exemplum fruſtra alibi requiras. Idem enim, ſi recte rem putes, ſecundum hanc interpretationem fuerit, ac ſi dixeris, *implemento confirmari.* Præterea ſupponitur, τὰ λόγια h. l. in caſu recto, non accuſativo, occurrere, quod a communi Græcorum, hac phraſi utentium, ratione abhorret. Addemus adhuc *Themiſtoclis* locum ex epiſt. II. πιςέυεται τὴν ἐφ᾽ Ἑλλησπόντῳ ςρατηγίαν. Denique, ſi λόγια in recto caſu accipi deberet, ex Græcæ Linguæ rationibus Apoſtolus ſcripturus potius erat, ἐπιςέυθη, quam ἐπιςέυθησαν, quia neutrum plurale ut plurimum verbo gaudet ſingulari.

Τὰ λόγια τȣ̃ Θεȣ̃) Per illa *Jo. Picus Mirandulanus* in Apologia ſua legem oralem ſive Talmud poſt *Origenem* intelligit. Confer *Jo. Seldeni* Prolegomena ad Tractatum de Succeſſione in Bona Defunctorum p. 42. edit. Leidenſis in 12. Sed huc Paulum, præterita Scriptura Sacra, reſpexiſſe nemo crediderit, qui meminerit, Virum θεόπνευςον ad traditionem Judæorum nuſquam, ad diviniorem vero illam Scripturam frequenter provocare. Λόγια itaque Θεȣ̃ hic ſunt *eloquia Dei*, V. T. tabulis comprehenſa, & a Deo ipſo per Prophetas promulgata, quæ Petrus 1 ep. IV. 11. eodem modo appellat. Confer B. *Jo. Georg. Dorſchei* præfat. ad Comment. in epiſt. Judæ, *Iſaaci Fauſtii* Diſputat. in 1 *Pet.* IV. 11. & nuper Rev. *Jo. Frickii* Commentat. Theologico-Criticam de cura Eccleſiæ veteris circa canonem S. Scripturæ cap. I. & II. item *Suicerum* Tomo II. p. 248. & 719. Utuntur eadem voce οἱ ἔξω, ubi de oraculis & vaticiniis Deorum loquuntur, ut Demoſthenes apud *Ariſtophanem* Equitibus p. 294. oraculum a Nicia e Cleonis ædibus allatum videns, exclamat: ὦ λόγια! Ita *Arrianus* Expedit. Alex. II. 3. p. 64. ὡς τȣ̃ λογίȣ τȣ̃ ἐπὶ τῇ λύσει τȣ̃ δεσμȣ̃ ξυμβεβηκότος, *perinde ac ſi vaticinium de ſolutione nexus impletum eſſet.* Loca bene multa huc adferunt *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 101. *Anton. van Dalen* in Diſſ. de origine & progreſſu idololatriæ Diſſ. II. c. 5. & Cl. *Jo. Alberti* Obſerv. Sacr. p. 298. ſq. qui poſtremus obſervat, Latinis quoque *dictionem* idem aliquando inferre,

ferre, ut apud *Livium* VIII. 24. *Alexandro data DICTIO erat:* & *Pacuvium* p. 70. Collect. veterum Tragicorum: *Flexa non falſa autumare* dictio *Delphis ſolet:* ubi notæ *G. J. Voſſii* conferendæ fuerint. *Heſychius:* λόγια· θέσφατα, μαντεύματα, χρησμοί. Gloſſæ: λόγιον, ὁ χρησμὸς, *oraculum.* Atque hinc de efficacia & vi vocis hujus judicium formari poteſt.

Verſ. 3. Τὴν πίστιν τȣ̃ Θεȣ̃ καταργήσει;) *veritatem Dei abolebit*, ſeu *abrogabit?* Vide Patrum cogitata apud *Suicerum* Tom. II. p. 59. ubi de verbo καταργεῖν, & p. 725. ubi de ſignificatu vocis πίστις.

Verſ. 4. Μὴ γένοιτο) Formula hæc negandi elegans atque emphatica *Arriano* familiariſſima eſt in Diſſertationibus Epicteteis v. c. p. 5. 14. 39. & alias. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 423.

Γινέσθω δὲ ὁ θεὸς ἀληθὴς) Cl. *Herzogius* in Obſervatt. de poſitu Interpunctionum in epiſt. ad Romanos p. 6. poſt γινέσθω δὲ, poni vult colon, & ſic verba hæc diſtingui a ſequenti oraculo Davidico: ὁ θεὸς ἀληθὴς, hoc ſenſu: *Deus in veritate ſua eſt idem, homo vero omnis fraudes excogitat. Antiquiſſima illa & in V. T. nota jam theſis, quod Deus memor ſit ſui promiſſi, homo vero fallax, etiam his temporibus impleri debet.* In confirmationem ſententiæ affert 1 *Cor.* XV. 24. ubi verbum γίνεσθαι eandem habeat ſignificationem. Τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος. Sed ipſe ille locus prohibet, quo minus novam illam interpretationem admittamus. Ibi enim verbum γενήσεται non abſolute & ſimpliciter ponitur, quod hic fieret, ſed jungitur nominibus, nempe, λόγος γεγραμμένος, hoc ſenſu: *implebitur id, quod ſcriptum eſt.* Rectius itaque hoc verbum nexui in ſe aperto relinquetur, & ex re ipſa intelligetur, alludere Paulum ad locum Pſalmi CXVI. 11. quem non diſerte citat, more etiam alias ipſi, & aliis Scriptoribus Sacris recepto. Ceterum S. Paulus hic verbo γινέσθω ideo uſus videtur, quia proxime anteceſſit: μὴ γένοιτο. Verba illa Pſalmi diligenter ex Talmudicis & Græcis Scriptoribus illuſtrat M. *Henr. Frider. Albani* in Commentat. ſingulari Dresdæ 1717. 4. edita. Confer Relationes innoxias de Novis & Antiquis. Theologic. an. 1717. p. 1159. & Celeb. *Franc. Wokenii* Harmoniam Veteris & Novi Teſtam. p. 372. ſqq.

πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης) Inſpice *Suicerum* Tomo II. Theſauri p. 1575.

Ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σȣ, καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε) Comparant hanc verſionem, a LXX. Interpretibus primum profectam, cum contextu Hebræo Pſalmi LI. 4. ex noſtratibus præſtantiſſimus *Joannes Grammius* in Diſquiſitione II. de allegatione Veteris Teſtamenti verſionis Græcæ in Novo p. 19. ſq. & *Wokenius* l. c. p. 324. ex Reformatis vero *Jo. Melchior* in Operibus Theolog. Tom. I. p. 468. & *Guil. Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 439. Differentia in eo eſt, quod Hebraice ſcribitur תזכה i. e. *ut purus ſis*, ubi Apoſtolus cum τοῖς LXX. Symmacho item & Theodotione habet νικήσῃς. At ſenſus eodem utrinque recidit. Qui enim *purus eſt*, & declaratur in judicio, idem adverſarii criminationes *vincit.* Ex quo etiam factum eſt, ut non ſolum *Miſchnici* & *Gemarici* Scriptores, præcipue in Codice *Joma*, verbum זכה de eo, qui *vincit*

 alium,

alium, *ſuperiorque & dignior* altero evadit, uſurpent, quod evictum dedit *Surenhuſius* l. c.; ſed & Interpres Syrus verbum νικᾷν Joh. XVI. verſ. ult. altero illo expreſſerit. Nec *Græcis & Latinis* infrequens eſt, νικᾷν & *vincere* eum dicere, qui ſuperior eſt in judicio. Sic *Theophraſtus* in Character. c. 17. p. 78. δίκην νικήσας καὶ λαβὼν πάσας τὰς ψήφους. *Cicero* lib. I. in Verrem: *id judicium*, inquit, *quod prope omnium fortunarum ſuarum C. Muſtius habuit, me uno defendente* vicit. Hæc & alia loca affert Cl. *Elsnerus* p. 18.

Ἐν τῷ κρίνεσθαί σε) Τὸ κρίνεσθαι nonnulli veterum & recentiorum Interpretum *activæ*, plures *paſſivæ*, pauci quidam *mediæ* formæ, ſed iidem tamen *activæ* notionis eſſe contendunt. Diverſas has ſententias, allatis ſingularum patronis, diligentiſſime collegit præſtantiſſimus *Grammius* l. c. Ipſe ad eos prudenter accedit, qui formam & ſignificationem paſſivam agnoſcunt. Sic itaque vertendum: *dum judicaris.* Interpretes LXX. τὸ κρίνεσθαι, quod interpretando Pſaltæ loco adhibuerunt, paſſivo ſenſu haud dubie acceperunt, æque ac *Pſalmo* CIX. 7. ἐν τῷ κρίνεσθαι αὐτὸν ἐξέλθοι καταδεδικασμένος, item *Pſ.* CVII. 6. & *Thren.* III. 6. quæ loca commode huc attulit *Lamb. Bos* p. 102. Exercitatt. Firmat id contextus, qui oſtendit, agi hic de judicio, quod de Deo homines ferunt. Nec adverſatur forma verbi Hebraici בשפטך Hebraica enim loquendi ratio eſt, ut gerundium denotet actionem alius perſonæ, quam verbum præcedens. Vide *Deuter.* XXXI. 17. *Jerem.* XI. 19. & *Pſalm.* XV. 4. Itaque in phraſi בשפטך *in judicare te*, pronomen *te* objectum erit, ſubjectum autem alia perſona ſubintellecta, hoc ſenſu, *cum aliquis te judicabit*, *vel judicat*, ſive, quod idem eſt, *cum judicaris ab alio.* Lege præter Interpretes, & inprimis *Geierum* ad *Pſalm.* LI. 4. *Jac. Guſſetium* in Commentariis de Lingua Hebræa p. 228.

Verſ. 5. Τί ἐροῦμεν; μὴ ἄδικος ὁ Θεός;) Cl. *Herzogius* in Obſervatt. modo citatis p. 6. τὸ μὴ per notam interrogandi ſecerni vult a ſequentibus hoc ſenſu: *nonne?* ſcilicet, *dicemus:* Deus eſt injuſtus, qui ſuam iram in nos dirigit, cum tamen ipſius veritas ſuperabundaverit, cum ego fidem negligerem. Vellem, ut addidiſſet Vir doctus ex Paulinis aliisve ſacris ſcriptis exemplum, quo conſtaret, τὸ μὴ ſimpliciter cum interrogandi nota poſitum pro *nonne* uſurpari. Viciſſim illud omnino Paulinum eſt, ut poſt phraſin τί ἐροῦμεν; integra aliqua ſententia, quæ objectionem comprehendat, interrogative afferatur. Vide, ſodes, infra VI. 1. VII. 7. & inprimis IX. 14. ubi eadem formula, quæ heic, exſtat. Τί οὖν ἐροῦμεν; μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ; Senſus itaque obvius eſt: *Quid igitur dicemus? Num Deus eſt injuſtus?* quod dicere veſtrûm aliquis vel cogitare poſſet. Id enim vult phraſis ſequens: κατ᾽ ἄνθρωπον λέγω. Alii, nominatim *Grotius*, *Hammondus*, *Knatchbullus*, & cum illis *Car. le Cene* in Conſpectu novæ verſionis Gallicæ p. 659. ita: *nonne Deus injuſtus eſt*, *dum iram nobis impingit?* Ajunt enim particulam μὴ duplicem negationem inferre, ut *Matth.* XII. 13. *Joh.* IV. 29. & XVIII. 17. 25. Patet ſane, utroque modo idem dici.

Ὁ ἐπι-

Ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργὴν) Ita prorſus *Polybius* p. 1155. ἐν ᾧ τὴν ὀργὴν φέρει ἐπὶ τὺς Αἰτωλὺς. Confer *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 425. ubi eam phraſeos vim eſſe ait, ut ſignificet *iram* i. e. per metonymiam, *pœnas* inferre, ſicut alias dicitur ἐπιφέρειν πόλεμον, *inferre bellum.*

Κατ' ἄνθρωπον λέγω) i. e. *loquor hominum more*, ſeu ut homines ſolent. Vide *Rom.* VI. 19. 1 *Cor.* IX. 8. *Gal.* III. 15. Alii malunt: *populariter*, ut *Car. le Cene* l. c. p. 660. qui conferri vult *Feſſelium* in Adverſariis Sacris lib. I. c. 5. Malim ego prius. Compara Patres ὁμοψήφυς apud *Suicerum* Tomo I. Theſauri p. 351.

Verſ. 6. Μὴ γένοιτο) Vide ad v. 4.

Verſ. 7. Ἐν τῷ ἐμῷ ψεύσματι) ψεῦσμα de peccato accipit heic *Lockius*, ut ſic opponatur veritati. Malim ψεῦσμα accipere de incredulitate ſeu ἀπιςίᾳ illa, de qua Paulus v. 3. Ceterum totum hoc comma ita accipiendum eſt, ut pertineat ad illuſtrationem & confirmationem objectionis v. 5. allatæ, quam v. 6. uno quaſi ictu & impetu proſternit Apoſtolus.

Verſ. 8. Καὶ μὴ (καθὼς βλασφημύμεθα καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν) ὅτι μὴ ποιήσωμεν τὰ κακὰ &c.) *Herzogius* l. c. verbum ποιήσωμεν in duas diſtinguit voces ποιήσω μὲν, & poſt ἔνδικόν ἐςι notam interrogandi poni vult hoc ſenſu: *Cur igitur ut peccator judicor* ex v. 7. *& non qui feci quidem mala* (ποιήσω μὲν) *ut bona vero inde pronaſcerentur? quorum*, ſcilicet malorum, *juſtum eſt judicium?* Lectionem ποιήσωμεν, ut verbi in plurium numero poſiti, genuinam & non ſolicitandam eſſe, vel ex eo patet, quod de ſe & Apoſtolis ceteris hic loquitur Paulus, tanquam qui, ex nonnullorum calumnia, dicere ſoleant: ποιήσωμεν τὰ κακὰ &c. Nec video, quomodo τὸ ποιήσω μὲν per *feci quidem* converti poſſit; multo minus, qua ratione ultima phraſis ὧν τὸ κρῖμα ἔνδικόν ἐςι ad mala interrogative referri queat. Clara eſt & obvia *Grotii* ad h. l. interpretatio, quam & B. *Lutherus* amplexus eſt. *Eſt transpoſitio*, inquit, *quales multæ apud Hebræos:* μὴ ὅτι, pro ὅτι μὴ cur non. *Nam* ὅτι *pro* cur *habuimus Marc.* IX. 11. & 28. *Cur non agemus mala, ut inde tantum bonum, Dei ſcilicet gloria, proveniat? Paulus in parentheſi obiter teſtatur, referri quidem hoc de ſe & Apoſtolis, ſed per calumniam, quia Apoſtolorum verba non bona fide referebantur, ſed vice eorum illegitima illatio.* Hæc *Grotius.* Audiverant ſcilicet hi homines Apoſtolos extollere divini Numinis benignitatem & clementiam ſingularem, qua factum ſit, ut & Gentiles, in tot crimina & ſcelera prolapſi, & Judæi, divinis beneficiis tantopere abuſi, in gratiam reciperentur. Hinc itaque per calumniam illis imputabant, quod ex eorum ſententia peccata inſtrumentum amplificandæ gloriæ Dei haberi debeant. Cl. M. *Chriſtoph. Wolle* de Parentheſi Sacra p. 43. totum comma ita interpungit: καὶ μή· (καθὼς βλασφημύμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν) ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ &c. quæ ſic interpretatur idem: *Minime* vero, vel *etiam* hoc *abſit* (*ſicut conviciis laceramur, & ſicut ajunt aliqui nos dicere*) *quoniam ſic facturi eſſemus mala, ut inde eveniant bona.* Vel, ſi minus id quidem arrideat, poſt voces: καὶ μὴ, intelligi ſuadet γένοιτο ex v. 6.

 repeten-

repetendum. Hæc ſcribens commode incido in *Philippi Limborchii* Commentar. in epiſt. ad Romanos p. 271. ubi loco huic obſcuriori non exiguam lucem afferre mihi videtur. Vertit ſcilicet: *Et non:* (dicimus) *faciamus mala, ut inde eveniant bona. Senſus eſt*, (ita pergit) *Si ita res habet, cur igitur porro non dicimus: peccemus ut gratia Dei illuſtrior reddatur: Si enim boni illud evenit ex peccatis noſtris, omnino conveniens eſt, ut peccemus.* Vult ſcilicet, poſt καὶ μὴ ſubintelligi λέγομεν. Atque id commode fieri, ſequens phraſis oſtendit, καθὼς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν. Conſtat enim, ex membro vel phraſi ſequente nonnunquam aliquid ad priora transferendum eſſe. Atque hac ratione oratio Paulina belliſſime procedit. Ceterum phraſis ipſa: *non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona;* in proverbium abiit, profanis quoque non ignotum. Sic *Herodotus:* μὴ τὸ κακὸν τῷ κακῷ ἰῶ. *Noli malum medicari malo.* Et *Sophocles* Ajace Flagellifero v. 363. Μὴ κακὸν κακῷ διδὺς Ἄκος, πλέον τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει. Confer *Schotti* Adagialia N. T. p. 100. & inprimis *Nic. Fabri* Opuſcula p. 1. ſqq. ubi exſtat diſſertatio de eo: *num gravioris mali vitandi cauſa levius committi poſſit?* De verbo βλασφημεῖσθαι, *conviciis onerari*, lege Patrum loca apud *Suicerum* Tom. I. p. 697.

ὧν τὸ κρῖμα ἔνδικόν ἐστι) Syrus vertit: *quorum judicium juſtitiæ reſervatur.*

Verſ. 9. ὀυ πάντως) Hæc Codices nonnulli prave omittunt, quod oſtendit ad h. l. & improbat *Millius.* Verti autem poſſunt vel: *nullo modo*, vel: *non omnino*, ſive, *non omni ex parte.* Prius nullam prærogativam relinqueret Judæis, poſterius aliquam, ſed talem, quæ ad præſens momentum, ubi de juſtificatione agitur, non pertineat. Prius illud præplacet, quia ad ſcopum Apoſtoli magis eſt accommodatum. Sic *Arrianus* Epictet. Diſſertatt. p. 143. Τί οὖν; ἀμελῶς τούτοις χρηστέον; οὐδαμῶς. *Quid ergo? Num negligentius his utendum eſt? Nequaquam.* Vides, in ſimili locutione τὸ οὐδαμῶς poni pro οὐ πάντως. Conf. *Raphelii* Annotationes Polybianas p. 424.

Προῃτιασάμεθα) Codices pauci habent: ᾐτιασάμεθα. Atque hoc mavult *Millius* in Prolegomenis §. 450. cui alterum illud Scholiaſtæ videtur tribuendum, qui hæc expreſſius paulo relata voluerit ad priorem partem hujus epiſtolæ. Cur vero non credemus potius, Paulum data opera legentibus in memoriam revocare voluiſſe, quæ ante cap. I. 17. de Gentilibus, & cap. II. 9. ſq. de Judæis in hanc rem demonſtraverat? Nonne eodem modo loquitur *Epheſ.* III. 3. καθὼς προέγραψα ἐν ὀλίγῳ, i. e. *ſicut paulo ante paucis ſcripſi.* Ibi vero reſpicit ad ea, quæ cap. I. 9. ſqq. attulerat, ceu Interpretes tantum non omnes recte ibi obſervant.

Verſ. 10-18. His commatibus tum Davidis, tum aliorum Scriptorum Sacrorum loca una ſerie exhibentur, quæ ad ſcopum Pauli ſingula faciebant. Hinc illa allegaturus generatim, non appellato illius nomine, ait: καθὼς γέγραπται. Ita vero Hebræos Scriptores agere conſueviſſe oſtendit *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς Theſi VII. ubi de Modis allegandi Scripturas Sacras agit,
qui

qui & p. 441. ſq. oracula ſingula hic excitata perſequitur, eaque cum Hebræo contextu comparat. Adde *Jo. Melchioris* Opera Theolog. I. p. 469. ſq. & ex noſtratibus Cl. *Franc. Wokenium* in Harmonia V. & N. T. Part. II. p. 275. ubi ſpeciatim contra Whiſtonum, de quo mox, diſputatur. Non igitur eſt, cur omnia illa oracula in uno Pſalmo XII., ex quo priora commata deſumta ſunt, cum nonnullis quæramus, &, cum in Hebræo contextu non legantur, eum corruptelæ & vitii poſtulemus: quod nuper iterum auſus eſt *Guil. Whiſtonus* in libro Anglicano, quem *Conatum de ratione textum V. T. emendandi* inſcripſit, p. 296. ſqq. Quamvis enim in nonnullis exemplaribus MSS. τῶν LXX. l. c. extent, Hieronymus quoque auctor ſit in iis ſua ætate lecta fuiſſe, præterea *Juſtinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone p. 244. & Auctor Conſtitutt. Apoſtolic. II. 21. locum integrum, tanquam in Pſ. XIV. exſtantem, afferant; veriſimilius tamen eſt, illa poſtliminio ex N. T. illi verſioni illata fuiſſe ab hominibus, qui ad Pſalmum iſtum ea pertinere præter rem exiſtimarint, quam ex Codicibus Hebr. omnibus periiſſe. Sufficit, nihil eorum, quæ hic affert Apoſtolus, in V. T. tabulis non exſtare, undecunque demum ipſi illa repetere pro inſtituti ſui ratione libuerit. *Whiſtonus* quidem p. 298. huic ſententiæ id obvertit, quod Patres, locum hunc tanquam ex Pſalmo XIV. afferentes, non ſimul ſubindicent, antiqua τῶν LXX. exemplaria ab allegationibus ſuis differre, quod tamen, ſi res ita ſe habuiſſet, fieri debuerit; viciſſim vero ex contextu ipſorum appareat, illos allegationes ſuas ex ipſis exemplaribus Græcis V. T. repetiiſſe; ac denique veteres verſionem Græcam non minus, quam ſcripta N. T. pro θεοπνεύστῳ habuerint. Sed in promtu eſt, quod ad hæc ſingula reſpondeatur. Quod ad primum momentum attinet, innumeris exemplis patet, Patres non nimis curioſos fuiſſe in allegandis V. vel N. Inſtrumenti tabulis, ſed memoriam ſæpe magis, quam textus ipſos, conſuluiſſe, tantum abeſt, ut credere debeamus, eos, quæ in N. T. inveniebant, quæque ex Pſ. XIV. quod ad initium ſermonis petita videbant, cum ipſo illo Pſalmo τῶν LXX. adeo ſolicite comparaſſe. Et, quidni dicamus, eos integram verborum ſeriem Pſalmo XIV. tribuiſſe, denominatione a prima ejus parte facta, quemadmodum ſub Davidis nomine Pſalmi omnes afferri ſolent, quorum nonnullos tamen ab aliis profectos eſſe conſtat. Alterum illud, quod Whiſtonus urget, exſtare ſcilicet in ipſis eorum allegationibus indicia, quibus conſtet, verba illa non ex epiſtola ad Romanos, ſed ex Pſalmo Davidis nominato, adeoque ex pleniore τῶν LXX. verſione repetita eſſe; longe aliter ſe habere inſpicienti patebit. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum II. 21. p. 229. edit. Cotelerii Amſtelod. prioris ita: Περὶ γὰρ τῶν τοιούτων λέγει ἡ θεία γραφή· οἱ πόδες αὐτῶν εἰς κακίαν τρέχουσι, ταχινοί εἰσι τοῦ ἐκχέαι αἷμα, σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν· οὐκ ἔστι φόβος θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. Vides hic generatim citari Scripturam Sacram, non Davidem, aut Pſalmos ſpeciatim. Unde igitur argumentum ducetur, locum illum ex LXX. petitum eſſe? Contrarium potius eſt affirmandum; cum ſtatim ex N. T. afferatur locus *Marc.* XI. 25. & ex eo *via pacis* expli-

explicetur: præterea vero tota allegatio verbis a Paulo hic adhibitis reſpondeat, ſi prima illa exceperis: οἱ πόδες αὐτῶν εἰς κακίαν τρέχουσι. At illa nec in exemplis verſionis LXX. viralis leguntur, in quibus hoc ſupplementum exſtat. *Juſtinus Martyr*, ad quem idem provocat, ſimiliter in Opp. edit. Pariſ. 1636. p. 244. Καὶ πάντες γὰρ ἐξέκλιναν, *βοᾷ*, πάντες ἄρα ἠχρειώθησαν, οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός. Ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν, τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν, ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν, σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν. Vides, ibi Juſtinum dicere ſimpliciter, *βοᾷ*, *clamat*, quod vel de Scriptura in genere, vel de Paulo ſpeciatim, oracula divina hic coaggerante, recte acceperis, præcipue cum nihil hic occurrat, quod non citationibus his Apoſtolicis, ſi ordinem verborum exceperis, reſpondeat. Tertium argumentum non plus valet. Primo enim non omnes Patres Græcam verſionem pro θεοπνεύστῳ habuerunt: deinde vero, ſi pro tali habuerunt, vel ſic tamen exiſtimare poterant, ex ea aliquid temporis injuria excidiſſe, quod ex N. T. ſuppleri poſſit; ſicut ipſe *Whiſtonus* V. T. Hebræum pro θεοπνεύστῳ habet, & vel ſic corruptelas a Judæis illi illatas eſſe opinatur. Summa rei hæc eſt. Patres, qui locum hunc afferunt, eum non ex LXX. ſed ex N. T. repetierunt: qui vero Codices τῶν LXX. eum Pſalmo XIV. exhibent, illis ex loco Paulino aſſumentum hoc a ſciolis additum eſt, eo quod prima verba Davidis eſſe viderent. Neque enim video idoneam cauſam, cur B. *Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. illa potius ex Eccleſiaſtæ VII. 21. petita exiſtimaverit.

Verſ. 12. *ἅμα ἠχρειώθησαν*) Hebr. נאלחו, quod verbum ter tantum in V. T. nempe *Pſ.* XIV. 3. *Pſ.* LIII. 4. & *Jobi* XV. 16. exſtat, ex quorum locorum comparatione de vi & efficacia ejus judicari debet, cum in cognatis linguis nullum ei affine occurrat. Opera hac non circumſpecte ſatis perfunctus eſt *Jac. Guſſetius* in Lexico Hebraico p. 67. conſultis textuum circumſtantiis, & τοῖς LXX. in ſubſidium aſſumtis. Hos enim ait h. l. τὸ נאלחו per ἠχρειώθησαν, participium vero נאלח, apud Jobum exſtans, per ἐπικατάρατος convertiſſe. Atque hanc poſteriorem verſionem ad vim vocis Hebraicæ exhauriendam propius accedere, ex hoc Jobi loco patere cenſet. In eodem enim Jobi commate occurrere vocem נתעב i. e. *abominabilis*, ubi non ſolum removetur bonum, ſed malum quoque attribuitur. Itaque τὸ ἠχρειώθησαν non tantum inferre, quod inepti ſint ad omne opus bonum, ſed vitiis etiam ita corrupti, ut abominabiles ſint & exſecrationi obnoxii. Sed humani aliquid paſſum hic eſſe *Guſſetium* rectiſſime monuit Vir eximius, mihique amiciſſimus, *Jo. Grammius* in Diſquiſitione II. de allegatione verſionis Græcæ V. T. in Novo p. 25. Neque enim LXX. Intt. vocem נאלח per ἐπικατάρατος reddiderunt, cui interpretationi ſuam ſuperſtruit *Guſſetius*, ſed per ἀκάθαρτος. Idem vero *Grammius* erudite obſervat, ἀχρεῖον & ἀχρειωθῆναι cum de aliis, tum inprimis de iis dici, quæ vim omnem & integritatem ſuam amiſerint, quæ caſſa ſterilia inſtarque putridorum & rejectaneorum habenda. Sic *Ariſtoteles* in Hiſt. Animal. lib. V. c. 32. καὶ ἐάν τις τὸν χιτῶνα περιέλῃ, ἀποθνήσκει καὶ γίνεται ὁμοίως ἀχρεῖος, ὥσπερ ὁ κοχλίας

λίας περιαιρεθέντος τȣ̃ ὀϛράκȣ. Ait ſcilicet vermiculum, quem xylophthorum vocant, tunica alioquin a natura indutum, *detracta tunica mori*, *ac perinde torpidum ſuique impotentem reddi*, *atque cochleam*, *exemta teſta*. De aliis verſionibus hujus verbi legatur idem, ut & B. *Seb. Schmidius* in Faſciculo Diſputt. p. 1063. Id addere hoc loco fas ſit, Scriptores ἀχρεῖον dicere hominem nullius bonæ frugis, unde & Gellius VII. 11. per *nequam* convertit. Et ſic τȣ̀ς LXX. ἀχρεῖον & ἀχρειȣ̃σθαι de homine perditiſſimo adhibere, monuit *Jo. Clericus* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Part. II. p. 342. B. *Olearius* in Prælect. MSS. ad h. l. ſimilitudinem hic repetit a cibo potuque fœtido & inutili, ſicut manna olim fœtidum evaſit. Eodem modo antecedens verbum ἐξέκλιναν explicandum cenſet, ut reſpondeat verbo סר, quo Hebræi de vino corrupto & putrido utuntur. Vide Hoſ. IV. 18. Germani dicerent: ſie ſind umgeſchlagen.

ȣ̓κ ἔϛιν ἕως ἑνὸς) Idem eſt, ac ſi diceretur: ȣ̓κ ἔϛιν εἷς, *non eſt unus*. Noſtra phraſis Hebraiſmum refert, cujus exemplum exſtat Exodi XIV. 28. לא נשאר בהם עד אחד *non remanſit inter illos ad unum*, h. e. *non remanſit unus*. Confer *Vorſtii* Philolog. Sacram Parte II. p. 83. ſq. qui & p. 85. priorem phraſin: ȣ̓κ ἔϛι ποιῶν χρηϛότητα illuſtrat.

Verſ. 13. Τάφος ἀνεωγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν &c.) Hujus commatis verba leguntur Pſ. V. 10. & CXL. 3. quæ proinde alii fruſtra in Pſ. XIV. quærenda putarunt, &, cum in Hebræo non invenirent, ex eo temporis injuria excidiſſe opinati ſunt. De hoc diximus ad v. 10. Hic addimus, *Cochleum* in libro de Canonicæ Scripturæ auctoritate itidem hoc loco ad impugnandam Codicum Hebraic. integritatem abuſum eſſe, ibique ſimul monere, ſe alibi oſtendiſſe, Hieronymum in Prologo commentarii XVI. in Jeſaiam difficultati huic non ſatisfeciſſe. Refert hæc *Colomeſius* in Obſervatt. Sacris p. 69. additque, *Jo. Iſaacum*, Ex-Judæum, Hieronymi partes tueri in Defenſione Veritatis Hebraicæ contra Lindanum p. 31. ſq. cui & ipſe aſſentiatur, inprimis cum ſimilis locus exſtet 2 *Cor*. VI. 16-18. Scilicet eo in loco Apoſtolus ſimiliter diverſorum Prophetarum oracula in unam orationis ſeriem confert.

Phraſes ipſas, hoc commate comprehenſas, ex Scriptoribus illuſtrat Cl. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacr. p. 301. ubi de voce λάρυγξ ex *Thoma Magiſtro*, Etymologico Magno & *Heſychio* commentatur, adductis præterea ſimilibus τῶν ἔξω phraſibus. Ita *Achilles Tatius* lib. VIII. p. 495. καὶ πανταχȣ̃ τὴν γλῶτταν μεϛὴν ὕβρεως ἔχει. & *Lucian*. Fugitiv. p. 600. καὶ ἀφρȣ̃, μᾶλλον δὲ ἰȣ̃ μεϛὸν αὐτοῖς ἦν τὸ ϛόμα, *os vero ſpuma vel veneno potius refertum eſt*.

Verſ. 14. ὧν τὸ ϛόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει) Πικρία eſt cum in animo, factis & moribus, tum in verbis, ut h. l. & apud *Polybium* p. 539. & p. 1377. Lege Rev. *Raphelium* p. 425. Annotatt. Polybian. Cum Pſalmo X. comma hoc comparat *Wokenius* in Harmonia V. & N. T. p. 273. ſq.

Verſ. 18. Ουκ ἔϛι φόβος Θεȣ̃ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν) Petitus eſt hic locus ex *Pſalmo* XXXVI. 1. ad quem a Propheta *Jeſaia* LXIX. 7. 8. ex quo proxime præcedentia deſumta erant, ideo ſe confert Apoſtolus, quia verba

hæc vitia ante commemorata ad unum fontem, nempe defectum timoris Dei, referunt, & reliquas ſordes, hinc fluere ſolitas, ſubindicant. Confer, quæ habet Cl. *Wokenius* in Harmonia V. & N. T. p. 381.

Verſ. 19. *ἵνα πᾶν ϛόμα φραγῇ*) h. e. ut omnis homo obnoxius culpæ reddatur, tanquam qui ab officio diſceſſerit. Lege *Andr. Schotti* Adagialia N. T. p. 201.

Verſ. 20. *Διότι ἐξ ἔγρων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ*) In hoc commate præcipuum argumentum, quod S. Paulus in hac epiſtola tractet, exprimi recte arbitratur *Campeg. Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. IV. cap. 10. & 11. id quod nova quadam ratione confirmat. Hypotheſin Pauli præcipuam eſſe ait: *Hominem non juſtificari ex operibus coram Deo.* Hoc conſilio in ſuperioribus tradiderat, duos tantum dari modos juſtificationis hominis apud Deum, alterum per *Opera*, per *Fidem* alterum; priori vero convellendo operam impenderat, ut poſteriorem tum *locis* Scripturæ Sacræ, tum *exemplis* juſtificatorum credentium, tum *fructibus* hinc natis adſtrueret. Inde naſcitur concluſio, tanquam theſis, ſi tractationem ipſam reſpicias, Apoſtoli primaria: *διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ.* In his verbis *τὸ δικαιοῦσθαι* Paulo idem erit, quod Davidi Pſalmo CXLIII. 2. unde hæc verba deſumta ſunt, *τὸ* צדק. Hoc vero apud Davidem ſignificat, *teſtimonium accipere a judice*, *quod quis* in ſe *habeat cauſam*, vel *argumentum juſtitiæ.* Ita enim cohærent verba cum præcedentibus: *ne venias* במשפט *in judicium, ad exigendam a me vitæ factorumque meorum rationem.* Nam non juſta erit coram te ulla caro: h. e. nullus homo habet in ſe cauſam & argumentum veræ juſtitiæ: nemo coram te de eo gloriari auſit: ac propterea nullus a te, ut juſto judice, teſtimonium juſtitiæ propriæ reportabit. Hinc ſequitur, *juſtum eſſe coram Deo*, idem eſſe atque, *a Deo juſtificari*, ut a judice, juſtum pronuntiari, declarari, laudari, celebrari. Hæc perpetua verbi *δικαιοῦσθαι* notio eſt in tota hac epiſtola, quod idem probat cap. X. §. 8. ac deinde, ipſa Juſtificationis coram Deo ratione expoſita, ad reliquas hujus commatis voces exponendas progreditur §. 16., monetque, Paulum per *νόμον*, Legem abſolute ſic dictam, intelligere legem Moſaicam, & per opera legis, omnes actus vi illius legis, & ſecundum illius normam peractos, ut *Rom.* II. 12. & alias. Hæc Legis *opera* ita negantur eſſe comparata, ut ex iis juſtificetur homo, ubi vocula *ἐκ* in materia juſtificationis denotat *cauſam juſtificationis meritoriam*, vel *juſtificationis materiam*, & argumentum judicii, quæ vis eſt Hebræi מן, cui *τὸ ἐκ* reſpondet. Vide Pſ. CVII. 17. & *Vitringam* §. 20. ubi obſervat, probe tenendum eſſe, quod Paulus nunquam dicat, homines juſtificari *διὰ τῶν ἔργων*, *per opera*; quia ſcilicet opera nunquam in negotio juſtificationis ſpectentur ut cauſa inſtrumentalis, qualis ſit fides, ſed ut *αἴτιον προκαταρκτικὸν*, vel ut materia & argumentum juſtitiæ, & fundamentum juſtificationis. Viciſſim Paulum affirmare ait, hominem juſtificari *διὰ τῆς πίϛεως*, *per fidem*, tanquam per inſtrumentum, & *ἐκ πίϛεως*, *ex fide*, tanquam ex argumento juſtitiæ & juſtificationis, quatenus nimirum homo unitur per fidem cum obedientia Chriſti,

Chriſti, quæ vera juſtificationis peccatoris credentis materia, vera item illius impellens & movens cauſa ſit. Per omnem carnem (vide §. 21.) hic intelliguntur homines omnes, quorum ſcilicet eſt præ aliis animantibus omnibus, carne veſtitis, Legem Dei noſſe, & ad illam præſtandam obligari. Appellantur vero omnes, i. e. tum *Judæi*, tum *Gentiles*, h. e. quotquot referuntur ad opera legis, ut Judæi; vel, quotquot certa ratione ad legem Moſaicam referri poſſunt, ut Gentiles. Vide §. 23. Ex his tandem §. 25. conficitur, ex mente Pauli *nullum hominem ex obſervantia Legis Moſaicæ conſequi poſſe laudem juſtitiæ coram Deo; jus nimirum divinæ communionis & vitæ æternæ cum laude juſtitiæ perfectæ & abſolutæ internæ.*

His ita diſputatis, idem *Vitringa* cap. XI. difficultates, quæ huic ſententiæ Paulinæ objici poſſint, affert, & commemoratis, quæ reponi ſolent, reſponſionibus, exiſtimat, Paulum ſententiam hanc intelligi velle ſecundum hypotheſes Judæorum, quibuscum diſputabat. Hæc apud ipſum auctorem legi cum judicio & examinari velim cum & longiora & ab inſtituto noſtro alieniora videantur. Confer præterea ad h. l. B. *Franc. Julii Lütkenii* Collegium Biblicum p. 347. ſqq.

Verſ. 21-26. ab exceptionibus variis vindicat B. *Jo. Guil. Baierus*, filius, in Analyſi & Vindicatione dictorum illuſtrium Scripturæ Sacræ Part. II. p. 97-120.

Verſ. 21. Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμȣ δικαιοσύνη Θεȣ̃ πεφανέρωται, μαρτυρȣμένη ὑπὸ τȣ̃ νόμȣ καὶ τῶν προφητῶν) Eleganter hic in eodem commate variatur ſignificatio vocis νόμος. Juſtitia ſcilicet Dei, i. e. vera juſtificatio revelata dicitur *ſine lege*, h. e. non ex tali edicto, quod præſcribit homini officii alicujus præſtationem, ut conditionem vitæ æternæ, ſed ſimul tamen dicitur *teſtata* per *legem*, h. e. tum per doctrinam Moſis & Prophetarum Evangelicam, tum vero per exempla fidelium, ab utrisque allata, præſignificata. Confer hic *Witſii* Miſcellanea Tomo II. Exerc. V. p. 141. Simili modo accipienda videtur phraſis Pauli, *Gal.* II. 19. *Ego enim per legem legi mortuus ſum.* Obiter hic moneo, in *Clerici* verſione Gallica N. T. operas erraſſe, quando hæc verba ita converſa exhibent: *Mais préſentement la juſtice de Dieu a été découverte SOUS LA LOI.* Manifeſtum eſt, legi ibi debere *ſans la loi.* Ceterum *Hombergius* in Parergis p. 188. δικαιοσύνην ſive *juſtitiam* hic accipit de *juſtitia Dei vindicativa*, ſicut ſupra cap. I. v. 17. ubi vide, quæ contra hanc interpretationem diſputavimus. Adde Bibliothecam Bremenſ. Claſſ. VI. p. 397. ſq. ubi in *Cameronem*, per δικαιοσύνην Θεȣ̃ *bonitatem*, *miſericordiam*, *ſalutem & redemtionem* intelligentem, recte animadvertitur, aſſeriturque, *juſtitiam Chriſti* indicari, quæ jam (ſcilicet ut unicum juſtificationis medium) manifeſtetur ſine lege, ſecus ac olim, ubi cum lege conjuncta fuit. Quod ita quidem puto intelligendum, quod in V. T. obſervatio legis *ceremonialis*, v. c. quæ ſacrificia requirebat, juſtificandis incubuerit, iidemque comminationibus Legis moralis, perfectam operum præſtationem ſub pœna ſignificata urgentis, compulſos ſe viderint ad aliam, quæ in venturo Meſſia repoſita erat, juſtitiam quærendam.

Hinc patet, B. Lutherum noſtrum δικαιοσύνην Θεȣ̃ rectiſſime vertiſſe per juſtitiam coram Deo valentem, Gerechtigkeit, die vor GOtt gilt, atque hinc præter rem diſceſſiſſe *Trillerum* in Examine locorum quorundam N. T. quando interpretatur: Die Gerechtigkeit GOttes. Æquivoca omnino eſt iſta verſio, & occaſionem dat, juſtitiam illam vel de *juſtitia* Dei *eſſentiali*, vel de *juſtitia* ejus *vindicativa* intelligendi. Neutram vero hic innui ex dictis, & toto ſermonis Apoſtolici nexu apparet. Idem B. Lutherus phraſin χωρὶς νόμȣ feliciter, & menti Apoſtolicæ convenienter reddit: ohne Zuthun des Geſetzes h. e. ſine poſtulatis legis Moſaicæ, tanquam ad juſtificationem & ſalutem obtinendam neceſſariis. Pro hoc Trillerus itidem mavult: ohne das Geſetz, quod minimum obſcuriſſimum eſt, & lectorem dubium facit, an quicquam olim de juſtitia per fidem obtinenda in V. T. commemoratum ſit. Conf. *Schœnlandii* Vindicias Trillero vernacula lingua oppoſitas p. 106. ſqq.

Non omittendum hic videtur, quod *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 103. obſervatum eſt. Is ſcilicet verſus 21. & 22. ſublata, quæ poſt προφητῶν legitur, πλεία στιγμῆ in unum compingendos, & verba illa: δικαιοσύνη δὲ Θεȣ̃ διὰ πίστεως Ἰησȣ̃ Χριστȣ̃ parentheſi includenda exiſtimat, ut ſic verba ultima v. 22. εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας proxime a verbo πεφανέρωται pendeant, hoc ſenſu, quod juſtitia apud Deum valens manifeſtata ſit hominibus omnibus. Ad hanc interpungendi rationem video recentiſſimos & induſtrios Interpretes N. T. Gallos, *Beauſobrium* & *Infantium*, verſionem hujus loci accommodaſſe. *Mais maintenant la juſtice de Dieu*, *dont la foy & les Prophètes ont rendu témoignage*, *eſt manifeſtée ſans la loy*, *ſavoir cette juſtice de Dieu*, *qui par la foy en Jéſus Chriſt s'étend à tous & ſur tous ceux*, *qui croyent.* At iidem recte perſpexerunt, verba εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας non poſſe ratione ſtructuræ pendere a verbo πεφανέρωται, ſed aliquid requirere ex re ipſa & conditione phraſeos ſubintelligendum, nempe, *qui s'étend*, ſicut & B. Lutherus noſter rectiſſime, die da kommt. Et fruſtra ſane huc dum quæſivi exemplum, quo conſtet, verbum φανερȣ̃σθαι cum εἰς vel ἐπὶ conjungi. Quotiescunque in N. T. occurrit, vel ſimpliciter, ſine addito objecto, vel ubi illud exprimitur, cum Dativo affertur, v. c. *Rom.* I. 19. *Col.* I. 26. *Tit.* I. 3. &c. Itaque nihil eſt neceſſe, ut interpunctio mutetur, cum vel ſic verbum aliquod ad phraſin εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας recte adſequendam requiratur. De eadem B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. monet, τὸ εἰς πάντας metam manifeſtationis, ἐπὶ πάντας vero metam juſtitiæ illius notare, atque hinc univerſalitatem ſubjecti juſtificandi ex univerſalitate manifeſtationis & applicationis elucere.

Verſ. 23-26. fuſe exponuntur ab *Altingio* in Heptade Diſſertatt. Tomo V. Operum p. 26. ſqq. Adde noſtratium Theologorum Diſputationes varias de iisdem commatibus habitas & a *Wildeshauſenio* in Bibliotheca Diſputationum citatas. Junge iis B. *Seb. Schmidii* Diſputat. de cauſis Juſtificationis ad h. l. *Argentor.* 1666. editam, & *Vitembergæ* 1712. recuſam.

Verſ. 23. Πάντες γὰρ ἥμαρτον &c.) Hæc verba usque ad finem verſus 25.

τῶν

τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, parentheſi includi & ab extremis verſus 22. verbis ὐ γάρ ἐςι διαςολὴ, ſeparari vult Cl. *Chriſtoph. Wolle* in Commentatione de Parentheſi Sacra p. 66. *Parentheſin*, inquit, *exigit abrupta comm. 22. conſtructio, cum, qua in re nulla ſit διαςολὴ, ibi non addatur, quod vero addi cenſemus comm. 26. Neque verba ultima v. 25. cum initialibus v. 26. apte nectuntur, præſertim cum etiam comma 26. easdem fere voces ac res, quæ comm. 25. ſunt memoratæ, contineat.* Addit præterea, admiſſa hac parentheſi, luculenter adparere, diſcrimen vocum παρέσεως atque ἀφέσεως a *Jo. Coccejo* excogitatum, omnino eſſe inane. Verbum enim παρίημι non tam *diſſimulare* aut *prætermittere*, quam potius *relaxare* aut *ſolvere*, denotare, &, ſi comma 22. cum 26. arctiſſime conjungatur, apparere, agi ibi de ἀνοχῇ ſive longanimitate Dei ſumma, qua erga peccatores omnes utatur, atque adeo de fidelibus V. T. quæ *Cocceji* ſit ſententia, nullum hic exſtare veſtigium, quod ipſum etiam v. 23. vox πάντες, ad omnes mortales, tanquam labi originali obnoxios, pertinens, arguat. Enimvero, ſi quid ego video, διαςολὴ de qua v. 22. ſermo eſt, non poteſt referri ad ἀνοχὴν Θεῦ, ſed omnino ad homines in univerſum omnes, Judæos ſcilicet & Gentiles pertinet. De his enim Apoſtolum v. 22. loqui & emphatica ejus phraſis εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας evincit, & paulo ante a nobis eſt oſtenſum. Hinc nec neceſſe erat, ut idem illud ſubjectum, in quo diſtinctio locum non inveniat, commemoraretur. Idem ſcilicet hic vult Apoſtolus, quod infra X. 12. luculentius exprimit: ὐ γάρ ἐςι διαςολὴ Ἰυδαίυ τε καὶ Ἕλληνος. Ὁ γὰρ ἀυτὸς Κύριος πάντων πλυτῶν εἰς πάντας τὺς ἐπικαλυμένυς ἀυτόν. Idem vult, quod Galat. III. 28. aliis verbis, ſed æque perſpicue, tradit: ὐκ ἔνι Ἰυδαῖος, ὐδὲ Ἕλλην, ὐκ ἔνι δῦλος, ὐδὲ ἐλέυθερος, ὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ· πάντες γὰρ ὑμεῖς ἐςὲ ἐν Χριςῷ Ἰησῦ. Atque hoc perſonarum diſcrimen ſæpius alibi tollit Paulus, ut nec h. l. de alio cogitari poſſit. Nexus commatis 26. cum poſtremis verbis v. 25. ex illis apparebit, quæ ad illud comma afferentur. Nec obſtat, v. 26. eadem & iisdem fere vocibus dici, quæ commate 25. contineantur. Frequentiſſime enim ita agit Apoſtolus in rebus magni momenti, & quæ ſatis inculcari non poſſunt. Coccejanis denique inventis alia & commoda ratione occurri poteſt, ſi vel maxime in communi interpunctione acquieſcamus. Nec illud denique omittendum eſt, ſi hæc parentheſis admittatur, tolli nexum inter verba ὐ γάρ ἐςι διαςολὴ & ſequentia commata, qui tamen legenti cuique in oculos incurrit. Dixerat enim Apoſtolus, non eſſe diſcrimen inter mortales, Gentiles puta & Judæos. Atque hoc ex labe originali, omnibus communi, deinde manifeſtum facit.

ὑςερῦνται τῆς δόξης τῦ Θεῦ) Vulgatus: *egent gloria Dei*, pro quo Beza mavult: *deficiuntur gloria Dei.* Sed idem omnino vetus Interpres dicere voluit, judice *Jac. Haſæo* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 536. & quidem cum majore ἐνεργείᾳ, tantum abeſt, ut ſententiam Apoſtoli enervaſſe putandus ſit. *Nam qui*, inquit is, *eget re quapiam, neceſſe eſt, quod eadem apud ipſum deficiat. Imo pluris adhuc eſt, egere re quapiam, quam, quod eadem deficiat mibi, quia carere rebus poſſum variis, quibus tamen minime egeo, ſeu anxietate premor,*

quo penuriam carentiamque earundem adeptione fruitioneque expleam. Contra, quibus egeo, eadem & mihi deficiunt. Hoc ſenſu verbum ὑστερεῖν paſſim in N. T. exſtat, ubi recte per *egere* vertitur. v. c. 1 *Cor.* XII. 24. τὰ δὲ εὐσχήμονα ἡμῶν οὐ χρείαν ἔχει. Ἀλλ᾽ ὁ Θεὸς συνεκέρασε τὸ σῶμα, τῷ ὑστεροῦντι περισσοτέραν δοὺς τιμήν. Locum Joh. II. 3. ubi legitur: ὑστερήσαντος οἴνου, huc cum eodem referre nolim. Ibi enim neutraliter accipitur verbum, quod non aliter expreſſeris, quam *deficiente vino.* Si vertas: *Egentibus* (convivis) *vino*, quod Vir doctus vult, rem quidem, ſed non phraſin, expreſſeris. B. *Dannhauerus* noſter metaphoricam loquendi rationem hic obſervat in Hodoſophia p. 886. *Metaphora eſt*, inquit, *ab iis, qui in ſtadio decurrunt, ex quibus, qui* ὑστεροῦνται, *poſterius relinquuntur, alio evolante ad brabeum. Illi, etiamſi ſe currendo fatigent, ad præmia tamen adſpirare nequeunt. Ita etiam ſe habet in ſalute aſſequenda, hominum cura laborque: quamvis enim ærumnoſe juſtitiam ſectentur, ad metam tamen non pertingunt, quia curſores ſufflaminat* εὐπερίστατος ἁμαρτία, *inſtar cataphracti hominis incumbens.*

Τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ) i. e. *gloria apud Deum*, ſive tali, qua apud Deum uti poſſint. Eodem modo δικαιοσύνη Θεοῦ v. 21. & 22. dicitur. Id infra IV. 2. καύχημα πρὸς τὸν Θεὸν vocatur. Alii malunt gloriam Dei de *imagine divina* interpretari, qua poſt lapſum homines omnes non ſolum deſtituti ſunt, ſed & ejuſdem reſtitutione egent. Atque id ſe ex Hebraiſmo alibi probaturum eſſe idem, quem diximus, *Haſæus* l. c. pollicetur. De eadem re expoſuerunt diligenter ex noſtratibus *Flacius* in Clave p. 370. & in Gloſſa ad h. l. *Seb. Schmidius* de Imagine Dei cap. X. p. 189. ſq. & inprimis p. 205. & *Abrah. Calovius* in Bibl. Illuſtratis ad h. l. Ex Reformatis autem *Altingius* in Heptade Diſſertatt. p. 26. Tom. V. Operum, ubi ita: *Gloriam iſtam Dei merito vocamus rectitudinem ex illo Salomonis: Deus fecit hominem rectum, Eccleſ.* VII. 29. nam hæc Dei gloria eſt, qui inde rectus efficitur, *Deuter.* XXXII. 3. 4. Pſ. XCII. 16. Ea vero rectitudine deficiunt, ac deſtituuntur homines omnes, poſtquam primi Parentes eam abjecerunt. Eccl. VII. 29. Confer in eandem ſententiam B. *Franc. Jul. Lütkenii* Collegium Biblicum p. 284. ſqq. De peccato, omnibus communi, egregium Senecæ teſtimonium ex lib. I. de Clementia cap. 6. urget ad h. l. *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 689.

Verſ. 24. totum explicat *Alethæus* Tom. II. p. 539. ſqq. & B. *Lütkenius* in Collegio Biblico p. 502. ſqq.

δικαιούμενοι δωρεὰν) Τὸ δικαιούμενοι pendet ab antecedente verbo ὑστεροῦνται, idemque eſt, ratione linguæ, ac ſi dixeris ὑστεροῦνται καὶ δικαιοῦνται. Vide *Oſtermanni* Poſitiones textum Græcum N. T. concernentes diſſ. III. §. 4. Verbum δικαιοῦσθαι forenſe eſſe, atque adeo idem inferre, atque accuſatum in judicio abſolvere, eumque juſtum pronunciare, non autem, juſtitiam infundendo juſtificare, noſtrates Theologi contra Pontificios jampridem evicerunt. Eandem verbi hujus notionem ex profanis Scriptoribus demonſtravit *Dilherrus* Tomo I. Diſputatt. Academic. p. 285. ſqq. Adde vero inprimis Rev. *Salom. Deylingii* Diſſer-

Diſſertat. ſingularem de hoc verbo, quæ in calce Obſervationum ejus Sacrarum Parte III. p. 457. recuſa exſtat, item *Alethæum* l. c. p. 541. in notis, & *Jac. Perizonium* ad Æliani Var. Hiſtor. p. 267.

Διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως) Vim vocis hujus ediſſerit *Altingius* l. c. p. 27. Contra *Lockium*, qui in Commentario ad. h. l. negat, per redemtionem Chriſti inferri, quod ulla compenſatio, perſoluto æquali pretio, adverſus Deum facta ſit, cum Paulus ipſe affirmet, peccatores δωρεὰν i. e. *gratis* juſtificatos eſſe, lege auctorem anonymum *Obſervationum in aliquot libros recens editos*, Anglice ſcriptarum p. 156. ſqq. Scilicet τὸ δωρεὰν refertur ad homines peccantes, eorumque meritum omne ab hoc negotio excludit. Id vero fraudi non eſt merito Chriſti, qui ſe ipſum dedit ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. Patrum expoſitiones habes apud *Suicerum* Tom. I. p. 464.

Verſ. 25-27. explicat. B. *Franc. Jul. Lütkenius* in Collegio Biblico p. 76. ſqq. & *Jac. Nyloe* in Schriftuurlyke Redevœringen over uytgelezene Stoffen out het oude en nieuwe Teſtament p. 246.

Ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον) Τὸ προτίθεσθαι idem h. l. eſſe poteſt, quod *in publico loco ſpectandum collocare & proponere*. Sic *Ælianus* Var. Hiſt. XIV. 8. προὔθηκεν ἀμφοτέρας, *ambo* (ſimulacra) *ſpectanda collocavit*. Herodianus VIII. 6. *Suetonius* in Auguſto c. XLIII. id dixit *publicare*, &, *ſpectandum publice edere:* ubi confer Caſaubonum, inprimis vero lege *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 103. ſq. qui πρόθεσιν illam factam eſſe ait a Deo Patre, quando eum publice in cruce omnibus ſpectandum propoſuit εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ. Probant hanc interpretationem quæ *publicationem* infert, inter ceteros M. *Wolle* de Parentheſi Sacra p. 67. in notis & *Jac. Nyloe* l. c. p. 149. Cum vero verbum προτίθεσθαι etiam apud Scriptores ſignificet *proponere*, i. e. *præfinire, ante conſtituere*, hanc notionem alteri illi præfert Cl. *Elsnerus* p. 20. inprimis ideo, quod illa præfinitio hic opponatur τῇ ἐνδείξει τῆς δικαιοσύνης ἐν τῷ νῦν καιρῷ v. 26. cum δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται v. 21. quo ſenſu Paulus Epheſ. I. 9. 11. dicit, notum nobis fecit Deus τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ. Adde ſupra I. 13. & *Polybium* in Excerpt. Legat. p. 1147. Malim in priori acquieſcere.

ἱλαστήριον) Interpretes plerique omnes, Patrum exemplo, apud *Suicerum* Tomo I. p. 1449. Apoſtolum hic ad כפורת ſive operculum arcæ fœderis, quod οἱ LXX. per ἱλαστήριον reddunt, reſpexiſſe exiſtimant, tanquam quod typus fuerit Chriſti, per quem nos placati Deo ſimus. Lege huc *Jo. Buxtorfii* Hiſtoriam Arcæ Fœderis cap. IX. Eos ex recentiſſimis Scriptoribus ſecutus eſt *Jo. Lockius*, Anglus, in commentario ad h. l., mirante & indignante fere *Jo. Clerico* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 121. qui ἱλαστήριον de *victima piaculari*, ſubintelligendo vocem ἱερεῖον vel θῦμα, interpretatur. Quod idem facit in notis ad Hammondum h. l. & in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Part. II. p. 344. Sed vide, quæ pro communiori interpretatione erudite diſputat Rev. *Salomon Deylingius* in Obſervationibus Sacris Part. II. n. XLI. p. 368. ſq. Rem ipſam paucis ita complectitur Vir doctiſſimus p. 370. *Chriſtus propoſitus dicitur a Deo* ἱλα-

ςήριον ἐν αἵματι propterea, quia olim ſub veteri gratiæ œconomia expiatio peccatorum per ſanguines, coram propitiatorio a Summo Sacerdote ſparſos, quotannis fiebat, & Chriſti cruentam ἀπολύτρωσιν repræſentabat. Quemadmodum enim ſub Veteri Teſtamento ἄνευ αἱματεκχυσίας nulla obtingebat peccatorum remiſſio, nec coram propitiatorio, nec alibi, Hebr. IX. 22. *ita in anniverſario & ſolenni expiationis feſto, quo die propitiatio exſpectabatur pro totius populi peccatis, verſus ἱλαςήριον arcæ ἐπίθεμα ſpargi debebant ſanguines ſacrificiorum, pro peccatis immolatorum, nempe ſanguines juvenci pro peccatis Sacerdotis Summi, & ſanguines hirci pro peccatis totius populi immolati.* Ritus hic expoſitus eſt in Tractatu Talmudico *Joma*, ejusque Interpretibus Hebræis, tum vero a *Sheringhamio* in ſuis ad eundem notis Tomo II. Miſchnæ Surenhuſianæ inſertis. Ex his vero aliisque antiquitatis Judaicæ monimentis idem argumentum olim excuſſit *Campeg. Vitringa* in Diſput. de myſterio aurei arcæ operculi, Franequ. 1692. & nuper Celeber. *Conradus Ickenius* in Diſſertat. de Propitiatorio, Bremæ 1725. de cujus latitudine non-palmari, quam ei tribuit *Raſchi* in Exodum XXV. 17. lege *Jo. Philip. Heinium* in Hiſtoria Critica Reipubl. Literar. Tom. X. p. 172. ſq.

Quod ad vocem ipſam attinet, in Hebræo dicitur כפורת, quod derivandum eſt a verbo כפר Hoc in *Kal* ſignificat *tegere*, ut in *Piel* כפר *expiare.* Hujus vero formam aperte refert כפורת, quod ex impreſſo *dagheſch* forti apparet. Unde & nunquam *operculum* in ſacris literis denotat, atque adeo recte a τοῖς LXX. per *ἱλαςήριον*, *expiatorium*, convertitur. Quæ vox cum adjectivi formam præferat (quod per linguæ Græcæ rationes & τῶν LXX. auctoritatem negari nolim cum Cl. *Mich. Henrico Reinhardo* in Pentade Conatuum Sacrorum p. 121.) neceſſe eſt, ut Subſtantivum aliquod ſubintelligatur. Hoc vero non θῦμα eſſe debere, aut ἱερεῖον, ſed ἐπίθεμα i. e. *operculum*, primum quidem τῶν LXX. qui id diſerte Exod. XXV. 17. exprimunt, tum vero Philonis auctoritas evincit, qui lib. III. de Vita Moſis Synonymum πῶμα ſubintelligi vult, his uſus verbis: *πῶμα λεγόμενον ἐν ἱεραῖς βίβλοις ἱλαςήριον.* Sic vero optime & nominis כפורה *notio* & *uſus* ejus, reſpectu arcæ fœderis, cui inſtar operculi imponebatur, & *typus* exprimitur. B. Lutherus convertit per Gnadenſtuhl, reſpiciens forte ſimul ad *Hebr.* IV. 17. ubi θρόνος χάριτος appellari hoc ἱλαςήριον videtur Rev. *Deylingio* l. c. p. 376. qui ex hoc capite verſionem Lutheri tuetur contra *Lundium* in Jüdiſchen Heiligthümern fol. 34. Judæos ἱλαςήριον illud pro typo Meſſiæ habuiſſe, adductis eorum teſtimoniis, evincit *Buxtorfius* de Arca Fœderis cap. XIV. Adde illis unum R. *Aſcher* in *Orach chajim* cap. XCIV. quod producit & explicat *Vitringa* in Archiſynagogo, cap. IX. p. 165. qui p. 167. ad loci noſtri illuſtrationem iſta ſcite affert: *τὸ* כפורת *ἱλαςήριον tectum erat ſub Veteri Teſtamento, velo quodam pretioſiſſimo, quia λύτρον nondum adductum erat, per quod fieri debebat ἱλασμὸς & ἀπολύτρωσις, ſed ſub Novo Teſtamento rupto velo, h. e. juxta Apoſtolum, carne Chriſti fracta ad crucem, tota illa arca & ἱλαςήριον arcæ, & omnia, quæ in ſanctiſſimo illo loco erant, omnium oculis ſunt expoſita, unde Apoſtolus: ὃν προέθετο ἱλαςήριον.* Comparat cum his idem

Apocal.

Apocal. XI. 16. καὶ ἠνοίγη ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ καὶ ὤφθη ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης αὐτοῦ ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ. Alia comparationis inter ἱλαστήριον & Chriſtum momenta lege ibidem, inprimis vero apud *Deylingium* p. 374. ſq. B. *Sam. Schelgvigium* in Diſputat. de Chriſto ut propitiatorio, *Gedani* 1695. *Ikenium* in Diſſertatione laudata, & *Alethæum*, totum hoc comma illuſtrantem Tomo II. p. 577. ſqq.

Sunt tamen ex recentioribus, qui, negato omni ad propitiatorium Moſaicum reſpectu, vocem ἱλαστήριον per *expiatorium ſacrificium* interpretantur, ſubintellecta voce θῦμα vel ἱερεῖον. In his numero præter *Clericum* ſupra allatum, *Lamb. Bos* de myſteriis Ellipſeos Græcæ Linguæ p. 83. & ex noſtratibus B. *Godofr. Olearium* in Prælectionibus MSS. ad h. l. Easdem partes nuper amplexus eſt Cl. *Elsnerus* in Obſſ. Sacris p. 20. ideo inprimis, quod eadem vocis θῦμα vel ἱερεῖον ellipſis frequentiſſima ſit apud τοὺς ό in voce σωτήριον שלמים & in χαριστήριον apud Auctores. Addit idem p. 21: *Reſpexiſſe Apoſtolum ad Arcæ operculum* כפורת *a* LXX. *ἱλαστήριον dictum, dubito, quod Arcæ operculum Deum potius exhibebat peccatis ſuccenſentem, atque expiationem ἱλαστήριον poſtulantem, quare ſanguis victimarum expiatorius, ſanguinis Chriſti ἱλαστηρίου typus, verſus illud operculum* על פני הכפורת *ſpargi neceſſe erat.* Sicut non nego in voce ἱλαστήριον, ſi cetera περικείμενα permittant, vocem θῦμα aut ἱερεῖον ſubaudiri poſſe; ita, puto, non negaverit Vir doctus, ſubintelligi etiam poſſe ἐπίθεμα. Certe id adeo non inficiatus eſt *Lamb. Bos*, alioquin in h. l. cum ipſo ſentiens, ut potius p. 173. libri modo laudati contendat, *Hebr.* IX. 5. in voce ἱλαστήριον ſubintelligi debere πῶμα i. e. *operculum.* At negat Vir Clariſſimus, Apoſtolum ad Arcæ operculum reſpexiſſe, ideo, quod illud Deum peccatis ſuccenſentem exhibuerit. At vereor, ut multis id quidem perſuadeat, qui, non dicam, antiquitati debitum præſtant honorem, ſed ad momenta comparationis attendunt, quæ inter operculum Arcæ & Chriſtum ita intercedunt, ut a Sacris Scriptoribus, nominatim Paulo, indice quaſi digito oſtenſa videantur. Afferam unum eorum, quod ad rem præſentem inprimis facit. Arca complectebatur tabulas legis, has tegebat & conſpectui ſubducebat operculum. Videsne hic Chriſtum perſpicue adumbratum? Placent Rev. *Deylingii* verba l. c. p. 373. *Quemadmodum ἱλαστήριον arcæ ἐπίθεμα tabulas legis, minas item & maledictiones, violatoribus ejus intentatas, ita tegebat, ne in ullius unquam venirent conſpectum: ita Chriſtus merito ſuo maledictionem, quam tabulæ legis arcæ incluſæ minitabantur, ita texit ac ſuſtulit, factus pro nobis ἐπικαταράτοις κατάρα Gal.* III. 13. *ut Deus ea reſipiſcentibus ac credentibus in Chriſtum imputare, & in futuro judicio in conſpectum producere nolit, Joh.* V. 24. Jure itaque merito Chriſtus, ut *cauſa* expiationis, per operculum arcæ ſubindicatus cenſetur, quemadmodum ſanguis victimarum expiatorius, ſanguinem Chriſti expiatorium, tanquam unicum expiationis *medium*, ſignificabat. Memini *Alethæum* l. c. p. 589. exiſtimare, non omnino abjiciendam eſſe illorum interpretationem, qui τὸ ἱλαστήριον, ſubintellecto θῦμα, per *victimam propitiatoriam* convertant, inprimis ideo, quod de Chriſto hic ſermo ſit, non quidem prout thronus gratiæ eſt,

ſed in quantum is homines cum Deo conciliaturus erat. Quam in rem affert 2 *Cor.* V.21. ubi Deus Chriſtum dicitur ποιῆσαι ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν i. e. *hoſtiam piacularem feciſſe.* Enimvero, ſi præſtruamus, quod *Alethæus* largitur, Paulum ad ἱλαςήριον illud V. T. hic reſpexiſſe, non poteſt illa interpretatio locum tueri, cum ἱλαςήριον illud cum victima nihil habeat commercii, niſi in quantum ſanguis victimæ verſus illud ſpargi debebat. Præterea vero Chriſtus deinde ut victima repræſentatur per φράσιν, ἐν τῷ αὐτȢ αἵματι, *per ſanguinem ſuum*, quo διὰ πίςεως, *fide*, apprehenſo innuitur aditum patere ad ipſum tanquam ἱλαςήριον, qui in gratiam nos recipiat, Deoque conciliet, atque adeo aditum ad thronum gratiæ nobis aperiat. Itaque non tam hic ſermo eſt de Chriſto, tanquam in Mediatoris officio conſtituto, & reconciliationem illam pariente, quam de eo, ut Mediatore, qui officio hoc jam defunctus ſit, agnoſcendo, & per fidem ſibi vindicando. Adde his, quæ contra novellam illam expoſitionem affert *Jac. Nyloe* in Schriftuurlycke Redevœringen p. 147. ſq. Omiſeram fere monere, Clariſſ. & literatiſſimum *Jo. Conr. Schwarzium* vocem μνῆμα voci ἱλαςήριον jungi velle, ideo, quod *Joſephus* Antiquitt. XVI. 7. 1. ἱλαςήριον μνῆμα plene dixerit. Vide eum in egregia commentatione, quam de Solœciſmis Diſcipulorum Jeſu antiquitatis inſcripſit, p. 124.

Διὰ τῆς πίςεως) Hæc unus Codex Alexandrinus omittit, ideoque pro irreptitiis habet *Millius* in Prolegomenis, & *Lockius* in Comment. ad h. l. Sed hoc unum exemplar non opponendum erat tot aliis, hic conſentientibus, tum Codicibus, tum verſionibus & Patribus, quam in rem lege *Whitbium* in Examine Variant. Lectionum p.57. Paulum has voces vere ſcripſiſſe indubium eſt, quippe qui h. l. id inprimis agat, ut aſſeveret, fidem unicum eſſe juſtitiæ adipiſcendæ medium. Hinc v. 22. δικαιοσύνην illam impetrari non ſolum dixerat διὰ πίςεως, ſed addiderat efficaciter, eam venire εἰς πάντας τȢς πιςεύοντας.

Ἐν τῷ αὐτȢ αἵματι) Referri hæc nonnulli volunt ad vocem ἱλαςήριον, non autem ad διὰ πίςεως. Videtur enim illis hæc phraſis nec Græca ſatis, nec Biblica ſatis eſſe: ἡ πίςις ἐν τῷ αἵματι. Quamvis itaque dici poſſit τὸ ἐν pro εἰς, quod alias frequenter fit, poſitum eſſe, ut idem ſit, ac ſi dixeris: *per fidem in ſanguinem Chriſti* h. e. in Chriſtum, qui ſanguinem effudit; veriſimilius tamen eſt, S. Paulum phraſin illam ἐν τῷ αἵματι αὐτȢ hac forma ideo collocaſſe, ut ad utrumque, nempe ἱλαςήριον & πίςιν, referatur atque ita appareat, primum quidem, in *qua re* Chriſtus ἱλαςήριον, deinde vero, qua ratione tale cuique fiat, nempe *per fidem.*

Εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτȢ) Per δικαιοσύνην hic alii *bonitatem* Dei, alii *juſtitiam vindicativam*, qua peccatum in Chriſto ipſo puniverit, ut *Marckius* in Exercitatt. Textualibus p. 825. & *Herman. Reimers* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI. p. 399. alii *juſtitiam* διανεμητικὴν & ἀντοποδοτικὴν intelligunt. Inter hos eſt B. *Calovius* noſter in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Demonſtrata ſcilicet eſt hæc Dei juſtitia, dum peccata totius mundi in Chriſtum conjecta & in ipſo punita, præſtita vero hac ſatisfactione, remiſſionem conſecuti ſunt homines.

Similiter

Similiter Cl. *Hombergius* in Parergis p. 198. *Juſtitia Dei utique*, inquit, *in eo conſiſtit, quod Deus non potuerit placari, niſi Mediatore propoſito in* ἱλαστήριον, *nec homines juſtificari, niſi per fidem in ſanguine ejus.* Confer *Jac. Altingium* Tom. V. Operum p. 30. Atque hic ſenſus confirmari poſſe videtur explicatione Paulina, quæ phraſi eidem, πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ v. 26. repetitæ, ita ſubjicitur: εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον, καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ, *ut ipſe* (ſcilicet Deus) *ſit*, (agnoſcatur) *juſtus*, *& credentem in Chriſtum juſtificet.* B. Lutherus noſter de *juſtitia ex fide, apud Deum valente*, accipit, quem tuetur *Alethæus* Parte II. p. 606. inprimis hoc nomine, quod de illa fide Apoſtolus tum hoc capite, tum in tota epiſtola agat. Adſtipulatur Cl. *Elsnerus*, eodem argumento adductus p. 21. & hæc ſubjiciens: Ἔνδειξις δικαιοσύνης *eſt manifeſtatio, declaratio juſtitiæ illius. Idem quippe eſt* ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν νῦν καιρῷ, v. 26. *cum* νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται v. 21. *Talis deinde* ἔνδειξις *declaratio, qua Dei juſtitia homini peccatori imputatur, &* δικαιοῦται ὁ ἀσεβὴς cap. IV. 5. Eo ſenſu ἔνδειξις *occurrit*, 1 *Cor.* VIII. 24. τὴν ἔνδειξιν τῆς ἀγάπης ὑμῶν εἰς αὐτοὺς ἐνδείξασθε, *declarationem amoris erga eos veſtri declarate*, nempe rebus ipſis. *Sic Philip.* I. 28. *& verbum Rom.* II. 15. 1 *Tim.* I. 16. *Tit.* II. 10. Hæc & mihi placere non diffiteor. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. πρὸς ἔνδειξιν vertit *ad exemplum demonſtrationis juſtitiæ*, ut ſic Apoſtolus manifeſtationem juſtificationis in V. T. ex ordinatione Chriſti ad ἱλαστήριον cum demonſtratione facta in N. T. conjungat, dicatque, demonſtrationem in N. T. factam eſſe ad exemplum demonſtrationis in Veteri.

Διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων) Nimis hic longus forem, ſi, quæ vel Theologi vel Interpretes de ἀφέσει & παρέσει peccatorum, tanquam a ſe invicem diſtinguendis, ad h. l. monuerunt, hic vel in ſummam conferre vellem. Legi potius in hanc cauſam velim ex Reformatis Doctoribus *Marckium* in Exercitatt. Biblicis p. 281. ſqq. cum *Coccejo* ex parte facientem, *Anton. Hulſium* in Specimine Theologiæ Hypotheticæ diſſ. IV. *Jac. Altingium*, qui πάρεσιν per *tranſmiſſionem*, vel *translationem* vertit, Tomo V. Operum in Epiſtolis 27. 42. 44. 52. & aliis, & *Campeg. Vitringam* lib. IV. Obſervatt. Sacrarum cap. III. ex noſtratibus autem Cl. *Reinhardum* in Pentade Conatuum Sacrorum contra *Coccejanos*, per πάρεσιν imperfectam peccatorum ſub V. T. remiſſionem hic indicari autumantes, diſputantem p. 125. *Alethæum* l. c. p. 607. & Relationes de rebus Theologicis innoxias an. 1715. p. 996. ſq. *Vitringa*, a Coccejanis non multum diſſentiens, l. c. §. 4. obſervat, τὸ ἀφιέναι ἁμαρτίας ſpeciali ſenſu pro beneficio remiſſionis peccatorum ſub Oeconomia N. T. ſumi, nec eam φράσιν κατὰ ῥητὸν occurrere in V. T. Hebræo, in quo aliæ phraſes de hoc argumento adhibeantur: Scriptores vero N. T. non accepiſſe a profanis, quamvis & illi ea in ſimili cauſa utantur, ſed a τοῖς LXX. v. c. *Geneſ.* L. 17. & *Exodi* XXXII. 31. Hos autem credit Syris eam debere, apud quos verbum שבק ea notione frequens ſit. Tandem §. 13. ex his conficit, veram verbi notionem ex metaphora creditorum & debitorum repetendam eſſe, atque adeo per eam

in œconomia gratiæ hoc ſignificari beneficium, quod Deus, qui hic cum creditore comparetur, hominibus miſeris pœnam, quam propter delicta ſua juſtitiæ divinæ debebant, clementer remittat. Hinc facile colligitur, quid idem per πάρεσιν peccatorum intelligat, quemadmodum & cap. IV. differentiam remiſſionis peccatorum ſub V. & N. Fœdere oſtendere conatur, quæ apud ipſum legere, & accuratiori examini, quo per inſtituti noſtri rationem hic defungi non poſſumus, ſubjicere poteſt, qui volet.

Rev. *Sam. Chriſtianus Teuberus* in Harmonia Satisfactionis Chriſti & ſanctimoniæ Chriſtiadum Hal. 1715. 4. edita p. 14. ita locum noſtrum explicat: *Quotquot ſunt promiſſiones Dei, per Dei filium Jeſum Chriſtum ſunt etiam & per ipſum Amen.* 2 Cor. I. 20. *i. e. pro fundamento agnoſcunt & ſupponunt ſatisfactionis meritum, ſive præviſum, ſive præſtitum. Sponſio namque, in SS. Trinitatis conſeſſu facta, peperit ἀνοχὴν i. e. inducias, exſpectationemque perſolvendæ, quæ juſtitiæ debebatur, pœnæ. Atque ſic procuravit τὴν πάρεσιν, i. e. transmiſſionem in ſponſorem, eaque facta peperit ἄφεσιν i. e. remiſſionem peccatorum hominibus ſive ſub Novo ſive ſub Veteri Teſtamento degentibus; valente quippe merito Servatoris, ob expromiſſionem ſemel factam, tam ratione præteritorum, quam futurorum peccatorum.* Contra hæc, vide, quæ afferuntur in Relationibus innoxiis de rebus Theologicis an. 1715. p. 997. ſq. ubi inter cetera obſervatur p. 999. diſcrimen hic non occurrere inter ἄφεσιν & πάρεσιν peccatorum, ſed inter diverſam ἔνδειξιν δικαιοσύνης, quæ in V. T. fuerit typica, per ἱλαστήριον, arcæ fœderis impoſitum; in N. T. antitypica & realis, per mortem Redemtoris. Lege ibi plura recte dextreque inculcata. Πάρεσιν & ἄφεσιν idem omnino eſſe oſtendunt ex Græcæ Linguæ rationibus & aliis argumentis *Jo. Clericus* in Notis ad Hammondum, ex noſtratibus vero B. *Godofr. Olearius* in Obſervatt. Philologic. ad Matth. V. 10. & XI. 12. & B. *Starckius* in notis ad h. l. quæ Notis ejus Selectis in epiſt. ad Hebræos ſunt ſubjectæ p. 113. Atque hic quidem totum comma ita παραφράζει p. 114. **welchen GOTT hat fürgeſtellet zu einem Gnadenſtuhl durch den Glauben in ſeinem Blut, damit er ſeine Gerechtigkeit erzeigte wegen Vergebung der vorhin begangenen Sünden unter Göttlicher Gedult (und Nachſicht) um zu zeigen deſſelben (Chriſti vollgültige und überflüßige) Gerechtigkeit in dieſer gegenwärtigen Zeit (des Neuen Teſtaments) auf daß er (allein) gerecht ſey, und gerecht mache den, der da iſt des Glaubens an JEſu.** Ex quo patet, ipſum δικαιοσύνην Θεȣ̃ v. 25. commemoratam de juſtitia Dei vindicativa, cui ſatisfaciendum fuerit, eam vero, quæ v. 26. innuitur, δικαιοσύνην de juſtitia Chriſti, hominibus imputata, interpretari. Quam quidem in rem urget tum diverſas, quæ utrinque occurrunt, particulas εἰς & πρὸς, tum pronomen reciprocum αὐτȣ̃, quod in poſteriore phraſi exſtat, & Chriſtum innuere videtur, tum denique, quod v. 26. primum dicatur εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον, quod pertineat ad ἔνδειξιν priorem juſtitiæ Dei, deinde vero addatur, καὶ δικαιȣ̃ντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησȣ̃, quod ad ἔνδειξιν juſtitiæ Chriſti ſpectet. At ſubtilior hic mihi videtur *Starckius* qui ſignificatum particularum εἰς & πρὸς hic diſtingui velit, cum per utramque

cauſa

cauſa finalis tantum indicetur, Nec juſtitia Patris a juſtitia Chriſti rectius hic diſtinguitur, cum nec a Paulo nec ab aliis Scriptoribus Sacris δικαιοσύνη Χριστοῦ unquam commemoretur. Itaque rectius pronomen αὐτοῦ ad idem ſubjectum, nempe θεὸν, refertur.

Vocem πάρεσις pleniſſime reſpondere τῇ ἀφέσει, & utramque *perfectam peccatorum remiſſionem* inferre cenſet etiam Cl. *Elsnerus* p. 22. quemadmodum παρέσεως loco vel ideo ἀπολύτρωσις uſurpetur ab Apoſtolo in loco parallelo *Hebr.* IX. 15. εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων *ad expiationem* aut remiſſionem *transgreſſionum ſub priore Teſtamento* factarum.

Τὸ διὰ idem hic eſt, quod *per*, quamvis accuſandi caſui junctum. Idem enim alias uſu venire oſtendi ad *Joh.* VI. 57. Adde *Elsnerum*, qui tamen *cauſam* quoque *finalem* intelligi hic poſſe putat, ut cap. IV. 25. Traditus eſt διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν *propter peccata noſtra, & ſurrexit propter juſtificationem noſtram*, h. e. ut expiaret peccata, ut nos juſtificaret. Conf. 1 *Cor.* X. 25. & XI. 9. Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis p. 425. verti poſſe arbitratur: *quod attinet ad remiſſionem peccatorum*, quem τὸ διὰ uſum ex quodam Polybii loco lib. V. cap. 24. commonſtrat. Mihi quidem prima, quam attuli, notio, obvia admodum & ſimpliciſſima videtur.

Τὰ προγεγονότα ἁμαρτήματα ſunt, quæ in V. T. & ante manifeſtationem Chriſti perpetrata erant. Simili dicendi ratione Polybius p. 518. προγεγενημένας ἁμαρτίας & p. 13. προγεγενημένους πολέμους commemorat.

Verſ. 26. Ἐν τῇ ἀνοχῇ Θεοῦ) Verba hæc rectius ad v. 25. ἀμέσως referuntur, quod & B. *Lutherus* fecit. Idem videtur *Raphelio* l. c. & *Hombergio* p. 199. qui præterea ita vertit: *quæ ante fuerunt in tolerantia Dei.* Conf. *Act.* XVII. 30. ubi Deus dicitur tempora ignorantiæ diſſimulaſſe.

εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα) Τὸ καὶ B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. per *eo quod*, vel *poſtquam* explicat, ut reſpondeat Hebræorum ו Jeſaiæ LXIV. 5. Conſentit Cl. *Elsnerus* p. 23. ideo, quod Deus ſimiliter a Johanne, ep. I. 9. & II. 2. δίκαιος vocatur, ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας. Δίκαιος vero, eodem monente, hic *æquum* & *benignum* infert. Confer nos ad Matth. I. 29. *Martinus Lydius* in Florum Sparſione ad Paſſionem d. l. p. 52. idem eſſe cenſet, quod Latine dixeris, *vel tunc*, hoc ſenſu, Deum juſtum eſſe *vel tunc*, cum eum, qui ex fide Jeſu Chriſti eſt, juſtificat.

Verſ. 28. λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι) Comma hoc ſingulari libello explicatum dedit *Jo. Claudius*, quem appellavit *l' Ouverture de l' Epitre de S. Paul aux Romains*, tanquam id, ex quo totius epiſtolæ hujus intelligentia pendeat. Prodiit ille Amſtelod. 1685. 12. & enarratur in Actis Erudit. Lipſienſ. Supplementorum Tom. I. p. 157. ſq. Cave, cum eo exiſtimes, non omne operum bonorum genus a juſtificatione excludi, ſed aliqua eorum non quidem per viam *meriti*, ſed tamen per viam *conditionis* in juſtificatione intervenire. Confer eadem Supplementa p. 164. ſqq. ubi enarratur ejuſdem *Claudii* libellus, quem in defenſionem prioris ſub titulo: *Eclairciſſemens* &c. edidit Londini 1687.

12. Verbum λογιζόμεθα non opinionem incertam, ſed firmam perſuaſionem inferre, quæ quaſi rationibus ſubductis & explicatis incluſa ſit, obſervat poſt alios, & cum *Camerario* loco quodam *Xenophontis* ex Cyropædiæ lib. I. p. 21. confirmat *Raphelius* p. 202. Annotatt. ex Xenophonte. Adde in eandem ſententiam *Jo. Alberti* p. 302. Obſervatt. Sacr. ubi is Theophraſti affert locum ex Characteribus cap. XIV. λογισάμενος ταῖς ψήφοις καὶ κεφάλαιον ποιήσας, *poſtquam ad calculos ſedens rationes computavit, & ſummam ſubduxit.*

Τὸ ὧν ut particulam cauſalem loco γὰρ, quod etiam codices nonnulli exhibent, poſitam hic eſſe exiſtimat B. *Godofred. Olearius* in Prælectionibus MSS. ſuffragante orationis nexu.

πίστει δικαιοῦσθαι) Conſtat B. *Lutherum*, & linguæ rationes, & Interpretum aliorum exempla ſecutum, mentem Apoſtoli efficaciter expreſſiſſe, quando addita particula *ſolum* hominem *juſtificari fide* dixit. Pontificios, id quidem ſugillantes, complures confuderunt, quos diligenter allegant B. *Sam. Bened. Carpzovius* in *Societate Frugifera*, vernacule edita, Parte I. p. 702. B. *Georg. Serpilius* in explicatione vernacula hymni: **Es iſt das Heyl uns kommen her,** p. 231-235. & B. *Jo. Jac. Schudtius* in Deliciis Hebræo-Philolog. p. 201. Junge illis *Feſſelium* in Adverſariis Sacris Tom. I. p. 343. *Hackſpanium* in Sylloge p. 280. *J. F. Buddeum* in Inſtitutionibus Theolog. Dogmat. p. 1321. ſq. *Th. Wegelinum* in Diſp. de particula *ſolum* in Articulo Juſtificationis, nec non *Alethæum* Tomo IV. p. 746. ſqq. ubi præterea locus hic cum *Jac.* II. 24. ἐναντιοφανεῖ conciliatur. *Trillero*, easdem cum Pontificiis tibias inflanti, occurrit *Pfeiferus* in Vindiciis *Examini* ejus oppoſitis p. 65. & *Schœnlandius* in libro vernaculo contra eundem ſcripto p. 318. Vide etiam B. *Dannhaueri* Diſputat. ſingularem, quæ in Diſputationibus ejus Theologicis n. X. p. 213. exſtat. Sufficeret, ſi alia deeſſent, Vulgatum Interpretem in hoc ipſo capite v. 9. particulam *ſolum* expreſſiſſe, quæ in contextu Græco non exſtat.

Verſ. 30. Ἐπείπερ εἷς ὁ Θεὸς) Explicari hæc ex *Zachar.* XIV. 9. poſſunt, quem locum ipſi Judæi crediderunt vaticinari de regno Dei aliquando per totum orbem manifeſtando, & gentibus omnibus Deum Iſraelis ſolum agnituris. Ita enim Propheta: ביום ההוא יהיה יהוה אחד ושמו אחד. Lege ad hæc verba *Raſchium* & librum *Colbo* cap. X. col. 3. Ex Interpretibus Chriſtianis confer *Vitringam* de vetere Synagoga p. 1085. & *Lockium* ad h. l. Prior ita verba παραφράζει. *Quoniam Deus unum ſe eſſe declaravit, & quidem cum reſpectu ad homines, hinc neceſſe eſt, ut ſe aliquando uno eodemque modo gerat erga omnes, quotquot in orbe terrarum ſunt, homines, ut illos omnes eodem modo habeat tractetque, ac proin eodem modo per idem medium, eademque via perducat ad ſalutem.*

περιτομὴν ἐκ πίστεως, καὶ ἀκροβυστίαν διὰ τῆς πίστεως) Manifeſtum eſt, περιτομὴν hic circumciſos, i. e. Judæos, ἀκροβυστίαν vero *præputiatos* i. e. Gentiles inferre. Lege de hac phraſi *Vorſtii* Philolog. Sacram Parte I. p. 193.

Verſ.

Verſ. 31. Νόμον ὖν καταργῦμεν;) Conſulenda hic eſt B. *Jo. Georg. Neumanni* Diſputat. de lege per fidem ſtabilita, Witteberg. 1708. & *Rich. Kidderi* Demonſtrat. Meſſiæ Part. III. p. 35.

ἀλλὰ νόμον ἱςῶμεν) Simili phraſi *Maimonides* ad Megilla cap. I. §. 1. dicit קיים המצוה Conf. *Vitringam* de Decem Otioſis p. 41.

CAP. IV.

AD totum hoc caput pertinet Brevis διάσκεψις a B. *Jo. Gerhardo* edita, & *Theodor. Hackſpanii* Sylloge Diſſertt. Philologico-Theologic. Diſſ. X.

Verſ. 1-4. explicat *Alethæus* Tom. III. Illuſtrationis locorum difficiliorum vernacula lingua editæ p. 379. ſqq.

Verſ. 1. Τί ὖν ἐρῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν ἑυρηκέναι κατὰ σάρκα) Diverſas harum vocum verſiones Interpretum Gallorum lege apud *Jo. Clericum* in Biblioth. Vetere & Nova Tom. I. Part. II. p. 344. Ipſe ita reddit, ut nota interrogandi etiam ponatur poſt ἐρῦμεν, hoc modo: *que dirons nous donc? qu' Abraham nôtre Père a obtenu la juſtification ſelon la chair?* quid igitur dicemus? num id, quod Abraham, pater noſter, obtinuerit juſtificationem ſecundum carnem? Senſus ſic ſatis expeditus eſt. Malim tamen in conſueta interpunctione acquieſcere, & ſic vertere: *Quid igitur*, ſeu, *quam rem dicemus*, *Patrem noſtrum obtinuiſſe ſecundum carnem?* Non reſpondet Apoſtolus ad hanc quæſtionem directe, quod nec alias facere ſemper ſolet, ſed ita tamen, ut appareat, de qua re, quam Abrahamus conſecutus ſit, loquatur. Ait enim: ἐι γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα. Idem igitur eſt, ac ſi propoſitæ quæſtioni ſubjeciſſet: ἐι καύχημα; *num gloriandi occaſionem?* Sic omnia belle procedunt, & cohærent cum antecedentibus & conſequentibus. Nam cap. III. v. 27. idem interrogaverat: πῦ ὖν ἡ καύχησις; *ubi igitur eſt gloriatio?* Jam obverſuri videbantur Judæi exemplum Abrahami, cujus & opera & gratia apud Deum tam præclare in Scriptura Sacra prædicentur. Paulus itaque oſtendit, nihil tale etiam in Abrahamo occurrere. B. *Godofr. Olearius*, in Prælectionibus MSS. τὸ ἑυρηκέναι per *metam attigiſſe* interpretatur, quemadmodum Archimedes de problemate Mathematico diu quæſito & tandem invento ſimpliciter exclamarit: ἕυρηκα. Senſus foret: an dicemus, Abrahamum metam (juſtificationis) attigiſſe in carne?

Dubium hic eſt, quo pertineant verba κατὰ σάρκα, utrum ad πατέρα, an ad verbum ἑυρηκέναι; Prius amplectuntur multi veterum, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *Gennadius* apud Oecumenium, cum quibus facere videtur *Millius*. Atque ita acceperunt quoque recentiſſimi Interpretes Galli, *Beauſobrius* & *Infantius*, cum Vulgato. Nec negari ſane poteſt, ejuſmodi vocum tranſpoſitionem paſſim occurrere, v. c. ſupra II. 1. 2. 13. *Hebr.* VII. 20. 21. 22. Perit etiam difficultas, quæ alioquin in explicanda phraſi κατὰ σάρκα ſe offert. Sed viciſſim, ſi ita verba collocanda putentur, decedere aliquid videtur nexui orationis Paulinæ. Malim itaque τὸ, κατὰ σάρκα, referre ad ἑυρηκέναι cum *Herm. Witſio* Miſcellaneo-

laneorum Tomo II. p. 740. Is vero per *carnem* intelligit externa quædam privilegia ex lege rituum prodeuntia,qua mente Judæi in carne confidere dicantur *Philip.* III. 3. 4. & lex cerimoniarum *lex præcepti carnalis*, conſtitutionesque ejus *juſtificationes carnis* vocentur, *Hebr.* VII. 16. IX. 10. Tria ſcilicet erant in Abrahamo, *caro*, ſeu ceremonialia inſtituta, v. c. circumciſio, tum *opera*, & *fides*, quæ ad hanc cauſam, de qua Paulus quærebat, afferri poterant. Conſentit *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 447. & *Alethæus* Tom. III. p. 386. *Hombergius* in Parergis p. 201. eandem conſtructionem amplectitur, atque ita verba vertit: *quid igitur dicemus Abrahamum inveniſſe, quod ſit ſecundum carnem*, vel *carnale?* Carnale vero id ait dici, quod opponatur *Spiritui*, vel facultates tantum naturales inferat. *Jo. Clerico* ad Hammondum κατὰ σάρκα idem eſt, quod, *hominum judicio*, ſicut Joh. VIII. 15. dicatur ſimili ſenſu: κατὰ ἄνθρωπον. Sed vide contra utramque hanc ſententiam *Alethæum* l. c. p. 385. Dictioni Paulinæ convenientiſſimum eſt, τὸν σάρκα accipere de operibus legis, quemadmodum lex dicitur νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς *Hebr.* VII. 16. Ita τὸ κατὰ σάρκα idem eſt, atque ἐξ ἔργων νόμȣ. Confer mox v. 2. & *Wilh. Wall* Notas Criticas in N. T. p. 229.

Verſ. 2. Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐδικαιώθη ἐξ ἔργων) Præſupponit hæc argumentatio reſponſionem directam, quam hic commodiſſime per negationem exprimas cum *Arabe*, *Syro*, & aliis quibusdam Interpretibus, qui ſubintelligunt: *nihil*, vel *nullo modo. Si enim*, (ita pergit Paulus) *ex operibus* (vel ceremonialibus, vel moralibus) *juſtificatus* eſſet, &c.

Ἔχει καύχημα, ἀλλ᾽ ȣ̓ πρὸς τὸν Θεὸν) Videntur illi optime verbis & ſenſui Apoſtoli conſuluiſſe, qui ultima verba: ἀλλ᾽ ȣ̓ πρὸς τὸν Θεὸν a proxime antecedentibus ita ſeparant, ut repetatur phraſis: ἔχει καύχημα, hoc omnino ſenſu: *Si Abraham eſſet juſtificatus ex operibus, haberet gloriationem. Atqui adverſus Deum non habet gloriationem: quia Scriptura dicit, eum ex fide eſſe juſtificatum* v. 3. Hoc modo *Epheſ.* II. 8.9. dicitur, *ex fide non ex operibus nos juſtificari, ne quis glorietur.* Confer *Hombergium* p. 203.

Verſ. 3. Ἐπίςευσε δὲ Ἀβραὰμ &c.) Efficax eſt hic locus ad probandum, quod Paulus inſtituerat. Ibi enim de *fide* (האמין) non operibus Abrahæ ſermo eſt. Ibi non affertur *meritum*, ſed *imputatio.* Locum hunc data opera cum Hebraico *Geneſ.* XV. 6. comparant *Jo. Melchior* Tom. I. Operum Theologic. p. 469. ſqq. *Surenhuſius* l. c. p. 447. ex noſtratibus erudtiſſimus *Jo. Grammius* in Diſputat. II. de Veteris Teſtamenti Verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 28. & Cl. *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico p. 24. Fidei Abrahamicæ fundamentum illam promiſſionem fuiſſe,quæ extat Geneſ. XV. 1. exiſtimat *Alethæus* l. c. p. 395.

Ἐλογίσθη αὐτῷ ἐς δικαιοσύνην) De phraſi hac lege *Jac. Guſſeti* Commentarios de Lingua Hebr. radice חשב litera D. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. advocat huc Pſ. CVI. 31.ubi de Pinchaſo zelota adhibetur idem verbum, quando judicium exercuit in ſcortatorem, monetque eadem opera, obſervan-

ſervandum hic eſſe, quod, quamvis cædes, a Pinehaſo, non judice, ſed Sacerdote & privato, patrata videretur aliquid habere contra legem, nihilominus abſolutus a Deo ſit Pinehaſus, & commendatus. Num. XXV. 11. Sic & nos, addit, abſolvimur a peccatis, ſicut Pinehas a cæde, quam ſine vitio non licebat perpetrare privato. Commendatur fides noſtra, & denique gloriationem accipimus in fide noſtra. Fidem Abrahami, atque hinc ſecutam juſtificationem contra Pontificios & Socinianos vindicat *Theodor. Hackſpanius* in Sylloge Diſputatt. Theolog. & Philolog. Diſp. IX. p. 539. ſqq. Compara *Guſſetium* in Commentariis de Lingua Hebr. radice הלך p. 211. & in Addendis p. 921.

Verſ. 4. *Τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς ȣ̓ λογίζεται* &c.) Inſpice Biblioth. Bremenſem Claſſ. V. p. 699. ſq. & *Henr. Mori* Opera p. 327. ſq. ſed non ſine delectu adhibenda. Quæ noſtratium Diſputationes huc pertinent, eæ a *Wildeshauſenio* in Bibliotheca Diſputationum diligenter ſunt allatæ. Conf. *J. F. Buddei* Inſtitutiones Theologiæ Dogmaticæ p. 1338. ſq.

Verſ. 6. *Καθάπερ καὶ Δαβὶδ λέγει*) Compara hæc cum *Pſal.* XXXII. 1. 2. *Surenhuſius* in *Βίβλῳ καταλλαγῆς* p. 448. ſq. *Wokenius* in Harmonia Vet. & Novi Teſtamenti p. 313. & præſtantiſſimus *Jo. Grammius* in Diſſert. II. de V. T. verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 29.

Verſ. 7. *Μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι*) Horum verborum *ἐνέργειαν* *Guſſetius* in Commentariis ſuis modo allatis paſſim enucleat, v. c. in radice אשר lit. F. כסה lit. B. צדק lit. I. & רמה lit. H.

Verſ. 9. *Ὁ ȣ̓̃ν μακαρισμὸς ȣ̃τος, ἐπὶ τὴν περιτομὴν*) Subintelligendum hic eſſe *μόνον* recte monuit *Lamb. Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ p. 126. Eandem particulam addidit *Vulgatus.* Conf. *Philip.* II. 4. *Gatakerus* ad Antoninum II. 1. p. 48. recte reprehendit *Caſtellionem*, ita hæc vertentem: *Hæc beatitudo in circumciſionem ne cadit, an potius in præputium?*

ἢ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν) Hic verbum *πίπτει* ſubintelligere res ipſa jubet. Confer *Lamb. Bos*, l. c. p. 286. & *Dan. Fidleri* Poſitiones Philolog. ſuper quædam loca N. T. Poſit. II.

Λέγομεν γὰρ, ὅτι ἐλογίσθη τῷ Ἀβραὰμ ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην) Horum & ſequentium verborum ſummam nervoſe complexus eſt *Vitringa* in Obſervationibus Sacris lib. V. p. 53. *Docet itaque*, inquit, *Abrahamum eſſe juſtificatum ex fide, hactenus non circumciſum; juſtitiam illi gratuito eſſe imputatam, non obtentam meritis operum legalium; ipſi hactenus non circumciſo datum eſſe promiſſum, quo conſtitutus fuit pater mundi, ſive pater gentium, ut argumentum & ornamentum ſtatus juſtitiæ fidei; injunctum autem ipſi fuiſſe mandatum de Circumciſione, non, ut, eo præſtito, quicquam mereretur, cujus jus plenum & perfectum non haberet ex promiſſis ſibi ex gratia factis, ſed ut in circumciſione haberet teſſeram Sacramentalem tum ipſius illius juſtitiæ, quæ per fidem eſt, tum excellentium promiſſorum, quorum ipſi facta erat ſpes: unde tandem arguit, obtineri coram Deo poſſe juſtitiam per fidem abſque operibus legis: in Gentibus autem id plane eſſe neceſſarium, quia Abrahamus conſtitutus eſt Pater Gentium,*

ſive heres mundi , dum adhuc eſſet in præputio , quas cum oporteret exemplum Abrahami , quo tunc erat ſtatu , per omnia imitari , ipſas quoque ad ejus exemplum juſtificandas eſſe ex fide , juſtitia ſibi gratuito a Deo imputanda & quidem in præputio.

Verſ. 11. Καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως) Pauci quidam Codices & Patres , a *Millio* appellati , legunt hic σημεῖον περιτομὴν , quos non obſcure ſequendos judicat J. H. B. in Muſeo Bremenſi Vol. I. p. 397. At quemadmodum Vir doctus de paucis liberalius & ὑπερβολικῶς loquitur , quando illis haud ſpernendum numerum tribuit ; ita Cl. *Henr. Heiſenius* in eodem Muſeo p. 600. in communiore lectione perſiſtendum eſſe oſtendit, quemadmodum idem p. 582. contra eum evicerat, circumciſionem hic non ut notam populi Dei ab exteris gentibus diſtinctivam, ſed, ut notam, juſtitiam fidei Abrahamicæ obſignantem , adferri. Interim σημεῖον περιτομῆς idem eſſe, quod περιτομὴν σημεῖον pridem ab aliis eſt obſervatum. *Juſtinus Martyr* ad locum hunc reſpexit in Dialogo cum Tryphone his verbis uſus : Τὴν δὲ περιτομὴν εἰς σημεῖον, ἀλλ᾽ οὐκ εἰς δικαιοσύνην ἔλαβε. Et *Tertullianus* adverſus Judæos : *Ante Deo placuit , quam circumcideretur ; accepit autem circumciſionem , ſed quæ eſſet in ſignum temporis illius , non in ſalutis prærogativam.* De circumciſione , ut multiformi ſigno, diſſerit ad h. l. *Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus lib. I. cap. IV. Sect. II. quæ, habito delectu, conferri poſſunt. Cum illo ſane nemo circumciſionem ab exemplo & imitatione Ægyptiorum repetet, qui Paulinum hunc locum perſpexerit. Eo enim inſtituti hujus non divina ſolum origo, ſed ſcopus quoque præcipuus, ad omnia alia , quam quæ Spencerus hic præcipue quæri vult, pertinens indicatur. Omitto , quæ ab aliis Spencero ſunt oppoſita. Conferri vero huc velim *Seb. Schmidii* Faſciculum Diſputatt. Diſp. IV. p. 215. ſq. & 219. itemque *Andreæ Coleri* Schediaſma de ἐξουθενισμῷ circumciſionis tum aliorum, tum maxime Jo. Lightfooti, Kilon. 1688. Cum circumciſio σφραγὶς δικαιοσύνης τῆς πίστεως dicatur, ex Patrum ſcriptis explicat *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 695.

Εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων) Hoc elogio a Judæis quoque mactari Abrahamum oſtendit *Hackſpanius* de uſu librorum Rabbinic. p.461. Sic in Tract. Talmudico *Biccurim : initio erat pater Aram ſive Syrorum , & vocabatur* Abram : *tandem fuit Pater totius mundi, & vocatur Abraham.* Adde *Maimonidem* in Hilcot Biccurim cap. IV. §. 3. & compara Cl. *Lampium* in Exercitatt. ad Pſalm. XLV. p. 587. De ipſa vero paternitate Abrahami myſtica ex noſtratibus conſule *Seb. Schmidium* libro modo laudato p. 907. & 1139. ex Reformatis vero Doctoribus *Hulſium* de Prærogativis V. T. Diſſ. X. & *Vitringam* in Obſervatt. Sacris lib. V. cap. III. & V.

Τῶν πιστευόντων δι᾽ ἀκροβυστίας) i. e. *qui credunt in præputio*, ſeu, *non circumciſi.* Τὸ διὰ enim ad exemplum Hebraicæ particulæ ב paſſim idem eſt, quod *in.* Conf. 1 *Tim.* II. 15. & adde *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. I. p. 220.

Verſ. 12. Τοῖς στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι) Ita *Sextus Empiricus* adverſus Grammaticos

ticos lib. I. c. 10. p. 255. *ὁ μὲν τούτῳ στοιχῶν δύναται καὶ τὰς ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει διεξαλλαγὰς ἀπαραποδίστως ποιεῖσθαι.* Ubi præſtantiſſimus *Fabricius* noſter in notis obſervat, *στοιχεῖν* eſſe *conſectari*, ut agmen militare ſolet ſuos ductores. Conferri idem vult *Dounæum* ad Chryſoſt. Tom. VIII. p. 386. & *Salmaſium* de modo Uſurarum p. 517. ſq. itemque *Caſaubonum* in epiſtolam extremam *Nyſſeni* ad Euſtathium, Ambroſiam & Baſiliſſam. Adde iis *Jo. Bapt. Cotelerium* in notis ad Tom. I. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ p. 758.

Verſ. 13. *Οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ* &c.) *Ἐπαγγελίαν* hanc iiſdem, quibus Paulus utitur, verbis nuſquam factam, alii aliter explicant. Quidam putant reſpici promiſſionem terræ Canaan una cum typica ejus adumbratione ex *Geneſ.* XV. 7. alii benedictionem gentium omnium in ſemine Abrahami, *Geneſ.* XII. 2. 3. XVII. 4. 5. 6. & XVIII. 18. alii denique pollicitationem de Deo futuro in Deum ex *Geneſ.* XVII. 2. 7. 8. Atque hanc ultimam ſententiam amplectitur *Jo Marckius* in Exercitatt. Scripturariis num. XX. p. 617. Hanc enim promiſſionem ait eſſe præcipuam, & quæ reliquas omnes complectatur. Illa enim pariter ſpectat ad Abrahamum & ad ſemen *ejus* numeroſiſſimum, ſecundum expoſitionem Petrinam *Act.* II. 39. Hæc ipſi facta eſt ante Legem, & poſt fidem ejuſque imputationem in juſtitiam adhuc præputiato. Hæc non quidem meminit vel *mundi*, vel *hereditatis* diſerte, ſed comprehendit tamen certam hereditatem omnium tum in hoc mundo, in quo terra Canaan ſemini Abrahami addicebatur, tum in futuro. Huic ſententiæ lucem is adfert ex commentatione *Lud. de Dieu* ad h. l. At ille quidem promiſſionem iſtam ita potiſſimum accepit, ut hereditas mundi, quæ promiſſa hic dicitur Abrahamo, inferat *mundum ipſum, cum jure externis & corporalibus mundi bonis fruendi.* Ita enim ille: *Sicut enim peccatum eo ipſo, quod nos a Deo ſeparavit, ejuſque maledictioni ſubjecit, extorres nos & exheredes fecit, adeo, ut non vel in minimam creaturam ſpirituale ac filiis Dei dignum jus dominiumque haberemus; ſic contra ex ipſo, quod Deus ſit Deus noſter, noſque ipſius benedicti, reſtituimur tanquam filii in jus & dominium omnium paternorum bonorum.* Enimvero contra ea varia rectiſſime obſervat *Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. V. c. 4. p. 36. ſqq. tanquam talia, quæ ſcopum Apoſtoli deſerant, & notionem phraſeos illius nimis conſtringant. Ipſe viciſſim p. 31. reſpici hic potiſſimum putat *Geneſ.* XVII. 5. ubi Deus ad Abrahamum: נתתיך אב המון גוים *Patrem univerſitatis Gentium conſtitui te.* Per hanc *univerſitatem Gentium* non *mundum*, nec *terram Canaan*, ſed *Gentes*, per terram ſparſas, orbiſque incolas intelligit, ſed ita ut paternitas illa non proprio ſed ſpirituali & myſtico ſenſu intelligatur. Id enim Pauli argumentatio prodit. *Paulus utique*, ait Vir doctus p. 32. *hac ſua digreſſione id agit, ut demonſtret, Abrahamo per Dei gratiam obtigiſſe promiſſum non unius, ſed duplicis ſeminis, & quidem diverſiſſimi generis*, Carnalis & Spiritualis, Servi & Liberi, Legalis & Evangelici. *Sic ipſe exſerte* v. 16. Propterea ex fide eſt hereditas, ut ſit per gratiam, ut firma ſit promiſſio *παντὶ τῷ σπέρματι*, toti ſemini, non ei ſolum, quod eſt ex

Lege, *verum etiam ei, quod eſt ex fide Abrahami, qui eſt Pater omnium noſtrum. Promiſſum igitur Abrahamo datum, quo declaratur Pater multarum gentium, pertinet ad ſemen, quod non ederetur ex utero Saræ, ſed ἐκ πίστεως, ex fide, quod proinde eſſet ſemen Abrahami ſpirituale: in quo cenſentur omnes cujuscunque generis & ortus homines, qui veſtigia fidei Abrahami legunt, & cum Abrahamo τὴν δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης, donum juſtitiæ, obtinent in Chriſto, Abrahami filio: quod magnum beneficium Abrahamo obſignatum eſt duplici ſignaculo* mutati nominis אברם in אברהם, *quod nimirum eſſet* אב המון גוים & Circumciſionis, *ſed quod neutiquam confundendum eſt cum beneficio hereditatis terræ Canaan; quod alterius erat Teſtamenti bonum, & ab hoc magno beneficio ſollicite apud ipſum Moſen diſtinguitur.* Ex his & aliis ita diſputatis tandem p. 54. colligit: *Heredem itaque mundi eſſe Paulo eſt, gentes ſibi ſpirituali modo ſubjectas habere, in communione ejusdem juſtitiæ & beneficiorum ſpiritualium ac cœleſtium per fidem obtinendorum.* Atque illa in ſequentibus amplius confirmantur, mihique adeo clara videntur, ut non neceſſe putem quicquam his adjicere. Lege in eandem fere ſententiam *Jac. Altingii* Heptadem V. Diſſertationum num. VI. Tom. V. Opp. p. 142. ſq. Celeb. *Franc. Fabricium* in Chriſtologia Noachica Diſſ. IV. §. 26. & ex noſtratibus Cl. *Chriſtoph. Aug. Heumannum* in Pœcile Tom. III. lib. III. p. 382.

Verſ. 14. κεκένωται ἡ πίστις, καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία) Expoſitionem utriusque phraſeos ex Patribus petitam habes apud *Suicerum* in Theſauro Eccleſ. Tom. II. p. 87. & 59.

Verſ. 14. Ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται) i. e. Lex ſupplicium infert: Vide Patrum loca apud *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 505.

Οὐ γὰρ οὐκ ἐστι νόμος, οὐδὲ παράβασις) Cl. *Herzogius* in Obſervatt. de poſitu Interpunctionum in hac epiſtola p. 7. ita: *Juxta vulgarem diſtinctionem, & ex illa factam interpretationem vis probandi remiſſior eſt. Genuina punctatio per ſignum interrogandi reſerabit interius latentem ſenſum.* Interpungi itaque & verti vult ita: *Ubi enim non eſt lex, neque transgreſſio?* & lucis cauſa addit: *Teſtem quaſi provocat ipſam Romanorum conſcientiam, ut oculos circumferant, demonſtrentque unicum locum, in quo non legis alicujus monumentum ſit adpenſum & excitatum, & in quo non etiam invenienda ſit transgreſſio.* At interrogandi ſignum hic locum habere non poſſe ipſa particula γὰρ evincit, quam certus ſum Apoſtolum hic per linguæ rationes additurum non fuiſſe, ſed totam potius orationem aliter conformaturum, ſiquidem tale quid innuere voluiſſet. Recepta itaque interpunctio tenenda eſt, quæ & commodum ſenſum ſecum fert. Diſputat ſcilicet adverſus illos Apoſtolus, qui in præjudicium & contemtum gentium lege Dei lata ad conſequendam juſtitiam opus eſſe cenſebant. His obvertit iram ſeu pœnam ipſis metuendam, cum legem nec ſervent, nec ſervare poſſint, atque adeo ipſis Gentilibus infeliciores ſint, qui excuſatius peccarint, cum legem ſcriptam non habuerint, qua Judæi erant inſtructi. Confer infra V. 13. ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου, & v. 20.

Verſ.

Verſ. 17. Καθὼς γέγραπται· ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε) Vide ad v. 13. & obſerva, confirmari heic eorum ſententiam, qui per ἐπαγγελίαν ibi memoratam reſpici putant *Geneſ.* XVII. 5. Ad eum enim locum hic exſerte provocat Apoſtolus, cum quo verba hæc conferunt *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 449. ſq. & *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico p. 30.

Κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ τοῦ ζωοποιοῦντος) Sunt, qui τὸ, κατέναντι οὗ per notam interrogandi a reliquis vocibus diſtinctum volunt, ut *Grotius*, qui interrogationes Paulo frequentes eſſe hic obſervat, & *Herzogius* in Obſervationibus ſæpe citatis p. 7. Sed diverſam uterque interpretationem hinc elicit. *Grotius* vertit: *coram quo*? i. e. quo teſte? Et ſic, ex mente ejus, reſpondet Paulus: *coram Deo*, ſive, *Deo teſtante*. *Herzogius* autem interpretatur: *pro quo*? quod Germanice diceres: wovor? ut ſic reſponſio foret: *credidit Deo*; quo ipſo ſignificaretur ſimul, *in vicem* fidei Abrahamo datam eſſe hanc promiſſionem, quod futurus ſit Pater multarum gentium. Sed jure meo requiſiverim exemplum, quo voci κατέναντι iſta ſignificatio vindicari poſſit. Id certe, quod Vir doctus affert, nempe quod κατεναντι proprie de locis duobus uſurpetur, quorum ſitu. eſt ad ſe invicem in recta linea adverſus, ut *Luc.* XIX. 30. rem non conficits Rectius ſane *Grotius* per *coram* convertit, quam notionem vox obtinet tum apud LXX. Intt. tum *Marc.* XII. 41. ubi Chriſtus dicitur conſediſſe κατέναντι τοῦ γαζοφυλακίου h. e. ex *adverſo*, ſeu, *coram gazophylacio*. Atque hæc ſignificatio obſervatione *Herzogii* ſtabilitur magis, quam evertitur, tantum abeſt, ut illa pro nova ipſius interpretatione quicquam faciat. Interim non ignoro, alios aliam notionem voci κατέναντι tribuere, ut ſcilicet idem ſit, quod *ad exemplum*, ſeu *ad ſimilitudinem Dei*: quod, quemadmodum Deus Pater eſt omnium *ex creatione*, ſic Abrahamus ſit pater omnium noſtrum ſecundum exemplum fidei, ab eo probatæ. Ita ex veteribus *Chryſoſtomus* & *Theophylactus*, ex recentioribus autem *Jo. Clericus* in notis ad Hammondum, qui tamen in verſione Gallica rectius per *devant Dieu*, i. e. *coram Deo* expreſſit. Ex noſtratibus in easdem, quas modo diximus, partes concedit *Franckius* in Obſervationibus vernaculis p. 30. ſq. qui reddi vult: an GOttes ſtatt. Nec abit Rev. *Guſtav. Georg. Zeltnerus* in notis, quibus Biblia Lutheri Germanica Altorf. 1730. 8. edita illuſtravit. Sed præferenda omnino videtur interpretatio, per *coram* facta, quippe quæ ſimplicior eſt, & ſcopo Apoſtoli accommodatior. Paulus enim id vult, Abrahamum eſſe patrem noſtrum, *coram Deo*, h. e. vel *in conſpectu* & *judicio Dei*, qui ſcilicet unus de fide judicare poteſt, quique fidem Abrahami & conſpexerat, & probaverat; vel *in decreto divino*, quod ſcilicet eventu nondum erat confirmatum. Confer Cl. *Wolfburgii* Obſervationes Sacras p. 324.

Quemadmodum igitur ex commoda hac interpretatione apparet, illa interrogandi nota, noviter inducta, opus non eſſe; ita eandem locum habere prorſus non poſſe, vel ex eo intelligitur, quod, ea poſita, ratio reddi non poſſit, cur Apoſtolus ſcripſerit ἐπίστευσε Θεοῦ, non autem, quod verbum πιστεύειν poſtulat, Θεῷ. Viciſſim vero hujus ſtructuræ ratio aperta eſt, ſi verba, prout jacent,

 conjun-

conjungantur: κατέναντι ȣ̃ ἐπίϛευσε Θεȣ̃ τȣ̃ ζωοποιȣ̃ντος. Atticum enim hoc eſt, & idem eſt, ac ſi ſcriptum fuiſſet? κατέναντι Θεȣ̃, ῳ̃ ἐπίϛευσε. Id recte hic monuit *Eraſmus Schmidius*, & tralatitium eſt. Hic vero Atticiſmus, ſi voces a ſe invicem ſepares, ſtare non poteſt. Quis enim unquam ita ſcripſerit: κατέναντι ȣ̃; ἐπίϛευσε Θεȣ̃ τȣ̃ ζωοποιȣ̃ντος.

Ἐπίϛευσε) *Vulg.* vertit: *credidiſti.* Et ſic quoque B. *Lutherus.* Sed Codd. Græci, ſi unum alterumve, a Millio allatos, exceperis habent ἐπίϛευσε. Atque hoc rectius eſſe dubitari non poteſt, cum hic non afferatur oraculum Dei, Abrahamum alloquentis, ſicut nec *Geneſ.* XVII. 5. fidei Abrahami fit mentio, ſed argumentatio Pauli, cauſam illius paternitatis afferentis.

Καὶ καλȣ̃ντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα) Vide huc *Ezech. Spanhemium*, magnum & modeſtum literarum ſtatorem, ad Callimachum p. 39. & Cl. *Jo. Alberti* p. 302. qui phraſin τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα occurrere monet apud *Heliodorum* lib. III. p. 152. Similem *Hippocratis* initio περὶ τέχνης ex indicio præſtantiſſimi M.V. La Croze, qui inſignem eruditionem pari modeſtia ornat, affert Cl. *Elsnerus*, p. 24. Phraſin ὡς ὄντα rectiſſime B. Lutherus convertit: daß ſie ſeyn, *ut ſint*, pro quo alii dilutiori ſenſu: *quaſi ſint*; quos recte confutat *Elsnerus* l. c. allatis idoneis veterum locis, & inter hos illo *Ariſtidis* Serm. Sacr. V. p. 621. *juſſi ſervos* ὡς ἐξιόντας i. e. *ut exirent.*

Verſ. 18. Ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίϛευσεν) *Wilh. Wall* in Notis Criticis in N. T. anglice editis, p. 230. alterutram harum phraſium olim in margine perſpicuitatis cauſa poſitam, ac deinde in contextum temere illatam eſſe temere ſuſpicatur, adverſantibus Codicibus & verſionibus omnibus, nec ſine diminuta ſermonis Apoſtolici efficacia. Utraque certe phraſi opus eſt, quarum altera ſpes tollitur, rationi & externis περικειμένοις innixa, altera vero ſtabilitur ea, quam fide ſibi ſtruebat Abrahamus. Ἐλπὶς poſterior in phraſi ἐπ' ἐλπίδι denotat *promiſſionem, ſpem facientem*, per metonymiam, quod recte hic obſervat B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. Veteres Eccleſiæ doctores τὸ παρ' ἐλπίδα de ſpe *humana*, τὸ ἐπ' ἐλπίδι vero de ſpe *divina* accipiunt. Lege *Suicerum* Tom. I. Theſauri Eccleſ. p. 1094.

Εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν) Τὸ εἰς hic non eſt ἐκβατικὸν, ut cauſam finalem inferat, ſed articulum, ſive objectum fidei & ſpei denotat. Credidit Abrahamus huic propoſitioni, quod futurus ſit pater multarum gentium. Id monet idem *Olearius* l. c.

Οὕτως ἔϛαι τὸ σπέρμα σȣ̃) Vide *Surenhuſium* l. c. & *Franc. Wokenium* in Moſe Harmonico p. 24.

Verſ. 19. Καὶ ἀσθενήσας τῇ πίϛει) Lege *Seb. Schmidium* in Diſp. de Fide juſtificante §. 31. ſqq. quæ exſtat in Appendice ad Diſputatt. in Formulam Concordiæ p. 291. item comm. in Geneſin p. 180. & 255.

Οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτȣ̃ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον) Ex his conſtat, quo fine Paulus antea v. 17. commemoravit fidem Abrahami in Deum, vitam mortuis reddentem, nempe, quia Abraham Deo ita confiſus eſt, ut certiſſime ſibi perſua-

ſum

ſum haberet, ipſum naturalem generandi vim, quæ in ſe & Sara nulla erat, æque excitare, atque vitam reſtituere illis, qui ea exceſſerint.

Verſ. 20. οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιςίᾳ) *non hæſitavit per incredulitatem.* Ita Patres rectiſſime interpretati ſunt, quorum loca promit *Suicerus* Tomo I. Theſauri Eccleſ. p. 875. Unus *Æthiops* τῇ ἀπιςίᾳ hic omittit, & perſuaſit *Millio*, ut crederet, ex margine in contextum irrepſiſſe, quod adeo non eſt veri ſimile, ut, ſi plerique Codices eam vocem non agnoſcerent, textui tamen ex ipſa orationis ſerie vindicari deberet. Manifeſtum enim eſt, divinum Apoſtolum phraſin οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιςίᾳ hic eleganter & efficaciter opponere alteri: ἀλλ' ἐνεδυναμώθη τῇ πίςει. En hinc *dubitationem incredulitate nixam*, hinc Abrahamum *fide auctum*!

Verſ. 21. Καὶ πληροφορηθεὶς) *pleniſſime perſuaſus*: quam verbi efficaciam eſſe Patres docent apud *Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſt. Tomo II. p. 731. & 752. De eadem lege *Jo. Pearſonii* notas ad Ignatii Epiſtolas p. 9.

Verſ. 24. Τοῖς πιςεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν Κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν) Inſpice B. *Jo. Guil. Jani* Programma Paſchale Vitembergæ 1722. 4. ed. de Paſchate ςαυρωσίμῳ & ἀναςασίμῳ. Compara Relationes Theologicas innoxias an. 1722. p. 1085.

Verſ. 25. Ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν) Eximie hæc verba illuſtrantur a B. *Thoma Ittigio* Programmate ſingulari, quod in Opuſculis ejus p. 393. ſqq. & in *Gabrielis Terne* Sylloge I. Programmatum recuſum exſtat p. 639. ſqq. Ante illum lucem iisdem affuderant *Jac. Clauderus* in Diſp. de Summa Evangelii ab Apoſtolis prædicati, Lipſ. 1650. & *Jo. Guil. Baierus* Jenæ 1694. quorum numerum poſtea auxerunt B. *Jo. Franc. Buddeus* in Programmate ad eadem verba relato, & in Meditationibus ejus Sacris, Jenæ 1725. a M. Leonhardo editis, recuſo p. 88. ſqq. Rev. *Georg. Frider. Schrœerus* in Programmate, de quo Acta Literar. Acad. Witteberg. Tom. I. Part. II. p. 113. & D. *Jeſ. Frider. Weiſſenborn*, de quo Relationes menſtruæ Jenenſes anni 1726. p. 345. ſq. exponunt. Phraſin παρεδόθη illuſtrat ſpeciatim *Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. II. Obſ. I. c. 9. p. 168. ubi oſtendit, verbum παραδίδωμι, de Chriſto in Novo Fœdere enunciatum, paſſim notare, quod Chriſtus a Judæis traditus ſit gentibus eum in finem, ut ab ipſis crucifigeretur. Vide *Matth.* XXVI. 2. & *Luc.* XXIV. 20. Ex quo conficit, Paulum id h. l. velle, quod Chriſtus traditus ſit cruci, h. e. *crucifixus propter offenſas noſtras.*

CAP. V.

AD totum hoc caput illuſtrandum pertinent Diſputationes *Jac. Martini* Witteb. 1639. & *Mich. Cobabi* Roſtoch. 1658. editæ. Idem, in quantum ad Peccatum Originale adſtruendum & judicandum pertinet, a Socinianorum exceptionibus vindicat *Jo. Coccejus* epiſtola ſingulari, quæ exſtat Tomo II. Opp. Poſthumorum p. 627. ſqq. qua opera idem fuſius perfungitur p. 485-494. ubi præterea toti capiti lux accedit. Nonnulla hujus capitis non illuſtrat, ſed per-

pervertit *Sam. Crellius*, Joannis nepos, in *Cogitationibus novis de Adamo primo & ſecundo*, ſive de ratione ſalutis, per illum amiſſæ, & per hunc reparatæ compendio, *Amſtelod.* 1700. 8. Illi vero paulo poſt occurrit *Jo. Schmidius*, ὁ μακαρίτης, in Animadverſionibus libello huic oppoſitis Lipſiæ. Confer Acta Eruditorum Lipſienſium Latina Tom. III. Supplementorum p. 483. Junge ſcriptum Anonymi vernaculum: **Pauliniſche** Parification **des erſten und andern Adams** an. 1715. editum, quod oculis uſurpare nondum mihi licuit.

Verſ. 1. Δικαιωθέντες ὖν ἐκ πίϛεως) Quamvis verba hæc, in ſe conſiderata, ad omnes, ſive ex Judæis, ſive ex Gentilibus, tunc converſos, pertineant, ſub poſteriorum tamen præcipue perſona loqui hic Apoſtolum non præter rem obſervat *Lockius* ad h. l. applaudente *Jo. Clerico* in Biblioth. Selecta Tom. XIII. p. 123. Hos enim exiſtimat proprie dici poſſe ἀσθενεῖς, ἀσεβεῖς, ἁμαρτωλὺς, ἐχθρὺς.

Εἰρήνην ἔχομεν) Codices quidam, tum verſiones, & Patres legunt ἔχωμεν, *habeamus.* Sed recepta lectio facile ſe tuetur ex eo, quod in ſequentibus eadem indicativi forma in verbis ἐσχήκαμεν, ἑϛήκαμεν, & καυχώμεθα occurrat, nec præterea hic de re ſermo ſit, quam habere poſſimus, aut parare nobis queamus, ſed quam per divinum munus poſſideamus. Miror itaque, *Rich. Simonium* alterum illud ἔχωμεν tanto conatu defendiſſe in Hiſtoria Critica N. T. Vol. III. p. 900. quod rectius deſerit *Whitbius* in Examine Variant. Lectionum p. 58. *Coptica* prorſus aliena habet, quando vertit: *faciamus.* Vide doctiſſimi *Dav. Wilkinſii* Prolegomena ad verſionem Copticam N. T.

Πρὸς τὸν Θεὸν) *cum Deo*, ut recte B. *Lutherus*: non *ad Deum*, ut *Vulg.* Sic *Lucianus* in Pſeudomant. p. 751. Εἰρήνη βαθεῖα ἦν αὐτῷ πρὸς ἐκείνυς, & *Polyb.* lib. II. εἰρήνην ἄγοντες πρὸς Ρωμαίυς, & alii apud *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 104. & *Jo. Alberti* Obſervatt. p. 303. itemque Rev. *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 202. denique Cl. *Dav. Millium*, vel potius *Jo. Vriemoet* in Specimine Miſcellaneorum Philologic. p. 22. Itaque non erat, cur *Trillerus*, emphaſin hic ſectaturus, contenderet, vertendum eſſe **zu GOtt**, *ad Deum*, quem confutatum vide a *Schœnlandio* in Vindiciis ipſi oppoſitis p. 98. Verſio illa Trilleriana nec Germanica eſt, nec Græcæ linguæ genio reſpondet. Comma integrum ſingulari concione illuſtrat *Lightfootus*, quæ exſtat in Operibus ejus Anglice editis, Tom. II. Part. II. p. 1050-1055.

Verſ. 2. Δι' ὖ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν) Eadem phraſis, ſed alio ſenſu exſtat apud *Polybium* p. 800. Illuſtratur, prout h. l. exſtat, a *Lamb. Bos* in Obſervatt. Criticis p. 149. ſqq. Oſtendit ille, προσαγωγὴν vi duplicis notionis verbi προσάγειν, quod & *adducere* & *accedere* notet, deſignare & *adductionem* & *acceſſionem*, eminenter vero uſurpari de acceſſu ad Reges & Principes, qui alicui datur per *interpretes* eorum & *conciliatores*, quos Græci προσαγωγεῖς appellant, Latini autem *ſequeſtros.* Sic Onomaſticon: προσαγωγεὺς, *ſequeſter.* Ex his conficit, Chriſtum, Dominum noſtrum, hic repræſentari ut ſequeſtrum & conciliatorem, per quem credentes ad Deum accedant, & cum eo colloquantur. Is dicitur προσάγειν ἡμᾶς Θεῷ 1 *Pet.* III. 18. Conf.

Eph.

Eph. II. 18. Verbum ἐσχήκαμεν B. *Lutherus* reddidit in præſenti: wir haben; quemadmodum Paulus *Eph.* II. 18. hac forma in eodem argumento utitur: ὅτι δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγήν. Et frequens eſt ejusmodi temporum enallage. Alioquin verti etiam poterat per: *adepti ſumus.* Sic *Heſiodus* Ἔργων v. 126. καὶ τοῦτο γέρας βασιλήϊον ἔσχον, *atque hanc regiam dignitatem conſecuti ſunt.* Lege *Lamb. Bos* in Exercitatt. Criticis p. 105.

Τῇ πίστει) Unus alterve Codex non habet: hinc Scholion importune ſatis in contextum intruſum videtur *Millio* in Prolegomen. §. 444. quod nemo crediderit, qui recogitet, S. Paulum libentiſſime & frequenter τῆς πίστεως facere mentionem, de cujus quippe momento & robore in negotio Juſtificationis inprimis agebat. Imo neceſſaria illa eſt, ſi amplectamur *Lamb. Boſii* ſententiam in Obſervatt. Criticis p. 150. propoſitam. Is enim voces εἰς τὴν χάριν ταύτην non cum antecedente προσαγωγὴν ἔχομεν, ſed cum πίστει conjungit, ut idem ſit, ac ſi dicas: *fide adhibita gratiæ* h. e. doctrinæ Evangelicæ de gratia Dei; quo ſenſu vox χάρις exſtat *Joh.* I. 17. *Tit.* II. 11. & 1 *Pet.* V. 12. Ita vero dicitur πιστεύειν εἰς τὴν μαρτυρίαν, 1 *Joh.* V. 10.

Ἐν ᾗ ἑστήκαμεν) in qua, ſcilicet *fide*, vel *gratia* ſtamus. Grotius ad *fidem* refert, *Boſius* l. c. p. 151. ad *gratiam*, idque, meo judicio, rectius, ut nempe indicetur, ipſos perſiſtere in doctrina Evangelica. Sic Petrus 1 ep. V. 12. παρακαλῶν καὶ ἐπιμαρτυρῶν, ταύτην εἶναι ἀληθῆ χάριν Θεοῦ, εἰς ἣν ἑστήκατε.

Ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ) *Vulg.* vertit: *& gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*, unde legiſſe videtur in exemplari Græco: τῆς δόξης τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ. Atque hanc lectionem non ſpernendam putat *Boſius* l. c. p. 152. Cum vero nec Codex ullus, teſte *Millio*, nec verſio ulla, præter *Vulg.* ita legat, rectius ab ea abſtinetur. *Boſius* quidem provocat ad *Rom.* VIII. 21. ubi itidem memoretur ἐλευθερία τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. Sed id nihil probat aliud, quam Paulum ita ſcribere h. l. potuiſſe. Scripſiſſe autem vere, non ſit veriſimile, quia h. l. non agit de υἱοθεσία fidelium, de qua cap. VIII. diſſeruerat, hoc ipſo inductus, ut deinde de gloria vitæ æternæ, tanquam bono filiorum Dei hereditario, faceret mentionem. Itaque aſſentior potius Millio, qui lectionem illam ex cap. VIII. 21. huc mutuo a librariis vel ſciolis ſumtam credit. Confer ad hoc comma *Amelium* Parte I. p. 446. ſq. & *Alethæum* Tomo I. p. 67. ſqq.

Verſ. 3-5. explicantur a *Jo. d'Outrein* in libro Belgico, quem inſcripſit *Honigraad der Verdrukkingen* p. 1-191.

Verſ. 4. Ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν) Δοκιμὴν Interpretes Galli omnes vertunt per *épreuve* i. e. *probationem*, ſeu actum probandi. Sed cum ille non ſit effectus patientiæ, aut conſtantiæ, verum potius cauſa, *Jo. Clericus* in Biblioth. Vetere & Nova Tom. I. Part. II. p. 345. mavult vertere per *approbationem*, ut ſic conſequens ponatur pro antecedente, quia, qui explorati & probati ſunt, iidem non reprobantur. Non inſcite hæc admonentur. Cum vero vocem δοκιμὴ in hac notione apud Auctores nusquam obſervaverim, malim in recepta interpretatione acquieſcere, & cum B. *Luthero* noſtro accipere de *experientia*, quam

 homo

homo ſibi parit, vel *de exploratione ſui ipſius* cum *Grotio.* Calamitas enim, recte adhibita, omnino efficit, ut homo ſe ipſum exploret, & diſcat, quis ſit: exploratio vero illa & experientia cum eventu calamitatum conjuncta, ſpem accendit in divino auxilio collocatam. Verba hæc cum *Jac.* I. 3. cum quo pugnare videri poterant, conciliat *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 325.

Verſ. 5. Ἡ δὲ ἐλπὶς ἐ καταισχύνει) Vide *Suiceri* Theſaurum Eccleſ. Tom. I. p. 1096.

Ὅτι ἡ ἀγάπη τȣ̃ Θεȣ̃ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν) Amor hic Dei is intelligendus eſt, quo nos Deus proſequitur. Hinc Paulus v. 8. eum ait a Deo commendari & prædicari, atque idem pro immoto ſpei, in Deo collocatæ, fundamento habetur. Lege in hanc ſententiam *Mart. Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. X. 1. §. 61. Adde B. *Jo. Guil. Baieri* Diſſertat. de dilectione Dei in nos effuſa, *Jen.* 1692. *Henr. Höpfneri* Diſp. IV. de Juſtificatione p. 256. & *Hülſemanni* Manuale Auguſtanæ Confeſſ. p. 125. Contra Socinianos hoc comma vindicat *Witſius* in Exercitatt. ad Symbolum Apoſtol. p. 427. De efficacia verbi ἐκκέχυται, qua copiam & abundantiam infert, lege differentem ex Eccleſiaſticis & profanis Scriptoribus *Suicerum* Tom. I. Theſauri Eccleſ. p. 1075.

Τȣ̃ δοθέντος ἡμῖν) Pauci Codices non habent. Itaque aſſumentum videtur *Millio* in Prolegomenis §. 451. forſan ex 1 *Joh.* III. 24. deſumtum. *Quis enim*, inquit, *verba tam inſignia inter ſcribendum præterierit?* Ratio addita nimium probat, atque adeo, quod ad h. l. attinet, nihil. Sic enim pleræque librariorum omiſſiones, quæ frequentiſſimæ ſunt, non debebant nobis eſſe ſuſpectæ. Sane verbum ἐκκέχυται phraſin hanc requirere videtur.

Verſ. 6. Ἔτι γὰρ Χριςὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν) Τὸ ἔτι ad vocem ὄντων Interpretes tantum non omnes adhuc retulerunt hoc ſenſu: *Chriſtus enim, cum adhuc infirmi eſſemus.* Recte illos ita egiſſe vel ex v. 8. apparet, ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων, quibus verbis Apoſtolus omnino ad præſens comma reſpicit. Cum vero ita Synchyſis aliqua admittenda ſit, interceſſerunt alii, & particulam ἔτι ad nexum orationis pertinere, & alia ſignificatione induendam putarunt, ut idem ſit, quod *inſuper, porro, ad hæc.* Primus, ni fallor, inter hos eſt *Seb. Schmidius* ad h. l. Eum ſecutus eſt Cl. *Franc. Wokenius* in Pietatis Criticæ Parte II. contra Synchyſes, p. 121. & noviſſime Cl. *Oederus*, qui primus viam hanc ingreſſus ſibi videtur, in Obſervationibus Sacris p. 521. Urgent illi inprimis emphaſin, quam vox ἔτι, initio commatis poſita, obtineat. *Oederus* duo in hanc cauſam loca affert *Luc.* IX. 42. & XIV. 26. Prior ἔτι δὲ προσερχομένȣ αὐτȣ̃ huc non pertinet, neque per *inſuper* aut *porro* explicari poteſt. Spectat enim omnino ad dæmoniacum, τὸν προσερχόμενον, quem in ipſo ad Chriſtum acceſſu correptum & vexatum fuiſſe Lucas teſtatur. Alter, fateor, accommodatior eſt; ibi vero τὸ ἔτι ſignificatum τȣ̃ *inſuper* non ex poſitu orationis, ſed ex περικειμένοις tuetur, nihilque aliud evincit, quam quod hoc quoque loco habere poſſit, modo cetera patiantur. Ut taceam, τὸ ἔτι hic in medio commate occurrere, multa in Scriptoribus Sacris exſtant loca, in quibus idem etiam in limine commatis ſine ulla emphaſi

emphaſi in ſignificatu *adhuc* exſtat. Vide, ſodes, *Matth.* XII. 46. XVII. 5. *Marc.* V. 35. *Luc.* VIII. 49. &c. Jam vero nulla gravis cauſa adeſt, quæ nos ad deſerendam h. l. communiorem ſignificationem compellat. Talem certe non infert *Synchyſis*, hoc poſito, largienda. Quamvis enim non inficier, eam in nonnullis Scriptorum Sacrorum locis præter rationem ſtatui, certiſſime tamen mihi perſuadeo, non omnes ab illis liberari poſſe. Quod ipſum non magis vitio verti poteſt divinis præconibus, quam fraudi unquam fuit probatis & præſtantiſſimis Græciæ Latiique auctoribus. Neque ſic perit emphaſis vel dictioni vel argumentationi Paulinæ. Ea vero non in hac particula, ſed in re ipſa, quam Paulus ediſſerit, nempe in morte Chriſti, pro hominibus adhuc impiis adeoque rejectitiis perlata, quærenda eſt.

Κατὰ καιρὸν) Voces has Interpretes nonnulli, ut *Clericus*, in verſione omittunt, ideo procul dubio, quod per τὸ ἔτι jam ſatis indicari exiſtimarent. Alii rectius exprimunt, & ad antecedentia ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν referunt. Sic *Caſtalio: cum nos adhuc eſſemus per tempus infirmi*, & *Eraſmus* ſimiliter: *juxta temporis rationem*. At rectiſſime alii κατὰ καιρὸν referunt ad ſequentia: ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε, hoc ſenſu, quod Chriſtus *conſtituto* & opportuno tempore, quo nec ſerius nec citius fieri oportebat, pro hominibus mortuus ſit. Ita Beza, & Eraſmus Schmidius: *ſuo tempore*. Atque hæc eſt phraſeos notio apud LXX. Intt. & externos Scriptores. Ita *Jeſ.* LX. 22. ἐγὼ κύριος κατὰ καιρὸν συνάξω αὐτούς. *Joh.* V. 4. ἄγγελος κατὰ καιρὸν κατέβαινε. *Lucianus* in Hermotimo p. 511. ἀποδιδόασιν αὐτῷ κατὰ καιρὸν τοὺς τόκους. *Reddunt ipſi ſtatuto tempore fœnera*, & alii plures, quos magno numero afferunt *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 105. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 427. & Xenophonteis p. 203. tum vero *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris p. 304. Hinc rectiſſime verſio Gallica Montenſis: *dans le tems deſtiné de Dieu.* Confer Defenſionem illius continuatam p. 172. ſq. ubi etiam ex Patribus & aliis Interpretibus oſtenditur, τοὺς ἀσθενεῖς hic denotare homines *impios*.

Cl. *Oederus* l. c. p. 535. mavult per *opportune* ſive *in tempore* interpretari, reſpectu habito non *ad tempus quoddam præſtitutum*, ſed *ad tempus, quo aliquid maxime commode accidit*, quodcunque id ſit. Hoc ſenſu phraſis κατὰ καιρὸν occurrere ipſi videtur apud τοὺς LXX. *Jeſ.* LX. 22. *Num.* XXIII. 23. *Job.* V. 26. Rationem ita ſentiendi hanc affert, *quod circumſtantia illa temporis divinitus præſtituti, quo Chriſto moriendum fuerat, hic nihil admodum conferre videatur ad ſcopum Apoſtoli.* Enimvero divini Vates V. T. de tempore, a Deo huic rei definito, paſſim loquuntur, & diſertiſſime quidem *Daniel* c. IX. *Habac.* II. 3. *Hagg.* II. 7. & *Malach.* III. 1. Ad idem tempus, tanquam a Deo ſtatutum provocat Paulus *Gal.* IV. 4. ubi de nativitate æque ac morte Chriſti expiatoria loquitur. Cum vero & hic de eadem loquatur, nihil video obeſſe, quo minus eandem illi cogitationem tribuamus. Neque obſtat, quod ſibi perſuadet Vir doctus, ſcopus Apoſtoli. Hic enim in eo poſitus eſt, ut amorem Dei vel maxime ex illo redemtionis negotio eluceſcere oſtendat. Hinc v. 5. ait: ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ

ἐκκέχυται

ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Nonne vero inſigne divini in nos amoris argumentum eſt, quod rem, noſtræ ſaluti profuturam, non ſolum gratioſe conſtituerit, ſed certo etiam tempori ita alligarit, ut, collatis temporum ſignis, comparatoque cum vaticiniis eventu, certo conſtaret, veniſſe illum generis humani liberatorem, cujus adventus tam diu ſignis adhibitis præſignificatus erat? Si id tantum ageret Vir doctus, ut intelligeretur, tempus, quo Chriſtus pro nobis mortuus eſt, maxime *opportunum* fuiſſe, in hoc quidem nos haberet admodum conſentientes. *Opportunitas* enim illa vel ex ipſo divini Numinis decreto ſapientiſſimo, & rebus ipſis nunquam non accommodato, conſequitur. At aliud intendit Cl. *Oederus.* Verſionem enim illam ſuam: *opportune Chriſtus pro impiis mortuus eſt*, ita amplius exponit: *opportune in mentem venit: Chriſtum pro peccatoribus mortuum eſſe. Nil enim*, ita pergit, *fere frequentius eſt, quam ut verba, quæ* eſſe *vel* agere *ſignificant, pro rei cognitione ponantur.* Hoſ. V. 15. usque dum יאשמו *rei ſint*, h. e. *reos ſe agnoſcant, & fateantur. Joh.* IX. 41. Dicit eis Jeſus: ſi cœci eſſetis, non haberetis peccatum, h. e. *ſi cæcitatem veſtram ſpiritualem agnoſceretis, peccatum vobis remitteretur.* Ex his eam denique Pauli mentem elicit p. 536. *Quod vero maximum eſt, cum infirmi in fide ſumus, Chriſtus opportune pro impiis mortuus eſt:* eandemque ita porro illuſtrat: *meditationem hanc in animis piorum ſæpe, præſertim ſuperatis tentationibus, adeo recentem, vivacem, vegetamque eſſe, atque adeo præſentem animæ Salvatorem ſuum ſiſti, ut nunc demum mori ac redimere homines videatur.* Non habeo, quod canoni illi exegetico, vel allatis ejus exemplis, opponam, niſi quod præter neceſſitatem & parum opportune ad hunc locum accommodari mihi videatur. Hoc modo non lux, ſed tenebræ inferuntur loco per ſe non admodum obſcuro. Obſcuritas illa augetur, quando Vir doctus per τὺς ἀσθενεῖς hic non homines *in peccatis mortuos omnibus viribus ſpiritualibus deſtitutos*, ſed *infirmos fide, & ob peccatorum conſcientiam langueſcentes* intelligi vult. Id enim agit operoſe p. 526. ſqq. At priorem illam noſtratium interpretationem novellæ huic præferendam eſſe ex iis argumentis cordato cuique manifeſtum erit, quæ ipſe & noſtratium ſententia attulit. Ἀσθενεῖς enim hic ſunt, qui ἀσεβεῖς v. 6. & ἁμαρτωλοὶ v. 8. Verbum ἀσθενεῖν de totali virium abſentia adhibetur *Rom.* VIII. 3. ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς & LXX. paſſim verbum ἀσθενεῖν adhibent, ubi Hebraica ejusmodi v. c. כשל & אמל exprimenda ſunt, quæ *exciſionem* vel *lapſum* omnimodum inferunt. Vide *Pſalm.* IX. 3. *Dan.* XI. 33. *Jerem.* VI. 7. Excepit quidem ad hæc nonnulla Cl. *Oederus*, ſed ita, ſi quid video, comparata, ut quovis pignore auſim contendere, vix ullum fore, qui in adſenſum rapiatur. Itaque illa examini lectorum ſecure permitto.

Verſ. 7. *Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τὶς ἀποθανεῖται· ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν*) Locus hic vexatiſſimus complurium ingenia exercuit, quorum præcipuos appellabimus. Ex veteribus huc pertinet *Hieronymus* in Epiſt. CXI. ad Algaſiam, ubi quinque diverſas ejus expoſitiones affert. Ex recentioribus, nominatim noſtratibus, *Jo. Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 77. quem

quem ſequitur *A. H. Franckius* in Continuatione Obſervatt. Biblic. p. 319. *Georg. Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 203. *C. A. Heumannus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. Faſcic. II. p. 285. *Jo. Laur. Moshemius* cum Heumanno conſentiens, in Diſſert. de eo, quod juſtum eſt circa Sacrarum literarum interpretationem ex Scriptoribus priſcis p. 65. quæ recuſa exſtat in Obſervatt. ejus Sacris lib. I. p. 89. nec non in Triga Obſervationum Sacrarum, Obſ. II. p. 17. atque hinc in laudatis antea Obſervationibus p. 218. Auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom. III. p. 466. *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 31. &, qui idem eſt, *Pet. Zornius* in Diſſ. de phraſeologia Dogmatica p. 24. & in Bibliotheca Antiquaria Tom. I. p. 237. ſq. nec non *J. C. Harenbergius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VII. p. 473. ſqq. Ex *Anglis* & Reformatis conſulendi inprimis ſunt *Thom. Gatakerus* in Adverſariis Miſcell. lib. II. c. 9. *Thom. Goodvvinus* in Moſe & Aarone p. 73. quem, quamvis non appellatum, ſequitur *Relandus* in Antiquitatt. Hebr. p. 266. *Tanaquil Faber* lib. II. epiſt. 14. p. 43. quem *Pet. Zornius* in Biblioth. Antiquaria recte deſerit, & confutat, *Hoornbeeckius* in Miſcellaneis Sacris lib. III. c. 18. *Hombergius* in Parergis p. 203. *Vitringa* de Vetere Synagoga p. 798. Ex Pontificiis denique recentioribus *Martianæus* in Conatibus novæ verſionis Gall. ad h. l. Apud eos itaque diverſas Interpretum ſententias legat, cui libuerit: nos in veriore enarranda acquieſcemus, quam etiam pleriſque eorum, quos nominavimus, placuiſſe videmus. Scilicet voces & δίκαιος & ἀγαθὸς hic non in *neutro*, ut *rem juſtam* aut *bonam* indicent; ſed in maſculino, ut hinc *hominem juſtum*, ſeu virtute præditum, ſed nec injuria nec beneficio alteri cognitum; hinc *hominem beneficum* inferant, accipiendæ ſunt. Hoc manifeſtum eſt ex eo, quod Paulus non de rebus, ſed de perſonis hic loquitur. Sic v. 6. ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε, & v. 8. ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν ἀπέθανε. Alteri vero voci ἀγαθὸς eam, quam dixi, notionem ex Hebræis, Græcis & Latinis Scriptoribus vindicarunt *Heumannus*, *Raphelius* & *Harenbergius* ll. cc. quam & *Knatchbullus* & *Hammondus* ad h. l. quamvis non adductis veterum locis, amplexi ſunt. Sic *Jeremiæ* XXXIII. 11. Deus vocatur טוב i. e. *benignus, miſericors. Matth.* XX. 15. ἀγαθὸν B. *Lutherus* reddidit gütig i. e. *beneficum*, ut contextus accipere jubet. Ex Latinis vero Scriptoribus illuſtris eſt *Ciceronis* locus de Officiis lib. III. c. 15. a Rev. *Raphelio* allatus. *Si vir bonus eſt is, qui prodeſt, quibus poteſt, nocet nemini, recte juſtum virum, bonum non facile reperiemus.* Quod ad vocem Hebræam טוב attinet, malim cum *Goodvvino* & *Relando* ll. cc. exiſtimare, Paulum exprimere voluiſſe vocem חסיד, quæ de hominibus *beneficis* in alios ſolet uſurpari, quemadmodum δίκαιοι צריקים vocantur. Conferantur Auctores des Heb-Opfers Tom. III. p. 467. & *Triglandius* in Diatribe de Karæis p. 99. inprimis vero *Vitringa* de Vetere Synagoga p. 798. ſq. Ita in *Pirke Avoth.* V. 10. האומר שלי שלך ושלך שלך הסיד h. e. *Qui dicit: quod meum eſt, tuum eſt; &, quod tuum eſt, tuum eſt, vocatur* חסיד, ad quem locum lege *Maimonidem.* Cl. *Hombergius* l. c. τὸν ἀγαθὸν de *potente* vel *præſtante* accipere mavult, in quo vereor, ut applauſores inveniat. Vox ἀγαθὸς, quæ tam frequenter in ſacris occurrit,

nuſquam in iis hoc ſignificatu adhibetur, quem ne ſic quidem h. l. circumſtantiæ textus admitterent. Vox enim ἀσθενεῖς, quam urget Vir doctus ex v. 6. infirmitatem non phyſicam, ſed moralem h. e. homines impios infert. Ex dictis ſenſus commatis hic fuerit, quem Cl. *Heumanni* verbis prodemus: *Nemo oppetit mortem pro homine quantumvis pio bonoque* (*Harenbergius* l. c. non inſcite mavult de *rigido juſtitiæ exactore*, ex *Eccleſ.* VII. 16. accipere, quo ſenſu Græci præcipiunt: δίκαιος εἶναι μᾶλλον ἢ χρηστὸς θέλε· *juſtus eſſe magis, quam benignus velis*) *ſed a quo tamen nihil boni in ſe profectum ſit; illud autem contingere poteſt, ut homo pro eo moriatur, quem ob accepta beneficia tenerrime amat: at nos homines a Deo impenſiſſime amati ſumus, cum tamen nec eſſemus* δίκαιοι, *ſed* ἁμαρτωλοὶ v. 8. & ἀσεβεῖς v. 6. *neque* ἀγαθοὶ, *quippe cum Deo non ſolum nihil boni præſtiterimus, ſed, quantum quidem in nobis fuit, maleficiis eum affecerimus tanquam hoſtes* v. 10. Hinc ſimul patet, quam inconſulte *Tanaquil Faber* violentas manus commati intulerit, quando verba illa: ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν, tanquam ſcholion aliquod, ex margine huc illatum, exſulare jubet. Contra eum recte & ſolide diſputant *Moſhemius* & *Zornius* ll. cc. ut hoc labore ſuperſedere ſecure poſſimus. Magis mirum eſt, noviſſimum editorem Novi Teſtamenti Græco-Anglicani pro δικαίου in textu collocare potuiſſe ἀδίκου, nec vidiſſe, quod ſic ſenſus dictionis Apoſtolicæ & frigidus & falſus naſcatur. Quis enim crediderit, quenquam a ſe impetrare poſſe, ut pro *injuſto* vel *difficulter* mortem ſubeat? Id autem vult ſibi vox μόλις, quam idem Editor in verſione ideo contra Græcæ Linguæ rationem per meram negandi particulam expreſſit.

ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τὶς) Τὸ γὰρ per *quamvis* hic reddendum putat *Altingius* Tom. V. Operum inter epiſtolas p. 173. quem ſignificatum eidem particulæ tribui vult *Joh.* IV. 44.

Καὶ τολμᾷ) Τὸ καὶ hic emphaticum eſſe recte obſervat Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 428. loco Polybii p. 789. adductus, ubi ita: περὶ δὲ τῶν διαδεξαμένων πῶς καὶ τολμᾶτε μνημονεύειν, *de ſucceſſoribus autem quomodo etiam verba facere audetis? Gatakerus* in Cinno p. 42. τὸ τολμᾷ per *velit* convertit, quod non crediderim Pauli mentem ſatis exprimere. Robur enim animi is indicare voluit, quod ad mortem pro alio ſubeundam requiratur. Τὸ τολμᾶν rectius hic per *ſuſtinere*, quam per *audere* converti, ex Patribus & aliis oſtendit *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 1276.

Verſ. 8. Συνίστησι δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην) *De Roa* lib. I. p. 55. τὸ συνίστησι explicat per: ſatis ſuam charitatem hominibus probavit Deus, ſatis magnum amoris ſui ſpecimen dedit. Confer ſupra III. 5.

Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε) Τὸ ὑπὲρ eſt ἀντί, *loco, vice noſtri*, ut ſcilicet nos mortis pœna liberaremur. Vicariam enim mortem hoc loquendi genere Græcos declarare, ex *Xenophontis* de Expedit. Cyri lib. VII. p. 319. probat *Raphelius* p. 206. notarum Xenophontearum. Is vero ita: ἦ καὶ ἐθέλοις ἄν, ὦ Ἐπίσθενες, ὑπὲρ τούτου ἀποθανεῖν; *vellesne, mi Epiſthenes, pro hoc mori?* Conferatur

feratur idem in Hiſtor. Græc. lib. III. p. 389. & de Venat. p. 768. Quæ ut Socinianorum cauſam jugulant; ita contra eosdem fuſius hunc locum vindicavit *Jac. Gaillardus* in Specimine Quæſtionum in N. T. de Filio hominis p. 122.

Verſ. 9. *σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς*) *Salvi erimus per ipſum ab ira*, i. e. a pœna, ut *Grotius* interpretatur in Defenſione fidei Catholicæ de Satisfactione Chriſti cap. I. Tom. III. Opp. p. 304. *Nam ὀργὴ*, inquit, *ira Dei, ut & Socinus lib. I. cap. 1. agnoſcit, ſignificat interdum affectum, (ſi ita loquendum eſt) puniendi, Joh.* III. 36. *Rom.* I. 18. *ſæpe vero pœnam ipſam, Mich.* VII. 9. *unde & ἀπωλείας i. e. exitii voce explicatur Rom.* IX. 22. *Hinc lex dicitur ὀργὴν operari, h. e. pœnam parere, Rom.* IV. 15. *hinc ἐπιφέρειν ὀργὴν* eſt *punire Rom.* III. 5. *& Magiſtratus dicitur vindex in maleficos conſtitutus εἰς ὀργὴν, i. e. ad pœnam infligendam Rom.* XIII. 4.

Verſ. 11. *οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι*) Codd. nonnulli legunt *καυχώμεθα*, non tam, quod ita ſcripſit Paulus, quam quod ille vocis *καυχώμενοι* ſenſus eſt, ſubintellecto ſcilicet verbo auxiliari *ἐσμέν*. Atque id quidem h. l. per Hebraiſmum fieri aſſeverat *Beza*, non recogitans, præſtantiſſimos Græciæ Scriptores ſimiliter ita loqui, de quo more alibi diximus. Conf. *Jo. Erici Oſtermanni* Poſitiones Philolog. de contextu Græco N. T. Diſput. III. §. 3. Idem vero ille §. 2. in h. l. aliam rationem ineundam, & *τὸ καυχώμενοι* conjungendum eſſe cenſet cum *καταλλαγέντες*, v. 10. hoc modo: *οὐ μόνον δὲ (καταλλαγέντες) ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι*. Eadem ſententia eſt *Eraſmi Schmidii*, ad h. l. Senſus itaque fuerit: *Reconciliati non tantum, ſed gloriantes nunc etiam in Deo, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem adepti ſumus, ſervabimur per vitam ipſius.* Equidem vix adducor, ut credam, hanc ſtructuræ rationem genuinam, nec violentam eſſe. Patet enim, hoc modo comma 11. quaſi per parentheſin inſeri commati 10. & verba: *σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ* rejici ad finem verſus 11. Nec videtur ratio ſic reddi poſſe, cur Paulus, qui *καταλλαγέντας* nos jam vocaverat, iterum adderet: *δι' οὗ νῦν καταλλαγὴν ἐλάβομεν*, niſi duo illa a ſe invicem, tanquam diverſo inſtituto commemorata, ſeparentur. Et hoc conſilium manifeſtum eſt, ſi verba hæc ordini ſuo relinquantur. Tunc enim particula *οὐ μόνον* refert ſe ad v. 3. ubi Paulus eadem uſus erat: *οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσι.* Gradatione ſcilicet utitur divinus Scriptor, in enarrandis juſtificatorum prærogativis & commodis. Primum enim v. 1. ait, *eos habere pacem cum Deo;* deinde, *gloriari poſſe in calamitatibus;* denique vero, *gloriari etiam poſſe de Deo*, illiusque gloriationis fundamentum collocat in reconciliatione per Chriſtum facta, quam v. 10. præſtruxerat. Sic omnia egregie ſibi invicem reſpondent.

Verſ. 12. & ſequentes nonnulli, quibus de peccato originali potiſſimum exponitur, variorum induſtriam exercuerunt. Inter hos lege ex noſtratibus *Seb. Schmidium* de Imagine Dei p. 349. & 405. ſq. *Aug. Varenium* in Geneſin II. 17. p. 255. ſq. *Pet. Muſæum* in Diſſertat. Kilonii 1674. B. *Jo. Chriſtoph. Pfaffium*, Tubingenſem quondam Theologum, in Heptade Diſſertationum *de imputa-*

imputatione divina, *J. F. Buddeum* in alia, quam de *Hamartigenia* inſcripſit, *Jen.* 1707. ut & in Inſtitutionibus Theol. Dogmaticæ p.500.625.777. & 808. *Zimmermannum* ad dictum Tertulliani: *Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani*, p. 488. 497. Unſchuldige Nachrichten an. 1702. p.721. & *Alethæum* Tom. II. der Erörterung p. 703. ſq. Ex *Anglis*, *Robertum Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 1-36. & *Wilh. Wall* de Pædobaptiſmo p. 102. ex *Reformatis*, *Gerh. Joh. Voſſium* in Hiſtor. Pelagiana lib. II. Parte II. §. 1. ſqq. *Guil. Saldenum* in Otiis p. 67. *Hoornbeeckium* in Miſcellaneis Sacris, quæ alias *Vetera & Nova* dicuntur, Part. II. p. 124. ubi contra *Peyrerium*, quem & *Buddeus* l. c. & *Petavius* in Dogmat. Theol. Tomo III. p. 129. confutat, diſputatur, *Carol. de Cene* in Conatu novæ verſionis Gallicæ p. 660. ſqq. &, qui in hunc animadvertit, *Jac. Guſſetium* in Conſiderationibus Theologicis ſuper iſtum librum, lib. V. & in Confutatione libri Judaici, *Chiſſuk Emuna*, Part. II. c. 77. tum vero *Jo. Marckium* in Exercitatt. Scripturariis n. XXI. & *Hombergium* in Parergis p. 205. ſqq. Ex Pontificiis denique *Rich. Simonium* in Hiſtoria Critica N. T. Part. III. paſſim, ubi variorum interpretationes afferuntur, v. c. *Hilarii*, Diaconi, p. 136. *Pelagii* p. 241. *Theodoreti* p. 321. *Eſtii* p. 644. & *Bezæ* p. 756. Adde p. 582. 661. & 761. nec non Parte II. ubi *Eraſmi* verſionem examinat. Nos quidem nunc potiora momenta critice perſequemur.

Verſ. 12. Διὰ τȣ̃το) *Hombergius* p. 207. τὸ διὰ τȣ̃το non putat eſſe cauſale, nec jungere verſum hunc cum præcedente καυχώμενοι, ſed reſpicere hypotheſin hactenus frequenter inculcatam, nempe, quod omnes homines, Judæi & Gentiles ſub peccato ſint; Paulumque adeo nunc explicandum ſibi ſumere, quomodo peccatum mundum totum pervaſerit. Itaque ſic verti vult: *Propterea de his rebus ita tenendum eſt.* Equidem nexus rationem magis in propinquo quærendam eſſe arbitror, nempe in eo, quod Paulus reconciliationis per Chriſtum factæ meminit. Hæc enim ut jacturam gratiæ & pacis cum Deo præſtruebat, ita nunc ad utriuſque cauſam, Adamum ſcilicet & Chriſtum, enarrandam ſapienter procedit.

ὥσπερ δι᾽ ἑνὸς) Ἀνανταπόδοτον hic nonnulli, inter quos eminet *Jo. Prideaux* in Operibus Theologicis p. 288. gratis ſtatuunt. Neque tamen ἀνταπόδοσις illa cum *Beza* quærenda eſt in v. 19. Sed τὸ ὥσπερ reſpicit ſequentes hujus commatis particulas καὶ ȣ̃τως, quod idem eſt, ac ſi ſcriptum fuiſſet ȣ̃τω καὶ, ut infra v. 19. Transpoſitio enim ejusmodi particularum frequens eſt. Senſus itaque fuerit: *ſicut per unum hominem peccatum & mors in mundum venit; ita quoque mors ad omnes homines tranſiit.* Ita ſenſum expreſſit *Jo. Clericus* in Verſione Gallica. Confer *Hombergium* p. 207. *Knatchbullum* ad h. l. & Cl. *Chriſtoph. Wolle* de Parentheſi Sacra p. 135. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. ita rem h. l. inſtituit. Poſt verbum ἐλάβομεν verſ. 11. comma, poſt ὥσπερ vero colon poni vult, ut ſenſus ſit: *hac de cauſa fere*: und dieſes etwan um der Urſache willen. Particulam enim ὥσπερ, ait, non ſemper eſſe comparativam, ſed apud optimos Scriptores ita uſurpatam legi, ut ſignificet *fere*, quo ſenſu

Ariſtides

Ariſtides p. 114. Sermonem adhibuerit. Mihi quidem hæc ſignificatio ab hoc loco alienior videtur. Nunquam crediderim, Paulum de tam gravi argumento dubitantis inſtar pronunciaturum fuiſſe, aut eam cauſam allaturum, qua *forte* gravior alia reddi poſſet. Omitto, τῶ ὥσπερ comparandi notionem hic æque relinquendam eſſe, atque ipſi v. 29. ubi de eodem argumento ſermo eſt, liquido conſtat. Propius ad rem facit Cl. *Elsneri* obſervatio p. 25. poſt vocem διὰ τῦτο ex nexu orationis Paulinæ & ἀπὸ τῦ κοινῦ per ellipſin hæc ſupplentis: *Itaque* per Chriſtum nunc reconciliationem accepimus, *quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introiit.* At cum ellipſis iſta inſolentior ſit, verbisque Paulinis ea, quam modo indicavimus, ratione conſuli poſſit, rectius ab ea abſtinemus. Recte vero idem τῶ διὰ τῦτο notionem τῦ *itaque* vindicavit ex hujus epiſtolæ cap. IV. 16. *Matth.* XIII. 52. & XXIII. 34.

δι ἑνὸς) *per unum*, ſive *per primum*, ut verti poſſe cenſet *Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. I. p. 141. quia ſcilicet εἷς reſpondeat τῷ אחד, & ראשון & קדמון Sed malim, in priore & communiore interpretatione acquieſcere, quia ille εἷς i. e. *Adamus*, opponitur τοῖς πᾶσι, & in ſequentibus τοῖς πολλοῖς, tum vero etiam Chriſto contradiſtinguitur, ut τῷ ἑνὶ v. 17. qui ſine ullo operæ ſocio jacturam priſtinam repararit.

Ὁ θάνατος διῆλθε) ὁ θάνατος a Codd. nonnullis abeſt, ideoque *Millio* ex priore commatis parte huc irrepſiſſe videtur. Præter veri ſpeciem, ſi quid ego video. Paulus enim amat repetitiones, inprimis vocum efficacium, hic vero repeti omnino debebat vox θάνατος, ut conſtaret, quid in homines graſſatum ſit. Atque ibi non *peccatum* memorat Paulus, ſed *mortem*, quippe quæ peccatum comprehendit, vel potius præſtruit.

Ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον) Particulas ἐφ' ᾧ alii *per quem*, alii *in quo*, alii *quoniam*, vel *eo quod* convertunt. Diverſas has verſiones, (ad quas judicandas *Claud. Sarravius* olim *Claud. Salmaſii* operam p. 110. epiſtolarum imploravit) approbatoribus ſuis munitas, attulerunt illi, quos paulo ante appellavimus. Illis addere nunc liceat *Placæum* de Imputatione peccati cap. VIII. p. 220. *Curcellæum* p. 770. Operum & *Epiſcopium* Reſp. ad LXIV. Quæſtiones, Quæſt. 59. & in Inſtitutionibus Theolog. p. 403. ſq. Cl. *Jac. Elsnerus* p. 26. Obſſ. Sacr. τὸ ἐφ' ᾧ *propter quem* interpretatur, cum Scholiaſte Græco per δι' ὅν exponente, quemadmodum *Philip.* III. 12. & IV. 10. τὸ ἐφ' ᾧ idem eſt, quod *propter quod*, quo ſenſu & externis Scriptoribus hanc phraſin adhiberi, idem locis nonnullis evincit. Quod itaque ad diverſas has expoſitiones ſpectat, earum ſingulæ idoneis priſcorum Scriptorum exemplis ſtabiliri poſſunt: quæ vero earum hic locum maxime tueatur, tum demum definiri poterit, ubi conſtiterit ad quid τὸ ἐφ' ᾧ referatur. Si id reſpiciat τὸν ἕνα ἄνθρωπον, verti poterit, per: *in quo*, ſive *per quem*, ſive, *propter quem.* Si vero reſpiciat phraſin integram proxime antecedentem: καὶ ὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπυς ὁ θάνατος διῆλθεν, commode reddetur per, *quoniam*, vel, *propterea quod.* Sic enim cauſa redditur, cur mors ad omnes penetraverit, nempe, *quia omnes peccaverunt.* Hanc

M inter-

interpretationem poſt B. *Lutherum* & alios amplectitur Rev. *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis p. 206. eo quod illi tum ipſa loci ſententia faveat, tum Græca dictio non repugnet. Sic *Xenophon* Cyropædiæ lib. II. p. 42. ἐπ' αὐτῷ τούτῳ dicit pro: *ob eam ipſam cauſam.* Poterant addi ex ſacris *Matth.* XXVI. 50. ἐφ' ᾧ πάρει, *ob quam cauſam ades?* Confer in eandem ſententiam *Alethæi* Erörterung Tom. II. p. 719. & Auctores Actorum Eruditorum Lipſienſium Latinorum an. 1711. p. 66. qui contra *Marckium*, τὸ ἐφ' ᾧ per, *in quo* vertentem ita diſputant: *Dicta plura adſert, quibus ἐπὶ poſitum reperiatur pro, ἐν. Sed ea magis Auctoris cauſæ obſunt, quam proſunt. Quæcunque enim exempla adducit, ſi quis evolvere velit, deprehendet in iis ἐπὶ ſignificare vel SUPER vel IN cum accuſativo, vel PROPTER, vel objectum actionis. Contra potius ἐφ' ᾧ ſignificat cauſam,* Matth. XXVI. 50. 2 Corinth. V. 4. Philip. III. 12. *Eodem ſenſu a profanis Scriptoribus illud ἐφ' ᾧ uſurpatur, obſervante, ac teſtimonia producente* Matth. Devario *de particulis Græcæ Linguæ* p. 143. Recte quidem hæc obſervata ſunt, ſed negare tamen nolim, τὸ ἐπὶ paſſim habere ſignificatum Latini *in.* Sic *Heſiodus* clariſſime in Ἔργ. μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, *modus in omnibus rebus optimus eſt.* Ita Chriſtus *Matth.* XVIII. 5. ὃς ἐὰν δέξηται παιδίον τοιοῦτον ἓν ἐπὶ τῷ ὀνόματι μου i. e. *in nomine meo.* Ut proinde, niſi alia obſtarent, τὸ ἐφ' ᾧ pro, *in quo,* recte & convenienter accipi poſſet: Interim tamen & mihi ſe probat interpretatio per: *quoniam,* vel, *propterea quod;* ideo inprimis, quod durius videtur, particulam ἐφ' ᾧ referre ad remotiora illa δι' ἑνὸς ἀνθρώπου, cum propinquiora ſint in promtu, ad quæ non minus commode, ceu oſtendimus, referri poſſint. Hoc modo tollitur etiam ſynchyſis, quam nonnulli cum *Dan. Heinſio* ad *Luc.* V. 17. hic quæſiverunt. Is enim verba: ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον poni vult poſt δι' ἑνὸς ἀνθρώπου, recte renitente Cl. *Wokenio* in Pietate Critica Parte II. p. 121. Cave autem exiſtimes, per hanc interpretationem Pelagianiſmo frigidam ſuffundi, & imputationem peccati originalis e medio tolli. Tantum enim abeſt, ut illa hoc modo evertatur, ut potius validiſſime præſtruatur. Largitur id *Varenius* ad h. l. alioquin diſſentiens, & res ipſa evincit. Scilicet, cum Apoſtolus confirmet, mortem ad omnes perveniſſe, atque adeo ad infantes, propter peccatum ſcilicet, non poteſt hoc (peccatum) aliter accipi, quam de originali, in quo naſcuntur. Cetera, quæ hic de originali peccato ejusque imputatione dici poterant, merito Theologorum ſcholis relinquimus. Id vero omittendum non eſt, quod Cl. *Elſnerus* p. 27. τὸ ἥμαρτον non tam de peccandi actu, quam reatu, ex peccato Adami accepto, poſt *Jac. Altingium* interpretetur, ita, ut peccatum illis imputetur v. 13. & omnes peccatores cenſeantur, v. 19. quemadmodum Chriſtus factus ſit peccatum, ut nos juſtitia 2 *Cor.* V. 21. *Propter* Adamum autem hæc imputatio ex ejusdem mente fieri dicitur, quia τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον v. 15. & κρίμα proceſſit ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα, nempe omnium v. 16.

Ex his judicium ferri poteſt de *Hombergii* ſententia, qui ſcilicet p. 207. τὸ ἐφ' ᾧ referri vult ad vocem proxime antecedentem θάνατος hoc ſenſu, quod omnes

omnes patrarint, quod morte dignum ſit. Hac notione externos Scriptores monet dicere, *ἄγεσθαι ἐπὶ θανάτῳ*, *ad mortem duci*, *νοσεῖν ἐπὶ θανάτῳ*, *ad mortem ægrotare*, &c. Idem fere ex noſtratibus jam ante placuit B. *Varenio* in Commentario ad h. l. ſed ita, ut non vertat: *ad quam* (ſcilicet mortem) ſed *in qua* (nempe morte ſpirituali) *omnes peccarunt*. Mihi quidem & ſenſui, & uſui Scriptorum convenientius videtur, τὸ ἐφ' ᾧ ad integram phraſin antecedentem, inſtar cauſæ efficientis, referre, quam ad unam vocem θάνατος, quamvis quod ad rem ipſam utrinque idem dicatur.

Judæos ſimili, quam Paulus adhibet, dicendi ratione peccatum & mortem per Adamum ad homines omnes veniſſe, hominesque in Adamo peccaſſe, profiteri pridem ab aliis eſt obſervatum. Sic Targum in Eccleſiaſt. VII. 30. de Adamo & Eva: גרמו לאסתקפא עלוהי יום מותא ולכל דירי ארעא *Arceſſiverunt ſibi mortem, & omnibus, qui morantur ſuper terram.* Sohar col. 215. ad Geneſ. XIX. אדם קדמאה מרד במריה וגרם מיתא לעלמא *Adamus primus rebellavit in Dominum ſuum, & induxit mortem mundo.* R. Moſes *Tranenſis* in libro, *Beth Elohim* fol. 105. c. 1. יכ זה כל אדם וגם בחטא שחטא אדם הראשון חטאו בו כל העולם *Præterea eodem peccato, quo peccavit homo primus, peccavit totus mundus, quoniam hic erat omnis homo.* Hæc & alia ejusmodi loca recitat *Snabelius* in Amœnitatibus Theologiæ Emblematicæ & Typicæ p. 75. ſqq. Adde *Julii Bartoloccii* diſſert. ſingularem de Peccato Originis ex mente Judæorum, Tomo II. Bibliothecæ Rabbin. p. 43. ſqq. *Jo. Andr. Eiſenmengeri* Judaiſmum detectum Part. II. p. 81. ſqq. ex noſtratibus vero *Theodoric. Hackſpanium* in Expoſitione Cabbalæ Judaicæ §. 150. & de Uſu librorum Rabbinic. p. 467. *Chriſtoph. Helvicum* in Elenchis Judaicis p. 116. ſq. edit. Crenianæ & *Georg. Eliezerem Edzardum* in notis egregiis ad Berachoth cap. I. p. 168. ſqq. Ex locis, quos illi afferunt, ſimul patebit, quantum recentiores Judæi a majorum veſtigiis diſcedant, quos propterea ſecum invicem commiſerunt *Jo. a Lent* in Theologia Judaica moderna c. X. §. 9. *Wagenſeilius* ad Tela Ignea Satanæ p. 482. & *Jo. Jac. Schudt* in Judæo Chriſticida p. 133. ſq. Num Gentilibus peccatum originale innotuerit, diſputat *Jac. Thomaſius* in Præfatione LXX. p. 438. ſq. Affirmat rem *Sommerius* Parte II. libri Gallici, quem *Hiſtoriam Religionis* inſcripſit. Adde *Omeiſii* diſputat. de Ethnico, amiſſæ imaginis divinæ convicto, & quæ infra dicentur ad cap. VII. & Cl. *Chriſtiani Gottlieb Schwarzii* diſp. de lapſu primorum generis humani Parentum a Paganis adumbrato, Altorf. 1730. Veterum Eccleſiæ Doctorum de peccati primigenii effectu ſententias parca manu ſuppeditat *Suicerus* in Theſauro Eccleſiaſt. Tom. I. p. 210. ſqq.

Verſ. 13. Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν τῷ κόσμῳ) Connexionis ratio hæc eſt. Dixerat Apoſtolus, peccatum, atque adeo & mortem per & poſt Adamum in omnes homines permanaſſe. Jam vero lex non erat audita a poſteris, nec ante Moſen promulgata. Itaque ſic excipi poterat, cum nulla fuerit lex, nec peccatum eſſe inter homines potuiſſe. Huic exceptioni occurrit Apoſtolus, dicens: ἄχρι γὰρ νόμου &c. hoc ſenſu: *tenendum enim hic eſt*, peccatum jam

 fuiſſe

fuiſſe in mundo, etiam ante, quam per Moſen ita ferretur. Hinc vero conſequitur, aliam tunc fuiſſe legem, quam Moſaicam, quia alioquin peccatum non poſſet imputari. Id Paulus indicat verbis ſequentibus: *ἁμαρτία δὲ ὀυκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντες νόμου.* Imputatum vero eſſe peccatum probat v. 14. *Ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος*, &c. i. e. *Jam vero regnavit mors ab Adamo usque ad Moſen* &c. ac proinde neceſſe eſt, primum, peccatum hominibus imputatum fuiſſe, deinde vero etiam legem aliquam fuiſſe, nempe naturalem illam, de qua cap. I. & II. Confer B. *Calovii* Biblia Illuſtrata ad h. l. Non ignoro, alios hæc ultima ita accipere, ut Paulus tantum imputationem peccati Adamitici urgere videatur. Vide utriusque ſententiæ momenta expoſita a B. *Buddeo* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmat. p. 730. ſq. qui & ipſe poſteriori illi adſtipulari videtur.

Verſ. 14. *Ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος*) *Ἀλλὰ* per *& tamen* exponit *Elsnerus*, ut v. 15. atque eam in rem videri vult Obſervationes ſuas ad *Act.* IV. 17.

καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας) Particulam *μὴ* in Græcis Codd. olim non exſtitiſſe affirmat *Hilarius*, Diaconus, commentar. ad h. l. (pro quo *Millium* perperam *Ambroſium*, quippe cujus ille commentarius non ſit, appellare, recte monuit *Jo. Clericus* in epiſt. de Novo Teſtamento Milliano Tom. XVI. Biblioth. Selectæ p. 317. quæ repetitæ editioni N. T. Milliani præmiſſa eſt) provocans ad *Tertullianum*, *Victorinum*, & *Cyprianum*, & omittendam omnino eſſe exiſtimans. Confer *Jo. Morinum* in Exercitatt. Biblicis Exerc. II. p. 24. *Rich. Simonem* in Hiſtoria Critica N. T. Parte III. p. 55. & *Clericum* in Arte Critica Part. III. Sect. I. c. XV. §. 15. item in defenſione Judiciorum de Hiſtoria Critica Simonis p. 389. Sed receptam lectionem ex conſenſu tum Græcorum Codicum, tum verſionum, tum Patrum quoque, ſi pauciſſimos exceperis, recte adſtruit *Millius* in notis ad h. l. ac præterea urget ſeriem orationis Paulinæ. Illam enim ait eo tendere, ut appareat, peccatum & fuiſſe, & imputatum eſſe hominibus, quod cum fieri non poſſit ſine lege, eam quoque neceſſe eſſe exſtitiſſe. Cum vero homines non peccarint ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami, h. e. contra legem Dei poſitivam, quippe quam ignorabant, dicendum omnino eſſe, Legis Adamo datæ violationem ſive ipſius Adami peccatum ipſis imputatum fuiſſe, mortuosque eſſe ideo, quod in Adamo peccarint. Hanc Apoſtoli mentem qui non capiebant, illi quidem *τὸ μὴ* expungendum eſſe temere exiſtimarunt. Confer *Millii* Prolegomena p. 1318. & Celeb. *Pfaffii* Diſſertatt. de Variant. Lection. N. T. p. 198. inprimis vero *Jac. Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* p. 83. ſq. ubi receptam lectionem diligenter vindicat, ac præterea totum comma illuſtrat, quod & facit ibidem p. 431. ſq.

Ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ) Voces *ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι* plerique proxime cum verbis, *μὴ ἁμαρτήσαντας*, pauci quidam cum verbo *ἐβασίλευσε* conjungi volunt. Inter hos eſt *Hombergius* p. 20. ſq. qui nec *ſimilitudinem* hic denotari vult, ſed potius *expreſſam imaginem*, *figuram*, *ſpeciem*. Hoc ſenſu ait Jeſaiam XL. 18. apud *τοὺς* LXX. quærere: *Τίνι ὁμοιώματι ὁμοιώσατε ἀυτὸν*, & *Danielem* X. 16. dicere: *ὡς ὁμοίωσις ὑιοῦ ἀνθρώπου ἥψατο τῶν χειλέων μου.* Paulina itaque

itaque verba ita convertit: *regnavit mors propter imaginem, expreſſam effigiem, & figuram transgreſſionis Adami*, & Paulum id ſibi velle exiſtimat, quod in Adamo mortis cauſa fuerit transgreſſio ipſa actualis fœderis, cum Deo in paradiſo pacti; in poſteris autem non transgreſſio actualis, ſed par reatus, imago nempe & figura transgreſſionis Adami in ipſis expreſſa, qui (Adamus) una cum carne & ſanguine cum poſteris ſuis quoque communicaverit imaginem propriæ transgreſſionis, naturæ ipſorum impreſſam, ut adeo merito illius παράπτωμα habeatur pro lapſu etiam poſterorum, etſi legem Adami non violaverant, nec legem Moſis habebant, adeoque nec peccaſſe videbantur. Illuſtrat Vir doctus eadem ex *Geneſ.* I. ut, quemadmodum Adamus ibi a Deo dicitur accepiſſe ὁμοίωσιν vel ὁμοίωμα θεῦ, ita poſteri Adami hic nacti dicantur ab Adamo ὁμοίωμα τῆς παραβάτεως αὐτῦ, quo ſenſu Apoſtolus 1 *Cor.* XV. 49. dicat, nos tuliſſe εἰκόνα τῦ χοϊκῦ, ſcilicet primi hominis. Similiter Cl. *Elſnerus* p. 28. τὸ ὁμοίωμα interpretatur per *imaginem*, ut ſupra II. 32. & infra VI. 5. Per *imaginem* autem *transgreſſionis* Adami, quæ in omnibus hominibus fuiſſe dicitur, utpote ejus filiis, in quibus patris imago & vitium inhæret, & conſimili ratione tractantur, ipſi alludi videtur ad *Geneſ.* V. 3. *genuit* Adamus *filium* כדמותו כצלמו κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτῦ, καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτῦ. Scite hæc monentur, & illorum ſententiam confirmant, qui in verbis antecedentibus peccati Adamitici imputationem tantum & ſimpliciter a Paulo inculcari contendunt. Adſtipulatur Hombergio *Alethæus* l. c. p. 725. Viciſſim nonnulla in Hombergium animadvertunt Auctores Memoriarum Trevoltienſium anni 1715. p. 1497. ſq. Nos illa ſuo loco relinquimus, quamvis ſimplicius nobis videatur, quod Paulus hic peccata reliquorum hominum poſt Adamum ſine lege expreſſa, & nec voce nec literis a Deo ipſis tradita, prævaricantium, Adamitico illi, tanquam involuntaria proæretico opponat. Præcipue autem ad infantes hic reſpiciendum eſſe recte monent Interpretes, quippe in quos, peccato proæretico alioquin deſtitutos, mortem dominatam eſſe pateat. In hanc ſententiam lege *Guſſetium* l. c. & ex noſtratibus *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Hoc ipſo vero imputatio illa peccati originalis non tollitur, ſed, ut ante diximus, præſtruitur. Viciſſim vero id in altera illa interpretatione durum eſt, quod hoc modo homines, qui poſt Adamum ante legem vixerint, *actu non peccaſſe* dicantur. Ita vero pugnaret ſecum ipſe Paulus, qui in ſuperioribus diligenter evicerat, homines omnes, tum Judæos, lege inſtructos, tum Gentiles, eadem deſtitutos, ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, i. e. *peccato* actuali *obnoxios eſſe*, v. c. III. 9. quia ſcilicet Gentiles ſibi ipſis per legem naturalem νόμος fuerint. Vide cap. II. 14.

Ὅς ἐςι τύπος τῦ μέλλοντος) Vox μέλλοντος obſcurior eſt, cum vel ad *rem* aliquam futuram vel ad *perſonam* venturam referri poſſit. Ita olim *Bened. Juſtinianus* Comment. ad h. l. *Quod Græce legimus* τῦ μέλλοντος, *ſignificare ſimpliciter poteſt* id, quod futurum erat, *h. e. ut omnis Adæ ſimilis poſteritas eſſet prototypo, & non aliter atque ipſius parens, peccato & morti obnoxia, vel* Chriſtum futurum, *cujus fuerit Adam quaſi typus.* Priorem ſententiam idem

 tribuit

tribuit *Auguſtino*, quem tamen alibi poſteriorem quoque non improbare obſervat. Pro priore pugnat is lib. I. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 11. & in Ep. 89. 9. 3. Pro poſteriore vero lib. II. de nuptiis & concupiſcentia c. 27. ubi diſerte ait: *Regnavit autem mors: in quibus? in his*, inquit, *qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Cujus futuri, niſi Chriſti? Et qualis forma, niſi a contrario.* Quo loco adduci ſe paſſus eſt *Seb. Schmidius*, ut priorem illum Auguſtini commoda expoſitione juvare, & Auguſtinum cum ſe ipſo conciliare niteretur. Vide eum in Programmate ſingulari *Argentorati* 1654. promulgato & in *Gabr. Ternii* Sylloge I. Programmatum p. 649. ſq. recuſo. Quicquid hujus erit, Interpretes veteres & recentiores, quos ſciam, omnes Adamum typum Chriſti hic dici arbitrantur. Noviſſime omnium id cum cura oſtendere inſtituit *Hieron. Guil. Snabelius*, Bremenſis quondam Theologus, in Amœnitatibus Theologiæ Emblematicæ & Typicæ, ſingulari diſſertatione de Adamo Chriſti typo, p. 55. ſq. Unus, quoad mihi conſtat, *Hombergius* p. 216. Parergorum has partes deſeruit, & ad illam, quam Auguſtino primum placuiſſe videmus, ſententiam acceſſit. *Adamus*, inquit, *dicitur typus futuri, non Chriſti, ſed TEMPORIS, & illius, quod futurum erat in poſteris ſuis, quod nempe in illos omnes mors regnatura ſit, uti Apoſtolus eodem hoc verſu docuerat, quodque illi eandem plane conditionem & ſortem ſubituri ſint, quam ipſe, utpote qui ipſos quoque repræſentabat. Hoc demum pacto*, ita pergit, *typus vere vocari, & cum reliquis typis convenire videtur, in quibus omnibus exacta quædam convenientia: non contrarietas eſt in re, quam præſentat.* Sententiæ ſuæ rationes Vir doctus eas affert p. 214. quod, ſi Adamus typus Chriſti dicatur, difficulter judicari poſſit, ad quos ille typus, utrum ad eos, qui in *eſſendo*, an in *repræſentando* tales dicantur, referri debeat? Deinde, quod nullus typus agnoſci debeat, præterquam in ea re, quæ a Deo in eum finem ſpecialiter inſtituta ſit, ut rem majoris momenti repræſentet, v. c. circumciſio, agnus Paſchalis &c. Denique, ſi vel maxime Adamus pro typo Chriſti haberi debeat, id tamen hoc loco dici negat, cum nexus verborum Pauli vocem τȣ͂ μέλλοντος in neutro genere accipi ſuadeat. Atque hanc in rem ita is totum comma vult exprimi: *Mors regnavit ab Adamo ad Moſen in ſimilitudine transgreſſionis Adami, qui typus eſt futuri, etiam in eos, qui non peccarunt ab Adamo ad Moſen.*

Non videntur hæc, quamvis ingenioſe diſputata, talia eſſe, quæ non a communi via abducant. Primo enim vox τύπος in famoſiori illo ſignificatu h. l. non eſt accipienda, ut rem inferat, divino conſilio ita inſtitutam, ut rem majoris momenti repræſentet. Hæc enim vocis τύπος notio nec primaria eſt, nec perpetua, ſed datur alia longe amplior, ceu varius vocis apud Scriptores tam ſacros quam profanos uſus commonſtrat. In ſacris nunc quidem acquieſcemus. Ibi τύπος *veſtigium* & *notam* rei alicujus infert, ut *Joh.* XX. 25. τύπος τῶν ἥλων, tum *figuram* & *imaginem*, vel *ſcriptam*, vel *pictam*, vel *ſculptam*, ut *Actor.* XXIII. 25. ἐπιϛολὴ dicitur περιέχȣσα τὸν τύπον τȣ͂τον, i. e. *epiſtola*, *exemplar*

exemplar exhibens. Hinc moraliter transfertur ad *exemplum*, quod ad imitandum nobis proponitur, ut *Rom.* VI. 17. τύπος διδαχῆς. Ex quo fit, ut ad perſonas etiam referatur, quarum exemplo diſcere poſſimus, quid faciendum vel cavendum ſit, aut exſpectandum. Ita Iſraelitæ in deſerto peccantes dicuntur τύποι adverſus poſteros. 1 *Cor.* X. 6. Ex his apparet, notionem vocis τύπος amplam admodum eſſe, formalem vero ejus ſignificatum inferre ſimilitudinem quandam, quæ nunc *major*, nunc *minor* ſit, quæque diverſo inſtituto pro rei ipſius circumſtantiis alteri repræſentetur. De diverſa hac vocis acceptione lege *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. Tom. II. p. 215. & *Jo. Marckii* Syllogen Diſſertatt. Theolog. & Philolog. Roterod. 1721. 4. n. XVII. ubi & de voce ipſa, & de diverſa typorum ratione diſſeritur. Nec omittenda eſt *Hieron. Guil. Snabelii* diſſert. de regulis in Theologia Typica enucleanda obſervandis, quæ exſtat in limine Amœnitatum ejus Theologiæ Emblematicæ & Typicæ. Quod ſi hæc ad præſens inſtitutum accommodentur, apparebit, rectiſſime eos agere, qui per τύπον hic *imaginem* quamcunque intelligunt, quæ rem aliam quocunque modo repræſentet, non autem talem, quæ alteri illi ex aſſe & accurate repræſentandæ certo quodam conſilio deſtinata ſit. Rectiſſime B. *Calovius* ad h. l. obſervat, τύπον hic denotare *ſimilitudinem* quandam, & *comparationem*, eandemque magis diſſimilium, quam ſimilium inter Adamum primum & ſecundum. Ex his facile reſpondebitur ad primum & ſecundum momentum, quod Cl. *Hombergius* pro ornanda ſententia ſua attulit. Nec tertium præſidium juvare Viri docti cauſam poteſt. Patet enim, neceſſe ipſi viſum fuiſſe, ut ordinem verborum immutaret, &, quæ in extremo commate ſcripta ſunt, in medium referret. Non negamus, tranſpoſitiones ejuſmodi paſſim in ſermone Apoſtolico occurrere. At illæ ex περικειμένοις caute judicandæ, non autem ſine urgente neceſſitate invehendæ ſunt. Hic autem nulla talis datur neceſſitas. Imo vero ſequentia requirunt, ut verba illa, ὅς ἐςι τύπος τȣ͂ μέλλοντος ultimum commatis locum occupent, & ὁ μέλλων de Chriſto accipiatur. Nam alioquin ratio reddi non poteſt, cur Paulus v. 15. de χαρίσματι, *dono gratiæ*, loqui incipiat, qui hactenus tantum de peccato fuerat locutus. Nec obſtat, quod Apoſtolus diſſimilia potius, quam ſimilia in Adami & Chriſti comparatione commemoret. Utrumque enim faciendum erat ea de cauſa, quæ in ſequentibus exponetur; & utrumque fieri commode potuiſſe largietur, qui univerſaliorem illam τȣ͂ τύπȣ notionem admiſerit. Accedit, Apoſtolum 1 *Corinth.* XV. 45. Chriſtum *Adamum ſecundum* vocare, h. e. Adamum primum inſtar typi τȣ͂ δευτέρȣ urgere. Reſpondet quidem Vir doctus, p. 217. *Non ſequitur: vocatur ſecundus Adam. Ergo primus fuit typus ejus. Sed hoc ſequitur: ergo ſimilitudo quædam eſt inter eos, vel comparatio quædam inter eos inſtituitur,* Sed ſic pro noſtra cauſa militat. Nam hoc ipſum Paulum per τύπον tantum innuere hic voluiſſe, & vox ipſa latius ſumta credere jubet, & Apoſtolus in ſequentibus confirmat, ubi comparationem inter ea inſtituit, quæ in Adami lapſu & Chriſti reſtitutione vel ſimilia vel diſſimilia occurrunt.

De

De Cogitationibus novis de Adamo primo & ſecundo, quæ ad comma hoc 14. inprimis pertinent, diximus in limine hujus capitis.

Verſ. 15. Ἀλλ᾽ οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ χάρισμα) De toto hoc commate vide fuſius commentantem *Hieron. Guil. Suabelium* in Amœnitatibus Theologiæ Emblemat. & Typicæ p. 74. ſq. & 88. ſqq. Sunt, qui interrogandi notam poni volunt poſt χάρισμα hoc ſenſu: *ſed nonne, ſicut delictum eſt, ita etiam donum comparatum eſt?* ſic enim putant, omnia magis eſſe expedita. Ita ſtatuit *Herzogius* in Obſervationibus de poſitu Interpunctionum in hac epiſtola p. 8. & ante ipſum *Trillerus* in Examine verſionis Lutheri p. 6. nuper vero *Hombergius* in Parergis p. 219. ad contextum provocans. Apoſtolum enim, ait, v. 14. tradidiſſe, mortem etiam ad eos, qui non ſimiliter peccaſſent, perveniſſe, atque hoc ipſo peccati vim demonſtraſſe; nunc vero v. 25. convenienter omnino vim gratiæ oppoſitæ legentibus inſinuare. Ex quo apparet, quod idem non exiſtimet, comma 15. ad explicanda verba proxime antecedentia, ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος, pertinere. Atque id quidem adeo clarum eſſe exiſtimat, ut penitus de eo ſit perſuaſus. At non unum eſt, per quod in dubium id omne merito vocetur. Qui enim ita ſentiunt, deſeruntur a Codicibus, verſionibus & Interpretibus veteribus, quos ſciam, omnibus. Deſeruntur vero etiam a particula connectendi, quæ hic eſt ἀλλά, non γάρ. Jam vero τὸ γάρ poni debuiſſet, tanquam particula cauſalis, quia ſecundum illorum quidem ſententiam in eo erat Apoſtolus, ut oſtenderet, gratiam Dei ſimiliter ad omnes perveniſſe. Quoniam itaque τὸ ἀλλά, particula formaliter adverſativa, uſurpatur, tutius & rectius oppoſitionem quandam hic inferri cenſemus. Atque id confirmatur ſequentibus. Paulus enim in comparatione lapſus Adamitici cum reſtitutione per Chriſtum, tanquam Adamum ſecundum, 1 *Cor.* XV. 45. facta, ita verſatur, ut primum diſſimilitudinem, deinde vero ſimilitudinem, inter utrumque momentum occurrentem, oſtendat. Diſſimilitudinis momenta enarrantur uſque ad v. 17. ſimilitudinis autem occurrunt v. 18. Hujus vero tractationis eam habebat cauſam Apoſtolus, quod cogitare aliquis poterat, ubi audiret, *Adamum eſſe typum venturi*, ſcilicet Chriſti; magnam eſſe inter utrumque, *Adamum* ſcilicet & *Chriſtum*, differentiam, & tantam omnino, ut alter cum altero comparari non poſſit. Hanc igitur ſuſpicionem amoliturus, mentemque ſuam illuſtraturus Paulus prudentiſſime cavet, ne comparatio a ſe facta ultra tertium ſeu limites ſuos extendatur. Propterea etiam duo diſſimilitudinis capita affert, alterum v. 15. alterum v. 16. quod ipſum etiam confirmat, τὸ οὐ prius in negandi notione accipiendum eſſe. Atque inde ſimul intelligitur, comma 15. & ſequentia nonnulla ad explicationem phraſeos, ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος, omnino pertinere, quod *Hombergius* inficiatur. Scilicet mos eſt S. Apoſtoli, ut ex occaſione unius vocis vel phraſeos obſcurioris, aut pravæ interpretationi obnoxiæ, tractationi ſuæ potiori aliqua inſpergat. Sic ſupra I. 2. ſqq. *Evangelii* notionem parentheſi longiore illuſtrat, & III. 22. cum δικαιοσύνην θεοῦ v. 21. memoraſſet, explicat, quid per illam intellectum cupiat. Itaque in recepta interpunctione & interpretatione

pretatione rectius acquieſcimus, quamvis non ignorem, B. *Jac. Wellerum* in Comment. ad h. l. cumque eo *Alethæum* Tomo III. p. 644. ſq. eandem ſententiam amplexum eſſe. Contra *Trillerum* diſputant *Schœnlandius* in Vindiciis ipſi oppoſitis p. 11. & *Pfeiferus* in Obſervatis adverſus eundem ſuis p. 18.

Οἱ πολλοὶ ἀπέθανον) Πολλοὶ hic, & v. 19. ſunt πάντες. Confer v. 12. Πολλὺς autem dicere Paulus maluit pro πάντες, quia mentionem fecerat τȣ̃ ἑνός. Uni autem efficaciter multi opponuntur, qui in omni ſua latitudine ſumti *omnes* involvunt, quos κατ' ἐξοχὴν multos dici poſſe, quis negaverit? Ita *Ariſtoteles* lib. de Poëtica c. 25. Τὸ πάντες ἀντὶ τȣ̃ πολλοὶ κατὰ μεταφορὰν εἴρηται, τὸ γὰρ πᾶν πολύ τι.

Πολλῷ μᾶλλον ἐπερίσσευσε) His vocibus potiſſimum indicari puto differentiam, quæ inter παράπτωμα & χάρισμα, ſeu utriusque potius effectum intercedere a Paulo dicitur. Non habenda hic eſt ratio *numeri* hominum, in quos hæc gratia Dei per Chriſtum diffuſa eſt, reſpectu numeri eorum, in quos lapſus dimanavit; nam utrinque ſunt πολλοί· ſed potius *amplitudinis*, utrinque diverſæ. Atque hinc emphatice dicitur ἡ χάρις τȣ̃ Θεȣ̃, καὶ ἡ δωρεά, ubi per priorem intelligo gratiam Dei, in eo manifeſtatam, quod nobis in reſtitutionem noſtrum Filium unigenitum dederit, atque hoc ipſo longe magis gratiam ſuam & amorem hominibus teſtatum fecerit, quam fecerat olim, quando Adamo, primo homini, imaginem ſuam largitus eſt, in poſteros propagandam, ſi homo in integritate ſua perſtitiſſet. Τὴν δωρεὰν vero interpretor de donis, in homines poſt lapſum, per Chriſtum ejusque gratiam, qua apud Patrem valuit, collatis. Hic enim erat non ψιλὸς ἄνθρωπος, ut Adamus, ſed θεάνθρωπος, adeoque non ſolum ut homo ἀναμάρτητος in gratia apud Deum, Luc. II. 51. ſed & unigenitus Dei Filius, ἐν ᾧ πατὴρ εὐδόκησε. *Matth.* III. 17. Ex quo non poteſt non conſequi, dona ipſa, tanquam per Chriſtum parta, longe ampliora eſſe illis malis, & incommodis, quæ ab Adamo, homine nudo, & ex ſtatu gratiæ in inimicitiam cum Deo prolapſo, in homines omnes dimanarunt. Reliqua, quæ huc pertinent, ab Interpretibus ſatis ſunt excuſſa. Hic tantum adhuc notandum eſt, nec in hoc, nec in ſequentibus nonnullis commatibus præſidium exſtare ſententiæ de damnatis aliquando ſaluti reſtituendis, quamvis tale quid illius patroni h. l. inveniſſe ſibi viſi ſint. Legantur in contrarium **Unſchuldige Nachrichten** an. 1702. p. 721.

Ἐν χάριτι τῇ τȣ̃ ἑνὸς ἀνθρώπȣ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃) Differunt hic exempla verſionis B. Lutheri. Alia enim, ut *Vinarienſe*, ita habent: **Durch JEſum Chriſtum, der der einige Menſch in Gnaden war.** Alia vero, ut *Hamburgenſe*; **durch die Gnade des einigen Menſchen JEſu Chriſti.** Poſterior verſio textum, prior vero ſenſum Apoſtoli propius exprimit. Atque hunc illuſtrat Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 428. qui ſenſum vocum ita reddit: *ex gratia, in qua Deus habet unum iſtum hominem Jeſum Chriſtum*, ſive ex amore, quo Deus eum complectitur. Nam χάρις τινὸς non tantum active, ſed etiam paſſive accipitur: ut χάρις τȣ̃ Ἰησȣ̃ ſit gratia Jeſu, in qua is apud Deum Patrem eſt. Ita

Polybius lib. VI. c. 28. p. 662. καί τινες τῶν ἐθελοντηδὸν ςρατευομένων τῇ τῶν ὑπάτων χάριτι, h. e. & *eorum* nonnulli, qui ultro in gratiam Conſulis (h. e. ut, quanti ille apud ſe eſſet, oſtenderent, amoremque ſuum in illum teſtarentur) militant.

Verſ. 16. Καὶ ὐχὶ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα) Supplenda hic quædam eſſe, ſatis patet: non æque vero apparet, quomodo id commodiſſime fiat. In protaſi enim *Eraſmus*, *Tigurini*, & *Balduinus* ſubintelligunt: *venerat mors*. Vatablus & Camerarius: *fuit*, vel, *ſubintravit peccatum*; Beza, Piſcator, Gerhardus, & alii: *illud quod introiit*; Grotius vero ex verbo ἀπέθανον, aſſumit vocem θάνατος. Cl. *Starckius* in notis ad h. l. p. 114. mavult ſubintelligere κρῖμα i. e. *reatus*, quippe quæ vox in ipſo hoc commate ad comparationis antecedentis illuſtrationem afferatur. In Apodoſi, τὸ δώρημα, ſubintelligi jubet ὕτω, quemadmodum v. 15. Ἀλλ' ὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, ὕτω καὶ τὸ χάρισμα, ſcilicet ἐςί. Senſus itaque totius commatis hic fuerit: *Nec uti* reatus *per unum peccatum; ita* eſt *donum Reatus: namque ex uno* (lapſu) *ad condemnationem: donum autem eſt ex multis lapſibus ad juſtificationem.* Atque hinc conſequitur, ſpuriam eſſe lectionem Codicum paucorum & verſionum, ubi pro ἁμαρτήσαντος extat ἁμαρτήματος, quod & *Vulgatus* habet, cujus tamen MSS. nonnulla exempla, teſte *Millio*, communem lectionem repræſentant. Itaque nec *Lockius* ad h. l. cauſæ ſatis habuit, cur novam illam tueretur. Obvertit ille; ſi legatur ἁμαρτήσαντος, nihil eſſe, ad quod referatur ſequens phraſis, ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων, cujus viciſſim ratio pateat, ſi hic legamus: δι' ἑνὸς ἁμαρτήματος. Ita enim peccato uni opponi *lapſus multos*. At enimvero phraſis, ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων, non habet reſpectum ad phraſin δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, ſed ad phraſin, τὸ μὲν γὰρ κρῖμα ἐξ ἑνὸς, ſcilicet παραπτώματος, εἰς κατάκριμα, quod ſtatim videbimus. Cum itaque eſſent, qui de ellipſi hic ſupplenda non cogitarent, factum eſt, ut vocem ἁμαρτήσαντος in alteram illam ἁμαρτήματος temere mutarent. Scilicet Paulus Adamum ut τὸν ἕνα comparat cum Chriſto, τῷ ἑνὶ, ut patet ex v. 15. Itaque iterum v. 16. mentio facienda erat τῦ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος. Ceterum *Hombergius* p. 220. voces has rurſus interrogative efferri vult, hoc ſenſu: *Et annon, ſicut per unum peccatum multi perierunt; ita &* τὸ δώρημα *ex ipſo peccato venit?* Vide tu, quæ dicta ſunt ad v. 15.

Τὸ μὲν γὰρ κρῖμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα) Κρῖμα plerique vertunt per *judicium*; malim vero *reatum*, tanquam cauſam judicii antecedentem per metonymiam indicari. Agitur enim hic de reatu per peccatum unius hominis a ceteris contracto. Ita reddunt *Eraſmus Schmidius*, & *Beza*. Poſt ἐξ ἑνὸς ſubintelligi debet vox παραπτώματος ex ſequenti phraſi, ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων in ſubſidium ſumenda. Sic paulo ante poſt δι' ἑνὸς ſupplendum erat ex ſequentibus κρῖμα, idemque uſu venit alias frequenter.

Ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων) Scilicet tum originali illo, tum actualibus multis, inſtar catenæ ex primo illo pendentibus.

Εἰς

'Εις δικαίωμα) Codex unus alterve addit ζωῆς, atque id genuinum putat *Lockius* ad h. l. Sed *Millius* rectius ex v. 18. εἰν δικαίωσιν ζωῆς huc relatum exiſtimat. Δικαίωμα hic opponitur τῷ κατακρίματι, quod ut condemnationem infert; ita δικαίωμα *juſtificationem*, atque adeo liberationem a ſententia condemnatoria ſignificare neceſſe eſt. Et ſic acceperunt Interpretes tantum non omnes, paucis quibusdam ad *juſtitiam vitæ* ſeu *obedientiam* cum Grotio hic reſpicientibus. Sed obedientia hominum non poteſt opponi *morti*, cui per lapſum Adami obnoxii facti ſunt homines. Abit etiam nonnihil *Guſſetius*, qui in Lexico Hebraico p. 882. verti vult per *ſatisfactionem judicialem*, quæ ſcilicet præſtari debebat morte vadis, ſeu ſponſoris, gratis ad hoc donati, hoc ſenſu: *ut pro his multis peccatis ſatisfactio fieret judicialis.* Provocat ille ad *Rom.* I. 32. & VIII. 4. ubi eundem ſignificatum habere locum exiſtimat. Per *juſtificationem* verti non poſſe cenſet ideo, quia δικαίωμα aliud ſit, quam δικαίωσις, v. 18. Jam vero δικαίωσιν eſſe *juſtificationem*, quæ proinde per vocem δικαίωμα expreſſa credi non poſſit. Nihil prohibere video, quo minus & ipſe in has partes concedam, qua de re ad v. 18. plura dicentur.

Verſ. 17. 'Ει γὰρ τῷ τῦ ἑνὸς παραπτώματι) Duo Codices legunt: εἰ γὰρ ἐν ἑνὶ, & duo alii: εἰ γὰρ τῷ ἑνὶ, apud *Millium.* Atque hæc lectio præferenda viſa eſt *Bezæ*, ideo, quod alioquin ſequens τῦ ἑνὸς ſuperfluum videatur. Equidem Paulum τῦ ἑνὸς ſcripſiſſe, non dubito. Perpetua enim hic fit oppoſitio inter Adamum τὸν ἕνα, & Chriſtum τὸν ἕνα, ut proinde ad v. 16. δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος reſpectus hic iterum habeatur. Nec ſuperfluum eſt ſequens illud διὰ τῦ ἑνός. Præterquam enim, quod emphaſeos cauſa id poſitum dici poſſit, (quod recte monet Cl. *Dan. Maichelius* in Introductione ad notitiam Bibliothecarum Pariſienſium p. 30.) Paulus ſine phraſi hac διὰ τῦ ἑνὸς perſpicuitatis cauſa uſus videtur, ut eo clarior eſſet oppoſitio inter *Adamum* & *Chriſtum*, de quo in fine verſus ait: βασιλεύσυσι διὰ τῦ ἑνὸς Ιησῦ Χριςῦ.

'Οι τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες) Verſiones nonnullæ veteres τῆς δωρεᾶς omittunt, tanquam ſuperfluum. Codices autem pauci pro eo habent τὴν δωρεάν. *Millius* in Prolegomenis §. 448. τῆς δωρεᾶς irrepſiſſe huc putat ex v. 15. ubi ἡ χάρις τῦ Θεῦ καὶ ἡ δωρεὰ conjungitur. Sed facilius eſt credere, vocem δωρεᾶς ab uno alterove Interprete hic omiſſam eſſe, quia ad ſenſum non adeo neceſſaria videretur, quam tot numero Codices eam, ubi nulla obſcuritas ſermoni adhærebat, aliunde mutuam ſumſiſſe. Qui τὴν δωρεὰν hic ſcripſerunt, illi elegantiæ conſultum procul dubio cupiebant, quam in repetitione tot genitivorum ſcioli deſiderabant. Mihi S. Paulus ita ſapientiſſime & data opera ſcripſiſſe videtur, ut vel hoc modo cumulatis & eadem ſtructura ſecum invicem conjunctis vocibus fere ſynonymis ἡ περισσεία ſive abundantia beneficii divini efficaciter expreſſa perſpiceretur. Eadem loquendi ratione utitur noſter cap. II. 4. ἢ τῦ πλέτυ τῆς χρηςότητος αὐτῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς; De re ipſa lege Patrum loca apud Petavium Tomo VI. Dogmatum p. 108. ſq.

Verſ. 18. Ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα) Verba hæc ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius* & alii pro apodoſi habent ad v. 12. pertinente, quod & *Lockio* ad h. l. viſum eſt. Cum vero non illo ipſo commate, quod ſupra oſtendimus, apodoſis jam comprehendatur, rectius cum aliis, & nominatim *Seb. Schmidio*, ſtatuemus, verſu hoc 18. & ſequentibus ea, quæ hactenus diſputata ſunt, in ſummam conferri, & totam comparationem inter Adamum & Chriſtum ita concludi, ut ſimul appareat, quæ inter utrumque paritas & ſimilitudo intercedat. Sententia verborum hæc eſt: *Itaque, ſicut per unius lapſum*, ſcilicet, reatus eſt (hic enim ut v. 16. vox κρῖμα ex oppoſita & ſtatim ſequente voce κατάκριμα ſubintelligenda eſt) *in omnes homines ad condemnationem* &c. Conf. B. *Starckium* in Notis ad h. l. p. 116. Illud δι' ἑνὸς παραπτώματος verti etiam poterat *per unum lapſum*, & ſic opponi τῷ, δι' ἑνὸς δικαιώματος h. e. *uni ſatisfactioni*, nempe a Chriſto præſtitæ, ut *Lockius* & *Clericus* volunt. Malim tamen prius.

οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς) Apparet, hic non minus in apodoſi, atque paulo ante in protaſi, ſubintelligendum eſſe aliquid, quod rei ipſi reſpondeat. Id vero ex v. 16. commode repetetur, nempe χάρισμα, quod ibi opponitur τῷ κρίματι, hoc ſenſu: *ita etiam per unius ſatisfactionem donum gratioſum redundat in omnes homines ad juſtificationem vitæ.* Τὸ δικαίωμα hic, ut antea v. 16. commodiſſime vertitur per *ſatisfactionem*, Genugthuung. Hæc vocis notio exſtat apud *Ariſtotelem* Ethic. Nicomach. lib. V. c. 10. ὁμοίως δὲ δικαίωμα, καλεῖται δὲ καὶ τὸ κοινὸν, μᾶλλον δικαιοπράγημα. δικαίωμα δὲ τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ δικαιώματος. *Simili modo ſe habet* δικαίωμα, *juſtitia exercita facto. Id vero facti genus, ſi in amplitudine tota ſpectetur, potius vocatur* δικαιοπράγημα, *juſta actio. At nomine* δικαίωμα *vocatur correctio facti injuſti.* Ita locum recte convertit *Guſſetius* in Lexico Hebraico p. 882. & paulo poſt ſic illuſtrat amplius, quod τὸ δίκαιον ſit καθόλου univerſalis conceptus virtutis, qua juſtum eſt juſtum: in exercitio autem & in unoquoque actu deſignando adhibeatur tum nomen δικαιοπράγημα, ſi illud exercitium ſpectetur, ut ſit in tribuendo cuique jure ſuo, etiam ubi accipienti commodum eſt: tum vero nomen δικαίωμα, quando peculiariter agitur de accipiente pœnis juſtis afficiendo, ad ſatisfactionem pro delicto. Hinc idem *Guſſetius* h. l. τὸ δικαίωμα vertit per *ſatisfactionem judicialem*. Eundem *Ariſtotelis* locum pro hoc ſignificatu urget ex noſtratibus B. *Franc. Julius Lütkenius* in Concionibus Funebribus p. 458. ubi v. 18. & 19. ſcite illuſtrat, & in Concionibus Miſcellaneis p. 217. ubi præterea obſervat, non habere Socinianos amplius, cur terminum *ſatisfactionis* in ſacris literis requirant, cum illi vox Græca δικαίωμα diſerte reſpondeat. Compara in eandem ſententiam B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Rev. *Sam. Chriſtianum Teuberum* in Harmonia Satisfactionis Chriſti, & B. *Starckium* l. c. p. 117. Hæc vocis notio ſi teneatur, apparebit, quomodo voces δικαίωμα v. 16. δικαιοσύνη v. 17. & δικαίωσις v. 18. a ſe invicem differant. Δικαίωμα eſt ſatisfactio Chriſti,

Chriſti, ſeu obedientia tam activa, quam paſſiva, quæ poſterior v. 19. per vocem ὑπακοὴ inprimis innuitur; δικαιοσύνη eſt meritum Chriſti, morte ejus partum, quod fide nobis applicatur: confer Rom. III. 22. δικαίωσις denique eſt actus ipſe juſtificationis, quæ ex ſatisfactione Chriſti, fide apprehenſa, conſequitur.

Ἐις πάντας ἀνθρώπȣς) Hinc invictiſſime conſtat, ſatisfactionem Chriſti non ad aliquos tantum homines, aut homines varii generis, quod Reformati aſſeverant, ſed ad omnes omnino pertinere, quia alioquin gratia Dei inferior & anguſtior eſſet Adami culpa, cujus contrarium diſerte & efficaciter tuetur Apoſtolus v. 15. & 20. ſicut etiam hic ὁι πάντες poſteriores τοῖς πᾶσι prioribus opponuntur. Quamvis enim non omnes homines ſatisfactionis Chriſti, ordine ſcilicet, qui huc pertinet, neglecto, actu juſtificationis illius participes fiant; ex conſilio tamen divino omnibus ſatisfactio Chriſti ſerio deſtinata eſt, ἐις δικαίωσιν, h. e. ut juſtificari poſſint. Conf. 2 *Pet.* II. 1.

Ἐις δικαίωσιν ζωῆς) *in juſtificationem* (actu ipſo factam) *ad vitam*, ſcil. æternam, de qua v. 21. Genitivus enim hic per Hebraiſmum *effectum* denotat, quod ſæpe fit. Atque id poſtulat comparatio ipſa hactenus inſtituta. Sicut enim per Adami unius lapſum pervenit ad omnes homines *mors* v. 12. ſeu κατάκριμα v. 16. *condemnatio ad mortem*; ita per Chriſti ſatisfactionem ad eosdem pervenire debet *vita*, ſeu juſtificatio ad vitam, nempe poſſidendam & perfruendam. Sicut vero per mortem illam tum *naturalis*, tum *ſpiritualis*, quæ iram Dei & dominium peccati infert, tum *æterna* indicatur; ita conſequitur, *vitam* illi morti oppoſitam, denotare poſſeſſionem & uſum omnium bonorum gratiæ divinæ, quæ in hoc & futurum ſæculum cadunt, inſuper vero liberationem a dominio peccati, quod poſtremum indicat Paulus v. 17. ἐν ζωῆ βασιλεύσȣσι διὰ τȣ̃ ἑνὸς Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃. Confer de hoc verſu *Hoornbeckium* in Miſcellaneis Parte II. p. 338. ſq.

Verſ. 19. Ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τȣ̃ ἑνὸς ἀνθρώπȣ ἁμαρτωλοὶ κατεςάθησαν ὁι πολλοὶ) *Levinus Warnerus* in præfatione ad Compendium Muhamedanum de Chriſto affert dictum aliquod Arabum, effato huic Pauli ſimillimum, quo illi dicunt: *quod Adamus & Eva, cum eſſent origo hominum, eorumque ſtirps, reputati ſint, ac ſi eſſent homines univerſi.* Quod ad phraſes ipſas attinet, urgendum hic inprimis eſt verbum κατεςάθησαν, cujus vis a Socinianis inprimis infringitur. Illi enim, præeunte *Socino*, Tom. II. Opp. p. 255. vertunt: *tractati ſunt ut peccatores*, quia ſcilicet morte ſunt puniti. Ita quoque *Grotius* ad h. l. & *Limborchius* Theologiæ Chriſtianæ III. 3. §. 18. Vox Græca vero infert: *repræſentati* ſeu *conſtituti ſunt peccatores*, nempe coram Deo, vel in judicio divino, peccato ſcilicet Adami hominibus imputato, ut, quamvis actu non exiſterent, tamen per peccatum ejus peccatores, quales in ipſo erant, judicarentur, quemadmodum per fidem in Chriſtum juſtificati, ut juſti, quales per ſe non erant, in perſona Chriſti Deo repræſentantur. Ita Paulus: καὶ ἑυρεθῶ ἐν ἀυτῷ, μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην, τὴν ἐκ νόμȣ, ἀλλὰ τὴν διὰ πίςεως Χριςȣ̃, *Philip.* III. 9. Confer huc B. *Lütkenii* Conciones Funebres p. 472. ſqq.

οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασαθήσονται οἱ πολλοί) Futuro hic utitur Paulus in verbo *κατασαθήσονται*, non Præterito *κατεςάθησαν*, quod anteceſſerat, ut ſcilicet conſequentiam argumentationis inferret, ac præterea innueret, factum hoc eſſe non ſolum eo tempore, quo obedientia Chriſti præſtita fuit, ſicut per lapſum Adami uno illo actu peccatores conſtituti ſunt multi; ſed idem futurum eſſe inpoſterum usque ad finem vitæ & mundi, per efficaciam & abundantiam meriti Chriſti. Vox *πολλοὶ* hic non minus, quam paulo ante, in omni ſua latitudine *omnes* denotat, quia ſermo eſt de juſtificatione Chriſti, non quatenus cuique fide applicatur, (quod ex ſeria Dei intentione fieri debet & poteſt ab omnibus, ſed non ab omnibus propria culpa fit) ſed quatenus omnibus per Chriſtum parta eſt; quia in Chriſto ejuſque perſona omnes homines Deo repræſentati ſunt, ut juſti, quo ſenſu Chriſtus dicitur *ἐμφανισθεὶς τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν Hebr.* IX. 24. Manifeſtum id evadit ex v. 18. ubi gratia Dei dicitur exuberaſſe *εἰς πάντας εἰς δικαίωσιν ζωῆς*, *in omnes ad juſtificationem ad vitam*, ut ſcilicet illius participes fieri poſſent. Abſit itaque, ut vocem *πολλοὶ* in hac parte ſermonis Paulini aliter ſumamus, quam in antecedente, quod faciunt Reformati, nominatim *Guſſetius* in Lexico Hebr. radice רבב litera C. & *Cappellus* in Operibus Criticis p. 9. Confer *Lütkenium*, *τὸν βιβλικώτατον* l. c. p. 479. & in Collegio Biblic. p. 9. Nihil in hoc commate eſſe, quod patronos *τῆς ἀποκαταςάσεως τῶν πάντων* juvet, ſingulari tractatu vernaculo contra M. *Ludovicum Gerbardum*, qui in tractatu ſuo Germanico, pro illa conſcripto, ad eum inprimis provocaverat, diligenter oſtendit *Jo. Frider. Jænicken*, Paſtor Giskovienſis, Lipſ. 1728. 4. & copioſius Rev. D. *Carolus Joach. Sibeth* in Tractatu Theologico, ſiſtente exegeſin & vindicias dicti hujus Paulini, inprimis contra Ludov. Gerhardum &c. Gryphiswald. 1731. 4.

Verſ. 20. *Νόμος δὲ παρεισῆλθεν*) Verbo *παρεισέρχεσθαι* utitur *Sextus Empiricus* Pyrrhon. Hypoth. lib. III. c. 18. p. 166. & *Polybius* paſſim, cujus loca attulit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 511. *παρεισελθόντες*, inquit is p. 9. *ὡς φίλιοι καὶ κατασχόντες τὴν πόλιν, οὓς μὲν ἐξέβαλαν τῶν πολιτῶν. οὓς δ' ἀπέσφαξαν. Philo* Judæus p. 34. Opp. *πάθους παρεισεληλυθότος*, monente Cl. *Alberti* in Muſeo Bremenſi I. 1. p. 118.

Ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα) ut abundaret peccatum, h. e. ut peccati vis, fœditas & miſeria tanto magis homini conſpiceretur, & innoteſceret. Lex enim per ſe non auget peccata, ſed prohibet potius, atque adeo minuit, præterea efficit, ut intelligat homo, quantum malum ſit peccatum, quantum malum ſecum ferat, & quantum minetur. Vide infra VII. 13. Ubi vero hoc intelligit homo, terretur, & compellitur ad medicinam huic malo in gratia Chriſti per pœnitentiam & fidem quærendam. Sic autem ſuperabundabat gratia non ſolum in *acquiſitione*, de qua ante diximus, ſed & in *applicatione*, ut triſtitiæ ex lege ortæ ſpes, deſperationi ſolatium, condemnationi pax cum Deo ſuccedat. Ita ſi verba hæc capiantur, tollitur eorum abuſus ad licentiam vitæ conſectandam, ex vana perſuaſione, quod, quo magis peccatum deſtinato

to conſilio cumuletur, hoc magis gratia Dei præſens ſit futura. Inſpice *Grotii* notas ad h. l. De ipſo πλεονασμῷ peccati vero, illique oppoſita ὑπερπερισσείᾳ gratiæ, lege B. *Jo. Pet. Grünenbergii* Diſput. de gratia præ mole peccati ſuperabundante, Roſtoch. 1701. habita, & ibidem 1714. recuſa. Ceterum τὸ ἵνα hic non eſſe αἰτιολογικὸν, ſed ἐκβατικὸν, Patres recte monuerunt, quos appellatos vide a *Suicero* Tom. I. Theſauri Eccleſ. p. 1454.

CAP. VI.

VErſus 1-6. illuſtrantur a Rev. *Jo. Georgio Walchio* in Diſſert. de morte & reſurrectione fidelium cum Chriſto, Jenæ 1729.

Verſ. 1. Τί οὖν ἐροῦμεν - μὴ γένοιτο) Ita *Arrianus* Epictet. p. 47. Τί οὖν ἐγὼ λέγω; ὅτι ἄπρακτόν ἐστι τὸ ζῶον; μὴ γένοιτο. *Quid ergo ego dico? quod otioſum eſſe debeat animal? Nequaquam.* Itaque etiam hinc conſtat, phraſin hanc pro hebraizante minime habendam eſſe ex eo, quod οἱ LXX. Hebræorum חָלִילָה frequenter per μὴ γένοιτο verterunt. Similiter *Euripides* Jon. v. 731.

Α μὴ γένοιτο δ', εἴτι τυγχάνοι κακόν.

Confer *Pſochenium* de Stylo N. T. §. 111.

Verſ. 2. Οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ;) Cl. *Elsnerus* p. 28. locos quosdam externorum Scriptorum affert, in quibus idem dicendi genus occurrit, ubi de mente a corporis contagione cupiditatibusque ſegreganda loquuntur. Sic *Porphyrius* de Abſtinent. animal. lib. 1. §. 41. p. 34. Τί δὲ ἔδει καὶ μαραίνειν τὰ πάθη, καὶ ἀποθνήσκειν ἀπ' αὐτῶν, καὶ τοῦτο μελετᾶν καθ' ἡμέραν; εἰ ἐξὸν τ' ἦν ἐνεργεῖν ἡμᾶς κατὰ νοῦν πρὸς τὰ θνητὰ συναπτομένους. Similiter *Cicero* Tuſculan. I. 31. *Secernere autem a corpore animum, nec quidquam aliud eſt, quam emori diſcere.* Recte tamen p. 30. monet, *quamvis ſplendide & Apoſtoli fere verba loqui audias Philoſophos, non tamen credendum eſſe, eandem illorum verbis vim ſenſumque ſubeſſe, eosque illud* ἀποθνήσκειν τῇ ἁμαρτίᾳ *fuiſſe aſſecutos.* Hoc ipſum aliis quoque in locis hujus generis probe tenendum eſt.

Verſ. 3. ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν) Recte obſervat *Jo. Clericus* in Bibliotheca vetere & nova Tom. III. Parte II. p. 348. quod phraſes εἰς Χριστὸν & εἰς θάνατον minus recte a nonnullis vertantur per, *in Chriſto*, & *in morte*, cum ſtructura ipſa *in Chriſtum*, &, *in mortem*, reddi jubeat. Idem tamen vim phraſeos utriusque non exhauſiſſe videtur, quando finem tantum innui cenſet, in quem baptiſati ſint credentes, nempe, *ut fierent Chriſtiani*, &, *ut morerentur*, *ſicut Chriſtus.* Alii amplius aliquid hic ſubeſſe merito judicarunt, nempe arctiſſimam cum Chriſto bonisque, morte ejus partis, communionem. Ita Cl. *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 267. *Hic*, inquit, *ut & alibi paſſim*, θάνατος Χριστοῦ *denotat totum opus mediatorium, ut colligere eſt ex ſequentibus, adeoque junctum cum particula* εἰς, *denotat realem & veriſſimam participationem omnium ejus meritorum*,

qua

quæ nomine mortis *ejus veniunt, quæque omnia in baptiſmo confitemur*, *& fide amplectimur.* Atque hæc quidem, ut idem monet, ad *virtutem* baptiſmi pertinent: per illum vero ſimul baptiſati *obſtringuntur*, ut mortem Chriſti inſtar exempli ſibi proponant, crucique & morti ejus conformes reddantur *Philip. III.* Confer *Alethæi* Erläuterung Parte I. p. 15. ſq. & *Varenii* Commentar. ad h. l. Similiter *Witſius* in Miſcellaneis Tom. II. p. 623. communionem cum Chriſto per baptiſmum indicatam id ait inferre, ut baptiſatus infans credatur Chriſto a Patre datus, a Chriſto redemtus, per Chriſtum Deo reconciliatus, ut peccatum ei ſuum nunquam ad pœnam imputandum ſit. Cur & quo ſenſu hic ſolius Chriſti in baptiſmo mentio fiat, ex Patribus exponit *Suicerus* Tom. I. Theſauri Eccleſiaſt. p. 635. &. 639.

Verſ. 4. Συνετάφημεν ἒν αὐτῷ διὰ τȣ̃ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον) Sepulturæ indicium in baptiſmo præbuit olim immerſio in aquam, & qualiscunque ſub aqua mora, in Veteri Eccleſia recepta. Ita *Chryſoſtomus* in Johannis cap. III. p. 126. ed. Commelin. Ἡμῶν καθάπερ ἐν τινι τάφῳ τῷ ὕδατι καταδυόντων τὰς κεφαλὰς ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος θάπτεται, καὶ καταδὺς κάτω κρύπτεται ὅλος καθάπαξ. *In aqua tanquam in ſepulchro quopiam caput immergentibus nobis, vetus homo ſepelitur, ac demerſus totus inferius occultatur.* Confer aliorum Patrum in hanc rem ſuffragia apud *G. J. Voſſium* Diſput. III. de Baptiſmo Theſi IV. Tomo VI. Operum p. 267. qui ibidem comparationis hujus momenta nonnihil illuſtrat. *Nempe*, inquit, *in baptiſmo noſtro per moram ſub aquis deſignatur ſepultura corporis peccatorum, ſive veteris Adami. Similitudo in eo conſiſtit, quod, ut cadaver terra obruitur, ac premitur; ita in baptiſmo homo obruitur aquis; &, ut homo premitur aquis, ita vis peccatrix in nobis prematur & enervetur, ne ulterius nos impellat, quo velit, vel ſalutem noſtram impediat.* Appoſitus eſt *Auguſtini* locus Homil. XCI. de Tempore: *quando in ſalutari lavacro tertio Chriſtiani merguntur: tunc Ægyptii, i. e. originalia peccata, vel actualia crimina quaſi rubro mari ſepeliuntur.* Confer *Amelium* Parte II. p. 439. Ceterum immerſionem baptiſmalem, primis Eccleſiæ ſæculis receptam, plures ex veterum monimentis demonſtrarunt, quos appellatos vide ab eruditiſſimo *Fabricio* noſtro in Bibliotheca Antiquaria p. 187. Fuerunt propterea nonnulli Chriſtianorum doctorum, qui eundem merſionis ritum in uſum hodie revocandum eſſe cenſerent, ne myſticus ille ſignificatus periret. Vide, quæ hanc in rem allata ſunt Parte I. harum Curarum p. 1136. De ἀναδύσει & καταδύσει in baptiſmo, tanquam ſymbolis mortificationis & reſurrectionis ſpiritualis, lege Patrum loca apud *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 259. ſq. qui totum hoc comma etiam alibi, v. c. p. 306. 309. & 639. ex iisdem doctoribus illuſtrat.

Διὰ τȣ̃ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον) Plerique Interpretes mortem hanc de morte hominum baptiſatorum reſpectu peccati accipiunt: nonnulli vero, & ex recentioribus nominatim *Hombergius* in Parergis p. 221. de *morte Chriſti* interpretantur, in quam ſcilicet baptiſati dicimur v. 3. ut proinde hic etiam ſepulti

pulti cum ipſo dicamur per illud baptiſma, quod accepimus in mortem illius. Sed recte, meo judicio, B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. iſtam ſententiam hoc modo confutatam dedit: *Qui de Chriſti morte accipiunt, id non attendunt, quod de ſepultura Chriſti jam agat Apoſtolus. Dicendum ergo ei fuiſſet:* conſepulti ſumus cum ipſo per baptiſma, *non*, in mortem, *ſed*, in ſepulturam ejus. *Quia vero dicit*, εἰς θάνατον, *mortem peccati indicat.*

Διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς) *Beza* idem hoc eſſe vult, ac ſi diceretur, εἰς τὴν δόξαν τοῦ πατρὸς, *in gloriam Patris*, recte contra nitente *Ludov. de Dieu.* Per *gloriam* autem *Patris* intelligitur potentia ejus glorioſa. Sic enim οἱ LXX. paſſim Hebræum עֹז i. e. *robur*, reddunt per δόξα, ut *Pſalm.* LXVIII. 35. *Jeſ.* XII. 2. & per τιμὴ *Pſ.* XXIX. 1. & XCVI. 7. Ita *Joh.* XI. 40. δόξα Θεοῦ pro potentia Dei adhibetur. Atque huic divinæ potentiæ accepta fertur Chriſti reſurrectio 1 *Cor.* VI. 14. ubi Deus dicitur ſuſcitaſſe Chriſtum διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Lege B. *Starckii* notas ad h. l. in calce Notarum ſuper epiſt. ad Hebræos p. 117. *Colomeſium* in Obſervatt. Sacris pag. 148. qui Gallice vertit: *par la puiſſance du Père*, & *Vitringam* in Obſervatt. Sacris lib. I. p. 223. Sunt etiam, qui τὸ διὰ pro ἐν poſitum eſſe exiſtimant cum *Wittichio*, & B. *Schomero*, ut Chriſtus ſcilicet excitatus *in gloria Patris* dicatur, atque ſic apodoſis, in qua ad novitatem vitæ excitari dicimur, propius huc referri poſſit. Sed ἀποδόσει illi vel ſic conſuletur, ſi dicemus, conciſam & ellipticam hic eſſe Pauli orationem, cujus protaſis ſeu prior pars ex apodoſi, hæc vero viciſſim ex illa, more Scripturæ admodum familiari, ſuppleri debeat. Senſus hic fuerit: ſicut Chriſtus excitatus eſt ex mortuis, per gloriam ſeu potentiam Patris, ita ut nunc in gloria ipſe verſetur; ita & nos oportet reſuſcitari, ut in novitate vitæ ambulemus. Exempla ſimilia lege apud *Glaſſium* in Grammatica Sacra lib. IV. Tract. II. Obſervat. III. p. 705. ſq. & quod ad h. l. inſpice *Starckium* l. c.

οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν) ἐν καινότητι ζωῆς i. e. ἐν καινῇ ζωῇ, more loquendi Hebræis quidem familiari, ſed non ita proprio, ut non ſimilia exempla apud externos Scriptores exſtent. Lege *Pſochenium* de Stylo N. T. §. XLII. Verbo περιπατεῖν & ſimilibus, puta βαίνειν, βαδίζειν, στείχειν, profanos quoque Scriptores in eodem argumento uti, contra *Vorſtium* oſtendit *Horatius Vitringa* in Animadverſionibus ad ejus Philologiam Sacram p. 217. De emphaſi phraſeos lege *Aloyſii Novarini* Selecta Sacra lib. II. Exc. XXV. p. 225. Quod ad rem ipſam ſpectat, conſentaneum eſt, ut, qui male vixit, quod in Chriſto locum non habet, melius vivat, poſtquam reſurrexit; quemadmodum Chriſtus poſt reſurrectionem non amplius miſere vivit, ſed nova ratione, recte hic monente *Alex. Moro* in notis p. 110. Affert idem *Procli* quendam de Eurynoo locum, quem cum paucis ab obitu diebus revixiſſe dixiſſet, addit ἐμβιῶναι χρόνον οὐκ ὀλίγον, καὶ ὀφθῆναι δικαιότερον μετὰ τὴν ἀναβίωσιν, ἢ πρότερον, *tempus non parvum ſupervixiſſe, & poſt reſuſcitationem probiorem vitam, quam antea, duxiſſe.*

Verſ. 5. Ἐι γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τȣ̃ θανάτȣ αὐτȣ̃) Σύμφυτον γενέϑαι M. *Antoninus* VIII. 34. exprimit per συμφῦναι, ubi ſenſu proprio ait membrum hominis ante reſciſſum, iterum reliquis jungi & coaleſcere: ἀποῤῥαγὲν πάλιν ἐπανελθεῖν καὶ συμφῦναι, καὶ τὴν τȣ̃ μέρȣς τάξιν ἀπολαβεῖν. Patet hinc, τὸ σύμφυτον idem eſſe, quod συγγενὲς, quo ſenſu eadem voce utitur *Plato* de Legibus lib. X. ὅτι μὲν ἡγῇ θεȣ̀ς, συγγένειά τις ἴσως δὲ θεία πρὸς τὸ σύμφυτον ἄγει τιμᾷν καὶ νομίζειν εἶναι. Quando deos eſſe putas, cognatio quædam forte divina te ad rem tibi conjunctam vel cognatam affirmandam & colendam ducit. Confer in hanc ſententiam Cl. *Hombergii* Parerga p. 222. qui ex dictis conficit, vertendum eſſe ſimpliciter per: *coaluimus;* non autem cum *Beza* per: *plantati coaluimus.* Adde Cl. *Clerici* Biblioth. Vet. & Nov. Tom. I. Part. II. p. 349. Per ὁμοίωμα *Hombergius* hic iterum, ut in hac epiſtola alias, non ſimplicem ſimilitudinem, ſed emphatice *expreſſam figuram*, *imaginem* &c. inferri arbitratur, ut idem dicatur, quod v. 4. alia phraſi: συνετάφημεν αὐτῷ διὰ τȣ̃ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον.

Ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα) Τὸ ἀλλὰ *Beza* hic pro ἅμα in contextum irrepſiſſe præter rationem ſuſpicatur. Eleganter enim τὸ ἀλλὰ hic ponitur, & habet vim quandam aſſeverandi id, quod ex antegreſſis ſequitur. Itaque *Eraſmus* vertit: *nimirum etiam;* quam verſionem probat, adducta ſimili phraſi *Polybii* ex lib. VI. c. 2. p. 629. Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 429.

Verſ. 6. Τȣ̃το γινώσκοντες κ. τ. λ.) Lege ad hoc comma *Jac. Lydium* de Re militari p. 216. & in Diatribe de Triumpho Jeſu Chriſti p. 316. *Vitringam* Obſervatt. Sacrar. lib. II. p. 134. & *Amelium* Part. I. p. 33. ſq. Τȣ̃το γινώσκοντες recte verteris per *hoc cogitantes & probe tenentes.* Eam enim in ſimili ſtructura verbi hujus vim eſſe variis *Polybii* locis oſtendit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 430. Confer 2 *Petr.* I. 20. & *Epheſ.* VI. 8. *Amelius* l. c. per ἄνθρωπον hic *hominem ſervum*, per παλαιὸν talem, qui in peccatis conſenuerit, indicari contendit. Hunc, ait, convenienter admodum dici debere crucifixum, quippe quod ſupplicii genus ſervis irrogari olim conſueverit. Non negarim ingenioſe hæc dici, ſed vereor, ut Apoſtolus de illa notione hic cogitarit. Corrupta hominis natura in Scriptura procul dubio *hominis veteris* nomen accepit, reſpectu habito ad conditionem antiquiſſimam, in quam per nativitatem collocatur, & cui ſe inde ab eo tempore, niſi aliunde emendetur, peccandi uſu magis magisque mancipat; ſicut viciſſim emendata hominis Chriſtiani conditio *novi hominis* nomine venit, tanquam quæ de novo ipſi & aliunde per regenerationem & renovationem ſpiritualem impertiatur. Sicut igitur in appellatione *novi hominis* reſpectus non habetur ad ſervitutem, tanquam rem miſeram & viliſſimam, ita nec viciſſim per nomen *veteris hominis* notionem iſtam ſubjici exiſtimem. Præterea veterem hominem Paulus ait crucifigendum, non inſtar ſervi, ſed inſtar illius, qui ad exemplum Chriſti, itidem cruci

cruci affixi, adfligi debeat. Patrum de *ἀνθρώπῳ παλαιῷ* ſententias collegit *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 352.

ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας) *Beza* per *σῶμα τῆς ἁμαρτίας* intelligit *carnem* ſeu *corpus*, in quo peccatum ipſum hæreat. Sed lege contra ipſum *Hombergium* p. 223. qui rectius, ut olim *Hammondus*, ſimpliciter per corpus peccati *peccatum* ipſum intelligit. Corpus vero hic tribuitur peccato, reſpectu habito ad veterem hominem, &, continuata quaſi allegoria, ſemel cœpta, ſicut alias peccata varia membrorum nomine appellantur. Itaque corpus peccati erit quaſi *forma*, ſeu *ſtructura* peccati, in quantum vetus homo eam refert, ut varios ejus ductus in actionibus externis conſpicere liceat. Fortaſſe etiam *σῶμα* hic peccato tribuitur, reſpectu crucifixionis, cujus ante facta eſt mentio. Atque hoc ſenſu *Amelius* l. c. *τὸ σῶμα* per *cadaver* interpretatur, ideo quod cadaver peccati in cruce putreſcere quaſi & aboleri debeat. De ea vocis notione lege *Keuchenium* ad *Matth.* XXVI. 26. Patrum quorundam de *corpore peccati* ſententias lege apud *Petavium* in Dogmatibus Theologic. Tom. I. p. 456. & *Suicerum* Tom. II. p. 1215.

καὶ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ) Phraſin hanc ex Scriptoribus Eccleſiaſticis explicat *Suicerus* Tom. I. p. 955. ſq. qui & de antecedente verbo *καταργηθῇ* diſſerit Tom. II. p. 59.

Verſ. 7. *Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας*) Phraſi hac S. Paulus alludere nonnullis viſus eſt ad Talmudicum illud in Gemara *Nidda*, & alibi ſæpius expreſſum: כשמת האדם נעשה חפשי מהמצוות *homo, poſtquam mortuus eſt, liberatus eſt a præceptis.* Lege poſt *Grotium* ad h. l. *Petitum* Obſervatt. lib. III. c. 9. p. 366. ſq. & Rev. *Zeltnerum* in Diſput. de *Bircat Hamminim*, p. 77. Quo vero ſenſu eam hic adhibeat Paulus, de eo diverſæ exſtant Interpretum ſententiæ. Eas collectas vide a *Jac. Altingio* in Heptade Diſſertatt. Tomo V. Operum p. 39. *Alethæo* Parte I. der Erörterung p. 3. ſqq. Celeb. *Chriſtoph. Matth. Pfaffio* in Schediaſmate de morte Naturali p. 53. ſqq. & *A. M. Gœringio* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe VIII. p. 279. ſqq. Alii ſcilicet de morte naturali, alii de violenta rei ſeu facinoroſi, alii de ſpirituali, de qua ſupra v. 4. &c. Apoſtolum loqui exiſtimant. Primam ſententiam tuetur *Sigism. Richterus* in Diſput. ad h. l. de homine per mortem a peccatis juſtificato, præſide B. *Caſp. Læſchero* Witteb. 1701. habita, eandemque amplexus eſt Cl. *Heumannus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 290. Cum enim is monuiſſet, poſitive juſtum eſſe, qui fidei fructus edat, & a peccatis abſtineat, remotive autem eum juſtum dici, qui nil mali perpetret, etſi nec boni quicquam agat; addit, poſterioris generis eſſe homines demortuos, qui cum peccare amplius non poſſint, hoc ſenſu *juſti* vocentur, ut *Pſalmo* VI. 6. & *Jeſ.* XXXVIII. 18. Sententiam itaque Pauli hanc eſſe arbitratur: *qui mortuus eſt, is non amplius peccat.* Eodem modo verba hæc convertit Cl. *Fabricius* noſter in notis ad Philaſtrium p. 151.

Alii ad mortem violentam & ex Judicis ſententia illatam vocem *ἀποθανὼν* referentes, *δικαιοῦσθαι* alio ſenſu induunt, ut ſcilicet homo juſtificatus

 com-

comparetur cum malefico, qui in judicio forenſi capitali ſupplicio addicitur, eoque perfunctus ab omni pœna inpoſterum liber præſtatur. Vide huc *Alethæum* Part. I. p. 7. Ita B. *Jo. Fechtius* in Philocalia p. 42. metaphoram hic obſervat deſumtam a ſententiis judiciorum capitalium, quibus damnati ad mortem, tolerata morte, ab omni ulteriore accuſatione delictorum abſolvantur, nec ulla amplius peccata habere judicentur. Græcis quoque *Φράσιν* hanc eo ſenſu receptam fuiſſe, ex *Harpocratione* monuit *Jac. Cappellus* in Obſervationibus Sacris p. 53. Ita enim ille: *Λυδίας μάλα τὰς δικαιώσεις φησὶν ἀντὶ τῦ δικαιολογίας, ὁ μέν τοι Θυκυδίδης πολλάκις τὴν δικαίωσιν ἀντὶ τῆς κολάσεως τάττει.* Hujus ſignificationis exempla aliquot ſe in libello *de Genevæ bona fide*, voce *δικαιόω* attuliſſe, idem *Cappellus* l. c. refert. Non abludunt Germani noſtri, quando de facinoroſo, e vivis ex Judicis ſententia ſublato, dicunt: **er iſt juſtificirt.** Eundem phraſeos uſum Cl. *Harenbergius* in Bibliotheca Lubecenſi Vol. VI. p. 239. ex Judæorum ritu illuſtrat. *Quod ſi enim hi*, inquit, *facinoroſum quendam uno quatuor capitalium ſuppliciorum genere jamjam adfecturi eſſent, reus commonebatur de* עולם הבא, ſæculo futuro, *& ut ejus reſpectu fateretur, ſi qua celaſſet, alia crimina* אם אינו יודע להתודות אומרים לו אמור ההא מיתתי כפרה על כל עונותי *Si nihil noſſet, quod fateretur, tum jubebant eum dicere: ecce* (lege in Hebræo תהא & verte: *ſit*) *mors mea expiet omnia peccata mea; (expiatio pro peccatis meis.)* Vide *Sanhedrin* VI. §. 2. *Gloſſa ad Sanhedrin fol.* 45. 2. *Non plangunt eum*, (damnatum in Synedrio, ſed plangunt in corde) *ut iſtud vilipendium cedat ei in expiationem.* Eadem ratione quivis Judæi, in lecto emortuali defixi, confeſſioni ſuæ peccatorum ultimæ iſta inſerunt: תהי מיתתי כפרה על כל חטאים ועונות ופשעים *Sit mors mea expiatio pro omnibus peccatis, iniquitatibus & delictis meis.* Similia ejuſmodi Judæorum aſſerta afferunt *Jo. Andr. Eiſenmengerus* in Judaiſmo detecto Parte II. p. 282. ſqq. & B. *Georg. Eliezer Edzardus* in notis ad Cap. I. Berachoth p. 181. qui & p. 189. hanc eorum ſententiam confutat. Horum, qui iſta urgent, judicio, comparatio inſtitueretur inter hominem morte, ex culpa contracta, perfunctum, & ſic ab omni tum pœna, tum peccato liberum; & inter hominem *in* & *cum* Chriſto mortuum, atque hoc ipſo a peccato juſtificatum & liberum pronunciatum, tum ratione reatus & pœnæ, tum ratione dominii. In eandem ſententiam diſſerit *Jac. Altingius* l. c. p. 40. *Non loquitur*, inquit is, *Apoſtolus de mortuo morte naturali, ex communi lege Hebr.* IX. 27. 2 *Sam.* XIV. 14. *ſed de eo, qui per ſupplicium mortuus; utpote qui mortuus ſit peccato, ſive propter peccatum, a quo abſolvitur hac ratione; & qui mortuus eſt poſt crucifixionem ex* v. 6. *h. e. qui ex ſententia Judicis ſatisfactionem pœnalem externam & reatum ſuſtinuit, mortem nempe violentam illatam. Hæc dicit canon Juris Judaici:* אין אדם מת ומשלם Non moritur homo, & retribuit; *h. e. is, cui mortis ſupplicium irrogatum eſt, ad ſolutionem (alias præſtandam, ſiquidem ſuperſtes manſiſſet, furti aut ſtupri nomine) non obligatur. Mortuum porro ob reatum ex ſen-*

ten-

tentia Judicis dicit juſtificatum eſſe a peccato, i. e. abſolutum a reatu coram illo judice, ut ab eodem propter eundem reatum non amplius vel reus pronunciari, vel puniri queat. In quam ſententiam ornandam cum idem plura attuliſſet, tandem p. 41. hæc ſubjungit, cauſam integram peroraturus: Vetus homo *moritur violenter in fidelibus virtute Chriſti, in quibus crucifigitur*, Gal. V. 24. *necantur ejus membra*, Col. III. 5. *& cupiditates*, Rom. VIII. 13. *ut non amplius regnare, neque pios in ſervitutem cogere queat*, Rom. VI. 12. *In morte autem ipſorum naturali penitus exſtinguitur, & aboletur, ut non ſolum non vivat, ſed etiam non ſit amplius, nunquam proinde reſurrecturus. Atque tunc de vetere homine dici poteſt, quod de maleficis, morte inter homines affectis, quorum reatus non amplius futurus eſt, ubi neque amplius futuri ſunt inter homines: JUSTIFICATUS EST.*

Tertia ſententia eorum eſt, qui τὸ ἀποθανὼν de eo accipiunt, qui mortuus ſit *ſpiritualiter*, i. e. *peccato* v. 2. aut *qui mortuus ſit cum Chriſto*, v. 8. Eam defendunt *Calovius*, & plerique noſtratium, magno numero allegati a Cl. *Gœringio* l. c. p. 280. ſqq. quibus & ipſe accedit. Inter hos quoque eſt *Trillerus* in Examine locorum quorundam verſionis Lutheri Part. II. p. 123. ſq. & *Hombergius* p. 224. Parergorum. *Certo certius*, ait hic, *eſt, Apoſtolum non intelligi hæc velle de ceſſatione actionum peccati, quæ mortem* (naturalem) *neceſſario ſequitur, ſed de affectu, quem mors ſpiritualis habet.*

Atque hæc ſententia omnino multis ſe argumentis commendat. Malim tamen ego in ſecunda, quam attulimus, acquieſcere, quippe quæ propiorem nexum habet cum morte Chriſti vicaria, cujus fructus ad nos in juſtificatione pervenit, & cum debito noſtro, in crucifixione carnis quotidiana perſolvenda. De verbo δεδικαίωται ex Patrum ſententia differentem lege *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 915.

Verſ. 8. Εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριςῷ, πιςεύομεν, ὅτι ϗ συζήσομεν αὐτῷ) Vide *Andreæ Michaelis* Diſſertat. de morte ac vita fidelium cum Chriſto, præſide B. *Wernsdorfio* habitam *Witteberg.* 1703. Patrum cogitata explicat *Suicerus* l. c. p. 263.

Verſ. 9. θάνατος αὐτȣ̃ ȣ̓κ ἔτι κυριεύει) Quæſitum ex hoc loco eſt, num mors Chriſto, in triduo mortis conſtituto, dominata ſit, quod φράσις illa Paulina inferre videtur, qua mortis dominium in Chriſtum non amplius ſe exſerturum affirmatur? Si dominium illud de abſoluto & tyrannico imperio, quod nullis nec temporis, nec modi legibus ſit circumſcriptum, accipiatur, negandа omnino quæſtio eſt, quia Servator in ſtatu mortis fuit ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, *auctor vitæ*, Actor. III. 15. & quia etiam tunc poteſtatem habuit vitam, quandocunque vellet, recipiendi. Lege, ſi placet B. *Valent. Alberti* diſputat. ad h. l. de eo, utrum mors Chriſto dominata fuerit? *Lipſ.* 1688. & Rev. *Salom. Deylingii* Obſervatt. Sacras Part. III. p. 276. Si vero ejusmodi mortis dominium hic intelligamus, quod Chriſtum revera in mortis faucibus hæſiſſe innuat, nemo diffitebitur, id morti ſuper Chriſtum tribui poſſe & debere. Atque ita

 malim

malim ego verba Pauli interpretari, inprimis ideo, quod, quo ſenſu paulo ante dicit, Chriſtum *non amplius moriturum*, qui ſimul mortuus & reſuſcitatus fuerit, eodem quoque ſenſu hic dicere videatur, mortem illi *non amplius* unquam dominaturam, ſicut ſemel dominata fuerit. Atque ſic duabus illis phraſibus negatur tum res ipſa, nempe *mors*, tum ejus *cauſa*, nempe dominium, quod morti ob peccata noſtra in Chriſtum erat permiſſum. Ita non opus eſt, ut contra communiorem vocis ſignificatum dicamus, τὸ οὐκέτι meram negationem inferre, quam nonnulli obſervaſſe ſibi viſi ſunt *Joh.* XV. 15. & *Actor.* XIII. 34. contra quæ tamen loca pertinaci adverſario excipere nonnulla liceret. Conf. Cl. *Wokenii* Stromata Apoſtolica Parte II. p. 93. ubi B. *Alberti* argumenta in ſummam colliguntur.

Verſ. 10. Τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανε) Una verſio *Æthiopica* non habet τῇ ἁμαρτίᾳ. Propterea id ex v. 2. huc in exemplaria omnia & verſiones omnes &c. irrepſiſſe credere potuit *Millius* in Prolegomenis §. 1214. non recogitans, ea voce omnino opus eſſe, ut oppoſitio fiat inter phraſes ἀποθνήσκειν τῇ ἁμαρτίᾳ & ζῇν τῷ Θεῷ. Et nonne diluta foret Apoſtoli oratio, ſi ſimpliciter ſcripſiſſet: ὃ γὰρ ἀπέθανεν, ἀπέθανεν ἐφάπαξ, quæ nunc concinne fluit, ubi, addita voce τῇ ἁμαρτίᾳ, cauſa mortis ſemel exantlatæ innuitur. Peccatum vero hominum hic pro cauſa mortis Chriſti afferri per ſe patet. Compara tamen *Hugonem Grotium* Tom. III. Operum p. 298. Denique S. Paulus v. 11. lectionem communem & receptam confirmat, quando Chriſtianos νεκροὺς τῇ ἁμαρτίᾳ eſſe vult, ſcilicet ideo, ut ſimiles in tantum ſint Chriſto, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀποθανόντι. De ſenſu phraſeos ipſo lege Patrum loca apud *Suicerum* Tomo I. Theſauri p. 205.

Verſ. 11. ζῇν τῷ Θεῷ) Vide *Suicerum* Tomo II. Theſauri p. 801.

Verſ. 12. Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία) Similes loquendi formæ apud *Xenophontem* exſtant, quas inde exhibet Rev. *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis p. 208. Inter cetera is libro IV. p. 638. ita: ὅςις ἄρχεται ὑπὸ τῶν διὰ τοῦ σώματος ἡδονῶν, καὶ διὰ ταύτας μὴ δύναται πράττειν τὰ βέλτιςα, νομίζεις τοῦτον ἐλεύθερον εἶναι; ἥκιςα ἔφη. Ἴσως γὰρ ἐλεύθερον φαίνεταί σοι τὸ πράττειν τὰ βέλτιςα. Hebræi ſimiliter loquuntur. Ita *Maimonides* in More Nevochim Part. III. c. 22. de doctoribus ſuæ gentis ait: ולזה אמרו יצר רע מלך גדול ונקרא יצר טוב ילד מסכן וחכם *Propterea dicunt figmentum malum vocari Regem magnum, figmentum autem bonum puerum pauperem & ſapientem.* Ita *Bechai* in *Cad Hakkemach* de peccato ait, quod regnet in terra, & dominetur omnibus viventibus. המולך בארץ ומושל בכל בעלי חיים Lege hæc & ſimilia apud *Vitringam* lib. III. Obſervatt. Sacrar. p. 137. qui lib. VI. p. 421. recte obſervat, ſermonem hic eſſe de peccato habituali, ſive vitio, h. e. habitibus vitioſis & damnabilibus, ad quorum præſcriptum homo irregenitus actus ſuos componat.

ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι) de *corpore mortali*, non autem *vetere*, qui appel-

appellatur, *homine* interpretantur Patres, quorum loca lege apud *Suicerum* in Theſauro Eccleſ. Tom. II. p. 1211.

Ἐις τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ) Quatuor poſtremæ voces in Codicibus nonnullis & verſionibus deſunt, atque ideo pro commentario habentur a *Millio* in Prolegomenis §. 424. Sed vide tu *Whitbium* p. 58. Examinis. Paulina hæc omnino eſſe vel ex eo apparet, quod concupiſcentiam pravam peccato habituali alias tribuit, tanquam primum ejus effectum, *cap.* VII. 8. Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν. Huic concupiſcentiæ ſi frena laxentur, obſequium utique præſtatur peccato, quod viciſſim, concupiſcentia ſuppreſſa, magis magiſque debilitatur. Confer *Jac.* I. 14. Quod ad phraſin, ſimile quid legitur in *Midraſch Koheleth* cap. IV. 13. ubi figmentum malum vocatur מלך ſeu *Rex*, quemadmodum in locis modo allatis, addita hac ratione, שהכל שומעין לו *quod omnes ipſi obediunt.* Ceterum concupiſcentia hic *corpori* (huc enim τὸ αὐτοῦ referendum eſt) tribuitur ideo, quod per illud ſeſe prodit & exſerit.

Verſ. 13. Μηδὲ παριστάνετε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδικίας) Ὅπλα ἀδικίας ſunt *inſtrumenta injuſtitiæ.* Sic ὅπλα τοῦ φωτὸς *Rom.* XIII. 12. ubi vide, quæ ſcribentur. Quemadmodum vero hic membra corporis inſtrumenta vocantur, quibus homo vitio deditus utitur; ita Gentiles corpus inſtrumentum animæ dixerunt. *Plutarchus* in Sympoſio: ψυχῆς γὰρ ὄργανον τὸ σῶμα, θεοῦ δὲ ἡ ψυχή. Et de Pyth. Oracul. σῶμα μὲν ὀργάνοις χρῆται πολλοῖς, αὐτῷ δὲ σώματι ψυχή, καὶ μέρεσι τοῦ σώματος. Ψυχὴ δὲ ὄργανον θεοῦ γέγονεν. Lege plura hujuſmodi apud *Gatakerum* ad M. *Antonini* V. 21. VII. 35. & X. 38.

Ἀλλὰ παραστήσατε ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας) Videtur Paulus nonnullis hac phraſi reſpicere ad ritus quoſdam Romanis & Græcis receptos: Illi enim eos, qui pro mortuis falſo habiti erant, ubi vivos ſe ſiſterent, non per fores in domos admittebant, ſed per tectum demittebant; hi autem illos a mulieribus prius bene lotos, & infantium more nutritos denuo in civium numerum recipiebant. De utriſque teſtem rei habemus *Plutarchum* in Quæſt. Romanis, qui addit, hujuſmodi homines vocatos fuiſſe δευτεροπότμους ſeu ὑστεροπότμους. Obſervavit id, quoad ſcio, primus Cl. *Jo. Henr. Majus* Obſervatt. Sacrar. lib. I. p. 134. & in repetita auctioreque editione p. 177. hinc vero Rev. *Salomon Deylingius* in Obſervatt. Sacris Parte III. p. 134. & Cl. *Wolfsburgius* p. 414. Atque hic poſtremus dubitat merito, num Apoſtolus in alterutrum horum rituum oculos intenderit. Etenim conſentaneum magis eſt, Paulum hac phraſi alludere ad ſacrificia V. T. quod clarius & ſine exceptione idem facit *Rom.* XII. 1. atque id ſibi velle, quod membra ſua h. e. ſe ipſos inſtar *victimarum viventium* Deo offerre debeant. Ζῶντας ἐκ νεκρῶν dum vocat Chriſtianos, reſpicit ad v. 11. ubi eoſdem, qui antea *in peccatis* mortui erant, nunc autem peccato, inſtar mortuorum, non indulgebant, ζῶντας τῷ Θεῷ appellat. Non diſplicet præterea, quod *Wolfsburgius* eodem loco obſervat, τὸ παραστῆσαι non ſolum inferre, *ſe ſiſtere alicui*, aut *vivum ſe repræſentare*; ſed *re ipſa demon-*

demonſtrare, ſicut de Chriſto *Actor.* I. 3. dicitur, παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις. Si ad Sacerdotes V. T. alluſiſſe hic Paulum credamus, quod nonnulli infra XII. 1. factum putant, non abſurda videbuntur *Spenceri* de Legibus ritualibus Hebræorum lib. I. Sect. III. c. 11. cogitata. *Niſi me fallit animus*, inquit is, *Deus Sacerdotis aurem, pedem & manum dextram (præcipua diſcendi & agendi inſtrumenta,) tam ſolemni ritu conſecrari jubens, miniſtros ſuos ſanctitatis, eorum præcipue muneri conſentaneæ, monuit, eosque membra ſua tanquam juſtitiæ inſtrumenta exhibere docuit.* Confer *Amelium* Parte II. p. 600.

Verſ. 14. Ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν ἐ κυριεύσει) De his verbis lege *Vitringam* Obſervatt. Sacrar. lib. VI. p. 468. qui ex illis conficit, dominium legis eſſe dominium peccati, quia lex abſque Spiritu corruptionem hominis excitet, irritet, inflammet, atque adeo peccata multiplicet. *Lex enim introiit, ut abundaret peccatum*, V. 20. deinde, quod lex eo modo, iisque in circumſtantiis, impoſita Eccleſiæ, ut factum ad montes *Sinai* & *Ebal*, ubi legislatio ſuum accepit ἀποτέλεσμα, aperte, clare & invicte teſtetur, peccatum adhuc ſupereſſe, non expiatum, ſed expiandum per Mediatorem. Vide ibidem plura, quibus inſuper oſtenditur, quomodo Eccleſia Novi Fœderis libera ſit a dominio legis.

ἐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ τὴν χάριν) Qua ratione, & quo inſtituto Paulus hanc theſin inprimis cap. VII. probet, oſtendit *Vitringa* l. c. pag. 443. ſqq.

Verſ. 16. ᾧ παριστάνετε ἑαυτὲς) de emphaſi verbi παρίστημι lege infra ad XII. 1.

δέλες εἰς ὑπακοὴν) De vocibus δῦλος, δελεία, δελεύειν in hoc capite obviis, earumque genuino ſenſu lege Cl. *Tac. Haj. van den Honert* in epiſt. de Stylo N. T. quæ in Syntagmate Opuſculorum huc pertinentium exſtat p. 356. ſqq. Ibi oſtenditur, verbum δελεύειν generatim apud ſacros æque ac profanos Scriptores idem eſſe, quod, *imperata facere*, quocunque animo ſive promto & lubenti, ſive invito & coacto id fiat. Cumque in dubium vocatum eſſet, verbo illo ſervitutem ſeu obedientiam inferri a Græcis, cum voluptate & delectatione conjunctam, recte monetur, exſtare apud externos Scriptores, unde id colligas. Ii enim dicunt frequenter δελεύειν ταῖς ἡδοναῖς, ut *Xenophon* & *Herodianus*. Antigonus apud *Ælianum* Var. Hiſtor. II. 30. ad filium: ἐκ οἶδα, inquit, ὦ παῖ, τὴν βασιλείαν ἡμῶν ἔνδοξον εἶναι δελείαν. Apud eundem IX. 19. οἱ δημηγόροι καὶ οἱ ῥήτορες δῦλοι τῦ πλήθυς h. e. *ſervi plebis* vocantur. Similia veterum loca lege apud *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad Tit. II. 3. & *Cornel. Adami* in Obſervatt. Theologico-Philolog. p. 468.

ἤτοι ἁμαρτίας εἰς θάνατον) Deeſt in uno Codice, unde *Millius* in Prolegomenis, teſtante & renitente *Whitbio* in Examine p. 58. b. antitheſeos cauſa adſcitum putat, reſpectu vocum ſequentium. Enimvero, ut conſenſum Codicum, excepto illo uno, quem nec *Curcellæus*, nec *Millius* appellat, quamvis hic

hic Claromontanum eſſe ſuſpicetur, verſionum & Interpretum taceam, voces *εἰς θάνατον* S. Paulus ipſe ſibi ſatis vindicat v. 21. quando ſervitutis ejusmodi mercedem iterum ait eſſe *θάνατον*. Ita idem v. 19. ſimilem oppoſitionem exprimit, & urget, ubi de ſervitute alia, quæ probetur *τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν*, & alia, quæ cedat *τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν*.

ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην) Verſio *Montenſis* Gallica ita hæc verterat: *ſoit de la foy, qui juſtifie ceux, qui lui obéiſſent:* h. e. ſive fidei, quæ juſtificat ſibi obedientes. Atque hæc interpretatio contra *Malletum* defenditur in Defenſione illius verſionis continuata p. 378. ſqq.

Verſ. 17. *χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας*) Ita prorſus *Xenophon* Cyropæd. lib. VII. p. 156. *τοῖς μὲν θεοῖς μεγίστη χάρις, ὅτι ἔδοσαν ἡμῖν* &c. & lib. VIII. p. 184. *πολλὴ δ' ὑμῖν χάρις, ὅτι κἀγὼ ἐγίγνωσκον.* Conf. Rev. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 209. Similiter *Epictetus* apud Arrianum IV. 4. *πῶς οὖν παύσομαι; τότε καὶ ἐγὼ ἡμάρτανον· νῦν δ' οὐκέτι, χάρις τῷ Θεῷ, quomodo itaque deſinam? tunc enim & ipſe peccabam; nunc vero non item; Deo ſit gratia.*

Εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς) Simili fere phraſi idem dicit *Arrianus* lib. II. Epictet. c. 19. p. 221. *κατὰ τὰ δόγματα τετυπῶσθαι, ſecundum dogmata alterius exprimi & formari. Τίς οὖν ἐστι Στωϊκός,* inquit, *ὡς λέγομεν ἀνδριάντα Φειδιακόν, τὸν τετυπωμένον κατὰ τὴν τέχνην, τὴν Φειδίου, οὕτω τινά μοι δείξατε κατὰ τὰ δόγματα, ἃ λαλεῖ, τετυπωμένον.* *Caſtellio* verterat: *formam doctrinæ, quæ vobis tradita eſt;* ſed perverſe, judice *Beza*, contra quem tamen idem recte defenditur a Cl. *Hombergio* in Parergis p. 225. *Cujus enim*, ait, *diſciplinæ traditus ſum, ille mihi traditus eſt, ut me erudiat. Sic & cui typo doctrinæ ego traditus ſum, ad obſequium, ille mihi traditus eſt in regulam.* Confer in eandem ſententiam *Jo. Clericum* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Part. II. p. 352. qui *φράσιν* Paulinam cum Latina conſueta confert, qua quis *in diſciplinam* alteri *tradi* dicitur. Ad eam proxime accedit *Jamblichus* in Vita Pythagoræ c. 16. pag. 58. *καὶ ἦν αὐτῷ τῆς παιδεύσεως ὁ τύπος τοιοῦτος καὶ πρὸς ταῦτα ἀποβλέπων. Hac inſtitutionis forma utebatur, & eo reſpiciebat.* Idem p. 89. *τύπον διδασκαλίας*, i. e. *docendi modum* commemorat. Loca hæc inter cetera obſervavit Cl. *Elsnerus* pag. 30. De *τύπῳ διδαχῆς* Patrum pronunciata habes apud *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 1340.

Verſ. 18. *Ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ*) Verſio Gallica *Montenſis* reddiderat: *vous êtes devenus eſclaves de la juſtice.* Hoc durius & in arbitrii libertatem injurium viſum eſt *Malleto*, contra quem lege continuatam illius verſionis defenſionem p. 331. ſq. *Theodoretus* ad h. l. explicat per: *juſtitiæ jugum ſubiiſtis.* Confer *Suicerum* l. c. p. 960.

Verſ. 19. Fuſe illuſtratur a *Rob. Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 42-60. Adde *Seb. Schmidium* in Tractatu de Imagine Dei p. 260. ſqq.

Ἀνθρώπινον λέγω) De hac phraſi inſpiciendus eſt *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. p. 42. inprimis vero *Stolbergius* in Exercitatt. Græcæ Linguæ

cap. XXII. toto, p. 113. qui cum obſervaſſet, *κατ' ἄνθρωπον, ἀνθρώπινον, κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, κατὰ τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρωπείως, & ἀνθρωπίνως* paſſim apud Scriptores etiam externos legi, ſed non eodem ſemper modo capi, ſententiamque diſtingui ſecundum naturam rei ſubjectæ, vel eorum etiam rationem, quæ cum his conjunguntur; tandem p. 116. ſq. diverſas Interpretum ſententias de mente Apoſtoli h. l. adfert, ipſe vero cum *Grotio* & B. *Calovio* ita accipit, ac ſi dixerit Apoſtolus: *ſenſus ſpirituales exprimo per ſimilitudinem rerum vulgarium & vobis notarum.* Servitute enim nihil illis notius eſſe poterat. Sunt ſimiles phraſes apud Talmudiſtas obviæ, quarum alii alias afferunt. Lege *Grotium* ad h. l. & ad *Rom.* III. 5. item *Heinſium* ad *Galat.* III. 15. & Cl. *Chriſtian. Schœtgenium* in Specimine Horarum Hebræo-Talmudicarum in N. T. ad Lightfooti exemplum conformatarum, quod in Novis Literariis Lipſienſibus Latinis exſtat an. 1719. p. 73. ſq. Is vero p. 79. ita: *Locutio eſt Talmudica, quotieſcunque ſimile aut proverbium aliquod allegatur, ut dicant:* כדאמרי אנשי ſicut dicunt homines, vel, היינו דאמרי אינשי *hoc eſt*, quod dicunt homines.

Τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν) Voces *εἰς τὴν ἀνομίαν* a librario profectas, qui eas ad oram libri collocaverit, tanquam propius ad ſequentem phraſin *εἰς ἁγιασμὸν* accedentes, ex quo factum ſit, ut tandem utraque phraſis irrepſerit in contextum, opinatur *Wilh. Wall*, in notis Criticis ad V. T. anglice editis p. 232. Sed is non circumſpectior aut felicior conjector eſt, quam qualem ſe ſupra in phraſi *ἐκ πίστεως εἰς πίστιν* reformanda *Rom.* I. 17. præſtitit.

Verſ. 20. *ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ*) *quod ad juſtitiam liberi eratis*, i. e. non eratis ſervi juſtitiæ, ut eam ſectaremini. De ſervitute peccati & libertate a juſtitia Patrum cogitata refert *Petavius* in Dogmat. Theolog. Tomo III. p. 250.

Verſ. 21. *Τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε, ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε;*) ita interpungunt *Curcellæus*, & editiones pleræque, ut ſcilicet nota interrogandi poſt verbum *ἐπαισχύνεσθε* occurrat. Alii vero, ut *Eraſmus Schmidius* & antea B. *Lutherus* interrogationis ſignum poſt *τότε* collocant, & reliqua reſponſionis loco habent, hoc ſenſu: *quem igitur fructum tunc temporis capiebatis?* tales fructus vel res, *quarum vos nunc pudet.* Schmidius provocat ad Clementem Alexandrinum Stromatum lib. IV. qui eadem ratione interpunxerit. Nec mihi aliter videtur ſtatuendum ex ſequente phraſi: *τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων θάνατος.* Hæc enim reſponſionis loco eſſe debent, ex eorum ſententia, qui antecedentia omnia interrogative efferunt. At illa ut pro reſponſione habeamus ex mente Apoſtoli, particula *γὰρ* non patitur, quippe quæ cauſam potius affert, cur pudere eos nunc debeat fructuum, quos ex peccatis olim ceperint: Interim nemini mira videbitur ellipſis, quæ in phraſi, *ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε*, occurrit. Relativum enim pronomen ſæpe includit nomen illud, ad quod refertur. Vide B. *Glaſſii* Grammaticam Sacram lib. III. Tract. II. Can. 21. Nolim tamen cum *Schmidio* ſubintelligere *τῶν τοιούτων*, in gignendi caſu, ſed *τὰ τοιαῦτα* in accuſandi. Sic enim omnia ſibi conſtant rectius. Nonnulla hujus ſtructuræ exem-

exempla ex Scriptoribus affert eruditiſſimus *J.C. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu Chriſti antiquatis p. 109. Ita *Polybius* lib. I. c. 73. τέλος ἔσχεν ὁ πόλεμος, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν ἀκοῇ μαθόντες πολυχρονιώτατος καὶ συνεχέστατος καὶ μέγιστος.

Τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων) Plerique τὸ τέλος vertunt *finis*. Eraſmus Schmidius, *vectigal*, ſive *præmium*, aut *merces*. Atque hunc ſignificatum poſteriorem ex Hebraiſmo nonnulli derivant, in quo voces Hebrææ אחרית & עקב non ſolum *finem*, ſed etiam *mercedem* alicujus rei inferant. Vide huc *Edmundum Caſtellum* in Lexico Heptaglotto rad. אחר *Joſ. Medum* in Fragmentis Sacris, quæ exſtant Tomo X. Opuſculorum ad Hiſtor. & Philolog. Sacram ſpectantium p. 246. & *Guſſetium* in Lexico Hebr. voce עקב lit. B. Mihi quidem τὸ τέλος conſueto ſignificatui, quo finem infert, relinquendum videtur, hoc ſenſu: tales eſſe ſervitutis, peccatis præſtitæ, fructus, qui tandem in *mortem* deſinant. Hoc patet ex v. 22. ubi ὁ καρπὸς & τέλος ſecum invicem tanquam diſparata conjunguntur, ut καρπὸς in hac vita εἰς ἁγιασμὸν tendere, *finis* autem, omnium ſcilicet bonorum & factorum, vita æterna eſſe dicatur.

Verſ. 23. totum illuſtrat *Gatakerus* in Cinno p. 94. ſq.

τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας) de voce ὀψώνιον lege ſcripta Parte I. harum Curarum p. 601. item *Eraſmi Schmidii* Annotatt. ad N. T. p. 501. tum *Jac. Lydium* in Syntagmate de re militari p. 343. & *Suicerum* Tomo II. Theſauri p. 540. & 1500. Atque ex his apparebit, vocem illam de ſtipendio militari potiſſimum adhibitam eſſe. Ubi B. *Dannhauerus* in Idea boni Interpretis monet, ſpeciatim illud ſtipendium denotari hac voce ſolitum, quo conducti gladiatores ſervi venalem ſanguinem inſanæ populi voluptati impenderint. Ut ſenſus ſit: *peccato, tanquam domino veſtro, & quaſi laniſtæ, ſerviiſtis hactenus, eique corporis & animæ ſalutem poſtpoſuiſtis; præmium ſi quæritis & auctoramentum? mors eſt.* Confer Cl. *Wolfburgii* Obſervatt. Sacras p. 450. *Lockius* hic ſcite obſervat, ſtipendium peccati non dici illud, quod pro peccatis ſolvitur, ſed quod peccatum ipſum ſolvit, ſicut paulo poſt vita æterna vocatur χάρισμα h. e. *donum Dei*, ſeu, quod Deus exhibet.

θάνατος) Mors h. l. ut & v. 21. non de temporali, ſed æterna recte a pleriſque Interpretibus accipitur. Adde illis *Altingium* Tom. V. Operum p. 477. & *Steph. Curcellæum* p. 772. Operum. Id inprimis patet ex oppoſito ζωὴ αἰώνιος, vita æterna, quæ ut piis attribuitur, ita neceſſe eſt impiis mortem æternam adſignari. Cl. *Sam. Werenfelſius* in Opuſculis Theolog. p. 327. obſervat, Paulum hic non quemlibet peccati actum, ut mortem promerentem, deſcribere, ſed potius id velle, quod omnis ſervitus peccati, qualecunque demum illud ſit, & quilibet vitioſus habitus, in quo quis volens perſeveret, damnationi ſit obnoxius.

Τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ ζωὴ αἰώνιος) Vide *Seb. Schmidii* Faſcic. Diſputatt. p. 537. ſq. & ad totum comma hoc Tractatum de Imagine Dei p. 404. Auguſtini & aliorum Patrum ſententias lege apud *Petavium* in Dogmatibus

Theologicis Tom. I. p. 345. & 365. & *Suicerum* in Theſauro Tom. I. p. 1304. in voce ζωὴ, & in vocibus ἔργον, κλῆρος, μισθὸς, item χάρισμα Tom. II. p. 1500.

ἐν Χριςῷ Ἰησȣ͂ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν) Hæc *Æthiops* omiſit, ideoque pro commentario habet *Millius* in Prolegomenis, *Whitbio* merito refragante p. 58.

CAP. VII.

AD caput hoc integrum lege ex noſtratibus B. *Jo. Winkleri*, Miniſterii Hamburgenſis Senioris quondam graviſſimi, commentationem vernaculam de impotentia hominum renatorum contra Rob. Barclajum, quæ exſtat in ejus *Conſiderationibus locorum quorundam Scripturæ Sacræ* vernaculis p. 387. ſq. ubi præcipue quidem commata 14-20. exponuntur, eadem vero opera antecedentia quoque ſummatim illuſtrantur. Adde B. *Jo. Henr. Barthii*, Theologi olim Argentoratenſis, commentationem ſuccinctam ad hoc caput *Argentorati* 1718. 4. Ex Reformatis huc advocandi ſunt *Frid. Spanhemius* in Exercitatione ſingulari Tom. III. Operum p. 526. ſqq. *Joncourtius* in epiſtolis Criticis ſuper difficiliora quædam Scripturæ momenta, gall. editis p. 196. ſqq. & *Vitringa* lib. VI. Obſerv. Sacrar. c. 17. p. 443. ſqq. Ex Arminianis denique ipſe *Jac. Arminius* in Diſſ. de vero & genuino ſenſu hujus capitis, Lugd. Bat. 1612. 8.

Verſ. 1-4. explicantur a M. *Chriſt. Gotthilf. Birnbaum* in diſſert. de liberatione fidelium a lege facta per Chriſtum, Lipſ. 1690.

Verſ. 1. ὅτι ὁ νόμος κυριεύει τȣ͂ ἀνθρώπȣ, ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ) Verba hæc Interpretes, quos ſciam, omnes ita verterunt: *quod lex dominatur homini, quamdiu vivit. Hammondus* primus, ni fallor, eſt, qui vocem νόμον ad vocem ἀνθρώπȣ, a qua per trajectionem ſeparata dici poſſit, ἀμέσως referri poſſe vidit, in Paraphraſi & notis ad h. l. Accipe verba ejus ex *Jo. Clerici* verſione: *Quæ cum ita ſint, tertio loco obſervandum, priorem partem verſus, ὁ νόμος κυριεύει τȣ͂ ἀνθρώπȣ, debere verti, aut*, lex hominis poteſtatem habet, *ſeu*, rata eſt, *juncta voce νόμος cum genitivo ἀνθρώπȣ, non cum verbo; vel etiam:* lex poteſtatem habet in homine (*ei ſubjecto*) quamdiu ille (*h. e. is in cujus gratiam lex eſt*) vivit. *Certe vox ἄνθρωπος ſubjungitur voci κυριεύειν, eſtque ſimilis conſtructio hujus verbi cum Genitivo Luc.* XXII. 25. *Itaque HOMO, qui in poſteriore parte pronomine ILLE indicatur, poteſt latere in voce νόμος, quæ non ſignificat legem quamvis, ſed eam demum legem, qua cuipiam poteſtas in alium confertur; pro ſignificatione primigenia vocis, quæ eſt ἀπὸ τȣ͂ νέμειν diſtribuere, quod unicuique lege jus ſuum tribuatur. Sic verſ. 2. νόμος manifeſto ſignificat legem conjugalem, qua uxor viro conjungitur. Hujusmodi enim legem vere dixeris κυριεύειν τȣ͂ ἀνθρώπȣ, eo ſenſu, quem diximus. Nec dubium eſt, quin hic ſit verus ſenſus, & ſcopus horum verborum; at poſterior quidem interpretatio videtur commodior, & facilior, quamvis prior non ſit*

prorſus

prorſus vero abſimilis, & poſſit, facilis & frequentis ὑπερβάτου ope, defendi. Igitur νόμ⊛ τοῦ ἀνθρώπου commoda erit phraſis, ad ſignificandam ejusmodi legem, quæ lata eſt in alicujus gratiam, municipalem aut humanam legem, quæ rata eſt, donec more conſueto abrogetur. Vides hic duas afferri horum verborum interpretationes, in quarum altera acquieſcit *Hammondus*, alteram autem veri judicat ſimilem, nempe eam, quæ, ſublata trajectione, vocem νόμ⊛ cum voce ἀνθρώπου conjungit. Atque hæc poſterior ſe præ altera probavit Celeber. *Jo. Laurent. Moshemio* in Triga Obſervationum Sacrarum Helmſtadii 1725. edita, in qua & pag. 23. Hammondi meminit, eamque, quam is deſeruerat, ornare inſtituit, ad nexum & ſcopum orationis Paulinæ inprimis provocans. Comma enim 2. & 3. pro explanatione & illuſtratione habet commatis primi, quod præter rem ipſam vel ex particula γὰρ intelligi putat. Jam vero commatis 2. & 3. ſumma hæc eſt, feminam viro nuptam, quamdiu vivit ille, ex lege ipſi ſubjectam eſſe, liberari autem obitu mariti ab hoc imperio, quæ tamen ſumma ab illo ſenſu, qui commati primo vulgo tribuitur, nimis remota videatur, cum illud, conſueta explicatione poſita, de liberatione hominis a lege, per propriam mortem, loquatur, exemplum vero v. 2. & 3. allatum liberationem exhibeat a lege per mortem alienam; quæ duo tanto diſtent intervallo, quanto vivere & mori diſtet. Itaque commatis primi verſionem p. 28. ita formandam exiſtimat: *anne ignoratis, quod lex viri, ſive hominis dominetur*, (feminæ ſcilicet,) *quamdiu vivit homo ille ſive maritus.* Quam in rem in ſequentibus oſtendit, ὑπέρβατον ſive trajectionem vocum, quæ hoc modo ſtatuenda foret, etiam alibi locum habere, ἄνθρωπον vero non minus alibi denotare ἄνδρα ſive maritum ut *Matth.* XIX. 3. & 5. νόμον denique inferre *jus mariti*, quo ſignificatu v. 2. phraſis, νόμ⊛ ἀνδρὸς omnino ſit induenda. Eandem ſententiam ſuam poſtea fecit Cl. *Elsnerus* p. 31. ſq. ignarus forte, vel *Hammondum*, vel *Moshemium* de ea cogitaſſe, quemadmodum & nexum ſermonis Apoſtolici alia, quam *Moshemius* fecit, ratione urget. *Apoſtolum* ſcilicet, ait, *in eo eſſe, ut oſtendat, legem vim ſuam exercere in eos, in quibus adhuc peccatum vivit & viget, cui παλαιῷ ἀνθρώπῳ quaſi marito alligati eſſent; enervato vero & mortuo peccato etiam legis vim perire, atque adeo credentes a peccato liberatos ſolvi quoque legem. Hoc*, addit, *docuiſſe Apoſtolum a* v. 6. *præcedentis capitis, idemque hoc capite ſimili lege matrimonii illuſtrare, quemadmodum ſcilicet teneretur uxor, quamdiu viveret maritus, ita*, quamdiu eſſemus in carne, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, vigebat peccati vis & violentia v. 5. *Nunc vero liberati ſumus a lege; QUARE?* ἀποθανόντ⊛ ſcilicet ἐκείνου, ἐν ᾧ κατειχώμεθα, *illo mortuo, cui alligati eramus, ſcilicet* παλαιοῦ ἀνθρώπου cap. VI. 6. In ſequentibus, ex Scriptoribus præcipue externis, phraſibus ita accipiendis robur & lucem conciliaturus, varia loca affert, in quibus νόμ⊛ de *lege matrimonii* uſurpatur. Ita vir legitimæ uxori junctus dicitur νόμῳ γήμας γυναῖκα *Luciano* Timone p. 69. uxor vero κατὰ νόμους γεγαμένη *Artemidoro* Onirocrit. lib. I. c. 76. p. 69. Τὸ κυρίευ-

ριεύειν vero idem eſſe, quod *vigere*, *valere*, *obligare*, inde evincit, quod νόμοι κύριοι i. e. *firmæ valenteſque* vocentur. Sic *Æſchines* in Timarch. p. 175. ſi improbos puniveritis, ἔσονται ὑμῖν οἱ νόμοι καὶ καλοὶ, καὶ κύριοι. ἐὰν δ' ἀφίητε, καλοὶ μόνον, κύριοι δ' ἐκ ἔτι, *erunt vobis leges bonæ & ratæ; ſin abſolveritis, bonæ quidem, at ratæ non amplius.* Non negaverim, erudite hæc ab utroque ita perorata eſſe, ut appareat, verba hæc ita converti poſſe; at, quod ſic converti omnino debeant, nondum mihi liquere profiteor. Viciſſim manifeſtum mihi videtur, Paulum hic hominem, ut objectum indicare voluiſſe, in quod lex dominetur. Sic ſupra VI. 14. dixerat: ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν ἐ κυριεύσει, ἐ γάρ ἐςε ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν, ubi peccato æque ac legi dominium negatur, commemoratis ſimul regenitis, in quos vim ſuam exſerere non poſſit. Nec unquam video Sacros Scriptores hoc verbo, ſine addita, vel *rei* vel *perſonæ* mentione, uſos eſſe. Lege *Luc.* XXII. 25. *Rom.* VI. 9. & XIV. 9. 2 *Cor.* I. 24. Deus quidem 1 *Tim.* VI. 15. ὁ κύριος τῶν κυριευόντων ſimpliciter appellatur, ſed ideo, ut abſolutum ejus & univerſale dominium indicetur. Nec in Græca τῶν LXX. verſione temere locum inveneris, ubi objectum dominii non ſimul ſignificetur. Itaque fieri non poſſe puto, ut vocem ἀνθρώπε a verbo κυριεύειν, cui proxime hic, conſentientibus codicibus omnibus, juncta eſt, ſeparemus. Id enim efficit, ut præter trajectionem etiam ellipſin ſtatuamus. Hinc Rev. *Moshemius* feminam vel uxorem vult intelligi. Nec ſufficit huc alia utriusque exempla advocare, cum ex eo, quod talia exſtent, præſenti quoque loco accommodandam eſſe non ſequatur. Nec iniquior fuerim, ſi ejusmodi trajectionis, qualis hic ſtatuitur, exemplum adhuc requiram. Quod enim Rev. *Moshemius* affert, ex *Rom.* VI. 17. huc non videtur pertinere. Τὸ, εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, antiptoſeos potius præbet exemplum, quæ antiptoſis neceſſario illam vocum ſtructuram requirit. Compara, quæ *Eraſmus Schmidius* ad h. l. obſervavit.

Ceterum verbum ζῇ, ratione ſtructuræ, vel ad *hominem*, vel ad *legem* referri poteſt, quæ ſcilicet vivere dicatur, quamdiu non ſit abrogata. Hinc factum eſt, ut vitam illam ad legem hic nonnulli retulerint, eo ſenſu, quod Apoſtolus legem comparet cum marito, Judæos autem cum uxore, quæ, quoad vivit maritus, ipſi obligata ſit. Ex quo liquere putant, quod, ut de vita & morte mariti loquitur Paulus, ita etiam hæc verba de vita legis h. e. vigore ejus & auctoritate non labefactata accipienda ſint. Ita ſtatuit, ut ceteros, *Grotium* ſecutos, taceam, ex noſtratibus *Trillerus* in Examine locorum quorundam verſionis Lutheri p. 114. qui pro eo, quod B. Lutherus vertit: ſo lange ſie lebet, reponi vult: ſo lange es (nempe das Geſetz) lebet. Notandum hic eſt, quod ad rem ipſam, nihil diſcriminis intercedere. Sive enim homo dicatur vivere, qui legi ſemel eſt ſubjectus, ſive lex, quæ homini adhuc ſuperſtiti ſcripta eſt; obligatio utrinque infertur. Cum tamen phraſis hæc, qua lex, nondum abrogata, vivere dicitur, inſolentior ſit, certe Scripturæ S. incognita, præſtat, ut phraſin, ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ, ad hominem referamus, tanquam legi per totam vitam

tam obnoxium. Nec comparatio, in qua Paulus hic verſatur, huic interpretationi obeſſe intelligetur, ſi obſervemus, Apoſtolum hic legem moralem non tam generatim cum marito, & ſic populum Judaicum cum uxore, quam legem moralem totam & ἐν πλάτει ſumtam, cum lege conjugii ſeu præcepto ſexto ſpeciatim conferre, ſeu potius vim legis univerſalem ſpecialis legis exemplo illuſtrare, hoc ſenſu: ſicut legi conjugali uterque conjux obnoxius eſt, quoad vivit; ita legi morali toti obſequatur quisque neceſſe eſt, quamdiu vivit. Hanc vero Pauli mentem eſſe apparet ex v. 4. ubi Paulus non ait: ἐθανατώθη ὑμῖν ὁ νόμος (quod dicere debuiſſet, ſi legi v. 1. vitam tribuiſſet) ſed, ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ. Sic & v. 2. ζῶν ἀνὴρ commemoratur & Paulus 1 *Cor.* VII. 39. de eodem argumento diſſerens, eadem hac phraſi reſpectum ad maritum viventem clarius exprimit: γυνὴ δέδεται νόμῳ, ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς. Ταυτολογίαν quoque, vix alioquin amoliendam, recte urget Cl. *Elsnerus* p. 32. Idem enim hoc foret, ac ſi Apoſtolus ſcripſiſſet: *lex valet, quamdiu valet.* Confer *Schœnlandii* Vindicias verſionis Lutheri contra Trillerum p. 170. ſqq. & *Pfeiferi* Obſervationes in eundem p. 19. ſq. Quomodo lex in hominem dominetur, ex Auguſtino potiſſimum declarat *Petavius* Tom. I. Dogmatum p. 452.

Verſ. 2. ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνὴ) Ita *Polybius* p. 1390. οὐ γὰρ ἔτι τὰς χήρας ἐπείρα γυναῖκας, οὐδὲ τὰς ὑπάνδρους ἠρκεῖτο μοιχεύων, *neque enim jam mulieres viduas ſollicitabat, aut maritas ſeu marito junctas.* *Athenæus* lib. IX. p. 388. τὰς ὑπάνδρους τῶν γυναικῶν τηρεῖν πικρῶς dixit. Eadem voce utuntur οἱ LXX. *Numer.* V. 20. & *Prov.* VI. 19. Conf. *Lamb. Bos* Exercitationes p. 106. Alia ejusmodi loca attulerunt Cl. *Jo. Alberti* in Periculo Critico, p. 52. (qui & *Ezech. Spanhemii* obſervationes ad Callimachum p. 78. conferri jubet,) & *Elsnerus* p. 34.

Δέδεται νόμῳ) Sic 1 *Cor.* VII. 39. γυνὴ δέδεται νόμῳ, quomodo vir mulieri junctus δεδεμένος dicitur ibid. v. 27. Hinc apud *Achillem Tatium* p. 41. pro ἄλλῃ γὰρ δέδομαι παρθένῳ, Salmaſio viſum fuit legendum δέδεμαι, recte approbante *Elsnero* l. c. qui & ſimiles Latinorum phraſes affert.

Κατήργηται ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς) Eadem phraſi, alias inſueta, utitur Paulus hic v. 6. & *Gal.* V. 4. κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. Idem vero ſibi hæc phraſis vult, quod dicitur v. 3. ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τοῦ νόμου. Confer *Hombergii* Parerga pag. 225. *Oecumenius* explicat: ἀπολέλυται, ἠλευθέρωται. Confer *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 59.

Verſ. 3. μοιχαλὶς χρηματίσει) i. e. *ex facto ſuo, concubitu ſcilicet cum alieno viro, acquiret ſibi nomen adulteræ*, ſeu faciet, ut appelletur adultera: quæ interpretatio eſt *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 107. exiſtimantis, τὸ χρηματίζειν idem eſſe, quod, *ex re aliqua ſeu factis hoc vel illud nomen ſibi comparare.* Exempla vero ab eo adducta rem non ſatis confirmare videntur *Elsnero* p. 35. qui τὸ χρηματίζειν ſimpliciter reddi vult, per *nomen* ſibi *imponere*, *acquirere* & *conſequi.* Quam in rem ipſe inter ceteros producit *Diodor. Sicul.* lib. I. p. 41. ἐβασίλευε δὲ Πτολεμαῖος, ὁ νέος Διονύσιος χρηματίζων, *regnabat autem Ptolemæus, novus Dionyſius* dictus. Confer *Menagium* ad *Diog. Laërtii* I. 48. *Jac. Cappell.* p. 53. Obſervatt.

ſervatt. & Curas has ad *Actor.* 36. Singularis hic eſt Cl. *Herzogii* ſententia, qui in Obſervationibus de certitudinis Hermeneuticæ in lingua N. T. auxiliis Grammaticis §. 23. τὸ χρηματίσει non pro *verbo*, ſed pro *nomine* habet in dandi caſu poſito, ſubintellecta præpoſitione ἐν. *Pronunciat ſcilicet*, inquit, *Apoſtolus, feminam, ſi, ſuperſtite adhuc marito, alterius fit, quod ſit adultera, idque non facit ſua auctoritate, ſed eſt adultera*, χρηματίσει, i. e. ut idem interpretatur, *divino effato in lege Moſaica*, *Levit.* XX. 10. *& ipſius Jeſu Chriſti aſſerto.* Matth. V. 32. Nimis hæc impedita, puto, plerisque videbuntur, atque adeo non neceſſaria, ut potius ex uſu veterum verbum χρηματίζω & formæ ſuæ & notioni communi rectius relinquatur. Scilicet χρηματίζειν ſignificat inter cetera *nuncupare*, quod gloſſæ veteres tradunt. Hic vero ſignificatus ut loco noſtro maxime accommodatus eſt; ita eidem facile in paſſiva forma vindicabitur, ſi ſubintelligamus ἑαυτὴν, i. e. *ſe ipſam appellabit*, quod idem eſt, ac ſi dixeris, efficiet, ſua culpa, ut ita appelletur. Ita Gallos loqui frequenter, tralatitium eſt & pervulgatum. Sic vero etiam Scriptores Sacri, quorum loca ibidem vir doctus, quamvis alio inſtituto, attulit, ut *Matth.*VI. 29. περιεβάλετο ſcilicet ἑαυτὸν, *Luc.* II. 5. *Actor.*XXII. 16. 1 *Cor.*XI. 6. 2 *Cor.*V. 4. Denique verbum χρηματίζειν non ſemper de divinis oraculis monitisque in ſacris, ceu idem exiſtimat l. c. uſurpari, vel Actuum locus XI. 26. evincit, quamvis eum nova, ſed non probabili ratione, in hanc ſententiam idem interpretetur. Adde de hac phraſi *Druſium* Miſcellan. Centur. I. c. 5.

Verſ. 4. Καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ) *mortificati eſtis legi*, i. e. reſpectu legis mortui eſtis, nec illi amplius obnoxii, *beneficio corporis Chriſti*, ſcilicet crucifixi. Vide *Epheſ.* II. 15. 16. Hinc patet, nimis ſubtilem h. l. interpretem egiſſe *Martianæum*, quando in verſione ſua Gallica ita hæc verba reddit: *vous êtes vous mêmes morts à la loy, par la vérité & l'accompliſſement, que Jéſus Chriſt luy a donné* h. e. vos mortui eſtis legi per veritatem & impletionem, quam Chriſtus præſtitit. Vult ſcilicet, corpus Chriſti hic opponi umbris N. T. vi loci *Coloſſ.* II. 17. ubi inſtituta cerimonialia vocantur umbræ rerum futurarum, quarum corpus ſit Chriſtus. Sed quam diſſimilis hic locus noſtro ſit, nemini obſcurum eſſe poteſt. Ibi enim manifeſta eſt oppoſitio inter *umbras* & *corpus*, qualis hic nulla datur. Ibi ſermo eſt de lege cerimoniali, hic vero non tantum de illa; ſed vel inprimis de morali, quæ certe nusquam ita nobis deſcribitur, ut vel inſtar umbræ corpori cedere, vel per obedientiam Chriſti omni ex parte ſublata intelligi poſſit. Itaque rectiſſime τὸ σῶμα de corpore Chriſti crucifixo, tanquam cauſa, unde θανάτωσις illa pendeat, accipitur. Id quod luculente innuitur facta ſtatim mentione τοῦ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντος, ſeu *Chriſti ex mortuis*, poſt crucifixionem & mortem *excitati.* Ceterum ſunt, qui phraſin: ἐθανατώθητε ὑμεῖς τῷ νόμῳ idem eſſe volunt, ac ſi Paulus ſcripſiſſet: ὁ νόμος ὑμῖν ἐθανατώθη. Vide hic poſt *Grotium, Vitringam* lib. VI. p. 451. Obſerv. Sacrar. qui addit, Paulum prudentiſſime ita ſcripſiſ-

ſcripſiſſe, ne ſcilicet credentes ex Judæis aut proſelytis, legi addictiores, offenderentur, ſi audirent, legem eſſe mortuam.

Verſ. 5. *Ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν σαρκὶ*) Nonnulli Interpretes poſt *Grotium τὸ in carne eſſe* de ſtatu legis, ſtatui Evangelico oppoſito, ſeu de Veteri Teſtamento, reſpectu Novi, interpretantur, quo etiam tendit *Lockius*, qui obſervationem legis ſecundum ſenſum literalem & externum tantum, non autem ſecundum myſticum & ſpiritualem (conf. 2 *Cor.* III. 6. 17. & hic infra v. 14-16.) indicari contendit. Sed ut alia argumenta taceam, a B. *Calovio* contra hanc ſententiam allata, Paulus certe in tota hac epiſtola phraſi *ἐν σαρκὶ εἶναι* eo ſenſu non utitur, ſed iſto potius, ut ſtatus hominis non renati, atque adeo in peccatis adhuc mortui, inferatur. Vide infra VIII. 8. *οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες Θεῷ ἀρέσαι ἐ δύνανται*, & v. 9. *ὑμεῖς δὲ ἐκ ἐστε ἐν σαρκί*. Ibi vero *τὸ ἐν σαρκὶ εἶναι* idem eſt, quod v. 5. dictum erat *κατὰ σάρκα εἶναι*, hoc autem nihil aliud eſt, quam vitiatæ naturæ ductum & impetum, inſtar non renatorum, ſequi. Quam itaque notionem eo loco Paulus phraſi huic tribuit, eam hic quoque ipſi relinquendam eſſe patet, inprimis cum ſtatim *τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν*, tanquam in illis hominibus efficacia & dominantia commemorentur.

Τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τῶν διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν) Phraſin *τῶν διὰ τοῦ νόμου Lockius* interpretatur, *quæ ſub lege erant*, advocatis locis *Rom.* IV. 11. 2 *Cor.* V. 10. & 1 *Tim.* II. 15. Sed aliquid amplius hic innui, nempe legem cauſam accidentalem eſſe dominii peccatorum, apparet ex v. 8. ubi *ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς* dicitur *κατεργάσασθαι πᾶσαν ἐπιθυμίαν*. Verbum *ἐνηργεῖτο* hic aliis *activo*, aliis *paſſivo* ſenſu videtur ſumendum. Pro paſſivo pugnat inprimis Cl. *Gerh. Outhovius* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. IV. p. 471. cui *ἐμφατικώτερον* videtur, ſi pro *vigebant*, quod *Beza* habet, vertatur, *agebantur*, *efficiebantur*, *movebantur*, præcipue cum hoc affectibus magis conveniat. Viciſſim Rev. *Raphelio* in Annotatt. Polybianis pag. 432. deponentis forma h. l. *ἐμφατικώτερος* viſa eſt, quamvis paſſivam ei notionem idoneo *Polybii* loco, quo & Cl. *Outhovius* utitur, ex lib. I. c. 13. pag. 17. & pag. 1017. & 1152. vindicaſſet. *Outhovius* inprimis urget, *τὸ ἐνεργεῖσθαι* novies in N. T. occurrens paſſiva notione ſemper adhiberi. Inſtituti noſtri ratio non patitur, ut de locis ſingulis ſententiam dicamus. At locum 1 *Theſſal.* II. 13. huc referri minime poſſe, perſuaſum mihi vehementer habeo. Ibi laudantur Theſſalonicenſes, tanquam qui receperint *λόγον τοῦ Θεοῦ*, de hoc vero dicitur, *ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσι*. Id verti vult Vir doctus: *qui perficitur in vobis, qui creditis.* Equidem non perſpicio, qui verbum Dei, in ſe perfectum, perfici dici poſſit in hominibus. At obvia eſt ſententia, ſi verbum Dei efficax dicatur eſſe in ipſis ad bonum. Hoc ipſum indicatur v. 14. *ὑμεῖς γὰρ μιμηταὶ ἐγενήθητε, ἀδελφοί, τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ*. Itaque Theſſalonicenſes non audiverant tantum verbum Dei, ſed ad exemplum ceterarum Eccleſiarum in uſum vitæ & inprimis patientiæ demonſtrationem converterant. Hoc ſenſu verbum Dei dicitur *λόγος ζῶν καὶ ἐνεργής*, *Hebr.* IV. 12. Quemadmodum itaque ibi paſſiva

notio merito exulat & abeſſe jubetur, ſic neque hic eam locum tueri poſſe exiſtimo. Paulus enim non vult dicere, *affectus* ſeu *cupiditates peccatorum* excitatas fuiſſe in hominibus, ſed, eas tanquam in carne jam habitantes, impuliſſe hominem ad ea perpetranda, quæ morti ſint obnoxia. Hinc ait: τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τȣ̃ νόμȣ ἐνηργεῖτο, h. e. *affectus peccatorum, per legem exiſtentes*; ſeu excitati, *agebant*, *vigebant in membris noſtris.* Si aliter verba poſteriora accipiantur, neſcio, quomodo ταυτολογία amoveri poſſit. De re ipſa confer dicenda ad v. 8.

Verſ. 6. Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τȣ̃ νόμȣ) Per legem hanc non tantum cerimonialem, ſed vel inprimis moralem, eamque, quæ de amore præcipit, intelligi debere oſtendit *Campeg. Vitringa* lib. VI. Obſervatt. Sacrar. p. 448. Legem enim hanc, quam v. 1. νόμον vocat, v. 8. & 9. ἐντολὴν appellat Paulus, ea vero reſpondet Hebræo מצוה, quæ proprie legem moralem infert; unde nec Paulus in epiſtola ad Galatas, ubi ſæpe legem ritualem appellat, voce ἐντολῆς unquam utitur. Deinde Apoſtolus legem illam v. 10. appellat ἐντολὴν τὴν εἰς ζωὴν, *præceptum, quod eſt ad vitam.* Hoc vero de lege morali ſpeciatim accipi debere patet ex *Matth.* XIX. 16. Et unde, quæſo, conſtare Apoſtolo poterat, concupiſcentiam eſſe peccatum, de quo v. 7., niſi ex lege morali? De phraſi κατηργήθημεν &c. dictum jam eſt ad v. 2. Eam vero ita accipit *Vitringa* p. 451. ac ſi Paulus ita ſcripſiſſet: ὁ νόμος ὑμῖν κατηργήθη h. e. *lex noſtri reſpectu eſt abolita*, ſeu, nihil nobis eſt cum lege negotii. Ejusdem judicio altera illa phraſi uſus eſt Paulus ideo, ut caveret offenſionem Judæorum, ſi legem ipſam abolitam eſſe dixiſſet.

Ἀποθανόντες, ἐν ᾧ κατειχόμεθα) Hic pro ἀποθανόντες pauci quidam Codices & verſiones habent τȣ̃ θανάτȣ, quam interpolationem, ex v. 10. forte natam, nemo facile approbarit, quamvis eam exemplo *Vulgati* in verſione ſua expreſſerit *Rich. Simonius.* Majoris momenti varietas ea eſt, quam *Viennenſis* Codex, & Chryſoſtomi commentarius exhibet, nempe ἀποθανόντος. Eam ſecuti ſunt *Stephanus*, *Beza*, *Caſaubonus*, *Curcellæus*, *Carolus le Cene* in Specimine novæ verſionis p. 665. *Vitringa* l. c. p. 451. Cl. *Elsnerus* p. 32. & ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius*, B. *Jo. Saubertus* in Opp. Poſthumis p. 288. Celeb. *Moshemius* in Triga Obſervationum p. 26. & Cl. *Herzogius* de poſitu Interpunctionum in ep. ad Romanos p. 8. Atque illi quidem τὸ ἀποθανόντος referri volunt ad legem, tanquam quæ inſtar mariti, in vita olim dominantis, mortua nunc ſeu abrogata dicatur: niſi quod Cl. *Elsnerus* ſubintelligat voces τȣ̃ παλαιȣ̃ ἀνθρώπȣ ex cap. VI. 6. ut *vetus homo* mortuus indicetur. Hanc vero lectionem rectius averſantur *Millius* ad h. l. & Rev. *Pfaffius* in Diſſertatione Critica de Variant. Lection. N. T. p. 208. Prior eorum ita: *Ceterum cum* ἀποθανόντες *præferant exemplaria univerſim*, (quæ ſcilicet *Millius* oculis uſurpaverat) *editiones item* Complut. Col. Froben. Wechel. Aldina, *verſiones quoque*, Syr. Arab. Æthiop. & Baſilius, Theodoret. Oecum. Theophyl. Origenes comm. in locum, Cyrill. in Caten. MS. Tertull. *alii*, *lectionem hanc omnino germanam eſſe*

arbi-

arbitror. Id nempe vult Apoſtolus, MORTUOS NOS ESSE LEGI, IN QUA DETINEBAMUR. Quem ſenſum cum obſcurius aliquanto in hac lectione traditum eſſe exiſtimaret, ſive Chryſoſtomus, ſive etiam alius quiſpiam, id enim credo; explicarunt verba Apoſtoli, tanquam legeretur ἀποθανόντος. *Interpretamentis autem illorum ducti poſtea editores quidam, facileque ſibi perſuadentes,* ἀποθανόντος *olim lectum in exemplaribus Græcis, lectionem hanc in alterius, & quidem veræ, locum repoſuerunt in editionibus ſuis, contra omnium Codicum fidem, etiam ipſius contextus Chryſoſtomiani, in quo lectum* ἀποθανόντες *teſtantur exemplaria edita ac MSS.* Atque in hac ſententia hoc magis acquieſco, quod lectio ἀποθανόντος ab eo nata mihi videtur, qui olim, ceu nonnulli Interpretes hodie faciunt, ad comparationem legis cum marito & Eccleſiæ cum uxore oculis nimis intentis reſpiciebat, & vel hoc nomine τὸ ζῆν commatis primi ad legem pertinere exiſtimat. Cum vero aliter hic pronunciandum ſit, quod ad v. 1. monuimus, Paulus etiam in ſequentibus nunquam in hoc capite de morte legis mentionem faciat, ſed mortem ad homines, per Chriſtum liberatos, referat, quod v. 4. & 6. uſu venit; non video quicquam pro iſta lectione, quæ legi mortem diſerte vindicaret, præſidii. Viciſſim altera illa lectio ἀποθανόντες ſe eo tuetur, quod Paulus *Gal.* II. 19. eadem phraſi, reſpectu ad legem habito, utitur, dicens: Ἐγὼ γὰρ διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον, quemadmodum non diſſimili ſenſu ſupra VI. 2. dicit: ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, *mortui ſumus peccato.* Qui enim moriuntur peccato, in tantum moriuntur quoque legi, tanquam quæ peccatores præfractos ad peccata per accidens magis magisque impellit, v. 8. Senſus itaque Apoſtoli h. l. eſt, *nos a lege liberatos eſſe, poſtquam illi*, nempe legi, *mortui ſimus, qua olim, inſtar captivorum, fuerimus detenti.* Supplendum ſcilicet hic eſt pronomen demonſtrativum αὐτῷ, quod nonnunquam in relativo (quale hic ſequitur, ἐν ᾧ) latet. Vide ad c. VI. 21. Et elegans ſic nobis ſe offert alluſio ad captivos, qui, quamdiu in vivis verſantur, domino carceris obnoxii ſunt, cujus viciſſim imperio morte penitus ſubducuntur. Eodem modo Paulus Judæos ſub V. T. lege tanquam carcere quodam detentos repræſentat *Gal.* III. 23. πρὸ τοῦ δὲ ἐλθεῖν τὴν πίστιν, ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα, συγκεκλεισμένοι εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι. Ex hac obſervatione, ni fallor, id quoque intelligitur, quod ellipſi illa τοῦ παλαιοῦ ἀνθρώπου, quam Cl. *Elsnerus* huc advocat, opus non ſit, cum ex conſuetis Græcæ linguæ rationibus τὸ ἐν ᾧ ſe ad antecedens νόμου referat. Recte itaque lectionem ἀποθανόντες alteri præfert Cl. *Hombergius* p. 226. qui ita vertit: *Jam vero mortui* i. e. cum mortui ſumus *liberati ſumus a lege, qua detinebamur.* Hanc trajectionem (qua tamen non admodum opus eſſe exiſtimo) non eſſe violentam, ſed ſimpliciſſimam verborum ſtructuram, quæ id, quod v. 4. ſcriptum eſt, aliis tantum verbis exprimat, idem monet *Hombergius.* Ceterum, qua ratione Fideles N. T. a lege morali, tanquam difficili & moroſo domino liberati dicantur, exponit fuſe *Vitringa* lib. VI. Obſſ. Sacr. cap. XVIII. & XIX.

Verſ. 7. Ἀλλὰ τὴν ἁμαρτίαν ὐκ ἔγνων) Apoſtolum in prima perſona ſingulari ideo loqui putat *Lockius*, ut ne offenderet Judæos. Non exiſtimo equidem, Paulum vel iſtam, vel aliam ſingularem cauſam habuiſſe, cur a perſona ſecunda, qua utitur v. 4. ad primam nunc deflecteret. In tota enim hac epiſtola Apoſtolus ſæpe perſonas permutat, ubi difficile futurum eſt negotium, ſi ſemper ſpecialem inſtituti hujus rationem reddere inſtituas. Oratio gravis & affectuoſa generatim cauſæ ſatis ſuppeditat.

τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν ὐκ ᾔδειν) De concupiſcentia prava, h. e. prima pravæ voluptatis propenſione fuſe commentatur *Vitringa* lib.III. Obſervatt. Sacrarum c. VI. p. 90. ſqq. expoſitis *objectis*, *ſpeciebus* & *effectis* ejus variis, ſicut capite VII. Hebræorum de cognitione mala, יצר הרע & deſideriis primis pravæ voluntatis ſententiæ recenſentur & excutiuntur, uſque ad p. 152. Ex illa diſſertatione, inprimis ejus p. 114. conſtat, fuiſſe inter Judæos, qui ſola cogitatione & cupiditate, quam effectus non ſequatur, non peccari exiſtimarint. Ita *Joſephus* XII. 13. Antiquitatum de cogitato Antiochi ſacrilegio: τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βυλευσάμενον ὐκ ἦν τιμωρίας ἄξιον. Nec diſſimiliter *Aben Eſra* in digreſſione, quæ præmiſſa eſt explicationi Decalogi. Atque hæc ſententia ætate Domini noſtri, ceu ex *Matth.* V. 28. facilis fit conjectura, adeoque & Pauli recepta fuit, ut proinde recte affirmet Paulus, ſe concupiſcentiam pro peccato nunquam habiturum fuiſſe, niſi legem curatius inſpexiſſet, & ex Chriſti diſciplina, non vero doctorum ſuorum interpretatione, æſtimaſſet. Interim negari non poteſt recentiores quoſdam Judæos rectius de concupiſcentia ſenſiſſe, atque inter eos ſpeciatim *Maimonidem* in *Hilcoth Teſchuva* cap. VII. §. 12. *Ne dicito*, inquit is, *quod nulla ſit reſipiſcentia, niſi ab ejusmodi peccatis, quæ opere abſolvuntur, cujusmodi ſunt ſcortatio, rapina, furtum; quemadmodum enim homo neceſſe habet accurate inquirere in pravas ſententias animi ſui, & reſipiſcere ab ira, ab inimicitia, ab invidia, & vehementiſſimo ſtudio conſequendi pecuniam & honorem, & cibi delicias, quæque his ſunt ſimilia.* Hæc itemque alia Judæorum loca lege apud *Vitringam* l. c. Adde vero ex Judæis ceteris *Menaſſe ben Iſrael* de Fragilitate humana, ex Chriſtianis autem, quos ſupra ad cap. V. 12. excitavimus, ex quibus tota hæc cauſa facile cognoſcetur. Scilicet certiſſimum eſt, Judæos non recentioris ſolum, ſed antiquioris quoque ætatis, v. c. *Simeonem Jochaidem* in *Sohar* &c. quorum loca affert B. *Edzardus* in notis ad cap. I. Tractatus Talmudici *Berachoth* p. 168. ſq. de concupiſcentia illa prava, de qua hic Paulus, interdum rectius ceteris, & Scripturæ S. convenientius pronuntiaſſe. Sed ex eo tamen non conficitur, contrariam ſententiam non fuiſſe communiorem, & pleriſque Judæorum receptam, qua factum ſit, quod Paulus hic innuit, ut niſi lex penitius a ſe inſpecta fuiſſet, aliquid vitii in concupiſcentia vix inventurus fuiſſet. Fortaſſe tamen præſtat, ſtatuere, Paulum, ſine habito reſpectu ad ſententiam Judæorum de concupiſcentia originali, affirmare ſimpliciter, quod nec ipſe, nec alius hominis ullus, ſive Judæus, ſive Gentilis, concupiſcentiam illam in vitio habiturus fuiſſet, niſi lex illi præceptum X. diſerte

oppo-

oppoſuiſſet. Sic non neceſſe erit, ut cum aliis, quos *Vitringa* l. c. p. 118. approbat, dicamus, Paulum vel hoc velle, *quod vim & effecta concupiſcentiæ accurate non cognoverit, antequam animum diligentius adplicaſſet conſiderationi præcepti X.* vel illud: *quod fuerit aliqua ſpecies concupiſcentiæ ſibi incognita ante legem bene expenſam.* Poſterior tamen hæc interpretatio admitti poteſt, ſi recte & ex noſtratium Theologorum mente capiatur, qui ſcilicet id diſcriminis inter præceptum IX. & X. conſtituunt, ut illud de concupiſcentia *actuali*, h. e. de cogitationibus pravis cum delectatione & conatibus cogitata exſequendi conjunctis, hoc autem de *originali*, ſeu pravis motibus primis, quos ſentiunt omnes Chriſtiani tanquam innatos, explicandum cenſeant. Et de poſteriori quidem concupiſcentiæ genere loqui Paulum manifeſtum eſt, tanquam tali, quod ſine lege nunquam cuiquam inſtar vitii & peccati cognitum fuiſſet futurum.

Atque ex his facile judicari poteſt, quid de iis habendum ſit, qui Gentilibus quoque concupiſcentiam pravam pro peccato agnitam fuiſſe exiſtimant. Scilicet, ſi de *actuali* illa ſermo ſit, vere id quidem dicetur, ſi de *originali* ſeu *habituali*, non item. Lege interim B. *Jo. Schmidii* Diſſertat. de Peccato Originali, Gentilibus ignorato Lipſ. & *Magni Dan. Omeiſii* Diſp. de Ethnico amiſſæ imaginis divinæ convicto, Altorfii an. 1701. 4. Adde *Jac. Altingii* Opera Tom. V. p. 59. ubi de moralitate Sabbati exponitur.

Verſ. 8. Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία) Grotius ita vertit & explicat: *impunitatem nacta a præcepto, quia præcepto iſti nulla pœna erat appoſita, qualis erat appoſita adulteriis & furtis, ideo contemnebatur.* Ad ſignificatum illum voci ἀφορμὴ vindicandum affert quendam Thucydidis locum. At eum huc non pertinere, ibique præterea ἀφορμὴν idem eſſe, quod ὁρμητήριον, ſeu ſedem, ſive arcem belli, oſtendit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 432. eademque opera plura Polybii loca promit, v. c. ex p. 227. 259. 450. &c. quibus communior ſignificatus, nempe is, quo *occaſionem* ſeu *cauſam* infert, confirmatur. Sic p. 227. πῶς καὶ διὰ τί καὶ πόθεν ἕκαστα τῶν πραγμάτων τὰς ἀφορμὰς εἴληφεν.

Διὰ τῆς ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν) Vide huc *Vitringam* lib. VI. Obſ. Sacr. p. 475. ubi inter cetera ita: *Sententia Pauli eſt, ante νομοθεσίαν corruptum equidem & vitiis immerſum extitiſſe genus mortalium, ſed illam corruptionem nec tam conſpicuam fuiſſe, neque in tot vitia & ſcelera erupiſſe, quam quidem poſt legem per Moſen datam; quin imo tum demum evidenti declaratum eſſe argumento, vitioſitatem humani generis eſſe maximam, & externas leges, vitiis oppoſitas, abſque conjuncta gratia Spiritus S. tam eſſe ineptas ad perverſitatem ingenii humani corrigendam, homineſque meliores efficiendos, ut contra concupiſcentia per illas leges quaſi ſuſcitata ſe nunc longe majore vi in omne peccati genus exſerat, quam feciſſet abſque lege. Cum vero hoc effectum, quod lex in carnalibus Iſraelitis producebat, (per accidens equidem, non per ſe) vere quid moleſtum & incommodum fuerit, & longa poſt ſe traxerit mala, hinc Paulus legem, vitioſitatem irritantem & ſuſcitantem, conſiderat, ut homini dominantem, ad ejus malum & noxam, & ut detinentem hominem ſub pec-*

cati ſervitute, ac proinde, ut quid μεμΦόμενον, a quo Eccleſiam Novi Fœderis liberari conveniebat, & quam liberatam pronunciat.

Verſ. 9. Ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμȣ ποτέ) Vide huc *Roberti Gelli* Reliquias Anglice editas Tom. II. p. 61-72. qui per eum, qui quondam ſine lege vixerit, intelligit terrenum ſeu naturalem hominem, qui, quamvis legis habuerit cognitionem, ejus tamen vim ad cognoſcenda peccata non ſenſerit. Atque hic diſpiciendum omnino eſt, quomodo & quo habitu Paulus in toto hoc capite de ſe aliisque loquatur. Hic enim Interpretes cum veteres tum recentiores in diverſas abeunt partes.

Alii Paulum de ſe ut *renato*, ſed peccati originalis irritamenta adhuc ſentiente, loqui exiſtimant, quæ eſt noſtratium, ſi paucos exceperis, ſententia. Lege, præter diſputationes ſingulares *Mich. Beckii*, Ulmæ 1708. *J. G. Neumanni*, Witteberg. 1699. & *C. T. Rangonis*, Gryphiswald. 1664. B. *Jo. Winckleri* Conſiderationes locorum quorundam Biblicorum vernaculas p. 427. ſq. ubi inter cetera argumenta, ex tota capitis ſerie petita, id inprimis urget, quod Paulus ſtatum ſuum præſentem, tanquam regeniti, priſtino illi, nempe ut irregeniti, diſerte per particulam ποτὲ opponat. Conf. Cl. *Joh. Trellund* Exercit. Biblic. I. p. 19. & Rev. *Joh. Jac. Rambachium* in Introduct. in hanc Epiſt. p. 219. Ex Anglis eandem ſententiam tuetur *Thomas Tullius* in ſingulari diſſertat. quæ ipſius *Juſtificationi Paulinæ* ſubjuncta eſt, & *Joh. Edwardus* in Exercitationibus Criticis, Exercit. VI. p. 284. ſq. Atque hujus quidem primum auctorem *Auguſtinum*, qui tamen aliquando aliter ſenſerit (confer *Rich. Simonis* Hiſtoriam Criticam N. T. Parte III. p. 253.) conſtituit *Joncourtius* loco mox citando p. 196. cujus auctoritate permoti ſint alii, ut eandem amplecterentur, neglectis antiquiſſimis & præſtantioribus, qui ante Auguſtinum vixerint, Interpretibus. Enimvero de illo antiquiorum Patrum conſenſu aliter habendum eſſe patet ex iis, quæ B. *Calovius* in Theologia Romano-Apoſtolica pro Auguſtini illa eaque genuina interpretatione dixit, ac contra Pelagianos & Socinianos diſputavit.

Cum his enim alii contendunt, Paulum loqui de homine adhuc *irregenito*, quam ſententiam, ut ceteros taceam, ex recentioribus inprimis non ita pridem defendere conatus eſt *Joncourtius* in Epiſtolis Criticis de diverſis argumentis Scripturæ S. præſtantioribus, Gallice editis p. 195-236.

Nonnulli Paulum de ſe quidem, ſed in quantum adhuc ſub V. T. h. e. ſub lege fuerat, verba facere exiſtimant. Ita *Trillerus* in Examine locorum quorundam Verſionis B. Lutheri p. 229. contra quem lege, ſis, *Pfeiferi* Obſervationes p. 46. Ab illo parum diſcedit, qui Paulum ſe ſub Phariſæi habitu repræſentare in gloſſis ad N. T. a B. *Hedingero* editum, exiſtimat.

Quidam Apoſtolum perſonam Judæi alicujus ſumſiſſe volunt, qui reſpiciat ad tempus, quod inter fœdus cum Abrahamo ictum & legem datam interceſſerit. Ita *Lockius* in Commentar. ad h. l.

Ex *Campegii Vitringæ* ſententia Paulus per totum caput in ſua perſona, elegantiſſima nec ipſi inſolita fictione repræſentat varios legis divinæ effectus in Judæ-

Judæis & proſelytis, oppoſite ad effectus Evangelii ſub œconomia gratiæ, quos deſcribat toto capite octavo præcellentiſſimos. Vide ejus Obſervatt. Sacras lib. VI. p. 444.

Alii denique Paulum hic meminiſſe exiſtimant hominis, non inſtar regeniti, ſed ut talis, qui inter utrumque ſtatum medius ſit, h. e. in quo Deus per Spiritum ad converſionem operetur, quique in bivio adhuc ſit conſtitutus. Hanc ſententiam, tanquam noſtratium quorundam (inter quos eſt B. *J. C. Schomerus* p. 33. commentar. in hanc epiſt.) commemorat *Phil. Jac. Spenerus*, in libro vernaculo, quo dicta quædam Scripturæ ab abuſu hominum profanorum egregie vindicat p. 255. qui tamen ipſe primam, quam enarravimus, ſententiam merito & recte tuetur, in qua & nos acquieſcimus, uberiore confirmatione ſuperſedentes.

ἡ ἁμαρτία ἀνέζησε) i. e. *ſenſi vim peccati.* Lege Patrum loca apud *Suicerum* Tomo I. Theſauri p. 264.

Verſ. 10. Ἐγὼ δὲ ἀπέθανον, &c.) Vide *Roberti Gelli* Reliquias Anglice editas Tom. II. p. 72-76.

Verſ. 12. Ὥστε ὁ μὲν νόμος ἅγιος, &c.) Lege eundem *Gellum* l. c. p. 77-92. Elogia illa legis exponunt Patres apud *Suicerum* Tomo II. Theſauri p. 424. Legem intrinſece bonam eſſe ex ſingulorum ejus præceptorum tum ſumma, tum ſcopo, quem ſibi Deus præfixum habuit, oſtenditur in dem freywilligen Heb-Opfer Tomo I. p. 24. ſq. Placet præter iſta paraphraſis hujus commatis, quam *Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. V. p. 449. ita adornat: *Lex tota comparata eſt ad divinas illuſtrandas perfectiones, ac proin ſancta. Inprimis* ἡ ἐντολὴ præceptum amoris *eſt ſanctum, juſtum & bonum.* Sanctum *quidem, quia, cum hominibus præſcribat amorem Dei, tanquam perfectiſſimum genus actuoſitatis, luculentiſſimum ſimul teſtimonium perhibet ſummi amoris Dei erga ſe ipſum, in quo divina ſanctitas conſiſtit;* Juſtum, *quia primis, ſimpliciſſimis & manifeſtiſſimis principiis Juris Dei & creaturæ conſentaneum, & ex iis eductum eſt;* Bonum, *tum quia conſcientia judicat, Deum cum maxime decuiſſe, hominibus tale præceptum præſcribere, & non aliud, quippe quod ſit* ἔκτυπον *perfectiſſimæ Dei actuoſitatis; tum quia utiliſſimum eſt, ad finem illum, quem Deus ſibi dandis præceptis præſtituit.* Quæ *Spencerus* de legibus Hebræorum ritualibus p. 37. de bonitate legis moralis in oppoſitione ad cerimonialem affert, cum ſelectu habito, legi poſſunt.

Verſ. 13. Τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία) *Beza* hic ex præcedentibus tanquam ἀπὸ κοινοῦ vocem ἁμαρτία ita ſupplet: *ſed peccatum mihi factum eſt mors.* Illius veſtigiis inſiſtit ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius* ad h. l. ex Reformatis vero Cl. *Elsnerus* p. 37. *Hombergio* ſe ſimul opponens, qui ſupplemento hoc opus eſſe negaverat in Parergis p. 227. Mihi quidem clara admodum & expedita Pauli oratio videtur, ſi ſupplementum illud amplectaris. Neque alioquin cauſam video, cur Paulus vocem ἁμαρτία ſtatim repetierit.

Ἵνα φανῇ ἁμαρτία διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη θάνατον) Cl. *Elsnerus* hæc ita vertit: *quod peccatum per bonum mihi efficeret mortem.* Itaque τὸ, φα-

νῇ

νῇ ἁμαρτία κατεργαζομένη idem fuerit, ac ſi ſcripſiſſet Paulus, *κατεργάζηται*, quemadmodum deinceps de eodem peccato dicit, *ἵνα γένηται*. Nec caret ille verbi *φαίνειν* pleonaſmus exemplis, quæ idem attulit. Ita *Iſæus* Orat. III. p. 418: *τί φανοῦνται λέγοντες*, *quid dicent*. *Thucydides* lib. VI. p. 410. *Σικανοὶ δὲ μετ᾽ αὐτοὺς πρῶτοι φαίνονται ἐνοικισάμενοι*, *poſt hoc Sicani primi incoluiſſe videntur.* Idem pleonaſmus Latinorum *videri* frequentiſſime accidit. Nolim tamen hoc loco ab iis diſcedere, qui verbum hoc per *apparere* interpretandum cenſent. Particula enim *ἵνα*, cujus vim verſio Elsneriana non exprimit, omnino finem infert, in quem peccatum operatum ſit mortem, ut ſcilicet vel ex effectu hoc *pravitas* ejus *conſpicua* fieret, & *vis* ejus ab omnibus intelligeretur. Ita nec neceſſe fuerit ſtatuere cum *Hombergio*, Paulum duas phraſes *ἵνα φανῇ* & *ἵνα γένηται* per epanalepſin majoris lucis cauſa adhibuiſſe, ut ſenſus ſit: *peccatum eſt id, quod per bonum mihi mortem efficit, ut appareret*, *ἵνα φανῇ*, vel *ἵνα γένηται*, *peccatum per excellentiam peccans per præceptum.* De re ipſa lege *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. I. p. 463.

Καθ᾽ ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς) *ſupra modum peccans.* Sic *Polybius* p. 338. obſervante *Raphelio*, *τόπους καθ᾽ ὑπερβολὴν εὐφυεῖς πρὸς ἐπίθεσιν*, *locos ad inſidias egregie natos* vel aptos appellat. Senſus eſt, ceu ex v. 5. 7. 8. apparet, *eo vehementius exarſiſſe peccandi cupiditatem*, *quo magis erat lege vetita*, quod recte contra Grotium obſervat *Elsnerus.*

Verſ. 14. Οἴδαμεν γὰρ, ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν, κ. τ. λ.) Vide *Roberti Gelli* Reliquias p. 92-108. ubi ſpeciatim oſtenditur, quo ſenſu lex dicatur ſpiritualis, nempe a) ratione *auctoris Dei*, qui eſt Spiritus, b) *objecti*, cui data eſt, & c) *finis*, in quem tendit, ut ſcilicet peccatum reveletur. Sic & Judæi legi ſpiritualitatem tribuunt in libro ראשית חכמה Parte I. p. 2. כי התורה לא תשרה מפני רוחניותה אלא בנשמה טהורה מכל סיג: *Lex enim non habitat propter ſpiritualitatem ſuam, niſi in anima pura ab omnibus ſcoriis, & fractura, quam ob cauſam omnes ſe tenentur convertere.* Compara *Vitringæ* Archiſynagogum p. 215. *Auguſtini* de lege ſpirituali ſententiam exponit *Petavius* Tom. I. Dogmatum Theologic. p. 459. & aliorum Patrum *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 424.

Ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι) Vox *σαρκικὸς* hic non idem eſt, quod alias in hoc & ſequenti capite *κατὰ σάρκα*, vel *ἐν σαρκὶ ὂν* appellat. Hoc poſterius enim infert hominem pravis conſiliis & conatibus indulgentem, ſeu carni obſecundantem: *σαρκικὸς* vero eum denotat, qui pravum ſibi adhærens, & impotentiam ſpiritualem ſentit. Hæc enim vocis notio eſt 1 *Cor.* III. 3. 4. 2 *Cor.* X. 4. & *Hebr.* VII. 16. Conf. Vener. *V. E. Læſcheri* Decimas Evangelicas Parte I. p. 170. ſqq. & Patrum ſententias apud *Suicerum* l. c. p. 932.

Πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν) Hæc verba, ſublato commate, quo a prioribus hactenus ſejungebantur, ita vertenda putat Cl. *Herzogius* in Obſervatt. de poſitu Interpunctionum in Epiſt. ad Romanos, p. 9. *ego quatenus carnalis ſum venditus ſub peccatum.* Phraſin ipſam ſcite ex conditione ſervorum, ab aliis

ven-

venditorum ſub V.T. illuſtrat B. *Daſſovius* in Diſput. I. de emphaſi vocum ſacrarum p. 21. *Si ſervi eſſent,* inquit, *venundati, nutum ſequi dominorum debebant, ſive vellent, ſive nollent, quandoquidem debebant tolerare auris perforationem, quam non tolerabant, qui ſe ipſos vendiderant; debebant ducere ancillam Cananæam, quam Dominus volebat; vendi quoque Samaritano vel homini gentili poterant, pro Domini arbitrio, nec, ſi dimitterentur, munus capiebant, quod ſervis, ſe ipſos vendentibus, dabatur.* Vide *Maimonidem* Tractatu de ſervis cap. III. Ex his aliisque momentis ibidem allatis ὁ μακαρίτης efficit, hanc eſſe Pauli mentem, ſe non poſſe penitus ſubigere peccatum, ſed cogi a peccato, tanquam a Domino, maxime invitum & reluctantem, ejusque ſævitiam experiri, nec plenam dimiſſionem conſequi poſſe. Confer in eandem ſententiam *F. A. Lampium* in Exercitat. ad Pſalm. XLV. p. 579. & *Cramerum* in Theologia Iſraelis Part. I. c. 6. §. 22. Phraſi eadem de concupiſcentia prava, cui quis traditus ſit, utitur *Bechai* in libro כד הקמח *Qui cautus eſt,* inquit, *in cultu divino, corde integro, poterit ſibi cavere a figmento malo, quod eſt potentia mortis* (כח המות) *neque ullo modo venditus eſt in manum ejus* (לא היה נמכר ביד יצר הרע) *ſed vis mortis tradita eſt in manum ejus.* Confer *Vitringæ* Obſervatt. Sacr. lib. III. p. 138. Probe denique tenendum eſt, hominem hic, per lapſum ſcilicet, & labem hinc derivatam, venditum dici *ſub peccatum,* ut ſcilicet ſtimulum ejus ſentiat, non autem *ad peccandum,* ut imperio ejus obſequatur, præterea vero venditum dici non a ſe, ſed ab alia cauſa. Itaque venundatum ſe Paulus profitetur non in totum, ſed in quantum primitivæ illius labis aliquid ſe circumferre ſentiebat. Addemus his, quæ *Thomas Tullius* in ſingulari Diſſertatione ad hunc verſum, quæ in calce *Juſtificationis Paulinæ* ejusdem exſtat, de hac phraſi commentatur. Obſervat, Φράσιν deſumtam eſſe ab homine, qui belli jure captus ſit. Talem autem non eſſe ſervum ſponte ſua, ſed invitum & coactum. Viciſſim carnales homines ratione intellectus eſſe θέλοντας ignaros (2. *Pet.* III. 5.) quoad voluntatem vero & affectus *ſe tradere ipſos impuritati Epheſ.* IV. 19. Iſta omnia tandem obſignat verbis ſequentibus: *An catenam ſuam ita trahit captivus & venditus contra voluntatem? Aliud ſcilicet eſt vendi, aliud vendere ſe ipſum, quod de Achabo dicitur* 1 *Reg.* XXI. 20. *Ubi quamvis οἱ LXX. reddiderint:* ἐπράθη, venditus eſt; *qui fontem tamen Hebraicum inſpexerit* התמכר, *videbit, cum noſtra verſione Anglicana conſentire:* he ſold himſelf, h. e. vendebat ſe ipſum.

Quæ in hoc & ſequentibus commatibus phraſes & ſententiæ occurrunt, earum ſimiles quasdam affert ex Judæorum libris *Hackſpanius* de uſu librorum Rabbinicorum p. 467. ſqq.

Verſ. 15. Ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω) Verbum γινώσκειν non ſimpliciter *ſcire* ſignificat, ſed etiam *decernere, ſecum conſtituere, data opera deliberare.* Ita Euſebius paſſim hoc verbo utitur, v. c. de vita Conſtantini M. lib. I. c. 14. ὁ δὲ τούτοις τἀναντία γινώσκων, *ille vero his contraria animo volvens,* item cap. XV. & alibi. Vide Rev. *Raphelii* Semicenturiam Annotatt. Philologic. in

N. T. qui hinc conficit, Paulum id velle, quod, ubi peccat, id proæretice non fiat. Confer ejuſdem Annotationes ex Herodoto p. 433. *Βεζατὸ, οὐ γινώσκω,* vertit: *non approbo*, quod contra *Hombergium* p. 228. Parergorum adſtruit *Elsnerus* p. 38. Ad mentem Pauli proxime acceſſerit, qui ita interpretetur, quod in hallucinationibus ſuis vix ſciat Paulus, quid agat, vel egerit, cum ante, quam rem recogitet & expendat, perpetrata ſit. Ita *Chryſoſtomus* Homil. XIII. in hanc epiſtolam p. 100. *σκοτοῦμαι, συναρπάζομαι, οὐκ οἶδα, πῶς ὑποσκελίζομαι. Tenebræ mihi offunduntur, abripior, neſcio quomodo decipiar.*

Οὐ γὰρ ὃ θέλω τοῦτο πράσσω) Cl. *Elsnerus* pag. 38. exponit hæc ex conditione ſervorum, ad quam alludat Apoſtolus v. 14. & 25. Servi enim in Dominorum poteſtate ſunt, atque ad nutum eorum ſe componere debent; domini imperium in corpus ſervorum habent, non item in animum, quod *Seneca* lib. III. de Benefic. cap. 19. tradit. Et ſic Apoſtolus peccandi vim in corpus inprimis exercere docet, ſpiritu mentis ſæpe libero & renitente v. 17. 18. 23. Quod ad phraſin, ſimilis in argumento diſſimili exſtat *Epicteti* locus apud Arrianum lib. II. cap. ultimo: *πᾶν ἁμάρτημα μάχην περιέχει. ἐπεὶ γὰρ ὁ ἁμαρτάνων οὐ θέλει ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ κατορθῶσαι, δῆλον, ὅτι ὃ μὲν θέλει, οὐ ποιεῖ. Τί γὰρ ὁ κλέπτης θέλει; πρᾶξαι τὸ αὐτῷ συμφέρον, οὐκοῦν εἰ ἀσύμφορον αὐτῷ ἐστι τὸ κλέπτειν, ὃ μὲν θέλει, οὐ ποιεῖ.* Alia exterorum in ſimili argumento loca attulit *Elsnerus* p. 39. qui tamen diſcrimen itidem recte commonſtrat. Karæus quidam Scriptor apud *Triglandium* in Diatriba de Karæis p. 176. commemorat hominem, divinæ legis ſtudioſum, ſed, qui tamen in legem hinc inde peccet, *violentia ſcilicet cupiditatis victus, non vero lubentia voluntatis,* שיעבור בקצרת מהמצורת לתגבורת תאוה לא על צר החפץ:

Verſ. 18. Οἶδα γὰρ, ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοί κ. τ. λ.) Lege huc *Speneri* librum vernaculum pro locis Scripturæ Sacræ ab abuſu hominum profanorum vindicandis p. 251. ſqq. & Reſponſa ejuſdem Theologica Germanica Tom. II. p. 381. ſqq.

Τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι.) *Pererius* ad h. l. obſervat, τὸ παράκειται plus eſſe, quam πάρεστι, & notare ſeriam προαίρεσιν recte agendi. Ad hæc commode monet Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 434. utrumque verbum conjungi ab *Arriano* Epictet. p. 222. ὅταν ἴδω τέκτονα, ὅταν ὕλη πάρεστι παρακειμένη, ἐκδέχομαι τὸ ἔργον. Adde ejuſdem Annotatt. ex Herodoto p. 434.

Verſ. 20. Εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω ἐγὼ) Vox ἐγὼ hic emphatice pro ea parte ſumitur, qua Paulus in hoc negotio & tota cauſa æſtimari debeat, i. e. qua erat regeneratus. Idem tenendum eſt de v. 25.

Verſ. 21. Εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θέλοντί ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν, ὅτι ἐμοί τὸ κακὸν παράκειται) Obſcuriora hæc ſunt, & torquendis Interpretum ingeniis idonea. *Lamb. Bos* in Exercitt. p. 108. illis conſuli poſſe cenſuit, ſi comma ponatur poſt ἄρα, & verba ſequentia ſic cohæreant: εὑρίσκω ἄρα, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται, τῷ θέλοντί ἐμοὶ τὸ καλὸν ποιεῖν τὸν νόμον. Comperi igitur, volenti mihi facere bonum, ſecundum legem, adiacere mihi malum. Ex quo patet,

patet, eum in voce τὸν νόμον ſubintelligere præpoſitionem κατὰ, non ſine exemplis veterum, quæ ibidem affert; legem vero de lege Dei accipere, de qua ante egerat, & qua v. 22. delectari ſe ſcribit: cui etiam v. 23. opponit legem alteram in membris repoſitam. Sic vero & τὸ ἐμοὶ his occurrit, emphatice quidem, ſicut alias in epiſtola *Judæ* v. 5. & apud Euripidem in Phœniſſis. Eandem fere interpretationem affert Cl. *Hombergius* in Parergis p. 228. in eo tamen a *Boſio* diſcedens, quod τὸν νόμον & τὸ καλὸν pro ſynonymis habet, & ſic iungit cum participio θέλοντι, vel prorſus delendum vult τὸν νόμον, ut ita ſequens prodeat ſententia: *Invenio autem, quod mihi, qui legem vel bonum facere volo, malum adiacet. Beza* viciſſim τὸν νόμον de lege carnis interpretatur, & ſubintelligit τὸ *eſſe*, vel *impoſitam eſſe*, hoc ſenſu: *invenio igitur volenti mihi facere bonum, hanc legem impoſitam eſſe, quod malum mihi adiaceat.* Atque hoc poſtremum præ prioribus illis placet, ut ſcilicet ſic ὁ νόμος, ſive *lex* de *carne* intelligatur, quam Paulus ſibi, de bono perficiendo cogitanti, *adeſſe*, ſeu *obſtare,* intelligat ex eo, quod malum ſibi adiaceat. Ita nihil hic dari ſupereſt, quod *Hombergius* in illa *Bezæ* explicatione ineſſe exiſtimat. Viciſſim vero durior merito videbitur trajectio, quæ tum ipſius, tum *Boſii* interpretationi allatæ præſtruenda eſt; durum etiam, quod ipſe τὸν νόμον & τὸ καλὸν vel pro ſynonymis haberi, vel alterum illud prorſus expungi vult. Manifeſtum vero præterea puto, τὸν νόμον hic non de lege Dei, tanquam norma boni ſeu virtutis, ſed de lege, quam labes originalis ſanxit, accipi debeat. Rationem enim hoc commate 21. reddit illius rei, quod malum in ſe, & a ſe invito, fiat. Atque hanc repetit ab adiacente ſibi pravitate, quæ inſtar legis urgentis & cogentis ſibi incumbat. Hinc v. 23. ubi per *legem* omnino pravitatem illam naturalem intelligit, eadem loquendi ratione utitur, & hanc commatis 21. nonnihil illuſtrat. Ait enim: βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου. Hic ſane τὸ βλέπω idem eſt, quod εὑρίσκω v. 21. &, quod hic dicitur ἀντιστρατεύεσθαι, id ratione ſenſus v. 21. ſubintelligi par eſt. Scilicet voces νόμος, κακὸν, ἁμαρτία, νόμος ἐν τοῖς μέλεσι & νόμος τῆς ἁμαρτίας Apoſtolo hic idem ſunt, & opponuntur νόμῳ θεοῦ & νόμῳ νοός. Confer *Aletbæi* Erläuterung Tom. II. p. 54. ſqq.

Non crediderim, B. *Sixtum Chriſtianum Lipenium* in Bibliotheca Lubecenſi Tom. II. p. 254. approbatores nacturum, quando τῷ θέλοντί ἐμοὶ pro duobus ablatiuis, conſequentiam deſignantibus, habens, interpretatur: *volente me facere bonum.* Vtut enim Græcos ablativo penitus deſtitui non exiſtimem, conſtat tamen, eos in ejusmodi loquendi ratione gignendi caſu uti, dicentes: θέλοντος ἐμοῦ.

Verſ. 22. Συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ) Quamvis τὸ συνήδομαι alias idem ſit, quod Latini dicunt, *una gaudeo*, vel *gratulor*, hic tamen idem eſt, quod *delector*, qua notione *Euripidi* adhibetur in Medea v. 136. obſervante Cl. *Elsnero* p. 40.

κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον) Similiter *Plato* τȣ̃ ἐντὸς ἀνθρώπȣ meminit in lib. IX. de Republica p. 589. (p. 509. operarum vitio legitur apud Cl. *Elsnerum* p. 41. In edit. Platonis Francofurtenſi an. 1602. exſtat p. 740.) ὁ κȣ̃ν ἂν ὁ τὰ δίκαια λέγων λυσιτελεῖν, φαίη ἂν δεῖν ταῦτα πράττειν, καὶ ταῦτα λέγειν, ὅθεν τȣ̃ ἀνθρώπȣ ὁ ἐντὸς ἄνθρωπος ἔςαι ἐγκρατέςατος. Obſervavit locum hunc primus *Henr. Stephanus* in Schediasmatibus lib. I. cap. 2. Tomo V. Lampadis Gruterianæ p. 5. Supplementi, ubi ſuſpicatur, S. Paulum, diſciplinarum exteriorum peritiſſimum, ad hunc Platonis locum alluſiſſe, & hoc loquendi genus e tenebris in lucem i. e. e tenebricoſa doctrina aut ſaltem ſubluſtri tantummodo ad eam traduxiſſe doctrinam, quæ auctorem habet eum, cujus luce animi noſtri magis, quam ſolari corpora, illuminantur. Quicquid de hac conjectura Stephani, cui non multum tribuo, ſtatuatur, idem certe eadem opera diſcrimen, quod inter Paulinum & Platonicum ſenſum intercedit, recte aſſecutus eſt, quando ita pergit: *Apoſtolus per* interiorem *hominem eam hominis partem intelligit, qua renovatus eſt per Spiritum Sanctum, ſicut per* exteriorem (*quam ſubjicit legi membrorum*) *hominem non regeneratum, quem etiam* ψυχικὸν *alibi appellat, & opponit* τῷ πνευματικῷ: *at Plato hominis* interioris *appellatione hominem, quatenus ratione regitur, ſignificat: quemadmodum & Ariſtoteles duas animi partes, unam* λόγον ἔχȣσαν, *alteram* λόγον *conſtituit.* Pertinent huc, quæ *Claud. Salmaſius* in Prolegom. ad Simplicii commentar. in Epictetum de homine ψυχικῷ & πνευματικῷ ex gentilium, inprimis Stoicorum, ſcriptis diſſerit p. 118. ſqq. quibus jungendus eſt ejusdem liber de Uſuris p. 640. Cl. *Elsnerus* p. 40. ubi & Stephanianam illam loci hujus illuſtrationem affert, ex Jalkuth Rubeni fol. 10. col. 3. locum producit, quo Iſraëlitæ proprie homines vocari dicuntur ob *interiorem hominem*, ſeu Spiritum a Spiritu S. acceptum.

Verſ. 23. *βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μȣ ἀντιςρατευόμενον τῷ νόμῳ τȣ̃ νοός μȣ*) Similiter *Plato*, obſervante *Henr. Stephano* l. c. pugnam eam ſtatuit inter τὸ λογιςικὸν & ἀλόγιςον, ut alterum κελεύειν alterum κωλύειν dicat: ubi tamen tenendum eſt, ipſum illud λογιςικὸν, de quo Plato præclare ſentit, ex doctrina S. Pauli ad νόμον ἐν τοῖς μέλεσι pertinere, quamdiu non ſpiritus divini gratia colluſtretur. Quod ad φράσιν attinet, Araſpas ſimiliter, quamvis diverſo ſenſu, apud *Xenophontem* lib. VI. Cyropæd. p. 173. ait: δύο σαφῶς ἔχω ψυχάς, *duo mihi ſunt animi.* Non enim, ſi unus animus foret, ſimul bonus & malus eſſet, neque pariter actiones honeſtas & turpes amaret, neque pariter eadem & vellet, & nollet facere. Lege locum integrum apud Rev. *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 210. Sed hoc quidem duplex illud principium, Bonum alterum, alterum Malum, quod ex cultu Gentilium Perſis quoque arriſit, olere nemo non intelligit.

τῷ νόμῳ τȣ̃ νοός μȣ) Diverſas Patrum ſententias habes apud *Svicerum* Tom. II. Theſauri p. 417.

αἰχμαλωτίζοντά με) Vocem hanc minus Græcam eſſe exiſtimat *Jo. Crojus* in Obſervatt. Sacris p. 268. præeunte ſcilicet *Phrynicho*, qui obſervat, Atticos

ticos potius pro αἰχμαλωτίζειν dicere αἰχμάλωτον γενέσθαι. Idem tradit *Thomas Magiſter* in Eclogis Dictionum Atticarum p. 4. Sed & hunc & illum paſſim præcipites labi obſervatum eſt a viris eruditis in ſuis ad illos obſervationibus, & alias.

τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας) Lege iterum *Svicerum* l. c.

Verſ. 24. Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος) Voce hac Auctores frequenter utuntur, v. c. *Plato* Euthydem. p. 280. *Menander* Fragment. p. 154. *Lucian.* Tragopodr. p. 804. & alii, a Cl. *Jo. Alberti* p. 305. Obſervatt. allati, qui ibidem obſervat, ea voce hominem denotari, qui *calamitates luctuoſas ſuſtineat*, derivata ſcilicet ex ταλάω & πῶρος. Sic *Heſychius* πωρεῖν explicat per πενθεῖν, & Scholiaſtes Sophoclis Oed. Colon. v. 14. πωρεῖν Eleis idem ait eſſe, quod πενθεῖν aliis. Idem *Alberti* puris ulcerumque imo & lapicidinarum ideam hic exhiberi exiſtimat. Ad labores in lapicidinis exantlandos ſpeciatim pertinere arbitratur *Eraſmus Schmidius* in Notis ad *Marc.* III. 5.

Τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου) Æque hic dubium eſt, quo pertineat pronomen τούτου, atque illud, quid per σῶμα θανάτου ſit intelligendum. Τὸ τούτου plerique referunt ad σώματος, atque in exemplum afferunt *Actor.* V. 20. πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης. Lege *Vorſtii* Philolog. Sacram Part. II. p. 124. Alii nihil referre ratione ſenſus putant, ſive ad σώματος ſive ad θανάτου vocem referatur. Ita *Hombergius* p. 229. Nec immerito. Majoris momenti quæſtio eſt, quid per σῶμα θανάτου intelligatur. Alii hic ſimpliciſſime ex Hebraiſmo putant vertendum per *corpus mortale*, ut poſt veteres Patres, quorum loca *Svicerus* affert Tom. II. Theſauri pag. 1212. ex noſtratibus B. *Balduinus*, ex aliis vero *Jo. Clericus* in Biblioth. Vet. & Nov. Tom. I. Part. II. p. 356. qui mortale ideo appellari putat, quod corpus, in quantum mortale eſt, motibus ſuis cupiditatum animæ perverſarum cauſa exiſtit. Quidam vero rectius per θάνατον intelligunt mortiferam peccati maſſam, quam adhuc in ſe ſentiebat Paulus, & cui antea μέλη tanquam domicilium tribuerat, v. 23. Vide *Jac. Capelli* Obſervationes ad h. l. & Cl. *Hombergium* l. c. Ab his non abit B. Lutherus noſter, quando mortem interpretatur de ærumna & moleſtia, quæ in certamine cum peccato regenito obveniat, cujusmodi phraſis exſtat Exodi X. 17. Atque has partes amplectitur *Vorſtius* l. c. p. 124. Recte quidem, cum Paulus de labe illa, tanquam in ſe habitante, v. 23. nunc autem de moleſtia ſibi inde ſuborta conqueratur; quemadmodum v. 25. Deo gratias agit per Chriſtum, per quem ſcilicet a reatu pœnæ & dominio labis hujus ſit liberatus. De corpore, animam gravante, lege *Senecam* epiſt. 65. apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 689.

Verſ. 25. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ) Pro his verbis pauci quidam Codices & verſiones habent χάρις τῷ Θεῷ, alii vero χάρις τοῦ Θεοῦ. Priorem harum, nempe χάρις τῷ Θεῷ mavult *Millius* in Prolegom. §. 679. 934. & 1332. contra quem recte diſputat. *Jac. Haſæus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. p. 739. Hæc enim phraſis Paulo frequens eſt, ut 1. *Cor.* I. 12. XIV. 18. *Rom.* XIV. 6. *Actor.* XXVII.

 35. 1. *Theſſ.*

35. 1. *Theſſ.* II. 13. & 2. *Theſſ.* I. 3. Cumque, quod ad ſenſum, nihil inter utramque intercedat diſcriminis, præſtat utique, eam tenere, quæ conſtanti fere Codicum conſenſu fulcitur; inprimis cum repetitio ſyllabæ τῳ in phraſi, ἐυχαριςῶ τῷ Θεῷ, occaſionem librario feciſſe videatur alteram earum omittendi, & τὸ εὐ expungendi. *Claud. Sarravius* in epiſtolis p. 177. & *Lockius* in Commentario ad h. l. cum paucis illis exemplaribus faciunt, quæ exhibent χάρις τȣ̃ Θεȣ̃, ideo, quod ſic reſponſio ad quæſtionem antecedentem in promtu ſit: *quis me liberabit? Gratia Dei.* Sed idem ſenſus ex communiore illa lectione naſcitur, ac præterea nonnihil prægnantior. Dum enim gratias Deo agit Paulus, id primum infert, quod jam malo iſto maximam partem per Chriſtum liberatus ſit, tum vero ſpem ſubinnuit, fore, ut per ipſum penitus eo aliquando liberetur. Ita idem 2. *Tim.* IV. 17. & 18. καὶ ἐῤῥύσθην ἐκ ςόματος λέοντος. καὶ ῥύσεταί με ὁ Κύριος ἀπὸ παντὸς ἔργȣ πονηρȣ̃, καὶ σώσει εἰς τὴν βασιλείαν αὐτȣ̃ τὴν ἐπȣράνιον, ᾧ ἡ δόξα εἰς τȣ̀ς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Nec mirum cuiquam videri debet, quod Paulus hoc modo non directe reſpondeat ad quæſtionem. Idem enim nec alias facit. Vide v. c. *Rom.* IV. 1. Nihilominus eandem lectionem, χάρις τȣ̃ Θεȣ̃, approbavit ante Lockium, *Paulus Colomeſius* in Obſervatt. Sacris p. 95. ad Codicem Claromontanum, & vetuſtiſſimum alium Græco-Latinum, a *Sarravio* in epiſtolis p. 218. allatum, ac præterea Vulgatum Interpretem provocans. Quod ad *Vulg.* attinet, in hodiernis Codicibus legitur quidem: *Gratia Dei.* Cum vero Hieronymus lib. I. contra Pelagium Græcis convenienter legat: *gratias ago Deo*; dubium merito habetur, an non vox *Deo* olim perperam in *Dei* ſit mutata. Confer *Millium* ad h. l. & *Whitbii* Exam. p. 32.

Ἄρα ȣ̃ν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοὶ δȣλεύω νόμῳ Θεȣ̃) Recte ex his verbis conficit Cl. *Hombergius* p. 229. quod Apoſtolus in toto hoc capite, præcipue inde a v. 14. de ſe, ut regenito, ſed cum carne adhuc luctante, loquatur. Verba enim αὐτὸς ἐγὼ adeo ſunt emphatica, ut indicent, Apoſtolum non tantum de aliis, ſed & de ſe ipſo loqui. Poſtrema hæc duo commata illuſtravit B. *Jo Joach. Zentgravius* in Diſſertat. de pœnitentia ſtantium quotidiana, Argentorati 1708. Vltima commatis hujus verba: Ἄρα ȣ̃ν αὐτὸς ἐγὼ κ. τ. λ. aptiora ad initium capitis VIII. ſequentis, quam finem ſeptimi faciendum viſa ſunt *Wilh. Wall* in notis Criticis anglice editis p. 235. ſq. ideo, quod Apoſtolus nunc oſtendere adgrediatur, quomodo conditioni hominis, quem hactenus deſcripſerat, ſuccurri poſſit. Conditionem hanc ait eſſe, quod homo. ſpiritu integer, carne tamen, τῇ σαρκὶ ſerviat peccato: medicinam vero in eo ſtatim indicari, quod commate primo capitis VIII. idem dicatur a periculo ſeu condemnatione immunis, quia non verſetur κατὰ σάρκα. Mihi quidem hic nihil mutandum videtur. Ipſa enim particula ἄρα, in commate ultimo capitis VII. obvia, oſtendit, Apoſtolum hic finem imponere argumento ſpeciali huc usque tractato; quemadmodum τὸ ἄρα commatis primi capitis VIII. indicio eſt, Apoſtolum ad conſectarium novum, ex illa doctrina proxime fluens, excutiendum accedere. De phraſi αὐτὸς ἐγὼ vide *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 434.

CAPUT

CAP. VIII.

AD hoc caput integrum lege ex noſtratibus Anonymi Ver Theologicum, Ratisbon. 1663. 4. editum, ubi totum inde a v. 17. cum ſequentibus uſque ad cap. XI. explicatur. Exſtant quoque B. *Jul. Franc. Lütkenii* Conciones LXXV. *Lipſ.* 1721. 4. lingua vernacula editæ, quibus in mentem Apoſtoli curate inquiritur, adhibitis inprimis contextus Græci, & totius συναφείας præſidiis. Ex Reformatis lege *Jo. Meſtrezatii* Conciones XXXII. Gallicas, Charentonii, & *Moſis Amyraldi* ibidem 1659. editas. Ex Arminianis *Simon Epiſcopius* idem hoc caput una cum tribus ſequentibus paraphraſi perſecutus eſt, quæ in Tomo I. Operum ejus exſtat.

Verſ. 1-4. illuſtrat *Chriſtianus Fende* in Introductione vernacula in epiſtolam hanc, de qua in Prolegomenis ſupra diximus.

Verſ. 1. Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) Voces poſtremas τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ Interpretes ita acceperunt, ut, ſubintellecta voce οὖσι, de iis ſermonem eſſe cenſerent, *qui in Chriſto ſunt,* h. e. cum eo per fidem conjuncti. At *Grotius* phraſin hanc ſequenti verbo περιπατοῦσι ratione ſtructuræ jungit, ut intelligantur illi, qui per Jeſum Chriſtum, ſive per Evangelium, eo perducti ſint, ut non eant, quo carnis rapiunt affectus. Atque hujus forte exemplo adductus, eadem ratione, ſublato commate poſt Ἰησοῦ, interpretatur *Lamb. Bos* p. 109. Obſervatt. in N. T. ut ſermo ſit de iis, qui ſecundum Chriſtum h. e. doctrinam ſive Evangelium vitam ſuam inſtituant; quo ſenſu Paulus *Coloſſ.* II. 6. dicat: ἐν αὐτῷ περιπατεῖτε. Itaque ſic vertit: *Nulla itaque damnatio eſt iis, qui in Chriſto Jeſu* (h. e. ſecundum Chriſtum Jeſum ejusque doctrinam) *non ſecundum carnem ambulant.* Rationem, cur ita ſentiat, iſtam affert, quod, ſi Paulus participium περιπατοῦσι per comma ab illo, τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ſeparatum voluiſſet, articulum τοῖς ante μὴ certe poſiturus fuiſſet, ſicut id fiat v. 4. ἐν ἡμῖν τοῖς μὴ &c. & v. 28. Sed ratio hæc rem non videtur conficere, cum conſtet, articulos ſæpe omitti a Græcis, ubi locum habere poterant. Sic in hoc capite v. 18. Paulus in verbis, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς, ſemel utitur articulo τὴν, ubi convenientius videri poterat ſcribendum πρὸς τὴν δόξαν τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι. Itaque & hoc loco participium περιπατοῦσι pendet quidem ab articulo τοῖς, ſed ita, ut ἀπὸ κοινοῦ ſit repetendum. In commate quarto articulus τοῖς ponendus ideo erat, quia vox ἡμῖν, non autem articulus τοῖς præceſſerat. Nec puto, phraſin alteram *Coloſſ.* II. 6. nude inferre vitam ſecundum Chriſti doctrinam actam, ſed potius perſiſtentiam in Chriſto per fidem, atque hinc conſequentem vitæ probitatem. Propterea enim ait Apoſtolus: ὡς οὖν παρελάβετε τὸν χριστὸν, *ut recepiſtis Chriſtum*; id quod non de nuda doctrinæ Chriſti receptione, ſed potius de fiducia in Chriſtum ejusque meritum collocata interpretandum puto. Scilicet S. Paulus alias τὸ *eſſe* ſive *inveniri in Chriſto* longe nobiliori ſenſu accipit, quam qui ad vitam Evangelio dignam tantum pertineat. Sic *Philipp.* III. 9. ait: καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ (Χριστῷ) μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην, τὴν ἐκ

νόμου,

νόμȣ, ἀλλὰ τὴν διὰ πίςεως Χριςȣ. Vides, τὸ *inveniri* vel *eſſe* in Chriſto, juſtitiæ legali ſeu vitæ probæ ita opponi, ut illud *eſſe* acceptum feratur *fidei*, tanquam unico inſtrumento conjunctionis noſtræ cum Chriſto. Sic etiam Dominus ſuos vult μένειν ἐν ἑαυτῷ *manere in ſe*, h. e. conjunctos ſecum eſſe per fidem, ut hoc modo fructum ferre poſſint. Eodem itaque modo & hic ſtatuendum eſt, τȣς ἐν Χριςῷ Ιησȣ eos eſſe, qui Chriſto per fidem ſint inſiti, inque eo inſtar palmitum hæreant, atque hoc modo non carnis, ſed ſpiritus fructus ferant. Habemus itaque hic *fundamentum*, cur homines regeniti a condemnatione immunes ſint, nempe Chriſtum fide apprehenſum; habemus vero etiam *indicium*, quo id in hominibus agnoſcatur, nempe, *ſi non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum vivant.* Ipſa denique hæc phraſis argumento eſt, Paulum verba: τοῖς ἐν Χριςῷ Ιησȣ ſeparata voluiſſe a ſequentibus, μὴ κ. σ. περιπατȣσι. Alioquin enim non opus fuiſſet verbis: ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, quia qui ſecundum Chriſtum, ſeu doctrinam ejus ambulat, is omnino ſecundum ſpiritum vivit. Oppoſitio itaque ſatis clara & efficax fuiſſet inter ἐν χριςῷ, &, μὴ κατὰ σάρκα. Vidit hoc *Boſius*, ideoque monuit, in Codicibus nonnullis voces ultimas, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα deeſſe, easque ex v. 4. huc relatas Millio videri. Qua de re quid habendum ſit, nunc diſpiciemus. Pro noſtra ſententia lege *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 435.

Μὴ κατὰ σάρκα περιπατȣσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα) Tota hæc ſententia a paucis quibusdam Codicibus & verſionibus abeſt; in nonnullis vero tantum ultima deſiderantur, nempe ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. Hinc *Millius* ea ex v. 4. huc petita ſuſpicatur in Prolegomenis §. 730. & cum eo Anonymus editor Anglus N. T. Græci cum nova verſione Anglicana, in Notis p. 590. Sed his verbis omnino opus eſſe patet ex capitis VII. commate ultimo. Ibi enim gratias Deo per Chriſtum agit Paulus, tanquam per quem ſit liberatus, in ſe vero agnoſcit vel ſic pugnam inter νȣν, quo ſerviat legi divinæ, & σάρκα, qua obnoxius ſit peccato. Jam in limine capitis VIII. id, quod modo de ſe dixerat, transfert ad omnes, aitque, eos, qui in Chriſto ſint, atque adeo Deo ſecum agere gratias poſſint in Chriſto liberatore, non eſſe amplius obnoxios damnationi, modo operam dent, ut non ſecundum σάρκα irritantem, ſed ſecundum νȣν ſeu πνεῦμα, *ſpiritum*, alia omnia ſuadentem, vivant. Eandem φράσιν v. 4. repeti mirum non eſt, cum Pauli inſtitutum ſit, in priore parte hujus capitis τȣ πνεύματος & τῆς σαρκὸς conditionem, atque hinc *renatorum* & *non renatorum* diſcrimen exponere. Nihil itaque cauſæ eſt, cur verba iſta ex v. 4. transſumta credamus. Quæ in verſione hujus commatis in B. Lutherum animadvertit *Trillerus* p. 25. Examinis ſui, ea ſatis diluit *Schœnlandius* in oppoſitis Vindiciis p. 68. ſq. quemadmodum *Arnaldus* in continuata defenſione verſionis Gallicæ Montenſis p. 385. ſqq. ad ea reſpondit, quæ in ea *Malletus* in *Vulgati* gratiam deſideraverat. De notione vocis κατάκριμα & aliis nonnullis momentis, abuſui obnoxiis, le- *Speneri* libellum vernaculum modo citatum p. 265. ſq. Phraſin περιπατεῖν κατὰ σάρκα & κατὰ πνεῦμα explicat ex Patrum ſcriptis *Suicerus* Tom. II. p. 679.

Verſ.

Verſ. 2. Ὁ γὰρ νόμος τȣ̃ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριςῷ Ἰησȣ̃ ἠλευθέρωσέ με ἀπὸ τȣ̃ νόμȣ τῆς ἁμαρτίας καὶ τȣ̃ θανάτȣ) *Lex ſpiritus vitæ eſt ipſe Spiritus vitæ, qui eſt in Chriſto, in nos influens, & nos efficace motu influxuque obligans ad ſervitutem juſtitiæ; ſicut lex peccati ipſum eſt peccatum, ſive vitioſitas, hominem obligans ad ſibi ſerviendum. Ita uſurpaverat Apoſtolus phraſin in ſuperioribus,* VII. 23. Verba hæc ſunt *Vitringæ* Obſ. Sacr. p. 479. Malim tamen per legem ſpiritus vitæ intelligere *Evangelium,* tanquam doctrinam, non ſolum a Spiritu S. profectam, ſed & ipſum Spiritum Sanctum, fidem & alia dona ſpiritualia offerentem & largientem ſecundum 2 *Cor.* VII. 8. unde & Evangelium ſimpliciter *Spiritus* appellatur 2 *Cor.* III. 6. Viciſſim per *legem peccati* & *mortis* intellexerim legem moralem, quatenus per eam eſt agnitio peccati, & mors irrogatur peccantibus. Ab hac lege morali liberatum ſe prædicat Apoſtolus per doctrinam Evangelicam, tanquam quæ Chriſtum nunciat ut legis finem *Rom.* X. 4. ut, qui in ipſo ſunt per fidem, non amplius vel morti, vel dominio peccati obnoxii ſint. Ita verba Apoſtoli cum v. 1. & 3. optime cohærent. Patrum cogitata lege apud *Svicerum* Tom. II. p. 418. & 772.

Verſ. 3. Τὸ γὰρ ἀδύνατον τȣ̃ νόμȣ &c.) Vide ad v. 3. & 4. *Thom. Ittigii* Diſputat. de condemnatione peccati in carne filii Dei, quæ recuſa eſt in ejus Enneade Exercitationum Theologic. p. 597. ſq. item *Joh. Frider. Königii* Diſp. de jure legis impleto ab eo, qui eſt finis legis. *Roſtoch.* 1664. *Amelium* Tomo I. p. 149. *Starckium* in Notis Selectis, quæ cum notis in epiſt. ad Hebræos prodierunt p. 118. ſq. ex Reformatis *Vogelſangium* in Exercitat. Theologic. p. 26. ex Anglis *Pearſonium* in Symbolum Apoſtol. p. 298.

Verſ. 3. Τὸ γὰρ ἀδύνατον τȣ̃ νόμȣ) *quæ erat impotentia legis*, ut *Coccejus* Tomo VI. Operum p. 22. inter epiſtolas vertit. Sic articulus præpoſitivus τὸ ponitur pro poſtpoſitivo ὅ, & adjectivum neutrale pro ſubſtantivo, ut ſupra II. 4. τὸ χρηςὸν τȣ̃ Θεȣ̃. Nolim enim cum Cl. *Herzogio* de poſitu interpunctionum in hac epiſtola p. 9. illud τὸ ad antecedens ἠλευθέρωσέ με v. 2. referre, eo ſenſu, ut liberatio illa per legem fieri non potuiſſe dicatur, & ſic, appoſita τελεία ςιγμῇ, poſt vocem τȣ̃ νόμȣ ſententia claudatur. At nunquam oſtenderit vir doctus, quod articulus τὸ ſimpliciter pro demonſtrativo τȣ̃το uſurpetur. Quem enim affert *Xiphilini* locum ex vita Domitiani p. 329. is quidem huc non pertinet. Καὶ οἱ ἄλλοι ȣ̓θ᾽ ὅπως συναχθοῖντο, ȣ̓θ᾽ ὅπως συνήδοντο, ἀσφαλῶς εἶχον. Τὸ μὲν, ὅτι τὴν γνώμην αὐτῷ λυπεῖν, τὸ δὲ, ὅτι τὴν προσποίησιν ἐλέγχειν ἔμελλε. Tota periodi ſtructura hic oſtendit, particulas τὸ μὲν ad συνάχθεσθαι, & τὸ δὲ ad συνήδεσθαι ſpectare, quod & frequenter alias in uſu particularum illarum, quas redditivas Grammatici appellant, fieri conſuevit. Hinc vero argumentari non licet ad articulum τὸ abſolute poſitum. Taceo, hiulcam omnino fieri orationem Pauli, ſi, quod fieri vult vir doctus, a verbis, ἐν ᾧ ἠσθένει, nova ſententia incipiatur. Cauſam denique non video, cur idem illud τὸ ad ἠλευθέρωσεν antecedens, nec potius ad ſequens κατέκρινε cupiat referri.

Per νόμον hic legem tum moralem tum cerimonialem intelligi vult *Vitringa* lib. IV. Obſ. Sacrarum c. 11. & cum eo *Amelius* l.c. *Ittigius* vero p. 626. Enneadis legem tantum moralem. Recte meo judicio, quia Apoſtolus capite ſuperiore, quod ipſe *Vitringa* adſtruxit, de lege morali egerat, atque hic de ea lege agere ſe ſatis innuit, quæ per carnem fuerit infirmata, & cujus δικαίωμα per Chriſti juſtitiam in fidelibus adimpletur, imo, quæ norma eſt illis, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant. Hæc vero omnia in legem moralem cadere manifeſtum eſt. Quamvis enim nec ſacrificia per ſe peccatum abolere potuerint, atque in tantum τὸ ἀδύνατον legi cerimoniali recte tribui queat, nulla tamen ratio in promptu eſt, quæ evincat, Paulum h. l. id quidem exprimere voluiſſe.

Ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς) Voces ἐν ᾧ alii vertunt per *quia*, *ſiquidem* &c. ut B. *Lutherus* noſter; alii per, *quatenus*, ut *Eſtius*; vel, *ea parte, qua*, ut Eraſmus, quod Germanice dixeris, **in ſo fern**. Atque hi poſteriores τὸ ἀδύνατον, legi attributum, hac ratione temperari putant, ne ſcilicet omnis vis & efficacia legi dematur, & impotentia illa ad juſtificationem tantum, quæ ex obſequio, legi præſtito, tanquam re impoſſibili, non exſpectari poterat, reſtringatur. Ita ex noſtratibus B. *Ittigius* l.c. p. 630. B. *Wincklerus* in Conſiderationibus locorum quorundam vernaculis p. 630. & *Starckius* l.c. Lex autem per carnem ſeu labem naturalem infirmatur, quia illa non abſolutioni ad vitam, ſed condemnationi ad mortem obnoxia eſt. Quam rem B. *Wincklerus* l.c. egregie illuſtrat ſimili, a medicamento chymico deſumto, cujus efficacia per imbecillitatem pueri lactentis deprimitur & enervatur, ita ut ſine mortis periculo ab eo ſumi non poſſit. De verbo ἠσθένει lege *Rich. Simonis* Hiſt. Critic. N. T. Part. II. p. 473. ubi de verſionibus.

Ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας) Ellipſin hic quidam ſtatuunt, v. c. *Eraſmus, Tigurini, Piſcator, Gerhardus, Glaſſius,* & *Schomerus,* quam etiam B. Lutherus noſter per verba, **das that GOtt**, quod ad ſenſum feliciter expreſſit. Sed etiam ſine ſupplemento ejusmodi verbis Pauli recte conſuli poteſt, ſi nempe ita vertamus: *Quod,* vel, *quia a lege per carnem infirmata fieri non poterat, Deus, miſſo filio ſuo, condemnavit peccatum* &c. Senſus eſt, condemnationem peccati, nempe in abolitionem ejus reſpectu hominum, per legem fieri non potuiſſe, itaque eam præſtitiſſe Deum per filium. Hoc fine, ut ſcilicet oratio Pauli magis perſpicua evaderet, *Jo. Clericus* in verſione ſua Gallica verba hujus commatis prima, τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, in finem hujus commatis retulit, ita ea interpretatus: *ce qui etoit impoſſible à la loy, à cauſe de la chair.* Conferatur idem in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Parte II. p. 357.

Ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας) Vide *Seb. Schmidii* Tractatum de Imagine Dei p. 313. & *Carpzovii* Specimen Theologiæ Chemnitianæ p. 155. Ex Patrum ſcriptis huc commentatur *Petavius* Tom. VI. Dogmatum libro XI. de Incarnatione cap. 11. §. 3. ſq. lib. XIV. c. 2. §. 2. ſqq.

Καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκὶ) Voces περὶ ἁμαρτίας plerique Interpretes ad antecedens πέμψας referunt, hoc ſenſu, quod Deus fili-

filium ſuum in ſimilitudine carnis peccatricis *pro peccato*, vel tanquam *hoſtiam pro peccato* miſerit. Sic enim Hebræi utuntur voce חטאת & *οἱ* LXX. *περὶ ἁμαρτίας* paſſim pro *hoſtia piaculari*, v. c. Pſ. XL. 7. ſicut & Paulus *Hebr.* X. 6. Vide hæc fuſius probata ab *Ittigio* l. c. p. 674. & *Wittichio* in Inveſtigatione Epiſt. ad Hebræos X. 6. Ellipſin illam idoneo *Æliani* loco confirmat *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. Linguæ p. 87. Nihil itaque neceſſe eſt, ut cum Cl. *Herzogio* l. c. verba hæc ita interpretemur: *in ſimilitudine carnis, quæ ab operibus eſſet caro operoſa circa peccatum.* Patrum interpretationes affert *Petavius* in Dogmatibus Theolog. Tom. V. lib. II. de Incarnatione cap. 11. §. 6. & lib. XI. c. 7. §. 12.

κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκὶ) *Nullum majus*, inquit *Vitringa*, in Obſervatt. Sacris lib. II. p. 134. *Diabolo & peccato opprobrium accidere poterat, quam ut in carne, infirmitatibus iisdem ſubjectæ, quibus ſubjecta peccatorum caro eſt, peccatum condemnaretur, h. e. judicaretur, nullo jure amplius fidelibus dominari aut fideles damnare. Declaravit enim Deus per mortem Chriſti, ſatisfactum eſſe ſuæ juſtitiæ, ac proinde peccatum debere ceſſare ratione ſuorum effectuum.*

Adde his Cl. *Franc. Wokenii* Pietatem Criticam Part. I. p. 68. ſqq. ubi hypallagen, quam nonnulli in his verbis ſtatuunt, amolitur. Exſtat præterea Rev. *Pet. Beckeri*, Profeſſoris Roſtochienſis, Programma an. 1724. editum, & Recenſioni Actorum Eruditorum Roſtochienſ. Collectione II. p. 10. inſertum.

Quæ in hoc commate, a B. Luthero converſo, deſideravit *Trillerus* in Examine Locorum quorundam N. T. p. 14. ſqq. ea examinant & diluunt *Ittigius* l. c. *Schœnlandius* in Vindiciis p. 35. ſqq. & *Pfeiferus* in Obſervationibus eidem oppoſitis p. 32.

Verſ. 4. *ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν*) Lege huc eos, quos ad v. 3. citavimus. Adde Rev. *Chriſtiani Reuteri* Diſputat. ſingularem ad hoc comma habitam Serveſtæ an. 1718. Per *δικαίωμα* legis B. *Ittigius* l. c. p. 703. intelligit recte abſolutiſſimam legis juſtitiam, quæ, ex rigore juris poſt lapſum, & debitam transgreſſionis pœnam & perfectam obedientiam requirebat. Atque ita poſt Patres, (quorum loca habes apud *Svicerum* Tom. I. p. 917.) Interpretes plerique, cumque iis Rev. *Reuterus* l. c. de poſtulatis legis vocem *δικαίωμα* accipiunt, quam notionem ipſi paſſim in Vet. & N. T. a *τοῖς* LXX. & Apoſtolis tribui in ſuperioribus obſervavimus. Unus forte *Guſſetius* in Lexico Hebraico p. 882. per *δικαίωμα ſatisfactionem judicialem* a lege poſtulatam, & a Chriſto ſacrificato præſtitam, intelligit, quam in nobis idem ait *compleri*, h. e. plene in nobis locum habere, ſeu per applicationem plenum in nobis ſortiri finem & effectum, ſi ſecundum ſpiritum ambulemus. Ad hæc nihil nunc quidem monebimus, niſi quod phraſis *ἐν ἡμῖν* nullo modo reſpectam inferat ad obedientiam legi *a nobis* præſtandam, ſed tantum ſatisfactionem a Chriſto, tanquam hoſtia piaculari, *extra nos* & *pro nobis* præſtitam, indicet. Ea enim legis impletio *in nobis* eſt, vel noſtra fit, ubi Chriſtus per fidem eſt in nobis, &

nos in Chriſto. Conf. B. *VVinckleri* Conſiderationes l. c. p. 631. contra *Barclajum* & B. *Ittigium* l. c. p. 708. contra Trillerum diſputantes. Si quid aliud voluiſſet Paulus, non *in nobis*, ſed *per nos*, ſeu *a nobis* poſtulata legis implenda utique dicturus fuiſſet.

Verſ. 5. οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες) B. Lutherum hæc rectiſſime vertiſſe: **denn die fleiſchlich ſind**, quamvis v. 1. μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν nonnihil aliter reddiderit, contra *Trillerum*, hic immature cavillantem, oſtendit *Schœnlandius* in Vindiciis ipſi oppoſitis, p. 68. ſqq.

Τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν) Verſio Gallica Montenſis verterat: *ſont poſſedés de l' amour des choſes de la chair*, h. e. capti ſunt amore eorum, quæ carnis ſunt. Atque hæc interpretatio contra *Malletum* vindicatur in Continuata defenſione illius verſionis p. 350. ſq. Scilicet verbum φρονεῖν ſingulare ſtudium vel in *rem*, vel in *perſonam* aliquam ex uſu veterum Scriptorum infert, quod oſtendimus Parte I. harum Curarum p. 261. & 482. De ejusdem verbi & derivatorum ejus notione lege *Laur. Ramireſ. de Prado* in Pentecontarcho p. 1. ſqq. & *VVitſium* in Miſcellaneis Tom. II. p. 518.

Verſ. 6. Τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς) Per *ſenſum carnis* vertit *Andr. Dunæus* ad Demoſthenis Orat. pro Pace p. 141. *Caſtellio* autem per *ſtudium*, quod approbat Cl. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris p. 306. ubi præterea oſtendit, φρόνημα etiam *faſtum* & arrogantiam ſimpliciter denotare. *Philo* p. 16. C. Operum τὴν κακίαν vitium Deo *inimicum* appellat, quod idem obſervavit in MuſeoBremenſi l. 1. p. 118. *Vulgatus* τὸ φρόνημα reddit *prudentiam*, quam tamen per φρόνησιν potius Græce efferri Cl. *Alberti* exiſtimat, renitente auctore anonymo in Actis Eruditor. Lipſienſ. Tom. IX. Supplementorum p. 9. his in verbis. *Etiam* φρόνησις *non occurrit hoc ſenſu abſolute, ſed* δικαίων. *Luc.* I. 17. *Eph.* I. 8. *quam impartivit nobis Deus & Pater. Similiter* φρόνημα *eſt prudentia, ſi ſit* τοῦ πνεύματος, *Rom.* VIII. 6. 27. *&* φρονέω *etiam dicitur media ſignificatione. Matth.* XVI. 23. *Marc.* VIII. 33. *Rom.* VIII. 5. Patrum expoſitiones habes apud *Svicerum* Tom. II. Theſauri p. 938.

Verſ. 8. Οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες) Recte B. *Lutherus*: **die aber fleiſchlich ſind**, prout etiam v. 5. verterat τὸ κατὰ σάρκα, ut ſcilicet innueret, τὸ ἐν σαρκὶ idem hic ratione ſenſus eſſe, quod κατὰ σάρκα, h. e. *carni ſtudere*, quamvis prior illa phraſis alias vitam in corpore actam denotet, *Gal.* II. 20. Hanc autem notionem ab hoc loco alienam eſſe, vel id evincit, quod οἱ ἐν σαρκὶ ὄντες Deo placere non poſſe dicantur. Id vero de hominibus, quatenus vivunt, dici non poteſt. Itaque non habebat *Trillerus*, cur verſionem Lutheri h. l. carperet.

Verſ. 9. Ὑμεῖς δὲ οὐκ ἐστὲ ἐν σαρκὶ) Lege *VVitſium* in Symbolum Apoſtolicum p. 429. & *Eraſmum* Tom. IX. Operum p. 1503.

εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν) Inſpice Programma de Spiritu Chriſti die Pentecoſtes contra Neſtorium vindicato *Helmſtad.* 1725. quod enarratur in Annalibus Academiæ Juliæ Semeſtri X. p. 72. ſq. Τὸ εἴπερ interdum *aſſertivum* eſt

eſt,ut 2 *Theſſal.* I. 6. pro ἐπειδήπερ *quandoquidem*,quo ſenſu hic etiam accipi volunt *Chryſoſtomus*, & *Theophylactus*; interdum vero *dubitativum*, ſeu *conditionale*, quam notionem hic locum habere putat *Theodoretus*. Vide *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 1030. qui priores partes recte amplectitur, quod & *B. Blackvvallus* facit in Scriptoribus Sacris Claſſicis Tom. II. p. 203.

Verſ. 10. & 11. Ἐι δὲ χριςὸς ἐν ὑμῖν, τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι ἁμαρτίαν &c.) Non agi hic de beatitate animæ & corporis poſt hanc vitam, ſed de vita gratiæ & incremento ejus, ſtatuit *Jo. Marckius* in Exercitatt. Textualibus n. XXXIX. p. 384. ſqq. Idem antea adſtruxerat inprimis reſpectu v. 11. *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 106 - 111. provocans potiſſimum ad v. 12. & 13. quibus, inſtar conſectariorum, ex ſuperiore ſermone ductis fideles tanquam ſpiritualiter reſuſcitati & vivi ad vitam ſecundum Spiritum agendam excitentur. Confer in eandem ſententiam Vener. *V. E. Læſcherum* in Decimis Evangelicis Dec. I. p. 164. ſq. & *Henr. Morum* in Operibus Theologicis p. 328. *Corpus mortis*, inquit is, *a quo liberari cupimus, apparet per præſentiam Chriſti in nobis tam mortiferum eſſe corpus, ob rationem peccati, cum nihil in præſens percipiamus, niſi gravantem quandam ineptitudinem ad omnem ſanctitatem & bonitatem in corpore ejusque affectibus, omnemque improbitatem & impuras atheasque ſuggeſtiones, a carne, quæ mors certe animæ eſt: nam, quæ carnis ſunt, ſapere, mors eſt. -- Verum vita tunc noſtra illa juſtitia eſt, quæ eſt ex Spiritu, dum invenimus admodum delectabilem calorem voluptatemque grato affluxu ſanctæ illius ac divinæ ſenſationis. Verum is, qui Chriſtum excitavit e mortuis, vivificabit tandem etiam hæc mortalia noſtra corpora, facietque ut conſpirent, miraque facilitate & alacritate concurrant, promtaque inſtrumenta fiant & actuoſa, ac ſpiritui juſtitiæ in rebus omnibus morigerantia.*

Alii de vita corporis, aliquando reſuſcitandi, ſermonem hic eſſe contendunt, ut ſcilicet corpus, ob peccatum morti quidem obnoxium, aliquando autem ob juſtitiam Chriſti nobis imputatam & Spiritu S., in fidelibus habitante, obſignatam, vitæ reſtituendum dicatur. Vide huc poſt alios noſtrates B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis. Eodem fere ſenſu hæc accepit *Campeg. Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. II. pag. 134. Poſtquam enim is ex h. l. monuiſſet, *interitum corporis fidelium procedere ex condemnatione peccati, facta a Deo judice in morte Chriſti*, p. 135. ſubjungit iſta: *Verum, ſi peccatum condemnatum eſt abolendum, conſequitur, vi mortis Chriſti abolenda eſſe fidelium corpora, quia in iis peccatum eſt, habitat, regnat: quia id corpus non deſinit fidelem tentare, ſeducere, irritare, illique infinitas creare moleſtias. Non poteſt igitur peccatum damnari, niſi corpus noſtrum damnetur, in quo peccatum eſt, quod per peccatum inquinatum eſt, quodque poſt ſanctificationem noſtram nos non ceſſat laceſſere. Eſt igitur interitus corporis fidelium fructus & effectus mortis Chriſti, qui ex juſtiſſima Dei ſententia juſtificatoria fidelibus debet præſtari. Tantum abeſt, ut fidelibus interitus corporis malus aut noxius ſit. Interitus corporis noſtri eſt fructus condemnationis peccati, quæ fidelium juſtifica-*

tio eſt. Atque id vult Apoſtolus, quando corpus mortuum eſſe dicit propter peccatum. Digna puto eſſe hæc cogitata, quæ ampliori examini a peritis ſubjiciantur.

Longe alia hic mens eſt Rev. *Raphelio* in Notis Polybianis p. 435. qui per *σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν corpus mortuum peccato* intelligit, ſive, quantum attinet ad peccatum, ut ne in illo amplius vivat. Hanc vero ſignificationem præpoſitionis *διὰ* probaſſe ſe addit ad *Rom.* III. 25.

Lege præterea ad hæc verba B. *Vrſini* Analecta II. p. 324. ſq.

Verſ. 11. Ἐι δὲ τὸ πνεῦμα ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν) *Lockius* in Comment. ad h.l. multis verbis extrema hujus commatis verba interpretatur, ut a *Moro* & aliis factum eſſe oſtendimus. Ita enim illa *παραφράζει excitabit corpora veſtra mortalia, ut ne peccatum tantum in illis regnet; ſed ut & membra veſtra inſtrumenta viva ſanctitatis evadant.* Hanc Pauli mentem eſſe ex ſerie inprimis orationis evincere conatur. Sed vide, quæ contra hæc excipit *Jo. Clericus* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 141. ſqq. ubi & *Lockii* argumenta enarrantur. Cetera huc pertinentia ſequitur Rev. D. *Albertus Meno Verpoortennius* in Programmate ſingulari, Coburgi 1728. de morte hominum morte Chriſti devicta, Chriſti reſurrectione triumphata.

Verſ. 13. Ἐι γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε) Vide huc *Steph. Charnock* Opera anglice edita Tomo II. p. 1313. ſq. ubi de mortificatione hominis ſpirituali diſſerit. Phraſin ipſam quomodo Patres exponant, oſtendit *Sviccrus* Tom. II. Theſauri p. 937.

Verſ. 14, Ὅσοι γὰρ πνεύματι Θεοῦ ἄγονται &c.) Lege B. *Mich. Fœrtſchii* Diſputat. de Spiritus S. ductu filiorum Dei, *Jenæ* 1720. Ibi poſtquam ὁ μακαρίτης eas operationes, quæ ad hunc ductum non pertinent, removiſſet, oſtendit, generaliter per illum intelligi *vires æternas* filiorum Dei, *fidem & gratiam actualem, per verba & Sacramenta operoſam*; abſolvi autem tum *certificatione*, tum *ſanctificatione*, tum *experientiæ* collatione, tum denique *conſervatione* & *ſalvatione* fidelium. Confer Diarium Salanum an. 1720. p. 240. Ex Patrum ſcriptis commatis hujus & ſequentis ſenſum ediſſerit *Petavius* Tom. II. Dogmatum Theolog. de SS. Trinitate lib. VIII. cap. 7. §. 8. p. 477.

Verſ. 15. Ὀυ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας &c.) Inſpice ex noſtratibus, B. *Henr. Hœpfneri* Meditationem de Advocatione Spiritus S. *Gryphiswald.* 1705. *Georg. Philip. Olearii* diſput. de ſpiritu ſervitutis & adoptionis *Lipſ.* 1714. Vener. *V. E. Læſcheri* librum vernaculum, quem inſcripſit Edle Andachts-Früchte p. 383. ſq. & Rev. *Franc. Albert. Æpini*, Theologi Roſtoch. Programma Pentecoſtale an. 1724. editum, & in Recenſione Actorum Eruditorum Roſtochienſ. Collect. II. p. 32. ſq. repetitum, quale etiam *Jenæ* an. 1726. auctore Rev. *Jo. Georg. Walchio* prodiit, de quo lege *Enarrationes menſtruas Jenæ* 1726. vernacula lingua editas p. 515. Ex Reformatis conſule *Jo. Eskuche* Miſcellanea Sacra p. 83. ſqq. atque inde den Bücher-Saal Part. VIII. p. 587. Laudatus *G. P. Olearius* inprimis comma 15. & 16. diligenter perſecutus eſt. & curate oſtendit,

dit, per Spiritum ſervitutis & adoptionis intelligi Spiritum Sanctum, a quo ſcilicet fideles duci, & quem proinde eosdem accepiſſe Paulus dixerat. Is vero vocatur Spiritus vel ſervitutis vel adoptionis, pro diverſa in hominibus operandi ratione. *Spiritus Dei,* inquit, *dicitur ſpiritus ſervitutis, non quod ſervilis ſit, ſervosque faciat, animum talem ingenerando, ſed qui cum domeſticis quibusdam Dei agit, ut cum ſervis: nam quicunque in domo ſunt ſub patrefamilias, vel liberi ſunt, vel ſervi; alterutrum ſi ſint, aut etiam utrumque, locum in domo habent, & commune domeſticorum nomen. Neutrum qui habet, non eſt domeſticus, ſed peregrinus, aut etiam inſuper hoſtis.* Hoc ſenſu Gentiles vocantur *peregrini*, Jeſ. LXIII. v. ult. & *Epheſ.* II. 12. Peccatores itaque ante regenerationem & juſtificationem inſtar ſervorum tractantur, poſtquam ſcilicet iram Dei ex lege ad converſionem cognoverunt, tunc enim cohibentur aliquantulum a peccatis, ſed coacte & ſerviliter, & ſolius pœnæ metu. Viciſſim ubi homines poſt prædicationem Evangelii in libertatem filiorum Dei vindicati ſunt, Rom. VIII. 21. ſeu a Deo adoptati, adeoque adepti, quæ filiorum Dei ſunt, nempe & nomen novum Patris, & Chriſti, & bona parentis, quorum alia poſſident, alia adhuc exſpectant; Spiritus S. in iis operatur ut πνεῦμα υἱοθεσίας ſeu adoptionis, dum quos filios Dei per donatam fidem conſtituit, eosdem in hac conditione confirmat, & conſervat, & ut filios regit. Hæc *Olearius.*

Πάλιν εἰς φόβον) Illud πάλιν, *rurſus*, referri commode poteſt ad ſtatum priſtinum fidelium, qui vel ex Judæis, vel ex Romanis ad Chriſtum converſi nunc erant, in quantum ſcilicet ante converſionem per legis minas & maledictionem ſpiritum ſervitutis ad timorem ſentiebant, donec timor ille, excitata fide, cum ſpe & filiali amore permutaretur. Alii vero, nominatim Coccejani, ſpectari hic volunt conditionem Eccleſiæ Judaicæ V. T. tanquam ſtatui Eccleſiæ Chriſtianæ N. T. hac in parte oppoſitam. Sed iſta quidem non ſine habito curate ſelectu & temperamento amplectenda eſſe Theologi noſtrates pridem recte monuerunt. Τὸ πάλιν ad vocem δουλείας pertinere ἀμέσως ſuſpicatur, ſed dubius, Cl. *Alberti* in Periculo Critico p. 45. eo ſenſu, ut notet *Spiritum iteratæ ſervitutis,* ſive, *qui denuo ſervitutem imponit,* quemadmodum ἡ ἄνω κλῆσις eſt *ſuperior vocatio,* Philip. III. 15.

Ἐν ᾧ) *per quem,* ut *Rom.* V. 8. dicimur δικαιωθῆναι ἐν αἵματι Χριστοῦ. Spiritus S. ſcilicet & vires & fiduciam confert ad Deum precandi, ex quo Spiritus precum dicitur *Zachar.* XII. 10. Conf. *Whitbii* Exercitat. I. in Orat. Dominicam p. 12.

Κράζομεν Ἀββᾶ ὁ πατήρ) De voce *Abba*, quæ formæ eſt Syriacæ vel Chaldaicæ, lege, quos citavimus Vol. I. ad *Marc.* XIV. 36. Illis adde *Cheitomæum* de Vocibus barbaris p. 26. & *Buxtorfium* in Lexico Talmudico p. 20. qui illum honoris olim fuiſſe titulum, ex Judæorum ſcriptis oſtendit. *Auguſtinus* in ep. 178. *Abba* pro Græco vocabulo habuit, quod merito miratur *Dilherrus* l. c. quamvis *Lud. Capellus* in Spicileg. Notarum ad h. l. vocem Græcis notiſſimam fuiſſe itidem pronunciet. Conferunt illam alii cum Πάπας, quod *Heſychius* πατρὸς ὑποκόρισμα appellat, & cum Ἀπφῶ & Ἀπφῦς, de quo *Heinſius* in Prolegomenis ad

Ariſtar-

Ariſtarchum Sacrum, nec non cum Ἄππας & Ἄππα, quo habet *Callimachus* hymno in Dianam v. 6. ubi vide *Spanhemium.* Adde Cl. *Jo. Alberti* p. 307.

Hac forma *Abba*, non altera *Abh*, quæ Hebraica eſt, uſum eſſe Apoſtolum ideo putant nonnulli, quod *Abba* pro majoris amoris indicio habitum olim ſit, nec ſervis & ancillis integrum fuerit, dominos ſuos *Abba* appellare, ſed *Abh*. Obſervavit hoc *Seldenus* ex Gemara Babylonica *Berachoth* f. 16. in libro de Succeſſione in bona defunctorum c. IV. p. 9. & B. *Daſſovius* Diſput. II. de Emphaſibus Vocum Sacrarum p. 15. Locus Talmudicus ita habet: העברים והשפחות אי קרינן איתם לא אבה פלוני ולא אימא פרונית: *Nec ſervi, nec ancillæ compellationis illo genere* Abba (pater) N. *aut* Imma (mater) *utuntur. Elegans eſt*, Seldenus inquit, *ad receptos Hebræorum mores alluſio. Qui ſub lege ſervi erant, in libertatem, pretio a Chriſto numerato, redemti ſunt, adeoque in filiorum nomen aſſerti, ut jam, eo nomine & ratione libertatis acquiſitæ, rite poſſint invocare ſibi ſeu adſciſcere patrem, quod ſervilis conditionis hominibus fas non erat. Filios autem ſeu liberos eos agnoſcit Spiritus S. ſeu Deus ipſe, cui, ut patri, prolem agnoſcenti, fides omnino habenda.*

Geminationem appellationis *Abba, Pater*, Auguſtinus & Anshelmus, cumque iis *Feſſelius* Adverſar. Sacr. Tom. II. p. 355. *Calvinus*, & alii nonnulli indicium eſſe volunt conſilii divini, quod Deus inpoſterum a Judæis & gentibus colendus & Patris nomine compellandus ſit. Sed id quidem pie magis quam vere dici aliis merito viſum eſt, cum Dominus noſter *Marc.* XIV. 36. eadem formula ad Patrem ſuum, ſine ullo ad illud gentium diſcrimen reſpectu, utatur. Itaque rectius vel interpretationis cauſa vox πατὴρ addita a Paulo cum Hieronymo exiſtimabitur, vel in affectus vehementioris argumentum, cui exprimendo repetitio vocum earundem alias inſervit. Conf. *Matth.* XXVII. 46. Fortaſſe non ineptum fuerit, ſuſpicari, Chriſtianos, ex Judæis aut gentibus converſos, ad hanc formulam *Abba* in precibus adhibendam adſveſactos fuiſſe. Cl. *Alberti* p. 307. Obſ. Apoſtolum alluſiſſe exiſtimat ad familiarem & blandam puerorum vocem, qua Patrem compellent etiam balbutiendo; & forte Syriacum *Abba* additum eſſe ob teneritatem, quæ in ipſa vocis pronunciatione latere videatur. Sed aliter hic ſtatuendum viſum eſt Anonymo in Tomo IX. Supplementorum Actorum Erudit. p. 9. Inſpice præterea Cl. *Erdvvini Hermanni Polemanni* Exercit. V. de Pleonaſmis Scripturæ S. p. 14. & Exercit. XVII. p. 18.

Verſ. 16. Αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν) Conſule ſingulares Theologorum Gieſſenſium, Tom. IX. Diſput. XX. B. *Jo. Olearii*, *J. N. Misleri*, & B. *Gottl. Wernsdorfii* Diſputationes, *Lipſ.* 1684 *Gieſſ.* 1667. & *Witteberg.* 1703. habitas. Verbum συμμαρτυρεῖ aliis pro ſimplici verbo μαρτυρεῖ, ut *Rom.* II. 15. aliis vero ea forma poſitum videtur, ut mentem hominis, υἱοθεσίας jam ex illuminatione conſciam, in ſententia ſua per verbum confirmare Spiritus dicatur. Atque hoc cum B. *Mislero*, & B. *Wernsdorfio*, *Lütkenio* item in Concionibus ad hoc caput p. 367. ſqq. *Jo. Oleario* in Exercitat ad epiſt. Dominical. p. 320. & *G. P. Oleario* in Diſput. de Spiritu ſervitutis & adoptionis amplectendum puto.

Ita

Ita enim & formæ vocis notionique communiori inſiſtitur, & prærogativa fidelium ac felicitas ſingularis manifeſtior evadit; ut non dicam, Apoſtolum verſu proxime ſequente ſimilibus vocibus συγκληρονόμοι, συμπάσχειν, συνδοξασθῆναι uti, quæ ibidem ſocietatem quandam inferunt. Ceterum Judæos quoque eam phraſin uſurpare, ut Spiritum Sanctum homines de veritate rei alicujus certum facere dicant, ex *Sota*, fol. 46. 1. atque hic ex *Jalkuth* ad Deuter. XXI. fol. 239. & *Siphre* oſtenditur in Novis Literar. Lipſienſ. Latinis 1719. p. 79.

Verſ. 16. Εἰ δὲ τέκνα) *Caſtellio* vertit per *liberos*, ut ſcilicet uterque ſexus innuatur, & *Beza* per *filios*. Utrumque rectum putat Cl. *Alberti* p. 308. qui præterea obſervat, hereditatem proprie *filiorum* fuiſſe apud Hebræos, non item *filiarum*, niſi maſcula prole deficiente, quod ſecus obtinuerit apud Romanos. Pervulgatum inſuper eſt, ſequiorem quoque ſexum filiorum appellatione comprehendi. Lege *Act.* IV. 4. & V. 14. item *Nic. Fullerum* in Miſcellaneis lib. II. c. 20. Ad Romanorum leges hic reſpexiſſe S. Paulum exiſtimat *Seldenus* de Succeſſionibus in Bona defunctorum cap. I. p. 57. ed. Leidenſis in 12. *Quo factum eſt*, inquit, *ut ad Romanorum leges, (quibus liberi utriusque ſexus naturales, modo legitimi etiam eſſent, cum adoptivis æquiparabantur; non ad Hebræorum, quibus etſi adoptionis jus quoddam in uſu, ut infra, monemus, ſexus tamen ſequior poſthabitus in ſucceſſionibus erat, nec filius eorumve poſteris exſtantibus ad hereditatem, omnino admiſſus) adpoſite diſputans* D. *Paulus ad Roman. VIII.* 17. *tam de adoptivis, quam de naturalibus locutus,* εἰ δὲ, *inquit,* τέκνα καὶ κληρονόμοι. *SI LIBERI, ETIAM HEREDES. Quod tamen vertitur ETIAMSI AUTEM FILII, ET HEREDES, ut in Vulgata. Sed ita feminæ non ſatis argumento comprehendi videntur, quas ibi excluſas nemo ſanus dixerit. Atque ut* τὸ בנים *Hebræos tam filios, quam utriusque ſexus prolem denotat; ita & Græcis* τέκνα, *atque etiam Helleniſtis* υἱοὶ *pro* בנים *ſubſtitutum tam liberos quam filios non raro ſignificant. Quemadmodum item filii appellatio Jure Cæſareo filias ſæpius continet, ut videre eſt ll.* 84. 116. & 122. *D. tit. de verborum ſignificatione. Vide ſis etiam D. Paulum ad Gal. IV.* 7. *atque inferius cap XIV.* Cur credentes τέκνα Θεοῦ appellentur, oſtendit *Svicerus* in Theſauro Tomo II. p. 1252. ex Patribus.

Verſ. 18. Ὅτι οὐκ ἄξια) Ita Cyrus apud Xenophontem Cyropæd. VIII. p. 176. ἢ καὶ ἔστι σοι, ἔφη ὁ Κῦρος, οὐσία ἀξία τῶν τῆς παιδός. Conf. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 211. Polybianas p. 485. & Herodoteas p. 436. Adde *Jac. Duportum* ad Theophraſti Characteres p. 292. & *Alethæum* T. I. der Erläuterung p. 169.

Τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ) Cl. *Herzogius* in Obſervatt. de poſitu interpunctionum in hac epiſtola p. 20. exiſtimat, Paulum ſine dubio hic reſpicere *ad vexationes & paſſiones præcipue, quas ſpiritus a* laſciviæ *carnis hoſtilitate & impetu perpeti ſæpius cogitur.* Sed id quidem non facile quisquam perſuaderi ſibi patietur. Παθήματα illa omnino ſunt vexationes, quæ Chriſtianis vel religionis cauſa, vel a Diabolo vel ab hominibus exſpectandæ & exantlandæ erant. Patet id ex eo, quod de illis perpeſſionibus ſermo eſt, quas cum Chriſto commu-

nes habere debemus; tanquam cujus cohæredes futuri ſimus. Vide v. 17. Conf. 1. *Pet.* II. 20. ſeqq. Nemo vero inter eas numeraverit iſtas, de quibus vir doctus hic inprimis cogitari vult. Imo Paulus ipſe in calce hujus capitis v. 35. ſq. longe alia calamitatum genera enumerat, quam quæ alteram illam conjecturam ſtabiliunt. Urget idem, hanc vocis παθήματα notionem occurrere cap. VII. 5. & *Galat.* V. 24. In priori loco παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν memorantur, in poſteriore autem fideles carnem crucifigere dicuntur σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. Sed non video quicquam cauſæ, cur utrinque ſignificatum vocis in ſe omnino ampliorem tam arcte conſtringamus, & ad unum cupiditatis genus referamus. Nec majori jure vir doctus in ſuam ſententiam trahit ea, quæ S. Apoſtolus VII. 14-25. de ejusmodi, ut putat, tormentis diſſerit. Nam & in his non ſola, nec præcipue, laſcivia, ſed pravitas generatim omnis, quæ in carne eſt, notatur.

Πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν) Πρὸς ad comparationem indicandam frequenter adhiberi oſtendit *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 435.

Verſ. 19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται) Hoc comma cum ſequentibus nonnullis multorum induſtriam exercuit, quorum nomina ſubjiciemus. Ex noſtratibus huc pertinent ſingulares diſputationes *Jo. Meiſneri,* Witteb. 1676. *Frideman. Bechmanni,* Jen. 1677. *Joh. Chriſtoph. Ottonis,* Roſtoch. 1673. *J. C. Dannhaueri,* Argentor. 1684. (quæ in Theſauro Diſputat. ſuper N. T. recuſa eſt fol. 503. *Iſ. Fauſtii,* ibid. 1690. *Th. Ittigii* in Enneade Exercitatt. Theolog. p. 439. *Mich. Færtſchii,* Jen. 1716. ubi inprimis de v. 19. & *Georg. Nothdurftii*, Lipſ. 1709. His jungendi ſunt *Henr. Mullerus* in Centuria II. Quæſt. Theolog. p. 56. *Hackſpan.* Miſcell. p. 182. *Jo. Saubertus* in Operibus poſthumis p. 78. *V. E. Læſcherus* in Decimis Theologicis Parte II. p. 162. & Parte IV. p. 374. ſq. ubi poſteriore loco ſententiam ſuam tuetur ab exceptionibus D. *Joach. Langii,* Theologi Halenſis, quas ſingulari diſſertatiuncula Tomo I. der aufrichtigen Nachrichten, ſub titulo: *Nodus in ſcirpo Paulino,* ſubjuncta, & deinde an. 1717. ſeorſim recuſa (vide Famam eruditam Part. LIX. p. 824.) complexus erat quemadmodum idem Tomo VI. opuſculi modo memorati p. 124. ſqq. ad apologiam Lœſcherianam reſpondet. Præter hos cogitatæ ſua ex noſtratibus in literas retulerunt Rev. *Salom. Deylingius* in Obſervatt. Sacris Part. I. p. 151. ſq. & auctius in edit. II. p. 272. ſqq. *Alethæus* in der Erläuterung an. 1714. p. 160. ſq. Auctores menſium reſervatorum p. 787. ſq. item des freywilligen Heb-Opfers Part. II. p. 888. ſq. nec non Actorum Literariorum Germanicorum Part. III. p. 193. ſq. Cl. *Godofr. Lackemacherus*, Profeſſor Helmſtad. in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VII. p. 617. ſqq. & *Wigandus Kahlerus* in Diſſert. Philolog. verum oraculi Paulini ſenſum de ἀποκαραδοκία κτίσεως eruente. Rintelii 1729.

Ex Reformatis hic induſtriam ſuam præ ceteris exercuerunt *Georg. de Moy* in libro Belgico ſingulari, ſub tit. Schriftmaatige Rede en Zeedeliicke Bedenkingen, Goudæ 1701. 4. *Pet. van Eſterweegen* in libro: de verwachtinge en hoope der Kercken. *Adrian. van Weſel* in Gloria Meſſiæ belgice edita, p 473. ſqq.

ſqq. & *Jac. Nyloe* in Schriftuurliicke Aanmerkingen lib. II. c. 5. & in Schriftuurliicke Redevoering Part. I. p. 151. ſqq. ubi ſententiam ſuam priore libro propoſitam ab exceptionibus quibusdam tueri conatur. His accedunt *Joncourtius* in Epiſtolis Criticis Gallice editis p. 237-304. *Frid. Adolph. Lampe* in Pſ. XLV. p. 567-584. *Gotthard. Heideggerus* in Recreationibus Sacris Part. II. p. 152. ſq. & *Jo. Marckius* in Diſſert. de creaturæ vanitati ſubjectæ *ἀποκαραδοκία*, Lugd. Batav. 1720. edita, & in Sylloge Diſſertationum Philologico-Theologic. Roterod. 1721. in 4. num. XVIII. recuſa.

Ex Anglis huc lege *Thom. Burneti* Archæolog. Philoſ. lib. II. c. 2. p. 462. ſq. qui tamen loco hoc ad hypotheſin ſuam præcariam ornandam abutitur, *Jo. Lightfootum* in Operibus Anglicanis Tomo II. Parte II. p. 1148-1154. & *Hackevillum* in lib. de Providentia p. 575.

Tam ampla hic naſcitur dicendi materies, ut vix ad recenſendas, nedum examinandas diverſas Interpretum ſententias animum convertere audeam. Itaque potiorum mentio tantum fuerit facienda. Communiſſima, & ni fallor, antiquiſſima, ac noſtratibus Theologis maximam partem probata illa eſt ſententia, quæ per *κτίσιν* intelligit *univerſum* hoc, quatenus rebus corporibusque variis, vel vitæ vel rationis expertibus, conſtat. Hanc rerum univerſitatem abuſui hominum adeoque & vanitati ajunt eſſe ſubjectam, cui ingemiſcere ipſa natura per *προσωποποιίαν* ab Apoſtolo dicatur, donec ab ea liberetur vel interitu univerſali, vel imminente in meliorem ſtatum vindicatione. Hanc ſententiam poſt Patres veteres, de quibus *Petavius* Tomo III. Dogmatum Theologic. p. 148. & ex recentioribus multos, inter quos eſt *Theodor. Hackſpanius* in Miſcellaneis lib. II. cap. 2. §. 16. ſqq. noviſſime ex noſtratibus defendit *Joach. Langius* ll. cc. ex Reformatis autem *Jo. Marckius* in Diſput. laudata. Cl. *Kahlerus*, Prof. Rintelienſis in ſingulari diſſertatione, an 1730. habita, creaturam omnem, Angelis fidelibusque non exceptis, hic vult intelligi.

Quidam per *κτίσιν* *Angelos* putant indicari, tanquam qui hominibus divino nutu inſervire debeant, quamvis vanitati ſubjectis. Ita *Trillerus* in Examine locorum quorundam N. T. p. 55. ſq. contra quem poſt B. *Ittigium* in Diſp. citata §. 35. ſqq. lege *Schœnlandium* in Vindiciis p. 134. ſq. & *Pfeifferum* in Obſervatt. ſuis p. 40.

Alii intelligi volunt *homines*, ſpeciatim vero *Gentiles*, ut *Lockius* in Commentario ad h. l. provocans ad *Coloſſ.* I. 23. & *Marc.* XVI. 15. collat. cum *Matth.* XXVIII. 19. quibus locis in eandem ſententiam uſus ante erat *Lightfootus* l. c. Idem viſum eſt *Joncourtio* in Epiſtolis criticis, cujus argumenta afferunt acta Eruditorum Lipſienſia Latine an. 1716. p. 447. & noviſſime *Wilh. Wallio*, in notis Criticis Anglicanis ad N. T. p. 237. tum vero *Jac. Nyloe* ll. cc. Iidem eos, qui primitias accepiſſe dicuntur, de Judæis interpretantur, tanquam qui primum ad Chriſtum ſint converſi.

Nonnulli *Gentiles* itidem, ſed converſos, atque adeo liberationem a rerum vanitate avide exſpectantes, per *κτίσιν*; per eos autem, qui ſpiritus primitias ſe-

cundum v. 23. acceperint, Judæos converſos indicari contendunt, quod & *Jo. Clerico* ad Hammodum placet.

Alii per *πᾶσαν κτίσιν regenitos* omnes, ſeu *fideles*, per υἱὲς Θεῦ vero beatos in cœlis, & denique per eos, qui ἀπαρχὴν τῦ πνεύματος acceperint, Apoſtolos ſignificari exiſtimant. Hanc ſententiam præ ceteris ornavit & expolivit B. *Ittigius* in Exercitatione citata, quem ſequitur Rev. *Deylingius* in Obſervat. Sacris l. c. nec minus *Fœrtſchius* in Diſputat. ſingulari, Alethæus Part. I. der Erläuterung p. 161. ſq. & noviſſime Cl. *Samuel Frider. Bucherus* in Antiquitatibus Biblicis ex N. T. ſelectis Tom. I. p. 2. ſeqq. Significatum illum κτίσεως Cl. *Lampius* in Exercitatt. ſuper Pſ. XLV. p. 568. nonnihil extendit, quando per eam Eccleſiam univerſam omnium temporum intelligit; ita quidem, ut Apoſtolus illius ſpem ſub omnibus afflictionibus corroborare videatur. Hoc enim fine eum ait ordine & ſigillatim deſcribere, quid univerſa Eccleſia v. 19-22. deinde vero, quid ſinguli fideles exſpectare debeant v. 23. ſqq.

Alii κτίσιν de ordinibus & ſtatibus hujus mundi omnibus ex 1 *Pet.* II. 13. accipiunt, quorum tanta ſit corruptio, ut multi, qui in illis verſantur, emendationem & deſiderent, & exſpectent. Atque hæc eſt Vener. *V. E. Læſcheri* ſententia, quam ſub initium hujus tractationis ſubinnuimus.

Nuperrime Cl. *Lakemacherus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VII. p. 618. ſq. totam hanc Pauli pericopen ad ſingularem Judæorum hypotheſin reſpectum habere, demonſtrandum ſibi ſumſit. *Nempe*, inquit, *credebant illi*, *Meſſiæ tempore res creatas, Adami lapſu depravatas & corruptas, integritati ſuæ reſtitutum iri, ut ad Judaicæ gentis uſum eo eſſent aptiores. Quam creaturarum in Meſſiæ regno reſtitutionem* חדוש העולם, mundi innovationem, *ſeu univerſi hujus, quod propter ſe ſolos conditum exiſtimabant, inſtaurationem appellabant. Hac igitur hypotheſi utitur Apoſtolus, ut aſſertum ſuum ſuperius de certo ſperanda fortuna fidelium ſereniori confirmet, eamque non lege abeſſe oſtendat, quaſi diceret: tam certo futura, tamque propinqua eſt ſingularis illa, qua in Chriſti regno beandi ſumus, proſperitas, ut ipſa etiam creatura, eodem tempore integritatem ſuam, ut creditur, recuperatura deſiderio maximo illam exſpectet, cum quaſi ſciat, propediem illam nobis obventuram.* Viri docti judicio S. Paulus hypotheſi utitur Judaica, falſa illa quidem, ſed ita tamen comparata, ut ad perſuadendum converſis Romanis, qui eam tanquam maximam partem Ex-Judæi ignorare non poterant, meliorem, poſt mortem, conditionem non parum facere poſſet. Equidem vix adducor, ut credam, Apoſtolum veritatem, in ſe certiſſimam, & idoneis argumentis ab ipſo jam adſertam, opinioni Judæorum falſiſſimæ ex parte ſuperſtruere voluiſſe, inprimis cum facile prævideret, Ex-Judæos in opinione ſua Judaica hoc modo confirmatum iri. Largitur enim ipſe p. 620. vix dubitandum eſſe, quod illi Romanorum, qui opinionibus Judaicis imbuti erant, de ſperata externa ſua in regno Meſſiæ felicitate hæc omnia pro infirmitate ſua acceperint. Ponamus itaque, Apoſtolum ad opinionem hanc falſiſſimam alluſiſſe, & ad eam in tantum conniviſſe, nonne prudenter timere debebat,

bebat, ne illi, qui jam ad Chriſtum converſi erant, hoc modo ad exſpectandam iſtam univerſitatis rerum immutationem denuo excitarentur, poſtea autem, ubi fruſtra ſe eſſe comperirent, de regni Meſſiæ veritate dubitationem ſuſciperent. Nolim itaque iſtam Apoſtoli συγκατάβασιν in argumento tam gravi admittere.

De ceteris ſententiis judicium interponere longius foret, quam inſtituti noſtri ratio permittit. Interim non diffiteor, mihi, qui hoc oraculum inter δυσνόητα Paulina præcipuum locum obtinere ſemper credidi, eorum partes potiores videri, qui πᾶσαν κτίσιν vel de rerum univerſitate, quatenus rationis expers eſt, vel de regenitis & fidelibus, quatenus in cœlo jam beatis, & Apoſtolis, in terra tunc adhuc verſantibus, opponuntur, accipiunt. Priori illi interpretationi novam lucem affudit Anonymus in Relationibus Theologicis Innoxiis an. 1714. p. 976. ſqq. Conſilium ſcilicet, eo judice, Apoſtoli eſt, fideles calamitatibus preſſos recreare, & excitare ſpe certiſſima gloriæ imminentis, ut patet ex v. 17. 18. Eam vero propiorem eſſe, quam forte nonnullis videatur Apoſtolus ex eo demonſtrat, quod manifeſtatio temporis illius tot votis avide expetatur. Expeti enim ait 1) a tota creatura, vanitati tantiſper ſubjecta, v. 19-22. 2) ab illis qui ex Judæis & Gentilibus in Chriſtum credere inceperint, adeoque primitias Spiritus S. nacti ſint, v. 23. denique vero ab illis, quibus amplius aliquid, quam primitiæ, conceſſum ſit, imo a Paulo ipſo, & illis Viris Apoſtolicis, v. 23. In his dum verſatur, gemitum creaturarum, tanquam παραδοξότερον diligentius exponit, commemorata illius cauſa, quia ſcilicet liberatio a ſervitute cum illa fidelium libertate conjuncta futura ſit, cum Deus rerum univerſitatem vanitati obnoxiam reddiderit non in perpetuum, ſed tantum in tempus illud, quo gloria fidelium penitus in apricum ſit producenda. Mihi, fateor, hæc interpretatio adeo ſimplex, & tum ſcopo Apoſtoli, tum totius orationis nexui accommodata videtur, ut non difficulter reliquis omnibus præferam, præcipue, ſi ab abuſu, quem plures ab illa prudenter amoliti ſunt, libera præſtetur, nec omnia nimis preſſe urgeantur.

ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία) *Chryſoſtomus* exponit per ἡ σφοδρὰ παραδοκία. *Polybius* verbo ἀποκαραδοκέω utitur p. 1112. ſimplici autem καραδοκέω frequentius, ut p. 192. 261. &c. Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 436. & *Georg. Guil. Kirchmajeri* Parallelismum dictionis N. T. & Polybii p. 40. Adde *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. p. 131. qui inter reliqua obſervat, *Aquilam* Pſ. XXXVII. 7. Hebræum חול Græco hoc exprimere, quod cum *parturitionem* proprie inferat, creatura hic inſtar parturientis repræſentari videatur. In eandem ſententiam lege *Sauberti* Opera Poſthuma p. 79. De emphaſi hujus verbi diſſerit quoque *Alardus* in Pathologia N. T. p. 27. Patrum de hoc commate ſententias explicat *Svicerus* Tom. I. p. 448. & 451. item Tom. II. p. 179.

Verſ. 20. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη) Verba hæc *Campeg. Vitringa* Obſervatt. Sacr. lib. III. p. 104. ita accipit, ut creaturæ omnes concupiſcen-

piſcentiæ peccatoris inſervire intelligantur, quod qua ratione quove ordine, pro diverſa ipſarum creaturarum varietate, fiat, in ſequentibus oſtendit.

διὰ τὸν ὑποτάξαντα) Per eum Satanam nonnulli intelligunt, ut *Bryanus Turnerus* in Tentamine de primi peccati introitu cap. 11. cui etiam ματαιότης idololatriam, ut in N. T. fere ſemper, ita hoc quoque loco ſignificare videtur, ad quam Satanas homines in fraudem divini cultus incitarit. Confer Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1692. p. 518. Sic *Hammondus* ad fœda ſacra Eleuſinia reſpici exiſtimat, ad quæ Satanas gentes, etiam invitas, compulerit. Adde *Lockii* commentar. ad h. l. Alii rectius ad Deum ipſum referunt, ad quem liberatio in ſequentibus refertur. Interpretatio altera præſtruit, de Gentilibus ſermonem eſſe, quod tamen veri ſimile non videtur, ceu ex hactenus diſputatis patet.

Verſ. 21. Ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται) Voces ἐπ' ἐλπίδι nonnullæ verſiones, ut *Vulg.* & *Caſtellionis*, ad antecedens ὑποτάξαντα referunt. Alii nominatim Cl. *Jo. Alberti* in Obſervationibus p. 309. ad verbum ἀπεκδέχεται, quod v. 19. claudit, ſpectare exiſtimant, ita ut v. 20. totus per parentheſin quandam ad rationem commatis 19. reddendam ſit interjectus. Alii denique phraſin, ἐπ' ἐλπίδι, proxime jungendam cenſent verbis hujus commatis ultimis, εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ, ut ſic verba: ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται &c. a reliquis per comma diſtinguantur, cauſamque indicent, cur creatura univerſa τὴν ἀποκάλυψιν filiorum Dei glorioſam exſpectet, nempe ideo, quia & ipſa tunc temporis libertati ſuæ vindicanda, & vanitati non amplius inſervitura ſit. Hæc eſt ſententia Anonymi illius in Relationibus Theologicis Innoxiis p. 976. cujus modo fecimus mentionem. Atque huic ſubſcripſerim non invitus. Albertinæ parentheſi nonnulla obiicit anonymus in Actis Erudit. Lipſienſibus Latinis Tom. IX. Supplementorum. p. 9. ſqq. quibus tamen ipſe Alberti occurrit in præfatione ad Periculum Criticum.

ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται) Cl. *Zach. Pierce* in Epiſtolis duabus, quas *Londini* 1721. 4. de locis quibusdam N. T. edidit, vocem κτίσις ex margine, in qua ſcholii inſtar ſcripta fuerit, in contextum temere illatam cenſet, & verba τῇ γὰρ ματαιότητι διὰ τὸν ὑποτάξαντα parentheſi includenda eſſe opinatur. Equidem jam ante ipſum *Eraſmo* vox κτίσις duriuſcule repeti viſa eſt, *Bezæ* autem Hebraiſmi loco habita. Sed cum Codices omnes conſentiant, nemo hactenus expungendam cenſuit: recte quidem, quia nec in profanis Scriptoribus optimæ notæ, ut nec in N. T. ejusmodi vocum repetitiones deſiderantur. Vide *Luc.* III. 19. VII. 18. & *Joh.* X. 18. 41. ex profanis autem exempla complura in Vindiciis Græcæ veritatis ſtilique Apoſtolici a Cl. *J. H. Majo* Anglo illi oppoſitis, p. 8. 9. afferuntur, qualia etiam promſit *Perizonius* ad *Æliani* Varias Hiſtorias l. 40. Sic Arrianus in Indicis c. 3. Ἐμοὶ δ' Ἐρατοσθένης ὁ Κυρηναῖος πιστότερος ἄλλου ἔστω, ὅτι τῆς περιόδου πέρι ἔμελεν Ἐρατοσθένει. Vides hic *Eratoſthenis* nomen in eadem ſententia repeti. Doctores Eccleſiæ antiquos

ſummo

ſummo conſenſu interitum mundi non κατ' ὀσίαν, ſed κατὰ ποιότητας futurum tradidiſſe, & ex h. l. confirmaſſe affirmat, prolatisque locis eorum variis oſtendit *Svicerus* Tom. II. Theſauri p. 151. ſqq.

Verſ. 23. Ου μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος ἔχοντες) Pro Græco ἀπαρχὴν Latina verſio Codicis Claromontani (qui tamen in Græco habet ἀπαρχὴν) exhibet *receptaculum*, quod *Börnerianus* Latinus & *Ambroſius* ac *Primaſius* itidem referunt. Hinc illi quidem legiſſe videntur ἀποδοχὴν vel ἀπεκδοχὴν, vel ſaltem legendum cenſuiſſe, eo quod ſequitur ἀπεκδεχόμενος, & quod non admodum viderent, quid ſibi ἀπαρχὴ τȣ̃ πνεύματος vellet. Falſam vero eſſe illam lectionem vel interpretationem res ipſa oſtendit. Confer *Pet. Fabri* Semeſtria lib. III. p. 158. Cur dona Spiritus S. primitiarum nomine hic appellentur, B. *Daſſovius* in Diſputat. II. de Emphaſi Sacrarum Vocum p. 12. atque inde *Amelius* Part. II. p. 775. ex antiquitatibus Hebræorum de Primitiis earumque conditione exponit. Primitiæ ſcilicet appellantur reſpectu donorum vitæ futuræ, ſicut primitiæ frugum erant prægustus futuræ meſſis. Inter cetera comparationis momenta *Daſſovius* ex Talmude Hieroſolymitano, Tractatu *Taanith* ed. Cracov. Part. II. f. 68. col. 2. primitias columba ornari conſueviſſe obſervat. Ita dona ſpiritualia a Spiritu S. ornari vel potius obſignari ſtatuas, tanquam a columba, cujus ſpecie & habitu olim apparuit. Quinam vero ſint illi, qui hic primitias Spiritus accepiſſe dicuntur, non difficulter perſpicitur. Illi ſcilicet deſignantur, qui primi ex Judæis & gentibus tunc erant ad Chriſtum converſi, cum heic ab Apoſtolis diſtinguantur per verba: ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοί. Quomodo quis *Spiritum habere* dicatur, fuſe oſtendit *Lightfootus* in Operibus Anglicanis Tom. II. Part. II. p. 1150. ſqq. ubi ſingularis concio de hoc commate exſtat. Veterum doctorum de ἀπαρχῆ τȣ̃ πνεύματος ſententias a *Svicero* explicatas vide in Theſauro Tom. I. p. 423.

Ἐν ἑαυτοῖς ϛενάζομεν) Gemitus ille non eſt doloris & mœſtitiæ, nec etiam impatientiæ, multo minus murmuris atque indignationis adverſus Deum: iſta enim non quadrant feliciſſimo illi ſtatui, quo fruuntur piorum animæ, hoc mortali corpore exutæ, ad reſurrectionem uſque; ſed eſt gemitus deſiderii & vehementiſſimi affectus ex dilata ſpe: addit enim Apoſtolus: τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν. Ita *Ludov. Capellus* in Operibus Criticis p. 246. Propius huc facit, quod B. *Daſſovius* l. c. obſervat, Judæos, cum primitias offerrent, in plenam meſſem videri ſuſpiraſſe, cum de novis frugibus non ante ipſis fas fuerit comedere, quam manipulus Paſchalis tanquam primitiæ hordeaceæ, & duo panes Pentecoſtales, tanquam primitiæ Pentecoſtales offerrentur.

Υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τȣ̃ σώματος ἡμῶν) adoptionem noſtram, ſeu potius *manifeſtationem adoptionis* jam factæ exſpectantes, h. e. liberationem corporis noſtri. Ἀπολύτρωσιν illam τȣ̃ σώματος ex Antiquis Eccleſiæ doctoribus explicatam lege a *Svicero* in Theſauro Tomo I. p. 463. De morte, *captivorum catenas levante*, & e carcere educente, lege *Senecam* Conſolat. ad Marcum cap. 20.

Verſ.

Verſ.24. Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν) Lege, quæ ad hæc verba diſputata ſunt inter Theologos Holſatos & alios, annis abhinc non ita multis, a quibus de beatitate hujus & alterius vitæ diſquirebatur, utrum ſcilicet eſſentialiter an gradualiter utraque differant. Scripta in utramque partem edita recenſentur paſſim in *Relationibus Theolog. Innoxiis* an. 1708. & 1709. in cumulum vero conferuntur a Celeberr. *C. M. Pfaffio* in Introduct. in Hiſtoriam Theologiæ Literar. Parte I. p. 387. Ex iſtis vero conſulenda inprimis eſt B. *Lütkenii* commentatio vernacula de actuali beatitudine credentium in hac vita, capite I. Non obſcurum eſt, phraſin hanc ita eſſe accipiendam, ut fidelibus in hac vita vere beatitas aliqua tribuatur, ſed & alia eaque major ſpe præcipienda relinquatur. Patet id inprimis ex v. 25. ubi ſperare & exſpectare dicimur ea, quæ nondum videmus, h. e. percipimus & ſentimus. Atque hinc eadem opera intelligitur, vocem ἐλπίδος hic proprie de *ſpe* futurorum bonorum, non autem de exſpectatione Meſſiæ, qualis apud Judæos olim fuerit, accipiendam eſſe, ſecus ac *Braunius* cenſuit in Selectis Sacris lib. I. p. 44. Hoc vix, inquit, de aliis, quam Judæis poteſt intelligi. Dicit, ſe jam ſervatos eſſe, ſcilicet a ſervitute, a reatu & a peccato. Hæc ſperabant Judæi, non Gentiles; ſoli Judæi erant vincti ſpe, vel exſpectatione προελπικότες, ante ſperantes, Eph. I. 13. Approbat hæc *Amelius* Part. II. pag. 555. Sed nihil cauſæ eſt, cur Paulum hic de Judæis, converſis ad Chriſtum, loqui exiſtimemus, qui in ipſo limine capitis hujus de illis ſe generatim loqui profitetur, qui *ſint in Chriſto*, & non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulent. Neque præterea Paulo hic ſermo eſt de liberatione a ſervitute, reatu & peccato, fide vel præcepta vel apprehenſa, ſed de fidei fine, qui eſt æterna beatitas.

Loquitur enim de manifeſtanda credentium υἱοθεσίᾳ & futura filiorum Dei gloria v. 21. Mirum autem videri non debet, quod de fidelibus dicatur ἐσώθημεν, *ſalvati ſumus*, etiam in hac vita. Id enim fit tum reſpectu bonorum cœleſtium, quibus jam in hac vita vere fruuntur, tum ad indicandam eorum, quæ adhuc exſpectantur, certitudinem. Atque hæc futura efficiunt, ut *ſpei* a Paulo fiat ſimul mentio, non tanquam *medii*, quo illa bona conſequamur, ſed tanquam *adjuncti* alicujus, quod cum beatitate hujus vitæ conjunctum ſit.

Ἐλπὶς γὰρ βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς) *Parmenides* Eleatus apud Clementem Alexandrin. Stromat. lib. I. p. 552. de ſpe ita:

Λεῦσσε δ' ὅμως ἀπέοντα νόῳ παρέοντα βεβαίως.

Attamen & quæ abſunt, mente firma videto, tanquam quæ adſunt. Confer Cl. *Jo. Alberti* p. 310.

Verſ. 26. Ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ Πνεῦμα συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν) Conſule *Joh. Arowſmith* Tactica Sacra pag. 241. qui verbum ἀντιλαμβάνεσθαι cum *Pareo* per metaphoram a pueris, quos collapſuros, manu porrecta, aliquis retinet, vel ab ægris, hinc inde vacillantibus, atque adeo ſuſtentandis, dici hæc exiſtimat. Præpoſitio σὺν, quam additam videmus, vel Patrem & Filium

lium reſpicit, quæ *Ludov. de Dieu* ſententia eſt, tanquam cum quibus Spiritus, utpote ab utroque miſſus, & una cum eis in electis habitans, agit; vel, quod *Beza* vult, ad homines peccantes ſpectat, quos ſcilicet in precibus fatiſcentes excitet Spiritus & inſtauret.

Ἀλλ' αὐτὸ τὸ Πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν) De illa Spiritus S. interpellatione, quomodo comparata in ſe, & ab illa, quæ Chriſto tribuitur, interceſſione diſtincta ſit, lege B. *Dorſcheum* in Theologia Zachariana Part. II. p. 188. ſq. *Feuerbornium* Faſcic. IV. diſput. VI. §. 31. ſq. *Godofredum Olearium* in Diſſertat. de adoratione Dei Patris per Jeſum Chriſtum §. 30. & qui ad h. l. ſpeciatim commentatur, *Valent. Velthemium* in Diſput. de gemitu Spiritus S. Jenæ 1697. aliosque a M. *Wildeshauſenio* in Bibliotheca Diſputationum ſuper V. & N. T. citatos. Scilicet Spiritus S. intercedit, non ut mediator vigore meriti ſui, quod ſolius Chriſti eſt, ſed ut advocatus, qui fideles ad inſtar clientium excitat ad precandum, inſtruit, quomodo precandum ſit, ac ſpem alit votis potiundi. Hoc modo ſi res capiatur, nihil in hac cauſa ſtatuetur, quod Spiritu S. ſit indignum. Confer *Cotelerii* notas ad Patres Apoſtolicos Tom. I. p. 97. & *Rohrii* Pictorem Errantem Tom. II. Theſauri Theologico-Philolog. p. 871. Itaque hæc interceſſio nullo modo comparanda eſt cum precibus, quas Deum & Angelos pro Muhamede facere Alcoranus dictat, ceu monuit *Joh. Gregorius* in præfat. ad Obſervationes ſuas Sacras, ubi tamen *Adrianus Relandus* de Religione Muhamed. p. 120. conferendus eſt. Judæi alioquin Deo preces tribuere conſueverunt. Vid. *Bartoloccii* Bibliothecam Rabinic. Tom. I. p. 552. *Wagenſeilium* ad Tela Ignea Satanæ p. 182. & *Eiſenmengeri* Judaiſmum detectum Tom. I. p. 51. ſq.

Στεναγμοῖς ἀλαλήτοις) Ἀλάλητον hic non idem eſſe, quod ἀνεκλάλητον 1. Pet. I. 8. i. e. inenarrabile, ſed potius idem, quod ἄῤῥητον, i. e. *quod ore non profertur*, ſed tacetur, exiſtimat *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 111. atque adeo vertit: *occultis ſuſpiriis.* Ita Ciceronem ait lib. II. ep. 21. ad Atticum ſcribere: *ſed cum diu occulte ſuſpiraſſent, poſtea jam gemere, ad extremum vero loqui omnes & clamare cæperunt.* Priorem illam verſionem probat *Coccejus* quando vertit: *gemitibus eloquio carentibus*, & *Jo. Arrowſmith* in Tacticis Sacris p. 242. *Interdum*, inquit, *ſuſpiria & gemitus piorum præ magnitudine ſua efferri nequeunt, nimirum, quando oleum hoc Spiritus S. in eorum corda e plena quaſi phiala copioſe effunditur, quo in ſenſu Paulus alibi vocat ἄῤῥητα ῥήματα, quæ ſilentio premenda fuerunt. Interdum vero oleum hoc non niſi guttatim deſtillatur, ſicut ſuper Ezechiam* (Jeſ. XXXVIII. 14.) *quando ſic queſtus eſt; UT GRUS AUT HIRUNDO, ITA PIPIEBAM; GEMEBAM, UT COLUMBA: & in eo caſu præ tenuitate ſua nequeunt exprimi.* In eandem ſententiam affert præclara B. Lutheri noſtri cogitata ex Prælectionibus in epiſt. ad *Galatas* IV. 6. ubi inter cetera ait, *Paulum non dicere, Spiritum longa oratione intercedere pro nobis in tentatione, ſed tantum gemitu, inenarrabili tamen.* In hac interpretatione & nos acquieſcimus. Id enim jubet ipſa

U vocis

vocis ratio, quæ ut a λαλητὸς *effabilis*, derivatur, ita præfixo ἀ στερητικῷ idem merito habetur, quod latine *ineffabilis* dixeris. Verbum Petrinum ἀνεκλάλητος huic potius ſimile, quam ab eo diverſum eſt habendum, ſicut & ἀνεκδιήγητος 2.*Cor*.IX.15. Et videtur omnino Paulus per στεναγμοὺς ἀλαλήτους aliquid amplius, quam ſuſpiria occulta, exprimere voluiſſe. Nam gemitus per ſe occulti ſunt, & ſermone deſtituuntur, oriuntur autem ex animi cogitatis, quæ ita comparata eſſe Apoſtolus innuit, ut verbis exprimi & exhauriri non poſſint. Compara interim, quæ pro *Boſii* interpretatione affert *Jo. Alberti* pag. 311. qui tamen, quamvis dubius, novam promit aliam, per quam στεναγμοὶ ἀλάλητοι ſint *gemitus vagi*, aut *conturbati*, h. e. qui ex animo fluctuante & conſternato, quaſi trepido tumultu, prodeant, & labris oberrent. Ita monet, *Heſychium* ἀλάλημαι interpretari per πεπλάνημαι, & ἀλάλητα per τεθορυβημένα, *turbata*; ſicut Homerus Iliad. β'. v. 149. & δ'. v. 436. ἀλαλητὸν clamorem militum inconditum appellat. Senſum itaque putat iſtum eſſe, quod Spitus S. nobis *imbecillibus* & timidis (ταῖς ἀσθενείαις) vel in ipſis illis vagis ac turbatis animi ſuſpiriis adſit, & interea benigne operetur. Itaque verba hæc ita accipit, ac ſi Paulus ſcripſiſſet: ἐν στεναγμοῖς ἡμῶν ἀλαλήτοις. Et ſane ſi ita ſcripſiſſet S. Apoſtolus, nullus de ſenſu verborum iſto dubitandi locus eſſet. Dum vero aliter ſcripſit, id potius voluiſſe videtur, quod fideles, imbecillitate & timore, quem ſentire inter preces ſoleant, a precando revocari non debeant, cum certi eſſe poſſint, Spiritum S. ipſis tunc inprimis præſto futurum, atque ea cogitata & ſuſpiria ad Patrem cœleſtem in animis ipſorum excitaturum eſſe, quorum tanta ſit vis & fœcunditas, ut vel diſertiſſimus quisque ſermone exprimere non poſſit. Hunc ſenſum vel ideo admitti debere putem, ut conſtet, qua re illa Spiritus S. interceſſio abſolvatur. Alia in hanc cauſam afferuntur in Actis Eruditorum Lipſienſ. Latin. Tomo IX. Supplementorum p. 10.

Verſ. 27. Ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας) Lege *Svicerum* Tomo I. Theſauri pag. 1211.

Verſ. 28. Οἴδαμεν δὲ ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν) Sic inter Judæos olim fuit aliquis, qui גם זו (*Gam ſu*, i. e. Latine; *etiam hoc*) appellaretur, ideo, quod, interprete *Sacuto* in Juchaſin pag. 35. 2. הירה אומר על כל צרה גם זו לטובה *de omni calamitate dicere ſolitus ſit*: etiam hoc in bonum (*verget*.) Ita in *Berachoth* præcipitur fol. 60. 2. *Semper homo adſveſcat dicere: Omne, quod Deus facit, ad bonum facit.* Confer Nova Literaria Lipſienſia Latina an. 1719. pag. 80. ſq. & ſimilia lege in *Abrah. Jagelii* Catechiſmo Judaico, לקח טוב quæſt. 17. item apud *Laurent. Odhelium* in Synagoga bifronte pag. 127. Similiter Charidemus apud *Dionem Chryſoſtomum* Orat. 30. Τὰ τῶν θεῶν ἔργα δῶρα καλῶς ὀνομάζει (Homerus nempe Iliad. γ'. v. 65.) ὡς ἅπαντα ἀγαθὰ ὄντα καὶ ἐπ' ἀγαθῷ γιγνόμενα. Alia hujusmodi Gentilium dicta lege in notis *Gatakeri* ad Antoninum pag. 96. & 245. & *Alex. Morum* in Notis ad h. l. pag. 111. Quo ſenſu de ipſis peccatis hoc dici poſſit, oſten-

oſtendit B. *Lutherus* Comment. in Geneſin c. XXX. Ita *Auguſtinus* in Soliloquiis c. 28. *Electis omnia cooperantur in bonum, etiam ipſa peccata: nimirum non ex natura ſua, ſed ex Dei virtute & ſapientia.* Confer *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. p. 459. Alia patrum de hoc commate loca dat *Petavius* in Dogmat. Theolog. Tom. I. p. 351.

Verbo συνεργεῖν eodem ſenſu paſſim utitur *Polybius*, v. c. p. 155. συνεργεῖτο δ' αὐτοῖς πάντα καὶ πανταχόθεν ἑτοίμως. Atque id notabile eſſe obſervat *Morus* l. c. Mala enim non producere vi ſua bonum, ſed a Deo ſalutari temperamento aliis permixta in bonum vertere. *Nec minus probo*, ita pergit, *ſenſu legunt exemplaria quædam:* πάντα συνεργεῖ ὁ θεὸς εἰς τὸ ἀγαθόν, *ita ut reſpondeat Paulinum hoc dictum illi gnomæ Magiſtrorum:* כל דעביד רחמנו לטוב quicquid Deus miſericors facit, in bonum vertit. *Sed melius Paulus*, συνεργεῖν. *Dei opera non ſunt ſingula ſeorſim ſpectanda, ſed* ἀθρόως, *aut* συλλήβδην, ἐν συνόψει, *ut in arte ſalutari pharmaca, ut actus in dramate, ut umbræ in pictura.* Qua de re plura videri jubet in ſua ad Strangium præfatione. Sententia, fateor, optima eſt; quam etiam forte exprimere voluerunt, qui vocem Θεὸς, quæ proxime antecedit, hic quaſi ἀπὸ κοινοῦ repetitam in contextum temere intulerunt. Ab eo autem omnino removenda eſt, cum verbum συνεργεῖν caſui perſonæ ſeu objecti, non autem rei in accuſativo jungi poſſit, & ſoleat. Scilicet Græce non dixeris: ὁ θεὸς συνεργεῖ πάντα εἰς ἀγαθὸν h. e. *Deus omnia cooperatur in bonum.* De re ipſa lege *Georg. Richteri* diſputat. de Piorum nocumentis ipſorum emolumentis, *Lipſ.* 1701. 4.

τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσι) Unus Græcus Codex addit ἁγίοις, & ſic *Vulg.* fortaſſe ex cap. I. v. 7. Confer *Millium* & *Arnaldum* in Continuata defenſione verſionis Gall. Montenſis p. 52. ſq.

Verſ. 29. 30. Ὅτι οὓς προέγνω) Lege ex noſtratibus Gieſſenſium Diſputationes Tom. VII. p. 128. ſq. & *Balthaſ. Cellarii* aliam de aurea ſalutis catena, Helmſtad. 1660. item B. *Lütkenii* Collegium Biblicum p. 613. ſq.

Verſ. 29. συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ) Conformitatem hanc ex Patribus explicat *Svicerus* Tom. I. Theſauri p. 1023.

εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς) *Primogenitus* dicitur hic Chriſtus, tanquam cui vi juris primogenituræ, inter Hebræos præcipue, hereditas & regnum, ut & Sacerdotium debebatur. Fideles vero appellantur *fratres* ejus, quia & illos una ſecum Chriſtus fecit Sacerdotes & Reges coram Deo, *Apoc.* I. 6. & V. 10. & ad eandem impoſterum gloriam evehet, tanquam συγκληρονόμους. *Jo. Harduinus* in Operibus Selectis p. 619. ad hanc phraſin obſervat, primogenitum olim præ ceteris populis fuiſſe Iſraëliticum ſecundum *Exod.* IV. 22. in primogenito autem populo primogenitum fuiſſe Chriſtum, quippe ex Regia familia, & unicum regni heredem. Solidiora lege apud *Seb. Schmidium* in Tract. eximio de Imagine Dei p. 304. & in comentario ſuper Epiſt. ad Hebr. p. 77. De Chriſto πρωτοτόκῳ ex veterum Doctorum ſcriptis commentatur

tatur *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 375. & 878. quo vero ſenſu hoc loco ita vocetur, p. 882. ſq. ex iisdem oſtendit.

Verſ. 30. Οὓς δὲ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσε) Verba Græca hujus commatis Græcis Scriptoribus eodem ſenſu, quamvis hic ad argumentum ipſis incognitum applicentur, recepta eſſe oſtendit Cl. *van den Honert* in Diſſ. de Stylo N. T. Græco, quæ in Syntagmate Diſſertatt. de Stylo N. T. ab eodem edito, exſtat p. 359. ſqq.

Verſ. 31. 32. Τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα &c.) Duo hæc commata ſingulari diſſertatione perſecutus eſt *Joach. Otto*, quam inſcripſit de abſoluta neceſſitate, qua oportet, Salvatorem noſtrum eſſe verum æternumque Deum & hominem, Guſtrov. 1706. 8. Præpoſitionem πρὸς in hac phraſi non per *ad*, ut plerique accipiunt, ſed per *de* verti vult Cl. *Alberti* in Obſervatt. Sacr. p. 312. Hoc enim ſenſu τὸ πρὸς occurrere etiam videtur *Hebr.* IV. 13. πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, *de quo nobis eſt ſermo.* Sic & apud *Aelianum* Var. Hiſt. XII. 64. ubi confer *Perizonii* notas. Adde Volumen I. harum Curarum p. 734.

εἰ ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν;) Eandem notionem particulæ ὑπὲρ tribuit *Polybius* p. 748. παρεκάλουν θαῤῥεῖν ὡς ὑπὲρ ἐκείνων παρόντας τοὺς Καρχηδονίους. *Bono ut eſſent animo, juſſere,; ad ſalutem enim civium Carthaginenſes veniſſe.* Confer *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 437, & *Jo. Alberti* p. 312. qui iſtum *Arriani* de Expeditione Alexandri locum ex lib. II. c. 7. affert; ὅτι ὁ Θεὸς ὑπὲρ σφῶν στρατηγεῖ.

Verſ. 32. Ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο) Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* in Acceſſionibus ad *Jo. Olearii* librum de Stilo N. T. p. 155. hac phraſi alluſiſſe Paulum putat ad Geneſ. XXII. 12. ubi οἱ LXX. ita: Νῦν γὰρ ἔγνων, ὅτι φοβῆ σὺ τὸν Θεὸν, καὶ οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου τοῦ ἀγαπητοῦ δι' ἐμέ. *Mens Pauli* ita pergit, *facile perſpicitur. Si enim Deus devotiſſimum Abrahami animum ex conſilio mactandi filii cognovit; profecto ex ipſa filii Dei morte prolixum illum animum Dei erga nos eo magis agnoſcemus, quo minus tantum nobis beneficium Deus debebat. Si animus ille Abrahami erga Deum tantopere probatus eſt, ut pollicitationem ingentium bonorum auferret; ſumma certe imo omnia bona tanto magis a Deo exſpectanda habemus nos, quanto unum omnium maximum beneficium nobis jam impertitus eſt.* Non ſine emphaſi Chriſtum hic dici *proprium* Dei filium, Patres monuerunt, quorum loca vide apud *Petavium* in Dogmat. Theolog. Tomo II. p. 104.

πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται;) τὰ πάντα, i. e. ταῦτα πάντα, iſta omnia, quæ ſcilicet digito monſtrari poſſunt, quod ſcite monet *Jac. Capellus* in Obſſ. ad h. l.

Verſ. 33. Τίς ἐγκαλέσει κατὰ τῶν ἐκλεκτῶν Θεοῦ; Θεὸς ὁ δικαιῶν) Eadem fere eſt interrogatio apud *Lucianum*, Abdicat. p. 723. τίς ᾐτιάσατο; οὐδὲ εἷς, obſervante Cl. *Alberti* p. 313. Fuerunt qui ſequentia verba: Θεὸς ὁ δικαιῶν, item v. 34. Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθεὶς itidem interrogative exprimenda cenſerent, ut eo efficacior evaderet Pauli oratio, hoc quidem ſenſu: *quis accuſabit electos Dei, num Deus, qui juſtificat? Quis condemnabit? num Chriſtus, qui* mor-

mortuus eſt? Ita ex noſtratibus *Trillerus* in Examine locorum quorundam N. T. p. 198. ex Anglis autem *Lockius* & D. *Wells*, in Commentario ad h. l. approbante *W. Blackwallo*, in Claſſicis Scriptoribus Sacris Tom. II. p. 178. Senſus utrinque idem eſt. Amovetur nempe timor omnis, & periculum, ne quid tale contingat. Itaque cum nec Codex ullus, nec verſio antiquior præeat, a recepta interpunctione recedere nolim. Confer *Pfeiferi* Obſervata ad Trillerum p. 22. Ceterum alludi hic ad *Jobi* XXXIV. 29. exiſtimat *Crojus* in Obſ. Sacris p. 178. Quo ſenſu Deus hic δικαιῶν appelletur, ex Patribus explicat *Suicerus* in Theſauro Tom, I. p. 915.

Verſ. 34. μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθεὶς) De emphaſi vocis μᾶλλον inſpice Cl. *Wolfburgii* Obſervatt. Sacras p. 383.

ὅς καὶ ἔστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ) Τὸ ἐν idem eſt, quod *ad*, ut ſæpe apud Græcos, v. c. *Ælianum* Var. Hiſtor. II. 25. ἐν Μυκάλῃ *ad Mycalen.* Lege ibi *Perizonium*, & adde Cl. *Alberti* p. 314.

Verſ. 35. Τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ) Hic pro Χριστοῦ duo Codices MSS. legunt Θεοῦ, & ſic *Origenes* lib. I. contra Celſum, *Oecumenius*, *Theophyl.* & edit. Froben. ac Aldina. Sed editis conſentiunt *Chryſoſt.* item *Tertullianus* Scorpiac. c. 13. & ceteri Latini. Itaque cum his faciendum eſt, inprimis cum v. 34. Chriſti facta ſit mentio: Χριστὸς ὁ ἀποθανών. Quæritur vero hic, quis amor ſit intelligendus, utrum ille, quo Chriſtus fideles, an quo fideles Chriſtum complectantur? Prius Interpretes noſtrates, quos ſciam, omnes, & e reliquis potiores, ut *Grotius* &c. malunt, poſterius vero eruditiſſimo *J. H. Majo* in Obſſ. Sacris lib. II. p. 127. & Cl. *Heumanno* in Pœcile Tomo. I. lib. III. p. 461. placuit. Utrumque, h. e. amorem tum *paſſive* tum *active* talem (liceat ita loqui) conjungendum cenſuit *Eraſmus Schmidius* ad h. l. Cl. *Majus* non contemnendis argumentis pro ſua militat ſententia: *Si de divina*, inquit, *natura loqueretur Paulus, diceret profecto,* τίς Θεὸν χωρίσει: *at nunc de ſe piisque omnibus pronunciat fide plena:* τίς ἡμᾶς χωρίσει; *Deinde nullo prorſus modo ad ſummum Numen referri queunt prædicata, fames, nuditas, perſecutio, periculum, alia: nam his mortales ab amore adverſus Deum haud raro avelli novimus. Tum & vim amoris Dei erga nos antea deſcripſerat, ſubjiciens nunc, quid a nobis exigatur, amor ſcilicet, nec ignes nec ſaxa metuens. Totius inſuper orationis ſtructura talem poſtulat ſenſum. Unde ex Davide ad Deum orante hæc profert:* ἕνεκά σου θανατούμεθα &c. *Quo fine uberiorem* v. 38. ſeq. *adornat catalogum adverſariorum ac diſcriminum, a conſtanti amatore Chriſti, virtute ejus potenti ſuperandorum, ſic ut nequeant* ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ. Habere tamen mihi videor non levia, quæ ad hæc reſpondeam. Primum quidem idem eſt, ſive Deum a nobis, ſive nos a Deo ſeparari dicas. Vox enim *ſeparandi* relativa eſt, & in utramque partem idem infert. Interim hominum potius in ſeparatione illa h. e. ſubtractione amoris divini in eos, mentionem, quam Dei fecit, quia hominum, non Dei, intereſt, eam non fieri. Deinde prædicata, *fames, nuditas* &c. ita quidem in Deum non cadunt, ut amorem ejus a parte ipſius in homines interver-

tervertere poſſint; ſed ita tamen cadunt in homines, ut hos dubios de amore Dei facere, atque adeo ipſis perſuadere queant, ſe ſibi ſolis relictos eſſe, atque adeo Deum ab ipſis ſejunctum. Hanc vero perſuaſionem ex animo ipſis evellere inſtituebat Apoſtolus, certos eos faciens de amore Dei, donatione filii ita manifeſtato, ut de vita æterna dubitare non debeant, etiamſi mille calamitatum fluctibus in hac vita obruantur. Deum enim ſemper a partibus ipſorum ſtare, nec unquam ab illis divulſum iri, aut permiſſurum eſſe, ut ab adverſario quocunque ſuperentur. Porro Apoſtolus vim amoris divini in nos omnino in ſuperioribus deſcripſerat, eo inſtituto, ut appareret credentibus, certiſſimam eſſe vitæ æternæ, quæ ipſos maneret, ſpem. Hujus autem ſpei fundamentum cum noſter in Deum amor, tanquam qui tanto bono longe inferior eſt, eſſe non poſſit, patet omnino de eo Apoſtolum hic non cogitaſſe, atque adeo non docere voluiſſe, quid Deo pro tanto amore debeamus, quam quid ab eo inpoſterum exſpectare poſſimus. Quæ denique ex Davide verba afferuntur a Paulo, ea probant tantum, fidelibus calamitatum nubem non minus nec imminere, quam olim. Quæ vero ſequuntur: ἀλλ' ἐν τȣ́τοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τȣ̃ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, illa noſtram ſententiam omnino confirmant. De triumpho enim hic gloriatur Apoſtolus ab omnibus calamitatibus reportando, eum vero non repetit a vi ſui in Deum amoris, ſed a virtute ejus, qui ſe dilexerit, h.e. a Chriſto, qui ſcilicet in ipſo, & aliis ſuis ſimilibus fortior futurus ſit omnibus illis, qui foris ſe opponant. Hinc Paulus non dicit, διὰ τὸν ἀγαπήσαντα, *propter eum, qui nos amavit*, tanquam cujus amor activus id in ſe efficiat, ſed διὰ τȣ̃ ἀγαπήσαντος, *per eum, qui nos amavit*, ut qui ſua ſuos amantis & foventis virtute id ſit effecturus. Statuit denique Vir doctiſſimus, amorem Dei, qui ſit in Chriſto, v. 39. itidem de amore hominum in Deum accipi debere. Id autem vereor, ut multis perſuadeat. Nuſquam video in Sacris literis homines dici Deum amare in Chriſto. At Deus Pater homines amat in Chriſto, tanquam qui homines cum ipſo reconciliavit, & pacem reſtituit. Hinc Apoſtolus *Eph.* I. 6. meminit τῆς χάριτος ἀυτȣ̃, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Quod ſi igitur h. l. amor Dei de eo, quo Deus nos proſequitur, accipi debet, quod puto evictum; non crediderim de v. 35. aliter judicandum eſſe, cum utrinque eadem phraſi negetur, *ſeparari nos poſſe ab amore Dei.* Afferemus tandem in hanc ſententiam, quæ *Phil. Limborchius* in Comment. ad h. l. ſummatim complexus eſt. *Certum eſt*, inquit, *hic intelligendum amorem Dei & Chriſti, non quo nos Chriſtum, ſed quo Chriſtus nos diligit. De eo enim amore hactenus in præcedentibus egit v.* 19. *&* 30. *qua nempe Deus eos jam ante decrevit approbare & amare; qui facit, ut eos juſtificet, & glorificaturus ſit; qui cauſa eſt, quod Chriſtus pro ipſis mortuus ſit; de quo etiam in ſequente v.* 37. *loquens, ait*, ſuperamus per eum, qui nos dilexit: *quem etiam*, v. 39. *vocat* charitatem Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu: *Qua deſignari nequit charitas, qua nos Deum, ſed qua Deus nos diligit, ut ibi oſtendemus. Adde, quod enuntiationis hujus ſubjectum nos, uti jam aliquoties obſervavimus, ſupponit, nos jam diligere Deum, & ex dilectione Dei nos officio noſtro recte fungi.*

Verſ.

Verſ. 35. Θλῖψις, ἢ ϛενοχωρία, ἢ διωγμὸς, ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα;) Hæc ita ſummatim explicat *Jo. Arrowſmith* in Tacticis Sacris p. 277. *Interdum enervata fuerunt iſthæc omnia in eorundem Chriſtianorum capita per tyrannos adverſus modo natam Eccleſiam ſævientes. Ut inter triturandum ictu multiplici teruntur grana, ſic illi multiplicatis afflictionibus: id* θλῖψις *innuit. In eas conjecti ſunt anguſtias, ut neſcirent, quo ſe converterent, id eſt,* ϛενοχωρία. *Solum tamen vertere coacti ſunt: id ſignificat* διωγμὸς *hic ſecundum Piſcatorem, tyrannicam ſcilicet violentiam eorum qui pios in exilium exegerunt, ut iis nunquam tuta ſedes fuerit. In exilio conſtituti famem cum nuditate paſſi, & exinde periculum. Tandem gladio percuſſi ſunt.* Per μάχαιραν hic non *gladium*, ſed *ſeceſpitam*, ſeu cultrum Hebræorum ſacrificialem innui contendit Cl. *David Millius* in differt. de Cauſis odii Judæos inter & Samaritanos, Corollario IV. inprimis ideo, quod συνάφεια textus v. 36. collati cum Pſal: XLIV. 23. id requirere videatur. Magnifica ſed imaginaria Gentilium philoſophorum effata de intrepido ſuo adverſus omnia pericula animo producit Picinellus in Luminibus Reflexis p. 689.

Verſ. 36. Καθὼς γέγραπται, ὅτι ἕνεκά σου θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν) Verba ſunt Davidis Pſ. XLIV. 23. quæ cum Hebræo prorſus conſpirant, ceu Cl. *Surenbuſius* oſtendit in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 451. ac præterea obſervat, dici hic ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς per alluſionem ad oves ſacrificiis deſtinatas, quæ non per aliquam diei horam, ſed per integrum diem ab oriente Sole uſque ad illius occaſum in atrio tabernaculi vel templi mactatæ ſint, ceu ex legibus in Levitico de ſacrificiis latis & ex Codice *Tamid*, qui de jugi ſacrificio agit, conſtat. Confer doctiſſimi *Jo. Grammii* Diſput. II. de V. T. verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 30.

Verſ. 37. Ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν) Τὸ ὑπερνικῶμεν *Beza* hic vertit per: *amplius, quam victores ſumus.* Cyprianus olim: *ſupervicimus.* Similiter *Arrowſmith* l. c. p. 277. *plus quam victores ſumus, egregie ſeu excellenter ſuperamus.* Viciſſim in vocula ὑπὲρ efficaciæ quidquam quærendum eſſe negat Cl. *Jo. Alberti,* Obſſ. Sacrar. p. 314. ſed Græcum illud cum Belgico *overwinnen,* cui noſtrum überwinden prorſus convenire putat, confert, adeoque verti vult ſimpliciter cum *Eraſmo* per *ſuperamus,* aut Caſtellione per *exſuperamus,* quod & Gloſſæ faciant. Enimvero Caſtellio ipſe, compoſito verbo hic utens, emphaſin indicaſſe mihi videtur, quam abeſſe hic non crediderim. Neque Græcum ὑπερνικᾶν comparari abſolute poteſt cum Belgico *overwinnen,* aut vernaculo noſtro überwinden, quia ſimplex *winnen* vel winden, non habet militarem illam *vincendi* notionem, quæ tamen competit, Græco νικᾶν, ut proinde Apoſtolus, compoſito utens verbo, aliquid amplius innuere voluiſſe merito exiſtimetur. Idem quoque ex eo conſtat, quod in ſequentibus majora, quam in ſuperioribus obſtacula commemoret, ita, ut nec illis inferiores ſe fore perſuaſus ſit. Ex eo vero conſequitur, *multo magis* fideles ea eſſe ſuperaturos, quæ v. 35. commemorata fuerunt. Conſtat denique, Apoſtolum amare verba præpoſitioni augenti ὑπὲρ

juncta, ceu recte *Grotius* monuit ad *Roman.* V. 20. ut ὑπερεκλείνω, ὑπερεκχύνομαι, ὑπεραίρομαι, ὑπερπιστεύομαι, ὑπερπλεονάζω. Neque tamen ullo horum verborum utitur, ubi efficaciæ exprimendæ occaſio non ſit in promtu. Auctor Anonymus in Actis Eruditorum Lipſienſibus Lat. Tom. X. Supplementorum p. 10. eandem emphaſin verbo huic vindicaturus ad *Ælianum* provocat, ſimilibus verbis itidem efficaciter uſum, v. c. XII. 49. ὑπερθαυμάζει τὸν ἄνδρα XIV. 14. ὑπερασπάζεται τὸν ἄνδρα, II. 27. ὑπερβάλλουσα σπουδή. Locum *Ariſtophanis*, quem vir doctus attulit, nihil ait probare. Jaculatorem enim, qui alios ſuperet, vel uno puncto vincere: nos vero per eum, qui dilexerit nos, vincere & omnes creaturas, & omnibus punctis vel modis. Excepit ad hæc nonnulla Vir doctus in præfatione ad Periculum Criticum, quibus tamen in eodem Supplementorum Volumine p. 371. occurritur. Pro eadem hac cauſa pugnat etiam Cl. *Sigmund. Baſellius* de Interpretatione N. T. ex Patribus Apoſtolicis p. 21.

Ceterum excellentis hujus victoriæ momenta *Jo. Arrowſmith* in Tacticis Sacris pag. 277. in eo poſita putat, quod primo quidem Chriſtiani etiam morientes carnifices ſuos, nullis ſcilicet doloribus victi, nullo fracti metu, vicerint. Ita enim *Lactantius* lib. V. c. 13. *Noſtri, ut de viris taceam, pueri & mulierculæ tortores ſuos taciti vincunt & exprimere illis gemitum nec ignis poteſt.* Deinde, quoniam victores evadunt abſque aliquo damno notabili, inſtar auri, quod in fornace non niſi ſcoriam amittit. Tum, quod præter victoriam ingens aliquod lucrum reportant, & opimis ſpoliis, ſanctitatis ſcilicet & juſtitiæ, onuſti redeunt. *Hebr.* XII. 10. 11. Enimvero victoriam illam ad alia refert *Limborchius* Commentar. ad h. l. quam ſcilicet in eo conſiſtere vult, quod Chriſtus, qui nos dilexit, nos ex morte reſuſcitaturus eaque gloria honoraturus ſit, cum qua omnes hujus ævi adflictiones comparari nequeant. At hoc ipſum momentum ceterorum, quæ antecedunt, ſupplementum & pondus eſſe exiſtimaverim.

Διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς,) h. e. *non propter*, ſed, *per eum, qui nos amavit*, i. e. amavit, & amat, & amaturus eſt. Aoriſti enim forma, quæ hic exſtat, in ejusmodi argumentis nullum tempus excludit. Infertur autem hic fundamentum, cur credentes a calamitatibus non ſuperentur, nempe amor Dei conſtans & efficaciſſimus, quo adducatur, ut adflictis præſto ſit, animum illis addat, patientiam firmet, calamitates temperet, &c. Conf. 1. *Pet.* V. 10.

Verſ. 38. 39. Πέπεισμαι γὰρ) Utrumque hoc comma explicat diligenter B. *Lütkenius* in Concionibus Funebribus num. XVIII.

Verſ. 38. Οὔτε ἄγγελοι) Angelos hic alii *bonos*, *malos* alii intelligunt, alii *utrosque*. *Bonos* ex Patribus nonnulli, eo ſenſu, quod, ſi unquam evenire poſſet, ut Angeli credentes abſtrahere conentur, vel ſic tamen conatus eorum omnis inanis ſit futurus. Similis phraſis exſtat *Galat.* I. 8. Loca eorum vide apud *Svicerum* in Theſauro Eccleſ. Tom. I. p. 47. Utroſque, & *malos* & *bonos*, ſiquidem in hos tale quid cadere poſſet, intelligit *Joh. d'Outrein*

in Biblioth. Bremenſi Claſſ. II. p. 84. *Malos* tantum ſpectari exiſtimat *Grotius*, & noſtratium Theologorum plerique, nominatim *Lutkenius* l. c. Ego mediam illam malim amplecti ſententiam, inprimis cum mors & vita, h. e. malum & bonum antea in eodem indice commemorentur, ac præterea ἀρχαὶ & δυνάμεις tum de bonis *Epheſ.* I. 21. tum de malis Angelis, *Epheſ.* VI. 12. dicantur. Interim per ſe patet, prædicatum hoc in malos angelos proprie & ſimpliciter, in bonos vero tantum hypothetice cadere. Confer Patrum effata apud *Svicerum* Tom. I. p. 47.

Οὔτε ἀρχαὶ, ὔτε δυνάμεις) Voces has plerique ad angelos ante commemoratos recte referunt, tanquam qui iisdem nominibus alias quoque in N. T. inſigniantur. Judæos quoque Angelos כחות של מעלה *poteſtates* ſeu *virtutes ſuperiores* vocare ex *Jalkut Chadaſch* fol. 89. col. 4. oſtendit *Jo. Andr. Eiſenmengerus* in Judaiſmo detecto Part. II. p. 377. quemadmodum doctores Eccleſiæ Græci & Latini eosdem frequenter δυνάμεις *virtutes*, ſeu *fortitudines* ſeu *poteſtates* appellant, quod allatis locis evicit Cl. *Elsnerus* p. 42. Ex diverſis itaque his Angelorum nominibus intelligitur, varios eorum eſſe ordines & claſſes. Judæorum de illis ordinibus ſententias leges apud *Bartoloccium* in Bibliotheca Rabbin. Magna Tom. I. p. 267. ſq. *Hoornbeckium* de convincendis Judæis lib. I. c. 4. *Cregutum* in Revelatore Arcanorum p. 672. ſq. *Sal. van Til* in Phosphoro Prophetico ad Deuteron. XXXII. 17. *Patrum* hanc in rem loca lege apud *Petavium* in Dogmatibus Theologic. Tom. III. lib. II. p. 55. ſqq. *Gentiles* quoque ſimile quid tradidiſſe præter alios obſervat *Pfannerus* in Syſtemate Theolog. Gentilis cap. VI. p. 185. Confer, quos de omni hac cauſa Scriptores commemorat Cl. *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria p. 277. Nuperrime de diverſis illis Angelorum ordinibus conjecturas quasdam ſuas attulit *Jo. Reynolds*, Anglus, in Diſputationibus de ſtatu & œconomia mundorum Angelicorum, Anglice Lond. 1723. 8. editis, Quæſt. II-VII. Compara Bibliothecam Anglicanam Tom. XII. Part. I. p. 224. ſq.

Ad noſtrum inſtitutum propius facit diſputatio, utrum per ἀρχὰς & δυνάμεις ad Angelos an Magiſtratus potius inter homines, Chriſto & Chriſtianis contrarios, reſpiciatur. Dubius hic hæret *Limborchius* in Comment. ad h. l. *Poſſunt,* inquit, *per principatus & poteſtates intelligi eminentiores inter Angelos malos, ut Epheſ. VI.* 12. *vel Principes & Magiſtratus, quorum auctoritate & potentia mali angeli abutuntur, quique malis angelis tanquam inſtrumenta inſerviunt, ad perſequendam Eccleſiam.* Dubius quoque eſt Cl. *Elsnerus* p. 43. ubi ἀρχὰς καὶ δυνάμεις ab externis Scriptoribus de *magiſtratibus* adhiberi oſtendit. Quod illi dubitanter, id ut certum aſſerit Cl. *Jo. Jac. Huldricus* in Concionibus quibusdam vernaculis Tiguri 1718. 4. editis. Ita enim p. 55. in concione ſuper h. l. per ἀγγέλȣς *dæmonas*, per ἀρχὰς vero primates Judæorum, per δυνάμεις denique *Reges* gentium præcipue in Imperio Romano, intelligit. Ex noſtratibus B. *Godofred. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. per ἀρχὰς & δυνάμεις itidem homines intelligit, qui cum auctoritate inter Judæos ſint verſati.

 Sed

Sed ſubtilius hæc mihi ita cogitari videntur. Quemadmodum enim alias, ubi angelorum ll. cc. mentio fit, ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι, tanquam ad angelos pertinentes, commemorantur, ita idem h. l. innui non puto inficiandum. Atque id mihi hoc magis perſuaſum eſt, quod ὕψωμα & βάθος v. 39. ad homines vel eminentioris, vel depreſſioris auctoritatis, deſignandos pertinere videtur. Et ſic Apoſtolus nihil omiſit eorum, quæ amorem Dei credentibus dubium facere, & ab eo avellere poterant. A *rebus* enim hujus vitæ, *morte & vita*, ad *Angelorum* diverſos ordines, ab his ad *tempora* diverſa, hinc ad *homines* vel ſummos vel infimos progreditur, tandemque omnia, quæ in cenſum hunc venire poſſint, per κτίσιν ἑτέραν complectitur. Per ὕψωμα B. *Olearius* loco modo citato homines in ſumma auctoritate conſtitutos putat indicari.

Verſ. 39. Οὔτε τις κτίσις ἑτέρα) Vocem κτίσις latiori ſenſu hic ſumi facile patet. Confer tamen *Wolfburgii* Obſervationes Sacras p. 357.

Δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ) i. e. nihil rerum commemoratarum efficiet, quo minus Deus nos diligat, aut nos amoris ejus effecta in nobis non ſentiamus. Vel ſic enim excitabimur aliquando per gratioſam Numinis potentiam ex mortuis, ut illa fruamur beatitate, quam Chriſtus nobis promeruit apud Patrem, ut bonorum ejus, tanquam Patris noſti heredes, Chriſti autem coheredes efficiamur. De amore Dei in fideles, non vero horum in Deum ſermonem hic eſſe ad v. 35. oſtenſum eſt.

CAP. IX.

Ad totum hoc caput ex noſtratibus legi poſſunt Anonymi auctores des frey-willigen Heb-Opfers Part. II. p. 815. ſqq. Theologi Gieſſenſes Tom. I. Diſputatt. p. 772. ſq. *Juſtus Feurbornius* in Diſſ. ſuper hoc caput, Gieſſæ 1652. 4. *Dav. Rungius* in Analyſi hujus capitis, *Jo. Schræderus* in Analyſi ejusdem, Swinfurti 1708. *Steuberus* in Exercitatt. Biblicis p. 28. ſqq. *Wolfg. Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ, p. 341. *Frideman. Bechmannus* in Sciagraphia hujus capitis, Jenæ 1697. *Nic. Paulus Skandorfius* in Diſſertationibus tribus de rejectione Judæorum & adoptione gentium, Hafn. 1643. *Jo. Binchius* in Expoſitione vernacula ſub tit. Stein des Anſtoſſes, Gieſſ. 1660. 4. *Jo. Fabricius* in Paulo, ut præcone electionis inculpabili, Lemgov. 1677. 12. *Jo. Wincklerus*, Theologus noſtras præſtantiſſimus, in der Erklärung der ſchwerſten verſicul des IX. Capitels, quæ Conſiderationibus ejus variorum Scripturæ locorum Hamburgi 1697. 8. editis, ſubjecta eſt, & *Phil. Jac. Spenerus* in Explicatione hujus capitis, Rupini 1708. edita. De illa *Winckleri* expoſitione lege Unſchuldige Nachrichten an. 1703. p. 670. quam in ſequentibus, utpote egregiam & rarius obviam ſæpius ad partes vocabimus. His poſtea acceſſerunt *Samuel Waltherus* im Verſuch einer richtigen Erklärung des IX. Capitels an die Römer, Magdeb. 1725. 4. cui parum tribuit Cl. *F. J. Reimannus* in Catalogo Bibliothecæ ſuæ Theologicæ Syſtematico-Critico

tico Part. I. p. 308. *Pet. Wichmannus* in Expoſitione vernacula Hamburgi 1721. 8. Rev. L. *Godofredus Kohlreifius* in Prolegomenis ad commentationem vernaculam: **Bericht von der Calviniſten Lehre aus der Mecklenburgiſchen Kirchen-Ordnung**, Hamb. 1722. 4. B. *Gerh. Meierus*, Theologus quondam & Antiſtes Bremenſis, **in der Catechetiſchen und Schrift-mäßigen Erklärung des** IX. **Capitels**, cui egregia Rev. *Erdmanni Neumeiſteri*, Collegæ amiciſſimi, præfatio præmiſſa eſt, Hamburgi 1726. 4. Cl. *Neumannus* in Pœcile Tom. I. lib. III. num. IX. nec non Rev. *Guſtavus Georgius Zeltnerus* in Diſp. de abſoluto decreto Evangelico ex hoc capite adſtructo, cui oppoſita eſt *Liſſei* Conſideratio illius diſſertationis Hamb. 1726. 4. Ex noſtratibus eſſe videtur Anonymus, cujus **vorſichtige Erklärung** in hoc caput, tanquam ex Latino Germanice converſa an. 1708. 4. ſine loco notato prodiit. Is inter cetera contendit, electionem hominum univerſalem eſſe, reſpectu Satanæ ſcilicet, qui in paradiſo penitus ſit rejectus: eam vero eſſe factam nec reſpectu operum, nec reſpectu fidei præcognitæ, ſed reſpectu *aptitudinis*, ſecundum quam omnes & ſinguli homines fide donari poſſent.

Inter *Anglos*, *Daniel VVhitbius* quatuor diſſertationibus, ſeorſim editis, caput hoc illuſtrandum ſibi ſumſit Londin. 1710. 8.

Ex *Reformatis*, quos hic cautiſſime conſulendos eſſe conſtat, huc pertinent *Seb. Caſtalio* in Commentatione de Prædeſtinatione & Juſtificatione ſeorſim edita in 8. *Jac. Batalerius* in Jacobo & Eſavo, ſive explanatione veri ſenſus hujus capitis, belgice Hagæ 1644. 8. excuſa, & poſtea Germanice converſa, quam alio libello belgico, *Helder licht* inſcripto, & *Roterod.* 1646. edito, adſtruere conatus eſt. Idem *Jo. Georg. Thomæ* adverſarium nactus in libro vernaculo, *Hanoviæ* 1663. excuſo, librum illum cum præfatione ſua apologetica Amſtelod. 1664. 12. recudi fecit. Omitto alios, ubi addidero *Jo. Coccejum* Tom. II. Operum Poſthumorum p. 494. ſqq.

Ex *Arminianis* ipſius *Jac. Arminii* Analyſis hujus capitis, Lugd. Batav. tum alias, tum 1629. 4. edita in Operibus ejus extat, quam ſub examen vocavit *Jac. Larenus* in Reſponſione Medioburgi 1616. 8. edita, qua de re lege B. *Jo. Frid. Mayeri* Diſput. de hiſtoria Arminianiſmi cap. II. *Arminio* jungendus eſt *Simon Epiſcopius* Tom. I. Operum, p. 394. ſqq.

Verſ. 1. Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ) i. e. *per Chriſtum*, quaſi illum teſtem advocet, tanquam per quem juret, & hoc confirmet. Sic 1. *Tim.* V. 21. διαμαρτύρομαι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καὶ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ & *Epheſ.* IV. 17. μαρτύρομαι ἐν Κυρίῳ. Et quemadmodum ſic ad Chriſtum provocat, ita non minus ad conſcientiam ſuam, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεως, ubi nolim τὸ συμμαρτυρεῖν pro ſimplici μαρτυρεῖν accipere. Conf. ad VIII. 16. *Jo. Clericus* in Biblioth. Vetere & Nova Tomo I. Part. II. p. 361. τὸ ἐν Χριστῷ vertit: *en Chretien*, i. e. veritatem dico, ut probus & candidus Chriſtianus: addita hac ratione, quod *eſſe in Chriſto*, & *eſſe Chriſtianum* idem ſit. Mihi quidem juris jurandi ſpeciem hæc formula referre videtur, quemadmodum & verbum ὀμνύειν cum præpoſitione

tione ἐν conjungitur *Matth.* V. 34. *Guſſetius* in Lexico Hebraico p. 76. Paulum putat alluſiſſe ad formulam aſſeverationis, Chriſto Domino noſtro receptam, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, quam ille quidem ita interpretatur, ac ſi diceretur: ἐγὼ ὁ ἀμὴν vel ἐγὼ ὁ ἀμὴν ὁ πιςὸς λέγω ὑμῖν. Idem p. 380. τὸ ἐν Χριςῷ exponit *per Chriſtum,* ſenſu jurantis, ut ſit: *dicendo per Deum dico veritatem.*

τῆς συνειδήσεως ἐν Πνεύματι ἁγίῳ) Vide *Joſ. Medi* Opera p. 118.

Verſ. 3. Ηυχόμην γὰρ ἀυτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τȣ̃ Χριςȣ̃) Comma hoc tum ratione mentis Paulinæ, tum reſpectu anathematis variorum ingenia exercuit, quorum potiores hic appellabimus. Antiquæ Eccleſiæ Doctorum ſententias collegit *Svicerus* in Theſauro Eccleſiaſt. Tom. I. p. 270. Ex noſtratibus inſpici poſſunt *Jo. Gerhardus* in Harmonia Paſſionali cap. 170. *Mayerus* in Muſeo Miniſtri Eccleſiæ Parte I. p. 338. *Dorſcheus* in Theologia Morali §. 244. *Dilherrus* in Diſputatt. Academicis Tom. I. p. 733. & Tom. II. p. 435. *Maſius* in Commentatione vernacula de abnegatione ſui ipſius p. 340. ſqq. *Spenerus* in reſponſis Theolog. German. Part. II. p. 65. & 140. *Buddeus* in Inſtitutionibus Theolog. Moralis p. 207. *Læſcherus* in libro Stromatum p. 37. *Deylingius* in Obſervatt. Sacris Part. II. p. 378. & nonnihil auctius in edit. repetita p. 495. ſqq. *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 187. & 857. & *Starckius* p. 119. Notarum Selectarum in epiſt. ad Hebræos & Romanos. Omitto plures alios a *Dieſenbachio* in Judæo Converſo p. 34. citatos.

Ex *Reformatis* conſulendi inprimis fuerint *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 585. *VVitſius* in Exercitat. de votivo anathemate Pauli, quæ exſtat Tomo II. Miſcellan. Sacror. p. 53. ſqq. *Elias Saurinus* in Tractatu Gallico de amore Dei Tom. I. Part. II. (confer Hiſtoriam Operum eruditorum an. 1701. Mart. p. 118. ſqq. & Acta erudit. Lipſienſium Latina 1701. p. 501.) *Jo. Placette* in Diſſertationibus Gallicis de diverſis capitibus moralibus (computa Nova Reipublicæ Literariæ Bernardina an. 1704. Januar. p. 44.) *Joncourtius* in Epiſtolis Criticis gallice editis p. 305. (quarum ſummam habes in Actis Erudit. Lipſ. an. 1716. p. 447.) *Jo. Jac. Hottingerus* in Exercit. de Anathemate Paulino, Tiguri 1710. 4. *Jac. Nylöe* in Schriftuurliicke Aanmerkingen lib. I. p. 38. ſqq. & in Redevœringen p. 158. & *Jac. Elsnerus* in Obſervatt. p. 44.

Ex *Anglis* huc pertinent *Rob. Gellus* in Reliquiis Anglice editis p. 112-118. *Seldenus* de Synedriis p. 146. & 150. *Jo. Lightfootus* in Operibus Anglice editis Tom. II. Part. II. p. 1293-1302. concione ſingulari, & *Jo. Arrovvſmith* in Tacticis Sacris p. 269. ſqq.

Ex *Pontificiis* denique *Jo. Steph. Menochius* in Tractatibus eruditis Italice editis Parte II. p. 294. ſqq. *Rich. Simon* in Biblioth. Critica Tom. IV. ep. XLV. & *Nervetus,* Medicus, in epiſtola ſuper locis quibusdam difficilioribus N. T. quæ exſtat in Continuatione Memoriarum Literar. Sallengrii, Tomo III. Part. I. p. 166. Jam verba ipſa ſigillatim perſequemur.

Verſ. 3. Ηυχόμην γὰρ ἀυτὸς ἐγὼ) Hoc nonnulli per *optabam* cum Vulgato, *Cypriano* lib. II. Teſtimon. adverſus Judæos p. 37. *Pſeudo-Hieronymo* ſive *Pelagio,*

& *Ca-*

& *Cajetano* (de quibus *Heumannus* loco mox citando) vertendum cenſuerunt, & ad ea tempora referendum, quibus Paulus ut Phariſæus in honorem Judæorum optarit Chriſtum deteſtari, & a ſe procul ſpernere. In hanc ſententiam olim ſe propendiſſe teſtatur *Coccejus* in Operibus Poſthumis Tom. II. p. 620. a Idem probat *Ludov. Ellies du Pin* in libro ſingulari de amore Dei gallice edito p. 176. ſq. Atque ita quoque Cl. *Herzogius* in Obſervatt. de Interpunctionum poſitu in epiſt. ad Romanos 11. hæc παραφράζει. *Optabam enim ipſe ego, qui hæc de flagrante Chriſti amore protuli, ut anathema eſſem a Chriſto (tanquam exſecrabilis homo ab ipſo rejectus & nunquam ab ipſo recipiendus) ex nimio ſtudio erga meos fratres juxta carnem.* Sed hanc verbi interpretationem nec linguæ ratio, nec ſcopus Apoſtoli admittit. Non illa: nam idem illud ηὐχόμην eſt, ac ſi ſcriberetur: ηὐχόμην ἂν, quæ conſueta optativi forma eſt. Illa vero particula ἂν interdum omittitur, ut *Actor.* XXV. 22. ἐβουλόμην καὶ αὐτὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀκοῦσαι, h. e. *vellem & ipſe hunc hominem audire.* Simile exemplum ex Ariſtophane ad h. l. attulit *Eraſmus Schmidius.* Is enim ita: ἰδὼν ἐπειθόμην, pro ἐπειθόμην ἂν, h. e. *ſi vidiſſem, crederem.* Ellipſin particulæ ἂν etiam alias occurrere, idoneis veterum exemplis commonſtrat eruditus Anonymus in Collectione Nov-antiquorum Theologicorum anni 1730. pag. 82. Eundem ſenſum h. l. poſtulat Apoſtoli ſcopus. Is ſcilicet non volebat teſtatum facere, quo olim amore in Judæos, tanquam fratres ſuos, ductus fuerit, ſed potius ſignificare, quo animo in ipſos adhuc eſſet. Ideo v. 2. triſtitiam memorat, qua adhuc prematur, ſcilicet ex eo, quod videat, Judæos, tantopere ſibi adhuc dilectos, judicio divino graviſſimo obnoxios eſſe. Cauſam præterea gravem habebat Apoſtolus, cur Judæos in re præſenti de amore ſuo & ſtudio certos redderet, veritus ſcilicet, ne, quæ vel ante in eos dixerat, vel inpoſterum graviter expoſiturus erat, non tam ex rei veritate, quam ex animo hoſtili profecta eſſe ſuſpicarentur.

Nuper Cl. *Heumannus* in Pœcile Tomo I. lib. III. pag. 461. hanc interpretationem non exigua veri ſpecie induere inſtituit, quam propius nunc intuebimur. Eam ſcilicet putat pendere & requiri a nexu cum capite ſuperiore, in cujus fine Paulus ſuum erga Deum & Chriſtum amorem ut ingentem repræſentarit, ea vero occaſione in animum ſibi revocarit priſtinum ſuum in Chriſtum odium, & viciſſim ingentem pro Judæis & Judaica religione Zelum, tot documentis *Actor.* VIII. 1. & IX. 12. demonſtratum, ex quo facile conſtet, quæ tum temporis voti ſui ſumma fuerit. Hoc palmarium eſt Viri docti fundamentum, in quo innititur. Hoc autem non contemnendis argumentis ſupra ad v. 35. labefactaſſe, niſi evertiſſe, nobis videmur, arbitrati, non poſſe illum amorem, niſi de eo, quem Deus & Chriſtus in homines demonſtravit, accipi. Cumque p. 466. idem contendat, nullum capitis IX. cum VIII. nexum oſtendi poſſe, niſi hoc admittatur; obſervari velim, eum ex iſta hypotheſi, ſi vel maxime locus illi concedatur, non niſi per ambages demonſtrari. In toto enim cap. VIII. Apoſtolus prærogativas non ſibi proprias, ſed juſtificatis omnibus communes, ediſſe-

rit,atque hinc efficit,fideles ab amore Dei avelli non poſſe. Hæc eſt ſumma totius capitis,quod commemoratione amoris Dei clauditur. Num,quæſo te,veriſimile eſt, Paulum in tam gravi argumento, cum ſingulari animi lætitia, reſpectu omnium juſtificatorum,verſantem, ad ſe unum nunc divertere, & priſtini in Chriſtum odii amoriſque & affectus in Judæos recordari. Viciſſim longe expeditius illi hic verſantur, qui exiſtimant, Paulum, expoſita doctrina de Juſtificatione coram Deo, eo nunc proficiſci, ut oſtendat, quomodo factum ſit, ut ea gratia aliiſque prærogativis Judæi exciderent.

Nec cauſa præfationis hujus, quam Vir doctiſſimus p. 463. reddit, liquida mihi videtur. Eam enim ideo putat præmiſſam ſequentibus, *ut certiorem hujus rei fidem faceret Romanis, difficilius credituris, Paulum, tam acrem cultorem Chriſti, ejus olim fuiſſe hoſtem acerbiſſimum*; *partim, ut majorem in lectoribus excitaret exſpectationem & effectum.* Poſterius hoc ad communem illam & modo a nobis propugnatam interpretationem æque facile accommodari poteſt: prius vero non ſit veriſimile, cum nihil omnino vel Romanorum vel cauſæ, quam acturus erat Paulus, intereſſet, ſcire aut credere, qualis olim Paulus fuerit.

Urget præterea particulam γὰρ v. 3. eaque putat indicari originem doloris & mœſtitiæ Paulinæ, v. 2. memoratæ, quia ſcilicet *optarit* aliquando, ſe a Chriſto eſſe anathema. Non puto equidem, Paulum hoc crimen, quod jam dudum ſibi condonatum norat, ita in animum revocaſſe, aut revocare potuiſſe, ut triſtitia tanta eaque *continua* & perpetua vexaretur. Hoc pugnare videtur cum illa animi tranquillitate, quæ ex παῤῥησίᾳ fidei, Chriſti merito innixæ, oritur. Paulus alibi, 1. *Tim.* I. 13. ejuſdem peccati ſui mentionem faciens, miſericordiam Dei & gratiam Chriſti lætus prædicat, quæ ſibi ex ignorantia ita olim agenti ſit facta.

Non neceſſe erat, quod viro docto viſum eſt p. 464. ut Paulus hunc in finem ſcriberet in præſenti, *optare ſe.* Nam ſi interpreteris per, *optarim enim*; patet, & præteritum & præſens tempus, h. e. animi Paulini conditionem & affectum in miſeros Judæos conſtantem & perpetuum complecti.

Sed excipitur eadem pagina, de ſalute Judæorum ne verbulum quidem in textu haberi. Reſponderim ego,nec verbulum de ſtatu Pauli priſtino, in quo a Chriſto alienus erat,ibidem exſtare,atque adeo parem utrinque eſſe rationem. Quod igitur vir doctus ex forma verbi ηὐχόμην, de qua tamen adhuc diſputatur,& ex particula γὰρ aſſequi ſe poſſe putat,id communioris interpretationis patroni ex ſubſtrata materia felicius, & rectius deducere ſe poſſe merito exiſtimant,inprimis cum Apoſtolus cap. X. 1. diſerte ardentiſſimum votum ſuum,& preces,ad Deum pro ſalute Judæorum fuſas,diſerte commemoret. Taceo,phraſin illam ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν Paulinum deſiderium ſalutis Judæorũ ſatis exprimere. Illud γὰρ vero æque commode effectum triſtitiæ illius,ex calamitate Judæorum ſpirituali Paulo obortæ,inferre poteſt,quam *cauſam* ſignificare, unde illa orta ſit. Eadem triſtitia ut perpetua & ἀδιάλειπτος repræſentatur, quia cauſa

cauſa ejus, nempe pertinacia & incredulitas Judæorum adhuc durabat. Quæ res ut *peſſima* erat, (vide p. 465.) ita mirum non eſt, eam tantum dolorem Paulo attuliſſe, quantus ex peccatis olim perpetratis, ſed jam per Chriſtum ſublatis, oriri nec poteſt, nec debet.

At inquis forte, B. *Lutherus* ſimiliter convertit: **ich habe gewünſchet.** Sed idem tamen non aliud voti Paulini objectum ſtatuit, quam pro quo nos pugnamus, nempe ſalutem Judæorum, quam ut jam converſus ad Chriſtum ipſis optarit. Lege, ſi placet, Opera Altenburgenſia Tom. I. p. 375. & II. p. 387. ubi ait: *Amor non tenet modum in bene faciendo & optando, etiamſi res fieri non poſſit: ſicut* (Paulus) *Rom. IX. optat propter Judæorum ſalutem ſe anathema eſſe.* Confer Tom. V. p. 434. Vides utique, B. Lutherum ſibi S. Paulum repræſentaſſe, tanquam qui eo tempore, quo iſta ſcribebat, voto illi ſuo adhuc inhæſerit.

Accedit denique, quod ſignificatus phraſeos ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τȣ͂ Χριςȣ͂, quam vir doctus ex hac hypotheſi amplectitur, locum habere non poſſit, quod paulo poſt oſtendetur.

Quod ſi ad habitum animi Paulini priſtinum reſpici hic poſſet, mallem ſequi Rev. *Zeltneri* veſtigia, qui in notis ad verſionem Lutheri vernaculam votum hoc de eo accipit, quod Paulus fulmine ſacro a Judæis percuti, & ex cœtu eorum expelli, quam honore & auctoritate inter ipſos valere fruique, maluerit, ut Evangelii præconio defungens animabus eorum conſulere poſſet.

Cum itaque rarum ſit, Pauli hoc votum ad eam, in qua tunc erat, conditionem habitumque Chriſtianiſmi pertinere, proximum eſt, ut diſpiciamus, an ita illud comparatum ſit, ut cum voluntate Numinis Supremi, & cum propriæ ipſius felicitatis deſiderio, quod ſibi omnino debebat Apoſtolus, ſtare poſſit. Tale autem fuiſſe alii ex ipſa phraſi ηὐχόμην, h. e. *optarem equidem,* oſtendunt, obſervantes Apoſtolum non dicere, ſe ſimpliciter illud & abſolute optare, ſed *cum conditione,* ſiquidem ſalvo Dei judicio fieri, aut ſi ſalus Judæorum hoc modo parari poſſit. Ita jam olim *Photius* in Epiſtola 216. τὸ ηὐχόμην accipit: Ουδὲ γὰρ εἶπεν, inquit, εὔχομαι χωρισθῆναι, ἀλλ' ηὐχόμην ἂν, τȣτέςιν, εἰ δυνατὸν ἦν, εἰ συνέβαινεν θείω πόθω πόθον ἔνθεον ἐκνικηθῆναι. *Non enim dixit* opto ſeparari, *ſed* optarem h. e. ſi poſſibile eſſet, ſi fieri poſſet, ut deſiderium divinum divino deſiderio vinceretur. Et poſt pauca idem: *Optarem, ſi concederetur, ſi liceret, ſi apoſtaſia aliqua ſalutaris eſſet, quæ cum Deo conjunctionem procuraret.* Atque his veſtigiis recentiorum multi inſtiterunt, v. c. *Robertus Gellus* in Reliquiis ſuis p. 112. qui vertit: *i could wiſh,* optarem, ſi fas aut poſſibile eſſet: item *Lightfootus* in Operibus Anglicanis Tom. II. p. 1297. qui ſubintelligit: *ſi Judæi hoc modo ſalvari poſſent*; tum *Vitſius* in Miſcellaneis Tom. II. p. 80. Ex noſtratibus B. *Glaſſius* in Rhetorica Sacra Tract. I. c. 19. & hyperbolicum & conditionale votum hoc eſſe profitetur. Per voti hyperbolen, *inquit,* immenſum ſuum erga Iſraelitas amorem demonſtrat. Conditionaliter igitur id intelligendum, & hoc moderamine ſenſui Apoſtoli accommodandum eſt, ſi id ſalva pietate liceat. Alioquin unius animæ peccatricis devotione pro innumeris aliis expiationem *velle*

facere

facere, abſonum nimis foret, quia & ignominioſum in Chriſtum, qui ſolus κατάρα & ἀνάθεμα pro nobis factus eſt, Gal. III. 13. 14. *Sed* affectus amantium cum inardeſcit, procedit etiam ad impoſſibilia, *uti Lutherus pie ſentit.* Confer in eandem ſententiam *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. in contrariam autem *V. E. Læſcherum* in libro Stromatum, p. 37. qui, ut hyperbolen in ſacris nusquam, ita nec hic, locum habere cenſet. Tale tamen votum etiam illud Davidis omnino fuit, qui volebat ſe mortuum eſſe pro filio Abſolomo, jam trucidato. Tale etiam Moſis, cupientis, ſe deleri ex libro vitæ, ſive id de æternæ, ſive de præſentis vitæ diſpendio acceperis. Scilicet plerumque optantur ea, quæ ἐκ τῶν ἀδυνάτων eſſe perſuaſiſſimi ſumus, quia ſepoſita conſideratione ejus, quod fieri poteſt, optantis animus unice in rei deſideratæ bonitatem intentus eſt, quæ *Witſii* verba ſunt l. c. p. 78.

Alii Paulinum votum ex genuina notione vocis ἀνάθεμα, quod fieri ſe optabat, æſtimandum & temperandum eſſe, diverſis & ipſi modis cenſent. Obſervant illi, varias olim anathematis ſeu excommunicationis ſpecies inter Judæos fuiſſe, quam in rem legi poteſt *Seldenus* de Jure Naturæ & Gentium lib. IV. c. 8. & alii, quos Volumine I. paſſim ad Evangeliſtas attuli. Hic itaque nonnulli eorum excluſionem tantum *ab Eccleſia Chriſti* Paulum in ſalutem Judæorum imprecari ſibi voluiſſe exiſtimant, ut *Seldenus* de Synedriis lib. I. c. 8. *Hammondus* & *Clericus*, ille ad Paraphraſin ſuam, hic ad verſionem Gallicam N. T. & in Bibliotheca Vetere & Nova Tomo I. Parte II. p. 362. ut ſic ἀπὸ τȣ̃ Χριςȣ̃ idem ſit, quod *extra Eccleſiam* eſſe inſtar ejecti, & ob grave crimen expulſi, ſicut in Chriſto dicatur eſſe, qui in Eccleſia Chriſtiana ſit conſtitutus.

Alii τὸ ἀνάθεμα de ſola hujus *vitæ jactura* accipiunt, ita ut Paulus ignominioſam mortem ſubire ſe velle profiteatur, tanquam homo devotus, & quaſi nihil cum Chriſto commune habens. Sic *Arrowſmith*, cum Hieronymo, in Tacticis Sacris p. 270. *Car. le Cene* in Specimine novæ verſionis Gallicæ p. 456. *Limborchius* ad h. l. & *Jac. Bernardus* in Novis Reipubl. Literar. an. 1704. Januar. p. 45. qui tamen voces ἀπὸ τȣ̃ Χριςȣ̃ idem eſſe vult, quod *a parte Chriſti,* ſeu *ab ipſo Chriſto,* quaſi τὸ ἀπὸ idem h. l. ſit, quod ὑπὸ. Eodem modo *Lockius* in Commentario hæc accepiſſe videtur *Clerico* in Bibliotheca Selecta Tomo XIII. pag. 149. Nec diſcedit *Joncurtius* in Literis Criticis l. c. ut ſcilicet hac morte temporali Chriſtus placetur, & imminentia mala a Judæis removeantur. Nihil aliud, puto, ſibi voluit *Rich. Simon,* in notis ad Verſ. Gall. quando τὸ ἀνάθεμα idem eſſe cenſet, quod *devotum eſſe*, & *inſtar ſcelerati haberi & exterminari.* Separationem *a Chriſto* hic inferri idem negat, ideoque τὸ, ἀπὸ τȣ̃ Χριςȣ̃, idem eſſe cenſet, quod *propter Chriſtum*, quam in rem vide, quæ is tum in præfatione ad Verſ. Gall. tum in Biblioth. Critica Tom. IV. ep. 45. contra aliorum cenſuras affert, ubi nominatim ad τȣ̀ς LXX. provocat, qui particulam ἀπὸ eodem ſenſu induant *Jeſ.* LIII. 8. nec minus ad *Hebr.* V. 7. Sed vide, quæ contra iſtam voculæ ἀπὸ interpretationem recte monet Rev. *Deylingius* Obſſ. Sacr. Part. II. p. 382. Eandem ſententiam nova ratione, mutata ſcilicet interpunctione, ornandam & aſſe-

aſſerendam ſumſit *Paulus Bauldri* in Bibliotheca Novorum librorum an. 1699. p. 385. Vult enim, comma poni poſt voces τῶν συγγενῶν μȣ, & voces κατὰ σάρκα referri ad antecedentia: ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τȣ̃ χριςȣ̃, hoc ſenſu, quod Apoſtolus ſeparatus eſſe voluerit a Chriſto *ſecundum carnem*, ſalvo tamen ſpiritu ſuo ſeu πνεύματι, quo ſenſu inceſtuoſum illum tradiderit Satanæ εἰς ὄλεθρον σαρκός, *ad exitium carnis*, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τȣ̃ Κυρίȣ Ἰησȣ̃ 1. *Cor.* V. 5. Enimvero, ſi vel maxime metatheſin illam locum habere poſſe largiri velimus, aliæ tamen difficultates totam hanc conjecturam premunt, non facile tollendæ. Num enim eum dixeris *ſeparatum a Chriſto*, qui vel morti, vel alii gravi pœnæ aut calamitati ſubjectus eſt? Nonne deinde Paulus alias eadem phraſi κατὰ σάρκα utitur, ubi ipſi de Judæis, ratione ortus & gentis ſibi ſimilibus, ſermo eſt, & ubi hoc modo diſcrimen fidei ac doctrinæ ſubindicatum cupit? Quid enim aliud vult, quando infra cap. XI. 14. ait: εἴπως παραζηλώσω μȣ τὴν σάρκα, καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν. Quid aliud, quando 1. *Corinth.* X. 18. τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα appellat? Denique nemini non convenientius videbitur, Judæos hic συγγενεῖς Apoſtoli κατὰ σάρκα, quam Apoſtolum ἀνάθεμα ἀπὸ τȣ̃ Χριςȣ̃ κατὰ σάρκα dici. Similiter Cl. *Elsnerus* p. 45. *in eorum diſcedit ſententiam, qui Apoſtolum ſua vita redemtam Judæorum in Chriſtum fidem, atque adeo cruentam & acerbiſſimam mortem ſubire cupiviſſe exiſtimant, dummodo Judæi peſtilentiſſimo illo animi vitio & pertinaci errore liberati ad Chriſtum converterentur.* Sic ἀνάθεμα ſæpe de hominibus ad internecionem devotis ait accipi, ut *Deuteron.* VII. 26. *Joſ.* VI. 17. & VII. 12. & in eandem rem illuſtrandam varia ex profanæ antiquitatis monumentis affert, quibus conſtat, homines nonnunquam ad avertenda communia pericula ſe devoviſſe; vitamque ſuam pro aliorum ſalute ſolemni voto obſtrinxiſſe. Nec Judæis hunc loquendi modum ignotum fuiſſe ex Buxtorfio eandem phraſin cum Paulina in Lexico Talmudico, voce כפרה, comparante, commode monet. Amorem enim ſuum in alios teſtaturi dicebant: לו אני כפרתן *ſim ego expiatio eorum.* Hanc phraſin huc advocavit etiam *Jo. Georgius* in Notis ſuis ad quædam Scripturæ S. loca. Tale votum S. Joanni quoque apud Clementem Alexandrinum tribui his verbis conceptum: τὸν σὸν θάνατον ἑκὼν ὑπομενῶ, ὡς ὁ Κύριος τὸν ὑπὲρ ἡμῶν. ὑπὲρ σȣ̃ τὴν ψυχὴν ἀντιδώσω τὴν ἐμὴν. Cumque intelligeret, verba τὸ ἀπὸ τȣ̃ Χριςȣ̃ nonnihil obſtare, ea commate poſt Χριςȣ̃ poſito, ad ηὐχόμην refert hoc ſenſu: *optaverim a Chriſto*, fieri ἀνάθεμα ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μȣ. At hoc quidem cum linguæ Græcæ rationibus conciliari non poſſe pace Viri docti dixerim. Non urgebo trajectionem vocum ἀπὸ τȣ̃ Χριςȣ̃, in qua tamen ſtatuenda nimius eſſe nolim. Nunquam vero oſtenderit, vel Sacros vel externos Scriptores τὸ εὔχεσθαι ἀπὸ θεȣ̃ vel τινὸς pro *petere a Deo*, vel ab *aliquo*, quod Latinis frequens eſt, adhiberi. Græci dicunt εὔχεσθαι τῷ θεῷ vel εὔχεσθαι πρὸς τὸν θεόν. Sic Paulus *Actor.* XXVI. 29. εὐξαίμην ἂν τῷ θεῷ *optarim a Deo.* Idem 2. *Cor.* XIII. 7. εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν θεόν. Dum in his ſum, monere quoque id liceat, Cl. Elsnerum vocem ἀνάθεμα tum in verbis Paulinis recitandis p. 44. tum repetita vice p. 45. & in Indice quoque per ἀνάθημα exprimere. Ex quo con-

conficio, id non operarum culpa,ſed vel deſtinato conſilio, vel præcipitis calami lapſu, quod malim, factum eſſe. Perperam vero id factum in propatulo eſt. Voces enim ἀνάθεμα & ἀνάθημα ut ſignificatu & uſu, ita & ſcriptione a ſe invicem ſunt diſtinctæ. Ita præcipiunt Lexicographi veteres. *Heſychius* ἀνάθεμα exponit, ἐπάρατος, ἀκοινώνητος. Ἀνάθημα vero κόσμημα. *Thomas Magiſter* ipſum Philoſtratum reprehendit, qui vocem utramque confuderit. Ita enim ſcribit pag. 8. Ἀνάθημα, ὐκ ἀνάθεμα, εἰ καὶ Φιλόστρατος ἀνάθεμα τῆς Σμυρναίων ἀγορᾶς λέγει. Rectiſſime *Photius* in Etymologico MS. Ἀνάθημα ἀναθέματος διαφέρεται. Ἀνάθημα μὲν γάρ ἐστι τὸ διὰ τοῦ η γραφόμενον τὸ ἀνιερούμενόν τε καὶ ἀνατιθέμενον ἱερῷ τινι τόπῳ. Ἀνάθεμα δὲ διὰ τοῦ ε ἐκφωνούμενον, τὸ ὕβρεως ἐχόμενον, καὶ ἀναθεματισμοῦ. Vide Acta erudit. Lipſienſ. Latina Supplementorum Tomo VI. p. 258. Ex recentioribus nemo hoc vocum diſcrimen diligentius curatiusve expoſuit, quam magnus *Salmaſius*. Hic vero in Exercitatt. Plinianis ad Solinum pag. 767. edit. Ultrajectinæ ita: *Nuſquam autem ἀνάθημα apud Græcos in malam partem accipitur: nec illi unquam ἀνάθεμα dixere pro ἀνάθημα. Ut hinc liqueat, aliud eſſe ἀνάθεμα, aliud ἀνάθημα, licet contra ſentiant viri in his literis doctiſſimi. Re quidem ipſa devotum & maledictum hominem ſignificare poteſt τὸ ἀνάθεμα, ſed verbi notio alia eſt, quæ proprie ſeparatum ac ſemotum deſignat, ut ex his verbis Pauli conſtat epiſt. ad Romanos cap.* IX. ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, i. e. ſeparatus & alienatus a Chriſto. *Recte itaque Heſychius* ἀκοινώνητον *expoſuit. Quæ proprietas non cadit in vocabulum* ἀνάθημα, *quum pro donario ac re templis dicata ſumitur.* Et poſt pauca interjecta: *Iidem Helleniſtæ* (i. e. οἱ LXX.) *conſecrationem omnem hominis, pecoris, agri, quæ Deo fiebat, vocarunt* ἀνάθεμα. *Ita enim ubique legendum: non* ἀνάθημα. Et iterum ibidem: *Hoc proprie* ἀνάθεμα, *res nempe ſeparata & ſemota a reliquo corpore & numero, aut ab uſu privati alicujus exemta, ut Deo dicaretur. Nec mirabitur, tam diverſæ ſignificationis eſſe* ἀνάθημα & ἀνάθεμα, *qui ſcierit æque in diverſa notione poni* τὸ ἀναθεῖναι & τὸ ἀναθέσθαι &c. Non ignoro, *Suidam* in Lexico in alia abire, ita ſcribentem: ἀνάθεμα, καὶ τὸ ἀνατιθέμενον τῷ θεῷ, καὶ τὸ εἰς ἀφανισμὸν γενόμενον, ἀμφότερα σημαίνει. Λέγεται δὲ καὶ ἀνάθημα τὸ τῷ θεῷ ἀνατεθειμένον. Et paulo poſt: ἀνάθημα πᾶν τὸ ἀφιερωμένον τῷ θεῷ -- λέγεται δὲ καὶ ἀνάθεμα. Atque hujus inprimis exemplo & auctoritate puto factum, ut Viri alias Græcæ doctiſſimi, *Calvinus* & *Beza*, nullum inter utramque vocem diſcrimen admiſerint. Præ cæteris vero tollere id conatus eſt *Dionyſius Petavius* in Miſcellaneis Exercitationibus, Parte II. Operum Juliani p. 382. ſq. qui tamen forte non tam veri exquirendi, quam Salmaſio contradicendi ſtudio cauſam hanc egit. Nec negaverim, exſtare in Scriptoribus inprimis Eccleſiaſticis loca, in quibus vox altera cum altera ſit permiſta. Talia attulit præter citatos *Suicerus* in Theſauro Eccleſiaſt. voce ἀνάθεμα. Hoc autem vel inadvertentiæ Scriptorum, vel rectius librariorum oſcitantiæ tribuendum puto, qui nempe inter ſcribendum τὸ ε cum η permutarint. Hanc illarum literarum permutationem vel in ipſis numiſo bviam eſſe, in quibus ΑΘΕ pro ΑΘΗ i. e.

Ἀθη-

Αθηναίων, & ΘΕΒΗ pro ΘΗΒΗ occurrat, oſtendit Illuſtris *Ezech. Spanhemius* in egregio opere de uſu & præſtantia Numiſmatum p.72.ed.ſecundæ in 4. Confer *Salmaſium* in Crenii Muſeo Tom.II.p.68.& Cl. *Bernh. Montfauconium* in Palæographia Græca p.128. & 139. Hæc ideo fuſius hic enarranda putavi, ut de ratione vocum ἀνάθεμα & ἀνάθημα rectius conſtaret, de qua conſuli poſſunt *Caſaubonus* in Perſium p.3. Witſius in Miſcellan. Tom.II. diſſ.II. *Caſp. Barthius* in Adverſariis p. 1006. & Rev. *Salom. Deylingius* Tom.II. Obſervatt. Sacrarum n. XLII. Quicquid hujus erit, nunquam ego τὸ ἀνάθεμα in Scriptoribus N. T. obvium per ἀνάθημα, quod *Luc.* XXI. 5. legitur, expreſſerim, quemadmodum nec in Codice ſcripto ullo hujus ſcriptionis veſtigia exſtant.

Ceterum S. Paulum per ἀνάθεμα εἶναι ad vitæ hujus jacturam libenter faciendam reſpicere perſuaſum præter ſupra citatos ex noſtratibus fuit *Jo. Mich. Dilherro* in Diſputatt. Academicis l. c. eo argumento uſo, quod Græci hominem piacularem, h. e. qui vitam ſuam pro aliis ponat, ἀνάθεμα vocare conſueverint.

Prope ad hos accedit Cl. *Heumannus*, quando in Pœcile Tom.I. p.465. phraſin ἀνάθεμα εἶναι ex Actorum XXIII. 12. 14. interpretandum putat, ubi Judæorum quidam, facta conjuratione, ἀναθέματι ἀναθεματίσαι ἑαυτὲς, *ſemet ipſos devoviſſe*, ſeque eſuros negaſſe dicuntur, donec interfecerint Paulum. Similiter putat Paulum id hic velle, quod ſe ſanctiſſimo voto obſtrinxerit, ne quicquam, quod ad Chriſti nomen delendum pertineat, unquam prætermitteret, & quidem *pro Judæis*, h.e. pro Judaica religione, pro qua ſalutem impendere non dubitavit, ut p.479. interpretatur. Mihi quidem, ſi id indicare Paulus voluiſſet, non videtur ſcripturus fuiſſe ηὐχόμην, *optabam*, ut vir doctus vertit. Quid enim voto opus erat, ubi res in ipſius poſita erat poteſtate, ut ſcilicet ſolemni ejusmodi exſecrationis formula in ſe uteretur? Taceo, vix tuto negari poſſe, quod per vocem ἀνάθεμα ad Hebræorum חרם, in quantum pœnæ rationem habet, ab Apoſtolo reſpiciatur; ſicut & ſimplicius eſt, τὸ ὑπὲρ Ἰεδαίων de Judæis ipſis eorumque ſalute, quam de illorum religione, interpretari.

Alii *ſeparationem a Chriſto* inferri quidem cenſent, ſed ita, ut non ſecum ferat jacturam æternæ ſalutis, ſed multarum tantum & inſignium prærogativarum, quales Judæi perdiderint, & quas verſu ſequente commemorat. Ita, ſi v. g. Apoſtolicum ſuum munus perdidiſſet Paulus, jam dudum ad illud deſtinatus, vel hoc modo ἀνάθεμα a Chriſto, & in tantum rejiculum ac projectum fuiſſe cenſent. Sed vereor, ut ſic efficacia phraſeos, ἀνάθεμα ἀπὸ τε Χριςε, exhauriatur.

Alii ſeparationem itidem a Chriſto admittentes eam non latius extendi volunt, quam illa erat, in qua ipſi Judæi tunc erant conſtituti. Illi ſcilicet alieni tunc erant a Chriſto, ſed nondum duro indurationis fulmine perculſi, cum Apoſtolus ipſe capite XI. iis ſpem converſionis adhuc faciat, & multi eorum ad Chriſtum poſtea, inprimis poſt ruinas templi Hieroſolymitani & Reipublicæ Judaicæ everſionem ſint converſi. In eadem itaque, non autem deteriore & graviore, qualis eſt damnatio &c. conditione ad tempus eſſe volebat Apoſtolus, ſi

 quid

quid inde Judæis ſalutis naſci poſſet. Hujus interpretationis præſidium collocant in oppoſitione vocum *αὐτὸς ἐγὼ*, & *ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου*, tanquam qua permutatio perſonarum & ſtatus quaſi vicarius ad idem malum inferatur. Hoc modo rationes inſtituit *Guſſetius* in Lexico Hebraico f. 287. *Jac. Nyloe* in Schriftuurlike Redevoeringen p. 159. & ex noſtratibus Rev. *Deylingius* l. c. p. 385. *Voluit*, inquit, *ſeparari non perpetuo, ſed aliquantiſper a Chriſto, ſervandorum Judæorum cauſa, & ejus ſuaviſſima communione, & conjunctione cum Eccleſia cujus caput Chriſtus eſt, privari, omniaque malorum ac calamitatum genera ſubire, quæ avulſionem a Chriſto, & ejectionem ex coetu fidelium comitari olim ſolebant.* Quæquidem ita accipio, quod Pauli votum non tantum externam a cœtu Chriſtianorum ſegregationem, ſed & ſeceſſionem a Chriſto ipſo ad tempus comprehendat. Ita vero non video, quomodo Paulus ſimpliciter & abſolute, ſine temperamento ullo ante a nobis commemorato, ſi ſcilicet fas foret, vel Judæis ita conſuli poſſet, ejuſmodi ſtatum etiam ad qualecunque tempus derivare in ſe voluiſſe potuerit. Talis enim conditio futura erat infeliciſſima, & cum conſcientiæ tormentis ſuaviſſimaque animi tranquillitatis jactura, ac denique cum periculo, ne in ea perpetuo hæreret, quod pleriſque Judæorum uſu venit, conjuncta. Taceo, Paulum hic ſpectare, quod ex ſequentibus patet, Judæos, non ut tales, qui adhuc converti poterant, aut converſuri ſe erant, ſed ut tales, qui pertinacia ſua in Eccleſia Chriſti locum gentibus fecerant, & ut ſteriles rami ex oleaſtro erant exciſi, adeoque damnationi vere obnoxii.

Omnibus itaque his rationibus probe expenſis malim votum illud Pauli ea, quam ſupra innuimus, conditione ſubintellecta, *ſi fas foret*, munitum de *ſeparatione a Chriſto* (*ἀναθέματι ἀπὸ Χριστοῦ*) quocunque etiam graviſſimo modo accipere, ut ſic tanto magis amoris impetus, quo in Judæos, & deſiderium quo in ſalutem eorum, ſi quo modo per ſe provehi poſſet, procurandam ferebatur, ſignificetur. Eam voci *ἀνάθεμα* notionem tribuit ipſe Paulus, 1. *Cor.* XVI. 22. Atque iſtam propriam ipſi credit *Salmaſius* in loco paulo ante citato. In eandem ſententiam *Alexander Morus* in Notis ad h. l. *Videtur*, inquit, *in animo habuiſſe χωρισθῆναι, quod recte conſtruitur cum illis ἀπὸ Χριστοῦ. At ἀνάθεμα εἶναι ἀπό τινος videtur inſolens* (*viſum certe* Photio, *adeo ut putarit, hac particula principium deſignari, non terminum, & optare Paulum, non tam ſeparari a Chriſto capite, quam durum ac dirum in modum plecti a Chriſto judice*) *anathema tamen poſuit Paulus pro ſeparari ſimpliciter. Judæi porro Paulo dicebant anathema tanquam apoſtatæ a Moſe: proprium enim iis erat anathema contra Apoſtatas. At demum ipſi Judæi exſcindendi & anathema futuri erunt a Chriſto, & hoc Paulus ipſis jam denunciaturus erat, ſeparandos eos eſſe a Chriſto, & anathemate ac maledictione Dei percutiendos, ut prædictum* Zach. IV. 24. *& gentes in eorum vicem ſuffectum iri. Quod adeo non libenter fecit, ut ſi dicat paratum nullas vitæ vices, ac ne vicarium quidem anathema pro iis, id quod Græci Patres eleganter ἀντεισάγεσθαι dicunt.* Pro eadem interpretatione poſt veteres nonnullos Eccleſiæ doctores a *Svicero* Tomo I. pag. 270. allatos, pugnat *Elias Saurinus* loco

ſupra

ſupra excitato, quando, conſutatis illis, qui per ἀνάθεμα excluſionem ex cœtu viſibili Chriſtianorum, vel mortem ſubitam intelligunt, multis contendit, quod Paulus hic non quidem æternæ pietati & amori, ſed felicitati renunciare velit, ſi fieri poſſit, ut per hanc renunciationem gloria Dei augeretur: unde nec hyperbolen hic admittendam cenſet. Non aliter *Witſius* l. c. pag. 81. verba Pauli παραφράζει: *tam immenſa & incredibili charitate fratres meos Iſraelitas proſequor, ut, quando ad eam felicitatem, a qua exciderunt, attendo, eamque miſeriam, in quam ſe præcipitarunt, æternæ meæ ſalutis diſpendio, ſi quidem id, ſalvo Dei beneplacito fieri poſſet, redemtos cuperem; ut gloria Dei in univerſi potius populi ſalute, quam in mea privata luculentiſſime fulgeret.* Accedunt ad hos ex noſtratibus B. *Godofr. Olearius*, in Prælectionibus MSS. ad h. l. commentationi Saurinianæ ſubſcribens, & B. *Starkius* in Notis ſelectis ad h. l. pag. 120. *Ego*, inquit tanquam ex mente Pauli, talis ac tantus optarem, ſi mea pernicie ſalutem Judæorum procurare poſſem, fieri ſervum diaboli, cum vocato Jona fugere a facie domini; & ſeparari ut ἀποπομπαῖον, & victimam piaculerem. Addit idem, videri hic Paulum, tanquam Hebræum ex Hebræis imitatum eſſe formulam Talmudicam, ſummi amoris indicem, qua populus in Summi Pontificis ſolatium dicebat: אני כפרתך *ſimus expiatio tua*; in *Sanhedrin* fol. 18. col. 1. quod gloſſa ita interpretatur: *in nobis fiat expiatio tua, nosque ſubeamus tuo loco, quicquid tibi evenire debet.* Confer *Buxtorfii* Lexicon Talmudicum col. 1078. & *Ottonis* Lexicon Rabbinico-Philolog. pag. 344. præter ea, quæ paulo ante p. 169. obſervata ſunt. In horum partes ut diſcedam, phraſis ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ inprimis efficit. Video enim, omnes, qui τὸ ἀνάθεμα mitius interpretantur, alteri illi ἀπὸ Χριστοῦ vim facere, vel ſeparando illam & alioſum referendo, vel ſignificatione ejusmodi induendo, quam Græcæ linguæ rationes & περικείμενα textus non admittunt. Miratur quidem vehementer Cl. *Elsnerus* p. 44. inveniri celeberrimi nominis Interpretes, qui Apoſtolum æternam ſegregationem a Chriſto, & quicquid ab ira Dei proficiſci poſſit, his verbis imprecatum ſibi exiſtimant, nec videre ſe ait, quid durius & tanto Apoſtolo indignius dici queat. At fateor, me in hoc voto duri aut indigni nihil videre, ſi cum eo temperamento, *ſi fas eſſet*, aut *ſi rebus ſalutique Judæorum ſic conſuli poſſet*, accipiatur. Quid, quæſo, durius dici poterat eo, quod Sanctiſſimus Servator noſter *Matth.* XXIV. 24. ajebat, tantam futuram eſſe falſorum doctorum vim & efficaciam, ut ipſi quoque electi illorum fraudibus paterent. Nonne autem durum illud omne abſorbetur additamento εἰ δυνατόν, *ſi fieri poſſet.* Hoc ipſum, aut ſimile illi, cum h. l. non ſit expreſſum, ſine temeritatis ſuſpicione ſubintelligi ab eo poteſt, qui vel argumentum voti ipſius reſpiciat, vel meminerit, Paulum, amoris, quo Galatæ in ipſum ferebantur, magnitudinem ſignificaturum, eadem loquendi ratione uti. Μαρτυρῶ γὰρ ὑμῖν, inquit, ὅτι, εἰ δυνατὸν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαντες ἂν ἐδώκατέ μοι. *Galat.* IV. 15. Nonne durum videri poteſt, eundem Apoſtolum Galat. I. 8. ſcribere, ſi vel Angelus ex cœlo aliud prædicaverit

 Evangelium,

Evangelium, illum pro anathemate eſſe habendum. Quis vero non intelligit, hanc phraſin, a re, quæ fieri non poteſt petitam, ad exaggerandam rei, quæ ab hominibus fiebat, & fieri inpoſterum poterat, indignitatem adhiberi?

Verſ.4. Οἵτινές εἰσιν Ἰσραηλῖται) Varias Judaicæ gentis prærogativas hic Paulus commemorat, atque eas procul dubio, quas Judæi eo tempore oſtentare aliis ſuperciliose ſolebant. Exſtat *Iſaaci Cardoſo*, Judæi, liber Hiſpanicus, quem inſcripſit: *las Excelentias de los Hebreos* h. e. de prærogativis Judæorum, Amſtelod. 1679. 4. In eo decem Judæorum prærogativas commemorat, quod nempe ſint 1) populus a Deo electus, 2) quod dicantur gens una in terra, 2. *Sam.* VII. 3) quod ab omnibus reliquis nationibus ſint diſtincti, 1. *Regum* VIII. 4) quod tres virtutes ſibi habeant proprias, ex *Mich.* VI. 8. 5) quod inſtructi ſint circumciſione & 6) Sabbato, item 7) Lege divina, tum 8) Prophetia, & 9) terra Sancta, ac denique 10) teſtes præbeant unitatis divinæ. Idem in altera ejusdem libri parte reſpondet ad decem criminationes ſeu calumnias, quas vocat, in Judæorum gentem conjici ſolitas. Magnifica alia Judæorum de gente ſua cogitata ac indicia lege apud *Eiſenmengerum* in Judaiſmo detecto, paſſim.

ὧν ἡ υἱοθεσία καὶ δόξα) Per δόξαν hic reſpici ad *columnam* ſeu *facem* ignis, quæ Iſrëlitas in deſerto verſantes comitata eſt, & duxit, *Vitringa* in Obſerv. Sacris lib. V. c. 16. p. 194. exiſtimat. Eam enim ait fuiſſe gloriam Dei, cujus quippe præſentiæ indicium fuerit, (unde כבוד יהוה vocetur) imo & Iſraelitarum, quatenus Deus illos hoc lumine gloriæ ſuæ colluſtrare dignatus ſit. Per illam vero nubem filium Dei, ut magnum Angelum fœderis repræſentatum eſſe, præcipue, qua ſe manifeſtum faciat in Oeconomia gratiæ, & olim manifeſtaturus erat in carne, oſtendit idem *Vitringa* l. c. Conf. Cl. *Pet. Zornii* Opuſcula Sacra Tom. I. p. 384. ſqq. Alii per gloriam illam intelligunt *arcam fœderis*, quæ Iſraëlis gloria vocatur 1. *Sam.* IV. 21. 22. quæ conjectura inde forte aliquam veri ſpeciem lucratur, quod ſtatim αἱ διαθῆκαι & νομοθεσία commemorantur. Cum vero varia momenta, gloriæ & dignitatis plena, Iſraëlitis a Deo conceſſa ſint, inprimis autem inſignia illa & complura miracula, quæ Deus in Iſraëlitarum gratiam diverſis temporibus edidit, ad iſta omnia Paulum hic reſpexiſſe exiſtimem.

αἱ διαθῆκαι) Pauci quidam Codices, & verſiones aliquot cum *Vulg.* legunt in numero ſingulari ἡ διαθήκη, ex eorum, ut videtur, ingenio, qui non ſatis perſpiciebant, cur plurium teſtamentorum fieret mentio. Cave interim, illorum exemplo, Paulum aliter ſcripſiſſe, cenſeas, quam codices nunc plerique exhibent. Ipſum plurium numerum alii repetunt a duabus tabulis fœderis, ex *Hebr.* I. 4. alii a fœdere cum Abrahamo inito, & poſtea cum toto populo renovato; alii denique ab œconomia duplici V. & N. Teſtamenti, quo ſenſu Paulus *Gal.* IV. 24. hiſtoriam Saræ & Hagaris τὰς δύο διαθήκας ait repræſentaſſe. Judæis ſcilicet utraque œconomia primum fuit revelata, altera per legem, altera per promiſſiones Evangelicas: utraque vero per Judæos, & a Judæ-

Judæis tanquam depoſitariis librorum V. T. ad nos pervenit, & poſterior quidem per Apoſtolos ad gentes tunc demum perlata eſt, cum Judæi alienos ſe ab ea exhiberent. Lege *Actor.* XIII. 46. Confer *Lud. de Dieu* ad h. l. & *Starckium* in Notis p. 120.

καὶ ἡ νομοθεσία) *Grotius* & *Limborchius* Legem hic intelligunt Politicam & Forenſem, quæ ad vinciendam externam Judaicæ gentis ſocietatem pertinuerit. Cum vero Paulus hic non *νόμον*, ſed *νομοθεσίαν* i. e. *legislationem* appellet, eaque vox nusquam alibi in N. T. occurrat, quod tamen τȣ̃ νόμȣ frequenter meminit, malim *τὴν νομοθεσίαν* de *ratione promulgandi* legem, qua Deus olim cum tanto apparatu & ſolemni ritu uſus eſt, interpretari. Atque ea in re non parum omnino ſitum erat, cum nulla exſtet gens, quæ inſtituta ſua & leges tam magnificis & ſolemnibus cerimoniis firmatas & publicatas eſſe vel dixerit unquam, vel dicere potuerit. Interim non ignoro, Legem divinam 2. *Maccab.* VI. 23. *ἁγίαν καὶ θεόκτιστον νομοθεσίαν* appellari, quemadmodum *Jo. Damaſcenus* Decalogum *νομοθεσίαν* de Orthodoxa fide lib. I. c. 5. vocat. Pro nobis facit *Suidas* *νομοθεσίαν* per *θέσιν νόμȣ* explicans, ſicut gloſſæ veteres *νομοθεσίαν* *jurisdictionem*, *legislationem*, *promulgationem* interpretantur. Confer *Sviceri* Theſaurum Eccleſiaſt. Tom. II. p. 415.

Verſ. 5. *Ὧν οἱ πατέρες, ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς, τὸ κατὰ τὴν σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς* &c.) Illuſtrant hoc comma, præter *Gieſſenſium* Diſputationes Tomo VIII. p. 387. & *Marpurgenſium* Tom. IV. p. 184. *Jo. Bened. Carpzovius* in Diſput. de divinitate Chriſti Lipſ. 1697. (quæ in Diſp. ejus Academicis p. 1373. ſq. recuſa eſt,) *Henr. Matth. de Broke* *Jen.* 1713. 4. de qua Fama erudita Part. XXX. p. 387. *Phil. Jac. Spenerus* in Defenſione vernacula divinitatis Chriſti p. 500. ſqq. *Jo. Friderici* in Confeſſione Paulina de Chriſto *θεανθρώπῳ*, Jenæ 1699. 4. *Alethæus* in der Erläuterung Tom. I. p. 209. ſqq. auctores des freywilligen Hebe-Opfers Tom. III. p. 322. ſqq. p. 477. 489. ſqq. & 593. ſqq. tum vero Tom. IV. p. 99. & 368. ſqq. ubi oraculum hoc ab exceptionibus Socinianorum, qui ultima ejus verba non ad Chriſtum, ſed ad Patrem referenda eſſe contendunt, diligentiſſime vindicatur. Adde illis Rev. *Guſtavi Georgii Zeltneri* notas ad Hiſtoriam Crypto-Sociniſmi Altorfini p. 589. ſq. 963. & 1078. Idem contra *Wilh. Whiſtonum*, Neo-Arianum, in Notitia fidei primitivæ anglice edita pag. 13. ſq. præſtitit *Jo. Erneſtus Grabe* in libro Anglicano, quo exempla quædam defectuum & omiſſionum in Whiſtoniana Collectione Teſtimoniorum ex Scriptura & Patribus contra Deitatem Chriſti & Spiritus S. attulit p. 22. ſqq. Whiſtonus ſcilicet cum aliis ſimilibus verba *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τȣ̀ς αἰῶνας* pro doxologia habet ad Patrem referenda. Contra hæc *Grabius* obſervat, neminem veterum ex Catholicis vel hæreticis vel Schiſmaticis aliter ea quam de Chriſto accepiſſe, inter quos etiam ſit *Novatianus*, quem maximi *Whiſtonus* facit, lib. de Trinitate cap. 13. & 30. Neque aliter accipi poſſe, cum nullus ſit in verbis Pauli nexus, ſi illa ad Patrem referantur. Quamvis enim Paulus interdum ſermoni medio doxologias ad Patrem inſerat, nusquam tamen id eum

face-

facere, niſi ubi idem proxime ante commemoretur, ut per relativum ὃς vel ὁ indicari poſſit. Vide v. c. *Rom.* I. 25. & 2. *Cor.* XI. 31. ubi eodem prorſus modo, qui h. l. obſervatur, formula hæc adhibetur; ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οἶδεν ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Addit inſuper, verba ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς omnino de divina Chriſti natura accipi debere, ut ſic aliquid ſit, quod opponatur Χριστῷ κατὰ σάρκα, ſeu ſecundum humanam naturam. Conferatur idem in Notis ad *Georg. Bulli* Defenſionem Fidei Nicenæ cap. III. §. 2. Omitto cetera, quæ in eodem libello Whiſtonianis exceptionibus oppoſita leguntur, nec non, quæ ipſe *Bullus* in commentatione modo laudata attulit. Eandam cauſam ex *Anglis* egerunt *Pearſonius* ad Symbolum Apoſtolicum p. 234. *Eduardus Stillingfleetus* in libro Anglicano, quem Vindicias doctrinæ de SS. Trinitate inſcripſit, p. 153. ſqq. & nuperrime *A. Blackwall* in Sacred Claſſics Vol. II. p. 252. ſqq. ex Reformatis autem *Coccejus* Tom. VI. Operum inter epiſtolas p. 72. & *F. A. Lampius* in Exercitatt. ad Pſ. XLV. p. 152. ubi novum quoddam præſidium interpretationi huic Anti-Socinianæ ex eo accedere cenſet, quod Apoſtolus per phraſin ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, alludat ad Pſal. XLV. 3. ubi Chriſtus *formoſior omnibus hominum filiis* dicitur. Hoc fine verba illa ἐπὶ πάντων non verti vult *ſuper omnia* ſed *ſuper omnes*, ſcilicet Patres, & quoscunque illuſtres homines, de quibus Paulus locutus erat. Sicut itaque illa verba priorem laudati commatis Davidici partem repræſentant; ita ultima Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας poſteriorem, qua Deus ipſi æternum benedixiſſe dicitur, referre exiſtimanda ſunt. Addit etiam, *Proclum* de Fide p. 53. loco huic tantum tribuiſſe, ut per eum *omnes hæreticos confundi, & ingreſſum calumniæ contumelioſum claudi dixerit.* Ex noſtratibus præter laudatos inſpici merentur *Jo. Guil. Baierus* in Analyſi & Vindicatione illuſtrium dictorum Scripturæ Sacræ Parte I. p. 83. ſqq. & B. *Godofr. Olearius* in egregia Diſſert. de adoratione Dei Patris per Jeſum Chriſtum §. 40. cui in Prælectionibus ſuis ad h. l. MSS. hæc addi cupit: Sicut vi nexus eadem δοξολογία ſupra cap. I. 25. ſpectat ad Deum creatorem, ita h. l. ejusdem nexus vi ad Chriſtum. Et ſicut Apoſtolus priori loco hac doxologia utebatur ad deteſtationem vilipendii, ab idololatris adverſus creatorem exerciti; ita ob ſimile vilipendium Chriſti inter Judæos, qui eum recipere nolebant, eandem h. l. adhibet. Confer etiam, ſi placet Cl. *Chriſtophori Wolle* Commentationem Philolog. de Parentheſi Sacra p. 136. Patres genuinam lectionem & interpretationem de Chriſto tuentes affert *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tomo II. p. 99.

Hi omnes ut formulam hanc Chriſto, Domino noſtro, ſatis vindicant, ita nec deſunt, qui vocem Θεὸς, in hoc commate obviam, ab omni νοθείας ſuſpicione liberarunt. In eam autem abripuit *Grotius*, quando ad h. l. ait, *apparere ex Syro*, veteres Codices habuiſſe ὁ ὢν ἐπὶ πάντων εὐλογητός. At ſalva res eſt. Nam nec ulli, qui hactenus inſpecti ſunt, Codices Græci, vocem Θεὸς omittunt, nec *Syrus* Interpres omiſit. Habent etiam verſiones antiquiores omnes, *Copt. Vulg. Æthiop.* & *Armena*, quod ex *Eduardo Bernardo* ſe didiciſſe *Millius* ad

ad h. l. monet; nec minus Patres omnes Græci & Latini per omnia ſecula, tum Ante-Niceni, tum qui poſt Arium floruere, quorum indicem bene longum & non vulgari induſtria confectum idem exhibet *Millius*, meritoque miratur, Eraſmum, curioſum Codicum exploratorem, & cui hæc antiquitatis teſtimonia obſcura non fuerint, lectionem hanc in dubium vocaſſe, non alia de cauſa, quam quod in MSS. quibusdam *Cypriani*, locum hunc lib. II. ad Quirin. §. 6. citantis, exemplaribus non compareret, nec a *Chryſoſtomo* ad h. l. exponeretur. Quamvis etiam in nonnullis Cypriani editionibus vox *Deus* h. l. omittatur, merito tamen dubitandum eſſe exiſtimat, utrum omiſſio illa Codicibus ipſis, an potius vitio librariorum, qui vocem *ds*, in compendio ſcribi ſolitam, vel non adſecuti ſint, vel non obſervarint, accepta ſit ferenda, cum in aliis editionibus, v. c. *Manutiana*, *Morelliana*, *Pameliana* utraque ex fide Codicum, quibus & alii addi poſſint, vox *Deus* exhibeatur, *Cyprianum* vero ita legiſſe vel inde conſtet, quod eadem in Bibliorum editione uti ſoleat, qua uſus eſt *Tertullianus*, vocem *Deus* hic agnoſcens, quodque textum hunc eo alleget conſilio, ut probet, *quod Deus Chriſtus*. Non minus & *Chryſoſtomus*, ſi non hoc loco, ubi ad eum commentatur, certe alibi ſæpius, ubi idem oraculum allegat, v. c. apud *Cotelerium* Tom. III. Monumentorum Eccleſ. Græc. p. 121. &c. &, quod plus valet, eodem commate utitur homilia XX. in 1. ep. ad Corinth. ad probandum, Patri & Filio nomen Dei promiſcue tribui. Ex quibus abunde apparet, etiam illa argumenta, quibus vox θεὸς in ſuſpicionem vocatur, utut in ſe ſint ficulnea, incerta adhuc eſſe, nec in ſe firmata. Quod ad *Cyprianum* ſpeciatim attinet, conferenda eſt *Duboiſii* diſſertatiuncula, *Sainiorii*, i. e. *Rich. Simonii* Bibliothecæ Criticæ Tom. II. pag. 213. inſerta, qui non cenſet dubitandum, Codd. MSS. ex quibus primæ Cypriani editiones curatæ ſunt, vocem *Deus* non exhibuiſſe, cum nec *Faurianus* quidam eam referat, ſimul tamen pag. 216. contra *Goulartium* contendit, ſi vel maxime vox illa omittatur, vel ſic tamen efficaciæ loci hujus contra Arianos & Socinianos nihil decedere, ob elogium εὐλογητὸς, *benedictus*, quo Judæos Summum Numen tum in precibus ſuis, tum alias inſignire conſtet. Idem hoc argumentum urſit quoque *Maldonatus*, in commentatione ſua inedita de myſterio SS. Trinitatis, cujus rei teſtis eſt *Simonius* Tomo I. Biblioth. Criticæ p. 79. eidem ὁμόψηφος. Comparetur denique Rev. *C. M. Pfaffius* in Diſſert. de Variant. Lectionibus N. T. p. 178. & *Jo. Clericus* in Arte Critica Parte III. Sect. I. c. 15. p. 234. qui & p. 243. recte caſtigat *Eraſmum* poſt verba κατὰ σάρκα, τελείαν στιγμὴν ponendam eſſe aſſeverantem, ut ſequentia pro doxologia Patris haberi poſſint. Contra eundem lege *Rich. Simonem* lib. III. Hiſt. Criticæ N. T. p. 911. apud quem p. 96. 135. 138. 319. 513. 553. 770. & 813. ſqq. veterum æq; ac recentiorum quorundam Interpretum cogitata de hoc loco occurrunt.

Non poſſum hic omittere corruptelam, quam nuperus editor Novi Teſtamenti Græci, cum nova verſione Anglicana Londini 1729. 8. curati, verbis ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς, inferre conatus eſt. In notis enim Criticis epiſtolæ ad Romanos ſubjectis p. 590. teſtatur, eruditorum nonnullos ſuſpicatos eſſe, vo-

ces ὁ ὢν tranſponendas eſſe, ut legatur ὢν ὁ, eædemque ſic reſpondeant antecedentibus phraſibus, ὧν ἡ υἱοθεσία, ὧν οἱ πατέρες, ἐξ ὧν ὁ Χριςὸς, eo ſenſu, quod, quemadmodum adoptio fuerit Judæorum, itemque patriarchæ, nec minus Chriſtus ex majoribus eorum ortus ſit; ita Deus quoque omnibus ſuperior, & in ſecula benedictus eorum fuerit. Hanc emendationem ait ingenio valere, nec difficulter admiſſum iri, modo Codicum MSS. auctoritate firmari poſſet. Bonum factum, quod ipſe auctor in amplectenda illa corruptione hæreat, cujus ipſe videtur eſſe inventor. Neque enim adhuc occurrit mihi quiſquam, qui ita legendum conjecerit. Veterum ſane nullus vel legit ita, vel interpretatus eſt. Neque vero ita legi poteſt. Si Paulus id, quod noſter vult, dicere voluiſſet, ſcripturus omnino ita erat: Ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριςὸς, τὸ κατὰ σάρκα, καὶ ὧν ὁ ἐπὶ πάντων Θεός. Ita v. 4. τὸ καὶ toties repetit, quoties novum præſtantiæ Judaicæ momentum commemorat. Dum vero τὸ καὶ hic omittit, ſatis indicat, id quod nunc affert, ad Judæos non pertinere. Interpolatio itaque hæc non tam ingenioſa eſt, quam audax & temeraria, quæ non ſolum tranſpoſitionem, ſed & inſignem accentuum ſpirituſque mutationem infert. Si hæc audere liceat, facile in Sacris literis quidvis ex quovis effeceris. Itaque recte hanc audaciam repreſſit *A. Blackwall* in Sacred Claſſicks Vol. II. pag. 256. ſq. & Cl. *Leonhard. Twells* in Examine Critico Novi illius Teſtamenti, anglice edito Parte II. p. 121. ſq. quorum obſervata non repetam.

Mirari denique ſubit, Curcellæum eos hic approbare potuiſſe, *qui punctum poſt* σάρκα *ponant, quia, ſi id, quod ſequitur, cum præcedentibus connecteretur, potius dicendum eſſe videatur,* ὅς ἐςι, *vel* ὅς ὢν, *quam* ὁ ὤν. Miror, inquam, eum non vidiſſe, quod pathetica & ἀσυνδέτως prolata Pauli oratio per linguæ Græcæ indolem aliter conformari non potuerit. Lege huc inprimis B. *Olearium* in citata diſſertatione de adoratione Patris per Jeſum Chriſtum p. 70.

Verſ. 6. Οὐχ οἷον δὲ, ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ) Priores voces, οὐχ οἷον δὲ, ita *Beza*, & *Eraſmus Schmidius* convertunt, ac ſi ſcriptum eſſet, οὐχ οἷόν τε, ſcilicet ἐςι, *fieri non poteſt, ut exciderit verbum Dei.* De hac interpretatione, ob frequentiorem phraſeos hujus uſum, nullo modo dubitari poſſe cenſet Cl. *Hombergius* in Parergis p. 231. Sed rectiſſime contra hæc obſervat Cl. *Jo. Alberti* p. 315. Obſſ. Sacr. aliud eſſe οἷόν τε, quod Gloſſæ per poſſibile explicant, & externi Scriptores hoc ſenſu frequenter adhibent, aliud οἷον δὲ, quod hic legitur; præterea vero illud οἷόν τε cum infinitivo ἐκπεπτωκέναι jungi debuiſſe, pro quo hic tamen legatur: ὅτι ἐκπέπτωκεν. Quam in rem appoſite inter cetera loca affert iſtum *Cleomedis* Meteoror. lib. II. pag. 260. τάχα δὲ φαίη τις ἂν οὐκ ἀσκόπως, καὶ ἰδιοποιΐας τινὰς εἶναι τοῦ περὶ τὴν σελήνην πυκνώματος, δι' οὗ οὐχ οἷόν τε τὰς ἡλιακὰς ἀκτῖνας ἐκπίπτειν h. e. *Dixerit forte quiſpiam, non ſane imprudenter, etiam propriam quandam eſſe modificationem de lunæ denſitate, per quam fieri non poſſit, ut excidant radii ſolares.* Vides hic eandem, quæ in noſtro loco exſtat, phraſin. Itaque idem eorum partes amplectitur, qui vertunt: *non quaſi vero exciderit verbum Dei:* h. e. ne exiſtimetis, ô Judæi, me has prærogativas

veſtras

veſtras ideo commemorare, aut ſuperiora dicere, quaſi *exciderit*, h. e. irritum factum fuerit verbum Dei, ſcilicet de incredulitate veſtra olim prolatum, & gravibus comminationibus munitum. Abſit hoc omni modo: nam non omnes ſunt veri Iſraelitæ, qui tales ſunt ortu & ſanguine. Ita accepit quoque B. *Lutherus* noſter: aber nicht ſage ich ſolches. Sic quoque verſio *Anglicana* & *Belgica*, nec minus *Piſcatoris*. Neque dubitari debet, τὸ οἷον idem eſſe, quod *quaſi*. Sic *Ariſtænetus* lib. I. epiſt. 2. ubi dixerat, ὡς οἷόν τε ἦν, *quantum fieri poterat*, mox ſubjungit: οἷον εἰς ὑπερφυὰς παράδειγμα κάλλους ἀφορῶντες, *velut*, ſeu, *quaſi ad eximium pulchritudinis exemplar reſpicientes.* Ita Gloſſæ: οἷον, *ceu, tanquam. Heſychius*: οἱονεὶ, ὥσπερ. Nec inſolens videri debet additum ὅτι. Nam illud vel redundat h. l. ſicut τὸ ὥσπερ in οἷον ὥσπερ apud *Plutarchum* de ſera Numinis vindicta p. 563. οἷον ὥσπερ ἐν γαλήνῃ, *tanquam in ſerenitate*; aut quemadmodum τὸ ὡς cum ὅτι pleonaſtico conjungitur 2. *Theſſal.* II. 2. ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα, *quaſi inſtet dies.* Hæc diligenter & erudite in hanc ſententiam diſſerit *Alberti* l. c. quibus addiderim, quod τὸ οἷον ὅτι non magis inſolens haberi debeat, quam τὸ εἰ in οἱονεὶ, quod itidem abundare manifeſtum eſt. Idem, quod ad interpretationem ipſam ſtatuit Cl. *Starckius* in Notis ad h. l. p. 121. quamvis ille τὸ οἷον ὅτι non ad proxime antecedentia, ſed ad v. 2. & 3. reſpicere exiſtimet, quaſi Paulus occurrat tacitæ objectioni, quæ ſic formari poterat: *Si verum eſt, quod Paulo cognati ſecundum carnem Judæi* (quorum tam inſigna privilegia prædicantur) *ſine anathema a Chriſto, ſequitur, verbum Dei eſſe inane & irritum.* Mihi quidem prior illa connexio cum proxime præcedentibus videtur facilior & magis obvia.

Quod ad phraſin ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, attinet, videtur illa vel a *navibus* petita, quæ ἐκπίπτειν dicantur, quando curſum minus feliciter legunt, ſed ob adverſos ventos &c. ſcopo excidunt, ut *Act.* XXVII. 29. vel a *flore*, qui marceſcit, ac decidit 1. *Pet.* I. 24. Lege iterum Cl. *Alberti* l. c.

Verſ. 7. Οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, οὗτοι Ἰσραὴλ) Similem antanaclaſin lege ſupra II. 28. 29. & confer *Joh.* I. 48. *Starckius* p. 122. obſervat, Paulum hic Judæos vocare Ἰσραὴλ, non *Iſraelitas*, ſicut v. 4. ut doceret, illud ominis, quod Jacobus in hoc nomine habuit, habere omnes fideles, adeoque & fidem ejus habere debere, abſque qua ipſe Jacobus non futurus fuiſſet Iſrael. De etymo nominis *Iſrael* lege *Feſſelium* in Adverſariis Sacris lib. IV. c. 3. p. 319. *Hottingerum* in Smegmate Orientali c. VIII. p. 348. & in Theſauro Philologico p. 6. *Leusdenium* ad Jonam Illuſtratum p. 211. ſq. & *Dallæum* de Pſeudepigraphis Apoſtolicis p. 188. ſq. qui inconvenientes veterum quorundam etymologias affert & repellit. Rectiſſime illi agunt, qui τὸ ישראל idem eſſe volunt, quod ישרה אל האל vel ישרה עם האלהים i. e. prævaluit apud Deum. Lege B. *Hilleri* Onomaſticum Sacrum p. 435.

Οὐδ᾽ ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραάμ) Notanter hic Apoſtolus Judæos vocat *ſemen Abrahami*, quia non tantum ex ſemine ejus orti erant, ſed etiam ab ipſo, qua generante, nil niſi corruptam naturam habebant, quoniam in ſemine non

 eſt

eſt quicquam ſpirituale & ſanctum, ſed pura puta natura. Hinc Judæi ex illo naturali ortu non poterant derivare privilegia gratiæ, cum non eſſent ſpiritus Abrahami, ſed tantum ſemen ejus peccati labe infectum, ſeu τέκνα τῆς σαρκός, v. 8. Vide B. *Jo. Winckleri* Expoſitionem vernaculam difficiliorum verſuum hujus capitis p. 17. ſq. & inde *Starckium* l. c. p. 6.

πάντες τέκνα) omnes filii, i. e. Abrahamo, tanquam Patri omnium credentium, ſimiles. Conf. *Job.* VIII. 39. & *Rom.* IV. 11. Sicut enim Abraham in fœdus cum Deo, adeoque inter filios Dei ſecundum ſpiritum receptus erat per promiſſionem de Meſſia fide apprehenſam; ita idem fieri debebat ab iſtis, qui genuini ejus filii a Deo haberi volebant.

ἀλλ' ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα) Reſpicitur *Geneſ.* XXI. 11. 12. Quem locum ita interpretatur *Jac. Guſſetius* in Commentario de lingua Hebræa p. 752. *Vides diſtinctionem poni inter Iſaacum & ſemen: fit quidem ſimul diſtinctio inter ſemen Iſraeliticum & Iſaacium, ut narratio rei docet: ſed illud* ב *hic cum* יקרא *adbibitum aptum non eſt ad horum oppoſitorum ſeminum diſtinctionem exprimendam; &, cum hoc non agat, agit interim illud, quod dixi, ut diſtinguat Iſaacum, a ſemine, quod vocabitur, in Iſaaco. Nempe deſignat ſemen magis occultum, quod per Iſaacum* (ביצחק) *poſt aliquod tempus naſceretur, & Abrahamo vendicatum nomen ab iſto Patriarcha ſumtum gereret,* יקרא לך *VOCABITUR TIBI, & tuum ô Abraham.* Confer ad hæc verba omnino *Wincklerum* l. c. p. 22. ſeq. *Franck. Wockenium* in Moſe Harmonico p. 32-36. *Jo. Melchiorum* Tomo I. Operum p. 475. & *Surenbuſium* in Βιβλῳ καταλλαγῆς p. 455. Non incommode, quod ad ſenſum, verteris: *ſemen promiſſum* (ex quo ſemen benedictum Meſſias) *in Iſaaco tibi præſtabitur,* non in Iſmaele. Hanc enim emphaſin habet verbum *vocare*, ubi de Deo uſurpapatur, v. c. *Rom.* IV. 17. & *Matth.* XXII. 3. ubi lege *Eraſmum Schmidium,* itemque *Starckium* ad h. l. p. 123. Juvat hic adſcribere B. *Winckleri* paraphraſin ex p. 24. *Sicut Iſaacus æſtimatur, ita etiam ſemen Iſaaci æſtimari oportet, quippe in quo ſemen benedictum erat, & ejus promiſſio, nec minus is, qui promiſſionem illam recipiebat. Ita vero comparatum eſt ſemen Abrahæ, Meſſias, quippe qui ſæpe Abrahami ſemen appellatur; & ille quoque, qui Meſſiam vera fide recipit. Illi omnes unum ſemen vocantur, quia omnes in unum corpus coaleſcunt. Chriſtus ſcilicet eſt caput, fideles autem membra, ac proinde ſine Chriſto nullus eſt ſemen Abrahæ, ac Chriſtus propterea factus eſt ſemen Abrahami, ut omnes in ipſum credant, &, quæ ipſius ſunt, omnibus communia evadant.*

Verſ. 8. Τȣτέςιν ȣ̓ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τȣ̃ Θεȣ̃) Hæc B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. ita illuſtrat. Apoſtolus hic Midraſch ſive ſenſum myſticum ſequitur. Scilicet Iſaacus narratur a Moſe non ſecundum communem naturæ ordinem genitus eſſe, parentibus ejus, per ætatem ad generandum ineptis, & matre Sara, per naturam ſterili, ita ut in præcedentibus Apoſtolus vocaverit τὸ σῶμα ἀυτῆς νενεκρωμένον. Inde jam concludit, illos ſolos cenſeri in ſemine, non qui ſecundum communem naturæ ordi-

ordinem, ſed, qui vi promiſſionis Domini geniti ſint, atque declaraviſſe Deum, ſe ſibi jus reſervaſſe cenſendi in ſemine Abrahami, quos ipſe velit. Sicuti igitur Iſmael, qui ſecundum communem naturæ ordinem abſque divina promiſſione genitus eſt, non habitus fuit in ſemine Abrahami, cui Deus ſua promiſſione ſe alligaret, ſed Iſaacus, qui ex promiſſione divina eſt genitus, conſtituit ſemen illud, utque in Iſmaelis rejectione Deus nihil fecit fœderi ſuo contrarium; ita Deus, ſalvo fœdere, Judæos carnales, qui gratiam, in Chriſto oblatam, reſpuunt, excludere potuit, & gentes, credentes in illud ſemen, aſſumere, quia ſpirituales evadebant filii Abrahami, cum fidem Abrahami amplecterentur, adeoque naſcebantur Abrahamo, non κατὰ θέλημα τῆς σαρκός, ſed ſecundum promiſſionem divinam, dum ſcilicet fides Abrahami in illis producebatur.

Verſ. 10. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα) Elliptica hæc plerisque recte viſa eſt Pauli oratio. Ellipſin vero alii aliter exprimunt. B. *Lutherus* noſter ita: **Nicht allein aber iſts mit dem alſo** &c. i. e. hujus rei exemplum non Sara ſolum præſtat, quæ ſcilicet vi promiſſionis divinæ Iſaacum peperit; ſed & Rebecca idem confirmat. Non aliter Belgæ: *maar ook Rebekkaa is dar van een bewys.* Cl. *Hombergius* mavult ſubintelligere: *promiſſionem habuit*; ex v. 12. *dictum eſſe illi.* Fieri etiam poteſt, ut nomen Rebeccæ pro nominativo abſolute poſito accipiamus, ad quem referantur verba v. 12. ἐῤῥήθη αὐτῇ, hoc ſenſu: *Atque etiam Rebeccæ, ex eodem viro prægnanti, Iſaaco generis noſtri auctore, dictum eſt.* Ita rationes inſtituit præſtantiſſimus *Jo. Conr. Schwarzius* in commentatione de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 93. Ita prorſus *Philoſtratus* in Vita Apollonii lib. VI. c. 15. quem p. 92. affert, Ἀφορμαὶ δ' ὁπόσαι λόγων, τὰς μὲν αὐτὸς παραδίδου, τὰς δ' ἐγὼ δώσω. *Materiam ſermonum partim tu ſuppedita, partim ego dabo.* Nec deſunt alia hujus ſtructuræ in Sacris & externis Scriptoribus exempla, quæ idem ad *Olearium* de Stylo N. T. pag. 268. nos autem in Volumine I. harum Curarum pag. 745. 879. 955. & 1303. vindicavimus.

Ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν) Dubium eſt, quid ſibi velit phraſis: ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχειν. Plerique Interpretes referunt vocem ἑνὸς ad *Iſaacum*, alii ad *concubitum* ut ſcilicet indicetur, Rebeccam gemellos non *pluribus*, ſed *uni* congreſſui maritali debere. Hoc modo accepit *Vulg. ex uno concubitu habens*, ubi tamen *concubitum* legendum eſſe veri mihi ſimile videtur cum Cl. *Alberti* p. 319. Obſſ. Sacr. Eum interim ſequuntur Patres nonnulli, a *Millio* appellati, qui & præterea Codicem unum affert, in quo κοίτους pro κοίτην legitur. Sed iſta quidem lectio omnino falſa eſt, quia non eſt Græca. Κοῖτος enim Græcis *ſomnum* denotat, κοίτη vero nunc *cubile*, nunc *conſuetudinem maritalem*, nunc *ſemen genitale*, ut hoc loco, infert, & medio illo ſenſu tum LXX. Interpretibus paſſim, tum in N.T. adhibetur, qu d recte monuit *Grotius. Semen genitale* innuitur hac voce a τοῖς LXX. *Num.* V. 20. Compara Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 438. Taceo, κοίτου ſcribi debuiſ-

ſe, ſi a κοῖτος derivandum foret. Quamvis igitur interpretatio hæc, *ex uno concubitu*, in iſta lectione præſidium non inveniat, ex aliis tamen cauſis habita nonnullis eſt probabilis. Ita Cl. *Sigeberto Havercampo*, Profeſſori apud Leidenſes meritiſſimo, in notis ad Apologeticum Tertulliani p. 170. abſurdum viſum eſt, in tam caſta conjuge Rebecca peregrinam opem cogitare. Itaque & is ad unum congreſſum maritalem referre mavult, ut ſic omnis ſuperfœtatio excludatur, ac præterea tanto magis appareat, Jacobum & Eſavum, quamvis uno eodemque tempore conceptos & in lucem editos, diſſimillimam tamen fortunam inveniſſe. Ex noſtratibus B. *Wincklerus* in Expoſitione aliquoties citata p. 56. vertit: ſie empfing auf einmal von Iſaac; addita hac ratione, quod ſic occurratur exceptioni, quæ afferri poterat, dicendo: fortaſſe diverſo tempore utrumque fœtum fuiſſe conceptum, atque hinc factum, ut alter alteri poſtponeretur. Hoc vero a nemine cogitari nunc poterat, cum conſtaret, utrumque ex eodem ſanguine eadem vice profectum eſſe, & vel ſic primogenitum jure ſuo excidiſſe. Certe & erudite & ſapienter hæc ita dici nemo temere negaverit. Sed ſunt tamen, quæ mihi hanc interpretationem dubiam faciant. Primum enim non video, quid ſub vocibus ἐξ ἑνὸς intelligi debeat, ſi non ad *Iſaacum*, ſed ad *concubitum* referatur. Κοίτην huc afferre non licet: nam & vox illa ſtatim ſequitur, & ſi ἀπὸ κοινοῦ illam repetere velis, ſcribendum fuiſſet μιᾶς. Fortaſſe intellexeris χρόνου, ſed ſic deſideravero hujus ellipſeos exemplum, quemadmodum in ſimili phraſi ἐκ μιᾶς vel ἀπὸ μιᾶς, de qua Volumine I. p. 682. diximus, dari poteſt. Et ſi quid, quod huc pertineat, attulerit, non videro, unde pendeant voces: Ἰσαὰκ, τοῦ πατρὸς ἡμῶν. Perſpexit hanc difficultatem Cl. *Havercampus*, unde voces illas per appoſitionem ad nomen Rebeccæ referri vult hoc modo: *Rebecca, uxor Patris noſtri Iſaaci, ex una congreſſione prolem ſuſcipiens.* Sed ſynchyſis illa inſolentior mihi videtur, inprimis cum vox ἑνὸς proprior in promtu ſit, ad quam nomen Ἰσαὰκ ſpectet. Itaque huc omnino retulerim, non quidem eo ſenſu, quaſi alieni mariti opem excludere ſic voluiſſet Apoſtolus (hoc enim omnino nec per Rebeccæ conditionem, nec ad inſtitutum Apoſtoli opus erat) ſed ut indicetur, vel, Iſaacum illum unum fuiſſe Saræ filium, qualis Jacobus reſpectu matris ſuæ Rebeccæ non erat, vel, quod malim, ut appareat, gemellos illos ſibi omnino ſimiles fuiſſe, tanquam ab eodem patre Iſaaco genitos, & ab eadem matre editos. Fortaſſe & per vocem ἑνὸς ad gemellos ipſos, qui hic non diſerte appellantur, reſpectus haberi dici poteſt. Sic ideo omnino, quod Viri ante laudati (quibus *Hammondum*, *Starckium* ad h. l. & *Wolfburgium* p. 174. Obſſ. Sacrarum addes) ex ſua interpretatione recte conſequi putant, efficitur, nempe, ut ſimilitudo horum gemellorum omnimoda ratione ortus ſui manifeſtetur. Sed malo tamen inſiſtere prioribus. Video Anonymum auctorem, (quem *Chriſtfridium Wæchtlerum* eſſe ex Actis Eruditorum Lipſienſ. Tom. IX. Supplementorum. p. 370. conſtat) in ipſis illis Supplementis p. 11. contra Havercampianam expoſitionem diſputaſſe, quæ Cl. *Alberti* in præfatione ad *Periculum*

Criti-

Criticum, ceteris ejus animadverſionibus diluendis inprimis deſtinata, ſilentio prætermiſit, quamvis eam ſententiam antea probaſſet.

Longius a meta abit *Nortonus Knatchbullus*, qui voces ἐξ ἑνὸς ad antecedentem λογον ἐπαγγελίας refert, & vertit, *ex altero*, ſcilicet promiſſionis verbo. Si enim id voluiſſet Paulus, non video, cur non ſcribere potius voluiſſet, ἐκ τȣ̃ ἑτέρȣ, vel δευτέρȣ. Cl. *Herzogius* de poſitu Interpunctionum in hac epiſtola p. 12. τὸ, ἐξ ἑνὸς ad Deum promittentem reſpicere putat, & ſublato poſt vocem Ῥεβέκκα commate, ita verba interpretatur: *Non ſolum vero, ſcilicet ad hæc, quæ de Saræ filio prolata ſunt, reſpiciendum eſt, ſed etiam Rebecca, ex unius, qui Saræ promiſit, ore ſuam etiam habebat promiſſionem, quæ habebat, ſive ſola poſſidebat torum Iſaaci, a quo nos deſcendimus.* At ellipſis illa phraſeos, *promiſſionem habebat*, precario ſtatuitur, vox vero κοίτη rectius de *genitura*, quam lecto conjugali, accipitur, quam οἱ LXX. paſſim κοίτην σπέρματος appellant. Hinc & ſtatim v. 11. τῶν γεννηθέντων fit mentio.

Verſ. 11. Μήπω γὰρ γεννηθέντων &c.) Comma hoc & ſequens explicare inſtituit *Michael Mauduit*, Presbyter Oratorii Pariſ. in Analyſi Epiſtolarum Paulinarum, gallice edita Tom. I. Diſſert. II. pag. 586-606. Nihil cauſæ eſt, cur comma illud per parentheſin a v. 12. ſeparemus, ut ſic τὸ, Ἐῤῥήθη αὐτῇ v. 12. ad vocem Ῥεβέκκα referatur, hoc ſenſu: *ſed & Rebeccæ dictum eſt.* Si enim illud ſupplementum orationis ellipticæ, quod ad v. 10. indicavimus, admittatur, v. 11. & 12. optime cohærent hoc modo: *Cum enim filii nondum nati eſſent, nec quidquam egiſſent* &c. *dictum eſt illi*, Rebeccæ. Proinde nec enallagen caſuum, per quam Ῥεβέκκα caſum *nominandi* pro *dativo* acceperit, cum Cl. *Hombergio* pag. 233. ſtatuendam putem, quamvis non inficier, eam loquendi rationem alias occurrere.

Quod ad rem ipſam attinet, Paulus cum maxime in eo eſt, ut oſtendat, fundamentum υἱοθεσίας divinæ non eſſe poſitum in ortu naturali, ſecundum quem primogenitura v. c. aliquid prærogativæ habere ſolebat, nec in actionibus humanis, ſed in gratioſa Dei promiſſione & vocatione. Ante enim, quam gemellorum uterque natus eſſet, aut quicquam vel boni vel mali externe præſtitiſſet, promiſſio illa data erat.

Ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τȣ̃ Θεȣ̃ πρόθεσις μένῃ) Hic ἐκλογὴ non conſtituitur *regula*, ſeu cauſa προθέσεως, qua ratione ἡ ἐκλογὴ potius facta dicitur κατὰ πρόθεσιν, & κατὰ τὴν εὐδοκίαν τȣ̃ θελήματος, *Epheſ.* I. 5. & 11. Sed eſt potius *objectum*, circa quod *propoſitum* verſatur, quod cum *Varenio* hic ſtatuit *Starckius* l. c. p. 125. B. *Wincklerus* p. 64. ita vertit: **Der Wahl-Fürſatz, der wählende Fürſatz, oder, das Fürnehmen GOttes in der Sache der Wahl**, h. e. *propoſitum Dei ad electionem ſpectans.*

Verſ. 12. Ὅτι ὁ μείζων δȣλεύσει τῷ ἐλάσσονι) Ἐλάσσων dicitur *Jacobus* reſpectu Eſavi, i. e. junior reſpectu primogeniti. Confer de hac vocis notione *Jo. Andr. Boſii* Exercitat. ad 2. *Tim.* II. 22. p. 17. Servitutem hic memoratam non eſſe *civili*, ſed *ſpirituali* modo ſumendam, diligenter oſtendit *Wincklerus* p. 69.

p. 69. cujus verba repetit *Starckius* p. 125. Prior enim ſervitus nec in Eſavum adverſus Jacobum, nec in poſteros ejus adverſus Jacobi poſteros cecidit, ut patet ex 2. *Sam.* VIII. 14. 1. *Regg.* IX. 15. & 2. *Regg.* XIV. 7. Itaque Jacobus hic conſiderandus eſt, ut talis, qui promiſſionem Dei de Meſſia & Eccleſia ſeu cœtu ſancto habuerit, Eſavus autem ut talis, qui ſe cum poſteris ſuis a Jacobo, & ejus poſteris, atque adeo a promiſſione ipſi data, & cultu divino in ejus familia vigente, abſtrahere non debeat, ſed potius ejusdem promiſſionis fructus ex ipſo Jacobo & poſteris ejus capere. Quo præſtructo ſimul patet, non eſſe hic ſermonem de abſoluto in Eſavum odio, tanquam qui ſit a Meſſia. & ſalute in eo quærenda rejectus & propulſus. Conſtat autem verbum עבר in ſacris literis de religioſo cultu paſſim adhiberi, quo ſenſu eodem utitur ipſe Iſaacus, Geneſ. XXVII. 29.

Verſ. 13. Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαὰχ ἐμίσησα) Repetita hæc verba ſunt ex *Malach.* I. 2. ad quæ confer *Surenbuſium* pag. 457. De re ipſa, h.e. odio Dei in Eſavum & amore in Jacobum inſpice ſingulares diſſertationes *Jo. Muſæi* Jen. 1669. *Val. Alberti*, Lipſ. 1688. *Henr. Opitii*, præſide *Franckio*, Kilon. 1689. & 1710. & Rev. *Salom. Deylingii*, Lipſ. 1724. qui & in Obſervatt. Sacris edit. II. pag. 48. ſqq. ad *Geneſ.* XXV. 23. & locum noſtrum illi παράλληλον, contra *Marckium* in Exercitat. Scripturaria IV. pag. 230. oſtendit, Paulum hic non loqui de electione ad vitam æternam, nec de reprobatione ad mortem. Patrum de hac cauſa ſententias expoſitas habes a *Petavio* in Dogmatibus Theologicis Tom. I. lib. IX. cap. 6. §. 8. ſqq. & cap. 8. §. 2. ſqq. item cap. 9. §. 3. ſqq. tum cap. 10. toto & cap. 14. §. 4. Plerique noſtratium Theologorum τὸ μισεῖν idem eſſe volunt, quod *minus amare*, ſeu *poſtponere*, *poſthabere*, quam in rem lege poſt alios *Feſſelium* in Adverſariis Sacris Tom. II. pag. 445. & *Glaſſium* in Grammatica Sacra pag. 285. Iidem obſervant, ſermonem non eſſe de electione Jacobi ad vitam, aut deſtinatione Eſavi ad mortem, ſed de temporali tantum prærogativa Jacobi, fratris natu minoris. Iisdem patribus ſe jungit *Richard. Simon* in verſione Gallica, verba hæc ita convertens: *j'ay plus aimé Jacob, qu' Eſau*, Jacobum plus dilexi, quam Eſavum. Quo nomine cum ab aliis notatus eſſet, cauſam ſuam adductis tum aliorum, ſibi ὁμοψήφων, exemplis, tum rationibus, egit in Bibliotheca Critica ſub *Sainjorii* nomine edita Tom. VI. epiſt. 51. & 52. Viciſſim vero B. *Wincklerus* l.c. pag. 74. ſqq. contendit, odium hoc Dei in Eſavum ſimpliciter pro gravi & proprio odio habendum eſſe, ejusque indicium non in rebus externis & temporalibus, ſed ſpiritualibus potius eſſe quærendum. Id enim velle tum proprietatem verbi *odiſſe*, tum rem, de qua hic ſermo ſit, nempe gratioſam apud Deum υἱοθεσίαν. Addit idem, Deum dici amare Jacobum, in quantum nempe habebat Meſſiam, & promiſſionem de eo factam receperat. Ex quo conficit vi oppoſitorum, Deum odiſſe Eſavum, in quantum nempe is propoſitum electionis divinæ juri primogenituræ poſtponebat, nec Jacobo in Chriſto, vel Chriſto in Jacobo ſervire volebat. Eadem tamen opera probe monet, hinc non conſequi, propoſitum illud electionis abſo-

abſolutum eſſe, & ſine prævifa hinc fide, hinc incredulitate, factum: ſed id tantum, quod Deus in negotio electionis non ad ortum naturalem aut ad externa opera reſpexerit: quo ipſo tamen nec Chriſtus, nec promiſſio de eo facta, nec fides, qua illa promiſſio recipienda ſit, excludatur. Unde nec Apoſtolus dicat: antequam credidiſſent, vel non credidiſſent, aut, antequam vel fides eorum vel incredulitas fuiſſet prævifa, ſed, antequam nati eſſent. Præterea vero, Eſavum & poſteros ejus non abſolute aut ſimpliciter rejectos eſſe, inde quoque patere exiſtimat, quod alioquin Eſavus ad miniſterium Jacobo ſpiritualiter præſtandum, (de quo paulo ante) non fuiſſet ablegatus. Ceterum, quod ad Eſavi reprobationem abſolutam, atque hinc conſequentem ejus condemnationem attinet, eam nec ipſi Reformati doctores omnes agnoſcunt, nominatim *Jo. Prideaux* in Prælect. VIII. & *Jac. Laurentius* in Paulo δυσνόητῳ p. 252. tum vero *Pet. Juriæus* in Hiſtoria Dogmatum & Cultuum, ubi Eſavum typum quidem profanorum hominum conſtituit, reprobatum autem fuiſſe inficiatur. Lege huc *Chriſtiani Chemnitii* ſingularem diſputat. de ſalute Eſavi, *Paulinum* in Deliciis Philoſophicis Part. I. cap. 65. item *Jo. Stephan. Menochium* in Tractatibus eruditis, Italice editis Part. III. p. 551. ſqq.

Verſ. 14. Τί οὖν ἐροῦμεν, μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ) Priora verba indicium præbent objectionis, quam ex Judæis aliquis formare poterat, quaſi ex Apoſtoli doctrina huc dum tradita injuſtitiæ ſuſpicio in Deum conjiciatur. Ita enim Apoſtolus & alibi loqui amat, v. c. ſupra III. 3. VI. 1. & VII. 7. De injuſtitia in Deum non torquenda lege *Petavium*, ex Patribus, differentem, Tom. I. Dogmatum p. 352. ſqq.

Verſ. 15. Τῷ γὰρ Μωσῇ λέγει. Ἐλεήσω, ὃν ἂν ἐλεῶ &c.) Conſtat, quantopere Reformati Doctores ad abſolutum prædeſtinationis & reprobationis decretum probandum in hoc loco, ex *Exod.* XXXIII. (cum quo noſtrum confert Cl. *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico p. 124. ſqq.) petito recumbant. Eum vero ad hoc argumentum prorſus non pertinere jam pridem a noſtratibus obſervatum eſt, tum ex contextu orationis Paulinæ, tum ex ſerie narrationis, quæ Exodi l. c. exſtat. Quod ad priorem attinet, Apoſtolus, quod ante obſervatum eſt, prorſus non locutus erat de abſoluta hinc, electione Jacobi, hinc rejectione Eſavi, ſed de eo potius, quod non ortus naturalis, atque inde pendens prærogativa, ſed gratia Dei in Chriſto promiſſa, genuina & vera cauſa ſit υἱοθεσίας apud Deum. Quod ad poſteriorem, nempe narrationem Exodi c. 33. attinet, illa quidem attentius legentem convincet, verba hæc non in genere a Deo prolata eſſe, ut ad quodcunque argumentum vel individuum accommodari recte poſſint; nec ad populum Judaicum pertinere, ſed ad Moſen unice ſpectare. Is ſcilicet Deum videre cupiebat. Annuebat Deus ex parte, & eo modo, quo fieri id poterat, idque non ſine ſingulari & eximio favoris ſui & gratiæ in eum argumento. Hoc ipſum vero, nempe ὑπερβολὴν gratiæ ſuæ, Moſi declaraturus, ait Deus ad Moſen: וחנותי את אשר אחון gratiam & miſericordiam, i. e. *multiplicem & extraordinariam* gratiam (hanc enim geminatio phraſeos

omnino infert) illi exhibeo, cui eam facere libet; itaque nec omni, nec cuicunque, qui illam exemplo tuo a me requirere auſit. Hunc eſſe verborum illorum ſenſum, hunc Dei loquentis ſcopum, hanc vero etiam Pauli, verba iſta allegantis, mentem, inde conſtat, quod diſerte dicitur: Τῷ γὰρ Μωσῇ λέγει. Recte proinde de *extraordinaria* gratia, a Deo pro lubitu præſtanda, verba hæc accipi voluerunt noſtratium Theologorum nonnulli, v. c. *Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ Oraculo XXIX. & XXXI. inprimis B. *VVincklerus* l.c. p.89. ſqq. &, qui eidem applaudunt, *Fechtius* in præfat. ad commentarium Varenii in Jeſaiam, *Starckius* in Notis ad h.l. p.129. & *Alethæus* Tom.I. pag. 344. ſqq. *VVincklerus* id ſapienter urget, nuſquam alias in Sacro Codice ejusmodi phraſin, qua Deus hic utitur, occurrere, ubi de *ordinaria* ſua gratia loquatur; reſpectu illius enim potius dici, *Deum omnium miſereri. Rom.* XI. 32. Hanc vero extraordinariam gratiam Deus pro lubitu exhibere omnino poteſt, cui vult, ſine ulla injuſtitiæ ſuſpicione, quæ tum demum in eum caderet, ſi pro lubitu denegaret ordinariam & ſufficientem, quippe cujus ſpem omnibus fecit. Ex quo facile apparet, adverſarios nihil præſidii hic pro abſoluto Dei decreto invenire. Idem nuper alia ratione commmonſtrare inſtituit Cl. *Henr. Gottlieb Reime* in Miſcellaneis Lipſienſ. Part. IX. p. 194. ſq. Hic p. 205. verba Hebræa ita putat vertenda: *Nam gratioſus ſum, cui gratioſus eſſe poſſum; & miſereor lubentiſſime, cujus miſereri poſſum.* Interpretationis hujus ratio in eo poſita eſt, quod verba, quæ actionem ſeu effectum innuunt, frequenter nunc de *debito*, ut *Malach.* I. 6. & II. 7. nunc de *voluntate*, ſeu voto accipi debeant. Vide exempla apud *Glaſſium* in Grammat. Sacra Tract. III. Can. VII. *Danzium* in Interprete §. 96. & *Jo. Clericum* in Commentar. ad Deuter. XXI. 11. Appoſitus inprimis locus eſt Exodi VIII. 14. ubi de Magis Ægyptiis dicitur: ויעשו כן & *ita faciebant*, h. e. ita facere tentabant. Quos enim producere pediculos volebant, non poterant, ſed in conatu ſubſiſtere eos oportebat. *Facultatem* denotat ejusmodi verbum, e. g. *Exodi* IX. 15. *extendi manum meam & percuſſi te*, i. e. extendiſſem manum meam, & percuſſiſſem te. Id autem fieri ſpeciatim ſolet, ubi idem verbum repetitur, ut alterum protaſin, alterum apodoſin inferat. Tunc enim modo prius, modo poſterius *voluntatem*, aut *facultatem* infert. Sic *Levit.* VIII. 12. *Si ſacrificium laudis offerre velit; offerat.* Hoc ſignificatu ipſum verbum רחם occurrere Viro docto videtur *Zachar.* X. 6. quæ ita convertit: *Et roborabo domum Judæ, & poſteritatem Joſephi ſalvabo:* nam miſereri potero eorum. Addit in hanc ſententiam *Hoſ.* I. 6. & II. 4. & *Deut.* VII. 2. Hanc interpretationem contextus circumſtantias poſtulare idem arbitratur pag. 209. ex eo, quod populus Iſraëliticus ita fuerit comparatus, ut gratiam Dei eo tempore non reſpuerit, atque ſic Deus illi gratiam ſuam præſtare potuerit. Optimo, fateor, conſilio hæc ita dicuntur, quæ, ſi admittantur, omnem abſoluti decreti ſpeciem ab his verbis amolirentur. Sed vereor, ut pertinaci adverſario adductæ rationes ſe ſatis probent, quia conformatio hujus phraſeos ita potius comparata eſt, ut vel primo intuitu liberri-

mam

mam Dei voluntatem inferat, ad quam hic tutiſſime provocatur, ubi de extraordinaria Dei gratia, quam ipſe Vir doctus admittit p. 210. eaque ad ſalutis negotium non pertinente, ſermo eſt. Similem loquendi rationem & efficaciam deprehendo in verbis Pilati *Joh.* XIX. 22. ὃ γέγραφα, γέγραφα. i. e. *quod ſcripſi*, ita, & ideo pro lubitu & arbitrio meo, *ſcripſi*, ut ratum eſſet. Cl. *Reinius* Moſen ait ſe non indignum hac gratia præſtitiſſe, ut propterea Deus ipſi eam facere potuerit. Sed malim cum ſagaciſſimo *Wincklero* p. 90. ſtatuere, Deum verba illa repetiiſſe ideo, ut beneficium hoc a mera ſua gratia, non autem ullo Moſis, Viri alioquin eximii, & ſervi fideliſſimi, merito pendere, ſeque eam tum ipſi denegare, ſi vellet, poſſe, tum alii cuicunque, ipſi prorſus non æquali, largiri. Prior ita interpretatio facile ſe præ hac tuetur. Afferam adhuc in eandem ſententiam *Limborchii* verba ad h. l. *Indicat Deus*, inquit, *ſe gratia ſua & majore gratiæ ſuæ copia proſecuturum eum ſolum, quem ſibi pro arbitrio ſuo ad illam dignitatem eligere placuerit; ſe actionis ſuæ nullam rationem reddere velle. Non, quod ſibi actionis ſuæ ratio non conſtet, ſed, quod homini voluntas ſua ſufficere debeat, neque ullam facti ſui rationem reddere neceſſe ſit. Ita ſolent Reges loqui, quando nullam actionis ſuæ rationem reddere volunt. Inde liquet*, ita pergit, *injuſtum non eſſe, Deum in elargiendis beneficiis ſuis libertate uti, eaque largiri, cui vult; idque vel ſine ulla conditione, vel ſub aliqua, eaque qualiscunque illi placuerit; atque ita a beneficiis ſuis excludere, quotquot conditionem a ſe præſcriptam rejiciunt, aut acceptare recuſant. Quia enim miſerationes & beneficia ſunt quid indebitum, ideo non tantum ipſa beneficia, ſed & conditio, qua præſtita beneficia obtineri poſſunt, a benefactoris arbitrio dependent.* Atque ita nulla quoque cauſa eſt, cur cum Cl. *Chriſtoph. Wollio* in Diſputat. de uſu & abuſu ſynonymias p.27. verba contextus Hebræi *Exod.* XXXIII. 19. aliter interpretemur, in hanc quidem ſententiam: *Tibique favebo, quomodo* (quacunque ratione) *favere potero: tuique miſerebor, quacunque ratione miſereri potero.* Non nego, ſenſum eſſe commodum, & talem quoque, quem phraſes ipſæ ex genio Linguæ ſanctæ ferant. Voculæ enim את אשר eodem ſignificatu exſtant *Geneſ.* XXX. 29. & *Deuter.* XXIX. 15. & futurum tempus frequenter de *poteſtate* vel *conſuetudine* hoc vel illud faciendi adhibetur, ut *Geneſ.* XXXII. 12. Nolim tamen abire ab interpretatione τῶν LXX. quam S. Paulus hic approbavit, quamque nexus Paulini ſermonis poſtulare videtur.

Alii alia ratione duritiem, quam verba hæc habere viſa ſunt, amoliuntur. Illi ſcilicet commata 15.16.17.18.non ipſius Pauli,ſed adverſarii potius cujusdam mentem & exceptionem continuatam referre exiſtimant.Ita olim *Chryſoſtomus* de v. 16. ſpeciatim ſenſit, de ceteris vero ex recentioribus *Joach Camerarius* ad h.l.Auctor anonymus *cautæ expoſitionis*(der vorſichtigen Erklärung) capitis hujus p. 79. Cl. *Heumannus* in Pœcile Tom. I. lib.III.p.474. & Tom.II. 394.H.G.*Reime* Miſcell.Lipſ.Tom.IX.p.213. Rev.L.*Godofredus Kohlreiſius* in Biblioth. LubecenſeTom.I. p.24. ὡς ἐν παρόδῳ, diligentius autem & data opera

ra in Prolegomenis ad commentationem vernaculam egregiam, quæ ſub titulo: **Bericht von der Calviniſten Lehre aus der Hochfürſtlichen Mecklenburgiſchen** revidirten **Kirchen-Ordnung**, quæ Hamburgi 1722. 4. ἀνωνύμως prodiit, p. 29. ac noviſſime *Sam. Waltherus* **in Verſuch einer richtigen Erklärung des** IXten **Capitels** p. 11. ſqq. Hæc interpretatio ita ſe probavit Cl. *du Mont*, Paſtori quondam Eccleſiæ Reformatorum Gallicæ Lipſienſis, ut illam de abſoluto decreto ſententiam capiti huic ſuperſtrui poſſe negaret, teſte Rev. *Jo. Chriſtoph Colero* in Bibliotheca Theol. Selecta Tom. III. p. 451. Audiamus inprimis Cl. *Heumannum* pro hac interpretatione l. c. p. 477. perorantem. *Nimirum erramus*, inquit, *ſi Pauli ipſius mentem verſibus* 15-18. *exponi exiſtimamus. Imo vero ipſe ſibi Apoſtolus adverſatorem repræſentat, ejusque ratiocinia una cum fundamentis ipſorum proponit, deinceps diluenda graviter. Apparet hoc ex v.* 19. *&* 20. *ubi verba iſta:* Ἐρεῖς οὖν μοι, *&* ὦ ἄνθρωπε *luculenter & digito quaſi exſerto docent, Paulum hic cum alio quodam ſuæ ſententiæ oppugnatore diſputare. Nec impedimento eſt vocula* γὰρ *v.* 15. *exſtans. Namque hæc ipſa* προλήψεως *eſt indicium, Paulino quidem ſtilo, uti liquet ex* Rom. III. 5. ſqq. *ubi gemina prorſus dicendi ratio obſervatur. Iſthic enim Apoſtolus* v. 5. *pariter producit adverſarium, eumque loquentem inducit: & cum* v. 6. *ſuum* μὴ γένοιτο *æque, ut in noſtro nono capite ei obvertiſſet; ſtatim* v. 7. *objectionem ejus continuat, adhibita itidem vocula* γάρ. Τὸ γὰρ *igitur hiſce locis omnino propria ſua vi pollet, & rationem indicat, verum non Apoſtoli rationem ſed ejus, quem is ſibi elegit adverſarium.* Atque hanc eſſe vim particularum, *at enim*, & *enim* apud Latinos, ſicut τȣ̃ γὰρ apud Græcos variis exemplis Scriptorum Latinorum, item Græcorum Sacrorum *Matth.* XV. 27. & *Marc.* VII. 28. probat, quod idem antea facerat in præfatione ad *Georg. Dieter. Böhmeri* Commentarium de particulis Linguæ Lat. & Germanicæ, Francof. 1718. 8. editum. Acute hæc omnino ita diſputantur; ſed ſunt tamen quidam, qui me vexant, ſcrupuli, quos pace Viri doctiſſimi proponam. Quotiescunque Paulus formula illa in hac epiſtola ſibi familiariſſima, μὴ γένοιτο, utitur, tanquam reſponſione, ea, quæ objecta ſunt, generatim tanquam indigna repellente, toties reſponſionem aliam ſubjicit, prolatis vel argumentis, vel Scripturæ S. oraculis. Vide v. c. III. 4. 6. 31. VI. 2. 15. & XI. 1. Itaque idem hoc quoque loco eum feciſſe merito credideris, cum non ſufficiat, averſari ſimpliciter objectionem, ſed cauſam ſtatim promere neceſſe ſit, cur præter rem ea urgeatur. Videre quidem vir doctus ſimile exemplum ſibi videtur cap. III. 6. & ſqq. At ipſe ille locus, id, quod dixi, confirmat. Nam & ibi Paulus phraſi, μὴ γένοιτο, directam reſponſionem ſtatim ſubjicit: ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ θεὸς τὸν κόσμον; Deinde adverſarii exceptionem amplius urget v. 7. Obvertit vir doctus, ipſum comma 19. ἐρεῖς οὖν μοι evincere, cum adverſario Paulo hic rem eſſe, ad quem diſerte ſe convertat. Ego vero hic tantum videre mihi videor continuationem objectionis v. 14. a Paulo inchoatæ. Quemadmodum enim ibi per phraſin: Τί οὖν ἐροῦμεν; orationem ſuam ſuperiorem a dubiis diſſentientis diſtinguit, ita hic inſtantiam ejusdem a reſponſione

ſione paulo ante ſuppeditata ſeparat. Alioquin non video, quid iſta προσωποποιία adverſarii cum diſerta ejus compellatione opus ſit, ſi eum jam in ſuperioribus, ut contra Paulum diſputantem, introductum fuiſſe credamus. Taceo objectionem illam: Τί ἔτι μέμφεται; τῷ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε; ita comparatam eſſe, ut appareat, diſputatorem Judæum oſtendere voluiſſe, quod exemplum Pharaonis ad hoc argumentum prorſus non pertineat, ceu ex dicendis ad hoc comma patebit. Eadem vero opera intelligitur, ea, quæ antea v. 19. allata ſunt, eſſe ipſius Pauli, non autem adverſarii ejus, quippe qui alioqui contra ſe ipſum diſputaſſet. Ultima ratio, quam vir doctus pro ſua ſententia affert p. 479. non exiguam veri ſpeciem haberet, ſiquidem verba Pauli ea, quam ipſis tribuit mente induenda eſſent. Eam vero ita proponit: *An Deus adeo eſt injuſtus, ut abſoluto decreto damnet alterum, alterum ſalvet? Abſit: nam Deum abſolutum ejusmodi decretum omnino feciſſe, jam manifeſte demonſtrabo.* At alius & expeditior verborum Pauli cum ſuperioribus nexus in promtu eſt. Illum præſtantiſſimi Winckleri verbis exponam ex p. 87. l. c. Paulus oraculum illud divinum ad Moſen eo conſilio adducit, ut oſtendat, non eſſe ullam apud Deum injuſtitiam, ex eo, quod Eſavum ipſique ſimiles odio, Jacobum autem, & ei ſimiles, amore perſequatur. *Si enim Eſavum amare vellet, qui non, ut Jacobus, promiſſioni atque adeo ordinariæ & ſufficienti gratiæ inſiſtebat, facere aliquid deberet, quod eſſet extra ordinem. Hoc vero nec Eſavo, nec ulli hominum unquam promiſit, ſed libertati ſuæ penitus relictum eſſe voluit, ut ejusmodi gratia extraordinaria utatur, in quemcunque libuerit, inprimis ubi id, ut in Pharaone, cum gloriæ ſuæ incremento conjunctum fore perſpiciat.* Ita manifeſtum ſatis eſſe puto, quomodo utrumque exemplum, a Moſe & Pharaone ad probandam extraordinariam Dei gratiam deſumtum, reſponſionis loco adhibitum ſit a Paulo, ut intelligeretur, omnem injuſtitiæ ſuſpicionem a Deo longiſſime abeſſe. Atque hæ cauſæ ſunt, cur hypotheſi Cl. *Heumanni* calculum meum adjicere nondum poſſim, quam alioquin adeo non puto contemnendam, ut potius diligentiore conſideratione dignam eſſe exiſtimem. Veterum Eccleſiæ doctorum de his verbis ſententias legas, velim, apud *Petavium* in Dogmatibus Theolog. Tom. I. lib. IX. c. 3. §. 7. & c. 4. §. 2. item c. 8. §. 7.

Verſ. 16. Ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ) Conſecutio hæc eſt, quam ex oraculo illo proxime derivat Paulus, quod ſcilicet, ſi quis, neglecta gratia ordinaria, extraordinariam exſpectet & conſectetur, fruſtra eſſe debeat omnis hominis ejusmodi voluntas & conatus etiam intenſiſſimus, cum Deus illius (*extraordinariæ*) ſpem nemini fecerit, nec eum meritis cujusquam, inſtar præmii, promiſerit. Hic Paulus B. *Wincklero* p. 92. reſpicere inprimis videtur ad conatus Eſavi, feram ſectantis, ut per eum benedictionis paternæ particeps redderetur, quam etiam nacturus fuiſſet, ſiquidem ipſi Deus tam cito feram obtuliſſet. Jam vero fruſtra erat Eſavus, & Jacobus eam ex divino conſilio prævertebat. Ceterum ex hac conſequentia, quæ ex ſuperioribus fluit iterumque v. 18. repetitur, confirmatum me in ea opinione ſentio

tio, quod ipſius Pauli hæc verba ſint, non vero adverſarii. Paulus enim, quod obſervare mihi in epiſtola licuit, adverſarii objectiones ſtrictim & breviter profert, iis vero reſponſiones ſubjicit longiores, ita quidem, ut ubi vel exemplis, vel locis Scripturæ eam in rem utitur, illa, ducta ex iis conſequentia, ad argumentum accommodet.

Cl. *Herzogius* in Obſervationibus de Interpunctionum poſitu in hac epiſtola p. 12. Apoſtolum id hic velle exiſtimat, quod præſens Judæorum lapſus, *non volente; ſed properante Deo,* contigerit, quippe, *qui adhuc miſericordiam in eos habeat,* cap. XI. 29. 31. Itaque ad Deum vult eſſe totius hujus commatis ſubjectum. Sed manifeſtum mihi videtur, oppoſitionem hic fieri inter *hominem,* qui aliquid conſequi conetur, & *Deum,* a quo omnia pendeant. Imo τὸ θέλειν diſerte Deo tribuitur v. 18. qui verſus noſtro contradiceret, ſi hic τὸ θέλειν de Deo negaretur. Idem tamen probabile viſum eſt B. *Jo. Schulzio*, Rectori quondam Scholæ Hamburgenſis meritiſſimo, in Appendice ad hiſtoriam Pharaonis indurati p. 113. cujus argumenta ſummatim hic referemus. Obſervat nempe, Paulum in toto hoc capite, inde a v. 9. ad 29. fere non niſi de Dei affectu & animo agere, ut proinde de eo etiam hoc commate ſermonem tantum eſſe ideo veri fiat ſimile, quod a particulis concluſivis incipiat. Mirum quoque videri, quod, ſi duo priora participia non ad Deum referri debeant, ſicut tertium eo pertinet, vox ἀνθρώπου prioribus illis participiis non ſit addita. Idem p. 120. monet, genitivos hic obvios commode in eundem ſenſum verti poſſe per ablativos: *Igitur* (intuitu Dei utique judicium de homine agitur οὐ τοῦ θέλοντος, non per abſolutum quoddam decretum) *volente, neque* citra ullam moræ patientiam *feſtinante, ſed miſerante Deo.*

Sunt, qui per τὸ τρέχειν Paulum hic alludere putant ad ludos veterum Græcorum, quod alias facere conſuevit, v. c. 1. *Corinth.* IX. 24. *Gal.* V. 7. & *Coloſſ.* II. 11. Lege *Jo. Clericum* in Arte Critica Parte II. Sect. I. c. 13. p. 274. *Nempe,* inquit, *in ludis, ubi curſu certabatur, præmium non erat volentis, ſed celerius aliis currentis, ut ſunt quædam, quæ neque ſunt volentis, neque currentis, h. e. nitentis, quia ab induſtria humana non pendent.* Adde ejuſdem notas ad *Davidis Clerici* Quæſtiones Sacras p. 94.

Verſ. 17. Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραὼ ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε) Pertinet hoc exemplum Pharaonis ad confirmandum confectarium v. 16. ductum. Pharao enim ordinariam Dei gratiam repellebat, ſeque, iterum iterumque monitus, divino mandato opponebat, atque adeo iræ & judicio divino hoc magis reddebat obnoxium. Sed vel ſic, ipſi etiam invito, atque adeo non currenti, Deus ſingularem & extraordinariam gratiam largiebatur, non ſtatim eum extremis ſuppliciis ſubjiciens, ſed repetitis pœnis ad pœnitentiam animique mutationem invitans. Hoc enim ſibi velle phraſin: ἐξήγειρά σε, cui in Hebræo העמדתיך i. e. *ſtare te feci*, reſpondet, præſtantiſſimi quique Interpretes agnoverunt. Ita *Hammondus* Græcam vocem ἐξεγείρειν ex ſimplici ἐγείρειν exponit, quo *Jacobus* V. 15. utitur de Deo ægrotum a periculo mortis liberante. Similiter

ter *Jo. Clericus* ad *Exodi* IV. 16. obſervat, verbum Hebraicum העמדתיך idem eſſe, quod *conſervavi te*, quam verſionem contra aliorum interpretationes tuetur in Bibliotheca Vetere & Nova Tomo I. Parte II. p. 365. Ex *Reformatis* idem amplectuntur *Junius*, *Piſcator*, *Car. le Cene* in Specimine novæ verſionis Gallicæ p. 461. & *Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς pag 460. Ex *Pontificiis* autem *Pagninus*, *Arias Montanus*, & *Munſterus*. Ex noſtratibus denique omnes, nominatim *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. II. p. 402. *Wincklerus* l.c. p. 96. ſq. & *Starckius* in Notis ad h. l. p. 131. ubi contra eos curate diſputat, qui verbum hoc idem eſſe volunt, quod *conſtitui te in exemplum*, vel, *in ſcenam produxi*. Junge his Cl. *Franc. Wokenii* Moſen Hamonicum p. 85. ſq. Interpretationem hanc maxime firmat comma 15. Exodi IX. ubi Deus per Moſen diſerte ad Pharaonem ait, ſe jam pridem manum ſuam in eum extendere & peſtilentia percutere, adeoque ex vivis tollere potuiſſe, ſed huc uſque tamen benigne conſervaſſe. Idem expreſſerunt οἱ LXX. quando ita reddunt διετηρήθης, i. e. conſervatus es. Similiter *Hilarius* Diaconus in h. l. affert exemplum verſionis Latinæ, quæ hic legat: *in hoc ipſum te ſervavi*. Conf. *Richardi Simonis* Hiſtor. Critic. N. T. Part. III. p. 141. Videtur autem Paulus h. l. τοὺς LXX. ideo deſeruiſſe (confer *Lud. Cappelli* Criticam Sacram lib. II. c. 1. p. 55.) ut magis emphatice rem eandem & verbi Hebraici vim exprimeret, quia Pharaonem, tot plagis jam ſubjectum, & in faucibus quaſi mortis hærentem, iterum iterumque in vitam revocaverat, atque ex mortuis quaſi ſurgere fecerat. Tantum igitur abeſt, ut verbum hoc abſolutam quandam Pharaonis reprobationem inferat, ut potius beneficium Dei eximium & extraordinarium indicet.

Verſ. 18. Ἄρα οὖν, ὃν θέλει, ἐλεεῖ, ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει) Poſterius illud θέλει, quia a duobus MSS. abeſt, ex margine explicationis gratia olim ſcriptum, & in contextum tandem delatum eſſe opinatur *Millius* in Prolegomenis, recte contra nitente *Whitbio* in Examine p. 59. cum & codices tantum non omnes, & verſiones hic conſentiant. Sane, ſi poſterius illud ex S. Pauli calamo non fluxiſſet, nec prius θέλει exaraturus fuiſſet, ſed ita potius ſcripturus: ὃν μὲν ἐλεεῖ, ὃν δὲ σκληρύνει, quod infra v. 21. facit. Quod ad nexum horum verborum cum præcedentibus attinet, ſatis is quidem obvius eſt. Miſericordia enim & gratia Dei liberrima ex *Moſis*, induratio autem ex *Pharaonis* exemplo patet. Simul vero intelligitur, verba hæc cum Cl. *Herzogio* l.c. interrogative accipi non poſſe hoc modo: *Quæſo igitur, Deus in quem vult, in illum derivat ſuam gratiam, &, quem vult, indurat?* Quam quæſtionem ita ab eo illuſtratam video, quod Judæi ex Apoſtoli judicio ad neutrum horum reſpondere poſſint. Miſericordiæ enim divinæ ipſos Judæos exemplum eſſe; indurationis autem Pharaonem, quem ſi Deus indurare voluiſſet, non tam diu pertinaciam & petulantiam ſuſtinuiſſet. Obſtat huic ſententiæ, quod τὸ ἄρα ſemper a Paulo in hac epiſtola & alias adhibetur pro indicio conſequentiæ ex antecedentibus ductæ. Vide ſupra V. 18. VII. 3. 21. 25. VIII. 1. 12. &c. Atque eandem notionem hic requirit orationis ſeries, de qua modo diximus. Quod ad ipſam indurationem attinet, eam

patet

patet non ita capiendam eſſe, quaſi Deus Pharaonem in illam deſtinata opera præcipitem dederit: nam, quicquid Deus, pœnam extremam differens, atque adeo repetitis potentiæ ſuæ documentis Pharaonis emendationem quærens, faciebat, id longanimitatis divinæ indicium erat; viciſſim pravitatis ſuæ argumentum non inficiandum Pharao edebat, quod vel ſic animum obfirmabat, perſuadens ſibi, Deum etiam impoſterum eodem modo perpetuo in ſe acturum, & pertinaciæ veniam daturum eſſe. Iſta vero conniventia Dei cum reſpectu Pharaonis extraordinaria eſſet, illius exemplo temere alii uterentur. Ad eundem modum dicto huic lucem affundunt *Franzius* de Interpretat. Scripturæ Sacræ p. 310. ſqq. *Alethæus* Tom. I. p. 337. ſq. & B. *Jo. Schulzius* in Hiſtoria Pharaonis indurati, Hamburgi 1704. 8. ἀνωνύμως edita, in cujus appendice p. 106-127. comma hoc 18. & ſequentia nonnulla diligenter explanantur. Sunt, qui τὸ σκληρύνειν pro *duriter tractare* accipiunt, cum τὸ ἐλεεῖν idem ſit, ac benevole aliquem tractare, quemadmodum τὸ indurare v. 22. per exercitium potentiæ iræ explicetur, & ipſum Pharaonis exemplum doceat, eum a Deo duriter habitum, cum animum ſuum adverſus omnes Dei admonitiones obfirmaſſet. Ita ſtatuit Rev. *Rambachius* in notis ad Introduct. in epiſtolam hanc p. 113. qui præterea conferri jubet uſum hujus verbi apud τοὺς LXX. *Jobi* XXXIX. 16. & 2. *Paralip.* X. 14. obvium.

A ſcopo Pauli longius recedunt, qui verba hæc ad gentes integras referri volunt, eo ſenſu, quod Deus uni genti præ altera prærogativas quaſdam externas v. c. potentiæ, majeſtatis & protectionis ſuæ largiatur. Ita *Jo. Clericus* & *Jo. Lockius* ad h. l. qui poſterior etiam vaſa iræ, de quibus poſtea, gentem Judaicam, exilio & interitui proximam, per vaſa miſericordiæ vero Eccleſiam Chriſtianam, divino præſidio ſalvam, intelligit.

Verſ. 19. Τί ἔτι μέμφεται;) Eraſmus & alii vertunt: *quid queritur?* Beza vero: *quid adhuc ſuccenſet?* B. Lutherus: was ſchuldiget er denn uns? i. e. *quid nos culpat*, aut, *reprehendit?* Atque hoc rectiſſimum videtur Cl. *Jo. Alberti* in Obſſ. Sacris p. 321. Sic Gloſſæ: μέμφομαι, *incuſo*. *Epictetus* Enchiridio c. 3. μέμφῃ καὶ θεοὺς, καὶ ἀνθρώπους, *Deos homineſque incuſas.*

. Τῷ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε;) Interpretes plerumque ita convertunt: *quis voluntati ejus reſiſtere poteſt?* Nec ſine magna veri ſpecie. Nam idem hæc phraſis ſibi velle videtur, ac ſi dicatur ἀντιστῇ. Indicativus enim inprimis apud Hebræos ſæpe pro conjunctivo ponitur, & actio ſolita, vel etiam poſſibilis, exprimi Græcis ſolet per præterita vel aoriſtos, quem canonem huc advocat *Eraſmus Schmidius*. At B. *Wincklerus* p. 105. formæ verbi præteriti preſſius inſiſtendum putat, ut verba hæc a Judæo, hic excipiente, de ſe ipſo & aliis ſuæ gentis, ea ætate viventibus, proferri exiſtimentur, quaſi quærat: *quis noſtrum voluntati divinæ reſtitit?* Hanc vero interrogationem ex adducto Pharaonis exemplo ſubnatam arbitratur, qui ſcilicet ſe oppoſuerit Deo mandanti, & populo Iſraëlitico.

Verſ. 20. Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε) Græcos alias τὸ μενοῦνγε in medio ſermone tantum adhibere exiſtimat *Salmaſius* in Funere Linguæ Helleniſt. p. 152. Sed eodem

eodem ab initio ſententiæ utitur etiam *Ariſtoteles* Poëtic.c. 22. Μενοῦν φαίνεσθαι πῶς χρώμενον τούτῳ τῷ τρόπῳ γελοῖον. Vide Cl. *J. C. Schwarzii* notas ad *Olearium* de Stylo N. T. p. 289. B. *Rechenbergii* Exercitatt. in N. T. p. 11. & *Vigerium* de idiotiſmis Græcæ linguæ pag. 426. Ipſa interim particula corrigentis eſt, ut infra X. 18.

Σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ;) *quis tu es, qui reſponſas Deo?* Neſcio, cur Cl. *Hombergius* p. 233. reddi velit, tanquam in futuro eſſet poſitum: *qui reſponſurus es Deo.* Nam adverſarius, quem ſibi hic repræſentat Paulus, revera tunc cum Paulo *expoſtulabat*. Hæc enim verbi notio eſt. Idem per δικαιολογεῖν πρὸς τὸν θεὸν exprimit *M. Antoninus* XII. 5. ubi paulo poſt idem: οὐκ ἂν οὕτω διελεγόμεθα τοῖς θεοῖς. Ceterum reſponſio hæc indirecta eſt, & κατ' ἄνθρωπον, quod recte obſervavit Cl. *Heumannus* l. c. p. 484. hoc ſenſu: *Quis es, qui Deo obſtrepere auſis? quid ſi Deus abſoluta ſua potentia & illimitato jure uteretur, eodem modo, ut figulus ex abſoluto decreto ejusdem maſſæ aliam partem deſtinat paropſidi, aliam matulæ? Sane Deus nihil ea re faceret, niſi, quod ipſi faciendi jus eſſet. Verum,* quod idem p. 485. ſubjicit, *multa Deus poteſt per ſuam majeſtatem atque* ἐξοχὴν, *quæ non poteſt per naturæ ſuæ benignitatem.*

Μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι;) Πλάσσειν proprie dicitur de figulo, ut apud *Demoſthenem* Philipp. I. ὡς πλάττοντες τοὺς πηλίνους. *Ariſtophanes* homines vocat πλάσματα πηλοῦ, *formationes luti*, de quo loco lege *Lamb. Bos* Exercitatt. pag. 112.

Verſ. 21. Ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ;) *nonne figulus poteſtatem habet in lutum?* Simili modo *Matth.* X. 1. ἐξουσία τῶν πνευμάτων, *poteſtas in dæmones* dicitur. Poteſt tamen vox πηλοῦ etiam ad vocem κεραμεὺς referri, ut verbum ποιῆσαι pendeat a voce ἐξουσία.

Ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν) Eadem ſimilitudine utitur Auctor libri *Sapientiæ* XV. 7. *Plutarchus* in Conſolat. ad Apollon. pag. 106. ὡς γὰρ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ δύναταί τις πλάττων κ. τ. λ. & *Ælianus* Var. Hiſtor. XIII. 40. τὴν ἀμίδα καὶ τὴν οἰνοχόην *matulam & urceum* opponit. Conf. *Jo. Alberti* p. 322. Quod ad rem attinet, veterum Eccleſiæ Doctorum ſententias ex *Petavio* diſces in Dogmatibus Theologic. Tomo I. lib. IX. cap. 2. §. 3. & lib. X. cap. I. §. 9. ſq. Speciatim vero *Auguſtini* ibidem lib. IX. c. 8. §. 1. ſq. item cap. IX. & X. Ex noſtratibus legendæ ſunt diſputationes ſingulares *Jo. Majoris* de vaſis iræ & miſericordiæ, nec non honoris & ignominiæ Jen. 1691. *Abrah. Calovii* Witteb. 1671. *Jo. Hulſemanni* Lipſ. 1659. *Jo. Muſæi* Jen. 1652. in qua v. 19-23. a Reformatorum corruptelis vindicantur, & *Tobiæ Wagneri*, Tubing. 1669. B. *Wincklerus* p. 112. prudenter monet, ſimilitudinem hanc non eſſe extendendam ultra Pauli inſtitum & ſcopum. Hunc vero eo tantum contineri, ut appareat, ſicut indignum & abſurdum ſit, ſi vel fictile quodcunque, vel lutum in conditorem & figulum verbis animadvertere, ejusque conſilium reprehendere velit; ita non minus ſtolide acturum hominem, ſi contra Deum diſputare inſtituat. Id enim tantum Apoſtolus hic agit, ut evincat, hominem Deo obloqui non debere; quemadmo-

dum & humanum genus hic non alloquitur, ſed hominem τὸν ἀνταποκρινόμενον τῷ Θεῷ h.e. *cum Deo expoſtulantem.* Itaque fruſtra hinc efficere conantur Reformati doctores, quod Deus homines nonnullos ut vaſa iræ formet, cum Apoſtolus v.22. vaſa illa, ut jam præparata, repræſentet, in quibus Deus iræ ſuæ documenta edere conſtituerit. *Sebaſt. Caſtellio* in Opuſculis ſuis pag. 136. ſq. & 432. de hoc loco diſſerit, & inter cetera inquit: *Sapiens nullum vas facit ad frangendum, ſed, ſi quod vas vitioſum eſſe contingit, id frangit: ita Deus nullum hominem creavit ad frangendum, ſed ſi quem hominem malum eſſe contingit, eum frangit. Bartholdus Holtzfuſius*, doctor Reformatus, & Profeſſor quondam Francofurtenſis ad Viadrum, in Tract. Theolog. de Dei attributis & decretis divinis cap. X. verba hæc Pauli ad formationem quidem hominum, ſed ita, refert, ut nullo modo ad ſalutem vel damnationem eorum æternam, ſed potius ad res externas, & hujus vitæ reſpiciatur, quandoquidem alii homines a Deo vel Eccleſiæ vel Reipublicæ gubernandæ, alii ſervilibus miniſteriis præſtandis deſtinentur.

Verſ.22. Εἰ δὲ θέλων ὁ Θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν - - ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ, κ. τ. λ.) Particula εἰ, *ſi*, cum requirat ἀπόδοσιν, illa vero in ſerie orationis Paulinæ fruſtra quæratur, Interpretes diverſam rationem, qua rei conſulerent, inierunt. Alii enim *ellipſin* ſtatuunt, aliunde ſupplendam: alii *parentheſin*, quæ inde a v.22.uſque ad 29.ita decurrat, ut v.30. demum ad id redire Paulus credatur, unde erat digreſſus, & ſic τὸ εἰ δὲ cum v. 30. proxime conjungatur. Priores partes ſequuntur plerique, ſed & illi in uſu hujus hypotheſeos diverſis viis incedunt. Quidam ex antecedente v. 20. σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ ſupplementum orationis repetunt hoc modo: *quomodo tu expoſtulas cum Deo, ſi is, volens oſtendere iram ſuam, tulit multa patientia vaſa iræ.* Hoc placuit Cl. *Hombergio* in Parergis p.233. qui ita hæc verba reddit: *ſi vero Deus volens oſtendere iram* &c. *quis tu es ô homo, qui reſpondes Deo?* Idem tamen nec eum abſurde aut violente agere exiſtimat, qui cum *Beza* v.24. cum v.30. conjungat. Poſt *Hombergium* Anonymus, (cui tamen, cum Hombergium non appellet, ignotus hac in parte fuiſſe videtur) eandem ellipſin ex v. 20. ſupplendam cenſet **im freywilligen Heb-Opfer** Tom.II. p.833. atque hanc ſententiam amplius ornat Tom.IV. p.278.ſqq. & 291.ſqq. contra alium Anonymum, qui diſſentientem ſe profeſſus erat, & cujus ſtricturæ defenſioni ipſi l.c. ſubnectuntur. Alii, ellipſin itidem admittentes, eam non ex v.20. ſed ex ipſo argumento, de quo & Paulus agit, & ſubſtrata materia repetunt. Ita verſio Gallica *Montenſis* ſupplet ſenſum: *qui peut ſe plaindre de Dieu?* i. e. quis poteſt de Deo conqueri? *Clericus, que pouvez vous en dire*, quid habetis, quod excipiatis? *Limborchius* poſt *Grotium: an aliquid iniqui aut injuſti committit Deus?* ut alios omittam.

Cl. *Elſnerus* poſt τὸ δυνατὸν αὐτοῦ ſubaudiri vult: *nonne poteſtatem habet?* οὐκ ἔχει ἐξουσίαν, ex v. 21. ſicut *Joh.* XXI.22. Jeſus ait, *ſi eum manere volo*, ſcilicet, *nonne licet! quid hoc ad te?* qualem ellipſin apud Ariſtophanem in *Pluto* v. 563. occurrere, præeunte ibi Scholiaſte, obſervat. Cumque in eo, quod tanta patien-

patientia vaſa iræ toleraret Deus, nullum ſeveritatis, ſed χρηστότητος potius indicium inſit, poſt ἤνεγκε ſubaudit voculam ὅμως hoc ſenſu: *Si vero iram velit oſtendere Deus, & notam facere potentiam ſuam* (tamen) *multa longanimitate tulit* &c. Ejusdem vero voculæ ellipſin occurrere ait v. 27. hujus capitis: *ſi fuerit numerus filiorum Iſrael, ut arena maris*, (tamen). *reliquiæ ſervabuntur.* Cl. *Heumannus* l. c. p. 488. ἀπόδοσιν tanquam in Pauli animo latentem ad πρότασιν illam ita format: *ſi Deus tulit* &c. *non abſolutum aliquod Dei decretum cauſa eſt interitus hominum, ſed ipſorummet in peccatis perſeverantia, & vel maximis Dei beneficiis invicta pertinacia.*

At alii, interque eos *Beza*, & nuper Anonymus im Heb-Opffer l. c. comma 22. cum 30. τί οὖν ἐροῦμεν; immediate connectendum cenſent, atque ſic nullo orationis ſupplemento opus eſſe exiſtimant, hoc ſcilicet ſenſu proxime inde manante: *Si Deus tulit* &c. *quid ergo dicemus?* Adde Cl. *Chriſtoph. Wolle* commentationem de Parentheſi ſacra p. 67. ſqq.

Ab utraque parte abeunt, qui ſine quæſito ſupplemento, comma hoc abſolutum & pleniſſimum ſenſum fundere exiſtimant. Inter hos eſt eruditiſſimus *Jo. Conr. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu Chriſti antiquatis p. 104. qui ita conformat Pauli verba: Εἰ δὲ θέλων (ſcilicet ἦν) ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ. ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν. *Si autem vellet Deus declarare jus pœnæ exigendæ & potentiam ſuam demonſtrare: num tam patienter ferret homines, perniciem ſibi ipſis maturantes?* Eadem eſt ſententia Anonymi, (forte ejusdem *Schwarzii*) in Collectione Nov-Antiquorum Theologicorum anni 1730. p. 81. ſq. qui ibidem ellipſin τοῦ ἦν poſt θέλων, & particulæ ἂν poſt verbum ἤνεγκεν, tanquam idoneis Græciæ Scriptoribus receptam, demonſtrat. Is itaque poſtrema hujus commatis verba interrogative efferri cupit. Idem, quamvis ratione nonnihil diſſimili, viſum eſt Rev. L. *Kohlreifio* in commentatione vernacula paulo ante citata p. 28. Is comma 22. & 23. ita exprimit: *Num vero Deus eo conſilio, ut iram ſuam & potentiam demonſtraret, & ut viciſſim divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ ad gloriam paravit, teſtatas faceret, tanta patientia tulit vaſa iræ, quæ parata ſunt ad condemnationem?* Verba vero ita converſa in hanc ſententiam ex Pauli mente interpretatur: non poſſe hæc ſtare, aut ſecum invicem conciliari, quod Deus rejectos tanta patientia toleret, & nihilominus apud animum conſtitutum habuerit, iram ſuam & abſolutam poteſtatem in illos exſerere; aut quod eosdem rejectos tam patienter ferat, ut gloriam ſuam tantum in electos effunderet. Imo vero ipſam illam Dei patientiam & longanimitatem argumento eſſe, quod Deus non decreverit eos pro abſoluta ſua potentia rejicere, ſed potius & ipſis illis rejectis, non autem ſolis electis, gloriæ ſuæ divitias commonſtrare in animo habuerit. Omne hujus ſententiæ præſidium in ſignificatu voculæ εἰ repoſitum eſt, quæ ſcilicet *interrogative* collocata plerumque negationem vehementem inferat. Id patere ait tum ex אם Hebræorum, cui τὸ εἰ reſpondet, tum ex variis locis N. T. v. c. *Matth.* XII. 10. *Luc.* XIII. 23. XIV.

 3. &c.

3. &c. Miratur eodem loco vir doctus, qui fieri potuerit, ut Interpretes ad illam τοῦ εἰ ſignificationem non attenderint, cum tamen utrique commati ſignum interrogandi ſubjiciatur. Enimvero illa interrogandi nota in omnibus exemplis editis non obſervatur. Et triplex ſe mihi hic obtulit varietas. Alia enim exempla notam illam neutri ſubjiciunt, v. c. Argentoratenſis Bœcleri an. 1645. 17. alia commati 22. tantum ſubnectunt, & Amſtelodamenſis Curcellæi 1675. 8. alia poſt v. 23. demum collocant, tanquam qui cum proxime antecedente v. 22. arctiſſime cohæreat. Ita Millium in ſua editione egiſſe deprehendo. Hæc procul dubio cauſa eſt, cur Interpretes, & ipſe B. Lutherus noſter, de illo interrogandi ſigno vel prorſus non, vel non admodum, cogitarint. Interim interrogationis hujus rationem maxime habuit nuperus Interpres Anglicanus in editione N. T. Græci Londin. 1729. 8. quamvis eam non tam a vocula εἰ, quam conſuetæ ſignificationi relinquit, quam ab ipſa orationis ſtructura pendere faciat. *If the divine being has patiently bore with thoſe objects of his diſpleaſure, that had been working out their own deſtruction, why may he not reveal him ſelf to make them feel his vindictive power, and diſplay his infinite goodneſs to ſuch objects of mercy, as he had prepared for glory?* i. e. Si divinum Numen patienter tulit objecta iræ ſuæ, quæ ſuam ſibi adſciverunt perniciem, quomodo ſe ita gerere non debeat, ut illa quidem vindictæ ſuæ vim ſentiant, viciſſim vero infinitam ſuam bonitatem experiantur objecta gratiæ, quæ in gloriam paravit?

Si meam requiſiveris ſententiam, nihil intercedere video, quin iis me jungam, qui ellipſin ſtatuunt, eamque ex v. 20. ſupplent hoc modo: *Si vero Deus tulit* &c. *quid obvertes Deo?* Ita jam olim ex noſtratibus *Mylius* ad h. l. *Oratio*, inquit, *tota ἀποσιώπησιν habet. Nunc, poſtquam dixit, ſi ita libeat utrinque Deo &c. ſuſpenſa oratione lectori ſenſum proximæ orationis ſuggerit, nimirum, quis eſt homo, qui reſponſare auſit, aut in jus vocare Deum?* Neque obſtat particula δὲ in εἰ δὲ, ceu objicit Anonymus im Heb-Opffer l. c. modo ſupplementum illud non in initium v. 22. ſed in finem v. 23. rejiciatur. Simile hujus ellipſeos exemplum exſtat ſupra IV. 1. ubi Apoſtolus quæſtioni ſuæ: τι οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα; nullam reſponſionem ſubjicit diſerte, ſed occaſionem lectori facit, eam ex ſequenti verſu ſupplendi. Vide, quæ ibi nos diximus. Sic infra v. 32. phraſis διώκουσιν ἀυτὸν vel ἐδίωξαν ἀυτὸν ex v. 31. repetenda eſt. Et conſtat præterea, in ſacris ſæpe alterum orationis membrum ex altero eſſe repetendum. Hæc magis mihi obvia videntur, quam ſi v. 22. cum v. 30. conjungamus. Id enim per particulam οὖν in verbis τί οὖν ἐροῦμεν; fieri non poteſt, niſi & hic alio ſupplemento iterum ſuccurras. Præterea vero commata illa hujus capitis extrema non tam ad v. 22. & 23. reſpiciunt, quam ad totam tractationem capitis IX. quam Paulus hic in ſummam refert, & obſignat. Interim id certum eſt, Paulum ea, quæ inter v. 23. & 30. interjiciuntur, quaſi per parentheſin (cujus notam editiones quædam v. c. *Pariſ.* 1550. fol. & *Baſil.* 1553. 8. habent) ſermoni inſeruiſſe. Quam in rem lege Cl. *Heumannum* l. c. p. 488. Parentheſibus enim S. Apoſtolum libenter uti, vel caput I. hujus epiſtolæ demonſtrat.

Quod

Quod ad interpretationem *Kohlreiſianam* ſpectat, nemo negaverit, τό εἰ, cum interrogandi ſigno poſitum, interrogationem inferre, at, quod idem ita poſitum *negationem* ſimul plerumque ſecum ferat, non æque poteſt affirmari. Certe in omnibus, quæ Vir doctiſſimus ex N. T. attulit, exemplis nullum invenio, quod eo pertineat. Omnia enim nudam præferunt interrogationem directam, cui deinceps reſponſio ſubjicitur. Nonnunquam tamen, v. c. *Jobi* VI. 5. 6. negationem complecti, non inficior. Id vero non ex particula ipſa, aut interrogandi ſigno, ſed ex argumento, quod tractatur, intelligitur.

σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν) *vaſa iræ comparata* ſeu *aptata ad interitum.* Aptata dicuntur paſſive, non commemorato agente, quem alii *Deum,* ut Reformati, alii *homines* ipſos, malitiæ ſcilicet ſe dedicantes, & hoc modo exitio ſe devoventes, intelligunt. Atque hi omnino recte agere exiſtimandi ſunt. Apoſtolus enim, ubi de vaſibus miſericordiæ agit, immutat orationem, & Deum eos ait *præparaſſe ad gloriam*, cum vaſa iræ dixiſſet in genere parata eſſe in perniciem. Nec præter rationem vel hominis, vel alius rei, cui *aptatio* illa ſit adſcribenda, mentionem fecit. Nam plures hic cauſæ concurrunt, & operam ſuam conferunt, nempe *homo* ipſe, *diabolus*, *mundus*, *prava exempla*, *conſuetudo inveterata.* Non tamen negarim, ad homines ipſos hic inprimis reſpici, ut ſcilicet dicantur, vaſa a ſe ipſis ad interitum aptata & diſpoſita. Participia enim paſſiva ſeu intranſitiva ſæpe habent ſignificationem activam reciprocam. Ita *Actor.* XIII. 48. commemorantur τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, ubi vide, quæ diximus. Id ipſum nonnulli Reformatorum doctorum agnoverunt, nominatim *Pet. Molinæus* in Anatome Arminianiſmi cap. XIV. §. 9. *Id quoque*, inquit is, *apprime obſervandum eſt, Apoſtolum, agentem de reprobis, dicere, ea eſſe vaſa aptata ſeu præparata ad interitum. Non dicit, Deum eos paraviſſe aut aptaviſſe ad interitum, ne videretur dicere, Deum eis indidiſſe peccatum, quo ad exitium præpararentur. At cum agit de electis, flexo ſermone, dicit, Deum eos præparaviſſe ad gloriam: quod quidem facit, dando eis ſpiritum & fidem. Non temere eſt, quod Apoſtolus noluit utribique eodem modo loqui: nempe quia Deus alios invenit vaſa aptata ad interitum: alios facit vaſa deſtinata ad gloriam, idque miſerando.* Sic & *Bartholdus Holtzfuſius* in Tract. Theolog. de Deo & attributis ejus cap. X. verbum κατηρτισμένα reddit per *perfecta*, & *conſummata*, h. e. vaſa ejusmodi, quæ ea habeant omnia, quæ homines damnationi obnoxios reddant, additque, hinc conſequi, Deum iram ſuam manifeſtare in homines, qui Deum peccatis, inſtar theſauri cumulatis, irritarint, quos ipſe diu tulerit, & ad pœnitentiam invitarit Rom. II. 4. quique tandem æternis pœnis ob continuam pertinaciam ſubjiciantur. Atque iſta quidem ſi ex verbis, prout jacent, æſtimentur, recte opponentur tum aliis Reformatis, tum *Witticbio*, qui in commentario ad h. l. non veretur, vaſa illa κατηρτισμένα, ſeu *parata a Deo* dicere. Idem procul dubio voluerunt Interpretes Galli *Montenſes*, quando vocem κατηρτισμένα reddunt in textu per *preparez*, in

margine

margine vero per *formez* & *deſtinez*, cujusmodi interpretationes aliæ afferuntur in Continuata defenſione illius verſionis p. 68. ſeq. quæ & in ſequentibus infelici conatu defenduntur. Rectius Interpres *Anglus* paulo ante allatus: *that had been working out their own deſtruction*, qui ſuam ſibi conciliarunt perniciem. Addemus hic ea, quæ B. *Theod. Daſſovius* in Diſput. III. de Emphaſi Sacrarum Vocum p. 18. ad illuſtrandam phraſin hanc ex Hebræorum antiquitate affert. Obſervat is, Hebræos vaſa diverſi generis non appellaſſe vel ad decus, vel ad dedecus parata ex conſilio figuli parantis, ſed ex uſu, ad quem adhibebantur. Ita vaſa recipiendis idonea *contemta vaſa*, ſeu *vaſa ad dedecus*; ea vero, quæ ad ornatum ſpectabant, *vaſa ad decus* appellabant, ut patet ex *Jarchio* & *Bartenora* in Miſchnam de Idololatria cap. III. confer *Aruch* fol. 82. col. 2. Ipſi vero figuli in formatione vaſorum non reſpiciebant, cui uſui inpoſterum ſint deſtinanda, ſed omnia ſollicite in ſingulari conclavi ſervabant, & ab immunditie libera præſtabant, ut deinceps pro lubitu vel honeſtiori vel inhoneſtiori uſui deſtinari poſſent. Anonymus eruditus in Collectione Nov-antiquorum Theologicorum continuata anni 1730. p. 85. σκεύη ὀργῆς explicat per eos, *qui ſupplicio ſint digniſſimi, quique ſuam ipſi perniciem maturaſſe, & ad eam omnia ſua per ſe ipſos comparaſſe dicantur.* Verba enim paſſiva ait ſæpiſſime reciprocorum naturam & vim obtinere.

Quod ad rem ipſam attinet, manifeſtum ex dictis eſt, Paulum omnem injuſtitiæ ſuſpicionem a Deo eſſe amolitum, ac præterea ſubindicaſſe, Deum pro lubitu ſuo & ſalva juſtitia ac bonitate ſua quibusdam, ut Moſi & Pharaoni, *extraordinariam* quandam gratiam ſuppeditare, cum idem nemini gratiam *ordinariam* & ſufficientem invideat, ſed ita potius largiatur omnibus, ut & *impios*, gratiamque Dei pertinaciter conculcantes, diu toleret, & *morigeros* in bono conſervet, & ampliſſime remuneretur.

Verſ. 23. Καὶ ἵνα γνωρίσῃ) Τὸ καὶ pauci quidam Codices hic omittunt, ideoque expungendum cenſet, tanquam, quod ſenſum turbet, *Lockius* in commentar. ad h. l. Nolim vero ita agi. Reſpicit enim illud καὶ ad v. 22. ubi Paulus dixerat voluiſſe γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτȣ̃ i. e. *manifeſtare potentiam ſuam.* Jam v. 23. idem innuit, Deum *etiam* ex altera parte *gloriam* ſuam demonſtrare voluiſſe. Ideo addit τὸ καὶ, quod idem eſt, ac ſi pro καὶ ἵνα γνωρίσῃ ſcripſiſſet, καὶ γνωρίσαι. *Grotius* τὸ καὶ additum hic putat, ut indicaretur, Deum ita tum aliis de cauſis, tum etiam *ideo* egiſſe, ut &c. Hoc vero longius videtur petitum.

ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν) Sic *Philo* p. 17. Operum de Deo, τὰ ἐν κόσμῳ πάντα προητοιμάσατο, monente Cl. *Alberti* in Muſeo Bremenſi l. 1. p. 118.

Verſ. 24. Οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς) Loquitur Apoſtolus de σκέυεσι ſeu vaſibus iræ, atque adeo, dum τὸ οὓς adhibet, non ad vocem, ſed ad res, ſeu perſonas voce deſignatas, reſpicit, more non Sacris ſolum, ſed & profanis Scriptoribus recepto, cujusmodi exempla paſſim in Volumine I. harum Cura-

rum

rum attulimus. Alia legantur apud eruditum Anonymum in Collectione Nov-antiquorum Theologic. continuata anni 1730. p. 86. ſqq.

Ου μόνον ἐξ Ἰουδαίων) *Knatchbullus* & cum eo *Hombergius* pag. 234. ſtatuit hic trajectionem particularum ὀ μόνον, easque ante vocem ἡμᾶς ratione ſenſus collocandas cenſet; *non modo nos ex Judæis* &c. Sed non puto ea opus eſſe, modo obſervemus, Paulum hic per ἡμᾶς ſe & cœtum Romanorum ad quos ſcribebat, exprimere. Inter eos vero non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus Chriſto nomen dederant. Niſi id admittas, nihil erit, a quo pendeant ultimæ voces: ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν.

Verſ. 25. Ὡς καὶ ἐν τῷ Ὠσηὲ λέγει) De oraculis illis Hoſeæ & ceteris hic allatis lege *Jo. Melchiorem* Tomo I. Operum Theologic. p. 478. ſqq. & *Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 464. ſqq. De Hoſeæ locis ſpeciatim *Jo. Pearſonium* in notis ad Ignatii epiſtolas p. 3. & Anonymum im frenwilligen Heb-Opfer Tom. I. p. 301. ſqq. item *Croium* in Obſervatt. Sacris p. 178. & inprimis *Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* pag. 336. ſqq. ubi contra Judæum diligenter oſtendit, apud *Hoſeam* I. 10. & II. 22. non tantum de Judæis, quod ille volebat, ſed Gentilibus etiam, aliquando ad Deum vocandis, ſermonem eſſe. Eo enim conſilio tum *Hoſeæ*, tum *Jeſaiæ* loca promit Apoſtolus, ut oſtendat, placuiſſe Deo, gentes non minus quam Judæos ad fidem in Jeſum vocare, id quod factum jam eſſe, v. 24. dixerat. Hoc enim modo ſapienter judicabat futurum eſſe, ut offenſio, quam hinc capere poterant Judaizantes, per tam diſerta Prophetarum oracula amoveretur. Nervum hoc ipſum ex Hoſeæ loco probandi recte B. *Seb. Schmidius* in phraſi: ἐν τῷ τόπῳ *in loco illo*, quærit, quem Chaldæus Interpres de regionibus gentium accepit, in quas Iſraëlitæ ſint deportandi, quando vertit: *& erit in loco, quo abducti ſunt inter gentes.* Quod ſi enim inter gentes Judæis prædicandum erat Evangelium, ſequitur, Gentiles quoque ejuſdem præconii futuros eſſe participes. Confer *Starckium* ad h. l. p. 137. De phraſi τὸν ὀ λαόν μου per figuram *hyphen* collocata vide *Pauli Antonii* Diſſertat. de Philoſophiſmis N. T. §. 26. Nec omittendum eſt, Apoſtolum theſeos ſuæ probatione, quod Deus non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus ad ſe vocaturus ſit, ita per χιασμὸν quendam defungi, ut primum quidem id de gentibus, quas poſteriori loco poſuerat v. 24. deinde vero de Judæis v. 27. oſtendat, id quod vel ex eo apparet, quod diſerte in commemorando Jeſaiæ oraculo v. 27. τοῦ Ἰσραὴλ meminit. Lege huc M. *Chriſtoph. Stralii* Diſputat. de μεταθέσει Theſium & Probationum in N. T. §. 14.

Verſ. 27. 28. Ἡσαΐας δὲ κράζει, κ. τ. λ.) Inſpice *Surenhuſium* l. c. & ſingulares diſſertationes B. *Zach. Grapii* de Verbo abbreviato *Roſtoch.* 1700. ut & B. *Martini Chaldenii* de Computo Dei in ſalvandis electis Witteberg. 1712. qui poſtremus id inprimis agit, ut oſtendat, in hoc Jeſaiæ oraculo nihil præſidii invenire perverſam de electione doctrinam, & ſpem de reſurrectione Judæorum univerſali. Adde *Starckium* p. 137. ſqq. item *Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* pag. 317. tum vero *Vitringam* in Commentar. ad h. l. pag. 282.

282.ſqq. Nos quidem in omnibus, quæ huc pertinent, excutiendis verſari non poſſumus, ea tantum breviter commemoraturi, quæ propius ad inſtitutum noſtrum faciunt.

Ὑπὲρ τȣ̃ Ἰσραὴλ) Τὸ ὑπὲρ idem eſt, quod *de*, non quidem ex Hebraiſmo, ubi τὸ על eandem notionem habet, ſed etiam ex uſu profanorum ſcriptorum, ſpeciatim *Polybii* lib. II. cap. 37. ὑπὲρ ὧν σαφέστερον ἐν ἑτέροις δηλώσομεν, *de quibus ſigillatim alibi dicemus.* Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 439.

Verſ. 27. Ὡς ἄμμος τῆς θαλάσσης) De formula hac proverbiali conſulendus eſt *Vorſtius* de Adagiis N. T. cap. II. in calce Philologiæ ſacræ. Totum hoc comma cum ſequentibus nonnullis exponit *Michael Mauduit*, Presbyter quondam Oratorii Pariſienſis, in diſſertatione ſingulari, quam Tomo I. Analyſeos epiſtolarum Paulinarum & Canonicarum gall. Rothomagi 1713. 8. recuſæ ſubjunxit p. 606-623.

Verſ. 28. Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ &c.) Interpolationem quandam, a librario profectam, ſtatuunt *Grotius*, *Millius* ad h. l. & ex noſtratibus Celeberr. *M.C. Pfaffius* in Diſſertat. de Variant. lectionibus N. T. pag. 141. 186. & 225. *Millius* ex Codice Alexandr. legi vult: λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ποιήσει Κύριος ἐπὶ γῆς. Idem probat *Pfaffius* pag. 225. niſi cum *Theodoreto*, quem idem pag. 141. ſequendum cenſuerat malueris: λόγον γὰρ συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. Rationes quidem has affert, quod comma, prout hodie legitur, manifeſtam contineat ταυτολογίαν, cujusmodi nihil exſtet in contextu Jeſaiæ. At enim vero totum comma genuinum eſſe, & eadem a Jeſaia dici X. 22. 23. quæ a Paulo hic in unum ſermonem compingantur, oſtendit *Starckius* l. c. Hæc apud ipſum legi velim, ea allaturus, quæ *Campeg. Vitringa* in commentario ad h. l. pag. 283. contra alteram illam ſententiam recte diſputavit. *Falſum eſt*, inquit, *Græca LXX. Interpretum & Pauli reſpondere illis tantum Hebræis, quæ vir doctus exhibet. Integra ſententia, quam Græca Pauli repræſentant. exſtat in parte poſteriore commatis 22. & comm. 23. eſtque hujusmodi :* כי כליון חרוץ שוטף צדקה׃ כי כלה ונחרצה אדני יהוה צבאות עשה בקרב כל הארץ׃ *Priora illa :* λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ *reſpondent his Hebræis :* כי כליון חרוץ שוטף צדקה *reliqua Græca ſequentibus, eaque rectiſſime reddunt. Secundo objicit, eſſe in hac ſententia* ταυτολογίαν. *Reſpondeo a) in Græcis Pauli non eſſe majorem* ταυτολογίαν, *quam in Hebræis Jeſaiæ, quæ vir doctus omnia non expendit, b) negare me in Jeſaianis & Paulinis ullam eſſe* ταυτολογίαν. *Poſterior ſolummodo ſententia, quæ commate 23. continetur, priorem, quæ eſt in fine comm. 22. confirmat, & declarat, quod in ſexcentis aliis per ſcripturam obtinet, & obtinere nemo negat. Modo obſervetur, in ſententia Græca participium accipi pro verbo formæ præſentis : nulla in Græcis eſt difficultas. Quod enim vir doctus hic quærit, quid eſt illud* συντελεῖν καὶ συντέμνειν λόγον; *ut non ſatis perite quæritur (eſt enim phraſis ad Hebræam formata & elegans) ſic jam*

ab

ab eruditis viris eſt expoſitum. Confer in eandem ſententiam *Guſſetii* Lexicon Hebr. rad. הלך lit. E. & חרץ lit. C. ut & auctores Memoriarum Trevoltienſium an. 1711. p. 1728. ſqq.

Eidem loco lucem affundit Cl. *Elſnerus* p. 49. obſervans, *declarare Prophetam, certiſſimam fore ſuo tempore τȣ̃ καταλείμματος converſionem, quia Dei decretum conſummandum, quodque juſtum declaratum eſſet, certiſſime perfici deberet.* Eo fine verba Hebraica כליון חרוץ שוטף צדקה vertit: *conſummato decreto exundat juſtitia,* In Græcis τὸ, λόγον συντελεῖν, cum de decreto & judicio ſermo ſit, idem eſſe ait, quod, *rem decretam perficere,* quemadmodum *Diodorus Siculus* lib. I. pag. 18. συ τελέσαι τὸ δόξαν, i. e. *exſequi decretum,* dixerit; & τὸ συντέμνειν idem, quod *celeriter perficere.* Hinc *Heſychius* συντεμῶν explicat per συντελέσας. Comparandus denique eſt eruditiſſimus *Alberti* in Periculo Critico p. 53. rectiſſime monens, poſt verba, λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ ſubintelligendum eſſe ἔϛαι, hoc ſenſu *rem abſolvet, & concidet juſte*; ſive, *cauſam cum juſtitia definiet, atque abſolvet breviter & abſciſſe,* ut loquitur Valerius Max. III. 7. 6. Hic enim λόγον poni pro *re*, more Hebræorum pariter & Græcorum, imo locum *rem* vel *cauſam* depoſcere *forenſem* ſeu *judicialem*, quam Deus juſte pronunciatam ſevere ac rigide exſequeretur. Quo ſenſu *Philoſtratus* Vit. Apollonii VII. 17. συντετμήσονται οἱ ἐν δικαϛηρίῳ λόγοι. Hanc interpretationem mihi inprimis placere non diffiteor. Singularia hic ſunt B. *Godofr. Olearii* cogitata in Prælectionibus MSS. ad h. l. quæ in compendio referam. Deus, inquit, rationes eſt conſummans, vel extendens & contrahens, idque juſtiſſime. Scilicet Propheta & Apoſtolus primum fecerant mentionem ἀριθμȣ̃ v. 27. unde ad allegoriam calculatoris (**eines Rechenmeiſters**) devenit, & ait, Deum rationes æquare, & ad liquidum deducere, **GOtt mache die Rechnung richtig, GOtt ziehe die Zahl zuſammen**, **und** reſecire **die Nullen, die keine Zahl ausmachen. Es iſt eine groſſe Zahl, aber es ſind viel Nullen darinnen, die werden abgeſchnitten.** In hanc ſententiam vocem Hebraicam כליון & Græcam λόγος de *ſumma* accipit, de qua Deus aliquid reſcindat, atque eo refert voces חרוץ & συντέμνων. Hoc ipſo Deus rationes perficit in juſtitia: **er macht nach ſeiner Göttlichen Rechnung die Sache richtig**, dum ſcilicet λόγον συντετμημένον i. e. rationem contractam ſuper terra facit, h. e. talem, ex qua ingens numerus reſcindatur. B. *Lutherus* τὸ συντέμνειν convertit per **ſteuren**, quam interpretationem a Græco verbo non abhorrere oſtendit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 438.

Ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει κύριος) Τὸν λόγον συντετμημένον de Evangelio, ſeu doctrina de fide in Chriſtum interpretantur veteres Eccleſiæ doctores, quos appellatos vide a *Svicero* Tom. II. Theſauri p. 1187.

Verſ. 29. Καὶ καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας) Lege *Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 471. & Celeberr. nobisque amiciſſimum *Jo. Grammium* in Diſput. II. de V. T. verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 32.

Κύριος Σαβαώθ) Phraſin mere Hebraicam explicat *Jo. Vorſtius* Philolog. Sacr. Part. II. p. 26. Solet τὸ צבאות nunc cum אלהי in ſtatu conſtructo, nunc cum אלהים in ſtatu abſoluto, aut cum יהוה conjungi. Poſterius ubi fit, Philologorum alii vocem אלהי ſubintelligi volunt, ut Deus appelletur *Deus exercituum*, ſeu, *copiarum*; alii vero per *appoſitionem* interpretari malunt, ut Deus ipſe pro majeſtate & poteſtate ſua inſtar exercituum repræſentetur. In hanc ſententiam pronunciat *Jac. Guſſetius* in egregiis ſuis de Lingua Hebræa commentariis, radice צבא p. 705. & *Leusdenius* in Philolog. Hebræo diſſert. XXX. §. 9. Prius vero præfert *Frid. Bechmannus* in Inſtitutt. Theologicis p. 168. atque hoc rectius puto fieri.

Ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν) *idem nobis accidiſſet, quod Gomorrhæ.* Sic *Arrianus* Epictet. II. 16. p. 198. θέλεις σε ὖν καὶ ἡμεῖς τοῖς παιδίοις ὁμοιῶμεν. *Vis ergo & nos tecum ſimiliter agere, ut cum pueris?*

Verſ. 30. Τί ὖν ἐρῦμεν;) Quæ ſequuntur, Pauli ſcopum, quem ſibi hoc capite præfixum habuit, ſummatim exhibent, quod ante monuimus. Atque ita quoque *Adamus Heroldus* in Palladio Reformatorum a ſua ſede deſtructo p. 198. accepit, ubi verba Pauli ita παραφράζει. *Quicquid hactenus probavi, huc redit, nempe Gentiles, qui juſtificationis cauſa nequaquam contenderunt, neque ſe ſolos Deo gratos eſſe, favoremque ejus conſecutos jactarunt, Chriſto credentes, eam adeptos eſſe: qua de cauſa, cum antea idololatræ fuiſſent, juſtificati ſunt. Huc ſpectant, quæcunque in hoc capite dicta ſunt, ex quibus hoc colligitur.* Ex eodem ſcopo totius capitis ſenſum æſtimandum eſſe, contendit quoque B. *Chriſtoph. Franckius* in Exercitationibus Anti-Wendelinianis p. 532. ſqq. Ita *Flacius* denique in Gloſſa ad h. l. *Quis ergo tandem eſt primarius ſcopus meæ diſputationis, aut, quæ proprie eſt primaria cauſa rejectionis, exitiique Judæorum & ſalutis Gentilium?*

Interrogationem hanc Interpretes, quos ſciam, omnes ita adhuc acceperunt, ut reliqua, quæ uſque ad v. 32. ſubjiciuntur, reſponſionem complecti exiſtimentur, a quibus propterea interrogandi nota diſtinguantur. At Cl. *Heumannus* l. c. pag. 490. interrogationem illam uſque ad finem commatis 31. protendi vult hoc ſenſu: *Quid igitur dicendum eſt, qua de cauſa Deus, repudiata Judæorum gente, Ethnicos immenſa ſua gratia beaverit? Et quid cauſæ eſt, quod Ethnici, qui non ſequebantur juſtitiam, ac morum ſanctitatem*, (vide *Rom.* IV. 25. 26. X. 19. 20. ſed turpiſſimis obruti erant flagitiis Rom. I. 21. ſqq.) *juſtitiam tamen conſecuti ſint per fidem in Chriſtum Jeſum; contra Judæi leges juſtiſſimas, a Deo præſcriptas, habentes, easque ſequi ſibi viſi, juſtitia exciderint & ſalute?* Mihi quidem præſtare videtur, ſi interrogandi ſignum ſuo relinquamus loco, τί ὖν ἐρῦμεν; & reliqua pro reſponſione Apoſtoli habeamus. Eadem loquendi ratione utitur Paulus ſupra VIII. 31. Τί ὖν ἐρῦμεν πρὸς ταῦτα; Habes hic eandem interrogationem. Vides vero etiam reſponſionem: εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν; Nec præterea unquam deprehendo, Paulum formulæ illi, quam ſibi familiarem habet, tam multa, ut hic

vir

vir doctus fieri putat, eodem orationis tenore ſubjicere, cum potius vel novam interpretationem, vel directam reſponſionem illi annectere ſoleat. Porro τὸ, διὰ τί; v. 32. locum habere non poſſe videtur, ſi priora illa omnia interrogationis loco habeantur. Ita enim, ea particula omiſſa, conveniens erat ſcribere ſimpliciter: ὅτι ὐκ ἐκ πίστεως &c. Quæſtio enim Pauli ex mente Viri docti ita habet: *quid igitur dicendum eſt, qua de cauſa &c. Judæi juſtitia exciderint, & ſalute?* Quid ad eam interrogationem, ſi ponatur, aptius erat iſta reſponſione? *quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis juſtitiam ſectati ſunt.* Denique theſis illa Apoſtoli: *quod gentes, quæ non ſectatæ ſunt juſtitiam, eam nactæ ſint* &c. in toto hoc capite non clare & diſerte erat propoſita, ut nunc de ratione ejus reddenda tantum ſolicitus eſſe potuerit Apoſtolus. Imo vero neceſſe potius erat, ut eam, tanquam totius orationis ſuæ ſcopum, dicendi finem facturus diſerte commemoraret, & firmaret. De toto commate lege, ſi placet, *Jo. Deutſchmanni* Programma ſingulare, quod exſtat in *Gabr. Ternii* Programmatibus Sylloge I. p. 658. *Wolfburgium* in Obſſ. Sacris p. 134. & *Starckium* l. c. p. 138.

τὰ ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην) Τὸ διώκειν de ſtudio aliquid conſequendi etiam a profanis adhibetur, v. c. *Xenophonte* Cyropæd. lib. IV. p. 72. ἄλλην καὶ ἄλλην εὐτυχίαν διώκειν. Adde *Caroli Boylei* Diſſert. Anglicanam de epiſtolis Phalaridis Cl. *Bentleio* oppoſitam p. 63. Verba διώκειν & καταλαβεῖν ſimiliter conjuncta exſtant apud *Ariſtophanem* in Theſmophoriazuſis: Ἔτ᾽ ἂν καταλάβοις, εἰ διώκοις ταῦτα. *adhuc ipſum comprehenderes, ſi inſequereris hac?* Sic apud *Dionyſ. Halicarnaſſ.* ἢ οἱ διώκοντες κατελάμβανον, & alias, cujusmodi loca lege apud *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 114. qui eadem opera obſervat, διώκειν proprie dici eum, qui fugientem perſequitur, καταλαβεῖν vero, qui eum, quem perſequitur, celeri curſu comprehendit.

Verſ. 31. διώκων νόμον δικαιοσύνης) *Lex juſtitiæ* nonnullis per hypallagen dici videtur pro *juſtitia legis* ſeu *legali.* Lege *Jo. Clericum* in notis ad h. l. & in Arte Critica Part. I. p. 394. Et ſenſus quidem hic phraſi illa involvitur, qua tamen plura comprehendit Apoſtolus, nempe zelum Judæorum pro lege ipſa, ejusque ſtudium immaturum eo probatum, quod per illam juſtitiæ compotes ſibi futuri videbantur. Ita ζηλωταὶ τῦ νόμυ appellantur *Actor.* XXI. 20. Conf. Cl. *Wokenii* Partem I. Pietatis Criticæ p. 70. ubi de hypallage, hoc loco non ſtatuenda.

εἰς νόμον δικαιοσύνης ὐκ ἔφθασε) ſenſus eſt, Judæos vix e longinquo ad ſcopum, in quem tendebant, acceſſiſſe, tantum abeſt, ut eum obtinuerint. Verbum φθάνειν alias ſimpliciter ſine propoſitione εἰς vel ἐπὶ poſitum idem eſt, quod *adſequi.* Lege *Marc. Meibomii* notas ad Tabulam Cebetis p. 28.

Verſ. 32. ὅτι ὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ᾽ ὡς ἐξ ἔργων νόμυ) ſubintelligendum hic eſt ex antecedentibus διώκυσιν αὐτόν. *Vitringa* Obſerv. Sacr. lib. IV. 11. §. 34. ad hæc ſcribit: *Si Iſraëlitæ leges Moſis obſervaſſent in fide, juſtificati fuiſſent, & juſtificari potuiſſent ex operibus illius legis, tanquam ex argumento fi-*

dei ſuæ. Enimvero Scriptura Sacra nusquam operibus Legis,ſive ea ut cauſam meritoriam, ſive ut argumentum fidei conſideres, juſtificationem coram Deo, de qua hic ſermo eſt, tribuit. Ceterum τὸ ὡς hic reſpondet τῷ כ Hebræorum, quod illi כף האמיתות ſeu *caph veritatis* appellant, atque idem eſt, quod *vere*, ex animi intentione. Vide, quæ de hoc vocis ſignificatu diximus Volumine I. p. 430. & 602. Itaque nolim cum Cl. *Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis ad h. l. p. 118. ita accipere, quaſi dicat: *quod aliud* (Judæi) *præferant, nempe cura ſalutis ſe hoc facere, & licet credant, tamen ut opus id agant, & quaſi ab operibus juſtitiam requirant.*

Προσέκοψαν γὰρ τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος) Eleganter verbum προσκόπτειν de Judæis, tanquam in curſu conſtitutis, adhibetur, ideo, quod, dum oculos tantum in legem intentos haberent, & Chriſtum, tanquam lapidem, in ſalutem poſitum, ipſisque obvium deſpicerent, currentes impegerunt, & a ſcopo averſi prolapſi ſunt. Quo ſenſu Chriſtus *lapis offenſionis* ſit, & dicatur, oſtendit *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. II. p. 92.

Verſ. 33. Ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος, κ. τ. λ.) Duo Jeſaiæ oracula in unum hoc coaleſcunt ex cap. VIII. 14. & XXVIII. 16. quod frequenter fieri a Scriptoribus N. T. paſſim oſtendimus. Vide ad hæc *Godofr. Olearium* in Obſervat. ad Matthæum p. 581. ſqq. contra Socinum diſputantem, *Jo. Melchiorem* Tom. I. Operum Theologic. p. 480. *Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 474. *Jac. Guſſetium* in Confutat. libri *Chiſſuk Emuna* p. 336. ſqq. & *Campeg. Vitringam* in Comm. ad Jeſaiam Tom. I. p. 217. ubi ſimul oſtendit, utrumque Jeſaiæ locum ipſis Judæis in Gemara ad Codicem *Sanhedrin* c. 4. (vide Excerpta Cocceji §. 8.) fatentibus, ad Meſſiam pertinere, quod & ipſe, & *Guſſetius* l. c. p. 339. argumentis variis evincit, nec minus *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 577. ſqq. Quo ſenſu Chriſtus hic λίθος προσκόμματος vocetur, Patres exponunt apud *Svicerum* Tom. II. Theſauri p. 244.

Καὶ πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται) Ultimum verbum reſpondet Hebræo יחיש i. e. *feſtinabit*, pro quo οἱ LXX. quorum interpretationem ſequitur Paulus, legiſſe nonnullis videntur יבוש vel יביש, aut veram ſaltem lectionem nobis ſervaſſe. Pro poſteriore hac conjectura lege *Capellum* de parallelis locis V. & N. T., pro priore *Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 475. Sed interceſſit his *Eduardus Pocokius* in Notis Miſcellaneis ad Portam Moſis p. 10. ubi obſervat, apud Arabas חוש & חוש, reſpondentia Hebræo חוש, tres habere ſignificatus, nempe *feſtinandi, timendi & erubeſcendi*, quorum ultimum Interpretes Græci, medium *Chaldæus & Syrus*, primum recentiores prætulerint. Amplectuntur hanc ſententiam omnino veri ſimilem *Steph. le Moyne*, in Notis ad Varia Sacra p. 576. ſqq. (ubi pag. 575. teſtatur, ſe aliquando ſuſpicatum eſſe, quod pro καταισχυνθῇ apud τοὺς LXX. legendum ſit καταχυθῇ i. e. *confundetur*,) *Hammondus & Starckius* l. c. p. 139. At eadem minus probabilis viſa eſt *Vitringæ* Comment. in Jeſaiam pag. 121. qui, poſtquam monuiſſet, Jeſaiam omnino ſcripſiſſe יחיש, Græcum tamen Interpretem illud verbum non

tam

tam ex Arabiſmo, aut aliunde, per καταισχυνθήσεται vertiſſe, ſed potius ideo, quod vel non recte legerit verbum Hebraicum, vel ſenſum ejus non ſatis adſequeretur. Interim Apoſtolum non magis h. l. quam alibi vitii quidquam commiſiſſe, quod verſionem, a Judæis receptam, ſequeretur. *Guſſetius* in Confutatione τοῦ *Chiſſuk Emuna*, ubi in h. l. multus eſt, p. 339. interpretationem quidem hanc minus forte Grammaticæ inhærere, ſed metonymia tamen eleganti cauſam per effectum exhibere, contendit, quia ſcilicet extra rupem ædificantium turpis ſit & pudenda ſtoliditas, turpis anxietas conſcientiæ, turpis nutatio a torrente irruente, turpis denique lapſus.

CAP. X.

IN integrum hoc caput, ut & antecedens IX. & ſequens XI. exſtat *Sam. Huberi* Explicatio (ut titulus habet) vera, methodica & ſolida an. 1597. 8. edita, item *Simonis Epiſcopii* Paraphraſis eorundem capitum, quæ Tomo I. Operum ejus legitur. Uterque præjudiciis ſuis paſſim indulgent, atque adeo cum judicio & ſelectu ſunt legendi.

Verſ. 1. ἡ μὲν εὐδοκία τῆς καρδίας μου) εὐδοκία *ſummum deſiderium* h. l. ſignificat, ex obſervatione *Theodoreti*, *Chryſoſtomi* & *Theophylacti*, quorum loca profert *Svicerus* Tom. I. Theſauri p. 1242.

Verſ. 2. Ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσι) *Martianæus* in verſione ſua Gallica ita hæc reddidit: *qu'ils ont un trés grand zele*, h. e. quod zelum maximum & vehementem habent: cujus interpretationis rationem reddit, tum in præfatione ad ipſam illam verſionem, tum in notis ad h. l. Opinatur ſcilicet, Apoſtolum Judæis, quippe incredulis, & Chriſtianorum perſecutoribus, *zelum pro Deo* tribuere non poſſe, tanquam qui in eos non cadat, qui Deo ſe non ſubmittant. Itaque *zelum Dei* explicandum putat per zelum vehementem, ex more, quem cum aliis multis putat Hebræis receptum, qui nempe Dei nomen, epitheti loco, vocibus ſubſtantivis ad indicandum ſuperlativũ addere ſoleant, ſicut v. c. *Jonæ* III. 3. Ninive civitas magna לאלהים *Deo*, i. e. *maxima* dicatur. Pervulgatum quidem eſt, Grammaticorum plurimos ita ſtatuere, atque eandem loquendi rationem in Novo quoque Fœdere, v. c. *Actor*. VII. 20. 2. *Cor*. X. 4. & alibi obſervare. Lege inter ceteros *Glaſſium* in Grammat. Sacra lib. III. Tract. I. Can. XVII. *Vorſtium* in Philologia Sacra lib. I. c. XVI. toto, *Danzium* in Interprete Hebræo p. 19. *Feſſelium* in Adverſariis Sacris lib. I. c. 6. *Ritmeierum* in Diſſertat. de nominibus divinis ſtilo Scripturæ Sacræ rem amplificantibus, Auctorem Hiſtoriæ Criticæ Reipublicæ Literariæ Tom. XI. p. 228. ſq. & alios, a *Crenio* in præfatione ad Analecta p. 33. citatos. Imo idem loquendi modus profanis quoque Græciæ Scriptoribus uſitatus fuiſſe videtur, ſicut *Longinus* in libro περὶ ὕψους Sect. IX. §. 99. Διὸς ἐνύπνια i. e. *ſomnia magnifica* dixit, in quem locum Interpretes & ſpeciatim *Tollium* conferre fas eſt. Sed non deſunt, qui nomen Dei nunquam apud Hebræos vel alias gentes, ſine reſpectu formali ad Deum, ad nudam rei magni-

magnitudinem aut præſtantiam indicandam adhiberi cenſent. Vide ex his inprimis *Jac. Guſſetium* in Commentariis de Lingua Hebr. ſub radice אל & אלהים p. 65. & quæ nos diximus Vol. II. harum Curarum ad *Act.* VII. 20. Nobis quidem h. l. argumentum illud excutere non licet. Legatur interim Cl. *Chriſtoph. Wolle* Diſſertatio de uſu & abuſu nominum divinorum in Scriptura Sacra interpretanda, quæ cum ejusdem Commentatione de Parentheſi Sacra prodiit. Quicquid vero in univerſum hic ſtatuatur, hoc loco eam notionem non obtinere certiſſimum eſt. Patet enim vel ex addito ὀ κατ᾽ ἐπίγνωσιν, Paulum id ſibi velle, quod Judæi, vana perſuaſione ducti, quaſi in Dei honorem conſilia ſua & inſtituta contra Chriſtianos cedant, tales ſe, quales erant, in Chriſtianam religionem geſſerint, non autem vel odio quodam perſonali, vel alio conſilio eo ſint abrepti. Eodem ſcilicet ſenſu ſe ζηλωτὴν τοῦ θεοῦ appellat *Act.* XXII. 3. & exempli loco vexationes commemorat v. 4. quibus in Chriſtianos olim fuerat graſſatus. Talem vero zelum ſub perſuaſione cultus, Deo præſtiti, in Judæis etiam præviderat & prædixerat Dominus noſter *Joh.* XVI. 2. Ex ignorantia itaque acerbitatem hanc apud eos profectam fatetur Paulus, qualem etiam in ſe agnoſcit 1. *Tim.* I. 13. ἀλλ᾽ ἐλεήθην, ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ. Adde, quæ in eandem ſententiam contra *Martianæum* diſputat. Cl. *Wolle* loco modo citato p. 175. & ante eum *Jo. Clericus* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. I. Parte I. p. 368. ſqq. *Jac. Guſſetius* in Commentar. de Lingua Hebr. p. 361. zelum talis menſuræ & modi hic denotari putat, qualis vel ad agnitionem veritatis formandam, vel ad formatam requiratur. Ita putat vocem ἐπίγνωσις ſervare ſignificatum conſuetum, quo agnitionem & aſſenſum, præconio Evangelico præſtitum, inferat. Paulum vero id agere omnino, quod ex v. 19. pateat, ut Judæos tales eſſe probet, qui non ignari quidem fuerint doctrinæ Evangelicæ prædicatæ, ſed eam recipere noluerint. Enimvero non dubito, Paulinum effatum de potiore Judæorum parte, quæ in judicio, de rebus formando, attendi ſolet, recte eo ſenſu, quem attulimus, accipi, atque adeo ita, ut non negetur, nonnullos eorum, (de quibus v. 29.) etiam contra conſcientiam in hoc negotio egiſſe. Certe Salvator ipſe de iis, qui cruci ipſum affigi curabant, in univerſum ait, neſcire eos, quid faciant; neque tamen hoc ipſo negabat, eſſe inter eos, qui in hac cauſa præfracte & contra conſcientiæ teſtimonium agerent. Paulum ipſum ignorantiam Judæis tribuere, manifeſtum fit ex v. 3. ubi diſerte eos vocat ἀγνοοῦντας τὴν τοῦ θεοῦ δικαιοσύνην h. e. *ignaros veræ rationis juſtitiam apud Deum conſequendi*, cum ſcilicet eam non in Chriſto, ſed in lege quærerent.

Verſ. 3. Ἀγνοοῦντες γὰρ τὴν τοῦ θεοῦ δικαιοσύνην &c.) Vide huc *Steph. Curcellæi* Opera p. 832. item *Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. p. 784. ſqq.

Τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην) Lege *Svicerum* in Theſauro Eccleſiaſt. Tom. I. p. 911.

ζητοῦντες στῆσαι) Verbum ζητεῖν intentum ſtudium infert, non ad imitationem Hebræi בקש, quod quidam ſibi perſuadent, ſed ex uſu quoque externorum

rum inter gentes Scriptorum. Lege huc *Pſochenii* Diſſertat. de Stylo N. T. §. *66*. & quæ ſcripſimus ad *Marc*. XII. 12.

Verſ. 4. τέλος γὰρ νόμου Χριςὸς) Vide B. *Julii Franc. Lütkenii* Conciones Funebres pag. 574. ſqq. & Miſcellaneas pag. 189. ſq. item *Steph. le Moyne* Diſſertationem ad Jerem. XXIII. 6. p. 221. ſqq. Dubium hic Interpretibus inprimis viſum eſt, quo ſenſu Chriſtus *finis legis* dicatur. *Witſius* in Miſcellaneis Tom. I. lib. II. Diſſ. I. §. 73. p. 437. ita: Legis finis *eſt Chriſtus omni modo: & ratione* termini, *quia in illius ἐπιφανείᾳ ceſſare cœpit œconomia Moſis. Luc.* XVI. 16. *Et ratione* intentionis, *quia ænigmatibus ſuis monſtrat veritatem, quæ in Chriſto eſt. Hebr.* X. 1. *& ratione* conſummationis, *tam, quia Chriſtus perfecte præſtitit, quicquid in lege aut juſſum, aut præfiguratum fuit, quam quia legis veluti ſumma atque anima, &, uti loquuntur, quinta eſſentia eſt.* Diſtinctius & fuſius eadem fere capita perſequitur *le Moyne* l. c. quando Chriſtum *legis Politicæ* finem ait fuiſſe, quia in politica Judæorum multæ pœnæ reis inflictæ ſint, quæ etiam ad pœnas, a quibus per Chriſtum liberamur, aliquo modo ſint relatæ: *legis Cerimonialis*, prophetiarum, umbrarum, figurarum, typorum, præcipue ſacrificiorum, quæ quoad conſcientiam non potuerint purgare, ſed, quæ ſanguinem Chriſti, peccata noſtra delentem, & expungentem adumbrarint: denique & *legis moralis*, quæ a Deo in Sinai tam graviter promulgata ſit, ut homines impotentiæ ſuæ conſcii, & de impletione ejus deſperantes, ad Chriſtum confugerent, ejusque juſtitiam ſibi vindicarent. Ab his, ſic ſatis obviis, alii nonnihil abeunt, cumque τὸ τέλος *vectigal* etiam ſignificare meminiſſent, hunc ſignificatum hic locum obtinere putarunt. Inter hos eſt *Victorinus Strigelius* in hypomnematibus ad h. l. *Chriſtus*, inquit, *perſolvit* τέλος *i. e. vectigal legi debitum, & nobis* ἀτέλειαν, *i. e. immunitatem ſeu levationem onerum legis donavit* &c. quæ legi poſſunt apud *Amelium* Parte II. p. 772. *Strigelium*, quamvis non appellatum ſecutus videtur *Steph. le Moyne* l. c. p. 223. ita ſcribens. *Niſi velimus addere, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum jure dici* τέλος νόμου *i. e. VECTIGAL LEGIS. Lex quippe tanquam rigidus & inflexibilis exactor ſtat ad fores cælorum, nullique januam patitur reſerari, niſi prius ſoluto non ſiclo, non didrachma, ſed ſanctitatis integro cenſu & numismate.* Sed hæc interpretatio ut ingenioſa admodum eſt, ita longius petita videtur, & ita comparata, ut fruſtra in ſacris literis exemplum requiras, quo metaphorica illa Chriſti, tanquam *vectigalis*, appellatio comprobari poſſit. Ponamus etiam, juſtitiam Chriſti activam & paſſivam *vectigal* legi perſolutum dici poſſe, non tamen video, quomodo Chriſtus ideo τέλος appellari poſſit, qui dici potius debebat τὸ τέλος ἀποδεδωκέναι, quæ Paulina, in alio argumento, phraſis eſt *Rom.* XIII. 7. Illi itaque rem omnium optime inſtituiſſe videntur, qui τὸ τέλος de *impletione* legis, & quidem ſpeciatim moralis, cum *Eraſmo* accipiunt. Hanc vocis τέλος notionem eſſe tum aliunde ex Sacris literis, tum inprimis ex 1. *Timoth.* I. 5. patet, ubi ita: τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας ἐςὶν ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας καὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς. Hic vero τὸ τέλος idem eſſe, quod *impletionem* Latini dicunt, apparet ex *Rom.* XIII. 10. ubi ἡ ἀγάπη legis πλήρωμα

h. e.

h.e.*impletio* vocatur. Paulus itaque hoc docet, Chriſtum eſſe *impletionem legis*, quod & ipſe Dominus noſter *Matth.* V. 17. tradiderat, teſtatus, ſe veniſſe, non ut legem ſolveret, ſed ut impleret, ἀλλὰ πληρῶσαι. Hæc expoſitio firmatur iis, quæ ſtatim ſequuntur: εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι, *in juſtitiam omni* (in ipſum) *credenti:* h. e. qui in eum crediderit, ſeu juſtitiam, merito ejus partam, ſibi fide vindicaverit, is juſtus eſt, & pro tali habetur, qui legem impleverit. Hoc ipſum præterea argumento eſt, per νόμον h. l. non ad legem *cerimonialem* aut *forenſem* reſpici, ſed tantum ad *moralem*, cui Chriſtus ſatisfecerit. Ad eam enim Paulus v. 5. digitum intendit, quando ad *Levit.* XVIII. 5. provocat, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς. Ibi vero de præceptis moralibus ſermonem eſſe contextus orationis Levitici l. c. evincit. Hanc interpretationem probat & amplectitur *Hombergius* in Parergis p. 234. nec prorſus neglexit *le Moyne* p. 225. innuens, Chriſtum forſan *perfectionem legis* ideo dici, *quod humilitate ſua & obedientia talem legi perfectionem conciliaverit, ad quam Angelorum & omnium hominum obedientia nunquam potuiſſet aſſurgere.* Quibus tamen verbis, ut verum fatear, aliud nonnihil, huc non pertinens, ſubindicare voluiſſe videtur. Lex divina enim in ſe perfectiſſima eſt, & perfectam obedientiam requirit, nec opus habet, ut ex perfecta, quam Chriſtus præſtitit, obedientia, perfectio ejus vel augeatur, vel innoteſcat. Sic & *Hombergius* l. c. aliquid, quod Paulus certe non voluit, hac phraſi involvi exiſtimat, quod ſcilicet Chriſtus *perfectio legis* dicatur, in quantum eam tum NB. *ſuppleverit*, tum *impleverit*, & ea præſtiterit, quæ homines præſtare non poterant. Per ſuppletionem id, ni fallor, vult intelligi, quod Chriſtus novum ſe & perfectiorem legislatorem præſtiterit. Hoc enim ut in ſe jure merito negatur, ita ad ſcopum Apoſtoli prorſus non facit. Confer quæ Volum. I. p. 92. hanc in rem ſunt allata.

Hanc, quam firmavimus, τοῦ τέλος ſignificationem *Beza* quoque amplexurus erat, ſi eam alibi ſe legere, quod negat, meminiſſet. Ei vero commode ſuccurrit Cl. *Elsnerus*, allatis, præter *Luc.* XXII. 37. &c. exterorum Scriptorum locis, v. c. *Dionyſii Halicarnaſſ.* lib. X. p. 642. *daturum operam*, ὅπως ἐπὶ τῆς αὐτοῦ ἀρχῆς ἐπὶ τέλος ἀχθῇ τὰ δόξαντα τῷ δήμῳ, *ut in ſuo conſulatu plebiſcita perficerentur.* Sic, quod idem obſervat, *Juliano* Orat. IV. pag. 157. τὸ τέλος τῆς ἀνθρωπίνης σοφίας *conſummata ſapientia humana* vocatur. Retulerim huc Pſeudo-*Phalaridis* Φράσιν epiſt. 85. εἰς τέλος νενίκηκα i. e. *perfectiſſime, pleniſſime vici. Car. Boyle*, recentiſſimus illarum epiſtolarum editor, eodem ſenſu vertit: *funditus a me ſuperati ſunt* (hoſtes.)

Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην, τὴν ἐκ τοῦ νόμου) Omittit Æthiops verba illa: τὴν δικαιοσύνην, τὴν ἐκ τοῦ νόμου, & priora: Μωσῆς γὰρ γράφει, cum ſequentibus: ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ κ. τ. λ. proxime & ἀμέσως conjungit. Hinc *Millio* in Prolegomenis §. 1215. iſta a ſciolo quodam inſerta eſſe videntur, ut eſſet, cui ſequentia v. 6. ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη reſponderent. At quis, quæſo te, crediderit, additamentum aliquod, quale hic ſuſpicatur *Millius*, tanto conſenſu in omnes Codices irrepſiſſe, ſolumque Æthiopem tam felicem aut perſpicacem fuiſſe,

fuiſſe, ut illud vel in ſuo Codice non inveniret, vel inventum, tanquam ſuperfluum, tolleret? Nonne viciſſim veri eſt ſimilius, Æthiopem verba iſta vel caſu, vel eo conſilio omiſiſſe, quod non ſatis perſpiceret, quomodo interpretanda eſſent. Senſus tamen in promtu eſt. Latine eum ita recte expreſſeris: *Moſes enim de juſtitia ex lege* (paranda) *ſcribit* &c. Ita ſupra IV. 6. Paulus ait: καθάπερ καὶ Δαβὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τȣ̃ ἀνθρώπȣ, h. e. *ſicut & David de beatitudine loquitur.* Similiter *Joh.* I. 45. ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ, *de quo Moſes in lege ſcripſit* &c. Sic non opus eſt, ut cum *Knatchbullo* h. l. ſubintelligamus præpoſitionem κατά. Confer Cl. *Hombergium* p. 235. *Millius* quidem pro ſententia ſua affert occaſionem, ex qua additamentum hoc natum ſibi videatur, nempe quod v. 6. ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη commemoretur. At eodem jure hæc ipſa verba ad adſtruendam priorem illorum γνησιότητα urgere licet. Nec enim apparet, cur Paulus τὴν ἐκ πίστεως δικαιοσύνην, tanquam λέγȣσαν, hic attuliſſet, niſi ut illam opponeret δικαιοσύνῃ τῇ ἐκ νόμȣ, de qua Moſen *ſcripſiſſe* teſtatus erat. Hanc vero juſtitiam, tanquam *ex lege* quæſitam, deſcribere neceſſe habebat, quod alioquin obſcurum eſſe po erat Judæis, quid per δικαιοσύνην ἰδίαν, v. 2. quam a Judæis quæſitam eſſe dixerat, intelligi vellet. In recepta itaque lectione omnia ſibi probe conſtant. Paulus nempe νόμον & πίστιν, item δικαιοσύνην ἐκ νόμȣ & ἐκ πίστεως ſibi invicem opponit, quod frequentiſſime ab Apoſtolo fieri nemo ignorat.

Ex his inſuper conſtare poteſt, quid de altera horum verborum interpolatione, quæ *Grotio* ſe probavit, habendum ſit. Pauci quidam Codices ita legunt: Μωσῆς γὰρ γράφει, ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμȣ ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ. Sane & illi hæc ita interpolaſſe recte exiſtimantur, ut ſenſus planior evaderet. Cave autem a Paulo ita ſcripta exiſtimes. Is enim, ut alias frequenter τȣ̀ς LXX. ſequi ſolet, ita & hic ſecutus eſſe exiſtimandus eſt, inprimis cum verſio eorum verbis Hebraicis ex aſſe reſpondeat. Hebræa enim ita habent: אשר יעשה אותם האדם וחי בהם, quæ LXX. ita exprimunt: ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ (nempe חוקותי ומשפטי *ſtatuta & præcepta mea*, de quibus v. 4.) ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς. Prorſus non eſt veri ſimile, S. Apoſtolum ita Moſis oraculum afferre voluiſſe, ut illis verba quædam innecteret, quæ nec apud Moſen exſtant, nec ad ſenſum requiruntur, ſed potius ταυτολογίαν quandam inferunt.

Verſ. 6. Μὴ εἴπῃς ἐν καρδίᾳ σȣ· Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν ȣ̓ρανόν) Ad *Deuteronom.* XXX. 11. 12. hic reſpici ab Apoſtolo, conſtans Interpretum eſt ſententia, quibus tamen non ſimiliter in eo convenit, quomodo locum illum huc advocet ad juſtificationem per fidem probandam, cum Moſes ibi de Lege loqui videatur. Potiora ſententiarum divortia ſummatim complexus eſt, & examini ſubjecit *Hackſpanius* in Sylloge Diſputationum Theologicarum & Philolog. p. 400. *Quidam*, inquit, *alluſionem tantum agnoſcunt*, *ſed evidentia verborum Apoſtolicorum repugnat*: Ceterum, quæ ex fide juſtitia eſt, ea ſic loquitur. *Alii putant, eſſe argumentationem a minori ad majus*, *a legis perſpicuitate ad perſpi-*

ſpicuitatem Evangelii; *ſed repugnat oppoſitio teſtimoniorum de lege & Evangelio v.* 5. *&* 6. *Alii Moſis verba intelligunt de tota doctrina divina, comprehendente Legem & Evangelium. Sed & hic obſtare videtur oppoſitio, quæ vult, quod legis juſtitia ſit impoſſibilis, juſtia autem per Chriſtum facilis. Nec tamen negari poteſt, Moſen in toto contextu de lege ejusque obſervantia quoque verba facere v.* 10. *&* 16. *Optime ergo dicitur, quod Moſes, etiamſi in genere de tota doctrina divina agat loco allegato, tamen ſpeciatim reſpiciat ad Evangelium, & ad fidem in Meſſiam, quoniam v.* 10. *loquitur de converſione cordis ad Deum, quæ ſine fide nulla eſt, obedientiam autem erga legem habet ſequentem, ut fructum. Ergo, quod pronunciat Moſes de integro, id Paulus Interpres oſtendit, de quo illius membro ſit intelligendum.* Eodem modo B. *Calovius* noſter tum in Bibliis Illuſtratis ad h. l. tum in Theologia Apoſtolica Romana fuſius oſtendit, Paulum ut interpretem Moſis ita hic audiendum eſſe, ut ex eo diſcatur, quid Moſes ſibi verbis iſtis, alioquin obſcurioribus, voluerit. Idem ſtatuit *Jac. Cappellus* in Operibus Criticis p. 642. & ex noſtratibus Rev. *Jo. Wilh. Zieroldus* in der Deutlichen Erklärung der Heil. Schrift Part. I. p. 583. ſqq. Adde Cl. *Franc. VVockenii* Moſen Harmonicum p. 183.

Alii Paulum verba tantum Moſis adhibere, non autem inſtar teſtimonii proferre cenſent. Ita *Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* pag. 341. *Paulus verba Moſis ita uſurpat, ut nec nominet eum, nec Scripturam hæc quidem continere moneat. Itaque illa ſua facit alludens; non ut teſtis verba allegat, quibus dogma ullum Evangelicum fulcire ſatagat. Locus tantum præcedens e Levitico afferebatur ut teſtimonium, & id oſtendit forma, ſub qua producebatur, hæc nempe:* Moſes enim dicit juſtitiam, quæ ex lege eſt, quod iſta faciens homo vivet per ea. Ad hanc ſententiam adſtruendam paulo poſt iſta ſubjungit: *Et quo id manifeſtius fiat,* (nempe, quod Moſis verba non ad teſtimonium dicendum attulerit) *alteram illorum partem de mari trajiciendo omittit, & eorum loco imitari mavult iſta Jobi verba XXVIII.* 14. *de abyſſo ſcrutanda, tanquam magis accommodata conſilio, quo ducebatur, partium Oeconomiæ Chriſti exprimendarum locutionibus e V. Teſtamento excerptis.* Parum ab his deflectit *Lud. Capellus* in Operibus Criticis p. 234. Cum enim obſervaſſet, Moſen in loco Deuteronomii citato tergiverſationem populi Iſraëlitici in obſequio legi præſtando ex eo redarguere, quod lex, quæ illud obſequium poſtulet, in propinquo ſit, & in ore ac conſpectu eorum poſita, adeoque talis, quam & perſpicere facile poſſint, & obſervare debeant, hæc tanquam ex ſententia Pauli ſubjungit: *Si Moſes de lege, de legis juſtitia quantumvis operoſa, utpote quæ non habetur, niſi quis omnia præſtiterit, quæcunque lex præcipit, dicit, eam eſſe facilem; quanto verius eſt dicere, juſtitiam fidei, Evangelium Chriſti, fœdus Evangelii, (quod nihil aliud ad noſtri juſtificationem poſtulat, præterquam fidem, quæ res eſt in ſe ſpectata multo facilior, quam perfecta legis obedientia) eſſe facile, promtum ac veluti ad manum.* Lege ibi cetera. Ex noſtratibus nuper Cl. *Oederus* in Bibliotheca Theologica Selecta Parte L. pag. 206. itidem contendit,

Pau-

Paulum verba tantum Moſis,non autem eodem ſenſu adhibere,id quod ſingulari in hanc epiſtolam commentario copioſius ſe oſtenſurum pollicetur. Nudam verborum Moſis accommodationem agnoſcit hic etiam *Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 478. ſq. exiſtimans, Paulum verba hæc afferre,non,quaſi illa de juſtitia per fidem conſequenda præcipiant, ſed ut admonitionis loco ſint ad illam juſtitiam ſectandam, de qua ab initio capitis XXIX. 9. poſtea cap. XXX. egerat. Ita enim agere conſueviſſe Hebræorum Theologos, in allegationibus ſuis, ut non tam ad ea primario reſpici velint, quæ afferunt, quam ad illa, quæ in orationis ſerie vel antecedunt, vel ſequuntur. Admitti hæc poterant, modo hic mos exemplis ſat claris & idoneis vel Hebræorum vel Sacrorum N. T. Scriptorum comprobari poſſet.

Mihi quidem de loco vexatiſſimo ita videtur ſtatuendum. Non habent Judæi,quod illorum expoſitionem cavillentur, qui Paulum Moſis verba in argumentum & teſtimonium de juſtitia per fidem conſequenda afferre exiſtimant,ceu indignis modis fecit virulentiſſimus Scriptor libri *Chiſſuk Emuna* part. I.c.45. & Part.II. c.80.cui *Guſſetium* occurriſſe jam monuimus. Adde *Wokenii* Moſen Harmonicum p. 188. Neceſſe enim eſt, ut illis primum conveniat cum *Bechai*, doctore ſuo, & Interprete non uno ex multis, quippe qui in commentario ſuo ad *Deuteronomium* diſerte tradat, capite XXX. contineri pomiſſionem de circumciſione cordis omnibus fœderis ſociis ſub Rege Meſſia aliquando impertienda. Lege hanc in rem præter *Vatablum* ad h. l. *Paulum Fagium* in notis ad Onkeloſi Paraphraſin h. l. Omnibus tamen eorum,& aliorum quoque,qui ad hæc offendere viſi ſunt, cavillationibus via præcludi optime videtur,ſi Paulum per alluſionem quandam verba Moſis ad ſcopum ſuum accommodaſſe dicamus. Ita ut ſtatuam, eo inprimis, ut argumenta ab illis allata taceam,adducor,quod Paulus ſingulis Moſis commatibus ſuam expoſitionem adjiciat,quod nusquam alibi ab eo circa allegationes fieri memini, heic autem ideo neceſſe erat, ut intelligeretur, quo illa ſcopo afferret. Paulus alias,ſi recte memini,oracula V.T.promit ſimpliciter ſine interpoſita illuſtratione,illisque vel antecedentia vel conſequentia orationis ſuæ aſſerta ſuperſtruit. Atque ita B.*Lutherus* quoque ſtatuit Tomo III. Jenenſi Lat. fol. 155. *Paulus*, inquiens, *abundante Spiritu ex Moſe occaſionem accepit adverſus juſtitiarios, velut novum & proprium textum componendi.* Quid vero idem de Moſis h. l. ſcopo,a Paulino diverſo, ſtatuat, patet ex pag. 196. Eadem eſt B. *Glaſſii* in Rhetorica Sacra Tract.II. Cap.VII. p. 1470. ſententia: *Analogicam,* inquientis, *tantummodo applicationem alluſionemque fieri, non vero confirmatoriam allegationem, non ex ſcopi ſolum diverſitate patet, ſed ex ipſo etiam verborum Pauli tenore, dum non Scripturam, ſed fidei juſtitiam ſic loqui aſſerit, hanc quaſi προσωποποιῶν.* Dixerim fere, Apoſtolum eleganter & ſapienter verbis Moſis, κατὰ ῥητὸν v. 5. allatis, quæ de obſequio legi præſtando præcipiunt,hic opponere verba *juſtitiæ fidei,* ſeu hominis per fidem juſtificati, ſed ita, ut ipſis Moſis verbis, quamvis alio ſenſu prolatis, utatur, tanquam qui alibi idem profiteatur. Fortaſſe & verba

illa Moſaica tunc temporis inter Judæos frequentabantur, ut proverbii ſpeciem haberent, adeoque eo aptiora eſſent ad excitandos Judæorum, iſta Pauli legentium, animos. Confer Cl. *Heumannum* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 291. Nunc de verbis Pauli ipſis ſigillatim dicamus.

Ἡ δὲ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη ὕτω λέγει) Hæc Interpretes omnes ita accipiunt, ut cum ſequentibus: μὴ εἴπῃς ἐν καρδίᾳ σȣ, tanquam *juſtitia ex fide* verbis, conjungantur. At Cl. *Herzogius* in Obſervat. de poſitu Interpunctionum in epiſt. ad Romanos p. 13. hæc ad antecedentia, & quidem interrogative, referri vult, hoc ſenſu: *an juſtitia ex fide ſic dicit*? i. e. an homini ad acquiſitionem ſui injungit ea, quæ Moſes præcepit? Paulum vero, monet, reſponſionem h. l. ſubticuiſſe, tanquam quæ in promtu fuerit Romanis, ſatis jam edoctis, quod per fidem in Chriſtum juſtitia ſit conſequenda. Sed non credo, Virum doctum facile inventurum, qui interpunctioni huic adplaudant. Paulus ſæpiſſime, in hac inprimis epiſtola, interrogationibus utitur, ſed nullum equidem exemplum invenio, ubi non reſponſionem ſubjiciat, quæ hic tanto magis erat neceſſaria, ut oppoſitio inter juſtitiam ex lege & ex fide, quam exponendam ſuſceperat Apoſtolus, tanto clarior evaderet. Deinde manifeſtum eſt, Apoſtolum opponere ſibi invicem voluiſſe Moſen de juſtitia ex lege *ſcribentem*, & juſtitiam ex fide *loquentem*. Nec obverti poteſt, quod v. 8. dicatur: ἀλλὰ τί λέγει; facta quaſi per ἀλλὰ ad illud, quod non dicat juſtitia fidei, oppoſitione. In promtu enim eſt, quod reſpondeatur, ſcilicet, τὸ ἀλλὰ ſæpe continuandæ orationi, ſine conſueta adverſandi notione, inſervire. Vide v. c. infra v. 18. & 19. Hinc *Jo. Clericus* in Arte Critica Vol. I. Parte I. c. 3. §. 6. vertit: *quid præterea dicit*? Itaque nova illa interpunctione non eſt opus. De nexu autem illorum verborum ita habendum videtur. S. Paulus oſtenſurus erat, quæ ſit loquela juſtitiæ ex fide. Jam prævidebat, quid ab incredulis, ubi de fide audirent, obverti poſſet. Itaque more ſuo prævertit objectionem, graviter monens: μὴ εἴπῃς ἐν καρδίᾳ σȣ h. e. *ne tam impia cogites, dicasque*. Hac objectione e medio ſublata Apoſtolus ad inſtitutum redit v. 8. & quærit: ἀλλὰ τί λέγει, ſcilicet ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη. Sic patet ſimul non opus eſſe, ut vel vox γραφὴ, ut nonnulli volunt, vel quicquam aliud ſubintelligatur, cum in promtu ſit, quod ἀπὸ κοινȣ̃ repetatur. Vel, ſi minus hoc placeat, dici poteſt, Paulum jam incipere ſermocinationem juſtitiæ ex fide, & exponere primum, quid illa dicere alios prohibeat. v. 6. ſicut v. 8. quid ipſa dicat, & quid dici ab aliis velit, enarrat.

Μὴ εἴπῃς ἐν καρδίᾳ σȣ) Hebr. אל תאמר בלבבך, qua phraſi Hebræi utuntur, quoties monere volunt, ut de re aliqua, tanquam dura & impia ne quidem cogitent. Vide *Pſalm.* XIV. 1. Adde *Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς p. 479.

Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν ὐρανόν; τȣ̃τ᾽ ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν) Varie hæc iterum accipiunt Interpretes. *Guſſetius* in Confutat. libri *Chiſſuk Emuna* ita: *Poſtquam negavit Apoſtolus, eſſe, cur quisquam cognoſcendi Evangelii cauſa quærat*, quis aſcendit in cœlum? *ſubjungit de ſuo*; iſtud eſſet Chriſtum de cœlo

lo deducere, *h. e. negare, eum in cœlo verſatum, ubi arcana Patris intellexerit, quæ certo nobis pandere poſſet. Sic quoque ut eadem ratione poſtea vetans, ne quis interroget,* quis deſcenſurus eſſet in abyſſum, *inde nobis educturus cognitionem Evangelii, addit ipſe, hoc eo recidere, ac ſi Chriſtum e mortuis reduceres, i. e. ac ſi mortem ejus negares, ſaltem non haberes alio loco, quam non factam, quippe non attendens ad teſtimonium, quod Chriſtus Evangelicæ doctrinæ perhibuit moriens, dum proprio eam obſignavit ſanguine. Porro has quæſtiones,* (ita pergit *Guſſetius,*) *quis aut in cœlum, aut in abyſſum iturus ſit, quaſi neceſſe ſit, doctrinam Evangelii e locis* ἀπροσίτοις *eruere; has, inquam, quæſtiones præpoſteras eſſe probat Paulus auditorum ipſorum experientia, quippe quibus doctrina Evangelii quotidie proponebatur.* Idem vero *Guſſetius* antea obſervaverat, Paulum in eo eſſe, ut oſtendat, Evangelium æque, ac olim legem, *facile cognoſci,* & *conditiones* ab eo requiſitas, nempe *credere corde,* & *ore profiteri* (vide v. 9.) facile præſtari poſſe. Idem fere de his verbis ſtatuit *Ludov. Capellus* in Operibus Criticis p. 235. a. ita verba Pauli παραφράζων. *Noli, o homo, de Deo conqueri, noli obmurmurare, noli difficultatem vel impoſſibilitatem prætexere, noli apud te dicere:* quis in cœlum adſcendet? quis in abyſſum deſcendet? *ut nobis vitæ viam, & rationem ſalutis adferat? etenim ea in ore tuo & in manibus eſt, ea tibi a Deo opera & miniſterio meo, cæterorumque Apoſtolorum facilis & expedita proponitur:* crede tantum, & ſervaberis. *Si conquereris de rei difficultate atque impoſſibilitate, quaſi tam impoſſibilis eſſet, quam eſt tibi in cœlum adſcendere, aut in abyſſum deſcendere, tu te tam gravi ſcelere atque reatu obſtringeres, quam ſi Chriſtum de cœlo detraheres, aut in cœlum aſcendiſſe negares, vel ſi eum a mortuis reſurrexiſſe inficiareris, aut rurſus ei moriendum ac reſurgendum eſſe affirmares.* Scite præterea obſervat *Cappellus,* divinum Scriptorem verba Moſis nonnihil mutaſſe, quando pro phraſi: *quis ultra mare navigabit?* ponat eam: *quis in abyſſum deſcendet?* eo ſcilicet fine, ut his eo clarius opponat iſta: *hoc eſt Chriſtum e mortuis revocare.*

Nonnihil aliter in his exponendis verſatur Cl. *Herzogius* l. c. *Hactenus,* inquit, *de Chriſto, in quo juſtitiam quærere debebant, duo docuerunt Apoſtoli:* excitatum eſſe ex mortuis, & ſedere ad dextram Patris. *Plauſibilem igitur objectionem incredulus formare potuiſſet: quis aſcendit in cœlum, hac nempe de cauſa, ut deducat Chriſtum & adferat quaſi, ut credamus, ipſum ſedere ad dextram Patris: & quis deſcendet in profunditatem,* h. e. *ea de cauſa, exinde nempe ducendi Chriſtum ex mortuis ſuſcitatum? Hoc dubium, inquit Apoſtolus, non opus eſt, ut ſibi quis faciat, ſed in propinquo eſſe Evangelium, cui ſi crederent, ſervarentur ſine diſcrimine, ſive quis eſſet Gentilis, ſive Judæus.* Eandem viam ingreditur Cl. *Heumannus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 292. qui, ubi ſermonem hominis increduli & ἐμπαίκτου ita propoſuiſſet: *nemo adſcendet in cœlum, & Chriſtum inde deducet in mundum: nec quiſquam in profundum deſcendet, Chriſtum excitaturus ab inferis;* quod idem eſt, ac ſi diceret:

ret: *falſum eſt, quod Apoſtoli tradunt, Chriſtum e cœlo veniſſe, eundemque a morte reſurrexiſſe*: tandem Apoſtoli ſententiam ſic effert: *Noli pro falſa doctrina habere doctrinam Apoſtolorum, qua docent, & Meſſiam ſive Chriſtum e cœlo in mundum veniſſe, & eundem, morte devicta, in vitam rediiſſe: ſed potius, duos hoſce articulos fidei, qui ſunt religionis Chriſtianæ fundamenta, firmo aſſenſu amplexare. Nam* (vide v. 9.) *ſi credideris, Jeſum eſſe verum illum Meſſiam, adeoque e ſinu Patris ad nos deſcendiſſe, eundemque reſurrexiſſe a morte, ſalvus eris.* Ut rem in ſummam conferam, non puto dubitandum, Apoſtolum hic illis os obſtruere, qui de difficultate cognoſcendi veritatem Evangelicam conquerebantur, & plura longiusque petita ad inſtar Judæorum, qui Chriſti ætate miracula de cœlo edi cupiebant, argumento requirebant, cum ex præconio Apoſtolorum eam ſine difficultate edoceri, & de ea certi fieri poſſent.

τῦτ' ἔϛι Χριϛὸν καταγαγεῖν) *hoc eſt*, ſive, *ſcilicet*, ad Chriſtum deducendum. Infinitivis enim pro Gerundiis Latinorum, finem indicantibus, uti Græci conſueverant. Vide Cl. *Heumannum* l. c. p. 291.

Verſ. 7. Ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον) Moſes alia hic phraſi utitur, qua cur iſta Paulus ſubſtituerit, modo ex *Capello* diximus.

Verſ. 8. Ἀλλὰ τί λέγει;) Codices nonnulli hic addunt ἡ γραφὴ, quam vocem & verſiones quædam exhibent. Sed ea non opus eſt, cum ex v. 6. repeti poſſit ἡ ἐκ πίϛεως δικαιοσύνη, quam hic ſermocinantem inducit Apoſtolus. Vide quæ ſcripſimus ad v. 6. *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. I. c. III. p. 64. τὸ ἀλλὰ idem eſſe hic vult quod *præterea*, nec inconvenienter omnino.

Ἐγγύς σῦ ῥῆμά ἐϛιν ἐν τῷ ϛόματί σῦ, καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σῦ) Hebræa *Deuter.* XXX. 14. ita: כי קרוב אליך הדבר מאד בפיך ובלבבך quibus Græca exacte reſpondent, niſi quod vox σφόδρα, quæ Hebraicum מאד exprimat, omiſſa ſit. Eam vero habent οἱ LXX. unde & pauci quidam Codices hic eam addiderunt. Ex verbis ipſis apparet, Paulus iis uti, ut oſtendat, non habere vel Judæos, vel quoſcunque alios, quo ignorationem Evangelicæ veritatis, de qua v. 3. excuſent, cum ad eam præconii Apoſtolici ope pervenire, & ſalutem ipſam conſequi poſſint, modo credant corde, & ore profiteantur ea, quæ in promtu illis ſint, & ob oculos poſita. B. *Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. Hebr. דבר & Græcum ῥῆμα de *negotio* accipi vult, eo ſenſu, quod omnis iſta *res* expedita ſit & obvia. Nec illa vocis ῥῆμα notio caſtiſſimis Græciæ Scriptoribus incognita eſt. Vide quæ annotavimus Volumine I. p. 69. 564. 569. & 584.

Verſ. 9. 10. Ὅτι ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ ϛόματί σῦ Κύριον Ἰησῦν Χριϛὸν) Utrumque comma illuſtrat Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* in Miſcellaneis Theolog. Diſſert. I. qua, ſingulis vocibus diligenter evolutis oſtendit, viam ſalutis, hic, ceu nonnullis viſum ſit, non latiorem aperiri, quam quidem factum eſt a Chriſto *Matth.* VII. 21. ſqq. nec Apoſtolorum leviter hic rem egiſſe, quando a Romanis, quorum mores Claudii temporibus corruptiſſimi fuerint, fidem cordis & profeſſio-

feſſionem oris ad Chriſtianiſmum teſtandum tantum requiſiverit. Monſtrat itaque vir doctus, periculoſum eo tempore maxime fuiſſe Chriſtianam religionem profiteri, in populo ad miraculum ſuperſtitioſo, novisque cultibus nimium infenſo, vel eam ob cauſam, quod ſolemnibus epulis & ſacrificiis, quibus curias ſingulas concordiamque adeo populi contineri antiquitus inſtitutum erat, intereſſe Chriſtiani prohibebantur, tanquam communioni dæmoniorum 1. *Cor.* X. 14. Demonſtrat præterea ibidem, his verbis ſummam quaſi doctrinæ Chriſtianæ contineri. Confer *Spanhemii* Dubia Evangel. Part. III. p. 791. ſqq. & *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. V. p. 95. ex noſtratibus autem B. *Jo. Chriſtoph. Pfaffii* Diſput. de fidelibus confeſſoribus, Tubing. 1717. Otia Academica Jenenſia, german. edita Part. VI. num. 4. itemque *Bernh. Wagneri* diſputat. ſingularem de fide cordis & confeſſione oris, Argentorati publicatam. Nemini mirum hic videatur, quod Paulus primo loco confeſſionem oris, altero autem fidem cordis commemoret, cum hanc illam antecedere neceſſe ſit. Facit enim id ideo, quod in verbis Moſaicis, quibus v. 8. utitur, oris primum, deinde cordis mentio fit. Ordinem vero hunc Apoſtolus v. 20. mutat. De ὁμολογήσει τῦ Χριςῦ Patrum loca habes apud *Svicerum* Tom. II. Theſauri p. 477.

Verſ. 11. Πᾶς ὁ πιςέυων ἐπ' ἀυτῷ ὐ καταισχυνθήσεται) Vide, quæ ſcripta ſunt ſupra ad IX. 33. & compara *Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς p. 481. qui ſpeciatim obſervat, locum hunc Jeſaiæ XXVIII. 16. quo c. IX. 33. jam uſus fuerat Apoſtolus, hic iterum afferri, eo quod res, de qua hic agitur, ex *Deuteron.* XXX. non adeo clare pateret.

Verſ. 13 - 17. Spectat huc *Jo. Mich. Langii* Diſput. de aurea œconomia ſalutis, Dec. II. Diſſertatt. Theologic. num. VII.

Verſ. 13. Πᾶς γὰρ, ὅς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίῦ, σωθήσεται) *Joelis* is locus eſt II. 32. cum quo noſtra hæc comparat *Surenhuſius* l. c. p. 482. Adde *Jo. Pearſoni* Expoſitionem Symboli Apoſtolici p. 266. ubi ſpeciatim ex h. l. oſtenditur, quoties Chriſtus, Salvator noſter, in N. T. Κύριος vocetur, toties id fieri, habito ad nomen Dei eſſentiale יהוה reſpectu. Id enim occurrere in loco Joelis hic allegato, quem Paulus de Chriſto, tanquam vero illo יהוה interpretetur.

Verſ. 14. 15. Πῶς ὖν ἐπικαλέσονται &c.) Vide B. *Speneri* Vindicias locorum quorundam Scripturæ ab abuſu profanorum hominum vindicatorum, p. 285. ſqq.

Verſ. 15. Πῶς δὲ κηρύξυσιν, ἐὰν μὴ ἀποςαλῶσι, καθώς γέγραπται) In ſummam hic confert Apoſtolus dictum Jeſaiæ LII. 7. Vide *Surenhuſ.* l. c. p. 483. & B. *Seb. Schmidii* Collegium Biblicum Prius p. 359. 364.

Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες ἐυαγγελιζομένων) Ad ſandalia Apoſtolorum hic alludi ſuſpicatur Anonymus in Unſchuldigen Nachrichten an. 1716. p. 1089. *Lamb. Bos* phraſin hanc confert cum iſta *Sophoclis* in Electra v. 1358. Ὦ φίλταται μὲν χεῖρες, ἥδιςον δ' ἔχων ποδῶν ὑπηρέτημα. *O manus amantiſſimæ, quam exoptato pede fers opem?* Lege eum in Exercitatt. p. 114.

Verſ.

Verſ. 16. Ἠσαΐας γὰρ λέγει. Κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;) Lege, quæ Parte I. ad *Joh.* XII. 38. ubi eadem verba, ſed plenius, ex *Jeſ.* LIII. 1. allegantur, diximus. Confer præterea *Surenhuſium* p. 484. *Alex. Morum* ad cap. LIII. Jeſaiæ pag. 5. & *Guſſetium* in Lexico Hebraico radice שמע lit. E. Hic tantum id annotaſſe fas eſt, quod Paulus querelam Jeſaiæ de incredulitate audientium ad Gentiles æque ac Judæos (de utriſque enim loquitur v. 12.) extendat, quem Dominus noſter *Joh.* XII. 38. ad Judæos tantum adplicat. *Revera tamen* (*Lud. Capelli* verba habes ex Operibus ejus Criticis pag. 18.) *rem attentius conſideranti videbitur Apoſtolus his Jeſaiæ verbis non Gentilium, quos a fide commendat* v. 19. *&* 20. *ſed Judæorum duntaxat incredulitatem notare atque redarguere, quam toto hoc capite convincere atque exagitare ſibi proponit Apoſtolus, eosque propter illam incredulitatem reos coram Deo facere, quod liquere poteſt tum ex initio, tum ex fine capitis, ubi manifeſto Judæos arguit & vituperat ob eorum incredulitatem. Non videtur itaque conſentaneum, ut, ubi gentes Judæis opponit, hosque increpat ob incredulitatem, illas vero a fide laudat, ibidem easdem de incredulitate redarguat, quas de fide laudavit.* Lege ibidem cætera, & ipſe judica. De ἀκοῇ, pro *concione* ſeu *prædicatione* poſita, lege *Svicerum* Tom. I. p. 158.

Verſ. 17. Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ) *Colomeſius* Obſerv. Sacrar. pag. 151. hæc commodiſſime ita vertit: *La foy s' engendre par la predication, & la predication ſe fait ſuivant la parole de Dieu.* h. e. Fides naſcitur per prædicationem, prædicatio autem fit ſecundum verbum Dei. Senſus enim verborum Pauli eſt, ſine promulgato verbo non poſſe produci fidem (ordinarie ſcilicet, & in iis de quibus hic Apoſtolus loquitur) verbum autem illud debere eſſe verbum Dei, ejusque ſententiam exacte referre. Fallitur opido *Tanaqu. Faber*, quando a *Steph. Gauſſeno*, quem appellat, monitus, comma hoc ex loco, quem putat, alieno in finem capitis hujus referri vult, tanquam, quo tota Apoſtoli ratio concludatur. Vide Epiſtolas ejus Criticas lib. II. pag. 347. Adverſus eum *Jo. Clericus* in Arte Critica Parte III. Sect. I. c. 17. §. 8. obſervat, τὸ ἄρα hic cum *Fabro* non vertendum eſſe per *igitur*, ſed per *certe*. Neque enim Paulum h. l. probare voluiſſe, fidem eſſe ex auditu, quippe quod nemo poterat inficiari; ſed id omnino tanquam certum largiri & admittere. Non nego, vocem ἄρα paſſim eo ſignificatu in Sacris & profanis literis venire, quod *Grotius* recte obſervavit. Vide v. c. *Luc.* XI. 20. & *Rom.* VII. 21. Sed communior tamen in ſacris notio eſt, *igitur*. Atque illa hoc quoque loco ſervari commode poteſt, & ne ſic quidem quicquam pro ſe effecerit *Faber*. Series enim orationis ſequentis oſtendit, Paulum non amplius probare, fidem naſci ex audita prædicatione, ſed rationem potius reddere, cur verbum, quod Judæi audiverant, fidem in ipſis non accenderit. Atque alieno loco poneretur hoc comma, ſi rejiceretur in finem capitis, cum ad probationem ſermonis antecedentis nihil quicquam faciat. Conſtat alias, τὸ ἄρα utplurimum a Græcis voci alteri poſtponi, quod exemplis demonſtravit *Jac. Perizonius* ad *Æliani*

Var.

Var. Hiſtor. II. 1. ſed in ſacris promiſcue nunc ab initio, nunc aliter adhibetur. Vide v. c. ſupra V. 18. VII. 3. 25. VIII. 12. IX. 16. &c.

Verſ. 18. Ἀλλὰ λέγω) *Rich. Simon* in notis ad Verſ. Gall. obſervat, τὸ λέγω hic commode verti per *quæro, interrogo*. Nec abnuerim ego. Sequitur enim ſtatim interrogatio: μὴ ὀυκ ἤκουσαν; & ſic iterum v. 19. item XI. 1.

Μενοῦνγε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος ἀυτῶν) Locus eſt Pſalmi XIX. 5. in quo, cum allegatione Paulina comparando, id inprimis torſit Interpretes, quod in Hebræo exſtat קַוָּם, pro quo Apoſtolus hic habet cum τοῖς LXX. φθέγγος ἀυτῶν. Hinc Pontificii inprimis & Criticorum nonnulli, in aſſerendas contextus Hebræi corruptelas proni, efficere conati ſunt, in Hebræo olim lectum fuiſſe קוֹלָם *vocem eorum*. Alii itaque alias hujus vel interpretationis vel varietatis rationes reddere conati ſunt, eo conſilio, ut & integritati textus Hebræi nihil decederet, & interpretationi ipſi conſuleretur. Lege ex noſtratibus *Seb. Schmidii* Collegium Biblicum Prius pag. 76. ſqq. *Salom. Glaſſii* Grammaticam Sacram lib. I. Tract. I. Loco XLVII. p. 87. *Hackſpanii* Syllogen Diſputationum p. 410. ſqq. *Jo. Wilb. Zieroldi* deutliche Erklärung p. 1646. & noviſſime doctiſſ. *Jo. Grammium* in Diſput. II. de V. T. verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 34. ſqq. Ex *Reformatis, Hottingerum* in Theſauro Philolog. p. 186. ſqq. *Altingium* de Schilo lib. IV. c. 30. Tom. V. Operum p. 111. *Campeg. Vitringam* lib. III. Obſſ. Sacrar. cap. 24. pag. 350. & in comment. ad *Jeſ.* XVIII. 2. *Guil. Surenbuſium* in βίβλω καταλλαγῆς p. 485. ſqq. *F. A. Lampium* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. II. p. 833. & *Jac. Guſſetium* in Commentario de Lingua Hebr. voce קוֹל lit. B. Ex Anglis denique *Eduard. Pocockium* ad Portam Moſis p. 47. ſqq. Plerique ajunt, Apoſtolum, more ſuo τὰς LXX. ſecutum eſſe, qui ſenſum recte expreſſerint, non habita ratione vocis Hebraicæ קַו. Ita ex noſtratibus *Glaſſius*, ex ceteris autem *Adrianus Relandus* in Diſſertt. Miſcellaneis Parte I. pag. 77. ut plures taceam.

Alii Hebræum קַו non *lineæ* tantum, ſeu *amuſſis*, quam frequentiſſime denotat, ſed & *clamoris* ſeu *vociferationis* notionem habere contendunt, advocata cognata Arabum lingua. Id primus, ni fallor, in hanc cauſam attulit *Eduard. Pocockius* l. c. nec diſſentit *Relandus*, mutata forte priore ſententia, in Corollario IX. Diſſertat. de Tryphone Judæo, itemque *Vitringa* l. c. quo judice οἱ LXX. vel ad Arabicam radicem reſpexerunt, vel hunc ſignificatum ex antecedentium & conſequentium connexione eruerunt. Eos enim pro קַוָּם non legiſſe קוֹלָם ex eo recte contendit, contra *Lud. Capellum* in Critica Sacra IV. 17. & V. 5. qui conſentientes nactus eſt *Alex. Morum* in Cauſa Dei p. 150. *Bernh. Montfauconium* in Hexaplis ad fragmentum Symmachi h. l. & noviſſime *Guil. Whiſtonum* in Conatu Hebræum textum reſtituendi p. 324. contra quem poſt Celeberr. *Jo. Gottlob Carpzovium* Criticæ Sacræ Part. II. p. 594. ſqq. lege Cl. *Franc. Wokenium* in Harmonia V. & N. T. Part. II. pag. 303. Contra Cappellum id ſpeciatim prudenter urget *Vitringa*, quod οἱ LXX. vocem קוֹל nunquam alias per φθόγγον reddiderint, ſed per φωνὴν, atque adeo,

ſi in Hebræo קולם legiſſent, eadem ratione hoc quoque loco interpretaturi fuiſſe videantur. Subtilior mihi, quamvis erudita, viſa eſt *Lampii* obſervatio l. c. allata. Suſpicatur is, τοὺς LXX. τὸ קו per φϑόγγον expreſſiſſe ideo, quod putarent, Pſalten loqui de cœlis elementaribus, atque adeo ad exemplum Philoſophorum &Poëtarum veterum, planetarum & orbium cœleſtium quandam harmoniam fingentium, cœlis φϑόγγον tribuendum eſſe exiſtimarent, qua voce modos Muſicos Scriptores harmonici, ut *Ariſtoxenus* Harmonicor. Element. lib. I. & Euclides initio Introduct. Harmon. exprimant. Omnium optime res conficeretur, ſi dicere poſſemus, vocem קו apud ipſos Hebræos *vocem* vel *ſyllabam* inferre. Id affirmat *Altingius*, adducto loco *Jeſ.* XXVIII. 10. in epiſtolis, quæ exſtant Tomo V. Operum p.423. Sed ut ille locus obſcurior eſt, ita *lineæ* vel *canonis* notionem illi maxima veri ſpecie vindicatam puto a *Vitringa* l. c. p. 351. Ad eundem Jeſaiæ locum provocat Rev. *Zieroldus* l. c. ubi voces קול & קו ex interiore linguæ Hebr. genio ſecum invicem ut affines comparat, & per τὸ צו apud Jeſaiam *præceptum*, per קו vero ibidem, & h. l. *interdictum* innui exiſtimat. At *Altingius* ipſe Tom. V. Opp. p. 111. τῷ קו *funiculi* ſeu *fili menſorii* ſignificatum tribuit, atque ita pergit: *Ibi* (nempe Pſalm. XIX. 5.) *non tantum ſynonyma ſunt* קום funiculus eorum & מליהם verba eorum, *ut priori quod ad ſenſum exacte reſpondeat, quod Apoſtolus ſubſtituit:* ſonus eorum; *ſed etiam ſonus prædicationis Evangelicæ fuit ipſe funiculus menſorius, ab Apoſtolis circumductus per univerſam terram, quo hereditatem Chriſti, huic a Patre datam, Pſalm. II. 8. & per funiculos (more in dividendis hereditariis portionibus uſitato Joſ.* XVII. 5.) *admetiendam Pſ.* XVI. 6. *circumſcripſerunt, ejusque fines, prolatis undiquaque limitibus, ampliſſimos conſtituerunt.*

Guil. Surenbuſius p. 487. dici & illud poſſe putat, quod Apoſtolus per φϑόγγον αὐτῶν non reſpexerit ad קום quod v. 5. legitur, ſed ad קולם quod ibidem exſtat v. 4. atque adeo ſententiam ſuam ex v. 4. & 5. more, Hebræis in allegationibus recepto, concinnaverit.

Minime omnium ſcopum ferit auctor diſſertationis, quæ in Hiſtor. Critica Reipubl. Literariæ Tom. II. p. 137. exſtat. Is enim τὸ קו ex Sinico *neù* i. e. *os* derivandum & explicandum cenſet.

Recentiorum plerique in eo recte conſpirant, quod Hebraicum קו *vocis ſonique* ſignificatu valeat, reſpectu inprimis ad vocem Arabicam, illi reſpondentem, habito. Hanc ſententiam ornavit nuper Cl. *Elsnerus* pag. 51. id ſpeciatim obſervans, quod φϑόγγος Græcum ex hac quoque ratione Hebraico קו, *lineam* & *normam* notanti, reſpondeat, quia φϑέγγος proprie ſit ἐμμελῆς φωνῆς πτῶσις ὑπὸ μίαν τάσιν, *vocis modulatæ caſus ſub unam intentionem,* lineæ inſtar, quam in rem legi vult *Sextum Empiricum* adverſus Muſicos lib. VI. p 365. ibique Celeber. Fabricii notas. Eaſdem partes amplectitur Cl. *Grammius* l. c. B. *Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l., hoc præterea argumento pro γνησιότητι textus Hebr. uſus, quod lex Synonymica in Pſalmis regnet, hæc vero

ro arguat, quod, cum in poſteriori hemiſtichio alias habeantur, quæ prior reſpondeant, hic quoque in priori aliquid eſſe debeat, quod reſpiciat phraſin τὰ ῥήματα αὐτῶν; quodque adeo ad vocis φθόγγος ſignificationem accedat.

Cur Paulus verba Davidis, quæ ad cœlos, tanquam Dei fabricam cum honore ejus conjunctam, tantum referri videantur, ad præconium Evangelii convertat, diſquirit *Surenbuſius* l. c. B. *Olearius* l. c. Pſalten de cœlis & luminaribus hiſtorice, ſimul tamen prophetice de prædicatione Evangelii, cujus allegoria ex conſideratione cœli phyſici petatur, loqui affirmat. Cl. *Oederus* in Bibliotheca Theolog. Selecta Parte L. p. 205. Paulum verbis, non autem ſenſu Davidico, uti exiſtimat, quod ipſi amplius evincendum relinquo.

De Evangelio, omnibus gentibus ab Apoſtolis prædicato, diximus Volum. I. p. 341. & 342. Rev. *Læſcherus* in Decimis Evangelicis Dec. IV. p. 283. φθόγγον ſeu *ſonum* a τοῖς ῥήμασι ſeu *verbis*, aut voce articulata, hic ita diſtinguit, ut per prius *famam* de Evangelio, ad remotiſſimas gentes perlato, per poſterius autem clarum & diſertum ejus *præconium* intelligat.

Verſ. 19. Ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπὶ ȣ̓κ ἔθνει) Vide *Surenbuſium* p. 489. *Jo. Melchiorem* in Operibus Theol. Tom. I. pag. 483. & ex noſtratibus Cel. *Franc. Wokenium* in Moſe Harmonico pag. 189. De verbo παραζηλῶ lege infra ad XI. 14.

Verſ. 20. Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει) i. e. ἀποτολμᾷ λέγειν, *audet dicere*, forte per Hebraiſmum, ubi ſæpe verbum finitum per copulam & cum alio conjungitur, quod in infinitivo poni poterat. Lege Vorſtii Philolog. Sacram Part. II. p. 138. qui & obſervat, *Æſchinem* contra Cteſiphontem ſimiliter dicere: ἀπετόλμησε λέγειν. *Alex. Morus* in præfat. ad Notas in *Jeſ.* LII. p. 3. ſqq. ita phraſin accipit, quod Jeſaias præ ceteris alto & magnifico veluti clangore vocationem gentium intonuerit. Adde *Vitringæ* comm. in Jeſ. LXV. 1. Tom. II. p. 889. *Senſus*, inquit, *Apoſtoli eſt elliptice expreſſus, Jeſaiam audacia uſum priora de gentibus dixiſſe, ſequentia autem de Iſraele, quem gentibus opponit: idque ait dixiſſe Jeſaiam de gentibus*, magna uſum audacia, *cum ſciret, dicere ſe id non poſſe, niſi maximam ſibi apud Judæos conciliaret invidiam. Auſus tamen eſt vir in cauſa Dei intrepidus, & heroico præditus ſpiritu, quicquid cum θάρσει CONFIDENTIA dicere paratus, quod Spiritus S. ipſi dictabat.* Lege ibi plura de h. l.

Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητȣ̃σιν) Deſumta hæc ſunt ex Jeſ. LXV. 1. ſed ita ut ea, quæ poſteriore loco a Propheta poſita ſunt, ea priore collocet Apoſtolus, & vice verſa, non ſine veterum Hebræorum exemplo. Inſpice *Surenbuſium* pag. 490. *Jo. Melchiorem* Tomo I. Opp. Theolog. pag. 485. & *Vitringam* l. modo c.

Verſ. 21. Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει) i. e. *de Iſraele vero ait.* Nam τὸ πρὸς nonnunquam recte per *de* exprimitur. Vide, quæ ſcripſimus ad *Luc.* XIX. 9. p. 734.

πρὸς λαὸν ἀπειϑοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα) in Hebræo exſtat unum verbum סורר quod duobus hic effert Apoſtolus, tum ut efficaciam verbi indicet, tum ut Judæorum exagitet pravitatem, qui non ſolum non receperunt veritatem, ſed eidem contradixerunt. Ita verba סורר ומורה in eadem cauſa conjungi ſolent, ut *Deuter*. XXI. 18. 20. *Pſalm*. LXXVIII. 8. & *Jerem*. V. 23. Confer *Surenbuſium* p. 492. & *Guſſetium* in Lexico Hebr. radice סרר lit. E. qui ſcite obſervat, verbum סרר proprie Judæis competere, ut qui inimici Deo ſint facti per defectionem, poſt vocationem & fœdus contractum commiſſam, non per meram incredulitatem, qua Gentiles a Deo ſe averterint. Hinc fit, ut comma hoc Jeſaiæ Apoſtolus ad Judæos nominatim referat, antecedens autem ejusdem capitis ad Gentiles, cum alioquin utrumque ad idem ſubjectum pertinere videri potuiſſet.

CAP. XI.

Ad caput hoc integrum vide, quos in limine capitis X. laudavimus. Adde B. *Dannhaueri* Apocalypſin myſterii Apoſtolici, Argentor. 1654. editam, & Wittebergæ 1705. recuſam, item Diſputatt. Gieſſenſes Tom. I. p. 822. ſqq.

Verſ. 1. Μὴ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ;) Codices pauci addunt: ὃν προέγνω. Sed id quidem ex v. 2. petitum eſſe apparet, tanquam argumenti loco, quo negatio ibi exſtans confirmetur.

μὴ γένοιτο) Phraſis Paulo frequentiſſima, ad Hebræorum exemplum, qui ſæpe dicunt: חלילה, vel, חס ושלום eodem ſenſu.

φυλῆς Βενιαμὶν) Apoſtolum *Sauli* nomine, tanquam qui ex tribu Benjaminis ortus ſit, dictum eſſe ad exemplum Regis Sauli, eadem tribu ſati, exiſtimat *Altingius* Tom. III. Operum p. 3. Conf. 2. *Cor*. XI. 22. & *Philip*. III. 5.

Verſ. 2. ὃν προέγνω) Lege huc *Petavium* de præſcientiæ divinæ ratione ex Patribus diſſerentem Tomo I. Dogmat. Theol. lib. 9. cap. 1. § 3. p. 344.

Ἢ οὐκ οἴδατε, ἐν Ἡλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή;) *an neſcitis, quid dicat Scriptura eo loco, ubi de Elia ſermo eſt.*

ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραὴλ) Τὸ ἐντυγχάνει idem hic eſt, quod προσέρχεται, *accedit*, quo *Heſychius* prius illud verbum interpretatur. Dicitur ſcilicet Elias ad Deum acceſſiſſe non *interceſſurus*, ſed *accuſaturus* Judæos, quod & ſequentia oſtendunt. Confer *Hombergium* p. 235. & Cl. *Franc. Wokenium* in Harmonia V. & N. T. Parte II. p. 223.

Verſ. 3. Κύριε, τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν &c.) Vide 1. *Regg*. XIX. 10. quæ verba hic in ſummam rediguntur, quia non omnia ad ſcopum Pauli faciebant, more veterum Hebræorum, quem exemplis probat *Surenbuſius* p. 495.

Verſ. 4. Ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός;) Spectant huc, quæ ad *Matth*. II. 12. de verbo χρηματίζεσθαι dicta ſunt. Confer *Seldenum* de diis Syris p. 242. Χρηματισμὸς *reſponſum divinum* infert; vide *Suiceri* TheſaurumTom. II. p. 1532.

οἵτινες

οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ) i. e. τῇ εἰκόνι τοῦ Βάαλ, quam vocem hic ſubintelligunt *Fullerus* in Miſcellan. II. 7. & Cl. *Schœtgenius* ad Lamb. Bos de Ellipſi Græcæ Linguæ p. 61. quamvis alii, ut *Lightfootus* ad h.l. & *Henckius* in Diſput. de Uſu Apocryphorum in N. T. ſupplere phraſin malint per δάμαλιν ex Tobiæ I. 5. καὶ πᾶσαι αἱ Φυλαὶ αἱ συναποστᾶσαι ἔθυον τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει. De his quid ſentiendum ſit, idem *Schœtgenius* tradit. Neutra ellipſi opus eſſe cenſet *Seldenus* de Diis Syris Syntagm. II. c. 2. cum οἱ LXX. voci Βάαλ articulum nunc maſculini, nunc fœminini generis, præmittant. Et adſtipulatur *Svicerus* Tom. I. Theſauri p. 776. Locum hunc cum 1. *Regg*. XIX. 18. conciliat *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Priori p. 340. ſqq. Vide etiam Cl. *Franc. Wokenium* in Harmonia V. & N. Teſtamenti p. 224. ſq.

Verſ. 5. λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονε) Reſpicit Apoſtolus *Jeſ.* I. 9. ſupra cap. IX. 29. citatum, judice *Guſſetio* in Lexico Hebraico p. 887. הותיר לנו שריד *fecit nobis reſiduum*, ubi per reſiduum pars altera Iſraelis, nempe ſpiritualis, indicatur, in oppoſitione ad Sodoma ſeu corpus carnale Reipubl. Iſraëliticæ. De electione illa ex gratia ex Patribus diſputat *Petavius* Tomo I. Dogmatum, ubi de Prædeſtinatione, lib. IX. c. 12. §. 8. p. 376. &c. 13. §. 5.

Verſ. 6. Εἰ δὲ ἐξ ἔργων οὐκ ἐστὶ χάρις. ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον) Deſunt hæc verba in quatuor MSS. *Vulgata* item, *Ambroſio* & Latino Origenis Interprete. Itaque ſubdititia videntur *Eraſmo, Zegero, Eſtio* & *Grotio*. His adſtipulatur *Millius* in Prolegomenis §. 679. & Anonymus Anglus, N. T. Græci cum verſione nova Anglicana Lond. 1729. editor, qui in ipſo textu verba hæc omiſit. Averſatur eadem verba *Wilh. Wall* in Notis Criticis ſuper N. T. p. 241. Illis lectori cuidam ſciolo accepta videntur ferenda, qui priori parti verſus hujus reſpondere quædam per antitheſin debere exiſtimarit. Agnoſcunt tamen præter Codices plurimos & antiquiſſimos *Photius*, *Oecumenius*, *Theophylactus*, *Lyra*, *Arabs*, *Theodoretus* item in Commentario & *Chryſoſt*. Tomo V. edit. Morell. p. 718. ut proinde falſus ſit *Millius*, quando utrumque horum contra illorum verborum γνησιότητα affert. Confer *Whitbium* in Examine p. 33. Eodem modo loquitur S. Apoſtolus *Rom.* IV. 4. Et veriſimilius fit, Codices paucos poſteriora illa, tanquam prioribus maxima ex parte ſimilia, librariorum incuria deſiderari, quam eadem in tot alios, ex lectoris, neſcio cujus, ingenio irrepſiſſe. Paulum vero tam ſedulo hic mentem ſuam exprimere non mirabitur, qui meminerit, eundem, ubi de urgenda gratia ſine operum merito agitur, graviter & perſpicue loqui ſolere. Confer *Eph.* II. 8. De argumento ipſo legatur *Petavius* in Dogmatibus Theolog. Tom. V. de Incarnatione lib. XI. c. 6. §. 1. ſqq.

Verſ. 7. ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραὴλ, τούτου οὐκ ἐπέτυχε) Pro ἐπιζητεῖ unus alterque Codex, item *Vulg.* & aliæ quædam verſiones legunt ἐπεζήτει ad ſenſum magis quam vocem reſpicientes.

Ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν) ἐκλογὴ i. e. ἐκλεκτοὶ, ut περιτομὴ pro περιτετμημένοι. Reſpicit hæc phraſis ad illam v. 5. λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος.

οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν) De verbo πωρῦσθαι lege Patres apud *Suicerum* Tom. II. p. 897.

Verſ. 8. Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως) Verba hæc conflata ſunt ex *Jeſ.* VI. 9. 10. & XXIX. 10. quod oſtendit *Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 498. & ante eum *Beza* ad h. l. & *Colomeſius* Obſſ. Sacrar. p. 49.

πνεῦμα κατανύξεως) Hebr. רוח תרדמה *Jeſ.* XXIX. 10. Vocem κατανυξις per *compunctionem* plerique vertunt. Rectius autem reddideris per *ſoporem*, qua notione vox a τοῖς LXX. adhibetur Pſ. LX. 3. quæque Hebraico תרדמה optime reſpondet. Inſpice *Colomeſium* l. c. &, quem is allegat, *Nicol. Fabrum* in Opuſculis p. 91. (cujus verba primus attulit *Baronius* in Annalibus ad A. C. XXXIV. n. 107. *Lud. Capellus* in Spicilegio Notarum ad h. l. p. 82. exiſtimat, τὺς LXX. pro ſtilo ſuo Helleniſtico verbo νύσσειν ſignificatum verbi νυςάζειν i. e. *dormire*, *ſopitum eſſe*, tribuiſſe, ut ſic κατάνυξις idem ſit, quod νυςαγμός. Atque is conſentientem nactus eſt *Jo. Clericum* in Biblioth. Vetere & Nova Tomo I. Parte II. p. 371. Sed id quidem parum ſe probat *Rich. Simoni* in Hiſtoria Critica N. T. 786. qui cum *Grotio* κατάνυξις derivare mavult a verbo κατανύω, unde Latinorum *nutus* & *nutare.* Sic enim οἱ LXX. vocem תרעלה, quæ *agitationem* ſeu *nutationem* infert, per κατάνυξιν reddiderunt. Sed fortaſſe rectius κατάνυξις ex κατανύσσω deducetur, ſi admittamus *Jac. Capelli* obſervationem in hoc Jeſaiæ caput, quæ exſtat in Operibus *Cappelliorum* Criticis p. 675. *Quod LXX vertunt*, inquit, πνεῦμα κατανύξεως, *in eo ſequuntur non vim vocis* תרדמה *quæ proprie* ſoporem *ſignificat*, *ut habet Vulg. verſio*, *ſed ſenſum & rem ipſam*, *quod Paulo ſuffecit*, *locum hunc citanti Rom.* XI. 18. *Antecedens certe ſignificat* κατάνυξις compunctio, *cum Eſaiæ vox ſignificet id*, *quod* κατάνυξιν compunctionem *ſequitur*. *Eſt vero duplex* κατανύξεως compunctionis *ſpecies*. *Eſt* κατάνυξις *excitans*, *de qua* Act. II. 37. *Eſt & κατάνυξις* compunctio *ſopiens*, *ac* veternum *inducens*, *certe* ſtuporem. *Hæc eſt illa compunctio*, *quam intelligit Græcus Interpres hujus loci*, *& poſt eum Apoſtolus.* Affert idem in hanc cauſam *Senecæ* locum admodum appoſitum ex epiſtola ejus 77. Cl. *Hombergius* p. 234. κατάνυξιν ita accipit, ac ſi ex voce νὺξ eſſet petita, quod non puto vero conſentaneum.

Ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας) Hæc editiones nonnullæ, (quæ verba Jeſaiæ usque ad illa: καὶ ὦτα τῦ μὴ ἀκύειν ab his per parentheſin ſeparant,) ad priora illa v. 7. οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν referunt, atque adeo Paulo ipſi tribuunt, id ſcilicet indicare volenti, quod Judæi refractarii in obduratione perſiſtant usque in hodiernum diem. Alii vero malunt & hæc oraculo illi allegato addita eſſe non quidem ex Jeſaia, ſed aliunde, cum phraſis illa עד היום הזה in ſcriptis V. T. frequenter occurrat. Vide in hanc ſententiam *Surenhuſium* p. 499. & *Hombergium.* Mihi quidem prius illud magis ſe probat. Paulus enim v. 5. loquitur de *ſua ætate* (ἐν τῷ νῦν καιρῷ) quando aliquam Judæorum partem, ſecundum factam gratioſe electionem, veritatem agnoviſſe tradit. His itaque alteram

ram partem Judæorum, ſcilicet contumaciam opponit, tanquam *ſua* quoque *ætate*, & ipſo tempore conſpiciendam.

Verſ. 9. Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν &c.) Comparat hæc cum Pſalmo LXIX. 23. 24. *Surenbuſius* pag. 500. ſq. & *Wokenius* in Harmonia V. & N. T. pag. 349.

Εἰς ἀνταπόδομα) LXX. ſimiliter εἰς ἀνταπόδοσιν, quos hic ſequitur Paulus, quamvis alioquin vox Hebræa לשלומים aliud eo loco ſignificare videatur. Lege *Guſſetii* Lexicon Hebraic. p. 863. ita Hebræa convertentis: *& quod ad pacem attinet, eſto ea illis in rete.* Adde *Rich. Simonis* Hiſt. Critic. N. T. Parte II. p. 462. ubi de hac τῶν LXX. interpretatione.

Verſ. 10. Σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν) Cum *Pſalmo* LXVIII. 23. hæc erudite confert eruditiſſimus *Jo. Grammius* in Diſput. II. de V. T. verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 36.

Verſ. 11. Μὴ ἔπταισαν) Scilicet πρὸς τὸν λίθον τοῦ προσκόμματος, ut ſupra IX. 32. Ita *Polybius* p. 1307. ὁ δὲ παρεκάλει μὴ δὶς πρὸς αὐτὸν λίθον πταίειν. Conf. Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 439.

Verſ. 12. Εἰ δὲ τὸ παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτος κόσμου) Κόσμος hic ſumitur pro *Gentilibus*, quod patet ex phraſi mox ſequente, quæ iſtam explicat, nempe πλοῦτος ἐθνῶν. Confer *Vitringam* Obſervatt. Sacr. lib. V. p. 34. & *Altingium* in Heptade V. Diſſertationum Theologic. Diſſert. VI. Tomo V. Operum p. 142. Πλοῦτος idem eſt, quod *multitudo*, cui ſcilicet occaſionem dederit *lapſus* & *paucitas* converſorum ex Judæis. Vide Cl. *Jo. Conr. Schwarzii* notas ad B. Jo. Olearii librum de Stylo N. T. p. 305. & 358. ubi poſteriore loco hanc ſignificationem ex Hebraiſmo illuſtrat, in quo nomen Arabicum וגד *opulentiam* pariter & *inventionem rerum exiſtentium* inferat.

ἥττημα αὐτῶν) de vi vocis conſule **Unſchuldige Nachrichten** anno 1715. pag. 357.

Verſ. 13. & 14. a reliquis per parentheſin ſeparari vult Cl. *Elsnerus* p. 52. quia verſ. 15. cum v. 12. cohæreat. Eo fine utrumque comma ita convertit: *Vobis enim dico gentibus, prædicare quidem, quatenus ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum ſoleo; ſi quo modo ad æmulationem provocem carnem meam, ſervemque ex ipſis alios.* De quo ut non puto dubitandum eſſe; ita non video, cur cum Cl. *Herzogio* in Obſervatt. de poſitu Interpunctionum in hac epiſtola p. 14. comma hoc cum 14. ſublato colo poſt δοξάζω, arctiſſime conjungere debeamus, hoc ſenſu: *miniſterium meum glorioſum reddo, ſi, quacunque ratione poſſum, Judæos, qui mea caro ſunt, zelo aliquo præter ordinem accendam.* Apoſtolus enim non *medium* innuit, per quod gloria ſeu prædicatio miniſterii ſui ſit perficienda, ſed *finem* potius, quem iſta celebratione muneris ſui intendat. Sperare ſe enim, fore, ut hoc modo Judæi deſiderio accendantur ad fidem in Chriſtum perveniendi, ubi viderint, Gentiles copioſe ad eam perduci divinisque donis v. c. miraculorum &c. cumulari. Eodem ſenſu particula εἴπως uſurpatur *Act.* XXVII. 12. *Rom.* I. 10. & *Philip.* III. 11.

Verſ.

Verſ. 13. τὴν διακονίαν μȣ δοξάζω) Per διακονίαν *gentes*, aut, quod eodem recidat, *miniſterium* ſuum inter gentes intelligi vult Cl. *Elsnerus* l. c. Malim ego in poſteriori acquieſcere, cum hic ſignificatus ex uſu Paulino voci διακονία ab ἔθνεσι, quorum mentionem modo fecerat, diſtinguatur. Pro verbo δοξάζω *Vulg.* & Latini quidam Patres legunt in Futuro: δοξάσω, quos & B. *Lutherus* in verſione ſua ſequitur. Eandem lectionem rectiorem eſſe, & ad Apoſtoli ſcopum accommodatiorem arbitratur *Millius* in Prolegomenis §. 449. ideo, quod Apoſtolus ſignificet, ſe inpoſterum etiam munus ſuum illuſtre ac celebre redditurum, non ſolum jam propter ſalutem gentium, verum etiam Judæorum, ut zelotypia quadam incitati ad fidem, ſalutem cum gentibus conſequantur. Mihi quidem, quod ad ſenſum, nihil diſcriminis inter utramque lectionem intercedere, ſed communior tamen lectio potior & præſtantior videtur. Apoſtolus enim hactenus de gentibus, tanquam per fidem ad Chriſtum perductis præclare locutus erat, πλȣ̃τον illis ſeu inſignem *multitudinem* tribuens, de Judæorum vero paucitate ſimul conquerens. Hoc ipſo autem miniſterium ſuum laudaverat, tanquam quod illius converſionis poſt Deum cauſa extiterit. Hoc itaque ſenſu dicere omnino poterat ſe miniſterium ſuum, gentibus ſecundum vocationem divinam præſtitum, laudare, ut tale, quod fructu nec caruerit, nec inpoſterum ſit cariturum. Tantum abeſt, ut credere fas ſit, Apoſtolum hic ad futura tempora reſpexiſſe. Imo vero *conſuetudinem* quandam ſuam miniſterium, inter gentes a ſe præſtitum, laudandi potius innuit, quod recte hic monet Cl. *Elsnerus*, conferri jubens ea, quæ ad *Marc.* XIV. 12. de hac loquendi ratione commentatus ſit, quod & nos ad eundem locum p. 523. facere meminimus.

Verſ. 14. Ἔιπως παραζηλώσω μȣ τὴν σάρκα) Verbum παραζηλȣ̃ν ſupra X. 19. adhibitum, eſt, *ad æmulationem provocare*, quo ſenſu *Julianum* in Epiſt. pag. 431. idem adhibuiſſe *Elsnerus* monuit.

Verſ. 15. Ἐι γὰρ ἡ ἀποβολὴ ἀυτῶν καταλλαγὴ κόσμȣ. τίς ἡ πρόσληψις, ἐι μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν;) Cl. *Heumannus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. pag. 294. ita hæc reddit: *ſi enim rejectio* (vid. 1. *Tim.* IV. 4.) *Judæorum mundo*, (i.e. Gentilibus, vid. v. 12.) *ceſſit in reconciliationem cum Deo* (ſeu converſionem ad Deum) *quæ tandem erit aſſumtio*, ſeu receptio (ſcilicet Judæorum) *niſi reſurrectio ex mortuis?* Quo ipſo innui putat, prodigii ſimile viſum iri, ſi Judæi ad Chriſtum convertantur, imo non minus mirum hoc fore, quam ſi mortui reſurgant e ſepulchris. Compara Rev. *G. G. Zeltneri* annotationes ad Biblia B. Lutheri Germanica Altorf. 1730. edita, in calce pag. 194. ex parte idem ſentientis. Viciſſim *Martianæus* in Conatibus ſuis novæ verſionis p. 331. per πρόσληψιν non converſionem Judæorum, vel Apoſtoli ætate, vel inpoſterum ſub finem mundi imminentem, intelligit, ſed felicitatem potius Judæorum, ad Chriſtum jam una cum gentilibus converſorum, qui ſcilicet conſiderandi ſint, ut ex mortuis ad novam vitam revocati. Cl. *Starckius* in notis ad h. l. quæ cum ejuſdem in epiſt. ad Hebr. obſervationibus prodierunt, pag. 140. ita hæc accipit: *Si enim rejectio eorum* (Judæorum) fiat *reconciliatio mundi*, (ſeu gentium) *quæ* (quanti fructus

erit)

erit) *aſſumtio* (πληρώματος, multitudinis Judæorum v. 12.) *nonne*, vel certe, *erit vita ex mortuis*, vel *mortuorum*, ſcilicet gentilium, collatis *Eph.* II. 1. 5. *Luc.* XV. 32. & 1. *Joh.* II. 14. Confer B. *Hunnium* in h. l. Mihi quidem ἡ πρόσληψις ad Judæos, tunc adhuc ad exemplum Gentilium convertendos, referenda videtur. Loquitur enim Apoſtolus v. 14. de Judæis miniſterio ſuo adhuc ad ſalutem convertendis, & quidem ex æmulatione Gentilium, quam in illorum animis excitare inſtituebat, ut, ſicuti Gentiles fructum receperant ex incredulitate Judæorum; ita Judæi viciſſim ex oppoſita Gentilium fide commodi aliquid nanciſcerentur, tanquam ad quos in tantum vita ex Gentilibus, qui olim mortui fuerant, rediret. Sic orationis Paulinæ nexus egregie ſibi conſtat. Spei ſuæ, qua id eventurum eſſe præcipiebat, fundamentum Apoſtolus v. 16. exponit.

Verſ. 16. Ἐι δὲ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα) *Si enim primitiæ ſanctæ ſunt, etiam maſſa ſancta eſt.* Apoſtolus hic Gentilibus reverentiam in Judæos commendat, bonamque de iis ſpem, quoniam adhuc ſint ſemen ſanctum, facit. Ita recte, meo judicio, *Starckius* l. c. Per *primitias* autem Sanctos Patriarchas, quibus una cum poſteris facta erat promiſſio gratiæ, quique in fœdus cum Deo erant recepti, intelligit, per *maſſam* vero & *ramos* eorum indicat poſteros, quos ſcilicet Deus vi promiſſionis ſuæ libenter in gratiam recipere velit, ſi eam amplectantur. Confer *Witſii* Miſcellanea Tom. II. p. 50. ubi oſtenditur, cur Judæi *Jeſ.* VI. 13. זרע קדש i. e. *ſemen ſanctum* vocentur. Per φύραμα Apoſtolum hic ad חלה ſeu *placentam*, de qua *Num.* XV. 18. reſpicere exiſtimat *Relandus* in Antiquitatibus Hebræorum p. 188.

Καὶ ἐι ἡ ῥίζα ἁγία, καὶ ὁι κλάδοι) Simili metaphora utuntur ſubinde Scriptores externi. Ita *Menander* in Fragmentis p. 278. v. 710.

Ὁ μὴ τρέφων τεκȣ̃σαν ἐκ τέχνης νέος,
Ἄκαρπός ἐςιν ȣ̃τος ἀπὸ ῥίζης κλάδος.
Juvenis, qui ex arte ſua non alit matrem,
Is eſt ramus ſterilis a radice.

Confer *Iſidorum Peluſiotam* lib. IV. ep. 141. & *Caſaubonum* ad Theophraſti Characteres p. 393. Debemus hæc Cl. *Alberti* p. 323. Per ῥίζαν, κλαδȣς & ἐλαίαν quid hic in applicatione intelligendum ſit, ad v. 24. exponetur.

Verſ. 17. Ἐι δὲ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν) Eleganter heic Apoſtolus alludit ad ἔτυμον vocis κλάδος. Hæc enim eſt a κλάω, *frango*, notatque proprie *ramum tenellum*, qui facile frangitur. Ita *Theophraſtus* de Cauſis Plantarum V. c. 4. πλὴν ὅσοι τῶν ἀκρεμόνων κατεκλάσθησαν, *præterquam ii rami, in proſtratu perfracti.* Lege Cl. *Alberti* l. c. Quo vero nomine Judæi cum olearum ramis comparentur, oſtendit B. *Matth. Hillerus* in Hierophytico cap. XVIII.

Ἀγριέλαιος ὢν) Pro hoc Atticos dicere ſolere κότινος, obſervant Thomas Magiſter pag. 109. & *Mœris*. *Heſychius* κότινος explicat ἀγριέλαιος. Hac autem poſteriore utuntur *Theophraſtus* Hiſtor. Plantar. II. 3. & *Dioſcorides* I. 126. & 138.

& 138. Vide etiam B. *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblicas Nov. Teſtam. pag. 34.

Ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς) Vertit hæc *Beza: inſitus es pro ipſis. Eraſmus Schmidius* vero ellipſin ſubeſſe exiſtimans: *inſitus fuiſti in illis* locis defractorum. At *Hombergius* p. 236. cum *Eraſmo* τὸ ἐν redundare putans, mavult: *inſitus es in ipſis*, ſcilicet *ramis, qui remanſerunt*, vel *trunco eorum*. Malim ego cum *Grotio* interpretari: *inter illos*, ſcilicet *ramos*: nam nonnullos oleæ naturales adhuc in ea remanſiſſe Paulus ſatis indicat, quando diſerte dicit, *aliquos* tantum ramos exciſos eſſe: εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν. Itaque hoc ipſo infertur, *trunco* eos, inter ceteros ſcilicet ramos, inſitos fuiſſe. De ipſa inſitione lege inprimis doctiſſimum *Jo. Conr. Schwarzium* in Acceſſionibus ſuis ad *Jo. Olearii* librum de Stylo N. T. pag. 158. ſqq. qui totam hanc pericopen nova quadam ratione illuſtrat. Oſtendit ſpeciatim, Paulum hic per ἐγκεντρισμὸν non *inoculationem*, quam *Grotius* & *Eraſmus* voluit, nec *emplaſtrationem*, ſed *inſitionem ſarmenti* intelligere, cui per ferreum vel oſſeum cuneum aditus muniatur. Quo fine ex Scriptoribus Græcis probat, τὸ ἐγκεντρίζεσθαι dici de *ſarmento, vel reſecto arboris ſurculo demiſſo in reſectam & fiſſam ſtirpem ramumve arboris*, v. c. Geoponicorum lib. X. c. 76. τὰ μῆλα ἐγκεντρίζεται εἰς πᾶσαν ἀχράδα καὶ εἰς κυδώνια. *Mala in omnem ſylveſtrem pirum immittuntur, & in cydonias.* Præterea vero arborem dici ἐγκεντρίζεσθαι, *quæ reſectos ſurculos accipit*, ſeu in qua depunguntur ſarmenta, vel alienæ, vel ejuſdem arboris. Vide eadem Geoponica lib. IV. c. 12. pag. 97. & IV. 13. ubi ἄμπελος ἐγκεντριζομένη h. e. *vitis, in qua inſitio fit*, appellatur. Atque hanc poſteriorem ſignificationem Paulum ait ſpectaſſe, cujus proinde verba ita convertit: *Si qui vero rami defracti ſunt, & tu, qui oleaſter eras, iis conſitus es, atque* (ea re) *in radicis & pinguedinis olivaceæ communitatem veniſti* &c. Idem p. 165. *Hammondo* ad h. l. neganti, quod oleaſtro inſeri potuerit ſarmentum oleæ a Judæis, reſpondet, legem illam Moſis, ad quam provocet, commode explicari poſſe ad inſitionem tuendam, & a Judæis ſatis laxari in Miſchna de rebus diverſi generis, Paulum quoque jam libertatem magis Chriſtianam, quam ſervitutem Judaicam ſpectare. Idem p. 160. obſervaverat, oleæ ſarmenta indi conſueviſſe in alias arbores, ex Geoponicis lib. IX. 14. Plinii Hiſt. Naturali XVIII. 14. inprimis vero oleæ ſurculos defigi ſolitos eſſe in oleaſtro, teſte *Plinio* l. c. cap. 18. *Africæ peculiare quidem in oleaſtro eſt inſerere oleas.* De re ipſa, quæ hic ab Apoſtolo agitur, lege *Campeg. Vitringæ* comment. in *Jeſ.* VI. 11. ubi ſuſpicatur, Paulum illum Jeſaiæ locum hic ob oculos habuiſſe. *Arbor*, inquit, *ejuſmodi contemplationi noſtræ hic objicitur, quæ ſolam reſiduam habebat radicem, ſtipitem, truncum, quo nititur, qui hic* מצבת *dicitur.* Cumque ibidem inſtar cauſæ efflorescentis iterum illius arboris addatur: *ſemen ſanctum erit ſtipes ejus*; idem paulo poſt obſervat, per ſemen illud intelligendos eſſe *Patriarchas ſanctos*, in quibus cenſebatur *omne ſemen ſanctum*, ex iis ortum, & in eo *Jeſus Chriſtus, quatenus eſt ex Patribus.* Hic enim vocatur *Sanctum illud Luc.* I. 35. verum & benedictum *ſemen Abra-*

Abrahæ, Gal. III. 16. in quo eſt ſubſiſtentia, & ſuſtinendi vis (מצברת) h. e. vis vitæ incorruptibilis, *Hebr.* VII. 16. *radix* & *genus* Davidis, *Apoc.* XXII. 16. radix Iſai, atque adeo ipſius Abrahami, *Jeſ.* XI. 10. in quo Abrahamus cum omni ſuo ſemine ſancto cenſetur, conſervatur, & omnia promiſſa Abrahæ facta implentur. Confer dicenda ad v. 24.

Verſ. 20. *μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβȣ̃*) Cum metus etiam in ſuperbis eſſe poſſit, quemadmodum ſceleratis hominibus, & ſe vel ſic jactantibus, nihil ſit meticuloſius, hinc τὸ φοβεῖσθαι nonnulli idem hic eſſe volunt, quod *demiſſe de ſe ſentire.* Ita *Feſſelius* in Adverſariis Sacris lib. IV. cap. 19. p. 410. qui & phraſin μετὰ φόβȣ καὶ τρόμȣ 1 *Cor.* II. 3. 2. *Cor.* VII. 15. &c. non de metu, ex dubitatione orto, ſed de animi demiſſione, cum reverentia conjuncta, accipit. Confer τȣ̀ς LXX. *Daniel.* V. 19. & VI. 26. Mihi quidem conſuetus *timoris* ſignificatus h. l. commode teneri poſſe videtur. Qui enim timet, jactantiam certe deponit adverſus eum, in quo ſibi timet. De verbo ὑψηλοφρονεῖν i. e. *ſuperbire* lege *Laur. Ramirez de Prado* in Pentecontarcho p. 2.

Verſ. 21. *μήπως ȣ̓δέ σȣ φείσηται*) *ne tibi quoque non parcat.* Hic τὸ φοβȣ̃ ex v. 20. ἀπὸ κοινȣ̃ eſt repetendum: quod ipſum quoque evincit, ordinariam *timoris* ſignificationem non eſſe deſerendam. Nonnulli Codices hic legunt φείσεται, Græcæ linguæ convenienter, quod idoneis veterum exemplis oſtendit *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Tom. II. p. 54. Dubito tamen, an elegantius ita ſcribatur, quod idem ſtatuit.

Verſ. 22. *Ἴδε ȣ̂ν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν Θεȣ̃*) De voce ἀποτομία lege *Sviceri* obſervata in Theſauro Eccleſiaſt. Tom. I. p. 484. B. *Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. monet, *Heſychium* adverbium ἀποτόμως, quod exſtat *Tit.* I. 3. explicare per σκληρῶς καὶ ἀπαραιτήτως. Ἀποτομίαν igitur actionem eſſe σκληρὰν καὶ ἀπαραίτητον, *inevitabilem*, ideoque hic ſignificari judicium ſubitaneum & inevitabile, ſeu ſeveritatem judicialem.

Verſ. 24. *καὶ παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθης εἰς καλλιέλαιον*) Per καλλιέλαιον Abrahamum, tanquam univerſalem & myſticum omnium credentium Patrem, (quem Judæi in Tractatu Talmud, *Biccurim*, & *Michlal Jophi* ad Malach. III. appellant) hic indicari exiſtimat *F. A. Lampe* in Exercitatt. ad Pſalm. XLV. p. 587. *Tria*, inquit, *Apoſtolus diſtinguit, radicem, frondes, & oleam ipſam, ſeu ſtipitem ſemper virentem, inſitionisque novæ identidem capacem. Radix Chriſtus eſt, frondes ſunt Eccleſiæ membra. Quid vero ſtipes, ſeu truncus oleæ? Quid niſi Abrahamus? Hujus enim paternitatem & ſub ea latens myſteſterium Apoſtolus Rom.* IV. 1. ſq. 16. ſq. & IX. 7. *& in hujus capitis initio explicat. In hunc aptiſſime totum emblema quadrat. Olea enim frequenter virorum, egregiis dotibus præ aliis in Eccleſia inſignium, emblema eſt, & pulcherrime talem adumbrat, qui in fide Chriſti radicatus, dulcedine & pinguedine ſpiritus plenus fuit, eo usque, ut per illum, tanquam canalem, benedictio pinguiſſima ad alios derivata ſit. Ille opponitur* τῷ ἀγριελαίῳ, oleæ ſylveſtri, *genealogiæ Gentilium a communione Dei per tempus ſeparatorum -- Judæi in ſua rejectione ab hoc trunco*

 abſciſſi

abſciſſi ſunt: gentes vero in ſua converſione ei iterum inſitæ. Matth. III. 9. Huc alludi *Jeſ.* VI. 11. *Ut ilex, & ut quercus, in quibus, ubi dejiciuntur, ſupereſt ſtipes: ſemen ſanctum erit ſtipes ejus;* idem ſuſpicatur. Compone cum his Vitringæ cogitata, quæ attulimus ad v. 17.

Verſ. 25. Ου γαρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, τὸ μυςήριον τȣτο) Diverſas Interpretum de hoc & ſequenti commate ſententias in ſummam refert B. *Abrab. Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Patrum veterum recitat *Svicerus* Theſauri Eccleſiaſt. T. I. p. 1457. Sententiæ potiores ſunt duæ. Alii vel univerſalem, vel ſaltem notabilem & inſignem Judæorum ad Chriſtum converſionem, de qua hic agitur, aliquando eventuram hic prædici arbitrantur: alii eam tantum, quæ *ſucceſſiva* ſit, &, ut Apoſtolica ætate jam cœperit, ita inpoſterum quoque continuanda credi debeat. Utriusque partis argumenta brevi manu complexus eſt B. *Buddeus* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ p. 672. Priorem illam permulti tum veterum, tum recentiorum, tuentur: quos præter ceteros attulit *Wagenſeilius* in Spe Iſraëlis cap. III. *Meelfuhrerus* in Cauſis Synagogæ errantis in notis p. 4. & *Spenerus* in Appendice ad Pia Deſideria p. 152. ſq. in Solatio fidei Evangelico Tom. II. p. 438. in Geiſtlichen Schrifften Tom. II. p. 329. ſqq. & in Reſponſis Theologicis vernacula lingua editis Parte I. p. 215. ſq. Sic & *Hottingerus* in Theſauro Philolog. p. 9. eos appellat, qui magnam ejusmodi converſionem vel ut certam adſerunt, vel negant, aut ſaltem ſubdubitant, vel denique nihil prorſus definiunt. Adde Scriptores, quos ipſe ego in Bibliothecæ Hebraicæ Volum. II. p. 1068-1072. de hoc argumento in utramque partem diſputantes allegavi. Ad noſtrum locum ſpeciatim variæ exſtant vel *diſputationes* a M. *Wildesbauſenio* in Bibliotheca Diſputationum ad h. l. recitatæ, (quibus unam B. *Jo. Henr. Maji*, Patris, adde de myſterio converſionis Judæorum adhuc ſperanda Gieſſæ 1716. 4.) vel commentationes. Ex his notanda inprimis eſt *Jac. Batalerii*, Miniſtri quondam Reformati, diſſertatio de Iſraëlitarum converſione a Divo Paulo capite XI. epiſt. ad Romanos prædicta, *Hagæ* 1669. 12. & *Jo. Wandalini* Diſcuſſio Spei ſpecioſæ de converſione Judæorum illuſtri, Hafniæ 1708. 4. ubi eam, quam olim in Diſſert. de Prophetis & Prophetiis defenderat, & futura Judæorum converſione ſententiam, deſerit, nec ex h. l. adſeri poſſe exiſtimat, quod ipſum affirmat quoque Rev. *Brand. Henr. Gebbardi* in Præfatione ad Chabacucum Enucleatum Lipſ. 1724. editum, quæ ad hunc præcipue locum pertinet. Idem ex noſtratibus contra *Spenerum* inprimis ad h. l. affirmarunt *J. G. Neumannus* in Diſputationum Anti-Chiliaſticarum IV. & in Prodromo Anti-Speneriano Patre I. p. 198. Pro contraria tamen ſententia diſputat Anonymus in Vere Theologico, cujus argumenta lege, ſi placet, in Actis Eruditorum Lipſienſ. Latinis an. 1694. p. 366. ſqq. Mihi quidem præſidium, quod pro ea in h. l. quæritur, dubium admodum & incertum, imo nullum ſemper viſum eſt, cum contextus ſuadeat, credere, Paulum id hic tantum agere, ut converſi ex gentibus non exiſtiment, Judæis omnem ſpem ad Chriſtum inpoſterum perveniendi præciſam eſſe, ſed ita potius ſtatuant,

ipſis

ipſis non minus, quam ceteris Gentilibus, nondum converſis, viam patere, qua ad Chriſtum perducantur. Atque hujus rei documentum illuſtre editum eſſe puto, quando non ſolum per præconium Apoſtolorum plures ſubinde Judæi ad ſacra Chriſti adſciti ſunt, ſed & numerus eorum poſt excidium urbis & templi, atque hinc conſecutum totius gentis exilium, inſigniter auctus fuit. Neque enim dubium eſt, ruinas urbis, a Domino *Matth.* XXIV. prædictas, & ſublatam hinc cultui cerimoniali indulgendi occaſionem, multos Judæorum eo adduxiſſe, ut recogitarent veritatem vaticinii a Chriſto editi, eumque adeo ut verum Prophetam inpoſterum conſectarentur. Locus *Jeſaiæ*, a Paulo allatus, non magis id, quod diſſentientes volunt, infert. Hinc recte B. *Joh. Gerhardus* in *Tractatu Theologico*, *in quo præcipua Chiliaſmi fundamenta deſtruuntur*, p. 279. ait: *Qualis & quanta præciſe futura ſit Judæorum converſio, ante oraculi Apoſtolici complementum perfectum, apodictice ſciri nequit.* Atque iſta quidem pro inſtituti noſtri ratione de hoc argumento ſufficiant.

Ἵνα μὴ ἦτε παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι) i. e. ἵνα μὴ δοκῆτε παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι εἶναι. Ita *Herodotus* lib. I. pag. 40. apud *Raphelium* pag. 439. Annotatt. Herodotearum.

Ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονε) Hunc Pauli locum in animo habuit R. *Samuel Marochianus*, Ex-Judæus, in epiſtola ad R. Iſaacum, frequenter Latine edita, cap. 14. *Timeo, Domine mi, quod ſit completum in nobis, quod dixit Dominus per Jeſaiam Prophetam:* Cecidit cœcitas ſuper Iſrael, quouſque intrabit plenitudo gentium. Quod ille Jeſaiæ tribuit, apud quem tamen fruſtra requiras, id Pauli eſſe nemo negaverit, h. l. ad Jeſaiæ oraculum aliud provocantis. B. *Wagenſeilius*, locum hunc in Telis Igneis Satanæ p. 199. afferens, ſcite obſervat, hoc reſpectu Judæos, qui Hebraice עברים dicuntur, recte עורים i. e. cœcos per παρήχησιν quandam vocari poſſe.

Ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ) Per πλήρωμα hic *Gusſetius* in Veſperis Groninganis pag. 434. intelligit *ſupplementum*, h. e. illud, quantum quantum eſt, quod e gentibus deſumendum deſtinavit Deus ad ſupplendum id, quod deficit in olea myſtica Iſraelis per abſciſſorum ramorum rejectionem, ſicut *Matth.* IX. 16. πλήρωμα vocat id, quod extrinſecus adſcitum eſt ad reſarciendum, quod deeſt veſti. Eadem eſt *Jo. Wandalini* interpretatio, a *Wolfburgio* in Obſervatt. Sacris p. 482. allata. *Loquitur Apoſtolus*, inquit *Wandalinus*, *de illis Judæis, qui erant præcogniti ſeu electi v. 2. 5. horum pars tunc ſalutem conſecuta erat, reliquis per æmulationem gentium acceſſuris, v. 7. 11. 23. hi vero tantiſper occalluerant, donec introiret plenitudo gentium v. 25. hæc vero plenitudo erat tantum ſupplementum in locum defractorum Judæorum, quod reſpondebat eorum* ἥττημα, *v. 12. Tale vero* πλήρωμα *tempore Apoſtoli jam introierat v. 17. 19. Ex eo itaque tempore per* παραζήλωσιν *Gentilium credentium tunc & nunc aliquot ex Judæis ſalvandi erant v. 14. uſque dum totus Iſrael h.e. omnes electi ex Judæis ſalvarentur, idque ſecundum ordinariam gra-*

tiæ Evangelicæ diſpenſationem v. 23. Jeſ. *LIX.* 20. Jer. *XXXI.* 34. *Quod myſterium tunc erat Gentilibus credentibus, ſicuti antea vocatio Gentium fuerat myſterium Judæis Eph. III. 3. 6. 9 & Actor. XI. 1. ſqq.* Hæc adeo clara mihi videntur, ut phraſi huic nihil amplius lucis accedere poſſe exiſtimem. Itaque nec mirum, *Almeloveenium* in eadem cogitata incidiſſe. Verba ejus ex epiſtola ad ſe ſcripta affert *Jo. d' Outrein* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. V. p. 466. Verti ſcilicet vult πλήρωμα per *implementum* ſeu *complementum,* h. e. illam particulam minorem, quæ menſuræ ad implendum adjicitur, ac ſi belgice dixeris: *volmaking, bylage, vervullinge.* Ethnicos enim complere debuiſſe numerum eorum, qui ex Hebræis defecerint. Excipit quidem contra hæc *Outreinius* p. 467. τὸ πλήρωμα *plenitudinis* ſignificatu occurrere *Job.* I. 17. *Coloſ.* I. 19. & 1. *Cor.* X. 26. 28. atque eum h. l. retineri debere, ut gentium, eo tempore converſarum, & ſub finem mundi adhuc convertendarum *copia* & *multitudo* paucitati Judæorum opponatur. Enimvero, ut negare nolim, τὸ πλήρωμα locis notatis ſignificatum *plenitudinis* & *copiæ* referre, propterea tamen nec alterum illum, *ſupplementi* ſcilicet, negari poſſe puto. Is enim manifeſtus eſt ex *Matth.* IX. 16. *Marc.* VIII. 20. ubi πληρώματα κλασμάτων, & *Eph.* I. 10. ubi πλήρωμα τῶν καιρῶν i. e. *ſupplementum temporis*, quod adventui Meſſiæ deſtinatum erat. Hanc autem ſignificationem huic loco competere vel ἥττημα illud, ſeu *defectus* evincit, cui τὸ πλήρωμα opponitur. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. eodem ſenſu πλήρωμα de gentibus, Eccleſiam Dei συμπληρȣ̃σαις, accipit, quemadmodum elemoſynæ πλήρωμα εὐλογίας dicantur, & apud profanos πλήρωμα ἵππȣ de iis, qui in equo Trojano erant, adhibeatur. Quæ de hoc πληρώματι ex comparato loco *Gen.* XLVIII. 19. ubi Ephraim futurus dicitur מלא הגוים i. e. *plenitudo gentium,* afferuntur, & pro illuſtri converſione Judæorum ac Gentilium imminente urgentur **im Freywilligen Heb-Opffer** Tom. II. p. 297. ſqq. ea ſuo loco legi poſſunt. Patrum ſententias expoſitas vide a *Suicero* Theſauri Eccleſ. Tom. II. p. 754.

Verſ. 26. Καὶ ȣ̈τω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται) Ita Judæi, ſenſu tamen a ſcopo & mente Apoſtoli diverſo, ex *Sanhedrin* cap. XI. frequenter de gente ſua in præjudicium aliarum gentium: כל ישראל יש להם חלק לעולם הבא *totus populus Iſraeliticus partem habet in futuro ſæculo*, ſeu, omnis Judæus ſalutem æternam conſequetur. Lege alia hujusmodi Judæorum doctorum effata apud *Eiſenmengerum* in Judaiſmo detecto Parte II. c. IV. p. 248. ſqq. Fuerunt tamen ex ipſis, qui de propria ſua ſalute dubitarent. Vide eundem Parte I. cap. VIII. p. 443.

καθὼς γέγραπται· ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος, κ. τ. λ.) Quæ v. 26. & 27. afferuntur loca V. T. ea ex *Jeſ.* LIX. 20. 21. & XXVII. 9. conflata eſſe, facta cum illis comparatione diligentiore, oſtendit *Guil. Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 503. ſqq. Confer *Vitringæ* Commentar. in Jeſaiam Tom. II. p. 795. *Guſſetium* in Lexico Hebraico p. 835. & in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte II. c. 81. p. 434. ſqq. item *Jo. Melchioris* Opera Theolog. Tom. I. p. 487.

Guſſe-

Guſſetius loco poſteriore Apoſtolicam allegationem a corruptela illi falſo exprobrata liberat, ac eadem opera oraculum illud ad Meſſiæ incarnati ætatem ſpectare oſtendit. *Judæi,* inquit, *in prima hujus capitis parte maximorum criminum, impietatis ſummæ, odii virtutis rei deſcribuntur. Nullus inter eos Deum venerando flectens. Tunc Deus in eos ſevere animadvertit, adhibitis ad vindictam illam populis Inſulanis, h. e. Italis & Græcis, non amplius Babylonii. Tales autem Judæos ætate Domini Jeſu, & tempore, ad excidium uſque Templi excurrente, pingit non ſolum Evangelium, ſed & Flavius Joſephus, eorum civis & Sacerdos. Eodem ſeculo timor Domini ab Oriente ad Occidentem per Evangelium propagatus eſt. Hoc eſt illud tempus, quo Jeſaias Redemtorem venturum prædicit, nec aliud, quo Paulus eum veniſſe nunciat.* Hæc propterea attuli, ut intelligeretur, nihil eſſe cauſæ, cur vel Jeſaias hoc loco, vel Paulus, qui eo utitur, ad extremam mundi ætatem, adeoque ad converſionem Judæorum illuſtrem, tunc demum exſpectandam, reſpexiſſe dicatur. Ex his facile reſpondebitur ad illas Judæi Anonymi cavillationes, quas ex Codice MS. affert eruditiſſimus *Jo. Henr. Majus* in Catalogo Bibliothecæ Uffenbachianæ Parte I. pag. 151. Ex Interpretibus tamen recentiſſimis Jeſaiæ *Campeg. Vitringa* Tom. II. Commentarii pag. 795. cum iis facit, qui vaticinium hoc ad univerſalem & extremam Judæorum converſionem ſpectare cenſent. Eodem in loco is rationem reddit verſionis Paulinæ, quando pro eo, quod οἱ LXX. hic habent ſecundum Hebræum, ἥξει ἕνεκεν Σιὼν ὁ ῥυόμενος, reponit, ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος. Exiſtimat autem, Paulum non ad unum hunc Jeſaiæ locum, ſed ad alios Scripturæ Sacræ, & ſpeciatim Pſalm. XIV. 7. reſpectum habere, ubi votum hoc exſtat: *quis det ex Sione ſalutem?*

Verſ. 28. Κατὰ μὲν τὸ Εὐαγγέλιον ἐχθροὶ δι' ὑμᾶς) *Grotius* ita: *occaſione Evangelii Judæi mihi & aliis auditoribus meis male volunt* &c. Itaque pro δι' ὑμᾶς vel legit, vel legendum cenſuit δι' ἡμᾶς. Et ſic unus *Æthiops* quoque, qui tamen conſtanti Codicum & Interpretum conſenſui non eſt anteponendus. Senſus eſt: Judæi *quod ad Evangelium*, quod ſcilicet nunc prædicari audiunt, & oppugnant, *inimici ſunt*, ſcilicet Deo, *propter vos*, quos vexant, & perſequuntur. De odio enim, in quo ſint apud Deum, ſermonem hic eſſe, conſtat ex oppoſito, ἀγαπητοὶ i. e. *dilecti,* (a Deo,) ut qui nonnullos eorum ob Patres fœdusque cum illis factum, & promiſſionem, vi ejus ad poſteros quoque ſe extendentem, elegerit. Phraſis κατὰ τὸ εὐαγγέλιον plenius exprimitur per: *quod ad Evangelium attinet.* Vid. Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 439.

Ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας) *dilecti ob Patres*, i. e. ob fœdus cum illis ex gratia in futuro Meſſia pactum, atque promiſſionem cum eodem conjunctam. Hoc fœdus cum Abrahamo contractum, & cum Iſaaco ac Jacobo deinde confirmatum, in hujus aliorumque ſimilium locorum illuſtrationem enarratur a *Guſſetio* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. cap. XI. §. 100. & cap. XIX. §. 17. ſqq. Ita Judæi tradunt, Deum, ubi populo ſuo aliquid promittat, promiſſi ſui teſtes & quaſi ſponſores dare Abrahamum, Iſaacum & Jacobum

cobum. Vide *Joſ. Voiſinii* Prooemium ad Pugionem Fidei Raymundi Martini pag. 159.

Verſ. 29. Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα) Voce ἀμεταμέλητα utuntur *Polybius* p. 1129. & 1296. *Dionyſius Halicarnaſſ.* lib. XI. p. 695. & *Porphyrius* in Vita Pythag. p. 40. quorum loca recitat Cl. *Elsnerus* p. 53. Per *irrevocabilia* interpretatur *Caſtellio*, quam verſionem tuetur *Gatakerus* in Adverſariis cap. XXIX. p. 316. & *Svicerus* in Theſauro Tom. I. p. 222. Quod ad rem ſimillima de ſe Jupiter apud *Homerum* effatur:

Οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν,
Οὐδ' ἀτελεύτητον, ὅτι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Quæ verba *Maximus Tyrius* Diſſertat. XXIX. repetens, iſta ſubjungit: μετατίθεσθαι γὰρ καὶ μεταγινώσκειν προσήκει μὴ ὅτι θεῷ, ἀλλ' οὐδὲ ἀνδρὶ ἀγαθῷ. Idem aliis Gentilium Philoſophis de Deo viſum eſſe oſtendit *Elsnerus* l. c. Ceterum cauſam non perſpicio, cur Cl. *Herzogius* in Obſervatt. de Interpunctionum poſitu in hac epiſtola p. 14. τελείαν στιγμὴν ſeu *punctum* poſt verba, καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ, tolli, eademque, illis, quæ interjecta ſunt uſque ad iſta: ἵνα καὶ αὐτὸν ἐλεηθῶσι parentheſi incluſis, cum his arctiſſime conjungi velit.

Verſ. 30. Νῦν δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ) *nunc vero miſericordiam conſecuti eſtis occaſione ipſorum incredulitatis*: nempe tum ex intentione divina, quæ ſcilicet nolebat, beneficium in Chriſto præſtitum irritum eſſe, nec ad plures, quam Judæorum nonnullos, qui credebant, pervenire: tum ex eo, quod Apoſtoli a Judæis, pertinacibus & incredulis, cum præconio ſuo ad Gentiles ſe conferebant. Vide *Actor.* XIII. 46.

Verſ. 31. Οὕτω καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει) i.e. Judæi ex occaſione miſericordiæ & gratiæ vobis (Gentilibus) factæ, incredulitati ſe tradiderunt, partim ex invidentia boni vobis exhibiti, partim, ut vobis hoc magis ægre facere vexationibus & calumniis ſuis poſſint.

Ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι) Sunt, qui malint antecedentem φράσιν, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, huc referre, ἵνα καὶ αὐτοὶ τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ἐλεηθῶσι, ut ſic ultima hæc eo rectius reſpondeant verbis verſus 30. νῦν δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ. Sed utrinque ſententia Apoſtoli æque clara eſt. Itaque Synchyſin hic admittere nil eſt neceſſe. Confer Cl. *Wokenii* Pietatem Criticam Parte II. pag. 123. Ceterum τὸ ἵνα h. l. eſt ἐκβατικὸν, & tantum indicat, quid ex ſingulari Dei gratia inpoſterum Judæis ſit eventurum, quando nempe exemplum gentium, ad Chriſtum convolantium, æmulationem in Judæis excitaturum ſit, ut & ipſi veſtigiis earum inſiſtant. Confer ſupra v. 14. εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα, καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν.

Verſ. 32. Συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν) Phraſis, συνέκλεισεν εἰς ἀπείθειαν idem hic plerisque Interpretibus eſſe videtur, quod *demonſtravit, convicit eſſe infideles*. Et ſic olim accepit *Chryſoſtomus*, ἤλεγξεν, ἀπέδειξεν ἀπειθοῦντας, nec minus Scholia Græca citata a *Jac. Wellero* in Annotationibus ad h.l. quibus fidem habendam eſſe exiſtimat Rev. *Raphelius* in Annotatt.

notatt. Polybianis ad h. l. pag. 440., cum altera, quam is eidem verbo tribuit, ſignificatio veterum Scriptorum exemplis conſtet. Mihi quidem, eam Pauli mentem eſſe, non dubium eſt, ex *Roman.* III. 9. ubi de eodem argumento diſſerens Apoſtolus alia phraſi idem ſatis exprimit : *προῃτιασάμεθα γὰρ Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι* i. e. *antea enim evicimus, Judæos æque ac Gentiles omnes ſub peccato eſſe.* Atque hoc ipſum erat, quod duobus primis hujus epiſtolæ capitibus demonſtratum dederat. Similiter Paulus *Gal.* III. 22. *συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν* i. e. *demonſtravit, evicit Scriptura, omnes eſſe ſub peccato.* Talis Scripturæ locus ex *Pſalmo* XIII. 3. allatus erat a Paulo *Rom.* III. 10. Itaque univerſale hoc puto eſſe aſſertum, quo omnes, qui poſt lapſum exſtiterunt, homines comprehendantur, non autem refero tantum ad Judæos & Gentiles, qui diverſis temporibus pertinace inobedientia fœdus Dei proterve averſati ſint, Gentiles ſcilicet ante Meſſiam, Judæi vero poſt ejus adventum. Hanc quidem ſententiam inprimis tuendam ſuſcepit *Pet. du Boſc* in Diſſert. II. quæ cum Vita ejus in Appendice edita exſtat. Confer Acta Eruditorum Lipſienſ. Latina an. 1694. p. 181. Sed nihil ab eo video afferri, quod illud nos amplecti admodum jubeat. Urget quidem *ποτὲ* illud, quod v. 30. exſtat, atque hinc conficere conatur, inobedientiam illam generalem non poſſe hic intelligi, quia cum in omnibus illa perinde exſtiterit, ad certum tempus hic adſtringi non potuerit. Jam vero manifeſtum eſt, illud *ποτὲ* vel ſic inferre tempus ſpeciale, quo ſcilicet incredulitas alioquin generalis in quibusdā, hinc Gentilibus, hinc Judæis, magis ſe exſeruerit. Hujus autem rei cauſa quærenda eſt in univerſali illa labe, quæ poſt lapſum genus hominum oppreſſit, quamque propterea Paulus hoc commate commemorat. Adi, ſi placet, B. *Jo. Henrici Feuſtkingii* Diſputat. de legali ſub peccatum concluſione, Witteb. 1711. & *Steuberi* Diſſertatt. Theolog. pag. 121. ſqq. Quod ad lectionem Græci contextus ſpectat, de qua primo loco dicendum erat, ſunt pauci quidam codices, qui pro *τοὺς πάντας* legunt *τὰ πάντα,* quod Vulgatus & Patres quidam Græci ac Latini præferunt, quemadmodum & *Millius* in Prolegomenis §. 449. *τὸ πάντας* pro explicatione *τοῦ πάντα* haberi vult. Idem viſum eſt *Wilh. Wallio* in Notis Criticis ſuper N. T. pag. 242. liberalius locuto, quando hanc lectionem in *omnibus antiquis* codd. Græcis, & omnibus antiquis Latinis exemplaribus occurrere teſtatur. *Millius* certe pro ea unum tantum Claromontanum, & duos Græco-Latinos affert, quibus accedit Bœnerianus unus Græco-Latinus. Quod ad ſenſum, nihil intereſt, utram lectionem ſequaris. Cum enim de hominibus ſermo ſit, *τὰ πάντα* omnino *τοὺς πάντας* inferunt. Nec quidquam aliud dicit Paulus Gal. III. 22. *Ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν.* Atque eo in loco MS. *Theophyl.* teſte Millio pro *τὰ πάντα* legit *τοὺς πάντας.* Non memini, quenquam hic ſollicitare receptam lectionem. Eodem igitur jure & noſter locus in plerorumque Codicum gratiam fruatur, Paulusque cenſeatur utraque phraſi, idem innuente, uſus.

Verſ. 33 - 36. Illuſtrantur a B. *Joh. Conrado Dannhauero* ſingulari diſſertatt. quæ inter Diſputationes ejus Theologicas num. XIII. p. 293. ſqq. recuſa exſtat, & a *Philippo Mullero* de Reſervatis divinis, Jenæ 1684.

Verſ. 33. Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ) βάθος πλούτου ſignificat *profundas* ſeu *maximas divitias*. *Plutarchus* in Vita Pompeji Tomo III. Vitarum p. 481. edit. nuperæ Londinenſis βάθος ἡγεμονίας de *vaſto imperio* adhibet. Ex utraque voce unam eodem ſenſu formavit *Euripides*, a *Polybio* p. 929. citatus, tanquam qui εἰρήνην βαθύπλουτον dixerit, quam vocem nec *Suidas* omiſit. Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybianas pag. 441. qui & voces ejusmodi alias, cum βαθὺς compoſitas, affert, v. c. βαθύκληρος, *opulentus*, βαθύποτμος, *infelix*, βαθυγήρως, *valde ſenex*. Scilicet βαθὺς *abundans, copioſum, multum* in quocunque genere infert. *Philoſtratus* de Vita Apollonii lib. I. c. 4. ἔθνος βαθὺ *gentem pecunioſam* vocat, interprete Oleario, in cujus notis plura veterum loca leges. Addo illis *Ælianum* Var. Hiſtor. VI. 6. βαθυτέραν φάρον, & *Diogenem Laërtium* βαθεῖαν νύκτα dicentem. Lege ibi *Perizonium*, & hic *Kuhnium* pag. 518. a. Eodem modo *profundus* Latinis quamcunque *magnitudinem* denotat, ut *Salluſtio* in Jugurtha cap. 81. Hinc nec poſt πλούτου ſubintelligendam putem vocem χάριτος, ut *magnitudo gratiæ divinæ* exprimatur, quæ Cl. *Schœtgenii* ad *Lamb. Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ p. 218. ſententia eſt. Quamvis enim *Epheſ.* I. 7. & II. 7. πλοῦτος χάριτος & *Roman.* II. 4. πλοῦτος χρηστότητος appelletur, ea tamen exempla id tantum probant, vocem πλοῦτος ut de aliis rebus, quarum amplitudo indicatur, ita quoque de gratia convenienter uſurpari poſſe. Ab hoc vero loco ellipſis vocis χάριτος aliena merito habetur, tum ob particulam καὶ repetitam, quæ ex Græcæ linguæ genio argumento eſt, βάθος πλούτου ſive βαθὺν πλοῦτον ad σοφίαν & γνῶσιν Θεοῦ referri; tum ob ſcopum Pauli, qui ſapientiſſima Dei conſilia & judicia admirationis plenus hic celebrare inſtituebat. Hinc v. 34. iterum: Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου; Benignitatem vero & ſeveritatem Dei idem prædicaverat v. 22. Compara cum commate hoc *Pſalmum* XXXVI. 7. & epiſtolam Synodi Ancyranæ apud Epiphanium Tomo I. p. 852. Ex Scriptoribus Eccleſiaſticis uſum vocis βάθος exponit *Svicerus* Tomo I. Theſauri p. 614. qui & Tomo II. p. 983. ex iisdem de *ſapientia Dei* diſſerit.

Καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ) Vulg. reddidit: *inveſtigabiles*, *Heſych.* ἀκατάληπτοι. Derivatur enim ab ἴχνιον i. e. *veſtigium pedis*. Hinc ἰχνεύειν, (quod *Heſychio* eſt ἐρευνᾶν, ζητεῖν, ἐξιχνεύειν, ἀνιχνεύειν &c. Confer Cl. *Jo. Alberti* Obſerv. Sacr. p. 323. Vide & *Scaligerum* ad Euſebii Chronicon p. 46. Patrum cogitata de hoc commate lege apud *Petavium* Tom. I. Dogmat. Theolog. de Prædeſtinat. lib. X. c. 1. §. 15. & cap. 3. §. 7.

Verſ. 34. Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου;) Ita Jaſaias Deo תבונות intelligentiam adſcribit XL. 14. & v. 28. ait: אין חקר לתבונתו *imperſcrutabilis eſt intelligentia ejus*. Profani ſimiliter, ut Solon in Fragmentis v. 149. πάντῃ δ' ἀθανάτων ἀφανὴς νόος ἀνθρώποισιν, & *Heſiodus* Ἔργων v. 481. Confer laudatum

tum *Alberti* p. 324. & Bibliothecam Lubecenſem Vol. VII. p. 454. Tertulliani nonnulla ad h. l. pertinentia lege apud *Lacerdam* in Adverſariis c. LIII. p. 62. Cum *Jeſ.* XL. 13. curate hæc confert Celeb. *Jo. Grammius* Diſp. II. de N. T. verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 36. quemadmodum ſequentia verba: τίς προέδωκεν αὐτῷ &c. cum *Jobi* XLI. 2. comparat Cl. *Franc. Wokenius* in Harmonia V. & N. Teſtamenti p. 234.

τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο;) Ita *Herodotus* lib. V. p. 338. σύμβουλον γενέσθαι dixit. Vid. *Raphelium* p. 440.

Verſ. 36. Ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα) Multi veterum SS. Trinitatem, quod ad ſingulas perſonas, hic reſpici arbitrati ſunt, quorum loca vide ſis apud *Petavium* in Dogmatibus Theolog. Tomo I. p. 261. & Tom. II. p. 89. Ex noſtratibus *Ægid. Strauchius* in der Starcken und Milch-Speiſe p. 883. contra *Enjedinum* & alios ex Socinianis, ad ſolum Patrem hæc referentes, diſputat. Contra Arrianos, ex diverſis, quæ hic exſtant, particulis, ἐξ οὗ, δι' οὗ &c. aliquam perſonarum diſſimilitudinem exſculpere conatos, lege B. *Jo. Andr. Schmidii* Diſſertat. de Syllabicis ſumme injuriis Helmſtad. 1700. quæ in Decade Diſſertationum ejus Hiſtorico Theologicarum ibidem 1714. num. VIII. excuſa legitur. Cum phraſi hac quodammodo conſentit illa, quæ apud *Marcum Antoninum* lib. IV. §. 23. de Deo ſeu natura naturante (φύσει) exſtat: ἐκ σοῦ πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα. Compara ibi notas *Gatakeri* p. 146. & ad lib. XII. 26. item II. 3. p. 53. edit. in 4. ubi Gentilium luculenta de Deo, omnium rerum cauſa, teſtimonia afferuntur. Ineptiunt, qui ex hoc loco homines ex eſſentia Dei emanaſſe contendunt. Orationis enim ſeries oſtendit, Paulo hic non tam ſermonem eſſe de rebus, prout a Deo conditæ ſunt, quam de conſiliis & donis ejus, quæ ad procurandam hominum ſalutem ſpectant. Quod notare debebat Scriptor anonymus vernaculus Annotationum in controverſias ex Hæreſiologia Arnoldina ortas. Itaque & τὰ πάντα non generatim *omnia* cujuscunque generis, ſive *bona*, ſive *mala* inferunt, ſed ea, quæ a Deo, omnis boni parente, *Jac.* I. 17. proficiſci poſſunt. Conf. *Jo. Clerici* Artem Criticam Parte II. p. 445.

CAP. XII.

VErſ. 1. Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ) B. *Lutherus* hic pro genio linguæ Germanicæ poſtremas voces convertit per: Barmhertzigkeit GOttes, in ſingulari, ubi *Trillerus* maluit plurium numerum, contra quem lege *Schœnlandii* Vindicias p. 276. De οἰκτιρμοῖς τοῦ Θεοῦ Patrum cogitata lege apud *Svicerum* Tom. II. p. 997.

παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν) παριστάνειν verbum eſt ſacrificiis aræ admovendis proprium. *Lucianus* de ſacrificiis p. 369. αὐτοὺς ἀνθρώπους τῇ Ἀρτέμιδι παρίστησι & Tomo II. Opp. p. 714. κἂν μυρίας ἑκατόμβας παραστήσῃ. Hæc & plura ejusmodi loca afferunt *Lamb. Bos* Exercitat. p. 115. *Jo. Alberti* Obſervatt.

vatt. p.325. & *Jac. Elsnerus* p. 54. Cl. Alberti poſt *Grotium* obſervat, integrum hoc caput XII. ſi orationem ſpectes, fere Iſocraticum eſſe ob ſequentia *ἰσόκωλα* & *ἀντίθετα*. *Auguſtinus* idem hoc caput in exemplum moderatæ ſimul & modulæ orationis affert, teſte *Eraſmo* in h. l. quo ipſo judice non alius apud Paulum *locus eſt compoſitior atque pictuatior*.

Emphaſin phraſeos hujus, & totius commatis ſenſum illuſtrat amplius *Amelius* Part. II. der Erörterung p. 537. Adde Rev. *Salom. Deylingium* Obſervat. Sacrar. Part. III. p. 311. ſq. qui inter cetera ita: Mihi nullum eſt dubium, quin Apoſtolus reſpexerit voce *παραςῆσαι* ad ſolemnem victimarum conſtitutionem ante faciem Dei. *Olim enim ſub veteri œconomia victimam Deo oblaturus conſtituere eam debebat ante oſtium Tabernaculi, ſive in atrio Levitarum* I. 3. II. 2. *& poſtea in atrio interiori templi. Hoc dicebatur* הקריב לפני יהוה adducere & offerre victimam in conſpectum Dei. Ad hanc *φράσιν* Paulina noſtra alludi recte ſtatuunt *Adrianus Relandus* in Antiquitatibus Hebr. p. 293. & Cl. *J. C. Schwarzius* ad Jo. Olearium de Stylo N. T. p. 170. Laudatus *Deylingius* in ſequentibus erudite oſtendit, cur victima ſpiritualis, in quam fidelium quisque N. T. inſtar Sacerdotis ſe ipſum Deo ad ſcopum Chriſti, de quo *Epheſ.* V. 2. 25. 27. perficiendum ſiſtit, hic vocetur *θυσία ζῶσα ἁγία καὶ εὐάρεςος τῷ Θεῷ*. Junge his *Jo. d' Outrein* Diſſertationem Theologico-Philolog. de hoc loco, quæ cum Diſſertat. ejus de Melchiſedeco non-Henocho Amſtelod. 1713. excuſa eſt p. 77-100. Evincit is ſpeciatim, Apoſtolum hic per *τὰ σώματα* non *corpora* tantum intelligere, ſicut Gentiles olim ſingula corporis ſui membra ſingulis Diis v. c. *caput* Jovi, *pectus* Neptuno &c. dedicare ſolebant, quod *Adr. Junius* lib. IV. c. 12. Animadverſorum monuit; ſed cum corporibus *mentes* ſecundum 1. *Cor.* VI. 20. *δοξάσατε τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐςι τȣ̃ Θεȣ̃*. Atque ſic per *σώματα perſonæ* fidelium indicatæ fuerint. Ita ſane Syri pronomia reciproca *me ipſum*, *te ipſum*, *vos ipſos*, ſimiliter exprimunt, nunc per נפשא *animam*, nunc per גשמא *corpus*, nunc per קנומא *ſubſtantiam*, Hebræi autem per עצם, quæ vox proprie quidem *os*, tum vero *ſubſtantiam* cujusque rei infert, ut *Jobi* II. 5. Deinde *σῶμα* per ſynecdochen tanquam *pars* pro *toto* uſurpatur, ut *Jac.* III. 6. lingua dicitur *σπιλȣ̃σα ὅλον τὸ σῶμα* i. e. *totum hominem*. Ita in *Longi* Paſtoralibus lib. IV. p. 111. *ἐθρήνȣν ȣ̓ τὰ ἄνθη λοιπὸν, ἀλλὰ τὰ αὐτῶν σώματα, nec deflebant amplius flores, ſed ſemet ipſos.* Conf. eruditiſſimi *Jo. Henr. Maji* Obſervatt. Sacras lib. IV. p. 98. ſqq. Denique *σῶμα* de *perſona* ſumi etiam ex eo patet, quod *milites* & *ſervi σώματα* Græcis appellantur. His præſtructis *Outreinius* p. 82. monet, Paulum per *παραςῆσαι τὰ σώματα* nonnullis, ut *Victorino Strigelio*, alludere videri ad *milites*, qui ſe in acie ſiſtant juxta ſocios ſuos, tanquam paratos ad accipienda & exſequenda ducis ſui mandata; aliis vero, ut *Eraſmo Schmidio*, ad ſervos, qui corpora ſua vendiderint vel locarint Dominis, quam comparationem Paulus urget in hac epiſtola VI. 19. Sed iſtis quidem conjecturis valere juſſis, recte noſter p. 87. ſqq. Paulum ad cultum Moſaicum, inque eo vel ad

res,

res, vel ad perſonas reſpicere arbitratur. Ex rebus ſacris hic pertinent *ſacrificia*, non quidem expiatoria; hæc enim ſolum Chriſtum adumbrarunt: ſed cetera omnia *holocauſta*, pacifica & Euchariſtica, de quibus Levit. I-III. fortaſſe etiam ad *Menachoth*, ſive munera dapalia, & *Tenuphoth*. Ex perſonis autem huc advocari poterant *Levitæ*, quos *Altingius* ad h. l. obſervat a Moſe & Aarone inſtar ſacrificiorum agitandos fuiſſe coram facie Dei. *Num.* VIII. 11. 12. & *Naziræi*, in quantum illi Deo ſe dedicare totos ſolebant. Atque hic *Philo* Judæus teſtatur *votum Naziræorum fuiſſe victimam maximam, qua ſe ipſos Deo devovebant, non autem alias victimas.* Itaque hanc ſententiam *Outreinius* argumentis aliquot ornare l. c. annititur. Ego quidem, rationibus omnibus rite computatis, illos optime agere exiſtimo, quibus perſuaſum eſt, alludi hic ad ſacrificia V. T. generatim, & fideles Chriſtianos hinc cum Sacerdotibus, hinc cum victimis comparari, qui ſcilicet ſe ipſos ad exemplum Summi Sacerdotis non quidem in expiationem, ſed in gratum odorem Deo offerant & dedicent. Quæ de Naſiræis, tanquam ad quos hic alludatur, ab *Outreinio* allata ſunt, ea non ſolum æque commode, ſed ex parte etiam convenientius, ad ſacrificia accommodari poſſunt; in his vero nonnulla ſunt momenta, quæ in Naſiræos non ſimiliter cadunt. Taceo, Naſiræos in V. T. nec ſub Sacerdotum, nec ſub victimarum habitu unquam repræſentari. Per *σώματα* fideles, quatenus ex corpore & animo conſtant, innui vel inde apparet, quia vocantur *θυσία ζῶσα*. Talis vero non eſſent, absque anima ſi foret, quæ ut corpori naturali vitam ſuppeditat, ita ſtatum Chriſtiani ſpiritualem Deo placentem præcipue efficit. Corporis autem ſpeciatim, non animæ, aut totius hominis, Deo ſe offerentis, mentionem fecit Paulus ea de cauſa, quam *Outreinium* l. c. feliciter puto aſſecutum, p. 82. Alludit enim ad corpora beſtiarum, quæ olim Deo in hoſtiam ſiſti ſolebant. Præterea vero mens per corpus externe operatur, per corpus loquitur & agit. Hinc Deus per corpus glorificari non poteſt, niſi mens, gloriæ Dei devota, corpore tanquam inſtrumento ad gloriam ejus utatur, idque recte gubernet. Hoc ſenſu mens conſideratur ut Sacerdos, corpus autem ut victima, quæ a mente ſancta & pia Deo offertur. Itaque cum alterum ſine altero eſſe in hoc negotio non poſſit, utrumque ſcite a Paulo comprehenditur.

τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν) Verba hæc ex literis externis illuſtrat B. *Joſua Arndius* in Miſcellaneis Sacris p. 102. atque ex eo *Amelius* l. c. p. 541. *Affectus brutos*, inquit Arndius, *ἄλογα πάθη appellant Stoici, & homini tribuunt λογικὴν ψυχὴν, λογικὴν δύναμιν, quam opponunt ἀλόγοις πάθεσι, πάθη vocant Stoici ὁρμὴν ἀπειθῆ τῷ λόγῳ. Nota τῷ λόγῳ. Inde ἄλογα, quæ Simplicius σωματικὰ dicit in Epictetum. Φεύγειν ἀπὸ τῶν σωματικῶν παθῶν & λογικὴν δύναμιν ἀδούλωτον τηρεῖν ibidem docet Stoicus, docet & hic Paulus. Ita Simplicius inter alia multa egregia: ὁ δὲ ὄντως ἄνθρωπος εἶναι βουλόμενος, καὶ τὴν εὐγένειαν τὴν ἑαυτοῦ προθυμούμενον ἀνακτήσασθαι, ἣν ὁ θεὸς παρὰ τὰ ἄλογα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ἐχαρίσατο, οὗτος σπουδάζει τὴν ἑαυτοῦ λογικὴν ψυχὴν ὥσπερ ἔχει φύσεως οὕτω ζῆν ἄρχουσαν τοῦ σώματος. Hoc Paulus λογικὴν λατρείαν nominare voluit, cultum rationi con-*

ſentientem, ſive quem Deo deberi natura & ratio docuit, fugere σωματικὰ πάθη, vel ἄλογα, & patrare ea, quæ τῷ λόγῳ conſentanea & τῇ λογικῇ ψυχῇ. Conferri cum his merentur, quæ *Salmaſius* in Prolegomenis ad *Simplicium*, & *Gatakerus* paſſim in notis ad *M. Antonini* libros ad ſe ipſum de λόγῳ & ἀλόγῳ ex mente Stoicorum commentantur. Atque ut illa ex *Arndio* allata recte ſe habent, ſi phraſes, prout jacent, & ὡς ἐν πλάτει, conſiderentur; tenendum tamen eſt, hic Paulum τὸ λογικὸν non ad nudum rationis judicium, in quantum affectibus dominatur, ſed ad aliud quid retuliſſe. Audiamus Rev. *Sal. Deylingium*, Apoſtolum etiam hac phraſi ad ſacrificia V. T. alluſiſſe recte judicantem, p. 316. l. c. *Itaque cultum rationalem*, inquit, *opponit victimarum brutarum mactationi ac oblationi, qui veterum Judæorum cultus certo modo ἄλογος dici poteſt, & irrationalis, quia ἄλογα bruta animantia & res ſenſu carentes, carnalibus adhibitis ritibus, Deo offerebantur. Paulus igitur oſtenſurus, ſub nova gratiæ œconomia non ἄλογα, res ſenſus rationisque expertes, ſed homines λογικοὺς & rationales Deo conſecrandos & offerendos eſſe, λατρείαν requirit λογικήν, talem Dei cultum, qui λογικῶς cum ſufficienti voluntatis divinæ intelligentia cohæreat, ut Deus in ſpiritu & veritate adoretur.* Sic B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. obſervat, λογικὴν hic dici *ſpiritualem* ſeu *myſticam* per appoſitionem cum θυσία ζώσῃ, opponi vero τῇ λατρείᾳ σαρκικῇ τῆς σκηνῆς, quæ illud in ſymbolis repræſentabat, quod cultus ſpiritualis in N. T. habiturus erat. Sic 1. *Pet.* II. 2. γάλα λογικὸν lac ſpirituale & myſticum, ſive verbum Dei. Conferri vult *Henr. Dodwellii* librum Anglicanum de uno Sacerdotio & altari pag. 298. Eandem ad ſacrificia V. T. alluſionem ſtatuerunt Patrum nonnulli, quorum loca habes apud *Svicerum* Tom. II. p. 217. Ex his etiam intelligitur, a mente Apoſtoli longiſſime abeſſe illos, qui ex h. l. rationi humanæ imperium, neſcio quod, in res fidei judicandas vindicare cum *Socinianis*, *Naturaliſtis*, & recentioribus quibusdam Philoſophis Anti-Scripturariis annisi ſunt. Contra hos ad vindicandum hunc potiſſimum locum lege B. *Jo. Guil. Baieri* Diſput. de λογικῇ λατρείᾳ *Jenæ* 1687. & B. *Jo. Franc. Buddei* Inſtitutt. Theol. Dogmat. p. 146. Sane, ſi Apoſtolum ad judicium rationis reſpectum hic habuiſſe credere velimus, ſequentia manifeſtum faciunt, ipſum non de rebus fidei doctrinisque, ſed de vita recte ſancteque & Evangelice agenda loqui, atque adeo ea etiam caveri velle, quæ vel ſanæ rationi adverſentur. Interim facile largior, tum Judæos V. T. quando ſacrificiis aliisque cultus Levitici inſtitutis externe tantum defuncti, bene ſibi eſſe exiſtimabant, tum vero inprimis Gentiles in cultu Deorum maxime ἀλόγως egiſſe, id quod Cl. *Jo. Georg. Schelhornius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI. p. 488. ſq. ad h. l. idoneis argumentis commonſtravit. Et in tantum quidem S. Paulus & Ethnicos eorumque cultum ut ἄλογον videri poterat reſpexiſſe, ut idem *Schelhornius*, & alii exiſtimant, niſi verborum Paulinorum ſeries in cultu Judaico externo perſiſtere ſuaderent. *Outreinius* l. c. p. 97. λογικὴν λατρείαν dici putat Chriſtianam religionem, quia tota quanta rationalis ſit, i. e. non tantum non contraria rationi, ſed talis, ut nullum præceptum ad

ad eam pertineat, quin ex ratione deduci poſſit, & ſana ac prægnans ratio dari queat, cur ad illud præceptum Chriſtiani obligentur. Ita Paulus idoneas cauſas affert, cur Chriſtiani Deum corpore & ſpiritu glorificare debeant 1. *Cor.* VI. 19. 20. Admitti hæc poſſunt, ſi caveatur, ne in præjudicium myſteriorum fidei, in quæ rationi nihil niſi obſequium relictum eſt, temere abripiantur.

Ceterum gentium ſapientiores videri intellexiſſe, non eſſe gratiora ſacrificia pietate & morum ſanctitate, ex nonnullis *Plutarchi* de Iſide & Oſiride p. 355. & *Porphyrii* de Abſtinentia ab animal. p. 78. & 88. monet hic Cl. *Elsnerus*, cui, quæ Porphyrius poſteriore loco de ſapiente vero, externe & interne purgato, habet, ab ipſo Apoſtolo is accepiſſe videtur. Lege tamen, quæ obvertit anonymus auctor in Actis Eruditorum Lipſienſ. Latinis Tom. IX. Supplementorum p. 390.

Præter eos, quos ſupra ad h. l. appellavimus, conferri poſſunt B. *Abrah. Calovii* & *Mart. Ruari* epiſtolæ mutuæ Tomo I. epiſtolarum Ruari p. 207. & 215. ſqq. B. *Samuel Bened. Carpzovius* Part. I. Societatis Frugiferæ, vernacule ſcriptæ p. 604. ſqq. nec non *Jo. Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus p. 3. & 953. noviſſimeque Cl. *Baashuyſenius* in diſſ. de Fidei rationalitate Tom. I. Animadverſionum Sacrarum num. I. recuſa una cum vindiciis ibidem Tomo II. n. 2. Utrumque tamen cordatum & attentum lectorem requirere, me non monente, facile per ſe quisque intelliget.

Verſ. 2. *Καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ*) Lege B. *Jo. Guil. Baieri* & *Jo. Frid. Mayeri* Diſputationes ſingulares, illam Jenæ 1693. hanc Gryphiswald. 1708. habitas, ut & *Jo. Henninges* Diſſertatt. Exegeticas in Selecta Scripturæ oracula p. 153. ſq. item *Norriſii* Sermones Practicos, anglice editos, num. III.

Ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν) Spectat huc *Bayeri* modo laudati Diſput. de conformatione cum mundo fugienda Jenæ 1693. *Ἀνακαίνωσιν τοῦ νοὸς Vitringa* lib. III. Obſſ. Sacrarum p. 69. cum התחדשות הנפש, *renovatione animæ*, quam Hebræi urgere ſolent, comparat.

Verſ. 3. *Λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι*) *Λέγω*, i. e. *præcipio*, quo ſenſu verbo utitur *Herodotus* lib. IV. p. 301. Conf. *Raphelium* p. 441. & Vol. I. harum Curarum p. 632. & 696. Tria ultima verba *Æthiops* omittit, atque hinc ex 1. *Corinth.* III. 10. huc illata putat *Millius* in Prolegom. confutatus a *Whitbio* in Examine p. 59. Sane Paulo hæc phraſis adeo frequens & familiaris eſt, ut, ubicunque occurrat, ab eo profecta eſſe merito credatur, niſi ex pluribus aliis locis, in unius forte verſionis gratiam expungi debere exiſtimemus. Vide v. c. hic v. 6. & infra XV. 15. item 1. *Corinth.* I. 4. III. 10. 2. *Cor.* XIII. 10. *Gal.* II. 9. &c.

Μὴ ὑπερφρονεῖν) Ita *Xenophon* de Ageſialo p. 532. *ὁπότε εὐτυχοίη, οὐκ ἀνθρώπων ὑπερεφρόνει, ἀλλὰ θεοῖς χάριν ᾔδει.* *Quoties fortuna proſpera utebatur, non homines contemnebat, ſed Diis habebat gratias.* Confer idem Cyropæd. VIII. p. 184. Paulus igitur vult, neminem immodicum ſui æſtimatorem eſſe,

nec

nec ea ſibi arrogare, quæ ſibi data non ſint: alia enim aliis a Deo tribui dona, ſuis igitur quemque uti debere, nec affectare aliena. Vide Rev. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 211. & Herodoteas p. 441.

Παῤ ὃ δεῖ φρονεῖν) h. e. ſua quemque dona ſic noſſe oportere, ut non pluris ea, quam decet, faciat, & arrogantiam fugiat. Idem l. c.

Ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν) Schema hic obſerves, quod Græci παρηγμένον vocant. Eo externi Scriptores frequenter utuntur. Ita *Xenophon* Cyropæd. lib. VIII. p. 666. ubi vide Cl. *Thomæ Hutſchinſonii* notas ad edit. Londinenſem recentiſſimam. Confer *Apoc.* XIV. 2. & *Judæ* v. 15. Σωφρονεῖν eſt *vere modeſteque ſentire.* Sic *Xenophon* Memorabil. lib. I. p. 562. Socratem ait Athenienſibus viſum fuiſſe μὴ σωφρονεῖν περὶ τὲς θεὲς, idemque in Orat. de Ageſilao p. 533. eum dicit ἐν ταῖς εὐπραξίαις, σωφρονεῖν ἐπιςάμενον. *Vulg.* phraſin reddit: *ſapere ad ſobrietatem.* Pro quo Hieronymus lib. I. adverſus Jovinianum mavult: *ſapere ad pudicitam*, tuendæ ſcilicet virginitatis ſtudio. Et *Malletus* quidem in verſionem Gallicam Montenſem animadvertit, quod Hieronymi exemplum non ſit ſecuta. Sed vide, quæ pro ea affert *Arnaldus* in Vindiciis ejus p. 142. Scilicet verbum σωφρονεῖν, σώφρων & σωφροσύνη de *continente, pudico* & *pudicitia* ſenſu ſpeciali frequenter uſurpantur, quam in rem lege *Gatakeri* notas ad *Marc. Antoninum* lib. III. § 2. & *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 216. ſqq. At eadem verba de ſanæ mentis judicio non minus adhibentur. Lege Cl. *Elsneri* Obſervatt. Sacras ad *Marc.* V. 15. Hoc loco Apoſtolum non de pudicitia, ſed de temperato mentis judicio, quatenus id ad res quisque ſuas refert, loqui ex ſuperioribus clarum eſt. Modeſtiam & demiſſionem hic innui, Patres quoque tradunt apud Svicerum Tom. II. p. 1226.

Ἑκάςῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε) i. e. ὡς ἑκάςῳ, ſine vitioſa Synchyſi, cum ejusmodi vocum tranſpoſitio & Paulo & aliis probatis Scriptoribus ſit recepta. Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 441. Cl. *Wokenii* Stromata Apoſtol. Parte I. pag. 88. ſq. & Pietatem Criticam Parte II. pag. 124. cum quo tamen dicere nolim, vocem ἑκάςῳ ad vocem δεῖ φρονεῖν referri poſſe. Sic enim ſcribendum fuiſſet ἕκαςον. Totum hoc comma nuper erudite illuſtravit Rev. *Henr. Scharbau* in Obſervationibus Sacris p. 80-85.

Verſ. 5. Οὕτως οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν) Eadem comparatione utitur *Marc. Antoninus* lib. VII. §. 13. οἷόν ἐςιν ἐν τοῖς ἡνωμένοις τὰ μέλη τῦ σώματος, τῦτον ἔχει τὸν λόγον ἐν διεςῶσι τὰ λογικὰ, πρὸς μίαν τινὰ συνεργίαν κατεσκευασμένα. *Seneca* de Ira lib. II. c. 31. *Quid ſi nocere velint manus pedibus? manibus oculi? ut omnia inter ſe membra conſentiant, quia ſingula ſervari totius intereſt: ita homines ſingulis parcent, quia ad cœtum geniti ſumus.* Similia Scriptorum loca lege apud Picinellum in Luminibus Reflexis pag. 690. & in *Gatakeri* notis ad Antoninum l. c. p. 264.

Ὁ δὲ καθ᾽ εἷς) Cl. *Zachar. Pierce* in duabus epiſtolis de N. T. a Cl. Bentlejo edendo pag. 17. τὸ καθ᾽ pro κᾶτα i. e. καὶ εἶτα poſitum credit, (quæ & *Bezæ* fuit ſententia) atque ita convertit: *alter autem & deinde alter ſui invicem ſunt*

mem-

membra. Sed nihil his opus eſt: vide, quæ ſcripſimus Parte I. harum Curarum ad *Marc.* XIV. 19.

Verſ. 6-16. illuſtrantur a B. *Jo. Henr. Urſino* in Meletematibus lib. II. pag. 297. ſqq.

Verſ. 6. Ἔχοντες δὲ χαρίσματα) *Eraſmus* hæc pendere vult ab antecedente commate 5. ejusque verbo ἐσμὲν, ut ſenſus ſit: *nunc in Chriſto corpus ſumus, diverſa tamen dona habentes.* Cum eodem facit *Hombergius* pag. 236. & ſic nullo hic putat opus eſſe ſupplemento, ut ſubintelligantur verba: *prophetemus, verſemur,* &c. Qui ſenſus præterea ab Apoſtoli ſcopo ſit alienus, imo ex parte inconveniens. Nihil enim eſſe, ſi dicatur: *ſive miniſterium;* verſemur *in miniſtrando.* Mihi quidem v. 5. comparatio inter corpus phyſicum ejusque membra diverſa, & corpus ſpirituale, ejusque membra penitus abſoluta inſtitui videtur ab Apoſtolo, qui v. 6. conſectarium, inde prono impetu fluens, non ſolum deducit, ſed & eadem opera cum admonitione conjungit, hoc ſenſu: *cum itaque diverſa dona habeamus,* v. c. *prophetiam,* habeamus eam, *ſecundum analogiam fidei.* In altera illa ſententia τὸ δὲ in phraſi, ἔχοντες δὲ, nexum hiulcum facere mihi videtur, qui, ſiquidem indicari debuiſſet, obvius futurus erat, ſi Apoſtolus ſcripſiſſet μέν. Noſtra explicatio per ſupplementum verbi ἔχωμεν, ἀπὸ κοινοῦ repetiti, vel προφητεύωμεν, nec rationibus linguæ, in qua ſæpe vel ex antecedentibus, vel ex re ipſa, verbum aliquod ſubintelligitur, nec ſcopo Apoſtoli adverſa eſt. Apoſtolus enim omnino hic adhoratione aliqua defungitur. Id manifeſtum eſt ex v. 9. ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος i. e. *amor ſit non fucatus.* Quæ admonitio antecedentibus verbis eandem vim & habitum omnino vindicat. Et ſenſus ſic convenientiſſimus naſcitur etiam ex verbis illis: *ſive miniſterium,* verſemur *in miniſtrando.* Id enim vult Apoſtolus, ut non alia conſectemur, quam quæ nobis a Deo commiſſa ſint, nec v. c. ad interpretandam Scripturam aliquis accedat, cui διακονία commiſſa ſit. Viciſſim diluta videtur ſententia, ſi cum Viro docto ita interpretemur, pag. 237. *Varia habemus dona; ille, cui obtigit miniſterium, donum habet in miniſtrando: cui docendi munus obtigit; in docendo donum habet.* Neſcio an hoc modo ταυτολογία a ſermone Apoſtolico amoveri poſſit.

Εἴτε προφητείαν) προφητεία hic denotat interpretationem Scripturæ, vel doctrinæ, ex Scriptura hauſtæ. Vide 1. *Cor.* XIV. 6. & 1. *Cor.* XIII. 2. 8. 14. ubi de hoc ſignificatu plura afferemus.

Κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως) πίστιν hic alii de *doctrina fidei,* capitumque ejus compage, alii de *dono fidei,* a Deo communicatæ, accipiunt. Priores illi ἀναλογίαν de partium inter ſe omnium congruentia interpretantur, ne ulla ſit in univerſo doctrinæ corpore membrorum diſcrepantia, ſed tum articuli ſibi conſtent, tum pro falſo & deformi habeatur, quicquid in locorum obſcuriorum interpretatione huic quaſi formæ non reſpondeat. Poſteriores vero ἀναλογίαν τῆς πίστεως idem eſſe cenſent, quod v. 3. μέτρον πίστεως vocatur, eo ſenſu, ut moneantur Prophetæ, ſeu Interpretes, ne cognitionis ſuæ modum tranſeant, ſed

 ſuis

ſuis ſe finibus teneant,ut 1.*Corinth.*XIV.30.præcipitur. Lege huc Rev. *Raphelii* Annotatt.Xenophonteas p.213.qui addit,ſe nihil quidem apud Græcos inveniſſe,quod voci huic iſtam notionem vindicet, *Xenophontem* vero Cyropæd. lib.VIII. p.182. pro voce ἀναλογία iſto ſenſu adhibere voces κατὰ λόγον. *Lockius* in Commentario ad h. l. per ἀναλογίαν πίστεως intelligit *donum interpretandi, per extraordinariam revelationem collatum,* maximeque caveri vult eos, qui ita hæc accipiant. quaſi unusquisque in interpretanda Scriptura Sacra ſyſtema ſectæ ſuæ, quod *analogia fidei* ſoleat appellari, ſequi debeat. Sed compara, quæ ad hæc Scriptor anonymus Anglus obſervationum in libros nonnullos recens editos pag.164.monuit. Is ſpeciatim obſervat, Paulum v.3.fideles docuiſſe σωφρονεῖν ſeu, *modice ſapere,* in univerſum ſecundum μέτρον πίστεως, hic vero præcipere,quomodo in interpretandis oraculis V.T.iisque ad Chriſtum & Eccleſiam applicandis, verſari debeant, nempe κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, ubi articulus τῆς v.3. omiſſus efficaciter indicet,ſermonem hic eſſe de doctrina fidei Chriſtianæ, quæ τύπος διδαχῆς *Rom.* VI. 17. & ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων 2.*Tim.*I.13. vocetur. Cum vero talis doctrinarum compages in Sacro Codice exſtet,nec hic arena ſine calce occurrat,veri idem putat ſimillimum,quod Apoſtolus ad hanc doctrinarũ catenam & mutuam conſiſtentiam ſeu proportionem reſpexerit; vel minimum certum eſſe,quod interpretatio Scripturæ ad hanc normam inſtituenda ſit, ſi vel maxime Apoſtolum tale quid hic innuere voluiſſe negemus. Atque hunc phraſeos uſum noſtrates, ſi unum alterumve exceperis, conſtanter & merito tuentur. Inter diſſentientes numero Trillerum,qui inExamine locorum quorundam verſionis B.Lutheri fidei analogiam, quæ pro norma interpretationis commendetur, pro nulla habet, mavultque phraſin hanc de *perſpicuitate fidei* (Deutlichkeit des Glaubens) accipere. Sicut autem hæc notio,aut illi adfinis fruſtra apud Scriptores quæritur;ita obſcurum quoque eſt, quid ſibi illa fidei perſpicuitate vel claritate velit, & adhuc obſcurius, quid per vocem non Germanicam Verbringunge (ita enim Græcum προφητείαν convertit) intellectum cupiat. Lege contra eum *Schœnlandii* Vindicias p.209. & *Pfeiferi* Diſputationem eidem oppoſitam pag. 38. itemque Cl. *Franc.Wokenium* Tomo I. Meditationum Privatarum p. 127. ſq. & in Stromatibus Apoſtolicis Parte I.p.815. Contra ceteros autem adhibendæ ſunt B. *Seb. Schmidii* præfat.ad Faſciculum Diſputatt. Theologico-Philolog. B. *Gottlieb Wernsdorfii* & Rev. *Georg. Frider. Schræeri* Diſputationes, altera, de analogia fidei a novaturientium cavillationibus vindicata,Witteb.1712. altera,de interpretatione Scripturæ Sacræ ſecundum analogiam fidei,ibid.1718.habitæ.Confer *Alethæi* Erläuterung Tomo VI. pag.180. & *Jo.Conr.Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. p. 97. qui ſpeciatim huic ſignificatui vocis ἀναλογία præſidium affert ex verbo ἀναλογίσασθαι, quod *Hebr.*XII.13. exſtat. Eo enim ibi accurata rei conſideratio,facta cum alia quadam comparatione,indicatur. Mihi receptæ communiter interpretationi robur ex eo accedere videtur, quod Paulus v.8. ubi diverſa momenta affert,in quibus rite verſandum ſit,modum commemo-

memorat præcipuum, quem ſequi oporteat. Ita *largientem* aliis vult eſſe *candidum, præfectum* alii, diligentem &c. Quid vero magis requiritur in Interprete Scripturæ, quam, ut nihil dicat, quod non cum univerſo & perpetuo contentu doctrinarum ſtare poſſit?

Verſ. 7. Εἴτε διακονίαν) Διακονίας varii ſunt in ſacris ſignificatus, quos ex Patribus ediſſerit *Svicerus* Tom. I. Theſauri p. 862. Per eam hic eleemoſynarum adminiſtrationem & pauperum curam intelligi non ſine veri ſpecei exiſtimat *Jac. Rhenferdius* in Diſſertat. II. de Decem Otioſis Synagogæ cap. II. §. 10. *Quippe ἡ διακονία*, inquit, *iſtic loci non ab illis modo publicis privatisque Chriſtiani hominis officiis, ſed vel inprimis a miniſterio verbi diſtinguitur. Nam cum hoc particulatim per προφητείαν, διδασκαλίαν & παράκλησιν explicetur, quæ præcipuæ atque eſſentiales illius miniſterii partes ſunt; διακονίαν aliud quid notare neceſſe eſt. Et cum porro a privatis virtutibus μεταδόσεως καὶ ἐλέȣς diſtinguatur, nec non a προςασίᾳ, quæ procul dubio Seniorum Eccleſiæ dignitatem notat, qui in verbo non laborant: ſupereſt tandem, ut hæc διακονία æque atque illa apud Petrum, eleemoſynarum adminiſtrationem & pauperum curam ſignificet. Hæc enim ſola eſt διακονία, quam Paulus in ſuis epiſtolis præter miniſterium verbi & ſubminiſtrationem eleemoſynarum commemorat aut commendat.* Confer, quæ nos de vocibus διάκονος, διακονία & διακονεῖν diximus Volumine I. harum Curarum p. 75. 710. 804. 1087. 1167. & 1178. Quod ad phraſin hanc & ſequentes alias ellipticas attinet, illarum ſimiles ex *Arriano* Epictet. lib. IV. c. 4. p. 455. affert *Raphelius* in Notis Polybianis p. 432. Ibi enim *Cleanthis* dictum: *Duc me Jupiter, & tu neceſſitas*, ita amplius enarratur: θέλετ' εἰς Ῥώμην, εἰς Ῥώμην· εἰς Γύαρα, εἰς Γύαρα· εἰς Ἀθήνας, εἰς Ἀθήνας. i. e. *vultis me Romam* ducere, vel ire? ducite *Romam*; vel ibo Romam. Similiter h. l. *ſive miniſterium* habemus; ſimus *in illo miniſterio*. Confirmat hæc *Elsnerus* p. 57. tum ex loco Petrino 1. ep. IV. 10. 11. tum *Arriani* alio lib. III. c. 23. p. 323. ὁ κιθαρῳδὸς, ὡς κιθαρῳδὸς· ὁ τέκτων, ὡς τέκτων, ὁ φιλόσοφος, ὡς φιλόσοφος. Subintelligi & ille vult poſt ἐν διακονίᾳ, τὸ ἔςω, *ſit in miniſterio*; h. e. omni ſtudio, fideque verſetur. Ita Paulus 1. *Tim.* IV. 15. ταῦτα μελέτα, ἐν τȣ́τοις ἴσθι, & *Ælianus* Var. Hiſt. I 31. ὄντες ἐν γεωργίᾳ.

εἴτε ὁ διδάσκων, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ) B. *Godofr. Olearius* in Prælect. MSS. per διακονίας officium Apoſtolatus & doctoratus, per διδασκαλίαν vero munus docendi extraordinarium intelligit, quo defuncti ſint, qui in primitiva Eccleſia alios in principiis religionis Chriſtianæ inſtruxerint. Conferri idem huc vult *Spanhemii* Diſſertat. de Apoſtolatu, & Hammondum de Epiſcopis & Presbyteris in procemio.

Verſ. 8. Ὁ παρακαλῶν ἐν τῇ παρακλήσει) παράκλησιν veterum Patrum alii de *conſolatione*, alii de exhortatione interpretantur. Vide *Svicerum* Tom. II. Theſauri p. 581.

ὁ μεταδιδȣ̀ς, ἐν ἁπλότητι) Per τὸν μεταδιδόντα plerique *eleemoſynarum diſpenſatorem* intelligunt. Sed id non admiſerit, qui per διακονίαν v. 7. memo-

 ratam

ratam hoc muneris genus indicari cum *Rhenferdio* veriſimiliter exiſtimet. Adverſatur præterea communis verbi μεταδιδόναι in ſacris notio. Ubicunque enim occurrit, v. c. *Luc.* III. 11. *Rom.* I. 11. *Epheſ* IV. 28. 1. *Theſſal.* II. 8. infert ſemper, *alium participem facere bonorum ſuorum.* Hoc vero non dici poteſt de illis, qui eleemoſynas aliis diſtribuunt ex officii ratione. Hi enim non de ſuo, ſed de alieno largiuntur. *Diſtribuere* Græci per διαδιδόναι exprimunt, quod etiam fit *Act.* IV. 35. Proinde & h. l. præſtat per μεταδιδόντα intelligere *divitem*, qui amore mutuo adductus liberalem ſe in egenos præſtet. Confer in hanc ſententiam poſt *Grotium*, *Campeg. Vitringam* de vetere Synagoga p. 500.

ἐν ἁπλότητι) *in ſimplicitate*, i. e. *liberaliter*, quo ſenſu eadem vox occurrit 2. *Cor.* VIII. 2. & IX. 11. 13. Ita Deus Jacobo in epiſt. I. 5. dicitur *dare omnibus* ἁπλῶς i. e. liberaliter. In hoc autem ſignificatu, ceu *Vitringa* l. c. ſcite obſervat, magna ineſt elegantia. Liberalitatis enim Deo gratæ nulla alia cauſa eſt, quam purus & ἀνυπόκριτος amor Dei & fratrum. Ubi eſt caritas & πίστις ἀνυπόκριτος fides pura, candida & ſimplex, ibi erit animus liberalis. Contra, quod quis parca & tenace manu dona ſua cum egentibus communicet, naſcitur ex hypocriſi & ſimulatione, quæ oppoſita eſt τῇ ἁπλότητι. Conſentiunt in hac explicatione Patrum nonnulli, quos affert *Svicerus* Tom. I. Theſauri p. 436. & 438.

ὁ προϊστάμενος, ἐν σπουδῇ) Προϊστάμενοι, notante *Grotio*, cum quo plerique ſentiunt, hoc loco, & 1. *Theſſal.* V. 12. (qui & προεστῶτες 1. *Timoth.* V. 17. dicuntur) ſunt οἱ πρεσβύτεροι, הפרנסים ſive הזקנים, de quibus Tertullianus: *præſident probati quique Seniores*, Apolog. cap. 39. Ab hac ſententia unus, quem ſciam, *Vitringa* abit l. c. p. 503. qui cum *Theophylacto* per προϊστάμενον eum mavult intelligi, qui pauperibus & egenis curandis præſit, ſive ſuo, ſive Eccleſiæ nomine. Pro ſententia ſua id inprimis urget, quod credi non poſſit, Apoſtolum adeo nullum ordinem obſervare in recenſendis donis Spiritus S. ut, ubi jam locutus fuerat de dono liberalitatis in dandis eleemoſynis, rurſus incipiat loqui de dono regiminis totius Eccleſiæ. Sed non negat vir doctus, vocem προϊστάμενος ſenſu illo, quem Grotius & alii urgent, omnino occurrere 1. *Theſſ.* V. 12. ſuæ vero, quam ipſi tribuit, notioni non niſi ex cognata voce προστάτις *Rom.* XVI. 2. aliquam, ſed obſcuram & dubiam, ſpeciem conciliat. Itaque malim in communiore illa interpretatione perſiſtere, inprimis cum σπουδὴ ſive *induſtria* & *diligentia* τῶ προϊσαμένω ejusmodi commendetur, quæ certe magis ſe exſerit, & neceſſaria eſt attendenti ad mores vitamque aliorum Eccleſiæ membrorum, quam pauperum curam agenti. Quod de ordine harum admonitionum objicitur, ſpeciem habet, ſed rem non conficit. Si enim διακονίαν illam ita, ut diximus, accipiamus, apparebit, Paulum ordinis ejusmodi rationem habere non voluiſſe, ſed ea potius pro lubitu recenſere, quæ vel ad regimen Eccleſiæ, vel ad commodum illi quocunque modo præſtandum pro dono & proclivitate, ſigillatim cuique conceſſa, pertinere poſſint. Et quid ſi dicamus, ipſam τῆς διακονίας mentionem Paulum adduxiſſe, ut *liberalitatis* & *hilaritatis* in ſublevandis egenis meminerit.

Ὁ ἐλεῶν ἐν ἱλαρότητι) Ita 2. *Cor.* XI. 7. ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός. Similiter *Siracides* XXXV. 11. & *Seneca* de Benefic. lib. II. c. 1. 2. & 3. Confer *Picinelli* Lumina Reflexa p. 690.

Verſ. 9. Ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος) Scilicet ἔστω, *ſit*, & ſic in ceteris, quod nemo non Interpretum agnoſcit.

Ἀποστυγοῦντες) Lege *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 442. *Svicerum* Tom. I. p. 478. & de voce κολλώμενοι Tom. II. p. 134.

Verſ. 10. Τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι) *honore alii alios prævenientes.* At *Hombergius* pag. 237. vertendum putat: *honore vos invicem evehentes.* Προάγειν, inquit, τιμῇ τινα *eſt ſine dubio*: alterum ſibi honore præponere. Προάγω *&* προάγομαι *enim eſt* proveho, produco. *Hinc Plutarchus in Themiſtocle*: προήγοντο τὸν Κίμωνα ταῖς τιμαῖς, Cimonem honoribus evexerunt; *& in Lycurgo*: προάγω σε εἰς δόξαν. Sed miror, Virum doctum hic non vidiſſe, quod verbum προάγω & προάγομαι confuderit cum verbo προηγοῦμαι, unde participium προηγούμενοι. Hoc vero non aliam admittit notionem, quam quæ illi ab Interpretibus communiter tribuitur. Si de verbo προάγομαι hic cogitandum eſſet, Paulus ſcripſiſſet προαγόμενοι. Quod ad rem ipſam attinet, Judæorum doctores ſimile quid præcipiunt in Gemara ad *Berachoth* cap. I. pag. 59. editionis B. Georg. Eliez. Edzardi: כל שיודע בחברו שהוא רגיל ליתן לו שלום יקדים לו שלום: *quisquis novit, quod proximus ſe ſalutare conſueverit, præveniat illum ſalutando.*

Verſ. 11. Τῷ πνεύματι ζέοντες) Patrum expoſitionem ſuppeditat *Svicerus* Tom. I. p. 1296.

Τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες) Ita habet editio *Eraſmi* prima, *Curcellæi* item, & forte paucæ aliæ, tum vero Codices nonnulli MSS. *Vulgata* quoque verſio, & Patres nonnulli, quos diligenter appellavit *Millius* in notis ad h. l. & in Prolegom. §. 1158. 1321. & 643. Confer *Sarravii* epiſtolas pag. 220. *Rich. Simonis* Hiſtor. Criticam N. T. Parte I. pag. 389. & *Jo. Morini* Exercitatt. Biblic. p. 38. Atque hanc lectionem probat *Beza*, exiſtimans, alteram illam Καιρῷ ex eo natam eſſe, quod, cum librarii quidam τὸ κυρίῳ compendioſe per κῳ ſcriptum viderent, temere exiſtimarent, compendium hoc legendum eſſe per καιρῷ. Adſtipulatur huic conjecturæ *Eraſmus Schmidius*, *Hammondus*, alii. At illa parum mihi fit veriſimilis. Nam vox κύριος in antiquis Codicibus frequentiſſime & tantum non ſemper exprimitur per κς, vox καιρὸς autem nunquam, & ſic librarii in altera voce cum altera permutanda labi vix poterant. Quod autem lapſi ſunt, facilius, credo, hinc repetitur, quod voces κυρίῳ & καιρῷ, ſi plene ſcribantur, non multum a ſe invicem ſunt diverſæ. Aliam tamen, & meo judicio veriorem varietatis hujus rationem mox allaturi ſumus. Κυρίῳ legi hic etiam volunt ex Pontificiis tantum non omnes, Vulgati ſcilicet Interpretis exemplum ſecuti, nominatim *Simonius* in notis ad Verſionem N. T. ex Reformatis, *Steph. de Brais* in comment. ad h. l. ex Anglis *Dan. Whitby* in Examine N. T. Milliani pag. 33. ex noſtratibus vero *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris pag. 253. &

B. *Godofr. Olearius* in Prælect. MSS. ad h. l. Viciſſim alteram lectionem τῷ καιρῷ δουλεύοντες probant Codd. MSS. plures, & ex recentioribus Interpretibus *Millius* l. c. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris p. 325. & recentiſſimus editor N. T. Græco-Anglicani in notis p. 590. ex noſtratibus autem, ut alios taceam, *Iſaacus Fauſtius* in ſingulari diſſertat. *Argentor* 1695. ad h. l. habita. Eandem quoque B. *Lutherus* noſter in interpretatione ſua ſecutus eſt: ſchicket euch in die Zeit. Nec eſt, cur ab his partibus diſcedamus. Vetuſtiſſimi & plures Codd. Græci τῷ καιρῷ exhibent, quam vocem in Vulgata quoque editione, antequam ab Hieronymo emendaretur, lectam fuiſſe non levibus argumentis probabile fecit *Millius*. Ex hac præterea lectione commodus naſcitur ſenſus, quem mox videbimus: viciſſim altera illa admonitio: τῷ κυρίῳ δουλεύοντες, locum minus congruum occuparet, quandoquidem præceptum generalius de cultu Dei immiſtum apparet ſpecialibus quibusdam, ad hujus vel illius virtutis exercitium pertinentibus, monitis & cohortationibus. Nec mirum, vocem κυρίῳ in variis exemplaribus hodie legi. Neque enim mihi dubium eſt, id inde factum eſſe, quod librarii, vel fortaſſe etiam ſcioli nonnulli non perſpicerent ſenſum phraſeos, τῷ καιρῷ δουλεύειν, quibus viciſſim altera illa, τῷ κυρίῳ δουλεύειν, cognita ſatis erat. Eam igitur alteri illi vel ideo præferendam eſſe exiſtimarunt.

Quibus præplacet lectio: κυρίῳ δουλεύοντες, hæc fere pro ſententia ſua afferunt. Cl. *Wolfburgius* in Obſſ. Sacr. p. 253. τὸ, καιρῷ δουλεύοντες, negat alibi legi, quam inter varietates a *Curcellæo* allatas. Idem affert commentator quidam a Cl. *Alberti* l. c. allatus. Uterque aliter ſentient, ſi, quæ a *Millio* allata ſunt, inſpexerint, ac præterea conſideraverint, plerasque N. T. editiones hanc lectionem hodie repræſentare. Habent præterea, quod in phraſi deſiderent. Ita *Whitbius* l. c. eam in toto N. T. fruſtra quæri urget. Sed facile conceſſerit vir doctus, non ſolum voces, ſed etiam phraſes ἅπαξ λεγομένας in utroque Fœdere legi, quas nemo propterea expunxerit vel mutaverit. Sufficit, ſimiles phraſes in Sacris literis N. T. exſtare, quæ temporis rationem habendam eſſe præcipiunt. Vide v. c. *Coloſſ.* IV. 8. τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι, & *Epheſ.* V. 16. Sufficit, & Latinos & Græcos Scriptores eadem loquendi ratione frequenter uti. *Gregorium* καιροῦ δοῦλον dixiſſe *Budæus* in Lexico obſervavit, & καιρῷ δουλεύειν in Epigrammate Græco legi monuit ad h. l. *Eraſmus Schmidius.* Καιρῷ λατρεύειν phraſis eſt *Phocylidis* v. 114. quod *Lucianus* in Abdicat. p. 719. dixit καιροφυλακτεῖν, *Polybius* autem p. 1244. τοῖς καιροῖς ἀκολουθεῖν. *Servire tempori* Ciceroniana phraſis eſt lib. IX. ep. 17. ad Familiares, & alias. Plura ejusmodi loca lege apud *Raphelium* in Annotatt. Polybianis p. 442. & *Jo. Alberti* Obſſ. l. c. Senſus phraſeos loco huic convenientiſſimus iſte eſt, opportunitatem temporis obſervandam probe & conſectandam eſſe, tanquam quæ a Deo nobis ad virtutis ſtudium definita & exhibita ſit, quam ejus vim eſſe *Fauſtius* in laudata Diſputat. copioſe oſtendit. Nec inſcita eſt Cl. *Alberti* obſervatio, ſuſpicantis, phraſin hanc alteri illi, τῷ πνεύματι ζέοντες, ideo junctam eſſe, ut caverent ſibi fideles, ne intempeſtivo fervore præpoſtere agant, ſibique potius

potius obſint, quam proſint. *Wolfburgius* quidem utramque phraſin *κυρίῳ δουλεύοντες*, & *πνεύματι ζέοντες* arctiſſime vult conjungi, eo ſenſu, ut indicetur, *θεολατρείαν* noſtram non debere eſſe in ſpeciem, & ex conſuetudine, ſed cum zelo & fervore ſpiritus conjunctam. Quod ut in ſe recte dicitur, ita non dubito, Paulum, qui diverſiſſimi generis præcepta hic conjungit & cumulat, illius ordinis rationem hic non habuiſſe, ut taceam, eundem ordinem alteri quoque lectioni ex obſervatione Albertina conſtare. Confer nobiſcum ſentientes B. *Gerhardum* in Confeſſ. Cathol. lib. II. p. 114. *Kortholtum* de variis Scripturæ S. editionibus p. 79. & noviſſime *Geamænum* in obſervatione de *alamodalitate ſcribendi*, huic Apoſtoli loco ſuperſtructa, quæ exſtat in Miſcellaneis Lipſienſ. Tom. V. p. 67. ſqq.

Verſ. 12. *Τῇ ἐλπίδι χαίροντες*) Spes ſcilicet gaudii effectrix eſt. Sic *Xenophon* Memorabil. lib. II. p. 582. *ὁ μὲν ἑκουσίως ταλαιπωρῶν ἐπ' ἀγαθῇ ἐλπίδι φρονῶν εὐφραίνεται.*

Verſ. 13. *Ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες*) Pauci quidam Codd. legunt *ταῖς μνείαις* loco primæ vocis, plures autem Patres Latini eam lectionem per *memorias* repræſentant. Atque hanc tueri conatur *Millius* in notis ad h. l. *Non admodum*, inquit, *diſſimile veri eſt, ex μνείαις factum eſſe χρείαις a Scriba quopiam eruditulo, præſertim cum in memoriis videretur ſubabſurdus ſenſus, inquit Eraſmus. Certe cum lectio hæc hujusmodi ſit, quæ non facile fingi a quopiam poſſet, nedum in locum hodiernæ tam planæ ac perſpicuæ lectionis ſubrogari, (quis enim obſcurum loco clari, reclamante præſertim Codd. vetuſtiorum ac probatorum fide, poſitum tulerit?) & vero antiquiſſimorum quorundam exemplarium, etiam verſionis Vulg. (quod ex Ambroſii ac Latinorum citationibus abunde conſtat) auctoritate ſubnitatur; quidni χρείαις olim ad marginem adnotatum exiſtimemus, explicationis cauſa, (ut nempe per μνείας intelligantur neceſſitates Sanctorum abſentium) poſtea vero, quod ſolent verborum difficilium & obſcurorum interpretamenta, contextum ipſum occupaſſe?* Conf. idem in Prolegomenis §. 142. 449. 644. & 864. At doctiſſimus *Whitbius* in Examine N. T. Milliani pag. 33. contra hæc obſervat, lectioni iſti *μνείαις* neminem favere (ubi tamen excipiendi erunt Codd. quidam MSS. a Millio appellati) præter Latinos Patres IV. & V. Sæculi, poſtquam celebrandi memorias Martyrum, ſepulchraque eorum prava ſuperſtitione frequentandi mos increbuerit. Viciſſim omnia Græcorum ſcholia, verſiones omnes, ne ipſa quidem Vulgata excepta, & S. Baſilium Tomo II. p. 474. *χρείαις* retinere. *Millium* præterea præter rem putare, Clementem in epiſt. ad Corinthios c. 56. vocem *μνείαις* legiſſe, his ejus allatis verbis: *οὕτως γὰρ ἔσται ἔγκαρπος καὶ τελεία, ἡ πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἁγίους μετ' οἰκτιρμῶν μνεία*, h. e. *ſic enim memoria ipſorum cum commiſeratione utilis ipſis & perfecta erga Deum & Sanctos erit.* Apparet hic, Clementem hæc ſcribere potuiſſe, etiamſi locus Paulinus, de quo diſputatur, nunquam exſtitiſſet: tantum abeſt, ut ad illum alluſiſſe exiſtimandus ſit. Nec magis veriſimilis eſt illa Millii conjectura, per quam vocem *χρεία* alteri illi *μνεία* inter-

interpretamenti loco in margine inſervire debuiſſe exiſtimat. Nonne enim vox *μνεία* adeo clara eſt, ut nulla expoſitione indigeat, & num veriſimile eſt, vocem illam per *χρείαν* interpretari quenquam voluiſſe, nec potius de omni alio gloſſemate cogitaturum, quam de iſto? Itaque juſto ſagacior hic fuit *Eſtius*, qui lectionem *χρείαις* probans, alteram illam ex affinitate vocum harum natam putat. Tenenda igitur eſt lectio communior, quæ inſuper ſcopo Apoſtoli magis reſpondet. Is enim, cum præcepta ſuggeſſiſſet, quomodo Chriſtiani quique adverſus ſe ipſos comparati eſſe debeant, nunc quoque officia aliis præſtanda præſcribit, interque ea primo ponit loco liberalitatem in ſanctos egenos, ſtatimque hoſpitalitatem in peregrinos commendat. Idem igitur h.l. ſibi vult, quod *Gal.* II. 10. præcipue urget: *μονον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν.* Phraſis vero ipſa vicina eſt alteri *Actor.* XX. 34. *ταῖς χρείαις μȣ καὶ τοῖς ȣ̂σι μετ' ἐμȣ̂ ὑπηρέτησαν ἁι χεῖρες ἆυται.* Lege in eandem ſententiam Rev. *Salom. Deylingium* in Obſſ. Sacr. Parte I. pag. 159. ſeqq. & auctius in edit. II. pag. 281. ſqq. (ubi contra *Henr. Valeſium*, memorias Sanctorum, tanquam ſolenniter olim celebratas, huic loco ſuperſtruentem, erudite diſputat,) & *Amelium* Parte II. pag. 877. item *Caſp. Sagittarium* in Diſſertat. de Natalitiis Martyrum cap. II. §. 6. ſqq. quæ recuſa eſt in Syntagmate I. Diſſertatt. Philologic. Arckeliano, Roterod. 1699. 8. Vide ibi pag. 26. ſqq. Propterea & noviſſimus N. T. Græco-Anglicani editor *Lond.* 1729. in mutationem receptarum lectionum alias proclivior, *τὸ χρείαις* retinet, quod etiam contra Millium tuetur *Wilh. Wall* in Notis Criticis ſuper N. T. p. 244.

Τὴν φιλοξενίαν διώκοντες) *hoſpitalitatem omni ſtudio ſectantes*, phraſi a venatoribus, feras ardenti ſtudio perſequentibus, deſumta, ut apud *Theocritum* Idyll. I. v. 110. Conf. Celeb. *Dav. Millii* Specimen Miſcellan. Philologicorum p. 16. & *Sviceri* Theſaurum Tom. I. p. 931.

Verſ. 15. *Χαίρειν μετὰ χαιρόντων*) *gaudete cum gaudentibus*, per Enallagen Infinitivi pro Imperativo, Jonibus potiſſimum familiarem. Ita *Herodotus* lib. V. pag. 337. *τὸ ποιέειν* ſubjungit imperativo proxime antecedenti *πᾶυσον ταῦτα ποιεῦντα.* Conf. *Raphelium* p. 442. Simile præceptum exſtat in Tractatu Talmud. דרך ארץ fol. 19. col. 4. לא ישמח אדם בין הבוכים ולא יבכה בין השמחים : *ne lætetur quis inter flentes, nec fleat inter lætantes.* Conf. B. *Edzardi* notas ad *Berachoth.* cap. I. p. 214.

Verſ. 16. *Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλȣς φρονȣ̂ντες*) *idem alii de aliis ſentientes*, ut reddi vult *Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. I. pag. 106. quod integram commatis ſententiam evincere exiſtimat. Sic & *Hombergius* p. 238. *παραφράζει*: eo inter vos animo affecti ſitis, ut alter alterum æquali ſecum gradu & jure habeat, non melius aut elatius de ſe ſentiens, quam de altero. Eodem ſenſu quoque accepit recentiſſimus editor Novi Teſtamenti Græco-Anglic. ita interpretatus: *have the ſame reſpect one for another.* Unanimitatem vero hic commendari contendit *Leonh. Twells* in Examine Critico illius N. T. Parte I. p. 151.

Recte

Recte id quidem. Vide infra XV. 5. Alterum illud Apoſtolus dicit τὸ αὐτὸ περὶ ἀλλήλων μεριμνᾷν.

Μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονῦντες) *ne magnifice aut præclare de vobis ſentiatis.* Vide Colomeſii Obſervat. Sacr. pag. 161. qui comparari vult *Proverb.* III. 7. & 1. *Pet.* IV. 18.

Ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι) i. e. *humiliter vos geratis, demiſſe de vobis ſentiatis.* Vox ταπεινὰ vel de perſonis vel de rebus accipi poteſt: malim tamen prius, ut ſenſus ſit, Chriſtianos inter demiſſos & moderate de ſe ſentientes numerare ſe & collocare debere. Hanc mentem *Plinius* Trajano tribuit in Panegyrico: *Non de tyranno,* inquit, *ſed de cive; non de domino, ſed de parente loquimur: unum ille ſe e nobis putat: nec minus hominem ſe, quam hominibus præeſſe meminit.* Plura ejusmodi lege apud *Gatakerum* in notis ad Antoninum pag. 32.

Μὴ γίνεσθε φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς) Ex *Proverb.* III. 7. ſententiam hanc repetit *Colomeſius* Obſervatt. Sacr. p. 161. atque ita vertit Gallice: *n'ayez pas grande opinion de vous.* Gentilium monita de aliis in conſilium vocandis huc advocat *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 690.

Verſ. 17. Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακῦ ἀποδιδόντες) Sic Phocion morti proximus filio ſuo ex ſe præcipi voluit, ne necis ſuæ vindictam ab Athenienſibus repeteret, teſte *Æliano* Var. Hiſtor. XII. 49. *Seneca* de Ira lib. II. c. 32. *Non enim, ut in beneficiis honeſtum eſt, merita meritis repenſare; ita injurias injuriis. Illinc vinci turpe eſt, hic vincere.* Conf. Cl. *Jo. Alberti* Obſſ. Sacr. p. 328. *Polybius* p. 501. ait: κακῷ κακὸν ἰώμενος.

Προνοῦμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων) *procurantes honeſta in omnium hominum conſpectu.* Cl. *Hombergius* pag. 238. hæc ita accipit, ut non ſolum jubeamur honeſte agere ipſi in oculis omnium, ſed & actiones aliorum, ſi fieri poſſit, honeſte accipiamus, bene interpretemur, &, quantum in nobis eſt, cum omnibus in pace vivamus. Hoc fine cum *Eraſmo* phraſin, εἰ δυνατὸν v. 18. ad verſum 17. referri vult, inprimis ideo, quod phraſis τὸ ἐξ ὑμῶν, quæ ſtatim ſequitur, idem ſignificet, quod antecedens εἰ δυνατὸν. In præſidium ſententiæ ſuæ vir doctus affert 2. *Cor.* VIII. 21. προνοῦμενοι καλὰ ὐ μόνον ἐνώπιον Κυρίυ, ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον ἀνθρώπων, atque inde conficit, προνοεῖσθαι idem eſſe, quod *procurare*, ſeu *comparare* aliquid, vel in ſuum, vel in aliorum uſum. Enimvero ut de phraſi ipſa, προνοεῖσθαι καλὰ, id negare nolim (quamvis tunc procuratio illa non tam de interpretatione actionum in bonam partem, quam de promotione actionum bonarum alterius, accipi deberet) ita, ubi cum vocibus ἐνώπιον ἀνθρώπων conjungitur, ipſius hominis actiones, in aliorum conſpectum producendas, innuere mihi tantum videtur. Atque id ut credam, alter ille locus Paulinus mihi perſuadet, ubi bonis actionibus ſtudere jubentur Chriſtiani, non tantum *adverſus Deum,* ſed & adverſus homines. Senſus eſt, Chriſtianos non tantum ſollicitos eſſe debere, ut Deo ſuas actiones probent, ſed &, ut hominibus.

Verſ. 18. Ἐι δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν) Malim hæc ita conjungi, & ad ſequentem ſententiam referri, ſecus ac vult Cl. *Hombergius.* Nec ταυτολογία hic locum habet: ſed altera potius vox alteram explicat, hoc ſenſu: *ſi fieri poteſt, hoc eſt, ſi per vos ſtat.* Vel etiam prius illud: ἐι δυνατὸν, ad alios homines, cum quibus pax colenda eſt; poſterius vero ad homines, qui pacem ſanctam habere jubentur, referri debet, ita quidem, ut ſaltem a ſua parte, ſi altera nolit, nihil deſiderari patiantur, quod quidem huc pertineat. Vel denique τὸ, ἐι δυνατὸν, ad negotii circumſtantias, τὸ, ἐξ ὑμῶν vero ad perſonarum conditionem ſpectabit. Confer ad hoc comma *Rob.Gelli* Reliquias Anglice editas, Tom. II. p. 119-141. qui p. 132. phraſin, ἐι δυνατὸν, ſpeciatim explicat, eaque putat indicari, rem non penitus impoſſibilem, ſed tantum difficilem eſſe.

Verſ. 19. Μὴ ἑαυτὺς ἐκδικῦντες, κ. τ. λ.) Lege ad totum hoc comma B. *Jo. Nicol. Quiſtorpii* Diſſertat. de vindicta vitanda, Roſtoch. 1704. & *Jo.Mich. Langii* Decadem I. Diſſertationum, Diſſert. X. Vocem ἐκδικῦντες per *ulciſcentes* (*ne vous vangez*) reddiderat Gallica Montenſis, improbante id *Malleto*, contra quem lege Defenſionem illius verſionis continuatam p. 546. ſqq.

Ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ) *Date vero locum iræ.* Iram hanc alii ad *Deum*, alii ad *hominem* referunt. Priorem ſententiam ex veteribus Doctoribus tuentur *Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius*, qui ita mentem Pauli efferunt: συγχώρησον τῷ Θεῷ ἐπεξελθεῖν, de *vindicta* ſcilicet *divina*, cui res permittenda ſit, accipientes. Adſtipulantur illis *Caſaubonus* ad Athenæum pag. 652. & *Gatakerus* ad Marc.Antoninum pag. 104. qui & phraſin ipſam διδόναι τόπον, vel χώραν ex ſacris & profanis Scriptoribus illuſtrat. Conſentiunt cum his *Eraſmus Schmidius* ad h. l. *Beza, Hammondus, Knatchbullus, Clericus*, alii, & noviſſime Cl. *Elsnerus* pag. 58. Idem viſum eſt B. *Luthero*, ſiquidem ab eo profecta eſt vox GOttes quam nonnulla verſionis vernaculæ exemplaria parentheſi incluſam exhibent.

Alii ad *iram hominis* referunt, ſed & illi diverſis viis incedunt. Quidam enim *iram adverſarii* intellectam volunt, quæ patientia ſit mitiganda. Vide huc *Picinelli* Lumina reflexa pag. 690. Sic B. *Gottlieb Cortio* in Excurſu IV. ad Salluſtii Catilinam pag. 400. *locum iræ dare* idem eſſe videtur, quod *cedere iræ alterius, tolerare alterum iratum.* Ita τόπον διδόναι in cedendi ſignificatu occurrit *Luc.* XIV. 9. quemadmodum *Thucydides* l. 38. ait: καλὸν δ᾽ ἦν, εἰ καὶ ἡμαρτάνομεν, τοῖς δὲ μὲν εἶξαι τῇ ἡμετέρᾳ ὀργῇ, ἡμῖν δὲ αἰσχρὸν, βιάσασθαι τὴν τέτων μετριότητα.

Quidam ab altera parte de ira ejus accipiunt, cui facta eſt, vel viſa eſt fieri injuria. Eo ſenſu præter alios accepit *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 116. ita hæc vertens: *iræ veſtræ ſpatium date.* Ita ait loqui *Livium* lib. II. cap. 56. *daret iræ ſpatium*; & lib. VIII. c. 32. *iræ ſuæ ſpatium & conſilio tempus daret*; item *Seneca* de Ira III. 39. Plura hujusmodi Latinorum Scriptorum loca lege apud Rev. *Raphelium* in Semicenturia Annotationum in loca quædam N. T. pag. 14. *Iræ* autem *ſpatium dare*, interprete *Boſio*, eſt, *non indulgere iræ*, non

ita

ita occœcari ira, ut ſtatim cupias ulciſci, & in vindictam prorumpere; ſed iraſci, vindictam vero differre, vel alii relinquere. Qui ita iræ ſpatium dat, ille ὀργίζεται, καὶ μὴ ἁμαρτάνει. *Epheſ.* IV. 26. Talem moram ſuaſit *Athenodorus* Philoſophus apud Plutarchum Apophthegm. p. 207. qui Cæſarem, ubi iraſceretur, nihil nec dicere, nec facere juſſit ante, quam 24. literas percurriſſet. Inhanc ſententiam abit ex noſtratibus *Alethæus* Volum. III. der Erläuterung p. 434. & Cl. M. *Chriſtoph. Wolle* in Regulis XXX. ad circumſpectam Nov. Teſt. illuſtrationem ex auctoribus profanis p. 23. ſqq. qui inter cetera huc affert *Sapient.* XII. 20. ubi Deus ut longanimis celebratur, δοὺς χρόνους καὶ τόπον i. e. *dans tempora & ſpatium*, ex qua phraſi τόπον pro *temporis ſpatio* quandoque ſumi exiſtimat.

Ad hominis læſi iram phraſin hanc itidem refert *Guil. Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 508. ſed ſenſu diverſo; eo nempe, ut Chriſtiani jubeantur iram in ſe ipſis non occludere, ſed liberiorem potius evadendi aërem illi concedere, donec Deo placuerit injuriam ipſis illatam vindicare. Hanc phraſeos vim eſſe ex Hebraica ſimili contendit, quæ legitur *Judic.* XX. 36. ויתנו איש ישראל מקום לבנימין *& dederunt Iſraëlitæ locum Benjaminitis* i. e. ſpatium effugiendi conceſſerunt illis, ex clade ſuperſtitibus, ut eos in fuga caperent. Similiter *Jobus* XVI. 18. ואל יהי מקום לזעקתי *ne ſit locus* (i. e. exitus, ut ipſe quidem interpretatur) *clamori meo.*

Ad eandem hominis læſi iram hoc ſpectare putat Cl. J. C. *Harenbergius* in Bibliothecæ Lubecenſi Vol. VI. p. 246. ſed iterum alio ſenſu, ut idem ſit, quod *faceſſite illam iram, miſſam facite ulciſcendi cupiditatem.* Hanc expoſitionem dicendo ornat, poſtquam contra *Lamb. Boſii* ſententiam monuiſſet, ſecundum eam iræ ſeu ulciſcendæ cupiditati moram & dilationem dari, ne prorumpat, quæ tamen prorſus abeſſe & exſulare debeat ab homine Chriſtiano. Atque hoc ipſum velle Apoſtolum h. l. his verbis perſuadere inſtituit p. 247. *Locum damus rebus vel gratis, vel ingratis. Gratis jucundisque rebus damus locum, dum eas excipimus, libenter audimus, tempore loco & mora dignamur. Si locum damus rebus ingratis & inviſis, ubi arbitrio noſtro locus eſt, tum eas expellimus, extrudimus, declinamus.* Hoc ſenſu phraſin *locum dare* pro *faceſſere*, & *declinare* a *Terentio* Heautontimorum. Act. III. Sc. III. & *Curtio* lib. VI. c. 6. n. 31. adhiberi exiſtimat.

Nonnulli & *divinam* & *hominis*, qui læſit, iram hic reſpici arbitrantur, hanc quidem, cui cedendum ſit, illam vero, cui omnia permittenda. Ita B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS.

Mihi quidem ex his omnibus eorum præplacet ſententia, qui *Dei iræ* ſeu *ultioni* omnia permittenda Paulum præcipere exiſtimant. In hac ſententia confirmat me locus Scripturæ, in hoc commate adductus: ἐμοὶ ἐκδίκησις &c. qui ut ad Deum ejusque vindictam hominem revocat, ita indicio eſt, in prioribus verbis illam ſpectari, tanquam cui locus ſit faciendus, quæ alioquin ab homine, ſe ipſum ulciſcente, occupetur, & in proprium vertatur caput. *Durum* quidem

dem videtur Cl. Harenbergio p. 245. *vocem* Θεοῦ ſic *omiſſam eſſe a Paulo vel univerſaliter excidiſſe.* At neutrum neceſſe eſt ut dicamus. Neque enim excidit vox ex contextu, quæ a Paulo h. l. non erat ſcripta. Neque etiam nomen Θεοῦ diſerte commemorari debebat, cum & argumentum ipſum, de quo hic ſermo eſt, & allegatus Deuteronomii locus, de Deo cogitare jubeat. Conſtat enim, ex verbis conſequentibus ſæpe ſuppleri id debere, quod in antecedentibus deſideratur. Vide Glaſſii Grammaticam Sacram p. 724. Nec inſuetum Paulo eſt, ὀργὴν ſimpliciter de ira Dei dicere. Vide *Rom.* II. 5. 8. IV. 15. V. 9. 1. Theſſ. I. 10. Conf. *Matth.* III. 7. Præterea ipſa phraſis διδόναι τόπον vel χώραν Græcis adeo frequenter de *data* rei vel perſonæ *facultate* uſurpatur, ut deſeri hic ſignificatus non poſſit. Ita Paulus ea uſus eſt *Epheſ.* IV. 27. μήτε δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ, *ne anſam, occaſionem, facultatem diabolo præbeatis,* ſcil. nocendi. *Athenæus* Dipnoſophiſt. IX. 5. τῷ κενῷ χώραν δίδου & *Libanius* Orat. XIX. καὶ μηδαμοῦ δοῦναι χώραν αἰτίᾳ. Alia ejusmodi loca pro eadem ſententia affert Cl. *Elſnerus* p. 58. ex quibus ille præ ceteris appoſitus eſt, quem ex *Plutarcho* de ira cohibenda p. 462. recitat: δεῖ τε μήτε παίζοντας αὐτῇ (ὀργῇ) διδόναι τόπον *proinde neque inter jocos iræ* (ab homine) *dandus eſt locus.* Idem obſervat Latinos eodem ſenſu dicere, *locum dare.* Patrum de vitanda vindicta propria admonitiones ſuppeditat *Svicerus* Tom. II. Theſauri p. 504.

Ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει Κύριος) Interpretes in eo conſentiunt, Apoſtolum hic reſpicere *Deuteron.* XXXII. 35. ubi Dominus Deus (vide v. 20.) ita loquitur: לי נקם ושלם i. e. *mihi ultio eſt & retributio*: quæ quidem in priori membro Græcis verbis ex aſſe reſpondent, licet in poſteriori quoad ſenſum tantum exprimantur. Atque hic differentia leviſſima *Guil. Whiſtonum* in Conatu textum Hebr. V. T. reſtituendi p. 307. adduxit, ut oraculum hic citatum, vel prorſus hodie in V. T. deſiderari, vel multum interpolatum eſſe pronunciaret, inprimis cum verſio τῶν LXX. & Codex Samaritanus, & *Philonis* Allegor. II. p. 80. allegatio a Paulinis verbis abeat. Sed iſtæ quidem rationes nihil aliud efficiunt, quam ut ſtatuamus, Paulum ut alibi, ita & hic loci nec textui Hebræo, nec verſioni Græcæ preſſe inſiſtere. Idem negat, apparere quidquam, quo conſtare poſſit, Paulum ad illum Deuteronomii locum reſpexiſſe. Ego vero tantam hic veri ſpeciem agnoſco, ut major dari vix poſſit. Verba enim utrinque conveniunt, niſi quod in verſione pro altero nomine ponatur verbum ejuſdem ſignificatus. Tum vero oraculum hoc a Deo ipſo dicitur pronunciatum, quod & Moſes v. 20. capitis XXXII. diſerte affirmat. Contra *Cappellum* hic curate diſputat *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico p. 190. ſqq. Ceterum τὸ ἐμοὶ per Hebraiſmum pro ἐμοῦ poni exiſtimat *Vorſtius* in Philolog. Sacra Part. I. p. 240.

Verſ. 20. Ἐὰν οὖν πεινᾷ ὁ ἐχθρός σου, ψώμιζε αὐτὸν) Comma hoc illuſtratum lege ab *Alethæo* Tomo V. der Erläuterung p. 613. ſqq. & a *Jo. Steph. Menochio* in Tractatibus eruditis, Italice editis, Parte I. p. 505. ſqq. Paulus hic contraria omnia fieri vult illis, quæ inimicus præſtat. Similiter fere *M. Antoninus*

VI. 6.

VI. 6. ἄριςος τρόπος τȣ͂ ἀμύνεσθαι, τὸ μὴ ἐξομοιȣ͂σθαι. *Optimus injuriam ulciſcendi modus eſt, inferenti ne ſis ſimilis.* Lege ibi omnino *Gatakeri* notas p. 220. ſq. ubi ſimilia veterum Gentilium æque ac Patrum dicta inveneris. Non aliter idem *Antoninus* lib. VII. §. 15. Ο, τι ἄν τις ποιῇ, ἢ λέγῃ, ἐμὲ δεῖ ἀγαθὸν εἶναι. Plura hujusmodi dat *Picinellus* in Luminibus Reflexis. p. 691, & *Schottus* in Adagialibus Sacris p. 105.

ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτȣ͂) Alluditur ad *Proverb.* XXV. 21. cum quo loco noſtrum comparant, atque adeo utrumque illuſtrant Cl. *Franc. Wokenius* in Harmonia V. &. N. T. p. 391. & *Jo. Markius* in ſingulari diſſertatione Lugdun. Batav. 1716. edita ac in Sylloge Diſſertationum Theolog. Philolog. recuſa p. 780. Duæ ſunt ex diverſis Interpretum ſententiis potiores, quarum altera prunas illas ad gravitatem judiciorum divinorum refert, quæ homini, pertinaciter in alterum injurio, immineant; altera vero de beneficiis, ab offenſo homine alteri præſtitis, ita accipit, ut dicatur, ea ita comparata fore, ut tolerare ea non poſſit inimicus, atque adeo effectura, ut ab hoſtili animo ad placidum & benevolum ſe convertat. Poſterior hæc præferenda mihi videtur, quam amplectuntur & argumentis muniunt *Marckius* l. c. *Schottus* in Adagial. Sacris N. T. p. 105. & ex noſtratibus *Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacr. Orac. XLIII. *Alethæus* p. 636. ſq. & qui ab illo citantur.

Utrumque ſenſum conjungi hic vult *Jac. Nyloe* in libro Belgico *Schriftuurlyk Licht*, p. 151. ſqq. reſpectu habito ad diverſam hoſtium, in quos beneficia congerantur, conditionem, quorum ſcilicet alii ad mutationem animi perducantur, alii vero vel ſic in infeſta mente perſiſtant: his beneficia prunas judiciorum divinorum imponere, illis vero bonum non unum conciliare. Non multum abit Cl. *Schœtgenius* in Specimine Horarum Hebræo-Talmudicarum, quod exſtat in Novis Literariis Lipſienſibus Latinis an. 1719. p. 83. Duos ille affert ex Judæis Scriptoribus locos, eandem phraſin adhibentes, atque ex iis conficit, per eam innui, quod qui inimico amicum ſe præſtet, eadem opera duo obtineat. Primum enim Deum habere præmiatorem, deinde vero hoſti hoc majorem pœnam conciliare.

Cl. *Harenbergius* l. c. p. 249. *prunas ignitas de regulis & præceptis Sapientum, quæ exercenda ſint in iracundos & ſævos*, accipit, *quia præcepta Sapientum, qui manſuetudinem inculcant, ſint prunæ ignitæ.* Ita R. *Elieſer* in *Pirke Abboth.* c. II. §. 10. ad audienda Sapientum præcepta cohortatus addit כל דבריהם כגחלי אש *omnia verba illorum ſunt ut prunæ ignitæ.* Præcepta hujusmodi vir doctus ait eſſe Chriſti *Matth.* V. 5. 9. 44. quæ inculcanda ſint iracundo ab homine leni & miti: ea caletacere & accendere animos, lumen ingerere mentibus, æternumque non exſtingui, eadem, niſi quis obtemperet, mordere conſcientiam acutiſſime & pungere. Sed hæc quidem Pauli ſententiam & conſilium exhaurire mihi non videntur. Paulus injuriam ab inimico acceptam beneficiis rependere clare jubet, atque hanc beneficiorum præſtationem (τȣ͂το γὰρ ποιῶν) ait eſſe collectionem prunarum ignitarum in caput ejus. Eam vero

cum vir doctus de inculcatione præceptorum, ad deponendum odium ſpectantium, accipiat, minus certe dicit, quam quod Paulus præceperat.

Ad illuſtrationem hujus phraſeos *Jo. Clericus* in Bibl. Vet. & Nova Tomo I. Parte II. p. 373. affert ritum, quem Turcis adhuc ait eſſe receptum. Qui enim inter eos gravi injuria ſunt affecti, de qua apud Dominum ſeu Imperatorem conqueri non poſſint, illi catillum, carbonibus ardentibus plenum, in capite geſtantes, Sultani ædes obeunt, ut ab ipſo conſpiciantur: quemadmodum viciſſim Sultanus in more habet poſitum, ut, ubi ejusmodi hominem conſpexerit, de cauſa interrogari faciat, maloque & injuriæ medeatur.

Ab omnibus, quos diximus, interpretibus abit Cl. *Jo. Chriſtianus Herzog* in Diſp. de particula ἐπι p. 38. ita ad h. l. commentatus: *Dicit Paulus:* τȣτο ποιῶν. *Ad quid reſpicit hoc* τȣτο? *non ad proxime præcedentia verba, ſed ad verbum* ἐκδικεῖν. Hoc enim, dum ad vindictam tui procedes, ſi facies, *quid commodi ſperabis exinde?* ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἀυτȣ. *Proverbialis locutio eſt, per quam vero Paulus nihil aliud vult intelligere, quam quod hac vindictæ ira accenſus homo magis inflammatus reddatur. Hæc vero accumulatio fiet* ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἀυτȣ. *Hic damnum indicatur, quod ſtrenuus ejusmodi vindex ſuo proximo, quem ſervare tamen deberet, eſſet conciliaturus.* Hæc ille. Hæc contorta admodum & longius petita eſſe quis non videt? Paulus v. 19. dehortatus erat a vindictæ ſtudio. Jam v. 20. in eo eſt, ut præcipiat, cui rei ex adverſo ſit ſtudendum, nempe cumulandis in inimicum beneficiis. Nonne in proclivi eſt intelligere Paulum per τȣτο ποιῶν reſpicere potius ad ipſa illa benefacta, ad victus potusque ſubminiſtrationem, quam ad ulciſcendi ſtudium antea prohibitum? Et quomodo denique verba hæc, ita accepta, cum verbis commatis 21. cohærerent?

ἐπὶ κεφαλὴν ἀυτȣ) h. e. *in ipſum*, ut interpretatur Cl. *Harenbergius* l. c. p. 252. qui de hujus phraſeos notione videri ſimul jubet Cl. *Albertum Schultens* in Obſerv. ad V. T. p. 191. & præſtantiſſimum *Theod. Haſæum*, fatis non ita pridem præmature functum, in *Leviathane* Jobi p. 262. Vide & nos, ſi placet, Volumine I. Curarum p. 1275. ad *Actor.* XVIII. 6. τὸ αἷμα ὑμῶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ὑμῶν. Profani in eodem argumento dicunt εἰς κεφαλήν σοι, quæ ipſa phraſis infert, ni fallor, majorem aliquam efficaciam, quam ſi ſimpliciter dicatur εἰς σὲ, vel εἰς ἀυτὸν, quod ipſum de Paulino hoc loco etiam ſtatuendum arbitror.

Verſ. 21. μὴ νικῶ ὑπὸ τȣ κακȣ) Ita *Libanius* p. 13. de Vita ſua: ϛὰς παρὰ τὸν κυβερνήτην ὑπὸ κακȣ νικώμενον, & *Arrianus* de Expeditione Alexandri VI. 23. 8. εἰς τόσον δὲ πρὸς τȣ κακȣ ἐνικῶντο. Utrinque de malo phyſico, ut hic de morali, ſermo eſt.

ἀλλὰ νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακὸν) Ita fere *Hierocles* apud *Stobæum* Sermone LXXXII. & inter Fragmenta, quæ Commentario ejus aureo in Pythagoræ carmina p. 296. edit. Cantabrig. annexa ſunt. Ἐπεῖτα, *inquit*, κἂν ὄντως τοιȣτος ᾖ ἀδελφὸς, ἀλλὰ σύγε, φαίην ἂν, ἀμείνων ἐυρέθητι, καὶ νίκησον ἀυτȣ τὴν ἀ-

γρι-

γριότητα, ταῖς εὐποιΐαις. *Seneca* de beneficiis lib. VIII. c. 31. *Vincit malos pertinax bonitas*: & lib. II. de Ira c. 34. *Iraſcetur aliquis? tu contra beneficiis provoca: cadit ſtatim ſimultas, ab altera parte deſerta, niſi par non pugnat. Si utrinque certabitur, ille eſt melior, qui prior pedem retulit: victus eſt, qui vicit.* Lege ſimilia in notis *Gatakeri* ad Antonin. VI. 6. pag. 221. VI. 26. pag. 236. & XI. 18. ubi ait: τὸ εὐμενὲς ἀνίκητον.

CAP. XIII.

TOtum hoc caput *Wilb. Fleetwood* illuſtravit libello Anglicano ſingulari, quem, *Thirteenth Chapter to the Romains vindicated from the abuſive ſenſes put upon it*, inſcriptum edidit Londini 1710. 8.

Verſ. 1. πᾶσα ψυχὴ) pro *homine* non ſolum Hebræis frequenter, ſed & Græcis Scriptoribus adhibetur. Sic *M. Antoninus* V. 32. homines imperitos ἀτέχνους καὶ ἀμαθεῖς ψυχὰς appellat. Lege ibi *Gatakeri* notas p. 214. qui & *Latinos* ita loqui oſtendit, v. c. *Ciceronem* Familiar. XIV. ep. 14. *Vos meæ chariſſimæ animæ, quam ſæpiſſime ad me ſcribite.* Adde *Polybii* locum ex VIII. 5. pag. 716. & compara Cl. *Georg. Guil. Kirchmaieri* Parallelismum dictionis Novi Fœderis & Polybii p. 40. Memini me eundem vocis uſum ex profanis adſtruere Volum. I. p. 1044. & 1046.

Ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις) *Sam. Bochartus* Tomo II. Operum p. 999. ubi de Jure Regum commentatur, per poteſtates illas ſupereminentes omnes intelligit, qui ſupra reliquos ordine & poteſtate eminent, ita tamen, ut magis conveniat ſupremæ poteſtati, quæ ſola eſt abſolute ὑπερέχουσα. Ita *Pindarus* Olymp. I. ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι, τὸ δ' ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι. *Alii ſupra alios magni ſunt, ſed ultimum* dignitatis faſtigium *attollitur Regibus.* Id vero non de bonis duntaxat Regibus, ſed & aliis dici idem ex eo probat, quod Paulus æque ac Petrus 1. ep. II. 13. 14. vel ſub *Claudio*, vel ſub *Nerone* ſcripſerit, quorum ille fuerit vecors, hic monſtrum hominis, quibus tamen uterque Chriſtianos jubeant eſſe ſubditos, non ſolum metu pœnæ, ſed & ob conſcientiam, & propter Deum: quemadmodum nec melior fuerit Tiberius, cui Chriſtus reddi voluerit ea, quæ ſint Cæſaris. Ante eum *Henr. Valeſius* ad Euſebium pag. 86. & 166. oſtenderat, ἐξουσίαν non ſolum de judicibus majoribus, qui jus gladii habeant, ſed & de Magiſtratibus municipalibus, qui minore coërcitione valeant, uſurpari. Eidem voci *magiſtratus* notionem vindicat Cl. *Elsnerus* pag. 59. adductis *Dionyſ. Halicarnaſſ.* lib. XI. p. 713. & *Diodori Siculi* lib. I. pag. 63. locis, τὰς ἐξουσίας ὑπερεχούσας vero, quas *Polybius* V. 41. Hiſtor. τοὺς ἐν ὑπεροχῇ ὄντας vocat, per *ſublimes poteſtates* cum *Ammiano Marcellino* XIV. 1. verti poſſe cenſet, quemadmodum Cicero Tuſculan. I. 30. *magiſtratum aut poteſtatem aliquam legitimam* conjungat, & *Flavius Vopiſcus* in Saturnino c. 9. *poteſtatem magnam*, appellet.

Ὑπο-

'Υποτασσέσθω) Verbum ὑποτάσσεσθαι non ſemper ſervilem aliquam ſubjectionem inferre oſtendit Cl. *Wokenius* in Protreptico ad Pietatem Criticam pag. 37. ſq. Rem ipſam nonnulli exemplis, ab apibus, gruibus & piſcibus, qui ſcilicet unum ex ſe caput eligunt, repetitis illuſtrant. Vide *Andr. Schotti* Adagialia N. T. p. 105. Veterum doctorum exhortationes ad Magiſtratum reverenter habendum lege apud *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 539.

'Ου γάρ ἐςιν ἐξυσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεῦ) Divinam Magiſtratus cujuscunque originem tum ex ſacris tum ex gentium literis adſtruit magnus *Bochartus* l.c. p. 1000. Homerus Reges ideo vocat διογενεῖς καὶ διοτρεφεῖς, *a Jove ſatos. Heſiodus* in Theogonia: ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, nec minus *Callimachus* hymno in Jovem:

> 'Εκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ Διὸς ὐδὲν ἀνάκ]ων
> Θειότερον, τῷ καί σφι τεὴν ἐκρίναο τάξιν.
> *Ex Jove ſunt Reges, quia nil divinius unquam eſt*
> *Regibus: & commune datum eſt his cum Jove regnum.*

Alia lege apud Cl. *Elsnerum* p. 60.

De argumento ipſo, quod hoc & ſequentibus commatibus continetur, præter Diſputationes *Gebb. Theod. Meieri, Deutſchmanni* & *Sontagii*, lege imprimis B. *Hectoris Godofr. Maſii* Diſput. de origine imperii divina & immediata, quæ in Diſputationibus ejus Tomo II. p. 113. recuſa eſt, ut alia omittam ſcripta, quæ inter ipſum & *Chriſtianum Thomaſium* aliosque de hac cauſa diſputata ſunt, tanquam a Theologis Syſtematicis occupata. Adde *Mitternachtii* Programma a *Gabr. Terne* in Sylloge I. Programmatum Exegeticorum recuſum p. 669. item *Rob. Gellum* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 142-147. *Grotium* Tom. III. Opp. p. 203. & *Seldenum* de Synedriis p. 3. & de Jure Naturæ & Gentium p. 106. Spectant huc quoque *Claud. Salmaſii* & *Jo. Miltoni* ſcripta ἀμοιβαῖα, quorum ille locum hunc egregie vindicat in Reſponſione Anti-Miltoniana p. 262. ſqq. & 291. Omitto, quæ ſuperiori Sæculo inter Anglos de obedientia *paſſiva* copioſe in utramque partem diſputata ſunt. Nec ita pridem Rev. *Franc. Hare*, Decanus Vigornienſis, duo prima hujus capitis commata duabus concionibus explicata dedit *Londini* 1723. 4. quarum ſummam habes in Memoriis Literariis Magnæ Britanniæ gallice editis, Tom. XV. pag. 248. ſqq. Ibi inter cetera obſervatur, Paulum hoc Præceptum de obſequio, Magiſtratui cuicunque probando, oppoſuiſſe ſectæ *Judæ Galilæi*, de cujus rebellione *Act.* V. 37. refertur. Quemadmodum enim hujus hominis aſſeclæ nulli ſubjecti eſſe volebant; ita ſuſpicatur Vir doctus, etiam inter Chriſtianos quosdam eandem ſententiam approbaſſe, vel ſaltem ſimile quid Chriſtianis ex confuſione Judaiſmi cum Chriſtianiſmo fuiſſe exprobratum.

Quæ hic codicum varietates a *Millio* memorantur, eas & leves eſſe, & veri ſpecie deſtitutas, oſtendit *Whitbius* in Examine p. 33.

'Αι δὲ ὖσαι ἐξυσίαι) Cave, credas, cum *Eraſmo Schmidio* vertendum: *quæ enim legitimæ ſunt poteſtates.* Non admittit hoc ſignificatus τῦ ἐςι in membro

bro antecedente. Eodem ſenſu *Herodot.* I. p. 25. dixit τιμὰς τὰς ἐούσας, *magiſtratus, qui tum erant.* Conf. *Raphelium* p. 443.

Ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν) Sic *Epictetus* Enchiridii c.29. ὡς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμένος εἰς ταύτην τὴν τάξιν.

Verſ. 2. Ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος κ. τ. λ.) Vide *Grotii* Opera Theol. Tom. III. pag. 213.

Οἱ δὲ ἀνθεστηκότες ἑαυτοῖς κρῖμα λήψονται) *Colomeſius* in Obſſ. Sacris pag. 114. excerpta ſuppeditat ex notabili *Jac. Bongarſii* epiſtola, quæ variis exemplis Apoſtoli ſententiam ex hiſtoria confirmant. Κρῖμα hic infert condemnationem ſeu pœnam. Vide *Sviceri* Theſaurum Tomo II. p. 161.

Verſ. 3. Οἱ γὰρ ἄρχοντές εἰσι φόβος) Sic *Marc.* XIII. 29. αἱ ἡμέραι ἔσονται θλῖψις *Sophocles* in Ajace: μηδὲ συμφορὰν δέχου τὸν ἄνδρα. Confer *Hombergium* p. 239. Τὸ γὰρ hic idem eſſe, quod καὶ, ut 1.*Cor.* XV. 41. *Hebr.* III. 1. & *Rom.* VIII. 15. ſtatuit *Wilb. Wall* in Notis Criticis ſuper N. T. p. 245.

Ἕξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς) Eadem phraſi utitur *Herodotus* lib. I. pag. 46. & pag. 643.

Verſ. 4. Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστι) Similiter *Plutarchus* de docto Principe: *Principes miniſtri Dei ſunt, ad curam & ſalutem hominum, ut bona, quæ Deus illis largitur, partim diſtribuant, partim ſervent.* Hunc & ſimiles locos recitat *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 691.

Σοὶ εἰς τὸ ἀγαθόν) h. e. ut commodum inde tibi naſcatur; id enim per dativum, ut alias, hic exprimitur. Vide Cl. *Wokenii* Meditationes Privatas Tom. II. p. 129. ſq.

Οὐ γὰρ εἰκῆ τὴν μάχαιραν φορεῖ) Philoſtratus in Vita Apollonii lib. VII. c. 16. Magiſtratus vocat τοὺς τὰ ξίφη φέροντας, h. e. *qui gladios geſtant.* Scilicet, ut plura inſignia alia, ita inprimis enſis præferri ſolebat Magiſtratibus, in publicum prodeuntibus, ad indicandam, quam habebant, vitæ necisque poteſtatem. Eodem vero etiam accingi conſueverant, &, ubi inaugurarentur, illo donari. Sic *Dio* lib. XLII. Ἀντώνιος δὲ, -- ἐσθῆτος ἕνεκα καὶ ῥαβδούχων, τοῦτε τὴν βουλὴν ἀθροίζειν, εἰκόνα τινὰ τῆς δημοκρατίας παρείχετο, τῷ δὲ δὴ ξίφει, ᾧ παρέζωστο. *Tacitus* Hiſtor. lib. III. *Quod* (ferrum) *poſtea, ingruente Veſpaſiano, exſolutum a latere, velut jus necis vitæque civium reddebat.* Plura hujusmodi veterum Scriptorum loca lege apud *Picinellum* p. 691. & *Dougteum* in Analectis N. T. Exc. LXX. p. 103.

Ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι) Cl. *Zach. Pierce* in Epiſtolis duabus de N. T. a Cl. *Rich. Bentlejo* quondam edendo, voces εἰς ὀργὴν jungi vult, mutato ordine, vocibus antecedentibus: Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν εἰς ὀργὴν, ideo, quia paulo ante Paulus ſcripſit: Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστί σοι εἰς τὸ ἀγαθόν. Addit, ſe neſcire, quid ſibi velit phraſis: ἔκδικος εἰς ὀργήν. Atque hinc factum putat, ut Arabs eundem hunc ordinem obſervarit, duo vero Codd. MSS. binas illas voces plane omiſerint. Sed quemadmodum Vir doctus eas exemplo horum Codicum non vult expungi, ita nec neceſſe eſt, ut in alium transferantur lo-

cum. Senſui enim, quem ſe pervidere non poſſe profitetur, vel ſic conſuli poteſt, quod eruditiſſimus *Jo. Henr. Majus* in Vindiciis Græcæ veritatis Stilique Apoſtolici, ipſi oppoſitis, p. 14. oſtendit. Vel enim per Synchyſin ſeu trajectionem vocum hæc ita poſita dici poſſunt, vel, ea figura ſepoſita, ſine jactura ſenſus, ordini ſuo relinqui. Si quis prius velit, non deſiderabit exempla vel in Sacris, cujusmodi in Volumine I. harum Curarum, teſte indice, paſſim obſervata ſunt, vel in profanis Scriptoribus. Ex his talia attulerunt *Salmaſius* ad Inſcriptionem Regillæ pag. 113. *Perizonius* ad *Æliani* V. H. XIV. 43. *Jac. Gronovius* ad Arriani Hiſtor. Alexandri M. lib. I. c. 15. & cap. 30. pag. 58. Eos laudat Cl. *Majus*, qui & ipſe ejusmodi exempla ex ſua ſupellectile promit. Nolim tamen ego h. l. figuram illam urgere, cum alia ratione de mente Paulina conſtare poſſit, etiamſi hæc voci ἐκδικος proxime jungantur. Laudatus *Majus* hoc pacto τὸ, εἰς ὀργὴν idem vult eſſe, quod ἐν ὀργῆ, hoc vero idem, quod ὀργιζόμενον vel ὀργισθέντα, ſicut τὸ εἶναι ἐν ἐσθῆτι *Actor.* I. 10. & X. 30. deſignat ἐνδεδυμένον, & ſicut δι' ὀργῆς, docente *H. Stephano* in Theſauro Gr. Lat. Tomo II. col. 1415. idem eſt, quod ὀργισθεὶς, & ſimiliter μετ' ὀργῆς *Marc.* III. 4. Itaque ἔκδικος εἰς ὀργὴν idem hic fuerit, quod *vindex iratus*. Erudite hæc omnino annotantur: ſed malim tamen εἰς ὀργὴν pro fine & ſcopo accipere, quem propoſitum ſibi habeat Magiſtratus vindex adverſus mala patrantem. Sic διάκονος ἔκδικος εἰς ὀργὴν egregie reſpondebat antecedenti διάκονος εἰς τὸ ἀγαθόν. Sicut vero per τὸ ἀγαθὸν intelligitur *commodum*, ſeu *beneficium* aliquod; ita per τὴν ὀργὴν ſenſu metonymico indicari puto *pœnam*, tanquam iræ *effectum*. Ὀργὴν vero Paulus paſſim in hac epiſtola de pœna adhibet. Vide II. 5. III. 5. IV. 15. & V. 9. & quæ ad III. 5. ſcripſimus. Eundem vero ſignificatum hic obtinere recte meo judicio monuit *Grotius*, & ſic quoque accepit B. *Lutherus*, vertens, **eine Rächerin zur Strafe.** Ut autem rectius pateat, voces εἰς ὀργὴν non poſſe referri ad antecedentem διάκονος, obſervandum eſt, vocem ἔκδικος propius ſpectare ad διάκονος, ut nempe *ſervus ultor* ſeu *vindex*, ſcilicet *Dei*, indicetur. Vel enim abſolute hæc vox uſurpari ſolet, vel cum genitivo rei; non autem dativo perſonæ jungi. Sic *Herodianus* lib. VII. εἴ τινες ἢ ςρατιωτῶν ἢ δημοτῶν αὐτοῖς ἐπίοιεν τȣ̃ γενησομένȣ ἔργȣ. Atque ita patet quoque, cur Paulus vocem ἔκδικος inter διάκονος & εἰς ὀργὴν interpoſuerit, ſalva tamen manente oppoſitione, reſpectu membri antecedentis: διάκονός σοι εἰς τὸ ἀγαθόν. Determinatur ſcilicet ſubjectum, commemorata aliqua proprietate, quæ Magiſtratui, pœnas loco Dei infligenti, competit.

Ceterum ex hoc loco perſpicuum evadit, Apoſtolos auctoritatem Magiſtratus longe firmiori fundamento ſuperſtruxiſſe, quam alias ulla Gentilium lege factum eſt, vel fieri potuit. Apparet etiam, quantum Magiſtratus religioni Chriſtianæ debeant, & quam ſecure illi poteſtate, a Deo ſibi conceſſa, uti poſſint. Hoc urſerunt paſſim Apologetæ Chriſtiani, nominatim *Tertullianus* ad Scapulam &c. Conf. B. *Kortholti* Paganum obtrectatorem p. 530. *Amelium*

Parte

Parte II. **der Erörterung** p. 501. ſqq. & *Franc. Balduini* Diſſert. in Minutii Octavium p. 482.

Verſ. 5. Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι) Nonnulli Codices, omiſſa voce ἀνάγκη, legunt in imperandi forma ὑποτάσσεσθε, quos appellat *Millius*. Latini vero nonnulli cum *Vulgato* habent: *neceſſitate ſubditi eſtote*. Atqui ii legiſſe videntur ἀνάγκῃ ὑποτάσσεσθε. Hoc ſecutus eſt B. *Lutherus*: **ſo ſeyd nun aus Noth unterthan**. Senſus utrinque idem eſt: communior tamen lectio, recte judicante Rev. *Raphelio* in Notis Xenophonteis p.214. ſenſum paulo comodiorem habet. Atque ſic loquitur Paulus *Hebr*. IX. 23. ἀνάγκη οὖν τὰ μὲν ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς τούτοις καθαρίζεσθαι, ubi verbum ἐστὶ non minus quam h. l. ſubintelligendum eſſe nemo dubitaverit. Interim *Xenophon* Cyropæd. lib. I. p. 25. phraſin ἀνάγκῃ πείθεσθαι h. e. *neceſſitate adductum parere*, opponit alteri: ἑκόντες πείθεσθαι h. e. *ultro parere*. Patrum expoſitionem habes apud *Svicerum* Tom. I. p. 245.

Verſ. 6. Φόρους τελεῖτε) Sic *Herodotus* I. p. 78. φόρον ἐπιτελέειν, dixit, obſervante Raphelio p. 444.

λειτουργοὶ γὰρ Θεοῦ εἰσιν) Lege *Svicerum* Tom. II. p. 222.

Verſ. 7. Ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς) Tributa Magiſtratui ſolvenda eſſe, etiamſi nobis injuſta videantur, ideo, quod a Magiſtratu exiguntur, oſtendit *Epiſcopius* in Reſponſione ad Quæſtiones, Quæſt. XXVIII. Adde *Picinelli* Lumina Reflexa p. 691. Ad vocem πᾶσι ſubaudiendum eſſe ἄρχουσι recte monet Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 123. obſervans, plene loqui *Demoſthenem* Timocrate p. 481. B. *Lyſiam* Orat. V. c. 59. VI. c. 5. & *Platonem* ep. 7. p. 711. G. De tota phraſi ex *Herodoto* Raphelius l. c.

τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον. τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος) Utriusque vocis differentiam *Lipſius* de magnitudine Romæ lib. II. c. 5. ita exponit: *Portorium primo, quia id ſcilicet ex vectura: unde vectigal. Græcis etiam hic diſcrimen aliquod, quibus vectigal proprie eſt* τέλος, tributum φόρος. *Sed & in re ipſa differunt, quod illud res & fundos magis ſpectet, & liget, hoc capita & mobiles opes.* *Eduard. Leigh* in Critica Sacra Parte II. p. 325. τὸ τέλος ad perſonas ex *Matth*. XVII. 15. φόρον vero ad bona tum mobilia tum immobilia refert. Conf. *Guil. Saldeni* Otia Theologica p. 705. φόρος, judice *Thoma Magiſtro*, de Vocibus Atticis p. 193. de tributo *pro regione & civitate*, τέλος autem de vectigali pro mercibus adhibetur. Atque hac quoque ratione Apoſtolum hic utramque vocem diſtincte poſuiſſe exiſtimat *Lamb. Bos* in notis ad Thomam p.41. De φορολόγοις ſeu vectigalium exactoribus lege *Barnabæ Briſſonii* librum de regno Perſarum p. 261.

τῷ τὴν τιμὴν, τὴν τιμήν) Eodem modo *Polybius* p. 1433. dixit ἀποδιδόντες τῇ μητρὶ τὴν καθήκουσαν χάριτα καὶ τιμήν.

Verſ. 8. & 9. Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, κ. τ. λ.) Vide B. *Wolfg. Franzium* de Interpretatione Scripturæ Sacræ p. 548. ſq.

εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλȣς) Senſus eſt, officia antea præſcripta ita a ſingulis præſtanda eſſe, ut proximus nobis nihil deſideret; de amore vero mutuo exhibendo ſemper nos cogitare debere, quia eo nunquam ſatis defungi poſſimus.

ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, τὸν νόμον πεπλήρωκε) Qui proximum ſincere & ex corde in ſuo quemvis gradu & momentis ſingulis ante indicatis diligit, is obſervavit legem rectius, atque Phariſæi, Matth. V. Eſt autem phraſis hæc ſimilis conditionali: *ſi quis ita dilexerit proximum, is legi ſatisfecit.* Atque illa non tam indicat, quid facere poſſimus, quam quid conſequamur, ſi fecerimus. Simul vero incitat ad ſtudium amoris mutui eo diligentius urgendum, quo magis in lege explenda nos provehit. Alias quoque Scriptura Sacra eos *perfectos* appellat, qui facienda pro virili parte præſtiterunt. Vide 1. *Regg.* XV. 3. & 2. *Regg.* XXIII. 25. Adde *Franzium* l. c.

Verſ. 9. *Τὸ γὰρ ȣ̓ μοιχεύσεις, ȣ̓ φονεύσεις, κ. τ. λ.*) Paulus ordinem præceptorum tabulæ ſecundæ negligit, non quidem, quod *Grotius* in Expoſitione fuſiori ad Decalogum exiſtimat, quia τȣ̀ς LXX. hic ſecutus ſit: nam ſic & in reliquis præceptis eos ſecuturus fuiſſe videtur. Illi vero Exod. XX. 13. ſq. ita: *ȣ̓ μοιχεύσεις, ȣ̓ κλέψεις, ȣ̓ φονεύσεις.* Sed ad ſcopum Apoſtoli non neceſſe erat, ut ordinem hunc tam ſolicite obſervaret, cui ſatis erat, oſtendere, omnia illa præcepta ex unico illo de amore mutuo pendere. Conf. Cl. *Wokenii* Pietatem Criticam Parte II. p. 125.

ȣ̓ ψευδομαρτυρήσεις) Deſunt hæc in Codd. nonnullis, atque hinc *Millius* in Prolegomenis §. 806. & cum eo noviſſimus Editor N. T. Græco-Anglicani p. 590. notarum ex *Matth.* XVIII. 29. huc putat relata. Sed ſi ita res acta fuiſſet, veriſimile eſt, eodem vel librarios vel Criticos, qui ita rem inſtituerint, ad ejusdem loci exemplum ordinem quoque præceptorum, qui apud *Matthæum* alius eſt, & Decalogo reſpondet, mutaturos, ac præterea præceptum: *ȣ̓κ ἐπιθυμήσεις*, quod ibi non recitatur, omiſſuros fuiſſe. Probabilius itaque eſt, præceptum: *ȣ̓ ψευδομαρτυρήσεις* vel cauſu excidiſſe, vel deſtinata opera a nonnullis fuiſſe omiſſum, tanquam quod ſequente phraſi: *καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολὴ*, jam comprehendatur.

ἐν τȣ́τῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιȣ̃ται) Ἀνακεφαλαιȣ̃ν eſt ſummatim colligere, in ſummam redigere, breviter colligere, ut συγκεφαλαιȣ̃ν. Cum Oratores brevem argumentorum texunt enumerationem, cum Arithmetici calculos ſubducunt, & in unam ſummam ſingula revocant, id ἀνακεφαλαιȣ̃ν dicunt. Vide *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. p. 96. In eandem ſententiam lege Patrum aſſerta apud *Svicerum* Tomo I. p. 277. *Vulg.* reddidit; *in hoc verbo inſtauratur.* Hanc vocem *Millius* in Prolegomenis §. 551. eo, quem jam innuimus, ſenſu receptam ea ætate fuiſſe, noſtrâ autem non niſi in Chartulariis occurrere obſervat. Conf. *Caroli du Freſne* Gloſſarium mediæ & infimæ Latinitatis in vocibus *ſtaurum & inſtaurum.*

Ἀγα-

Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σȣ ὡς ἑαυτὸν) Codd. nonnulli legunt *ὡς σεαυτὸν*, illorum vitio, qui pronomina reciproca verbis non modo tertiæ, ſed & ſecundæ perſonæ addi, & harum ſignificationem induere ſolere non meminerant. Id vero fit interdum eleganter. Ita *Xenophon* Memorabilium lib. II. *ὕτω παιδέυεις τὺς ἑαυτῦ φίλυς*, *ita inſtruis amicos tuos.* Lege plura apud *Vorſtium* in Philolog. Sacra Parte I. p. 55. ſq. & Parte II. p. 95.

Verſ. 10. *Κακὸν ὐκ ἐργάζεται*) Ita *Polybius* p. 605. *ἄλλο μὲν ὖν ὐκ ἔφθασαν ὐδὲν ἐργάσασθαι κακόν.*

Verſ. 11. *Καὶ τῦτο εἰδότες τὸν καιρὸν*) Duæ voces, *καὶ τῦτο* diverſimode & interpunguntur in editionibus, & exponuntur ab interpretibus, quod diligenter annotavit *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. pag. 1. ſqq. Mihi quidem eæ referendæ videntur ad præceptum de amore mutuo v. 8. graviter inculcatum: *μηδενὶ μηδὲν ὀφέιλετε, ει μὴ τὸ ἀγαπᾷν ἀλλήλυς.* Hoc præceptum urſerat Apoſtolus gravi argumento, ab impletione legis deſumto, quod v. 8. affertur & v. 10. repetitur. Iſti itaque præcepto inprimis operam dari vult S. Paulus nova admonitione addita, *καὶ τῦτο*, elliptice, quod Germani dicerent: **Und das um ſo viel mehr.** Vel ex v. 8. repeti *ἀπὸ κοινῦ* poteſt verbum *ὀφέιλετε*, ſenſu iſto: *hoc vero debeatis aliis*, h. e. debere vos exiſtimetis, ſcientes, *tempus adeſſe opportunum.*

Ὅτι ὥρα-ἐγερθῆναι) ita *Plato* in Apologia Socratis: *ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανȣμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις,* quod *Cicero* lib. I. Tuſculanarum vertit: *ſed tempus jam eſt, hinc abire me, ut moriar, vos ut vitam agatis.* Et ſic quoque *Polybius* paſſim. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 444. & Herodoteas p. 445. Patrum vero loca, eandem *τῆς ὥρας* ſignificationem adſtruentia, apud *Svicerum* Tom. II. p. 1598.

Ἐξ ὕπνȣ ἐγερθῆναι) *de ſomno*, ſeu *ſomno percepto ſurgere.* Lege Feſſelii Adverſaria Sacra Tom. II. p. 398. De ſomno in peccatis hic ſermonem eſſe, per ſurrectionem vero ſerium virtutis ſtudium indicari, Interpretes, quos ſciam, omnes recte ſibi perſuaſum habuerunt. Ita enim loqui amat Scriptura, v. c. 1. *Theſſal.* V. 6. 7. At interceſſit nuper Cl. *Georg. Ludov. Oederus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 539. ſqq. Durum ipſi videtur, Romanos ad Chriſtum jam converſos de ejusmodi ſomno ſurgi jubere. *Si enim*, inquit, *ſcelerum ſomnus eſt, homines fuere peſſimi, in quibus ne initium quidem factum fuerat vitæ bonæ, quæ neſcio an componi poſſint cum laude egregia Romanis dicta cap.* I. 8. Gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro vobis omnibus, quod fides veſtra toto orbe prædicatur: item XV. 14. At obverterim Viro docto, *ſomni* illius *ſpiritualis* duo eſſe genera, alterum *profundi ſoporis*, alterum *oſcitantiæ* & remiſſi ſtudii. Hinc *Svicerus* in Theſauro Eccleſ. Tom. II. pag. 1384. rectiſſime monet, *ὕπνον ſumi pro vitiis & peccatis, qualia ſunt ignorantia & contemtus Dei, ſocordia item & ignavia in bonorum operum ſtudio.* Qui priore capti ſunt, cum mortuis comparantur. Ad hos ſpectat Pauli exhortatio *Epheſ.* V. 14. *Surge, qui dormis, & exſurge a mortuis, & il-*

& illuminabit te Chriſtus. Hic ſomnus abſolutam incredulitatem & ſcelera ac flagitia infert. Qui in poſteriore ſomni genere verſantur, nutant quaſi oculis, nec eam ſemper in fidei exercitio,pietatiſque ſtudio adhibent induſtriam, quæ ab illis requiritur,qui ex priſtino ſopore jam excitati in bonum incumbere neceſſe habent. Ab hujuſmodi oſcitantia Apoſtolus cavere ſibi jubet Hebræos epiſt.XII. 12. Διὸ τὰς παρειμένας χεῖρας καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε; ubi eos inſtar dormientium & nutantium repræſentare videtur, in quibus ſcilicet manus remiſſæ, & genua laxata conſpiciantur. Atque huc ſpectat Apoſtoli excitatio Romanis hic inculcata. Ita locum hunc acceperunt *Chryſoſtomus* homil. XXIV. & *Theophyl.* p. 131. Ille ait: δεῖ λοιπὸν ἡμᾶς ἀπαλλαγῆναι τῆς ῥαθυμίας, *Oportet, ut inpoſterum pigritia liberemur.* Hic vero: Δεῖ ἡμᾶς ἐκ τοῦ ὕπνου τῆς ῥαθυμίας ἐγερθῆναι. καὶ εἶναι ἑτοίμους πρὸς τὰ τῆς ἀναστάσεως ἄξια ἔργα. Conſtat præterea Viro docto, verba, actionem inferentia, quandoque de continuatione accipi debere. Vide Glaſſii Grammat.Sacram Tract.III.Can. IV. Huc inprimis ſpectat τὸ ἀνανεοῦσθε, ἀνακαινοῦσθε, quod incrementum novi hominis quotidie capiendum ſignificat.In hanc ſententiam *Limborchius* ad h.l. rectiſſime: *Subito vetus illa,* ait, *in peccatis vivendi conſuetudo non penitus extinguitur; ſed per gradus magis magiſque ſuperatur: & niſi continuo omnem operam impendat homo, facile in priorem peccati ſomnum relabitur. Omnem itaque ab illis ſocordiam & ſecuritatem abeſſe vult, ut illum ſpiritualem ſomnum, e quo jam reſurgere cœperant, penitus excutiant, atque peccati reliquiis expurgatis, in luce ſpirituali ambulent, atque ita penitus ſe e ſomno evigilaſſe demonſtrent.* Credine vero poteſt, inter ipſos illos Romanos non fuiſſe, qui, frequentibus aliorum offendiculis irretiti, prope abfuerint a priſtino ſopore, imo, vocationis ſuæ obliti, in eo hæſerint? Nullum puto tunc temporis Chriſtianorum in diverſis locis cœtum fuiſſe ab hujuſmodi membris immunem. Quæ enim alioquin cauſa fuiſſet, cur Apoſtoli in ſingulis ſuis epiſtolis non ſolum fidei, ſed & pietatis ſtudium tantopere urſiſſent, & a peccatis graviter avocaſſent. Huc ſpectant ſeriæ admonitiones 1. *Theſſal.* V. 6.7. & hic v. 13. Nec deſunt graves increpationes v. c. 2. *Theſſal.* III. 11. Ἀκούομεν γάρ τινας περιπατοῦντας ἐν ὑμῖν ἀτάκτως, μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους, & inprimis 1. *Cor.* VI. 7. 11. Hujus quidem loci poſtrema verba, mutata interpunctione, novo ſenſu induere conatur, quod quam feliciter factum ſit, ibidem diſquiremus. Itaque hactenus nihil cauſæ video, cur hanc Pauli excitationem adverſus Romanos de dehortatione a ſomnolentia in ſtudio virtutis & avocatione a peccatis, quibus nonnulli ſaltem irretiti erant, non accipiamus. At excipit Vir doctus p. 541. *Apoſtolum toto hoc capite de officiis erga principes ceteroſque Magiſtratus egiſſe, quibus nihil deberi, ſed perſolvi potius omnia, juſſerit.* Jam vero ſe non intelligere, qualis *ſomnus* ille fuerit, qui officiis erga principes obſtiterit. De ſomno in peccatis accipi certe non poſſe, cum prava hominum indoles ſeſe magis in peccatis contra priorem Decalogi tabulam exſerat, & obedientia erga Magiſtratus & civilis probitas ſic ſatis etiam

etiam inter Ethnicos, & cumprimis Romæ, obſervaretur. At non erat, cur Vir doctus illam a *ſomno* dehortationem ad præceptum de officiis Magiſtratui præſtandis tantum referret. Paulus enim, relicto illo præcepto, inde a v. 8. amoris exercitium generatim urſerat, tanquam implementum totius legis, quemadmodum & v. 13. ad honeſtam vivendi rationem cohortatur. Jam in promtu cauſa eſt, cur ex ſomno Romanos excitari voluerit Apoſtolus. Quid enim intento amoris exercitio magis obeſt, quam ſomnus in peccatis, & oſcitantia in bono? Ponamus autem, excitationem illam ad præceptum de obedientia Magiſtratui præſtanda vel tantum, vel potiſſimum relatam eſſe, vel ſic apparebit ratio, cur illam hic ingeſſerit Paulus. Non enim puto me falli, ſi dixero, inter præcepta ad tabulam ſecundam ſpectantia illud, quod ad Magiſtratus reverenter excipiendos pertinet, Chriſtianis difficile inprimis fuiſſe. Duriſſime enim habebantur a gentilibus, nihilominus, moleſtiis & vexationibus omnibus patienter exantlatis, cultum illis, ſtudium opesque ſuas exhibere jubebantur. Hic certe opus erat vigilantia & aſſidua recordatione vocationis divinæ, quam acceperant. Atque hanc puto cauſam fuiſſe, cur inter reliqua ſpecialia præcepta cap. XII. inculcata, hoc inprimis urſerit Apoſtolus, & argumentis muniverit. Ceterum Chriſtianos naſcentis Eccleſiæ dicto audientes, & in Magiſtratus minime rebelles fuiſſe, ex antiquis monimentis oſtendit Celeb. *J. A. Fabricius* in Luce Evangelii ſalutari toti orbi exoriente p. 204. & 313.

Νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία, ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν) Subaudiendum hic videtur πρῶτον, ut plene dicatur: ἢ ὅτε τὸ πρῶτον ἐπιστεύσαμεν, *quam cum primum crederemus*, h. e. quam olim initio noſtræ in Chriſtum fidei. Ita ſcilicet admonentur Chriſtiani, ut hoc magis curſum vitæ ſanctioris urgeant, quo propius abſint a ſalute æterna, vitæ inculpatæ præmio. Sic σωτηρία de ſalute æterna, πιστεύειν vero de initio fidei acciperetur. Hæc monuit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis pag. 215. & Polybianis pag. 445. eademque illuſtravit ſimili, in re quamvis diſſimili, *Xenophontis* loco ex Cyropæd. lib. VIII. p. 175. ὁ Κῦρος τὸν Γωβρύαν ἐπήρετο, εἰπέ μοι, ἔφη, ὦ Γωβρύα, νῦν ἂν δοκοίης ἥδιον τῶν δὲ τῷ τὴν θυγατέρα δοῦναι, ἢ ὅτε τὸ πρῶτον ἡμῖν συνεγένου; Sic B. *Lutherus* Actor. XIX. 20. vocem πιστεύσαντες reddidit; **da ihr gläubig worden ſeyd**: ubi de primo recepti Chriſtianiſmi tempore ſermonem eſſe contextus evincit. Eadem loci noſtri expoſitio ſe probavit *Bezæ, Grotio, Heinſio*, ex noſtratibus autem *Glaſſio* (cujus vide Exegeſin textuum Evangelic. & Epiſtolic. Parte I. p. 31. *Flacio* & *Calovio*. Sic non neceſſe eſt, cum *Eraſmo Schmidio* τὸ ὅτε ſcribere per ὅτι ut ſenſus ſit: *quam unquam credidimus*. Cl. *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis parte I. pag. 5. ita ſenſum mavult exprimere: *Salus noſtra*, h. e. *ſtatus gratiæ nobis applicatus jam nobis proprior eſt poſt converſionem, quam cum ante converſionem nobis imaginaremur falſo.* Sed non videtur dici poſſe, ſtatum gratiæ Romanis ceterisque ante converſionem *propinquum* fuiſſe, nunc autem poſt converſionem *propinquiorem*. Ante converſionem enim ab eo remotiſſimi erant, & hoc magis remoti, quo magis in eo ſe jam eſſe ſomniabant. Poſt con-

converſionem autem ſtatum illum non tantum propiorem ſibi habebant, ſed jam in eo pleniſſime erant conſtituti. Præterea vox πιςέυειν ſimpliciter, & ſine addita determinatione poſita, nunquam in ſacris literis pro vana perſuaſione ponitur. Quem Vir doctus locum ex 2. Theſſal. II. 11. affert, is huc non pertinet. Ibi enim quidam dicuntur πιςεῦσαι τῷ ψέυδει. Atque illi ipſi pro judicio ſuo non vana, ſed certiſſima perſuaſione errorem pro veritate amplectebantur. Pleriſque omnia clara, nec exceptione obvia videntur, ſi σωτηρίαν de *ſalute æterna* accipiant, etiamſi diſerte hic αἰώνιος non vocetur. Idem enim alias uſu venit, ut σωτηρία ſimpliciter appellata beatiorem illam vitam denotet. Vide *Actor.* IV. 12. *Rom.* I. 16. &c. Dubiis Viri docti, contra hæc motis, occurri poteſt, ſi dicatur, initium fidei, ſeu recepti Chriſtianiſmi, hic nullo modo culpari, ſed tantum innui, credentes ſub initium profeſſionis Chriſtianiſmi a ſcopo fidei, h. e. ſalute æterna, remotiores fuiſſe, ratione ſcilicet fruitionis, quam nunc ſint, cum ad eam percipiendam non minus, quam ad hujus vitæ finem propius acceſſerint.

In omnia alia abit *Henr. Hammondus*, quando ad h. l. ex Latina Clerici verſione ita commentatur: *Significatur liberatio Judæorum credentium vel Chriſtianorum a perſecutionibus, quæ illis, ut & Chriſto contigerunt, Chriſtianiſmi prima ætate, atque ex quibus liberati fuerunt; partim magna illa ultione, quam Chriſtus ſumſit de crucifixoribus ſuis, diſcipulorumque ſuorum vexatoribus: vide* Luc. XXI. 28. *partim diſceſſu ſuo e Judæa, antequam deleretur Hieroſolyma; partim etiam halcyoniis diebus, quibus Chriſtiani ſub Veſpaſiano poſt hæc tempora fruiti ſunt.* Σωτηρίαν itaque hanc accipit de *liberatione* quadam *externa* a priſtinis calamitatibus, tum temporis imminente, atque adeo de liberiore fidei doctrinæque exercitio. Non commemoraſſem hæc, niſi vidiſſem, eandem ſententiam ſe nuper probaſſe *Wilh. Wall* in Notis Criticis ſuper V. T. pag. 246. Is enim putat, in hoc loco validiſſimum exſtare præſidium hypotheſeos Hammondianæ, quæ id vult, quod per *ſalutem* & *diem* ab Apoſtolis frequenter non ſalus illa æterna, κατ' ἐξοχὴν ſic dicta, aut dies extremi judicii, cum ſalvatione omnimoda conjunctus, ſed externa quædam & ſæcularis liberatio intelligatur. Hanc enim Chriſtianis recens converſis non ita propinquam fuiſſe, ut ſingulari ad virtutis ſtudium incitamento eſſe potuerit, cum viciſſim altera illa liberatio, cum excidio Romano conjuncta, decem tantum aut duodecim annis ab hoc, quo Paulus ſcribebat, tempore abſuerit. Non afferam hic, quæ alii illi hypotheſi Hammondianæ pridem oppoſuerunt. Id unum monebo, nullum exſtare in ſacris literis exemplum, quod vel Chriſtus, vel Apoſtoli ſuos ad fidei pietatiſque ſtudium, aut patientem præſentium calamitatum tolerationem, excitaverint promiſſione, de imminuendis in hoc ſæculo calamitatibus illis, aut halcyoniis exſpectandis facta. Ad futuram potius in altero ſæculo beatitatem oculos attoli volunt. Vide *Matth.* V. 10-12. & *Rom.* VIII. 8. Hammondus quidem talem promiſſionem in verbis Chriſti *Luc.* XXI. 28. videre ſibi viſus eſt. At illa judicium extremum, & cum illo conjunctam fide-

fidelium *ἀπολύτρωσιν* reſpicere, ex iis, puto, conſtabit, quæ ad locum parallelum Matth. XXIV. Volumine primo commentati ſumus. Nec exiſtimandum eſt, quod *W. Wall* urget, nihil in argumento Paulino ad excitandum veri probatique Chriſtianiſmi ſtudiū ponderis eſſe, ſi ad tempus adeo remotum reſpexiſſe hic cenſeatur. Neque enim reſpexit huc Paulus ad diem illum *παντοκριτικὸν*, ſed ad ſalutem cujusvis, ad quam, depoſita per mortem corporis ſarcina, perventurus erat, ſi in fide ejusque exercitio ſtrenuum ſe præſtaret. Hæc vero mors procul dubio plurimis eorum propior erat, quam ipſum excidium Hieroſolymitanum. Cl. *Oederus* p. 563. *Abſona eſſe*, ait, *quæ hic Hammondus de excidio Hieroſolymitano* dicat, *cum non intelligi poſſit, quid emolumenti per diem ultionis, ſeu excidii ejus urbis Chriſtianis, Romæ habitantibus, acceſſerit, ut propterea funeſtus ille dies σωτηρία dici queat.* Ego vero videor mihi intelligere, quo ſenſu hæc ſcripſerit & accipi voluerit *Hammondus*. Negari ſane non poteſt, per excidium Hieroſolymitanum, & cum eo conjunctum Judæorum exilium calamitoſiſſimum Judæis criſtas admodum dejectas fuiſſe, cum inpoſterum ſuæ potius ſaluti ſtudere, quam Chriſtianis vexandis incumbere neceſſe habuerint. Hoc ipſo vero Chriſtianorum rebus ſimul melius erat conſultum, cum iis, qui alibi locorum, tum, qui Romæ degebant. Nam & Romæ adhuc Judæi erant, qui infenſos ſe præſtabant illis, quos ad Chriſti doctrinam acceſſiſſe videbant. Quis vero dubitaverit & illos Judæos communis gentis ſuæ calamitatis participes redditos fuiſſe, vel ſaltem immani ſuo odio ejusque in Chriſtianos documentis temperaſſe? Taceo, multos eorum hac ipſa calamitate, tanquam a Chriſto prænunciata, adductos procul dubio fuiſſe, ut vel Chriſti doctrinam amplecterentur, vel mitius de Chriſtianis ſentire inciperent. Niſi igitur alia obſtarent, in Hammondi partes ire vix dubitarem.

Imo ipſe Cl. *Oederus* veſtigiis Hammondianis ex parte ſaltem inſiſtit. Hoc fine pag. 545. præſtruit, & confutata B. *Sandhagenii*, *τᾶ βιβλικωτάτα*, in annum Neronis VI. vel VII. ſcriptionem epiſtolæ hujus referentis, ſententia, confirmare, poſt *Ludov. Capellum* in appendice ad Hiſtor. Apoſtol. Tom. VII. Criticorum Anglican. conatur, epiſtolam hanc vel ſub finem imperii *Claudii*, i. e. anno ejus XIV. vel certe, non ita pridem exorſo imperium Nerone, ſcriptam eſſe. Jam ex *Svetonio* cap. XXV. in vita Claudii conſtat, Imperatorem hunc *Judæos, impulſore Chreſto tumultuantes, Roma expuliſſe*, quo reſpicit Actuum locus XVIII. 2. Id, edicto promulgato, anno Claudii X. adeoque quadriennio ante ſcriptam ad Romanos epiſtolam factum eſſe vir doctus contendit pag. 558. Ex his denique ibidem conficit, Apoſtolum hoc v. 11. Romanos monere calamitatis, Claudii illo edicto eccleſiæ Romanæ inflictæ. Hanc comparare ſomno tenebriſque, uſitato tropo, v. *Pſalm.* LXXVI. 7. *Judic.* IV. 21. Senſum itaque totius commatis hunc eſſe: *Multo magis danda eſt opera, ut fidem & obſequia præſtemus Magiſtratibus, quod cum eccleſia veſtra ante paucos annos duro edicto penitus videretur oppreſſa, certe diſſipata, nunc nova lux oriatur, nova tranquillitas, novum ad bene ſperandum ſignum, nova de-*

 nique

nique languentium animorum refectio. Atque hoc revera ita accidiſſe, vel inde putat patere, quod Aquila & Priſcilla, non ita pridem Apoſtoli ſodales, itinerumque comites jam rurſus Romæ ſint, ſalutati ab Apoſtolo *Rom.* XVI. 3. Nuntiari itaque p. 561. exiſtimat Eccleſiæ Romanæ ſaltem ad annum uſque nonum Neronis duratura halcyonia, per quod tempus eccleſia miris modis aucta & corroborata ſit, ut fluctibus, a tyranno Nerone deinceps concitatis, concuſſa quidem at minime oppreſſa ſit, totque invictos Chriſti confeſſores ſiſtere ad ſtuporem orbis terrarum potuerit. *Hanc*, ita pergit, ſalutem, *hanc* tranquillitatem, *ait Apoſtolus proximam eſſe: nam ſub idem ſcriptæ epiſtolæ tempus conquieviſſe procellæ perſecutionis a Claudio cœptæ, nondum quidem cruentæ, per ſe tamen ſatis graves & moleſtæ, videntur.* In eandem ſententiam phraſin ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν noviter ita interpretatur, ac ſi ſcriptum eſſet ἢ ὅ, τε ἐπιστεύσαμεν. Hoc modo vel ſcribi vult, vel ſaltem ita intelligi, ut ſenſus ſit, *quam credidimus*, i. e. nobis perſuaſimus. Duriuſculum enim ipſi videtur, τὸ πιστεῦσαι accipi pro, *fidem Chriſtianam amplecti.* Hæc eſt novæ illius interpretationis *Oederianæ* ſumma, hæc ſunt præſidia. Inter illa eminent rationes quædam temporum, quæ tum ad ſcriptionem epiſtolæ ad Romanos, tum ad edictum Claudii ſpectant. In illarum examen jam non ingrediar, cum certiſſime mihi vel ex illis, quæ a viris doctis & ipſo Cl. *Oedero* contra Sandhagenium diſputata ſunt, conſtet, argumentum hoc nunquam ita definiri poſſe, ut hypotheſi huic tuto inniti liceat. Propterea nec inquiram in ea, quæ Oederus in *Curas* meas ad Actor. XVIII. 2. h. l. animadvertit. *Chreſtum* Suetonii non de Chriſto, Domino noſtro, ſed de Judæo quodam vel Gentili homine, tumultuum inter Romanos auctore, expulſionem vero hinc conſecutam, de Judæis potiſſimum, non vero Chriſtianis, niſi in quantum cum Judæis confunderentur, accipiendam eſſe affirmavi. Quas in contrariam ſententiam vir doctus rationes affert, eas, ſi Deus dederit, in Supplementis ad Volumen I. quæ fere in mundo habeo, aliquando expendam. Jam quidem liberalior ero, & ponam, Paulum epiſtolam ſuam ſcripſiſſe, & Claudium Imperatorem edictum ſuum contra Chriſtianos promulgaſſe eo omnino tempore, quod ille ſibi adſecutus eſſe videtur. Unde vero conſtat Viro docto, edictum hoc Claudii poſtea obrogatum fuiſſe? Nihil certe vel ex Scriptoribus Sacris, vel ex externis attulit, quod illud nobis perſuadeat. Conjectura quidem aliqua in hanc rem utitur, ex eo ducta, *quod Aquila & Priſcilla, non ita pridem Apoſtoli ſodales itinerumque comites jam rurſus Romæ ſint, ſalutati ab Apoſtolo Rom.* XVI. 3. Quis vero Virum doctum docuit, Aquilam & Priſcillam ideo Romam reverſos eſſe, quod priſtinum illud edictum audirent eſſe antiquatum? Nonne, etiamſi adhuc ratum eſſet, divino zelo correpti, eo proficiſci poterant, ut fratres ibi adhuc commorantes, vel latentes etiam, excitarent? Non negaverim, quod idem ad conjecturas ſuas ornandas affert, *providentiam divinam*, tum *inconſtantiam Claudii*, tum vero *innocentiam Chriſtianorum*, & *intemeratum, quod Imperatori præſtabant, obſequium* abrogandæ legi latæ occaſionem præbere potuiſſe. At

revera

revera *præbuiſſe*, nondum video oſtenſum. Interim largiar iterum, etiam in hoc eum non falli. Ne ſic quidem effecerit, quod inprimis quærebat, nempe Apoſtolum σωτηρίαν hic commemoratam, ad illam, quam hinc ortam eſſe & usque ad annum Neronis nonum duraſſe putat *tranquillitatem* Eccleſiæ reſpexiſſe. Conſtat omnino, edictum illud Claudii ad Judæos potiſſimum ſpectaſſe, *Act.* XVIII. 2. Ferire in tantum potuit homines etiam Chriſtianos, in quantum cum Judæis confundi ſolebant. At nonne etiam fieri poterat, ut Chriſtiani ſe ab illis diſtinguerent, & diſtinctos eſſe demonſtrarent, cum amplo fructu, inprimis cum mitior *Tiberii* de Chriſti & Chriſtianis ſententia in paganorum animis adhuc recens eſſet? Vel nulla igitur, vel levis admodum erat calamitas, quæ a Claudii imperio in Chriſtianos redundabat. Ex quo etiam factum eſt, ut nec veteres, nec recentiores, quos ſciam, Claudium inter perſecutores nominis Chriſtiani numerarint. Neronem *dedicatorem damnationis* Chriſtianorum *Tertullianus* appellat, quo Chriſtiani gloriati ſint, quia non niſi grande bonum ab eo damnari potuerit. Ex recentioribus B. *Ittigius* in Selectis Capitibus Sæculi I. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. VI. p. 325. recte affirmat, *levia fuiſſe, quæ ſub Claudio paſſi ſint Chriſtiani, ſi cum perſecutione Neronis conferantur.* Tantane igitur erat hæc *tranquillitas*, quam in abrogato Claudii edicto quærit vir doctus! tantane, quæ exiguam, & ad Chriſtianos directe non pertinentem, calamitatem conſequebantur? tantane, qua ad recreandos & excitandos Chriſtianorum, Romæ degentium, animos uti Paulus vel potuiſſet, vel voluiſſet? tantane, quæ interjectis novem, quos computat Vir doctus, annis cum incredibili Neronis ſævitia permutanda erat? Imo, quantacunque hæc fuerit tranquillitas, talis certe non erat, qua uti potuiſſet Apoſtolus ad ſcopum, in quem oculos intentos habebat, obtinendum. Is enim in eo poſitus erat, ut Chriſtianos ad vitandam vitæ morumque licentiam, & viciſſim ad ſobriam temperatamque vivendi rationem ſectandam cohortaretur. Vide v. 12. 13. 14. Ad utrumque horum ubi divini Scriptores impellunt, ſublimiora adhibent argumenta, quam quæ præſentis vitæ commodis & externa pace ac tranquillitate continentur.

Viri docti interpretatio cum phraſi Paulina ſtare non poteſt. *Somnum* is intelligi vult de *calamitate* Romanæ Eccleſiæ hactenus inflicta. Eam notionem adſtruere conatur ex *Pſalmo* LXXVI. 7. & *Judic.* IV. 21. Qui vero loca inſpexerit, intelliget, ibi ſermonem eſſe de *morte* ipſa, & ejuſmodi *ſomno*, ex quo ſurgere non datur. Non nego, quod urget ex *Glaſſio*, *tenebras & caliginem quævis mala, infelicitatem, incommoda, calamitates & exinde ortam mæſtitiam* in ſacris literis *ſignificare.* At Paulus non commemorat hic *tenebras*, ſed *ſomnum*, qua voce idem, ubi in ſimili argumento verſatur, eo utitur ſenſu, qui ſupra eſt expoſitus. Cur igitur deſeramus, quod in promtu eſt, & captemus ea, quæ inveniri non poſſunt?

Denique vir doctus nova ſua interpretatione adduci ſe paſſus eſt, ut vim faceret phraſi alteri: ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν. Oſtendi mihi vel unum locum velim,

velim, in quo τὸ ὅ, τε (ſic enim ſcribi vel ſaltem intelligi hanc voculam vult) pro *quod* adhibitum ſit. Novi quidem, *Henr. Stephanum* in Theſauro Græcæ Linguæ Tom. II. p. 1502. τὸ ὅς τε addita particula τε ex *Homero* & aliis afferre. At idem ſapienter monet poëticum eſſe. Id vero in Scriptores Sacros proſaicos temere inferetur. Si id, quod cupit vir doctus, voluiſſet S. Paulus ſcripturus erat ὅ. Sed nec hoc ſcribere poterat. Quomodo enim id reſpondere poteſt voci ἐγγύτερον, *propius*? Hæc enim requirit temporis remotioris deſignationem, quæ certe in vocula ὅ, τε, vel *quod*, non latet. Quod ſi Paulus *perſuaſionem* quandam ſimpliciter innuere voluiſſet, ex linguæ Græcæ rationibus ſcripturus erat: νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία, ἡ ἐπιστεύσαμεν. Prudentius itaque, quamvis temere, egiſſet vir doctus, ſi τῇ ὑποθέσει δουλεύσων, voculam integram penitus expunxiſſet, quam quod eam vel ſcribendo vel interpretando ita immutavit, ut ſenſu omni deſtituatur. Vereor itaque vehementer, vel, ut rectius loquar, certiſſime mihi perſuaſum habeo, eum tenebras offudiſſe loco non obſcuro, quem illuſtrare ſibi videbatur.

Mihi quidem, ut rem tandem conficiam, illi expeditiſſime hic verſari videntur, qui σωτηρίαν de *ſalute gratiæ* accipiunt, ad quam propius nunc acceſſerint Chriſtiani, poſtquam in illa pridem agnita & fide apprehenſa majora indies incrementa ceperint, atque hinc tanto magis redditi idonei ad vires fidei, tum conſtantia, tum bonorum operum ſtudio, comprobandas. Verbum πιστεύειν de primo ad doctrinam ſalutarem acceſſu adhiberi nemo negaverit, qui legerit ſequentia Pauli verba *Epheſ.* I. 13. Ἐν ᾧ (Χριστῷ) καὶ ὑμεῖς, ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν, ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ. Vbi B. *Lutherus* τὸ πιστεύσαντες feliciter reddidit: da ihr gläubetet; *cum crederetis*.

Verſ. 12. Ἡ νὺξ προέκοψεν) Verbum προκόπτειν a Græcis ſæpiſſime de profectu in virtutis ſtudio ſimpliciter adhibetur, quam in rem vide, quæ ſcripſimus ad *Luc.* II. 52. Interim verbum in ſe eſt ἀδιάφορον, & metaphorice de malis æque ac bonis rebus uſurpatur. Sic 2. *Tim.* II. 16. ἐπὶ πλεῖον προκόψουσιν ἀδικίας. Conf. Cl. *Jo. Jenſii* Ferculum Literarium p. 41. & B. *Chriſtoph. Cellarii* Diſſert. Acad. p. 407. Vterque eorum τὸ προκόπτειν h.l. idem eſſe recte judicant, quod Latine dixeris: *nox proceſſit*, aut *promovit*, aut *vergit in diem*; quod ipſum inſequens verbum ἤγγικεν confirmat: *appropinquavit dies*; non vero jam exortus eſt. Ita vero per noctem non *vita vitioſa*, quam multi Interpretes hic volunt, ſed *vita præſens* externa, quæ in mundo degitur, per *diem* vero appropinquantem vita futura, ſeu, ut *Cellarius* ait, dies magnus τῆς ἐπιφανείας τοῦ Χριστοῦ intelligetur. *Polybius* p. 312. & 741. idem effert per προβαίνειν, ut obſervavit *Raphelius* l. c. qui in eadem eſt ſententia, in qua *Cellarium* fuiſſe modo diximus, præeuntibus, quos appellat, *Chryſoſtomo* & *Theophylacto*, quorum loca habes, apud *Svicerum* in Theſauro Tomo II. pag. 435. *Homerus* dicit παρῳχεῖν Iliad. κ΄. v. 251. *Ælianus* Var. Hiſt. XI. 29. προήκειν, *Joſephus* denique Bell. Jud. IV. 17. προκόπτειν, quorum loca lege apud Cl. *Jo.*

Alber-

Alberti p. 329. Alii aliter vertunt, ut ſcilicet nox *præteriiſſe* dicatur. Ita *Caſtalio*: diſceſſit. Hieronymus *præteriit*. Vulg. *præceſſit*. Forte pro *proceſſit*. Conf. *Jo. Vorſtii* Diſſertatt. Sacras lib. III. p. 154. Ex Patribus *Cyrillus Alexandrinus* lib. III. de Adoratione p. 84. & *Theodoretus* ad h. l. *τὴν νύκτα* de temporibus ante Meſſiæ adventum, *ἡμέραν* vero de iis, quæ illum exceperunt, accipiunt. Vide *Svicerum* in Theſauro T. I. p. 1332. & Tom. II. p. 435.

ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους) *deponamus igitur opera tenebrarum*. Ita *Polybius* p. 182. dixit *ἀποθέσθαι τὰς τυραννίδας*, & p. 183. *ἀπετίθετο τὴν τυραννίδα*. Similia & alii Auctores, ſpeciatim de veſtimentis, quæ deponuntur. Lege loca ejusmodi apud *Raphelium* in Annotatt. Polybian. p. 445. & *Jo. Alberti* l. c. qui poſterior *Pareum* ac *Paſorem* notat, quorum uterque per *trudamus a nobis* convertit. Sed ſic legendum eſſet *ἀπωθώμεθα* ex *ἀπωθέομαι*. Noſtrum vero eſt ex *ἀποτίθημι*, quo in eodem ſenſu utitur Paulus *Hebr.* XII. 1. *ὄγκον ἀποθέμενος*. De *ἔργοις τοῦ σκότους*, & ſimilibus huic phraſibus, Patrum loca attulit *Svicerus* in Theſauro Tom. I. p. 1209.

ἐνδυσώμεθα τὰ ὅπλα τοῦ φωτός) Similiter *Polycarpus* in epiſtola ſua; *ὁπλισώμεθα τὰ ὅπλα δικαιοσύνης*. Ad quem locum *Steph. le Moyne* in notis ad Varia Sacra p. 352. recte obſervat, phraſin hanc ab Hebræis petitam eſſe, qui arma, inſtrumenta, vaſa, *σκεύη* vocant כלי, ut *Jerem.* XXI. 4. & *Ezech.* XXXII. 27. Atque hic ipſe mentem Apoſtoli p. 353. ita amplius illuſtrat: *Scribit ad Romanos Apoſtolus, Martis & Bellonæ pullos, & qui ad arma tractanda inter omnes omnino populos videbantur præcipue facti & compoſiti. Non ergo apud illos improbat uſum armorum. Sed non vult illorum arma eſſe injuſta, violenta, tyrannica, σαρκικὰ, ſed arma lucis & juſtitiæ: arma lucis, charitatis & benignitatis, opera manſuetudinis & benevolentiæ, quibus vicinos & proximos juvarent, & recrearent.* Idem vero p. 354. ſuſpicatur, Paulum reſpicere ad turpiſſima ſacra Lupercaliorum, qui noctu nudi, armis inſtructi, per urbem diſcurſitabant, omnique remota verecundia, quoscunque ſibi obvios vexabant; vel, quod idem p. 362. affert, ad ſacra & feſtum Saliorum, qui in memoriam ſcuti & Ancilis cælo delapſi, tempore Numæ Pompilii, quod Romanorum imperio æternitatem & cœli protectionem ac tutelam polliceri videbatur, ſingulis annis feſtum & ſacrum armati celebrabant, choreas armatas agitabant, & clypeos ſeu peltas cum enſibus gladiisque geſtabant. Conf. Rev. *Deylingii* Obſervatt. Sacras Part. III. p. 328. ſq. & *Amelii* Partem II. **der Erörterung** p. 828. ſq. Quæ quidem ut erudite obſervata judico, ita S. Apoſtolum tam late oculos circumtuliſſe non exiſtimo. Quæ B. *Feſſelius* de hac phraſi cogitarit, legantur in Adverſariis ejus Sacris Tom. II. p. 145. quæ vero Patres de verbo *ἐνδύσασθαι* tradiderint, diſces ex *Svicero* Tomo I. p. 1113. qui & *ὅπλα φωτὸς* ex eorundem ſcriptis illuſtrat Tom. II. p. 496. & p. 1485.

Verſ. 13. *Ὡς ἐν ἡμέρᾳ*) Hæc non eo accipienda ſunt, quaſi Paulus illum diem jam abeſſe dicat. Nam vel *ὡς* hic eſt nota ſimilitudinis, vel, quod verius videtur, *ἡμέρα* hoc verſu metaphorice, proxime ſuperiori autem proprie accipitur;

pitur; quemadmodum in ſimili exhortationis argumento fit 1. *Theſſ.* V. ubi in exponenda cauſa exhortationis ἡμέρα proprie uſurpatur, v. 2. & 4. in ipſa vero exhortatione metaphorice v. 5. & 7. Ita Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 445.

μὴ κώμοις) Vocem κῶμος ex priſcis Scriptoribus diligenter illuſtravit *Julius Cæſar Scaliger* de Re Poëtica lib. I. c. 5. quem conſuli inprimis jubet B. *Dannhauerus* in Collegio Decalogico p. 815. Ex recentioribus pertinet huc *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 117. ſq. ubi oſtendit, τὺς κωμάζοντας eos dictos fuiſſe, qui noctu ebrii, coronis redimiti, cum facibus, armis, muſicisque inſtrumentis ad amicarum fores ſaltandi cantandique gratia concurrerint, & procaciter laſcivierint, adeo ut fores nonnunquam effringerent, inque ædes irrumperent. Hinc *Heſychius* κῶμον exponit τὰ ἀσελγῆ καὶ πορνικὰ ἄσματα, *Tertullianus* vero *laſciviarum eruptionem* appellat. Hæc ſuis obſervatis auget diſcipulus ejus genuinus Cl. *Jo. Alberti* in Obſſ. Sacris p. 330. & Cl. *Jac. Elſnerus* p. 60. Adde ex noſtratibus *Chriſtoph. Heinric. Ritmeierum* in Apoſpasmate Philologematum Sacrorum ex epiſtolis Paulinis, *Amelium* Parte I. p. 733. ſq. *Wolfburgium* Obſſ. Sacr. p. 362. & *Sagittarium* de Januis veterum c. 30. Ante vero hos omnes in vocis notione perquirenda diligens fuit *Iſaacus Caſaubonus* de Poëſi Satyr. lib. I. cap. 4. p. 114. edit. a Crenio curatæ. Summatim is docet, κῶμον eſſe convivantium & foras e triclinio prodeuntium laſciviam. Prodiiſſe autem hos homines veſte convivali indutos, corollasque capiti impoſitas & collo appenſas geſtantes, pueris præcedentibus, qui funalia geſtarent. Hinc idem vocem κῶμος derivat ad Hebr. קום, *ſurgere*, ut proprie ſit ἀνάςασις ἀπὸ δείπνυ. Ego quidem cum *Lamb. Boſio* & *Jo. Alberti* ll. cc. a κώμη i. e. *vico*, præeunte *Polluce* Onomaſtic. IX. 5. & *Feſto* rectiſſime derivari exiſtimem, vel, quod veteres, in uno pago cohabitantes, alii alios convictus gratia invitare, vel in pagis genio inprimis indulgere conſueverint. Lege plura apud Interpretes Diogenis Laertii II. 128. & *Ezech. Spanhemium* in notis ad *Ariſtophanis* Plutum v. 1041. qui oſtendit, κῶμον etiam in genere de quavis comeſſatione ſive ſolemni convivio adhiberi. Atque hoc ſenſu ſpeciatim a Paulo hic uſurpari mihi perſuadeo ex addita voce μέθαι, quibus in conviviis ejusmodi inprimis indulgere ſolebant. Vtramque hanc vocem propterea iterum conjunxit Paulus *Galat.* V. 21. & *Petrus* 1. ep. IV. 3. nec minus *Xenophon* Cyropæd. lib. VII. p. 151. ait; ἐν ᾗ (ἑορτῇ) πάντες Βαβυλώνιοι ὅλην τὴν νύκτα πίνυσι καὶ κωμάζυσι. Ita *Suidas* κῶμος, ἡ μέθη, καὶ ὁ ὀρχηθμός. Patrum de κώμοις ſententias lege apud *Svicerum* Tomo II. p. 203.

καὶ μέθαις) de largioribus gentium poculis, tum alias, tum in ſacris epulis, lege obſervata *Amelii* Parte I. p. 742. ſq. qui & reliquas hujus commatis voces illuſtrat, & evincere conatur, Paulum hic inprimis impuros gentilium mores, quos in feſtis ſolemnitatibus conſectati ſunt, notare, atque hoc ipſo docere Chriſtianos, longe aliter comparatum eſſe debere cultum, quem Deo in Chriſto debeant. *Jo. Henr. Majus*, Vir eruditiſſimus, in Obſervatt. Sacris lib. III.

III. p. 130. ſqq. ad cultum, Deo Gentilium Κώμῳ impura ratione præſtitum, alludi, illique Chriſtum, Dominum noſtrum, ejusque cultum opponi exiſtimat.

Μὴ κοίταις) De his lege Cl. *Elsnerum* p. 62. Significat concubitum, qui alias εὐνὴ dicitur.

Καὶ ἀσελγείαις) Vocem hanc exponunt *Bochartus* Geograph. Sacr. I. 6. p. 364. *Jo. Alberti* Obſſ. Sacr. p. 332. *Witſius* in Meletematibus Leidenſ. p. 465. & *Arnaldus* in Defenſione verſionis Gall. Montenſis p. 211. ſq. In Gloſſis vertitur *laſcivia*; *Heſychio* vero & *Suidæ* eſt πορνεία. Multi ἀσελγεῖς dictos putant ab α privativo & Σέλγη, Pamphyliæ urbe, cujus incolæ ut virtutis ſtudioſi celebrabantur. Vide *Albertum* l. c.

Quæ hoc commate vitia prohibentur, ea fere ſingula complexus eſt Pythagoras in Aureis Carminibus v. 9. ſqq. Hoc dicto Paulino ad frugem ſe converſum eſſe *Auguſtinus* teſtatur VIII. 2. Confeſſion.

Verſ. 14. Ἀλλ' ἐνδύσασθε Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν) De hac phraſi dicemus plura ad *Gal.* III. 27. Lege interim B. *Seb. Schmidium* de Imagine Dei pag. 249. *Salom. Deylingii* Obſſ. Sacr. Part III. Obſ. XLII. *Amelium* Parte I. p. 893. ſq. Svicerum in Theſauro Eccleſ. vocibus ἐνδύομαι & ἱμάτιον, *Steph. le Moyne* ad Jerem. XXIII. 6. p. 217. & *Jo. d'Outrein* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 360. ſq. Singularis eſt Cl. Maji l. c. p. 134. edit. prioris & p. 139. edit. repetitæ ſententia, ad Deum Comum hic alludi exiſtimantis. Cum enim in honorem ejus uterque ſexus veſtes miſcuerit, eo reſpexiſſe Paulum ſuſpicatur, tanqaum jubentem ne Comum induerent, ut Bacchum, Venerem &c. alii induerunt, de quibus *Urſinus* Analect. Sacror. lib. I. c. 19. ſed Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum. Memini *Steph. le Moyne* in notis ad Varia Sacra p. 390. in loco *Gal.* III. 27. explicando verſantem, ſimile quid admonuiſſe. Cur vero id, quamvis non ſine doctrina & ingenio afferatur, minus veri videatur ſimile, ad illum locum inpoſterum dicemus. Nam & ibi eadem phraſi utitur Paulus, non facta τοῦ κώμου, ſed βαπτισμοῦ, mentione.

Καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίαν) Vocis σάρξ ſignificatus dubius hic eſt. Alii eam de *corpore*, alii de *carne*, quatenus corruptelas naturales infert, accipi volunt. Prius placuit B. *Luthero* noſtro, qui reddit: **wartet des Leibes**: tum *Grotio*, *Eraſmo Schmidio*, aliisque noſtratium, quos B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis affert. Poſterius autem *Calovio*, *Franckio* in Obſervationibus vernaculis ſuper loca Biblica p. 35. & aliis nonnullis. Utraque interpretatio ſuis nititur argumentis, & ſenſum commodum fundit. Malim tamen ſequi Lutherum, quamvis & ipſe alias, ut patet ex Tomo I. Altenburg. p. 236. b. per *carnem*, ſenſu ſcilicet Biblico acceptam reddiderit. Cur ita cum plerisque ſentiam, has habeo rationes. Paulus v. 13. varia commemoraverat, quæ ad corpus inprimis ejusque licentiam ſpectant, v. c. κώμους, μέθας, κοίτας, ἀσελγείας In hæc vitia homo facile incidit, ubi corpus nimium curatur. Hujus itaque curam non omnem, ſed nimiam cavere jubet Apoſtolus v. 14. ut ſcilicet ἐπιθυμίαι ante memoratæ eo rectius & felicius evitentur. Non video præterea,

ea, Scripturam unquam hac aut ſimili phraſi, quæ ſemper bono ſenſu uſurpatur, uti, ubi de carnis ſtudio ſermo eſt. Imo cura, quæ hic tantum reſtringitur & temperatur per additum, εἰς ἐπιθυμίας, in carnem prorſus non cadit, quippe cui nullo modo proſpici debet. De carnis ſtudio Scriptura ait, εἶναι ἐν σαρκὶ, κατὰ σάρκα ζῆν &c. *Polybius* phraſi πρόνοιαν ποιεῖσθαι frequenter utitur, v. c. p. 294. 527. 616. 668. & 826. quos locos affert *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 446. Appoſitus eſt locus primus, ideo, quod & ibi de cura corporis agitur. Πολλὴν οὖν ποιούμενος πρόνοιαν Ἀννίβας τῆς ἐπιμελείας αὐτῶν ἀνεκτᾶτο, καὶ τὰς ψυχὰς ἅμα καὶ τὰ σώματα τῶν ἀνδρῶν. *Itaque ſummo ſtudio Hannibal id operam dabat, ut ipſi animis corporibusque reficerentur.*

Εἰς ἐπιθυμίας) *ad cupiditatum inflammationem.* B. Lutherus eleganter: **daß er nicht geil werde**: de qua phraſi lege B. *Stadenii* Expoſitionem vernaculam vocum difficiliorum verſionis B. Lutheri, voce **Geil.**

Comma integrum ab abuſu hominum pravorum liberat *Spenerus* in Vindiciis locorum Biblicorum p. 461. & in Reſponſis Theolog. Germanicis Parte IV. p. 103. ſq.

CAP. XIV.

VErſ. 1. Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν) Τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει *Hombergius* interpretatur per *infirmas opiniones foventem*; quo ſenſu v. 2. πιστεύειν & v. 22. πίστις in phraſi, σὺ πίστιν ἔχεις, uſurpetur de *opinione*, quam quis foveat, quæque XV. 1. ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων vocetur. Patrum cogitata lege apud *Svicerum* Tom. I. p. 546. Προσλαμβάνεσθαι eſt pro membro Eccleſiæ agnoſcere, ut *Actor.* XVIII. 26. Διακρίσεις διαλογισμῶν *Beza* & *Eraſmus Schmidius* vertunt, *certamina diſputationum.* Et ſic fere alii. Sed vox διάκρισις non *certamen*, verum aut *dijudicationem* aut *differentiam* infert. Vide *Hebr.* V. 14 & 1. *Cor.* XII. 10. διαλογισμὸς quoque non tam *diſputationem*, quam *cogitationem* mentis ſignificat, ut *Matth.* XV. 19. *Marc.* VII. 21. & ſic alias in N. T. Ita quoque *Epictetus* cap. 16. & 31. οὗτοι δὲ διαλογισμοὶ μὴ θλιβέτωσαν, *hæ cogitationes te non crucient.* His poſitis *Hombergius* p. 240. Parergorum ita hæc ad literam verti vult: *non in dijudicationes cogitationum*; ad ſenſum vero propius: *ſine diſcrimine opinionum.* Hinc Apoſtolum ait jubere v. 3. non judicari debere illum, qui comedat: v. 4. alienum famulum non eſſe condemnandum: v. 5. unumquemque de ſua opinione certum eſſe debere, &c. Eodem modo *Clericus* convertit: *ſans diſtinguer les opinions.* Confer ejusdem Bibliothecam Veterem & Novam Tom. I. Parte II. p. 376. B. *Lutherus* ſenſum feliciter aſſecutus eſt: **und verwirret die Gewiſſen nicht.** Hoc enim ex minuto ſententiarum *indifferentium* examine oritur.

Verſ. 2. Ὃς μὲν πιστεύει -- ὁ δὲ ἀσθενῶν) Pro poſteriori ὁ δὲ *Beza* mavult ὃς δὲ, quod in nonnullis Codd. lectum fuiſſe *Eraſmus* teſtatur, quorum tamen nullum affert *Millius*, quamvis in edit. Amſtelodami repetita *Bœrnerianus* pro hac lectione afferatur. Ea vero non opus eſt. Nam ſicut Græci in diſtributionibus

nibus non tantum præpoſitivis, ſed etiam poſtpoſitivis articulis utuntur, ut *Luc.* XXIII. 33. 1. *Cor.* VII. 7. & XI. 21. ita interdum quoque poſtpoſitivo ſubjungunt præpoſitivum, & vice verſa. Sic *Polybius* p. 316. ἃς μὲν προσήγετο, τὰς δὲ κατεστρέφετο τῶν πόλεων. Conf. Rev. Raphelii Annotatt. Polybian. p. 448.

Ὁ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει) *Fridr. Chriſtoph. Neubour* proverbialem hanc putat fuiſſe locutionem, inter Romanos Pauli temporibus communiſſimam, quæ hic a corporali ad ſpiritualem infirmitatem καταχρηστικῶς applicetur. Sic Auguſtus, teſte *Suetonio* in Vita ejus, *ponere ſolebat* betizare *pro* languere, *quod vulgo* lachanizare *dicitur.* Confer Plautum Captiv. Act. I. Scen. 2. & ibi Taubmannum. Erudite hæc quidem afferuntur in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 255. ſq. Sed vereor, ut Paulus eo ullo modo reſpexerit. Vox ἀσθενῶν clariſſime ſe refert ad ἀσθενοῦντα τῇ πίστει, nec quidquam aliud vult Paulus, quam, hominem fide infirmiorem ſolis oleribus veſci, ut ſic certus ſit, ſe carnem ejusmodi non accipere, quam edere nefas putet. Altera illa alluſio in re ſeria levior mihi videtur, quam ut Paulus ea uti potuerit. Confer ad h. l. *Coquii* Phytologiam Sacram p. 77. ſq. Ceterum Nazarenos olim in Eccleſia a carnibus abſtinuiſſe relatum legimus. Vide Cl. *Petri Zornii* Opuſcula Sacra Tom. I. p. 632.

Verſ. 4. Τῷ ἰδίῳ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει) *Stare & cadere* Latini dicunt de iis, qui in judicio hinc *abſolvuntur*, hinc *condemnantur*. Sic *Horatius* ep. I. 176. & lib. II. *Securus cadat, an recto ſtet fabula talo,* & *Ovidius* in Faſtis lib. I. 18. *Ingenium vultu ſtatque caditque tuo.* Hinc *Jo. Clericus* in Biblioth. Vet. & Nova Tomo I. Parte II. p. 377. non inconvenienter ſenſum phraſeos hujus ita exprimit: non eſt, niſi dominus, qui eum poſſit abſolvere aut condemnare.

Δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς στῆσαι αὐτὸν) i. e. *poteſt enim Deus abſolvere illum.* Ita *Clericus* l. c. & *Rich. Simon* in notis ad Verſ. Gallic. qui tamen ideo notatus eſt a *Jac. Boſſueto*, contra quem ſe tuetur in Bibliotheca Critica Tom. IV. ep. 35. ubi *Eſtii*, *Holdeni*, *Tirini* & *Menochii* auctoritate cauſam ſuam tuetur.

Verſ. 5. Ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν) i. e. *alius alium diem alteri præfert,* ſeu judicio ſuo alteri diei primas defert. Hoc enim ſenſu præpoſitio παρὰ in locutionibus comparativis adhibetur, quod oſtendit *Franc. Vigerius* de idiotiſmis Græcæ Linguæ c. IX. Sect. 6. Conf. *Jo. Clericum* l. c. p. 377. & *Hombergium* in Parergis p. 241. Τὸ κρίνειν vero eadem, qua hic, notione apud *Herodotum* exſtare obſervavit *Raphelius*, in Annotatt. Herodoteis pag. 445. Phraſin ὃς μὲν, ὃς δὲ Polybii ſpeciatim exemplis adſtruit Cl. *Kirchmaierus* in Paralleliſmo dictionis Novi Fœderis & Polybii pag. 41. *Balthaſ. Stolbergius* in Exercitationibus Græc. L. p. 51. & M. *Chriſtian. Georgius* in diſput. de idiotiſmis dictioni N. T. immerito affictis p. 16.

Ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν) *alius vero judicium fert de diebus omnibus æqualiter, ita ut nulli præcipui aliquid tribuat.* Qui enim omnes dies diſcernit, omnes pari habet jure. Confer *Hombergium* l. c. In toto hoc commate nihil dici, quod celebrationi diei Dominicæ, tanquam divinitus inſtitutæ, fraudi ſit, oſtendit *Jac. Altingius* Tom. V. Operum pag. 95. ubi de moralitate Sabbati.

Sermo enim hic eſt Apoſtolo de iis, qui, inclinante jam Politia Judaica, obſervandos tamen adhuc inter Chriſtianos ritus cenſebant, dies feſtos, Neomeniarum &c. quos olim inter Judæos ſolennes habuiſſent. Conf. *Coloſſ*. II. 16.

Ἕκαςος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω) *Unusquisque in ſuo ſenſu abundet*. Ita *Eraſmus Schmidius*, & ante eum *Deſid. Eraſmus*, approbante *Hombergio* pag. 241. qui ſenſum hunc inexpugnabilem reddit ſequentibus, quando dicitur: *unumquemque Deo ſentire & non ſentire, Deo edere & non edere*. Scilicet idoneas & præmeditatas ſententiæ factique rationes in numerato habere oportet, ut ſciat, utrum Dei cauſa ita agat an minus? Similiter *Schottus* in Adagialibus N. T. p. 106. *Quisque judicio ſuo perfruatur, quisque ſuum ſenſum abunde expleat*. Verbi hujus vim ex doctoribus veteris Eccleſiæ explicat *Svicerus* Tom. II. Theſauri p. 751. & *Pearſonus* ad Ignatii Epiſtolas p. 9. Eam non aſſecutus eſt recentiſſimus editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, ita reddens: *let every man follow the perſuaſion of his mind* i. e. quisque pro ſua ſententia agat. Πληροφορεῖσθαι enim infert firmam animi convicti ſententiam, de qua quemque ſolicitum hic eſſe vult Apoſtolus. Confer *Luc*. I. 1. & *Rom*. IV. 21. Adde Cl. *Leonh. Twells* Examen criticum illius N. T. Parte I. p. 129.

Verſ. 6. Ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν) i. e. *qui putat* vel *ſentit*, diem hanc alteri eſſe præferendam, ut *Hombergius* p. 242.

Verſ. 7. 8. Οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν ἑαυτῷ ζῇ κ. τ. λ.) Lege Venerab. *Valent. Erneſti Læſcheri* Decimas Decade I. p. 382. item Andachts Früchte p. 212. ſq. tum B. *Jo. Winckleri* Conſiderationes locorum quorundam Scripturæ Sac. pag. 864. ſq. & *Franc. Julii Lütkenii* Conciones Funebres num. VI.

Verſ. 8. Τῷ Κυρίῳ ζῶμεν) ζῇν τινι eſt *arbitratu alicujus*, vel *in obſequium vivere*. Sic *Dionyſ. Halicarnaſſ*. lib. III. p. 153. εὐσεβὲς μὲν πρᾶγμα ποιεῖτε, ὦ παῖδες, τῷ πατρὶ ζῶντες, καὶ οὐδὲν ἄνευ τῆς ἐμῆς γνώμης διαπραττόμενοι. Conf. *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 121. & *Jo. Alberti* Obſervatt. Sacr. p. 333. qui *Sophoclis* affert locum ex Ajace v. 990. θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, ubi Scholiaſt. θεῶν βουλομένων. *Campeg. Vitringa* Obſſ. Sacr. lib. II. p. 125. ita: *Hoc vult, ni fallor, vitam noſtram noſtri non eſſe arbitrii, ſed a Chriſto dependere, vitam noſtram eſſe Chriſti vitam, & ab ipſo dirigi, prout conveniens ipſi videtur ad ſuam gloriam. Pariter mortem noſtram non eſſe noſtri arbitrii, ſed ad curam & conſilium Chriſti pertinere, & ab ipſo dirigi ad ſuam gloriam.*

Τοῦ Κυρίου ἐσμέν) Ex v. 3. ὁ Θεὸς γὰρ αὐτὸν προσελάβετο, id explicari vult *Lockius*, hoc ſenſu: quod Deus nos in familiam ſuam receperit, ſive ex Judæis ſimus, qui a certis cibis abſtinent, ſive ex Gentilibus, qui id non faciant.

Verſ. 9. Εἰς τοῦτο γὰρ Χριςὸς καὶ ἀπέθανε καὶ ἀνέςη, καὶ ἀνέζησεν) Verba, καὶ ἀνέςη deſunt in uno Alexandr. MS. & verſionibus quibusdam ſuſpectaque ſunt *Eſtio*, tanquam quæ ad marginem primum adſcripta fuerint, ad illuſtrandum verbum ἀνέζησεν. Adſtipulatur ei *Millius* in Prolegomenis §. 763. Qui ἔζησεν, inquit, *utpote poſitum hic poſt ἀπέθανε, intelligebant de reſurrectione a mortuis, mutarunt ipſum in ἀνέζησεν* (pro eo enim Codd. quidam habent ſimplex

plex ἔζησεν) *e cujus regione adſcriptum poſt ad marginem ἀνέστη tranſiit demum in contextum.* Occaſio hujus, quod putatur, gloſſematis, καὶ ἀνέστη, longius petita, atque adeo nulla eſt. Quomodo enim cogitare quisquam poterat τὸ ἔζησεν (ſi quidem id ab Apoſtolo ita ſcriptum eſſe largiri velimus) hic accipiendum eſſe de reſurrectione Chriſti ex mortuis? Fortior enim eſt oppoſitio inter ἀπέθανε & ἔζησε vel ἀνέζησε, ſicut inter νεκροὺς & ζῶντας, quam inter *mortem & reſurrectionem,* quæ vitam reſumtam demum ſequitur. Itaque veri ſpeciem non habet, ex hac cauſa gloſſema aliquod naſci potuiſſe, aut revera natum eſſe. Sed Apoſtolo totum illud acceptum ferre præſtat, qui τὸ ἀνέστη inter ἀπέθανε & ἀνέζησε medium collocaſſe videtur ideo, quia ex reſurrectione Chriſti demum apparuit, Chriſtum vitam recepiſſe. *Dan. Whitbius* in Examine N. T. Milliani p. 60. ita: *'Ανέστη ſuſpectum habet Eſtius occupati loci alieni; ſed immerito: reperias enim vocem illam apud* Irenæum lib. II. c. 20. p. 245. *Origenem in Joban.* p. 126. 317. *& contra Celſum* lib. II. pag. 110. Hilarium Diaconum, *Græca Scholia omnia, ne* Chryſoſtomo *quidem excepto. Apoſtolus addit vocem ἀνέζησε vel ἔζησεν, ut reſpondeat voci ζώντων, & vocem ἀπέθανε, ut reſpondeat voci νεκρῶν, atque hinc fortaſſe factum eſt, ut has ſolas explicaret* Chryſoſtomus.

Verſ. 10. Σὺ δὲ τί κρίνεις) Reſpici hic nonnulli putant ad Eccleſiaſtæ XII. 14. contra quos lege *Franc. Wokenium* in Harmonia V. & N. T. p. 395.

Verſ. 11. Ζῶ ἐγώ, λέγει Κύριος, κ. τ. λ.) Cum *Jeſ.* XLV. 23. unde petita ſunt, non ſolum comparat, ſed & ſententiam eorum inveſtigat Rev. *Godofr. Kohlreif* in Biblioth. Lubecenſi Tom. I. p. 26. ſq. Idem faciunt *Guil. Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 508. ſq. & *Campeg. Vitringa* in Commentar. ad Jeſaiam Tom. II. p. 509. Lucem præterea illis affundit Rev. *Jo. Jac. Rambach* in Diſſertat. de ſumma Chriſti divinitate ex juramentis per ſe ipſum demonſtrata p. 30. & 38. ſqq. ubi locum illum ab ipſo Jeſaia ad Chriſtum relatum eſſe oſtendit. Adde in eandem ſententiam *Dionyſ. Petavium* in Dogmatibus Theolog. Tom. II. p. 138. invictum pro deitate Chriſti argumentum ex h. l. recte repetentem.

ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ) Vide Patrum loca huc pertinentia apud *Svicerum* Tomo I. p. 777.

ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ) De phraſi hac lege *Gatakerum* de Stylo N. T. p. 185. & *Druſii* Miſcellanea Centur. I. 55.

Verſ. 12. λόγον δώσει τῷ Θεῷ) Sic *Xenophon* Cyropæd. lib. I. p. 11. ἠναγκάζετο ὑπὸ τοῦ διδασκάλου καὶ διδόναι λόγον, ὧν ἐποίει, καὶ λαμβάνειν παρ' ἄλλων, ἃ δικάζει.

Verſ. 13. Μηκέτι οὖν ἀλλήλους κρίνωμεν· τοῦτο δὲ κρίνατε μᾶλλον) Elegantem antanaclaſin in verbo κρίνειν quod h. l. primum *condemnare*, deinde *ſtatuere* ſignificat, recte obſervat & illuſtrat *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 447.

τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον) *Zach. Pierce* in Epiſtolis duabus Lond. 1721. 4. de N. T. Græco, quod tum temporis eruditiſſimus *Bentlejus* parabat, editis, p. 19. voces ἢ σκάνδαλον, tanquam ſcholion marginale, & a Syro omiſſum, hic deleri vult. At primo quidem unanimis hic eſt

Codicum & Interpretum veterum conſenſus; tum voces *πρόσκομμα* & *σκάνδαλον* differunt, cum per priorem offenſio denotari poſſit ex malis moribus & prava vita, per hanc autem labes ex doctrina maleſana; aut per illam lapſus levior, per hanc ruina. Et ſi vel maxime utraque vox ejusdem eſſet notionis frequens certe eſt Paulo, alteram vocem alteri *ἐξηγήσεως* cauſa jungere, ut *Rom.* XI. 9. *γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα, καὶ εἰς θήραν, καὶ εἰς σκάνδαλον.* Confer 1. *Cor.* XI. 6. 2. *Cor.* X. 12. Latius hæc exponit doctiſſimus *Jo. Henr. Majus* in vindiciis Græcæ veritatis ſtilique Apoſtolici, quas epiſtolarum illarum alteri oppoſuit p. 10. ſq. ubi etiam complura phraſium ejuſmodi pleonaſticarum exempla ex profanis Scriptoribus affert. Hoc quidem loco res prorſus in vado eſt, cum Apoſtolus v. 21. verba *προσκόπτειν, σκανδαλίζεσθαι* & *ἀσθενεῖν* iterum conjungat. De ſignificatu vocum ipſo lege Patrum commentationes apud *Svicerum* Tom. II. p. 967.

Verſ. 15. *Εἰ δὲ διὰ βρῶμα ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται*) *Τὸ λυπεῖται* Cl. *Elsnerus* verti poſſe putat per *damno afficitur*, cum *τὸ λυπεῖν* nocendi ſignificatu occurrere videatur 2. *Cor.* II. 2. quo ſenſu etiam adhibuerit Demoſthenes pro Corona p. 321. Præfert tamen fere verſionem: *ad iram aut indignationem provocatur,* ut idem ſit, quod *σκανδαλίζεται*, quemadmodum *Eph.* IV. 30. *μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ne ad iram provocate.* Hanc notionem probat ex *Ariſtoph.* Pluto v. 22. & *Ælian.* V. H. II. 13. Non nego, utramque ſignificationem verbo *λυπεῖσθαι* ſubjici, quemadmodum voci *λύπη iræ & indignationis* vindicavit *Chilmeadus* in notis ad Joannis Malelæ Chronicon. p. 50. Prætulerim tamen hic ſimplicem & communiſſimam *triſtitiæ* notionem, cum maxima jactura, & quidem æternæ ſalutis conjuncta. Talis erat conditio hominis qui Satanæ a Paulo traditus erat. Ille enim, niſi ex intentione & conſilio Apoſtoli reſipuiſſet, æternas pœnas non erat effugiturus vid. 1. *Cor.* V. 5. Apud eum vero ipſa illa traditio Satanæ, pœnæ loco inflicta, non triſtitiam ſolum externam ſeu mœrorem animi, ſed *λύπην κατὰ θεὸν* 2. *Cor.* VII. 10. efficiebat, ut, agnita patrati ſceleris fœditate, in cœtum Chriſti recipi poſſet 2. *Cor.* II. 8. De animi igitur triſtitia ſermo eſt 2. Cor. II. 2. quod vel ex eo patet, quia Paulus ibidem *τῷ λυπεῖν* opponit *τὸ εὐφραίνειν*. *Εἰ γὰρ ἐγὼ λυπῶ ὑμᾶς, τίς ἐστιν ὁ εὐφραίνων με, εἰ μὴ ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ;* Provocatio ad iram aut indignationem locum hic habere non poteſt. Ipſe Vir doctus largitur *τὸ λυπεῖται* idem hic eſſe, quod *σκανδαλίζεται*. Atque id manifeſtum eſt ex v. 13. ubi Paulus jubet *μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον.* *Offendiculum* vero *ponere* ex uſu Scripturæ Sacræ eſt, ad peccandum illicere, vel peccandi occaſionem ſuppeditare. Placent igitur *Phil. Limborchii* cogitata, in commentario ſuo Paulina verba ita illuſtrantis: *Hic effectum ſumitur pro cauſa, triſtitia nempe pro actu, qui cauſa triſtitiæ eſt: ille autem actus eſt peccatum, quod eſt cauſa æternæ damnationis, ac proinde maximæ triſtitiæ. Senſus itaque eſt, ſi propter tuum cibum, quo frater infirmus videt te veſci, ipſe ſollicitetur ad peccandum, contra charitatem peccas. Fieri nempe poteſt, ut frater infirmus, ſi tu intempeſtive ac imprudenter*

ter veſcaris cibis, quos ille immundos credit, malam de religione Chriſtiana opinionem concipiat, tanquam carni pluſculum indulgente; atque ita propoſitum firmius eam amplectendi abjiciat, aut de ea rurſus deſerenda deliberationes inſtituat, atque ad defectionem ſollicitetur: ſicque porro æternæ damnationis, quæ ſummæ triſtitiæ cauſa eſt, periculum incurrat; ac proinde tu intempeſtivo illo libertatis tuæ uſu proximo triſtitiæ, & quidem omnium graviſſimæ, cauſa es: quia tua actio eo per ſe dirigitur, ut proximus in peccatum ſollicitetur, ac pereat.

Μὴ ἀπόλλυε) *ne perde*, i. e. ne cauſa ſis, ut æternum pereat. Diſplicet hæc expoſitio Cl. *Elsnero* in Remonſtrantibus, ſpeciatim *Limborchio*, aliiſque, quos imprudenter ex hoc quidem loco evincere velle exiſtimat, æternum perire poſſe, pro quibus Chriſtus mortuus ſit. *Num*, inquit, *æternum peribit*, v. 20. *pro quo Chriſtus mortuus eſt, ob eam cauſam, quod alterum, quæ non licita credit, comedere videns, ſcandalizetur, aut ad idem faciendum illo præeunte invitetur? nonne id foret leve profecto peccatum?* Miror, Virum doctum hæc obvertere potuiſſe *Limborchio*, ad cujus commentarium in h. l. provocat, ſiquidem legit ea, quæ modo ex ipſo ideo adduxi, ut appareret, qua ratione ille exiſtimaverit, ex offendiculo, de quo hic ſermo eſt, fratrem infirmum in æternam perniciem præcipitem dari poſſe, nempe ſi is, quod fieri certe poterat, vel ex hoc capite de religione Chriſtiana leviter & abjecte ſentire incipiat, vel eam penitus deſerat. Addiderim & hoc, non leve eſſe peccatum, ſi alter ille ad ea, quæ non licita credit, comedenda exemplo alterius invitetur. Peccat enim in conſcientiam. Qui vero hoc facit, κατακέκριται, *condemnatus eſt*, judice Paulo v. 23. hujus capitis. Nihil itaque ad hanc cauſam faciunt loca, a Viro docto ex Sacris & profanis Scriptoribus eo fine adducta, ut appareat, τὸ ἀπολλύειν vel ἀπολέσαι de damno aliquo externo, vel vitæ hujus calamitate aliquando uſurpari. Locus 1. *Cor.* VIII. 11. prorſus huc non pertinet, ſed de æterna pernicie ibi æque ac h. l. τὸ ἀπολεῖται accipiendum eſt; hic autem vel ideo afferri non poterat, quia de eodem argumento iiſdem fere verbis ibi agitur, quod hic in diſceptationem venit. Non negaverit Vir doctus, τὸ ἀπολέσαι & ἀπόλλυσθαι in Novi Fœderis tabulis frequentiſſime & tantum non ſemper de æternæ ſalutis jactura accipi. Nec mitius hic interpretandum eſſe tum ea, quæ dicta ſunt, evincunt, tum phraſis efficaciſſima Pauli v. 20. oſtendit, μὴ ἕνεκεν βρώματος κατάλυε τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ; de quibus verbis paulo poſt commentabimur. Nec *imprudentiæ* accuſandi erant, qui ex h. l. evincunt, eos æternum perire poſſe, pro quibus Chriſtus mortuus ſit. Audiat *Chryſoſtomum*, qui inter ceteros Eccleſiæ doctores phraſin hanc eodem ſenſu accepit in homilia XXVI. ad h. l. Tom. III. p. 207. Ἠ οὐδὲ τοσούτου, inquit, ἄξιον εἶναι ἡγῇ τὸν ἀδελφὸν, ὡς μηδὲ ἀποχῇ βρωμάτων ὠνήσασθαι αὐτοῦ τὴν σωτηρίαν; καὶ ὁ μὲν Χριστὸς οὐδὲ δοῦλος γενέσθαι, οὐδὲ ἀποθανεῖν παρῃτήσατο δι' αὐτόν· σὺ δὲ οὐδὲ βρωμάτων καταφρονεῖς, ἵνα αὐτὸν διασώσῃς; καί τοιγε οὐ πάντας ἔμελλε κερδανεῖν ὁ Χριστός. ἀλλ' ὅμως ὑπὲρ ἁπάντων ἀπέθανε, τὸ αὐτοῦ πληρῶν.

Tempero mihi ab illis noſtratium Theologorum locis afferendis, qui in hoc commate non tralatitium aliquod, ſed validiſſimum pro adſerenda univerſali meriti Chriſti, reſpectu hominum redimendorum, efficacia præſidium invenerunt. Placet interim, quod Vir doctus *ex hoc quidem loco* id effici non poſſe exiſtimet. Id ipſum enim, ni fallor, argumento eſt, eum hanc noſtratis Eccleſiæ doctrinam in aliis ſaltem Scripturæ oraculis adſertam putare.

Verſ. 16. *Μὴ βλασφημείσθω οὖν ὑμῶν τὸ ἀγαθὸν*) Per *ἀγαθὸν* veterum nonnulli *fidem* intelligunt. Vide *Sviceri* Theſaurum Eccleſ. Tom. I. p. 14. Malim ego accipere de doctrina Evangelica, quatenus ad libertatem Chriſtianam, ab inſtitutis ejuſmodi ritualibus abſtinendi, eademque non urgendi pertinet.

Verſ. 17. *Ου γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις, κ.τ.λ.*) Vide *Amelium* Parte I. p. 436. ſqq. Manifeſtum eſt, per regnum Dei intelligi hic Eccleſiam Novi Teſtamenti, quæ alias vocatur *regnum cœlorum*, & Eccleſiæ V. T. in tantum opponitur, in quantum ex illa parte ad inſtituta ritualia, tanquam umbram futurorum bonorum referentia, adſtricta erat. Confer *Jo. Braunii* Selecta Sacra p. 47. Itaque de regno Dei, quod futura vita nobis pollicetur, ſermo non eſt directe, nec proinde cauſæ quidquam habuit *Bernh. Connor*, cur in Evangelio Medici p. 112. & alias ex h. l. reſurrectionem corporis, tanquam cujus in vita beatiore non major, quam cibi & potus futurus ſit uſus, impugnandam ſibi ſumeret. Inſpice *Amelium* l. c.

Χαρὰ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ) i. e. gaudium a Spiritu S. excitatum & conſervatum. *Sandius* de mente ſanctificata intelligit *τῇ ὑποθέσει δουλεύων*, recte confutatus a *Wittichio* in Cauſa Spiritus S. p. 80.

Verſ. 20. *Μὴ ἕνεκεν βρώματος κατάλυε ἔργον τοῦ Θεοῦ*) *Τὸ καταλύειν deſtructionem, & peſſundationem* rei infert, atque hic reſpondet *τῷ ἀπολλύειν* v. 15. Lege, quæ a nobis obſervata ſunt ad *Matth.* V. 15. *Τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ* ſignificat & *fidem & finem fidei*, nempe æternam ſalutem, in qua collocatus erat, qui Chriſto ſe addixerat. *Fidem* hic indicari putat *Theodoretus* p. 107. *Ἔργον τοῦ Θεοῦ ὁ Κύριος εἶπε τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν. Τοῦτο γάρ ἐστί, φησι, τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος.* *Theophylactus* autem de æterna ſalute accepit p. 140. *Ἔργον τοῦ Θεοῦ, τὴν σωτηρίαν τοῦ ἀδελφοῦ φησι· Μὴ οὖν ταύτην κατάλυε, ἣν ὁ Θεὸς αὐτῷ περιεποιήσατο, καὶ ταῦτα ἕνεκεν βρωμάτων, μὴ βουλόμενος δηλαδὴ ἀπέχεσθαι τοῦ χοιρείου διὰ τὸ κερδῆσαι αὐτόν.* Confer *Sviceri* Theſaurum Eccleſiaſt. Tom. I. p. 1207. Quomodo vero & *fide* & *ſalute æterna* excuti potuerit Chriſtianus, alterius licentia offenſus, ad v. 14. dictum eſt.

Verſ. 21. *μηδὲ ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει*) *Προσκόπτειν τινὶ*, aut *ἐν τινὶ*, aut *πρός τι* promiſcue dicitur. Vide *Jo. Vorſtii* Philolog. Sacr. Parte II. p. 201. Alias etiam ſine caſu nominis ponitur, ut apud *M. Antoninum* VI. 20. *οὔτε ἐπισημαινόμεθα, οὔτε προσκόπτομεν.*

ἢ σκανδαλίζεται, ἢ ἀσθενεῖ) In uno Alexandrino Codice hæc deſunt, & in verſionibus nonnullis. Hinc pro ſcholio marginali vocis *προσκόπτει* habentur

tur a *Millio* in Prolegomenis §. 1204. & *Zacharia Pierce* loco ad v. 13. citato. Sed non apparet ratio, cur ſcholio hic opus eſſe cenſere quiſquam potuerit ad verbum προσκόπτειν, per ſe quippe clarum, amplius illuſtrandum. Et ſi verbum σκανδαλίζεσθαι pro magis perſpicuo habere velimus, alterum certe illud ἀσθενεῖν pro clariori haberi non poteſt, tanquam quo unus Paulus in hujus quidem argumenti tractatione utitur. Vide ſupra v. 1. & XV. 1. Itaque non minus hæc verba, quam illa commatis 13. pro genuinis ſunt habenda. De verbo σκανδαλίζεσθαι diximus Volumine I. pag. 101. & 231. Adde hic *Svicerum* in Theſauro Tom. II. p. 968.

Verſ. 22. Σὺ πίστιν ἔχεις, κατὰ σαυτὸν ἔχε ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ) *Tu fidem habes*, i.e. certiſſime tibi perſuaſum habes. Vide *Hombergium* & *Clericum* ll. cc. Nonnulli legunt cum nota interpretandi, ut *Gatakerus* loco mox allegando. Senſus utrinque idem eſt. Cl. *Herzogius* in Obſervatt. de poſitu Interpunctionum in hac epiſtola p. 15. voces κατὰ σαυτὸν, ſublato commate, jungi vult ſuperioribus, hoc ſenſu: *Tu fidem habes juxta tuum judicium, & prout tu perſuadere tibi potes*, habe illam, *ipſe gaudeo, ſit bene*: ſed in conſpectu Dei, h. e. *diligenter examines, an etiam coram facie videntis omnia Dei ſit vera hæc de tua fide jactantia.* Non crediderim, mutata illa interpunctione, ad Apoſtoli mentem propius accedi. Paulus in tota hac tractatione id ſuadet, ut de ſua quiſque perſuaſione certus ſit, v. 5. ſed eam ſibi ſervet, eamque, reſpectu ad Deum & gloriam ejus habito, ſequatur v. 6. ſine dubitatione v. 23. vel hypocritica, vel valde fluctuante, quippe quam Deus & perſpicit & averſatur. Hæc Pauli cogitata ſermonis nexus aperit, quæ hoc commate ſummatim comprehenduntur, ſi phraſin, κατὰ σαυτὸν ἔχε ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, non ſepares. Sic enim, κατὰ σαυτὸν ἔχε erat: *tibi ſerva, tibi propriam habe*, coram Deo, tanquam ſententiæ tuæ factique conſcio. Hoc ſignificatu phraſi κατὰ σαυτὸν, vel σαυτῷ utuntur etiam profani Scriptores. Ita *Epictetus* lib. IV. c. 8. σαυτῷ φιλοσόφησον, qui & ibidem de Euphrate maxime ad h. l. appoſite: Καλῶς Εὐφράτης ἔλεγεν ὅτι ἐπιπολὺ ἐπειρώμην λανθάνειν φιλοσοφῶν, καὶ ἦν μοι, φησι, τοῦτο ὠφέλιμον. πρῶτον μὲν γὰρ ᾔδειν, ὅσα καλῶς ἐποίουν, ὅτι οὐ διὰ τοὺς θεατὰς ἐποίουν, ἀλλὰ δι᾽ ἐμαυτόν· ἤσθιον ἐμαυτῷ καλῶς κατεσταλμένον εἶχον τὸ βλέμμα, τὸ περίπατον· πάντα ἐμοὶ καὶ τῷ Θεῷ. Ita *M. Antoninus* VII. 58. μόνον πρόσεχε, καὶ θέλε καλὸς εἶναι σεαυτῷ. Lege ibi omnino *Gatakeri* notas pag. 283. Similiter *Herodotus* lib. III. pag. 218. ἕξειν παρ᾽ ἑαυτῷ. Confer *Raphelium* pag. 448.

Μακάριος ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν, ἐν ᾧ δοκιμάζει) Cl. *Herzogius* l. c. ita: *Beatus ille eſt, qui de ſe ipſo ſuaque fide judicium non dicit, in quo ſe adhuc probare debet.* Propius ad mentem Pauli *Seldenus* de Synedriis lib. II. cap. XII. §. 3. *Beatus, qui non judicat* (damnat) *ſe ipſum in eo, quod probat.* Scilicet κρίνειν ſæpe idem eſt, quod κατακρίνειν. Vide Volum. I. Curarum pag. 145. 288. 630. & 1192. Atque hoc loco idem denotare vel ex oppoſito κατακρίνεσθαι v. 23. conſtat. Τὸ δοκιμάζειν vero non ſolum *explorare*, ſed & *approba-*

re

re ſignificat. Vide ſupra ad II. 18. Senſus itaque eſt: *in eo, quod eligit*, quod agere decreuit. Ita *Polybius* pag. 650. δοκιμάζειν dicit pro *eligere*, unde & paulo poſt addit nomen ἐκλογῆς. Hinc rectiſſime B. *Lutherus* : **in dem das er annimmt.** Conf. Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 449. Proinde hic non eſt ſermo de ejusmodi δοκιμασία, quam Paulus Corinthiis commendat 2. ep. XIII. 5. Nam hæc antecedat neceſſe eſt in hoc negotio, ubi quis agere debet, ut ὁ μὴ διακρινόμενος. Contra eos, qui hoc loco ad licentiam morum & opinionum abutuntur, lege Speneri Vindicias locorum quorundam Scripturæ S. p. 295.

Verſ. 23. Ὁ δὲ διακρινόμενος) *qui vero ambigit*, vel *hæſitat.* Ita Patres exponunt apud *Svicerum* Tom. I. pag. 875. rectius omnino, quam *Vulgatus* & *Eraſmus*, quorum ille per *diſcernit*, hic per *dijudicat*, interpretatur.

Ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως) h. e. non naſcitur ex plena animi convictione, quæ ſcrupulum in conſcientia non relinquat. Lege ad v. 22.

Πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστίν) *Rivetus* & alii nonnulli *fidem* hic tantum volunt eſſe perſuaſionem ex Evangelio de libertate data nobis, ne lege Moſis teneamur, cum alioqui Chriſtus nos vocare potuiſſet ſub iſto onere. Sed recte *Grotius* in Apologetici Rivetiani Diſcuſſione Tomo III. Operum p. 706. b. hæc excipit: *At contra ſe res habet; nam ſpeciale dictum Paulus ex generali dicto confirmat, hoc modo*: Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt. *Quare?* quia non ex fide. *At unde id colligit?* Omne enim, quod non ex fide, peccatum eſt. *Hæc generalis regula non ad illam rem tantum* (ita pergit *Grotius* l. c.) *ſed ad omnes pertinet: nec agitur de fide, per quam Chriſtiani fiunt; loquitur enim jam Chriſtianis: ſed fides ei eſt conſcientia adſtipulans, contra quam qui agit, is in eo, quod eligit, ſemet ipſum judicare Paulo dicitur*, i. e. intra ſe contra ſe ſententiam ferre. Hæc recte in tantum dicuntur, modo non negetur, canonem hunc generalem de fide Chriſtiani, cujuscunque illa ſit generis, atque adeo etiam de ea, qua Chriſtianus factus eſt, & exiſtit, recte accipi. Ita *Balduinus* appoſite ad h. l. *Eſt generalis aphoriſmus de omni fide verus:* Quicquid absque fide fit, peccatum eſt; *ſive intelligatur fides hiſtorica, ſive fides conſcientiæ, ſive fides in Chriſtum* &c. *Nihil igitur obſtat, quo minus etiam de fide juſtificante hoc dictum explicari queat, licet hic ad aliam ſpeciem applicatur.* Loca Patrum, ad h. l. pertinentia, lege apud B. *Dilherrum* in Diſputatt. Academicis pag. 531. Adde omnino *Orthodoxi Symbolophili* commentationem de D. *Jo. Gottlob Pfeiferi* diſceſſibus, a libris noſtratis Eccleſiæ Symbolicis factis, vernaculo ſermone an. 1731. 8. editam p. 67. ſqq. ubi genuinam τῆς πίστεως ſignificationem huic loco egregie vindicat.

De tribus commatibus, quæ nonnulli codices ex cap. XVI. v. 25-27. huc translata exhibent, lege quæ infra ſuo loco ſcribentur.

CAPVT

CAP. XV.

VErſ. 3. Καὶ γὰρ ὁ Χριςὸς ἐχ ἑαυτῷ ἤρεσεν) i.e. Chriſtus adeo non ſibi placuit, aut ſua tantum quæſivit, ut potius, inſuper habitis ſubſannantium conviciis, ſalutem eorum procuraret. Hæc Apoſtoli ſcopo propiora videntur, inprimis ſi reſpiciatur verſus ſecundus, quam ea ſunt, quæ Cl. *Surenhuſii* in βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 512. hic video eſſe cogitata. *Sic Chriſtus*, inquit, *omnium electorum ſanctiſſimum nobiliſſimumque caput, quod nulla unquam in re deliquit, utpote omnibus virtutibus conſummatum, tamen opprobria, in ipſum conjecta patienter tulit, quanto magis electi, qui ſunt membra ipſius longe ignobiliora, & multis vitiis affecta, infirmitates ſuas ferre debent, & ſibi non placere, quaſi tot calamitatibus & miſeriis indigni eſſent.* Idem allegationem Paulinam cum *Pſalm.* LXIX. 10. comparat, quod & facit Cl. *Wokenius* in Harmonia V. & N. T. pag. 348.

Verſ. 4. Ὅσα γὰρ προεγράφη, κ. τ. λ.) Comma hoc illuſtrat Rev. *Brand. Henr. Gebhardi* ſingulari diſſertat. Gryphiswald. 1688. edita, & in Tomo II. Theſauri Theologico-Philolog. Diſputatt. p. 509. ſqq. recuſa. Adde aliam *Iſaaci Fauſti*, Argentor. 1694. 4. Τὸ προεγράφη a librario proἐγράφη exaratum eſſe ſuſpicatur *Millius* in Prolegomenis, cum tamen ne unus quidem Codex prius illud aliter expreſſerit. At Paulinum eſſe illud προεγράφη vel argumentum ipſum, de quo agitur, oſtendit. Provocat enim ad Scripturam V. T. poſtera ſæcula jam ante docentem. Paulo quoque familiaria ſunt verba cum præpoſitione πρὸ compoſita, v. c. προαιτιᾶσθαι, *Rom.* III. 9. προακέειν, *Coloſſ.* I. 5. προαμαρτάνειν, 2. *Cor.* XII. 21. προγινώσκειν, *Act.* XXVI. 5. προγινώσκοντές με ἄνωθεν, &c. Ipſum hoc verbum προγράφειν exſtat *Gal.* III. 1.

Ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχητε) Cl. *Herzogius* in Obſervatt. de interpunctionum in hac epiſtola poſitu p. 15. ſublato poſt vocem γραφῶν commate, ſenſum verborum hunc eſſe vult: *ut per patientiæ exercitium etiam ſpem ſolatii, quod ſacræ literæ præbent, habeamus.* Sed non video hujus inſtituti rationem. Παράκλησις τῶν γραφῶν æque convenienter dicitur de ſolatio ex Scripturis capiendo, atque προφητεία τῆς γραφῆς 2. *Pet.* I. 20. Τὸ καὶ non denotat *etiam*, ſed vocem παρακλήσεως æque connectit cum voce ὑπομονῆς, atque v. 4. Nec fideles ſpem tantum habere debebant ſolatii, ſed ſolatium ex ſpe auxilii. Lege præterea Cl. *Franc. Wokenii* Stromata Apoſtolica Parte I. p. 13. B. *Olearius* in Prælectionibus MSS. per ὑπομονὴν τῆς παρακλήσεως certitudinem ſacrarum literarum intelligit, ut per hendiadyn idem ſit, quod διὰ τῆς ὑπομενέσης παρακλήσεως, hoc quidem ſenſu, *ut per firmum fundamentum inſtitutionis ſacrarum literarum ſpem habeamus.* Παράκλησις enim non tantum *ſolatium* ſignificat, ſed *inſtitutionem* in genere. Sic Hebr. XIII. 22. λόγος παρακλήσεως dicitur.

Verſ. 5. Τὸ αὐτὸ φρονεῖν) Ita *Herodotus* aliquoties. Vide *Raphelium* pag. 449.

Κατὰ Χριςὸν Ἰησοῦν) i. e. *ſicut Jeſus Chriſtus*, ad exemplum illis. Vide eundem *Raphelium* & compara *Gal.* IV. 28. ac 1. *Pet.* I. 15.

Verſ. 7. Διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους) *Lockius* hæc ſpeciatim eo pertinere putat, quod diſcrimen non ſit faciendum inter converſos ex Gentilibus & ex Judæis.

Verſ. 8. Διάκονον γεγενῆσθαι τῆς περιτομῆς) i. e. *miniſtrum factum eſſe Judæorum*, tanquam ad quos a Deo Patre miſſus erat, ut iis ſalutem, Patribus promiſſam, annunciaret. Confer B. *Olearii* Obſervatt. Sacr. Matthæum p. 419. ſqq. & *Svicerum* Tom. I. Theſauri p. 870.

Ἐις τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων) *ad ſervandum promiſſa Patribus data.* Eadem phraſi utitur *Polybius* lib. III. p. 364. θεῶν γὰρ βουλομένων ὅσον οὔπω βεβαιώσειν ἡμῖν πέπεισμαι τὰς ἐπαγγελίας. Conf. p. 792. & 1133. & adde *Raphelium* Annotatt. Polybian. p. 449.

Verſ. 9. Ὑπὲρ ἐλέους) Reſpiciunt hæc antecedentia ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ. Chriſtus ſcilicet *veritati Dei* velificatus eſt, cum ad Judæos primum accederet, Gentiles vero miſericordiam Dei hoc magis celebrare debent, quod illius fructum ceperunt, cum illius ſpes nec primario, nec tam frequenter illis olim facta fuerit. Prius beneficiorum genus, quod promiſſis Dei nititur, אמת *veritas*, poſterius חסד *miſericordia* ſeu *gratia* vocatur. Utraque vox conjuncta legitur *Geneſ.* XXIV. 29.

Διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι) Vide *Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς p. 514.

Verſ. 10. Ἐυφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ) Comparant hæc verba alii cum *Deuter.* XXXII. 43. alii cum *Pſalm.* XLVII. 5. Sed cum neutri loco ex aſſe reſpondeant, ad utrumque Apoſtolum ex more veterum reſpexiſſe *Surenhuſius* exiſtimat l. c. p. 515. ſqq.

Verſ. 11. Ἀινεῖτε τὸν Κύριον πάντα τὰ ἔθνη) Illuſtrantur hæc a *Rob. Gello* in Reliquiis poſthumis Anglice editis Tom. II. p. 148 - 156. Ἀινεῖν de Deo, ἐπαινεῖν de hominibus proprie uſurpari, & uſus veterum & Grammaticorum obſervationes probant. Neque tamen id perpetuum eſt, ſicut h. l. utrumque verbum αἰνεῖν & ἐπαινεῖν de Deo adhibetur. Profanorum Scriptorum exempla ſimilia habes apud Cl. *Jo. Alberti* p. 134. Ita *Pindarus* Pyth. Od. IX. v. 1667. αἰνεῖν τὸν ἐχθρὸν, *Ariſtophanes* vero in Pluto ἐπαινεῖν τὸν θεὸν dixerunt.

Verſ. 12. Ἔσται ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαί, κ. τ. λ.) Cum *Jeſ.* XI. 10. hoc conferunt *Surenhuſius* l. c. p. 517. & *Alethæus* Tomo V. p. 405. ſqq. qui poſterior oraculum hoc tum Chriſto contra recentiorum quorundam exceptiones vindicat, tum ἐναντιοφανείας hic occurrentes tollit. Confer *Campeg. Vitringæ* commentarium in *Jeſ.* LI. 6. Tom. II. p. 625. & noviſſime Celeb. *Jo. Grammii* Diſputat. II. de V. T. verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 39 - 41. qui interpretationem τῶν LXX. ab Apoſtolo hic retentam, a duriſſima *Arnoldi Boetii* lib. I. c. 5. Animadverſſ. cenſura diligenter & feliciter vindicat.

Verſ.

Verſ. 13. *ἐν τῷ πιςεύειν*) Deſunt in duobus Codd. & verſionibus aliquot, atque ideo pro ſcholio habentur *Millio* in Prolegomenis. Sed vide *Whitbii* Examen p. 60. Mihi quidem hæc phraſis prorſus videtur neceſſaria. Paulus pace & concordia credentes repletos eſſe vult. Hoc fine eosdem XIV. 19. cohortatus erat: *Ἄρα οὖν τὰ τῆς εἰρήνης διώκωμεν, καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους.* Hinc v. 22. commemorat rem & argumentum, circa quod illa pax probari debeat, dicens: *Σὺ πίςιν ἔχεις* &c. Hoc itaque loco eo reſpiciens, optat, ut Deus tanquam auctor ſpei omnis ipſos & gaudio, ſpei iſti innixo, & pace ac concordia *in fide* replere velit. Si quis tamen votum Paulinum in genere accipi cupiat, ut *fidem*, *ſpem* & *amorem* mutuum hic adprecetur ſuis, non refragabor. Lege in hanc ſententiam Cl. *Wokenii* Meditationes Privatas Tomo II. p. 149.

Verſ. 14. *ὅτι καὶ αὐτοὶ μεςοί ἐςε ἀγαθωσύνης, πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως*) *Millius* in Prolegom. voces *καὶ αὐτοὶ* pro ſcholio habet ideo, quod in *Arab.* & *Æthiop.* verſione tale quid non exſtet. Fulcrum opido fragile! Paulus hic ſe ipſum cum credentibus ex Romanis modeſtiæ cauſa comparat, &, ut ſtudium ſuum in iis ad ædificationem & concordiam mutuam excitandis excuſet, (vide v. 14.) profitetur, ſe non dubitare, quod *&* *ipſi* tam amice in ſe invicem affecti & ea cognitione inſtructi ſint, ut ſimili inter ſe officio cupide & recte ſint defuncturi. De voce *ἀγαθωσύνη* lege *Svicerum* Tom. I. p. 15.

Verſ. 15. *ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς διὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι*) Vocem *διὰ* Cl. *Zachar. Pierce* in epiſtolis duabus de locis quibusdam N. T. editis p. 20. præpoſitionem *διὰ* hic invitis Codicibus & verſionibus omnibus expungi vult, ut hic naſcatur ſenſus: *tanquam qui in memoriam vobis revocet gratiam ſibi a Deo datam.* Cauſam ſententiæ hanc addit, quod nihil hic aſſeratur, cujus memoriam ipſis refricare velit. Sed nihil his efficitur. Verbum enim *ἐπαναμιμνήσκειν* refertur ad antecedens *νουθετεῖν* v. 14. ad quod & promtos ſponte ſua & idoneos eſſe profeſſus erat Apoſtolus. Et quid neceſſe erat illis in memoriam revocare munus, a Deo ſibi conceſſum, ad præconium Evangelii inter gentes ſuſcipiendum? Hoc enim ignorare illi non poterant. Et alio omnino ſenſu gratiam hanc ſeu munus ſuum commemorat Apoſtolus, nempe, ut intelligerent, ſui id eſſe officii, quo per religionem non poſſit non defungi. Munus itaque ſuum pro fundamento excuſationis haberi vult, qua hic defungi volebat. Eodem ſenſu ſupra XII. 3. ait: *λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι.*

Verſ. 16. *Εἰς τὸ εἶναί με λειτουργόν*) Verbis his ad *Jeſ.* LXVI. 21. alludi exiſtimat Vitringa de Vetere Synagoga p. 65. & in Comment. ad *Jeſ.* Tom. II. p. 950. Eundem Jeſaiæ locum huc advocat *Jac. Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. c. 38. p. 286. De vocibus *λειτουργία, λειτουργὸς* & *λειτουργεῖν* lege Rev. *Salom. Deylingii* Obſervatt. Sacras Part. I. p. 144. *Svicerum* item in Theſauro ſuo loco, & quæ nos ſcripſimus ad *Act.* XIII. 2.

ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ) *Rich. Simon* vertit: *faiſant les ſaintes fonctions de l' Evangile de Dieu*, i. e. miniſterio ſacro Evangelii Dei defungentem. Non incommode ſubintellexeris præpoſitionem *κατὰ*, h. e. *ſacra facientem ſecundum Evangelii præſcriptum.* Sic ſimul apparet, cur gentes *προσφορὰ* vocentur, tanquam quæ per Evangelium victimæ Deo gratæ ſint, eidemque offerantur. Confer quæ de hac phraſi tradit B. *Dilherrus* in Diſputatt. Academicis Tom. II. pag. 218. Inſpice quoque *Sviceri* Theſaurum in vocibus *ἱερουργέω, λειτουργέω* & *λειτουργία.*

Verſ. 18. *Οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν τι, ὧν οὐ κατειργάσατο*) Facile patet, plenam locutionem fore, ſi dixeris, *λαλεῖν τι τούτων ὧν* &c. quod recte monet *Hombergius* p. 242. De verbo *τολμήσω* lege *Sviceri* Theſaurum Tomo II. p. 1277.

Verſ. 19. *ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων*) De diſcrimine harum vocum ex Scriptoribus Eccleſiaſt. diſſerit Svicerus in Theſauro Tom. II. p. 949. & quæ ſcripſi Volum. I. p. 833.

ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ) Vide huc Scriptores vitæ, itinerum & Annalium Paulinorum. Conf. *Cornel. Adami* Obſervationes Theologico-Philolog. p. 120.

πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ) Ita prorſus *Abdias* in Hiſtor. Apoſtol. lib. II. §. 7. in Vita Pauli: *Quæ enim pacis ſunt & charitatis, docui, & per circuitum ab Hieruſalem usque in Illyricum replevi verbum pacis.* Ex recentioribus Interpretibus alii aliter vertunt. Beza ita: *impleverim prædicandi Evangelii Chriſti munus.* Eraſmus Schmidius ſimiliter: *impleverim ego munus prædicandi Evangelium Chriſti.* Rectiſſime, ut puto. Sic enim *Actor.* XII. 25. Barnabas & Paulus dicuntur *πληρώσαντες τὴν διακονίαν.* Alii ſenſum quidem, ſed fortaſſe phraſin non ſatis exprimunt, vertentes: *Hieruſalem Evangelio implevi.* Nonnullis videtur dictio hebraizans. Hebræi enim verbum גמר, quod inter cetera *implere* ſignificat, docendi ſenſu adhibent. Hinc altera pars Syſtematis Talmudici *κατ' ἐξοχὴν* גמרה appellatur. Chaldaica Paraphraſis *Deut.* VI. 7. ותגמרון לבנך i. e. *& docebis filios tuos.* Itaque idem foret, ac ſi ſcripſiſſet Paulus: ſe *Evangelium Chriſti prædicaſſe*, ſeu docuiſſe, quemadmodum idem *Coloſſ.* I. 24. ait *πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.* Confer inprimis *Vitringam* Obſſ. Sacr. lib. I. p. 189. ſqq. & *Pet. Zornium* in Opuſculis Sacris p. 300. eundemque, ſub *Amelii* nomine latentem, Parte II. **der Erörterung** p. 786. Sed nec omitte, quæ ad *Matth.* V. 17. a nobis de hac verbi notione admonita ſunt. Phraſis emphatica habenda eſt, quæ ſcilicet inferat *πληροφορίαν* quandam & abundantiam præconii Evangelici. Conf. Celeb. *Fabricii* notas ad Codicem Apocryphum N. T. Tom. I. p. 452. & *Sviceri* Theſaurum Tomo II. pag. 753. Ad hunc verbi ſignificatum non attenderunt librarii, quorum vitio in paucis quibusdam Codicibus pro *ὥστε με πεπληρωκέναι* mendoſe legitur: *ὥστε πεπληρῶσθαι.* Spuriam eſſe hanc lectionem vel participiū *φιλοτιμούμενον*, quod exſtat

v. 20. evincit. Hoc enim omnino pendet ab antecedente phraſi: ὥστε με πεπληρωκέναι.

Verſ. 20. Οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον) i. e. *ita quidem honori mihi ducentem.* (me faiſant un point d'honneur) ut recte *Clericus* in Biblioth. Vet. & Nova Tomo I. Part. II. p. 381. Indicat Paulus in ſequentibus operam ſe ſedulo dediſſe, ut non apud Romanos, qui Chriſtum jam ante edocti eſſent, ſed apud eos Evangelium prædicaret, ubi Chriſti doctrina adhuc non innotuiſſet. Illa vero φιλοτιμία & hic & alias per metonymiam ſingulare ſtudium & contentionem infert, in negotio aliquo perficiendo collocatam. Lege ex ſacris 2. *Cor.* V. 9. & 1. *Theſſal.* IV. 11. ex profanis autem varia veterum loca a *Jac. Perizonio* ad Ælian. V. H. III. 1. & *Jac. Elſnero* ad h. l. allata p. 65. Cumque illa φιλοτιμία pro animi habitu interdum modum non ſervet, & in ambitionem culpandam degeneret, fieri ſolet, ut & in vitio ponatur. Hinc eam vocem de Sophiſtarum declamantium affectatione & placendi ſtudio uſurpat *Philoſtratus* de Vitis Sophiſtarum lib. VIII. p. 491. & lib. XIII. p. 497. ubi utrinque lege B. *Godofr. Olearii* notas.

Verſ. 21. Οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, κ. τ. λ.) Vide *Guil. Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς p. 518. ſqq. *Capellorum* Opera Critica p. 13. ſqq. ubi caput LII. Jeſaiæ, ex quo locus hic petitus eſt, illuſtratur, & noviſſime Cl. *Jo. Grammii* Diſput. III. de V. T. verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 41.

Verſ. 24. Ὡς ἐὰν πορεύομαι εἰς τὴν Σπανίαν) Codices nonnulli legunt Ἰσπανίαν, librariis forte hanc ſcriptionem tantum pro genuina habentibus. Sed multos veterum eam orbis partem Σπανίαν vocaſſe oſtendit *Caſaubonus*, ad Athenæum p. 574. Nonnulli veterum ex h. l. ſibi perſuaſerunt, Paulum in Hiſpania fuiſſe. Vide *Athanaſium* Tom. I. p. 956. *Cyrillum Hieroſolymit.* Catech. XVII. p. 204. & alios apud *Sam. Baſnage* in Exercitt. Anti-Baronian. p. 512. qui tamen eorum ſententiam idoneis argumentis deſtitui exiſtimat. Verba enim non divinum, atque adeo neceſſario implendum, ſed Apoſtoli conſilium produnt. Iter Hiſpanicum Pauli *Origeni* & *Euſebio* ignotum eſt, nec cum Annalibus Paulinis conciliari poteſt. Apoſtolus quoque vinculis Neronianis liberatus non in Hiſpaniam, ſed in Aſiam contendit: nec ullum denique veſtigium Eccleſiæ, a Paulo in Hiſpania conditæ, veterum monimenta oſtendunt. Hæc a *Baſnagio* l. c. diligentius diſcuſſa lege, cui junge *Wilh. Wall* in Notis Criticis Anglicanis ſuper N. T. Alios huc pertinentes Scriptores affert Celeb. *Jo. Alb. Fabricius* in inſigni libro, quem lucem Evangelii toti Orbi exorientem inſcripſit, p. 374.

Verſ. 25. Νυνὶ δὲ πορεύομαι εἰς Ἱερουσαλὴμ) Lege Cl. *Herzogii* Diſputat. de Subſcriptionibus Paulinis §. 10.

Verſ. 26. Εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία καὶ Ἀχαΐα κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι) Vide *Rob. Gelli* Reliquias Anglice editas p. 157-160. Τὸ κοινωνίαν ποιήσασθαι, *liberalitatem exercere* interpretatur B. *Godofred. Olearius* in Prælectionibus MSS.

De verbo εὐδοκεῖν conſule *Sviceri* Theſaurum Tom. I. p. 1239. de altera autem phraſi Tom. II. p. 125.

Verſ. 27. ἐν τοῖς σαρκικοῖς λειτουργῆσαι αὐτοῖς) Vide ad v. 16. Eadem fere ratione *Ariſtoteles* lib. IV. Politic. dicit λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις h. e. *opibus ſuis publico inſervire*, quem locum inter alia obſervavit *Svicerus* in Theſauro Tom. II. p. 219.

Verſ. 29. ἐν πληρώματι εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ) Vocem εὐαγγελίου Codd. quidam Græci & verſiones quoque omittunt. Hinc pro ſcholio habet *Millius* in Prolegomenis §.603. tanquam ex v. 19. huc relato. Sed veriſimilius fit, librarios quosdam vocem hanc omiſiſſe ob genitivos plures h. l. concurrentes, ſive ex incuria, ſive ideo, quod ad ſenſum ea non admodum opus eſſe putarent, quam alios aliunde hic intruſiſſe. Et ſane benedictio per Evangelium offertur, quod prædicaturus Romanis erat Paulus. De phraſi ipſa ex Scriptoribus Eccleſiaſticis commentatur *Svicerus* Tomo I. Theſauri p. 1248. & Tom. II. p. 754.

Verſ. 30. συναγωνίσασθαί μοι) i. e. *ſtudioſe me adjuvare laborantem.* Ita *Lucianus* in Jove Tragœdo p. 190. *optimus ille Timocles* ἐπειρᾶτο συναγωνίζεσθαι ἡμῖν, *omni ſtudio juvare nos conabatur.* Quem locum cum ſimilibus aliis affert Cl. *Elſnerus* p. 65.

Verſ. 31. ἡ διακονία μου) Vox hæc tum de *eleemoſyna* ipſa, tum de ejus adminiſtratione adhiberi ſolet. Confer nos ad *Act.* XI. 29. Poſteriori ſenſu hic accipitur, quem Codices quidam Græci exprimunt, quando h. l. pro διακονία legunt δωροφορία, quam ex interpretamento natam arbitror.

CAP. XVI.

VErſ. 1. Συνίστημι δὲ ὑμῖν Φοίβην τὴν ἀδελφὴν ἡμῶν) Pervulgatum eſt, Chriſtianos, teſtandi mutui amoris cauſa, ſe invicem *fratrum* & *ſororum* nomine compellare conſueviſſe. Moris hujus documenta ex ſacris literis & antiquitate Eccleſiaſtica abunde affert *Godofr. Arnoldus* in Delineatione Chriſtianiſmi naſcentis vernacula p. 337. & 366. & in Hiſtoria cognationis ſpiritualis, Goslar. 1703. 8. edita. Nonnullos ſororum nomine propudia ſua & libidines texiſſe conſtat ex iis, quæ *Svicerus* in Theſauro Eccleſiaſtico Tom. I. p. 83. affert. Tales alias συνείσακται καὶ ἀγαπηταὶ appellabantur.

οὖσαν διάκονον) De Diaconis & Diaconiſſis veteris Eccleſiæ lege B. *Caſp. Ziegleri* librum ſingularem de Diaconis, in quo capite extremo de Diaconiſſis exponit, pluresque alios, quos laudat laudatiſſimus *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 452. Adde *Lud. Anton. Muratorium* ad Anecdota Græca p. 79.

ἐν Κεγχρεαῖς) Vide dicta ad *Actor.* XVIII. 18.

Verſ. 2. ἐν Κυρίῳ) i. e. διὰ Κύριον, *propter Dominum,* ut *Theophylactus* hic exponit.

ἀξί-

Ἀξίως τῶν ἁγίων) h. e. vel, prout ſanctos decet, vel, ut dignum eſt ſanctos excipi.

Καὶ γὰρ αὐτὴ προστάτις πολλῶν ἐγενήθη, καὶ αὐτοῦ ἐμοῦ) De hoſpitio rebusque neceſſariis, Apoſtolo & aliis a Phœbe procuratis, plerique hoc accipiunt, cui quippe muneri vacaſſe diaconiſſas patet ex 1. *Tim.* V. 10. Hinc *Beza* vertit: *hoſpitium præbuit.* Cum eo facit *Vitringa* de Vetere Synagoga lib. II. c. 3. p. 504. mulierem indicari putans, quæ tum Paulum, tum alios viros ſanctos, multis officiis charitatis proſecuta ſit. Magnus *Grotius* per *patronam* interpretatur. Eum ſequitur Cl. *Elsnerus* p. 66. voci προστάτης & προστατῆσαι *patroni* & patrocinii ſignificationem nonnullis veterum locis vindicans. Sic *Plutarchus* in Romulo p. 25. exſerte Πάτρωνας per προστάτας interpretatur. Adde poſt *Henr. Stephanum* in Theſauro Græcæ Linguæ *Meurſium* in Gloſſario p. 415. & *Valeſium* ad Excerpta Peireſciana p. 305. Nec nimium Apoſtolus hoc titulo Phœbe tribuiſſe cenſendus eſt, cum πατρωνία, teſte *Dionyſio*, in genere tantum notet τῶν πενήτων καὶ ταπεινῶν προστασίαν, veteres etiam uxores ſuas eodem honoris & amoris nomine appellare conſueverint. Utrumque oſtendit *Elsnerus* l. c.

Verſ. 3. Ἀσπάσασθε Πρίσκιλλαν καὶ Ἀκύλαν) Vide Volumen noſtrum I. ad *Actor.* XVIII. 2. 26. & inſpice præ ceteris Rev. *Zeltneri* Diſputat. de Priſcilla, Aquilæ uxore, Altorf. 1709. habitam, ubi inprimis vocem συνεργούς, quæ ſequitur, explicat, & cum Hebr. חבר i. e. *ſocius*, *collega*, qui inter alios ejusmodi Doctorum inter Judæos titulus erat, confert. Aquilæ nomen inter Judæos iſta ætate frequens fuiſſe, ex Joſepho oſtendit Cl. *Jo. Baptiſta Ottius* in Annotatt. in Joſephum, Tomo II. Opp. edit. Havercampianæ p. 315. Ceterum de iis, qui in hoc capite vel ſalutantur, vel ſalutant alios, ſigillatim commentatus eſt Rev. *Jac. de Melle*, Roſtoch. 1681. qua opera defungitur etiam *Braunius* in Selectis Sacris lib. I. c. 2. §. 29. ſqq.

Verſ. 5. Καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν) Sunt, qui exiſtimant, per Eccleſiam, quæ ad domum hujus vel illius eſſe dicitur, intelligi tantum familiam domeſticam numeroſiorem. *Theophylactus*: οὕτως ἦσαν οὗτοι εὐδόκιμοι, ὥστε τὸν οἶκον αὐτῶν πάντα ποιῆσαι πιστούς· τούτους γὰρ ἐκκλησίαν ὠνόμασε. Similiter alii Patres apud *Svicerum* Tomo I. Theſauri p. 1051. *Vitringa* tamen hic intelligere mavult fideles, qui ad ædes membri Eccleſiæ nobilioris ſoliti ſint congregari. Hæc enim expoſitio maxime ſatisfacere videtur ſignificationi receptæ vocis ἐκκλησία: ſicut præterea conſtat, primos fideles in ædibus privatorum Eccleſiæ membrorum conventus ſuos agere conſueviſſe. Ita *Actor.* II. 46. κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, & *Actor.* V. 42. πᾶσάν τε ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ καὶ κατ' οἶκον οὐκ ἐπαύοντο διδάσκοντες. Cumque privati unius ædes non caperent tantam hominum multitudinem, quanta Eccleſiam Hieroſolymitanam conſtituebat, non potuit non fieri, quin plures ad hoc inſtitutū deſtinarentur. Lege *Vitringam* de vetere Synagoga lib. I. p. 258. Adde conſentientem Cl. *Pet. Zornii* diſſertat. de Scholis publicis veterum Judæorum cap. I. §. 5. & *Joſ. Mede* in ſcripto Anglicano de Eccleſiis primitivæ Eccleſiæ, quod exſtat in Operibus ejus p. 304.

Os

Ὃς ἐςιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας) Codices nonnulli antiquiſſimi & verſiones item pro Ἀχαΐας legunt Ἀσίας. Cumque Origenes in h. l. obſervet in alia epiſtola, nempe 1. *Corinth.* XVI. 15. dici de quibusdam, quod ſint primitiæ Achajæ; non dubitat *Millius* in notis ad h. l. & in Prolegomenis §. 680. ex iſto loco huc pro Ἀσίας traductum fuiſſe Ἀχαΐας. Eandem lectionem amplectuntur *Whitbius* ad h. l. & antea *Grotius*, eodem, quo *Millius*, argumento adducti, tum vero Anonymus editor N. T. Græco-Anglicani, Lond. 1729. 8. p. 591. & *Wilh. Wall* in Notis Criticis Anglicanis ſuper N. T. p. 251. qui miratur exempla N. T. Græca edita alteram illam lectionem ſervare adhuc poſſe. Ratio adducta mihi quidem ad receptam & codicibus communiorem lectionem ſollicitandam ſufficere minime videtur. Quid enim obſtat, quo minus in Achaja plures ſimul ad fidem Chriſti perducti ſint, qui reſpectu ad ceteros, poſtea converſos, habito, ἀπαρχὴ ſeu primitiæ vocentur. Neque enim exiſtimandum eſt, ἀπαρχὴν de uno tantum dici. Paulus ſupra cap. XI. 16. Sanctos Patriarchas, Judæorum majores, & *Jacobus* I. 18. Chriſtianos ſui temporis ἀπαρχὴν τῶν τȣ̃ Θεȣ̃ κ]ισμάτων appellat. *Wallius Epænetum* noſtrum Epheſinum patria fuiſſe ſuſpicatur, qui tunc Romæ degerit. Sed ſuſpicatur. Et ponamus, fuiſſe, quid prohibet, quo minus in Achaja commoratus ante ſit, & poſtea Romam venerit? De ipſius phraſeos notione lege *Svicerum* in Theſauro Tom. I. p. 422.

Verſ. 6. Ἐκοπίασεν εἰς ἡμᾶς) Pauci Codices legunt εἰς ὑμᾶς. Communior illa lectio facile ſe tuetur, cum ex antecedentibus commatibus conſtare poſſit, Apoſtolum illis primum locum inter ſalutandos concedere, qui ſibi potiſſimum vel beneficiis, vel opera, in munere rectius obeundo præſtita, præ ceteris cogniti fuerint. Hoc conſilio commendat Phœben, v. 2. quam vocat προςάτιν ἀυτȣ̃ ἐμȣ̃, tum *Priſcillam* & *Aquilam*, ut συνεργȣ̀ς, v. 3. hinc *Mariam*, v. 6. tum *Andronicum* & *Juniam*, tanquam συναιχμαλώτȣς. Itaque certum eſt, Apoſtolum in commemoratione operæ, a Maria præſtitæ, ad ſe potius, quam ad alios reſpexiſſe.

Verſ. 7. Ἀσπάσασθε Ἀνδρόνικον καὶ Ἰȣνίαν) *Juniæ* nomen fœminæ, & forte uxoris Andronici, viſum eſt *Druſio* & *Grotio*, quorum tamen conjectura veri ſpecie exuitur, eo quod inter Apoſtolos, ſcilicet tanquam ſtrenui veritatis doctores & confeſſores, celebrati, ac præterea carceris Paulini ſocii dicuntur. Utrumque in virum magis quam fœminam cadere certum eſt. Nomen Ἰȣνίας contractum videtur ex pleniore *Junilius*, quod quidam Africæ Epiſcopus Seculo VI. geſſit, ſicut Σιλᾶς ex Σιλȣανός.

Ἐπίσημοι ἐν τοῖς Ἀποςόλοις) *celebres inter Apoſtolos* vocantur, non ſolum ut ſtrenui doctrinæ Evangelicæ ſectatores, ſed ut confeſſores & præcones ejusdem, qui alias συνεργοὶ appellantur. Conſtat enim, ἀποςόλȣς, latiori ſenſu in ſacris & Eccleſiaſticis Scriptoribus dici, qui de Evangelica doctrina amplificanda laborabant. Vide *Svicerum* Tomo I. Theſauri p. 477. & *Jo. Steph. Menochium* in Tractatibus eruditis Italice editis Parte III. p. 459. ſq.

Οἱ

"Οἱ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ) h. e. priores me in Chriſto per fidem amplectendo fuerunt. Ex quo non præter rationem confici videtur, eosdem primos doctrinæ Evangelicæ præcones Romæ fuiſſe. Vide in hanc ſententiam commentantem *Jac. Nyloe* in Schriſtuurlyk Licht p. 156. ſeqq. De phraſi ipſa lege Patres apud *Svicerum* Tom. II. Theſauri p. 1553.

Verſ. 8. Ἀμπλίαν) *Alex.* legit Ἀμπλιάτον, & ſic verſiones nonnullæ & Patres Latine efferunt *Ampliatum*. Genuina tamen ſcriptio eſt Ἀμπλίας. Eadem enim forma Græcis frequens eſt. Ita in hoc capite memorari videmus v. 7. Ἰουνίαν, v. 14. Πατρόβαν, v. 15. Ἰουλίαν & Ὀλυμπᾶν. Lectio Ἀμπλιάτον nata videtur ex articulo præpoſitivo τὸν, qui ab epitheto ſequente τὸν ἀγαπητὸν divelli facile, & huc transferri potuit. Latinos Patres hanc formam prætuliſſe mirum non eſt; hæc enim terminatio magis eſt Latina ad Exemplum *Donatus*, *Fortunatus* &c. Imo Ἀμπλίας uſitata decurtatione, de qua ad v. 14. dicemus, ex integro *Ampliatus* natum eſt. Interim nomen eſt idem, quocunque ſcripſeris modo.

Verſ. 10. Ἀσπάσασθε Ἀπελλᾶν) Fuerunt, qui *Apellen* hunc vel *Apellea*, cum τῷ Ἀπολλῶς, de quo Actor. XVIII. 24. eundem ſtatuerunt. Vide *Jo. Braunium* in Selectis Sacris lib. I. pag. 30. & *Pet. Zornium* in Opuſculis Sacris Tom. I. p. 617. ubi variationem nominum ejusmodi Propriorum frequentem eſſe ſubmonet, & Scriptores huc pertinentes laudat. Ἀπελλῆς vero contractum videtur ex Ἀπελλέας ab ἀπέλλω, *arceo*, *depello*, ut Θαλῆς ex Θαλέας. Confer *Hilleri* Onomaſticon p. 680.

Τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ) cujus ſinceritas & conſtantia in fide Chriſti variis experimentis comperta erat. Lege *Svicerum* Tomo I. p. 937.

Ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου) ſcilicet *οἰκείων, domeſticorum Ariſtobuli*. Sic 1. *Cor.* I. 11. *ἐδηλώθη γάρ ὑπὸ τῶν τῆς Χλόης*, ſcilicet *οἰκείων nunciatum eſt a familiaribus Chloes*. Conf. *Eraſmi Schmidii* notas ad h. l. & *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. Linguæ p. 137. Sic iterum v. 11. τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου.

Verſ. 12. Ἀσπάσασθε Τρύφαιναν καὶ Τρυφῶσαν) Utriusque mentio eſt in Martyrologio Romano ad X. Novembris: *Iconii in Lycaonia ſanctarum mulierum* Tryphænæ & Tryphoſæ (ſc. memoria celebratur) *quæ B. Pauli prædicatione & exemplo* Theclæ *in Chriſtiana diſciplina profecerunt*. Has easdem putat cum noſtris *Eſtius* & alii ad h. l.; dubitat vero *J. E. Grabius* in Spicilegio Patrum Tom. I. p. 335. *Tryphænæ* mentio quoque fit in Actis Theclæ.

Ἀσπάσασθε Περσίδα) *Periſtum* hanc vocat Coptus, a Cl. *VVilkinſio* editus. Perſis dicta procul dubio eſt, quia e Perſia oriunda. *Periſta* autem quid ſit, non facile dixeris.

Verſ. 14. Ἀσπάσασθε Ἀσύγκριτον) Ordinem nominum hic cumulatorum Codices nonnulli mutant. Vide *Millium* ad h. l. & *Fabricium* Tomo II. Codicis Apocryphi N. T. p. 750. Ἀσύγκριτος quidam memoratur in epiſtola Ignatii ad Smyrnæos p. 7. edit. Oxonienſis, ſiquidem id cum *Th. Smitho* in notis p. 66. pro nomine proprio habendum fuerit. Nam vetus Interpres, & cum eo

Jo. Pearſonus pro appellativo habent,& vertunt *incomparabilem*.Locus hic eſt: Ἀσπάζομαι Ἀλκὴν, τὸ ποθητόν μου ὄνομα,καὶ Λάφυον Ἀσύγκριτον,καὶ Εὔτεκνον, καὶ πάντας κατ᾽ ὄνομα. Immodicum hoc videtur elogium *Smitho*. Sed forte tamen pro elogio habendum, inprimis, quod præcedenti *Alcæ* aliquod, quamvis non ita magnum, jungitur, ac præterea τε καὶ addendum fuiſſe videtur, ſi pro nomine Proprio accipiendum eſſet, hoc modo: καὶ Δάφυον, καὶ Ἀσύγκριτον, καὶ Εὔτεκνον, καὶ πάντας κατ᾽ ὄνομα. Sed iſta quidem tanti non ſunt.

Ἑρμᾶν) Hunc *Hermam* iſtum eſſe,cujus *Paſtorem* hodie habemus, exiſtimat *Origenes* in Comment. ad h. l. De eo nihil eſt, quod hic dicamus. Veterum de ipſo teſtimonia habes in Celeb. *Fabricii* noſtri Codice Apocrypho N. T. Tom. II. p. 738. ſqq. ubi & ipſe Paſtor cum notis Virorum doctorum legitur. Ceterum Ἑρμᾶς eſt ex pleniore Ἑρμογενῆς, de quo paulo poſt.

Ἑρμῆν) Ἑρμῆς contractum eſt ex Ἑρμέας, ut Ἀπελλῆς ex Ἀπελλέας, de quo v. 10.

Πατρόβαν) *Patrobas* nomen hybridum videtur *Braunio* in Selectis Sacris lib.I.c.2.pag.31. ex Græco πατὴρ & Syriaco אבא conflatum. Cum vero *Martialis* hoc nomine libertum quendam Domitiani appellet, quod Grotius monuit, Latinis illud frequentatum atque adeo a Græcis totum mutuatũ videtur. Itaque rectius exiſtimabimus, Πατρόβαν dictum quaſi Πατρόβιον, i. e. *Patris vitam*,ut monet B. *Matth. Hillerus* in Onomaſtico Sacro p. 680. Quod ut appareat,notandum eſt, in Græcis Latiniſque litteras & ſyllabas, ubi nomina propria formantur, frequenter abſcindi & decurtari. Ita Ἀρτεμᾶς Tit. III. contractum eſt ex Ἀρτεμίδωρος,ſecundum Varronem Anal.L.L.p.102. Θευδᾶς ex Θεόδωρος *Act*. III. 36. Ζηνᾶς ex Ζηνόδωρος Tit. III. 13. Ἑρμᾶς in hoc commate ex Ἑρμογενῆς, Ἀμπλίας ex Ἀμπλιάτος, Ἰουνίας ex *Junilius* &c. Plura hujus generis lege apud ſagaciſſimum *Hillerum* l. c. p. 679. ſq.

Verſ. 15. Καὶ Ἰουλίαν) Chronicon Alexandr. unum hoc nomen omittit, forte quod ipſi cum nomine Ἰουνίαν,quod v.7.exſtat, idem videtur,ſicut & pauci quidam codices h. l. Ἰουνίαν legunt. Sed utrumque tamen nomen diverſiſſimum eſt. *Julia* enim, fœmina Libertina, a Julio appellata videtur, tanquam manu miſſa ab aliquo de Cæſarum domo. Confer *Hillerum* l. c. p. 860.

Νηρέα) Duo Codices legunt Νηρέαν, atque hanc lectionem ſequitur hic Grotius,idemque putat eſſe,quod *Nerio*,vel *Neria*,quod *Gellius* Sabinum verbum eſſe, & virtutem ac fortitudinem ſignificare tradit Noct. Attic. XIII. 21. Cum vero Codices in ſcriptione Νηρέα fere conſentiant, hæc autem forma non poſſit niſi ex Νηρεὺς repeti, ſatius videtur nomen Νηρεὺς, quod Dei marini eſt apud Poëtas, hic intelligere, tanquam ad homines translatum.

Καὶ Ὀλυμπᾶν) Ὀλυμπᾶς decurtate ex Ὀλύμπιος, vel Ὀλυμπιόδωρος. Vide ad v. 14.

Verſ. 16. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ) Eadem phraſis exſtat 1.*Cor*.XVI.20. 2.*Cor*.XIII.12.& 1.*Theſſal*.V.26. atque ſic vocatur ad differentiam oſculi mundani & carnalis, quia non debeat ſapere carnales affectus nec

ſua-

ſuavia Venerea, ſed Spiritum Dei Sanctum, omnis ſanctitatis & Chriſtianæ charitatis auctorem. S. *Petrus* vocat φίλημα ἀγάπης 1. ep. V. 14. Lege B. *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. III. c. 7. p. 283. qui & de iſto oſculi genere ex Patribus commentatur. De eodem vero oſculo, inter Chriſtianos frequentatiſſimo, fuſius exponunt præter *Kempium*, *Henckelium*, & *Jo. Lomeierum* de Diebus Genial. Diſſert. X. qui de Oſculis data opera agunt, *Pfannerus* P. II. Obſervatt. Eccleſ. p. 131. *Spanhemius* Tom. I. Operum p. 619. *Godofr. Arnoldus* de primitivo Chriſtianiſmo lib. III. c. 2. p. 351. ſqq. *Jo. Dougthæus* in Analectis Sacris N. T. Exc. LXXI. p. 105. & *Jo. Steph. Menochius* in Tractatibus eruditis Italice editis, Parte II. p. 288. ſqq.

Ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι τῦ Χριςῦ) Has eccleſias de cœtibus illis interpretor, qui Corinthi potiſſimum, unde epiſtola hæc ſcripta eſt, in privatorum ædibus agi ſolebant; niſi de illis omnibus interpretari malis, quæ a S. Paulo erant plantatæ. Conf. dicta ad v. 5. Nonnulli Codd. addunt πᾶσαι, quos affert & probat *Millius* in notis & in Prolegom. §. 680. librarios vel ſtudioſos vocem illam ideo expunxiſſe ſuſpicatus, quod non viderent, quomodo fieri poſſet, ut Paulus Romanos nomine omnium Eccleſiarum ſalutarit. At eam quidem rationem non puto ſufficere adſciſcendæ voci, quam in pleriſque Codicibus fruſtra requiras. Facile enim cogitare poterant, ſi vocem πᾶσαι inveniſſent, Paulum, ſalute hac nuntiata, communionem amoris indicare voluiſſe, quæ inter ceteras & Romanam Eccleſiam intercederet, de qua apud reliquas illas, cum iſtis adeſſet Paulus procul dubio verba fecerat. Quod ſi de particularibus illis Corinthi Eccleſiis verba Pauli acceperis, ſalutationis fons apertus fuerit. Sin minus; vel ſic probabilius fit, credere, nonnullos vocem πᾶσαι addidiſſe δεινώσεως cauſa, ideo, quod viderent, ἐκκλησίας in plurium numero appellatas, quas de omnibus Chriſti Eccleſiis interpretandas illi quidem non admodum tute cenſebant. Et vel ſic tamen editio N. T. Græco-Anglicani Londinenſis 1729. 8. vocem πᾶσαι exhibet.

Verſ. 17. & 18. explicat B. *Jo. Bened. Carpzovius* in ſingulari Diſputat. quæ inter Diſputatt. ejus Academicas recuſa exſtat p. 1234. ſq.

Verſ. 17. σκοπεῖν) i. e. *cavere*, quo ſenſu verbum hoc frequenter uſurpatur.

διχοςασίας) B. *Lutherus* Zertrennungen, de qua voce lege *Dieterici Stadenii* Expoſitionem vocum difficiliorum verſionis Germanicæ Bibliorum ſuo loco. Quinam fuerint illarum diſſenſionum auctores & nutritores, diſputatum eſt inter Interpretes. *Hammondus* de Gnoſticis ſuis hic cogitaſſe Apoſtolum, præter veri ſpeciem cenſet. *Grotius* rectius refert ad illos, qui gentibus ad Chriſti ſacra converſis, Legis Moſaicæ jugum ad conciliandos ſibi Judæos, & avertendas calamitates imponere conabantur. Eum ſecutus eſt *Campeg. Vitringa* in Obſſ. Sacris lib. IV. c. 9. p. 994. ſqq. & ex noſtratibus Rev. *Jo. Jac. Rambach* in Introduct. in epiſtolam hanc p. 68. ſq. Conf. dicenda ad v. 19.

Verſ. 18. *καὶ διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας*) Voces *καὶ εὐλογίας* abſunt a quinque Codd. MSS. ceteri vero omnes, ut & verſiones exprimunt, & vel ſic pro interpretamento habet ex margine tandem in contextum illato *Millius* in Prolegomenis, recte repugnante *VVhitbio* in Examine p. 61. quamvis nullo diſſenſionis argumento allato. Mihi quidem vox *χρηστολογία* adeo nota & clara videtur, ut credere non poſſim, illam per aliam cuiquam viſam eſſe interpretandam. Deinde voces hæ ſibi invicem non prorſus reſpondent. *χρηστολογία* enim ſermonem infert ad blanditias, vocibus & forte etiam geſtibus expreſſas, arte compoſitum: *εὐλογία* vero vel *laudes*, vel *benedictiones* reſpicit, in alterum affectate & vane ac ſine fundamento collatas. Benedictionis notio in ſacris potiſſimum literis obtinet, *laudationis* vero in profanis. *Ariſtophanes* in Pace p. 678. *ἄξιον εὐλογίας μεγάλης* quendam appellat: idemque *τὸ εὐλογεῖν* pro *laudare* adhibet in Equitibus p. 322. Lege *Lamb. Bos* in Exercitt. p. 34. & nos ad *Luc.* I. 64. ubi *laudandi* ſignificatus itidem obtinet. Adde *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 1248. & Tom. II. p. 1533.

τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων) Ἄκακος hic dicitur ſimplex atque incautus, qui ut ipſe eſt minime malus, ita nec de aliis quicquam mali ſuſpicatur: unde fit, ut facile decipiatur. Lege *Polybium* p. 345. qui hominem memorat *ἄκακον ὄντα καὶ πρᾶον τῇ φύσει, πιστῶς δὲ τὰ πρὸς αὐτὸν διακείμενον.* Confer Rev. *Raphelii* Annotationes Polybianas p. 449. Eodem ſenſu acceperunt Patres, qui *τοὺς ἀκάκους* per *ἁπλουστέρους* interpretantur apud *Suicerum* Tom. I. p. 148.

Verſ. 19. *Ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο*) *Obedientia* hic omnino denotat *fidem* ſeu fidelem perſuaſionem, qua Chriſti ſacra Romani amplexi erant. Hæc ſupra I. 5. plenius appellatur *ὑπακοὴ πίστεως*, & XV. 18. *ὑπακοὴ ἐθνῶν*, iterumque commate 26. hujus capitis. Sic *Actor.* VI. 7. *ὑπήκουον τῇ πίστει.* Imo *ὑπακοὴ* illa eſt *πίστις* Romanorum, de qua ſupra I. 8. eodem ſenſu, quo hic, dixerat, *ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ.* Hoc ſenſu Interpretes, quos ſciam, omnes acceperunt, quibus nuper ſe oppoſuit Cl. *Oederus* in Syntagmate Obſervatt. Sacrar. p. 560. de *obedientia*, Claudio Romanorum Imperatori præſtita, ſermonem hic eſſe ratus, atque ita verba convertens: *compertum eſt, vos ſancte fidem & obſequia præſtitiſſe.* Refert itaque hæc ad admonitionem cap. XIII. 1. de obedientia Magiſtratui præſtanda, tanquam cui hactenus audientes fuerint. Quam longe hæc petita ſint, quamque conſueto phraſeos Paulinæ uſui repugnent, unusquisque per ſe intelligit. Sententiam tamen ſuam firmare vel ornare potius conatur ex eo, quod *verba hæc* alioquin *non cohæreant cum* v. 17. & 18. *ubi Romanos cavere ſibi jubeat ab iis, qui διχοστασίας καὶ σκάνδαλα*, turbas, diſſenſiones ſive *factiones & ſcandala* concitent, *hos* enim *quantumvis blandis verbis conentur homines alioquin innocuos ad ſceleris ſocietatem pellicere, ſuo tamen ventri non Dei honori ſtudere.* At egregie cohærent cum antecedentibus verba: *ἡ ὑπακοὴ ὑμῶν εἰς πάντας ἀφίκετο*, modo vir doctus vocibus *διχοστασία* & *σκάνδαλα* conſuetam in ſacris ſignificationem ſartam tectamque relinquere voluiſſet. In illis enim *διχοστασία* ſemper

per ad *diſſenſiones* Chriſtianorum reſpectu vel *doctorum* ut 1. *Cor.* III. 3. vel *doctrinarum*, ut *Gal.* V. 20. indicandas adhibetur, ideoque poſteriore loco *διχοστασίαι καὶ αἱρέσεις* proxime conjunguntur. Atque ex hoc *διχοστασίας* ſignificatu vocis *σκάνδαλα* notio omnino eſt æſtimanda. Communem vero illam ſignificationem hic quoque locum tueri vel ex phraſi *παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ἐμάθετε*, intelligitur. Nonne enim hæc ad univerſalem illum doctrinæ ſalutaris, qua Romani inſtructi erant, concentum ſpectat? aut num Paulus ad ſpecialem illam admonitionem, quam cap. XIII. 1. de Magiſtratu reverenter habendo inculcaverat, reſpexiſſe exiſtimandus eſt? Si hæc præſtruantur, perſpicuum eſt, quomodo v. 19. cum 17. & 18. cohæreat. Apoſtolus enim ſic Romanos ad doctrinam *fidei*, quam adhuc illibatam ſervarint, conſtanter tenendam efficaciter & blande cohortatur, in memoriam illis laudatiſſimam veritatis conſectationem revocans, cujus fructum nec inpoſterum amittere debeant. Nec obvertere vir doctus poteſt, hoc modo non apparere, quomodo *ventri ſervire* dicantur doctrinarum alienarum auctores. Quomodo enim hoc in ejusmodi quoque homines cadat, ex iis patet, quæ ad v. 17. diximus.

Verſ. 19. *Ἀκεραίους εἰς τὸ κακὸν*) Vide Volumen I. harum Curarum p. 181.

Verſ. 20. *Συντρίψει τὸν Σατανᾶν*) Codices quidam legunt *συντρίψαι* in forma optativa, quod & forte verſiones quædam reſpexerunt, reddentes: *conterat.* Sed recepta lectio proba eſt, & merito talis videtur *Millio* ad h. l. & in Prolegomenis §. 934. Scilicet nihil frequentius eſt, quam ut Futurum apud Hebræos inprimis, tum vero apud Græcos, optandi ſenſu adhibeatur. Hic vero & illud accedit, quod vox *συντρίψει* non ſolum pium votum, ſed etiam promiſſionem de re, tanquam certiſſime futura, inferat. Phraſin ipſam ex re militari erudite explicat *Jac. Lydius* in Syntagmate de re militari veterum pag. 221. Victores ſcilicet olim hoſtium ſuperatorum colla pedibus ſubjicere conculcanda ſolebant. Vide *Jeſ.* XIX. 24. & *Pſalm.* XCI. 13. Ita *Claudianus* VI. Conſulatu Honorii:

Colla triumphati proculcet Honorius Iſtri.

Τὸν Σατανᾶν) *Rich. Simonius* in notis ad verſionem Gallicam N. T. & fere etiam *Jac. Guſſetius* loco mox citando adverſarium hic intelligi vult, qui Schiſmatis inter Romanos fuerit auctor. *Jo. Clericus* in notis ad N. T. quibus Hammondianas locupletavit, *ſpectari unice* vult *vexationes Judæorum, qui bellum internecinum in Chriſtianos, quaſi in apoſtatas, gerebant. Hi enim*, ita pergit, *cum eſſent inſtrumenta cacodæmonis, qui κατ' ἐξοχὴν dicitur Satan, ſeu adverſarius, & ab eo adflati chriſtianam religionem conarentur in ipſis natalibus opprimere, non poterant perdi, quin eadem opera* Satan *veluti contereretur.* Idem vero, mutata priori ſententia, in notis ad Verſ. Gall. reſpici cenſet *falſos doctores*, de quibus v. 18. Cl. *Oederus* l. c. pag. 561. *nuntiari* hic putat *eccleſiæ Romanæ halcyonia, ſaltem ad annum uſque nonum Neronis duratura, per quod tempus eccleſia miris modis aucta & corroborata ſit, ut fluctibus, a tyran-*

tyranno Nerone deinceps concitatis, concuſſa quidem, at, minime oppreſſa ſit, totque invictos Chriſti confeſſores ſiſtere ad ſtuporem orbis terrarum potuerit. Hanc ſaltem, HANC tranquillitatem ait Apoſtolus proximam eſſe &c. Quod ad ***Rich. Simonem*** attinet, Paulus v. 17. non unum, ſed plures *diſſenſionum* & *offendiculorum* auctores memorat. Itaque vel ideo de homine uno, tanquam mali auctore, qui Satanas vocetur, cogitari heic non poteſt. ***Jo. Clericus*** ſententiam ſuam ex parte in meliorem mutavit, quamvis nec ſic adprobandam. Cl. ***Oederus*** denique τῇ ὑποθέσει δȣλεύει, quam in ſuperioribus ad XIII. 11. ſatis nobis confutaſſe videmur. Rectius Interpretes plerique omnes, ipſe quoque ***Grotius*** & Clericus ad verſ. Gallicam, ad promiſſum *Geneſ.* III. 15. datum de ſerpente, (i. e. Satana) per ſemen mulieris (Chriſtum) proterendo reſpici affirmant, quod ipſum pluribus evolvit ***Jac. Guſſetius*** in Confutat. libri *Chiſſuk Emuna* p. 93. ubi ſimul oraculum illud de Meſſia, Servatore noſtro, intelligendum eſſe evincit, idemque a φλυαρίαις Judæi virulentiſſimi, ex hoc Pauli loco per abuſum repetitis, vindicat, monetque, Paulum Satanam non conſiderare in tota vi ſua, quæ victoriâ omnibus partibus ſuis conſtante, peſſundari debeat, ſed in ea virium parte, qua poteſt ſerere διχοςασίας & ſcandala. Atque id ſibi velle Paulum vel ex phraſi: ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης (per quem Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum, tanquam omnis pacis auctorem & ſtatorem intelligo) apparet, non obſcure inindicante, S. Apoſtolum ad διχοςασίας, paci utique contrarias, oculos retuliſſe. Non erat itaque, cur idem ***Guſſetius*** eo divergeret, ut commoneret, intelligi etiam poſſe hominem, turbas cientem, atque adeo Satanæ munere fungentem, dignumque, qui æque ac Petrus olim Satanæ nomen ferret. Confer ***Cappellorum*** Opera Critica p. 587.

Verſ. 21. Καὶ Λȣ́κιος) Lucam Evangeliſtam plerique Interpretum hic indicari cenſent. His adde ***Sanctium*** in commentar. in Acta, & ***Baronium*** in Annalibus ad A. C. XLVIII. qui tamen in Martyrologio Romano ad Octobr. XVIII. aliter ſtatuerat. Ex noſtratibus idem, ut Interpretes taceam, ſentit præſtantiſſimus ***Hillerus*** in Onomaſtico Sacro, qui in hac doctrinæ parte omne punctum tulit, p. 681. Contractum ſcilicet ait Λȣκᾶς ex Λύκιος, ut Τιβᾶς, ſervi nomen, a Τίβιος & ***Jonas*** ab ***Jonius*** ſecundum Varronem Anal. LL. p. 102. Adde doctiſſimum ***J. A. Fabricium*** Biblioth. Græc. lib. IV. pag. 132. qui a Gregorio Nazianz. Lucam Λȣ́κιον appellari commode monuit in Diſticho alioquin notiſſimo:

Ματθαῖος μὲν ἔγραψεν Ἑβραίοις θαύματα Χριςȣ̃,
Μάρκος δ' Ἰταλίᾳ, Λȣ́κιος Ἀχαΐδι.

Accedit his partibus Cl. *Heumannus* in Pœcile Tom. II. p. 519. qui præterea τὸ συγγενὴς per *cognatum*, vel potius, *gentis Judaicæ hominem*, quæ vocis hujus notio eſt ***Rom.*** IX. 3. interpretatur. Hæc malim, quam cum ***Grotio*** Λȣ́κιον hunc conferre cum Λυκίῳ illo Cyrenæo, ***Act.*** XIII. 1. & ***Lucæ*** nomen pro decurtato ex *Lucilio* habere. Lege etiam Hiſtoriam Reipubl. Literariæ Criticam gallice editam, Tom. V. p. 250. ſqq.

καὶ

Καὶ Ἰάσων) Ab *ἰάομαι* recte derivant Etymologi. Nec video, qui *Franc. Burmannus*, Vir alioqui doctiſſimus, in Exercitatt. Theolog. Part. II. p. 161. Jaſonis nomen tanquam ex Hebraico in Ethnicam linguam converſo per *ſecundus* interpretetur.

Καὶ Σωσίπατρος) Idem forte, qui Σώπατρος, *Actor.* XX. 4. pro varietate dialectorum. Vide *Hillerum* l. c. p. 939. Sed confer quæ in Vol. I. ad Actuum locum diximus.

Verſ. 22. Ἐγὼ Τέρτιος) Hunc *Silam* eſſe, nomine ſcilicet Hebræo שלוש (*tres*) in Latinum commutato, ſuſpicatur laudatus *Burmannus* l. c. p. 160. minus, puto, veriſimiliter. *Tertii* enim nomen Latinis familiare fuit, nec cauſa eſt, cur *Tertium* hunc ex gentibus ad Chriſti ſacra converſum eſſe non credamus. Taceo, non exſtare in antiquitate veſtigium τοῦ שלוש pro nomine Proprio inter Hebræos uſurpati. Rev. *Zeltnerus* in Gloſſa ad ſuam Germanicæ verſionis Lutheri editionem ſuſpicatur, vocem τέρτιος hic eſſe appellativam, & *tertiam* perſonam indicare, cui Paulus epiſtolam in calamum dictarit. Siquidem id indicandum fuiſſet, nil video cur non fuiſſet ſcriptum τέρτιος. Τέρτιος hic omnino eſt nomen Proprium perinde, ut *Quartus* v. 23.

Ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν ἐν Κυρίῳ) Voces ἐν Κυρίῳ ad verbum ἀσπάζομαι pertinere patet ex 1. *Cor.* XVI. 19. Conf. *Pet. Bauldry* epiſt. in *Neocori* Bibliotheca Novorum librorum an. 1699. p. 385.

Verſ. 23. Οἰκονόμος τῆς πόλεως) i. e. *ærarii* ſeu *pecuniæ publicæ diſpenſator*, quem veteres *arcarium* vocabant. Ita recte vertit *Vulgatus*. Adde *Suiceri* Theſaurum Tom. II. pag. 464. & Cl. *Joh. Adam. Fleſſæ* Exercitationes binas de Arcariis Baruthi 1725. & 1726. editas, in quarum altera de Arcariis civilibus, & *de arcariis urbium* ſpeciatim §. XI. exponitur, talemque Eraſtum Corinthi egiſſe affirmatur. Idem poſtea adſtruxit Cl. *Elsnerus* pag. 68. allatis Græcis & Latinis Inſcriptionibus, in quibus οἰκονόμων & *arcariorum* hoc ſenſu mentio fit.

Verſ. 24. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν, Ἀμήν.) Comma hoc duo Codices, & verſiones nonnullæ omittunt: alii vero in finem epiſtolæ rejiciunt: utrique præter rem. Videri hæc poterant a *Tertio* amanuenſe ſcripta, a quo ſuperiora calamo exarata erant Pauli nomine. At enimvero Apoſtoli mos ita fert, ut eandem ſalutandi formulam aliquoties repetat. Vide 2. *Theſſal.* III. 16. & 18. item 1. *Corinth.* XVI. 22. 23. Ita hodienum, ubi epiſtola *vale* dicto conſummata eſt, & alia paucis commemoranda menti ſe adhuc offerunt, ſcribere ſolemus: *vale iterum.* Et fieri potuit, ut hanc ſalutandi formulam, poſt eam capitis XV. 33. ſua ipſe manu adſcriberet in argumentum, eam a ſe eſſe profectam, & ſuo nomine ſcriptam. Conf. 2. *Theſſal.* III. 17. 18.

Verſ. 25-27. Explicantur a B. *Franc. Julio Lütkenio* in Collegio Biblico pag. 388. ſqq. Totam, quæ iis continetur, formulam capiti XIV. ſuperiori annectunt Codices nonnulli, & commentarii veterum, puta *Chryſoſtomi, Theodoreti,*

doreti, Theophylacti, Oecumenii, & aliorum, quos *Millius* appellat ad Rom. XIV. 23. Ex recentioribus idem fieri volunt *Eraſmus, Grotius, Knatchbullus, Hammondus, Clericus, Millius*, & noviſſime *Wilh. Wall* in Notis Criticis Anglicanis ad N. T. pag. 247. Recentiſſimus N. Teſt. Græco-Anglicani editor illa commata capiti XIV. ſubnexuit. Ex noſtratibus Rev. *Jo. Jac. Quandt*, Profeſſor Theologus Regiomontanus, in Diſſertat. de Doxologiis Paulinis §. 13. in has partes inclinat, ideo, quod magis oppoſita ſit connexio, ſi Paulus ſermoni de periculo conſcientiæ dubitantis cap. XIV. glorificationem Dei δυναμένου στηρίξαι ſubjunxiſſe credatur. *Millius* exiſtimat, Apoſtolum hic primo finire epiſtolam, atque adeo hunc quaſi colophonem imponere voluiſſe: reſumto autem poſtea, quod in ſuperioribus tractaverat, argumento, alia quædam addidiſſe, de tolerantia ac dilectione mutua, reliquisque uſque ad c. XVI. 21. Heic vero iterum finem epiſtolæ feciſſe videri Apoſtolum, & reliqua ad v. 25. data mora, una cum amanuenſi *Tertio* addidiſſe, ex quo factum ſit, ut tria, de quibus nunc agimus, commata, ex fine capitis XIV. tanquam loco, ut videbatur, incongruo, vel ab Eccleſia, vel a librariis in calcem totius epiſtolæ conjicerentur. Sed illa quidem exiguam veri ſpeciem habere mihi videntur. Si enim Paulo animus fuiſſet, epiſtolæ toti hic finem imponere, non omiſiſſet omnino conſuetam voti formulam, qua gratiam Dei credentibus a Chriſto vel in Chriſto in omnibus omnino epiſtolis adprecatur. Præterea cap. XV. ita cum cap. XIV. ratione argumenti conjunctum eſt, ut tractationi non parum decedat, ſi ſequentia omittantur. Quis vero exiſtimarit, Paulo iſta deinceps in mentem demum veniſſe, cum plura ſcribendi otium ſupereſſe videret? Parum valet, quod objicit Millius: *quis*, inquiens, *eam e loco commodiſſimo, quem in hodiernis multisque veterum libris habet, in locum ſumme incongruum mediam ſcilicet orationem, citra omnem exemplarium auctoritatem importune unquam tranſmiſerit?* Bonum quidem, fateor, factum eſt, ſi occaſio & cauſa varietatis Codicum aut corruptelæ reddatur; ſed non ſequitur, corruptelam aliquam ſtatui non poſſe ibi, ubi occaſio non adeo ſit in promtu. Ejusmodi res a levibus & obſcuris circumſtantiis interdum pendet, quas conjectura non facile adſequaris. Aut valde ego fallor, aut particula hæc in hunc locum pervenit ex epiſtolæ hujus exemplaribus a Marcione temere mutilatis. Hic enim, teſte *Origene* ſeu *Rufino* in commentario bina ultima capita expunxerat, doxologia illa in finem capitis XIV. relata. Placet itaque Cl. *Heumanni* ſententia, quam in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. pag. 295. ita aperit: *Scilicet, cum Apoſtolus hanc epiſtolam non ipſe exararit calamo, ſed dictarit, excipiente Tertio, hinc crediderim, Apoſtolum poſt finitam verſu 24. ſcriptionem Tertii ſua ipſum manu adjeciſſe tres illos verſus,* (addiderim ego v. 24. ad quem quæ dicta ſunt vide) *quem in modum & ſua manu adjecit duos poſtremos verſus poſteriori ad Theſſalonicenſes epiſtolæ, ut ſcilicet de vero auctore epiſtolæ omnem dubitationem eximeret* αὐτογραφίᾳ.

Verſ.

Verſ. 25. *Τῷ δὲ δυναμένῳ ϛηρίξαι κατὰ τὸ ἐυαγγέλιόν μου*) Ita ſupra cap. II. 16. & 2. *Tim.* II. 8. Evangelium ſuum Paulus memorat, ac per illud, ut ad cap. II. 16. monuimus, doctrinam Evangelicam a ſe promulgatam generatim intelligit, nec h. l. aliter intellexiſſe mihi videtur, inprimis, cum ἐυαγγέλιον illud ſuum cum κηρύγματι Chriſti, tanquam illi ὁμοψήφῳ, conjungat. Senſus itaque eſt, Deum poſſe eos confirmare ſecundum normam Evangelii a ſe traditi, h. e. *in fide*, quæ præconio ſuo & Chriſti tradita & comprehenſa ſit. Ita ſupra cap. XV. 5. Paulus jubet τὸ ἀυτὸ φρονεῖν κατὰ Χριϛὸν Ἰησοῦν h. e. ut Chriſto ſimiliores reddantur. Rev. *Raphelius* in Semicenturia Annotatt. Philologic. pag. 14. per ἐυαγγέλιον hanc ipſam epiſtolam indicari putat, reſpectu habito ad XIV. 4. ubi Paulus ait Deum δυνατὸν εἶναι ϛῆσαι ἀυτόν, h. e. *confirmare poſſe hominem.* Addit idem, Clementem Romanum epiſt. I. ad Corinthios epiſtolam S. Pauli priorem ad Corinthios Evangelii nomine appellare. Subtilior hic videtur *Lockius*, quando S. Apoſtolum Evangelium *ſuum* ideo vocare exiſtimat, quod præ ceteris Apoſtolis libertatem converſorum ex Gentilibus a lege cerimoniali ac ſpeciatim a circumciſione urſerit. Veterum quidam Evangelium Lucæ, tanquam qui perpetuus Pauli φοιτητὴς & diſcipulus fuerit, intelligi volunt, apud *Suicerum* Tomo I. Theſauri p. 1230. Rectiſſime illi agunt, qui de Evangelica doctrina accipiunt, quam Paulus *ſuam* vocet, reſpectu habito ad Pſeud-Apoſtolos, doctrinam illam adulterantes.

Κατὰ ἀποκάλυψιν μυϛηρίου χρόνοις ἀιωνίοις σεσιγημένου) Per χρόνους ἀιωνίους *Lockius* intelligit tempora ſub lege exacta, ob Jubilæa ſcilicet inter Judæos uſitata, quæ in Judaiſmo menſura temporum fuerint. In eundem ſenſum phraſin hanc accipi vult 2. *Tim.* I. 9. & *Tit.* I. 2. ac comparari cupit *Burtoghii* librum Anglicanum, quem de *Chriſtianiſmo, myſterio revelato,* ſcripſit, pag. 17. 18. Longius hanc notionem petitam eſſe, probari multis non eſt neceſſe. Certe anni Hebræorum Jubilæi non una, nec præcipua temporum menſura erant: nec illi anni ἀιώνων nomine unquam, quod ſciam, appellantur. Quod Paulus hic ſimpliciter longiſſimam ſuperiorum temporum ſeriem indicatam cupiat, vel ex v. 26. patet: τὸ μυϛήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν ἀιώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, νυνὶ δὲ ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις ἀυτοῦ. Hic χρόνοι ἀιώνιοι vocantur ἀιῶνες, ἀιῶνες vero explicantur per γενεάς. Idem ſacræ literæ alias innunt per ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, cui opponitur ἡ συντέλεια τῶν ἀιώνων, *Hebr.* IX. 26. Unde ſimul patet, non tantum ad tempora ſub lege exacta reſpici, ſed & ad ſuperiora. Recte itaque *Clericus* Tomo III. Biblioth. Selectæ p. 154. & p. 77. hanc *Lockii* ſententiam deſerendam eſſe arbitratur.

Quæritur hic præterea, quo ſenſu myſterium Evangelii dicatur ſilentio tam diu involutum fuiſſe. Nonnulli illud ſpeciatim referunt ad doctrinam de gentilibus ad Chriſtum vocandis & ad fidem perducendis, quam ſententiam nuper admodum amplexus eſt Venerabilis Præſul, *Eduardus Chandler*, in Confutatione libri peſtilentiſſimi, ab *Anton. Collins* ſub titulo: *Grounds and reaſons of the Chriſtian Religion* editi, pag. 280. qui tamen non negat, de tota Evangelii

angelii doctrina etiam accipi poſſe, ita, ut illa ratione circumſtantiarum quarundam dicatur fuiſſe abſcondita. Has circumſtantias tam diligenter expoſuit B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. ut eo ablegare Lectorem ſecure liceat, & fas ſit.

Verſ. 26. κατ' ἐπιταγὴν) Eadem phraſi *Polybius* utitur p. 928.

Verſ. 27. Μόνῳ σοφῷ Θεῷ) Sociniani, ut *Crellius* de uno Deo Patre lib. I. pag. 72. hinc exſculpere conantur, ſolum Patrem verum & æternum Deum eſſe. At Chriſtus, Servator noſter, in epiſtola Judæ v. 25. itidem vocatur μόνος σοφὸς Θεὸς σωτὴρ ἡμῶν. Confer B. *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. IV. cap. 1. §. 14. Imbecillitatem argumentationis Socinianæ in apricum ducit *Dionyſ. Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tomo II. p. 137. Infinitam Dei ſapientiam ex h. l. celebrat *Steph. Charnock*, Anglus, Tomo I. Operum p. 339-442.

Διὰ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃) Phraſin hanc nihil diminuere de divina Filii Dei majeſtate, ſed Filium in œconomia gratiæ ut executorem conſilii pacis exhibere, diligenter oſtendit Rev. *Jo. Jac. Quandt* in Diſſert. de Doxologiis Paulinis §. 14. Rev. *Zeltnerus* in Annotationibus ſuis ad verſionem Bibliorum Germanicam Altorf. 1730. editam in calce p. 195. ita hæc accipit, quod Deus ſe ſapientem eſſe oſtenderit per Chriſtum, i. e. in doctrina de Chriſto, perſonaque ejus & officio, quippe quem conſtituerit ſapientiam noſtram 1. *Cor.* I. 24. 30.

Verſ. 27. ᾧ ἡ δόξα) Particulam ᾧ omittunt duo Codices, pro qua alii duo ponunt αὐτῷ. *Beza* priorum illorum exemplum ſequitur, ſed ſine cauſa. Æque enim hic πλεονάζει, ac *Epheſ.* III. 21. & 1. *Pet.* II. 24. τὸ αὐτῷ abundat, judice *Hombergio* in Parergis p. 243. Fortaſſe tamen cum *Eraſmo Schmidio* ad h. l. in verbis: Τῷ δὲ δυναμένῳ recte ſubintellexeris: Συνίςημι ὑμᾶς. Et ſic eſſet, ad quod τὸ ᾧ commode referretur. Fateor tamen, me hujusmodi ellipſeos exemplum fruſtra adhuc quæſiviſſe.

Πρὸς Ῥωμαίȣς ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθȣ διὰ Φοίβης, κ. τ. λ.) Hæc ſubſcriptionis formula viris eruditis νοθείας ſuſpicionem movit ex duobus capitibus. Alterum eſt, quod *Corintho* ſcripta & miſſa dicatur, quæ *Epheſi* potius exarata cenſeri debeat; alterum vero, quod per Phœben ſcripta ſignificetur, quam tamen indicio commatis 22. *Tertius* in literas retulerit. Poſterius dubium movit nominatim *Sam. Baſnagium*, ut in Annalibus Politico-Eccleſiaſticis p. 677. diſerte ſcriberet: *Falſa eſt ſubſcriptio hæc: SCRIPTA FUIT PER PHOEBEN* &c. *Verius diceretur, miſſa fuit per Phœben. Scribendi munus feminis imponi non debuit.* Quod ſcribi hic diſerte voluit vir doctus, id in verbo prægnanti ἐγράφη revera latet. Vidit id Interpres *Syrus*, ita convertens: *ſcripta eſt Corinthi & miſſa per Phœben.* Eadem ratione ſubſcriptio prioris epiſtolæ ad Corinthios & concepta eſt, & intelligi debet. Quis enim crediderit, per τὸ ἐγράφη ibi indicari, epiſtolam illam *Stephanæ, Fortunati, Achaici* & *Timothei* manibus ſociis eſſe exaratam? *Corinthi* epiſtolam hanc vere literis expreſſam fuiſſe, inter alios *Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 27. vel ex eo ſatis firmat,

mat, quod inter alios ſalutantes memoretur *Cajus*, ut hoſpes Pauli, quem Corinthium fuiſſe ex 1. *Cor.* I. 14. conſtat, quemadmodum *Eraſtus* arcarius civitatis v. 23. vocetur, quem Corinthi manſiſſe Paulus teſtatur 2. *Tim.* IV. 10. Alia his argumenta addit Rev. *Rambachius* in Introductione in epiſt. ad Romanos p. 81. ſqq. Quæ qui expenderit, facile quoque diſpulerit dubia in hanc ſententiam a Cl. *Herzogio* in Diſputat. de Subſcriptionibus epiſtolarum Paulinarum §. 10. mota, quibus comprobare conatus eſt, hanc epiſtolam *Epheſi* ſcriptam eſſe. Sua itaque fides & auctoritas huic inſcriptioni conſtat, quam aliis nonnullis, tanquam non θεοπνεύστοις, qualis nec hæc eſt, eadem opera vindicare nolim.

IN I. EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

QUæ ad priorem Pauli epiſtolam Corinthiis inſcriptam, generatim & introductionis loco dici poterant, ea per inſtituti noſtri rationem ſubindicare potius, quam enarrare licet. *Tempus* ſcriptionis multi cum A. C. 57. conjungunt. Inter hos eſt *Jo. Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 9. & *Jo. Lockius* in Commentario, & ante utrumque *Claudius Eraſſenius. Jo. Harduinus* in Quæſtione de baptiſmo pro mortuis ad A. C. 52. *Henr. Dodwellus* autem de Jure Laicorum Sacerdotali p. 209. & 246. in annum 53. referunt. Alii accuratam anni deſignationem in medio relinquendam cenſent, quos ſequitur *Jo. Creyghtonus* loco mox citando p. 10.

De *loco*, ex quo exarata creditur, infra dicemus ad ſubſcriptionis formulam.

Corinthiorum res ex antiquitatis monumentis ediſſerit *Nic. Gurtlerus* de Originibus mundi lib. II. cap. 23. p. 612. De urbe *Corintho* lege præſtantiſſimi *Jo. Alberti Fabricii* noſtri Lucem Evangelii per totum orbem exorientem p. 86. & 300. Spectare eam ad cœtum Chriſtianorum Corinthiorum, qualis ex Judæis & Gentilibus collectus erat, oſtendit *Jo. Braunius* in Selectis Sacris lib. I. c. 3. & ex eo *Creyghtonus* loco citando p. 32. ſqq.

Interpretum, qui exſtant, notitiam haurire licebit ex *Jo. Chriſtoph. Wendleri* Prodromo Bibliothecæ Biblicæ p. 147. ſq. & *Georg. Jac. Schwindelii* Biblioth. Paſtorali p. 587. ut alios omittam.

Notas in eam quaſdam, ex Syriaca & Neo-Græca verſione ſubnatas, leges im Freywilligen Heb-Opffer Tomo III. p. 579. ſqq. Nec contemnenda ad difficiliora aliquot loca ex B. *Jo. Hülſemanni* Prælectionibus MSS. affert B. *Caſp. Sandhagenius*, ὁ βιβλικώτατος, in Decade II. epiſtolarum Theologicarum p. 279. ſqq. Digna etiam ſunt, quæ conferantur, *Jo. Creyghtoni*, Miniſtri quondam

dam inter Reformatos Harlemenſis, Prolegomena, quæ *Salomonis van Til* expoſitioni hujus epiſtolæ, Belgice Harlemi 1728. in 4. editæ, præmiſit. In illis enim non ſolum generales obſervationes huc ſpectantes, ſed & ampliores ac eruditæ locorum aliquot vexatorum enarrationes exhibentur.

CAPUT I.

VErſ. 1. κλητὸς Απόςολος) Vox κλητὸς deſideratur in tribus tantum Codicibus MSS. & vel ſic jam olim ex primis verbis epiſtolæ ad Romanos addita videtur *Millio*, in Prolegomenis. Perperam & præcipitanter. Ibidem enim cap. I. v. 6. & 7. Romani, ad Chriſtum converſi, vocantur κλητοὶ Ἰησȣ Χριςȣ & κλητοὶ ἅγιοι. Qui locus ut vocis κλητὸς uſum Paulo ſatis vindicat; ita tanto minore veri ſpecie affertur, ut talis, qui illi h. l. inferendæ occaſionem fecerit. Cur enim Paulus de Apoſtolatu ſuo loquens, non æque vocationis divinæ faceret mentionem, atque illius meminit, ad homines Chriſtianos ſcribens? Ita ſane *Gal.* I. 15. Deum appellat τὸν καλέσαντα (ἑαυτὸν) διὰ τῆς χάριτος ἀυτȣ. Erat præterea S. Apoſtolo cauſa, cur in hac ſpeciatim epiſtola (nam in ceteris, ſi eam ad Romanos excipias, non additur,) ſe appellaret ἀπόςολον κλητὸν διὰ θελήματος Θεȣ. Cum enim Corinthii inter ſe diſputarent, cui Apoſtolorum, v. c. *Petro* an *Paulo*, potiores partes ſint tribuendæ, fieri facile potuit, ut nonnulli Petro prærogativam aliquam vindicandam eſſe contenderent, quod ipſe ἀμέσως a Domino dignitate Apoſtolica mactatus fuerit. Idem vero in ſe quoque cadere, commemorata vocatione ſua, cœlitus facta, innuere Apoſtolus voluiſſe videtur. Confer *Chryſoſtomi* locum ex Homilia XLIX. apud *Svicerum* Tomo II. Theſauri Eccleſiaſt. p. 113.

καὶ Σωσθένης) Cur hujus nomen Paulino jungatur, diſquirit Cl. *Jo. Creyghtonus* in Prolegomenis ad *Sal. van Till* commentarium belgicum in hanc epiſtolam Harlemi 1726. editis p. 3. ſqq. Summa huc redit, *Soſthenis* (ſicut in aliis *Silvani* & *Timothei*) tanquam ſibi tunc, cum ſcriberet, præſentis, nomen argumenti loco eſſe debuiſſe, literas illas a ſe eſſe profectas.

διὰ θελήματος Θεȣ) i. e. immediate a Deo, ſine intercedente hominis opera. Conf. *Galat.* I. 11. 12. Fortaſſe Paulus quoque ſe ipſum ſimul reſpicit, tanquam qui omnia alia cogitans, & a Chriſti ſacris alieniſſimus, impetu quodam divino ad hanc provinciam ſit admotus.

Verſ. 2. ἡγιασμένοις ἐν Χριςῷ Ἰησȣ) Illos hac phraſi indicari putat *Lockius* in Commentar. ad h. l. qui vitæ ſanctitate a ceteris male moratis, mundique pravitatem ſectantibus, ſe diſtinguebant, atque adeo tanquam a gentilibus ſelecti, ad populum Dei ſanctum, qualis olim Judæi erant, pertinere ſe demonſtrabant. Enimvero Paulum ad fidem potius per baptiſmum obſignatam hac phraſi reſpexiſſe ex *Epheſ.* V. 26. patet, ubi Chriſtum ait ſe pro Eccleſia tradidiſſe, ut eam ſanctificaret, (ἁγιάσῃ) καθαρίσας τῷ λȣτρῷ τȣ ὕδατος ἐν ῥήματι. Interim non negaverim, Paulum mentione illius ἁγιασμȣ, qui ad omnes ex Corin-

rinthiis Chriſtianos olim pervenerit, officii ſui ſingulos commonefacere voluiſſe, atque adeo graviter admonere, ne quid, jurgia & contentiones inter ſe fovendo, committant inpoſterum, quod ſanctificationi illi prorſus adverſetur.

κλητοῖς ἁγίοις) Vide ſupra ad *Rom.* I. 6. & *Svicerum* Tomo II. Theſauri Eccleſ. p. 113. & 728.

Σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν) B. *Olearius* in Obſervationibus ad Evangelium Matthæi p. 244. verti vult: *cum omnibus*, *qui appellantur nomine Domini noſtri*, i. e. qui Chriſtiani ſunt, vel vocantur. Idem viſum quoque eſt *Hammondo*, & *Lockio* ad h. l. Ceteri tamen, quos vidi, Interpretes rectius de iis accipiunt, *qui nomen Domini invocant*, h. e. debito cultu Chriſtum proſequuntur. Eam eſſe phraſeos hujus notionem, ex *Rom.* X. 12-14. apparet. Hinc etiam conſtat, ἐπικαλεῖσθαί τινα & ἐπικαλεῖσθαι ὄνομά τινος idem eſſe. Qui enim v. 12. ἐπικαλούμενος κύριον dicitur, is v. 13. dicitur ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου. Ibi vero non de impoſito Chriſti nomine, ſed de eo religioſe invocato, ſermonem eſſe, contextus evincit. Omitto alia loca, v.c. *Actor.* II. 21. IX. 14. XXII. 16. 2. *Tim.* II. 22. 1. *Pet.* I. 16. ubi verbum ἐπικαλεῖσθαι non alium ſenſum admittit. Urget B. *Olearius* locum *Deuteron.* XXVIII. 10. ubi οἱ LXX. ita: τὸ ὄνομα κυρίου ἐπικέκληταί σοι, i. e. *nomine Dei appellaris*, ſeu, populus Jehovæ vocaris. Sed aliud mihi videtur eſſe, ἐπικαλεῖσθαι ὄνομα ἐπί τινος, aut τινὶ, aliud ἐπικαλεῖσθαι ὄνομά τινος. Utraque & οἱ LXX. & Scriptores N. T. non promiſcue, ſed diverſo ſenſu, utuntur, ita ſcilicet, ut verbum ἐπικαλεῖσθαι in priore locutione *paſſivam*, in poſteriore *activam* notionem obtineat. Lege *Actor.* XV. 17. & τοὺς LXX. *Amoſi* IX. 11. nec non *Jac.* II. 11. τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς, quam φράσιν *Druſius* I. 9. Præteritorum recte de nomine Chriſtiano accipit, quo credentes appellentur, & quod nonnulli calumniis proſcindant. Interim non inficior, quod ad rem ipſam, nihil admodum diſcriminis intercedere, ſive *invocationem* nominis Chriſti, ſive *impoſitionem* ejus indicari hic exiſtimes.

Ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν) Voces extremas, αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν nonnulli a proximis, ἐν παντὶ τόπῳ, per comma ſeparant, & ad remotius τοῦ Κυρίου referunt, ut ſcilicet ſic Chriſtus omnium Dominus dicatur: alii vero ad proxime antecedens ἐν παντὶ τόπῳ ſpectare volunt. Prius ſtatuunt ex veteribus *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *Photius*, Scholiaſtes; ex recentioribus autem *Beza*, *Eraſmus Schmidius*, *Jo. Hülſemannus* apud Sandhagenium in Decade II. epiſtolarum Theolog. p. 281. *Jo. Clericus* in verſione Gallica, & alii. Poſterius placuit B. *Luthero*, *Eraſmo*, & plerisque Interpretibus. Priori ſententiæ adverſari videtur, quod voci Κυρίου addita jam appareat particula ἡμῶν, quæ proinde præter rem paulo poſt repetatur. Poſteriori autem obſtare id nonnullis judicatur, quod jejune addi videatur αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν, cum idem illud jam lateat in phraſi: ἐν παντὶ τόπῳ. Atque ita quidem viſum eſt ſpeciatim *Hombergio* in Parergis p. 244. qui ideo nihil definit, atque ante ipſum *Eraſmo Schmidio* in notis ad h. l. Jejunæ orationis ſpecies facile, puto, amovebitur, ſi obſervemus,

 Apo-

Apoſtolum hic univerſum credentium cœtum in duas claſſes diſpeſcere, quorum alteram ipſe cum illis, qui in Achaja & Macedonia (unde ſcribebat epiſtolam) ſecum verſabantur, occupet; alteram vero illi teneant, quos ſub nomine πάντων τῶν ἐπικαλȣμένων comprehenderat. Et quamvis phraſi παντι τόπῳ per ſe omnes illi involvantur, familiariſſima tamen Paulo eſt exegeſis ejusmodi, perſpicuitati inſerviens, & affectum ſuum, quo in fideles omnes & ſingulos feratur, efficaciter declarans. Similiter *Actor.* XVII. 30. profitetur, pœnitentiam injungi ἀνθρώποις πᾶσι πανταχȣ͂, *hominibus omnibus ubicunque locorum*, ubi poſterius illud πανταχȣ͂ omitti poterat, niſi δεινότητος cauſa addendum Apoſtolo fuiſſet viſum. *Martianæus* in Conatu novæ verſionis p. 334. ad communionem bonorum, ea ætate inter Chriſtianos vigentem, *Act.* II. 44. reſpici hac phraſi, minus veriſimiliter exiſtimat, hoc ſenſu: *in quocunque loco fideles verſentur, qui & illorum ſit proprius, & ceteris tamen communis.* Sed ut alia taceam, quæ obſtant, nondum ſane evictum eſt, illam bonorum communionem in naſcente Eccleſia ubique terrarum receptam fuiſſe, cum non levia ſint argumenta, quæ credere jubeant, eam in ſola Eccleſia Hieroſolymitana receptam fuiſſe, qua de re ad Actus Apoſtolorum commentati ſumus. Subtilior quoque hic videtur *Vitringa*, quando in Obſervatt. Sacris lib. III. c. 21. p. 318. phraſin ἀυτȣ͂ς καὶ ἡμεῖς ita illuſtrat: *Apoſtolus banc epiſtolam ſcripſit ad eos, qui ſe ab ipſo & Apollo denominabant, qui primi etiam ab ipſo compellantur & carpuntur. Hos tamen ut partem maximam vocat* ἐκκλησίαν τȣ͂ Θεȣ͂ ȣ͂σαν ἐν Κορίνθῳ, ἡγιασμένȣς ἐν Χριςῷ Ἰησȣ͂, καὶ κλητȣ̀ς ἁγίȣς, *& quia ſe illis includit, utpote ad quos ſcribit, ait* ἡμεῖς, nos, *præterquam quod a partibus eorum ſteterit;* ἀυτοι *vero ipſi ſunt* οἱ ἰȣδαΐζοντες, Cephitæ, *quos in genere vocat* ἐπικαλȣμένȣ τὸ ὄνομα Κυρίȣ, *quia Chriſtum revera pro Meſſia amplectantur, licet ceteris non conſentirent. Adjungit* ἐν παντὶ τόπῳ ἀυτῶν τε καὶ ἡμῶν, in omni loco ipſorum & noſtro: *quia forte in diverſis locis ſive ſcholis docebant, quod apud Judæos familiare inter diſſentientes. Sic* בירת הלל & בירת שמאי domus Hillel & Schammai *notabant diverſa loca & ſcholas, in quibus diſſentientes hi doctores docebant.* Mihi quidem, ſi cetera omnia, quæ hic ſupponit Vir doctus, admittamus, non videtur probabile, ἐν παντὶ τόπῳ nihil aliud inferre, quam diverſas Chriſtianorum, in eadem urbe verſantium, ſcholas.

Verſ. 4. Ἐυχαριςῶ -- ἐπὶ τῇ χάριτι) Similiter *Polybius* p. 467. ἐφ᾽ ὄις ἐυχαριςȣ́ντων ἀυτῷ.

Verſ. 5. ὅτι ἐν παντὶ ἐπλȣτίσθητε ἐν ἀυτῷ) Quomodo hoc conciliari poſſit cum cap. III. 2. ubi in ipſos Corinthios animadvertitur, diſquirit ad h. l. *Chryſoſtomus* & *Auguſtinus* ep. LIX. Quæſt. 2. Loquitur ſcilicet interdum Scriptura de parte, tanquam de toto. Vide *Petavium* in Dogmatibus Theol. Tomo I. lib. X. c. 16. de Prædeſtinatione, p. 431.

Verſ. 6. Καθὼς τὸ μαρτύριον τȣ͂ χριςȣ͂ ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν) Diligentem in eruenda phraſeos hujus notione operam præſtitit *Camp. Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. III cap. I. pag. 1. ſqq. Intelligit autem per μαρτύριον teſtimonium illud,

illud, quod Chriſtus ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς *Apocal.* III. 14. de ſe ipſo verbis operibusque perhibuit, *Joh.* VIII. 12-14. Hanc in rem ex Pandectis Talmudicis & doctoribus ritualibus oſtendit, omnem שטר ſive tabulam contractus coram judicibus recognoſci & ſignari ab auctore variisque teſtibus ſolitam, tum vero a judicibus βεβαιοῦσθαι & confirmari, hac fere formula: *Contractus hic in conſpectum noſtrum prodiit, teſtantibus N. & N. ſubſignatione manuum ſuarum, unde confirmamus & ſtabilimus illum.* His præſtructis *Vitringa* animum noſtrum comparat cum tabula, in qua per Evangelii præconium conſignetur, *Chriſtum eſſe lucem mundi*; accedere Chriſtum, tanquam dicti illius teſtem a Patre miſſum: ſubſcribere Deum Patrem, voce cœlitus emiſſa: ſubſcribere teſtes alios, Moſen, Prophetas, Apoſtolos, & opera Chriſti ipſa. Hoc modo ait confirmari μαρτύριον Χριστοῦ a teſtibus: hominem vero in conſcientia ſua tribunal vel בית דין erigere, teſtes illos inter ſe conferre, ac, Spiritus S. ope, conſenſum illorum teſtimoniorum ita percipere, ut rem ipſam animo ſuo firmatam ſentiat. Viri docti cogitata in ſummam conferunt Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1692. pag. 382. & *Amelius* Parte II. pag. 639. ſq. Eadem vero amplius ornat *Jo. d'Outrein* in libro: *Heelige Sinnebeelden* Tomo II. p. 208. ſqq. Malim equidem μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ interpretari per *teſtimonium de Chriſto* perhibitum ab Apoſtolis, ut idem ſit, quod alias dicitur *Evangelium.* Utramque enim vocem eodem ſenſu adhibet Paulus 2. *Tim.* I. 8. ubi, quod primum μαρτύριον τοῦ Κυρίου ἡμῶν appellat, id eodem commate εὐαγγέλιον vocat. Hoc vero μαρτύριον firmum ratumque fuit apud Corinthios, quando ab Apoſtolis ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως prædicatum 1. *Cor.* II. 5. primum in ipſorum animis per Dei gratiam radices egit, poſtea vero magis magisque infixum eſt. Ita *Theodoretus* & *Theophylactus* τὸ μαρτύριον de prædicatione Evangelii accipiunt apud *Svicerum* Tomo II. Theſauri p. 318.

Verſ. 7. Ἀπεκδεχομένους τὴν ἀποκάλυψιν Ἰησοῦ Χριστοῦ) Ad ultimum Chriſti adventum Patres hæc verba referunt apud *Svicerum* Tom. I. p. 448. Atque eos ſequi malim, quam cum B. *Oleario* in Prælectionnibus MSS. accipere de manifeſtatione Chriſti, quæ in tempore gratiæ facta ſit per prædicationem Evangelii. Quo fine verbum ἀπεκδεχομένους vertit per *recipientes*, quia ſermo ſit de re præſenti. Si hoc S. Paulus voluiſſet, ſcripſiſſet omnino ἀποδεχομένους. Verbum ἀπεκδέχομαι in Novi Fœderis tabulis aliquoties occurrit, nec unquam alio ſenſu, quam qui exſpectationem infert. Vide, ſodes, *Rom.* VIII. 19. 23. 25. *Gal.* V. 5. *Philip.* III. 20. *Hebr.* IX. 28. Præterea Corinthii non tunc demum recipiebant Chriſtum in Evangelio prædicatum, ſed jam fide receperant.

Verſ. 8. Ἕως τέλους) *uſque ad finem*, ſcilicet vitæ, quem ſequitur finis rerum omnium die παντοκριτικῷ. Hic enim intelligitur per ἡμέραν Ἰησοῦ Χριστοῦ cujus mentio fit in extremo commate. B. *Olearius* l. c. minus recte vertit: *neque dum conſummemini*, atque adeo refert ad incrementa in fide & pietate magis magisque capienda. Notio hæc cum antecedentium verborum ſenſu ſtare non poteſt.

Verſ.

Verſ.9. Πιςὸς ὁ Θεὸς) Lege doctores veteris Eccleſiæ apud *Svicerum* Tomo II. Theſauri p. 740.

Verſ. 10. Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, κ. τ. λ.) Totum hoc comma illuſtrant *Georg. Lebrecht Wilckius* in Diſput. de forma ſanorum verborum in dogmatibus religionis Chriſtianæ, Lipſ. 1698. 4. B. *Chriſtoph. Sonntag* de fugienda ξενοφωνία, Altorf. 1702. Rev. *Joach. Juſtus Breithaupt* de forma ſanorum verborum, Halæ 1702. & *Steuberus* in Diſſertatt. Theolog. p. 290. ſq.

Ἵνα τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες) Phraſis hæc non ſolum verborum, ſed & animorum conſenſionem infert, etiam apud profanos Scriptores. Lege *Polybium* lib. II. c. 62. p. 206. ἀλλ' ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς καιροῖς, ἐν οἷς πάντες ἓν καὶ ταὐτὸ λέγοντες μεγίςην καρπῦσθαι δοκῦσιν εὐδαιμονίαν. Adde lib. V. c. 104. & confer *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 450. nec non *Vitringæ* Obſervatt. Sacr. lib. I. p. 105.

Καὶ μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα) Quæ veteris Eccleſiæ Doctorumque ejus de Schiſmate ſententia fuerit, apparet vel ex *Sviceri* Theſauro Eccleſiaſt. Tom. II. pag. 1201. Idem argumentum in Anglia inprimis variis ſcriptis excuſſum eſt, ex quibus ſuffecerit commemoraſſe *Benneti* Diſſertationem de Schiſmate, *Roberti Bourſcough* Vindicias Diſſertationis de Schiſmate, Lond. 1701. 8. *Humfredi Smith* deſcriptionem indolis & noxæ Schiſmatis, ibidem 1701. nec non *Georg. Hickeſii* Vindicias Apologeticas Eccleſiæ Anglicanæ, Lond. 1706. 8. ſecundum editas, quarum ſummam habes in Actis Erudit. Lipſ. an. 1708. p. 109. Atque ille quidem ſpeciatim capitibus tribus prioribus oſtendit, in Eccleſia Veteris & Novi Teſtamenti ſemper ſchiſmata exſtitiſſe: capite IV. in eorum cauſas inquirit, & V. de remediis ſolicitus eſt. Ex noſtratibus pertinent huc B. *Jo. Fechtii* Examen Theologiæ Indifferentiſt. p. 284. ſq. & B. *Mich. Førtſchii* Exercitatio Theologica de prudentia juſtorum in cavendo hoc tempore ſchiſmate circa pietatem orthodoxe docendam & rite promovendam, Jenæ 1714. ex Reformatis autem *Campeg. Vitringa* lib. V. Obſervatt. Sacrar. cap. VII-IX. ubi de Schiſmate in Eccleſia commentatur.

ἦτε δὲ κατηρτισμένοι) *Vulg.* reddidit: *perfecti*: *Beza* autem non, *impacti*, ceu in Cl. *Lamb. Bos* Exercitationibus p. 122. operarum, credo, vitio, nec *compacti*, quod apud *Elsnerum* loco mox citando legitur; ſed, *coagmentati*, quod idem in notis per *coadunatos* ac *compactos* exprimit. Neutrum horum placet *Boſio* l. c. qui cum *Cypriano* de unitate Eccleſiæ mavult interpretari per *compoſiti*. *Sæpe*, inquit, καταρτίζειν *&* καταρτᾷν *apud Herodotum aliosque optimos auctores occurrit de illis, qui diſſidentes componunt, & conciliant; petita translatione ab iis, qui id, quod ruptum eſt, concinnant, & inſtaurant.* Diſſidia ſcilicet ſive σχίσματα i. e. *ſciſſuras* appellaverat Paulus, in eadem igitur metaphora perrecturus τὸ *conſociari* vocat καταρτίζεσθαι, *& ex diverſis animi motibus eos vult in unum conſentire.* *Boſii* ſententiam adſtruit Cl. *Elsnerus* p. 70. adductis, quos ille omiſerat veterum, *Herodoti* lib. V. p. 296. & *Plutarchi* in Marcello p. 303. locis, quemadmodum & eandem notionem 2. *Cor.* XIII. 11. & *Galat.* VI. 1.

obti-

obtinere exiſtimat. Conf. Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 450. Mihi quidem idem exprimere *Beza* voluiſſe videtur, quod vel ex notis apparet. Cum vero originem vocis ſimul referre vellet, Latina alia uſus eſt, tanquam quæ ad ſequentem phraſin ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ accommodatior eſſet. Propterea & *Eraſmus Schmidius* ad h. l. eundem eſt ſecutus. De vi verbi καταρτίζεσθαι confer freywilliges Heb-Opfer Tom. III. p. 579. & quæ nos diximus Volumine I. p. 430. & 630.

Verſ. 11. Ὑπὸ τῶν Χλόης) ſcilicet οἰκείων, *domeſticis* ſeu *familiaribus*. Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ p. 137. Hinc Syrus: *de domo Chloës*.

Verſ. 12. Λέγω δὲ τοῦτο) Similis formula *Rom.* XV. 8. *Gal.* III. 17. & *Eph.* V. 32. ea ſcilicet explanans, quæ obſcurius ante dicta erant. Ita *Polybius* paſſim v. c. p. 216. 226. 417. 469. &c. quæ loca attulit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 451. Sufficiat illorum unus ex p. 629. *Quæ res*, inquit, *apud reliquos mortales vitio vertitur, ea ipſa continere Rempublicam Romanam mihi videtur:* λέγω δὲ τὴν δεισιδαιμονίαν, *ſuperſtitionem dico.*

Ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου) Cl. *Schœtgenius* ad Lamb. Bos de Ellipſi Gr. L. pag. 116. ſubintelligi hic vult vocem μέρους, hoc ſenſu: *ego ſum ex partibus Pauli.* Ad totum hoc comma & ſchiſma in eo commemoratum lege *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. III. c. XXI. ubi is contendit, Eccleſiam Corinthiacam in quatuor partes ſciſſam fuiſſe, *Pauliſtas* ſcilicet, *Apolliſtas*, *Cephitas*, & *Chriſtianos*: atque hanc hypotheſin pro clave totius epiſtolæ haberi vult. Originem ſchiſmatis hujus idem inde repetit, quod Paulus, tanquam primus Corinthiorum doctor, *Actor.* XVIII. 1. ſimplici docendi genere uſus ſit, vide cap. III. 1. 6. & 10. atque adeo ſimplicioribus inprimis placuerit; *Apollo* autem poſt eum Evangelium ibidem prædicarit, *Actor.* XVIII. 27. & XIX. 1. & tanquam ἀνὴρ λόγιος ib. XVIII. 24. h. e. philoſophia & eloquentia valens, non tam prima fidei fundamenta urſerit, quam illa ex ἀλληλουχίᾳ & παραλληλίᾳ Scripturarum, dialectico & oratorio more illuſtrarit. Hinc l. c. dicitur εὐτόνως διακατελέγχεσθαι τοῖς Ἰουδαίοις. Ut igitur Paulus ſimplicioribus; ita Apollo Philoſophis præcipue placuit, atque inde hinc *Pauliſtæ*, hinc *Apolliſtæ* ejus judicio ortum traxerunt. His acceſſerunt *Cephitæ*, i. e. Ex-Judæi, qui gentibus præconium Evangelii & ipſum Chriſtum invidebant, ad exemplum *Cephæ* ſive *Petri*, qui & ipſe aliquando a conſuetudine gentilium alienior erat. Ab his denique omnibus Vir doctus eos diſtinguit, qui ſe CHRISTI dixerunt, tanquam omnium ſimpliciſſimos, qui ſatis diſtincte de Chriſto non informati, eum cum Doctorum ejusmodi ſectis confuderint. Compara cum his, quæ ex noſtratibus B. *Jo. Fechtius* in Hiſtoria & Examine Theologiæ Indifferentiſticæ pag. 286. obſervavit. Apollonem is ait fuiſſe hominem inuſitatæ eloquentiæ, *Act.* XVIII. 24. 27. & XIX. 1. itaque ſine dubio orationes ſuas, ad populum habitas, variis floribus exornaſſe: Paulum viciſſim ſpiritu potius & perſuadendi virtute, quam verborum illecebris valuiſſe, 1. *Corinth.* II. 1. hinc factum, ut, qui illum audirent, eloquentiam in aliis, tanquam profanam, contemnerent, ſicut viciſſim Apollonis auditores Pauli minus erant

ſtudioſi. Qui denique Cephæ & Chriſti ſe eſſe dicebant, illi forte & Chriſtum ipſum & Petrum audiverant, adeoque ab alterutro appellari amabant. Quæ alia huc dici poterant, ea legantur apud *Walonem Meſſalinum* ſeu *Salmaſium* pag. 244. ſq. & *Gariſſolum* de Chriſto mediatore p. 647. ſq.

Ἐγὼ δὲ Κηφᾶ) Fuerunt, qui hoc nomine non Petrum Apoſtolum, qui alias eo denotatur, ſed alium ὁμώνυμον, indicari crederent, quibus ex recentioribus acceſſit *Jo. Harduinus* in Operibus Selectis p. 927. Sed ut huic Rev. *Salom. Deylingius* in Obſervatt. Sacris Tom. II. n. XLV. diligenter, &, quantum ſatis eſt, reſpondit; ita Apoſtolum hic omnino intelligendum eſſe evicit *Jo. Pearſonius* in Operibus Poſthumis p. 37. ſq. ubi de Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum commentatur. Scilicet Apoſtolus Petrum in hac epiſtola ſæpe *Cephæ,* nunquam autem *Petri,* nomine appellat, & licet in epiſtola ad Galatas Petrum nominet, eundem tamen diſerte Cepham appellat II. 2. Contra Pontificios, qui Petro prærogativam quandam præ Paulo & Apollo hinc vindicare conantur, quod Petrus Chriſto proxime jungatur, lege B. *Caſp. Henr. Sandhagenii* epiſtolas Theolog. decad. II. pag. 281. ſqq. ex *Hulſemanni* Prælectionibus MSS.

Ἐγὼ δὲ Χριστȣ) Voces has deleri vult *Zach. Pierce* in epiſtola altera de nova editione N. T. a Cl. *Bentlejo* olim tentata, pag. 20. ideo, quod omnes Chriſtiani, qui Corinthi erant, Chriſti ſe eſſe profeſſi ſint, unde nec Clemens Romanus in ep. I. ad Corinthios §. 47. Chriſti una cum Paulo, Cepha & Apollo mentionem faciat, ſicut nec eadem in hac epiſtola cap. III. 22. occurrat. Mirum eſt, Virum doctum perpetuum Codicum, verſionum & Interpretum conſenſum adeo pro re nihili habuiſſe, ut levibus omnino argumentis labefactare imo expungere auderet, quæ non poſſunt non pro genuinis haberi. Qui Chriſti ſacris nomen dederunt Corinthi, hoc ipſo ſe Chriſtianos eſſe omnino profitebantur, ſed nonnulli tamen eorum a Chriſto κατ' ἐξοχὴν appellari, atque ſic a reliquis, Petri, vel Pauli, vel Apollo nomen præferentibus, diſtingui volebant, hoc ipſo ſectæ ſtudium vel in aliis damnantes, vel ſuo exemplo comprobantes & amplificantes. Paulus infra III. 22. Εἴτε Παῦλος, εἴτε Κηφᾶς &c. Chriſti nomen omiſit, quia id ad illum locum prorſus non pertinebat. Neque enim Chriſtus poterat dici eſſe Corinthiorum, ſicut Paulus, Apollos, & Cephas & alia ipſorum eſſe ibi dicuntur. Hinc potius v. 23. Corinthii dicuntur eſſe τȣ̃ Χριστȣ̃. Nec plus valet *Clementis* locus: ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν περὶ αὐτȣ̃ τε καὶ Κηφᾶ καὶ Ἀπόλλω, διὰ τὸ καὶ τότε προσκλίσεις ὑμᾶς πεποιῆσθαι. *Certe divinitus inſpiratus de ſe ipſo, de Cepha & Apollo per epiſtolam vos monuit, etiam tum inter vos factiones & partium ſtudia fuiſſe.* Cauſa obvia eſt, cur Chriſti ibi non fiat mentio. Loquitur enim Clemens de appellationibus ſectariis, recens a Corinthiis adhibitis. Talis vero non erat appellatio a *Chriſto* deſumta, ſi in ſe ſpectetur, cum illa merito & recte in homines, Chriſti doctrinam profeſſos, caderet. Viciſſim autem tales erant, quæ a diverſis ejuſdem doctrinæ præconibus deſumebantur, quæque ſimul occaſionem dabant, ut cœtus

tus illorum, qui a Chriſto tunc κατ' ἐξοχὴν ſe vocabant, pro ſeparato & diverſo a ceteris haberetur. Ceterum per ſe patet, Paulum hic non reprehendere poſtremos illos, quod ſe a Chriſto appellarent, ſed vel approbare, tanquam in priſtina ſimplicitate perſiſtentes, vel ideo culpare, quod a ceteris, certo quodam modo ſe, deſtinata opera, diſtinguerent. Abſit autem, ut illis exprobrari id putemus, quod Doctorum nullam prorſus rationem habendam eſſe cenſuerint. Confer *Hombergii* Parerga p. 244.

Verſ. 13. Μεμέρισαι ὁ Χριστός;) Deſerendi hic ſunt Codices non minus illi, qui τὸ μὴ in fronte addunt, quam qui in calce interrogandi notam omittunt. Poſteriorem hanc & nexus verborum & actuoſa dicendi ratio Paulina requirit, Patrumque, nominatim *Chryſoſtomi* & *Theodoreti*, auctoritas tuetur. Τὸ μὴ autem ab illo profectum eſt, qui interrogationem hanc magis perſpicuam vel efficacem evadere cenſebat, ſi particula hæc accederet, quam ſcilicet, ſtatim in altera illa: μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ ὑμῶν; obſervabat. Signum illud interrogandi recte adſtruit Cl. Elsnerus p. 72. per *Chriſtum* vero nec *Eccleſiam*, nec *Evangelium*, ſed *Chriſtum* ipſum intelligit, hoc ſenſu: *qui integer integræ credentium familiæ conſervandus erat, quique univerſam Eccleſiam cum in terra tum in cælo ſibi tanquam uni capiti, & inter ſe invicem, ut membra conſociat, & conjungit, Eph. I. 10. nunc in partes diſtrahitur, factionibusque inſervit?* Μερίζεσθαι itaque *in diverſas ſententias diſcedere, contrariis ſtudiis & factionibus ſcindi* ſignificat. Eandem verbi notionem obſervat infra cap. VII. 34. & *Marc.* III. 24-26. tum apud *Polybium* lib. VIII. c. 18. p. 735. στασιάσαντες γὰρ πρὸς σφᾶς ἐμερίσθησαν οἱ μὲν πρὸς Ἀριόβαζον, οἱ δὲ πρὸς τὴν Λαοδίκην. Germani hoc dicerent: macht denn Chriſtus Partheyen?

ἢ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Παύλου ἐβαπτίσθητε;) De phraſi βαπτισθῆναι εἰς ὄνομα lege Interpretes ad *Matth.* XXVIII. 19. & compara *Vitringam* lib. III. Obſſ. Sacrar. c. XXII. p. 319. qui ſpeciatim p. 330. recte obſervat, βαπτίζεσθαι εἰς τὸ ὄνομα Παύλου idem eſſe, ac ſi ſcriberetur, βαπτισθῆναι εἰς Παῦλον. Ita enim Paulus ad *Rom.* VI. 3. & *Galat.* III. 26. βαπτίζεσθαι εἰς Χριστὸν dicit, quod Lucas *Actor.* VIII. 16. per βαπτισθῆναι εἰς τὸ ὄνομα Χριστοῦ effert.

Verſ. 14. εἰ μὴ Κρίσπον) Vide ad *Actor.* XVIII. 8.

καὶ Γάϊον) vide ad *Rom.* XVI. 23.

Verſ. 16. Ἐβάπτισα δὲ καὶ τὸν Στεφανᾶ οἶκον) Οἶκος hic *familiam* infert, ut *Luc.* XI. 17. XIX. 8. *Act.* X. 2. 1. *Tim.* III. 4. 2. Tim. I. 16. & alibi. Indicantur vero omnes, qui in domo ſunt, vel ad familiam pertinent, v. c. Parentes, liberi cujuscunque ætatis, ſervi, ſervæ, &c. His vero Stephanæ familiam conſtitiſſe, veri eſt ſimile, quia in fine hujus epiſtolæ eam ut valde inſignem in Corinthiorum Eccleſia celebrat, cap. XVI. 15. παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, οἴδατε τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ, ὅτι ἐστὶν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας, καὶ εἰς διακονίαν τοῖς ἁγίοις ἔταξαν ἑαυτούς. Confer omnino *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. II. c. 6. p. 81. ſqq. qui ex hoc & illi ſimilibus N. T. locis Pædobaptiſmum naſcenti Eccleſiæ recte vin-

vindicat. Adde *Jo. Pearſoni* notas ad Ignatii epiſtolas p. 21. Ignatius in epiſtola ad Smyrnæos ita in calce: ἀσπάζομαι τȣ̀ς ὄικȣς τῶν ἀδελφῶν μȣ σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις. Explicat ſcilicet ſenſum vocis οἶκος, tanquam quæ uxores & liberos comprehendat. Atque ita quidem Hebræi τὸ בית i. e. *domum* adhibent, v. c. 1. *Chronic.* X. 6. collato 1. *Sam.* XXXI. 6. Non minus autem Scriptores Græci, quorum loca promit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 120.

λοιπὸν ȣ̓κ οἶδα, εἴ τινα ἄλλον ἐβάπτισα) i. e. non conſcius mihi cetera ſum, quod *alium* ullum baptizarim. Τὸ εἰ non infert *incertitudinem*, ſed æquipollet quandoque τῷ ὅτι. Vide *Vigerium* p. 347. Germani dicerent: ich weiß nicht, daß ich ſonſt jemand getauft haben ſolte. Hæc eſt ſententia B. Godofr. Olearii rectiſſima in Prælectionibus MSS. ad h. l.

Verſ. 17. Ού γὰρ ἀπέστειλέ με Χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλ' εὐαγγελίζεσθαι) i. e. Chriſtus me non præcipue & primario ad baptiſmum adminiſtrandum, ſed ad Evangelium promulgandum miſit. *Simon Epiſcopius* Tomo I. Opp. in Reſponſ. ad Quæſt. XXXVI. duo ad hæc verba dici poſſe obſervat: *primum*, quod Paulus ſpeciali aliquo privilegio per Jeſum Chriſtum a baptizandi onere exceptus ſit, ut tanto magis vacaret atque invigilaret prædicando Evangelio inter Gentiles, non aliter, quam a menſarum pauperumque cura ſpeciali privilegio excepti fuerint Apoſtoli, *Actor.* VI. *alterum*, quod iſta baptizandi cura ipſi non demandata ſit, tanquam principalis & potiſſima, ſed veluti acceſſoria & ſubciſiva, quando videlicet per alios præſtari non poſſet, cujusmodi phraſes non paucæ in eandem ſententiam tum in Veteri tum in Novo Fœdere occurrunt, ut *Jerem.* VII. 22. *Hoſ.* VI. 6. & *Matth.* IX. 13. Lege præterea ad h. l. *Henr. Dodwellum* de Jure Laicorum Sacerdotali p. 337. & *Dionyſ. Petavii* Diſſertatt. Eccleſiaſt. p. 68. ſqq.

ȣ̓κ ἐν σοφίᾳ λόγȣ) i. e. λόγῳ σοφῷ vel λόγοις σοφοῖς, ſicut Paulus cap. II. 4. κήρυγμα ſuum negat fuiſſe ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, quos Petrus μύθȣς σεσοφισμένȣς appellat. Studium itaque ſapientiæ profanæ & inprimis eloquentiæ adfectatæ, quod Græcis commendatum erat, ſe in prædicando Evangelio conſectatum eſſe inficiatur Apoſtolus. De Phraſi hac lege *Pfochenium* de Stylo N.T. §.42. *Gatakerum* cap. XV. pag. 150. &, qui in utrumque animadvertit, *Jo. Vorſtium* in Philologia Sacra Parte I. pag. 208. & 221. ut & *Tac. Hajonem van den Honert* in diſſert. de Stylo N. T. Græco cap. VIII. quæ exſtat in Syntagmate Diſſertationum plurium, huc pertinentium, ab eodem edito, ut ex vero *Amelium* Parte II. p. 262. ſqq. qui poſterior hac occaſione de dictione Pauli in univerſum commentatur, oſtendens, eos, qui de illa variis modis ſiniſtre judicarint, nihil in hac phraſi præſidii invenire. Adde M. *Laurent. Mulleri* diſſertat. de Stilo idiotico N.T. p. 24. ſqq. *Vitringa* lib. III. Obſſ. Sacrar. c. XXI. p. 309. phraſi illa id indicari cenſet, quod Apoſtolus modo docendi claro, facili, ſimplici, absque ambagibus ullis, & ulla circuitione, Oratoribus alias familiari, uſus ſit, ut par eſt facere illum, qui *nuncium fert bonum* de bono inſigni, quippe quem clare, diſtincte, ſimplicibus, breviſſimisque

ver-

verbis mentem ſuam explicare docet, ne auditoris ſui patientiam laceſſat. Phraſin hanc illuſtrat etiam *Jo. Creyghton* in Prolegom. ad Salom. van Till commentar. in hanc epiſtolam, Harlemi an. 1728. editis p. 76. ſqq.

Ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ ϛαυρὸς τȣ̃ Χριϛȣ̃) ne *inanis redderetur* doctrina *de cruce Chriſti.* Crux hic eſt ὁ λόγος τȣ̃ ϛαυρȣ̃, ſermo de cruce, i. e. de morte Chriſti in cruce, & beneficiis inde ad credentes redundantibus. Ita recte Patres apud *Svicerum* Tom. II. Theſauri pag. 252. & *Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. II. cap. XIV. p. 237. qui lib. III. c. 21. p. 309. Pauli mentem ita ediſſerit: *ne, ſi facunde de illo argumento vellet diſſerere, illudque multo verborum circuitu ſuadere, ipſe ſuum teſtimonium ſuſpectum, & auditoribus ſuis inutile redderet. Etenim* (ita pergit) *fas eſt, ut veritas prima clare & diſtincte in omni arte proponatur, & percipiatur. Imo ſicuti crux Chriſti argumentum erat valde ſimplex, fas erat, ut id modo ſimplici tractaretur, ſi dictio rebus dicendis reſponderet.* Hinc ſtatim v. 18. ὁ λόγος γὰρ ὁ τȣ̃ Χριϛȣ̃. Quæ ex hoc loco contra methodicam concionandi rationem hodie receptam diſputat *Jo. Mich. Langius* im freywilligen Heb-Opffer Tom. I. pag. 307. ea intelligens lector non ſine temperamento admittenda eſſe per ſe videbit. De verbo κενωθῇ lege Patrum quorundam loca apud *Svicerum* Tom. II. Theſauri p. 87.

Verſ. 18. Τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις, τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν) Τὸ μὲν & ἡμῖν in uno alterove Codice & aliquot verſionibus deſideratur, atque id ſufficere viſum eſt *Millio*, ad utramque vocem loco movendam. Sed vide *Whitbium* rectius ſentientem in Examine p. 61. Sane τὸ δὲ, ἀποδοτικόν, prius illud μὲν ex communi Græcæ Linguæ uſu præſtruit, &, ſi interdum omittatur, ſaltem ſubintelligi jubet. Alterum vero ἡμῖν Paulinæ dictioni, alias receptæ, apprime reſpondet. Ita enim Epheſ. I. 19. καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτȣ̃ εἰς ἡμᾶς τȣ̀ς πιϛεύοντας. 1. *Theſſal.* II. 10. ὡς ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπ]ως ὑμῖν τοῖς πιϛεύȣσιν ἐγενήθημεν, & v. 13. ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιϛεύȣσιν.

Verſ. 10. Γέγραπ]αι γάρ· ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν) Provocat S. Paulus ad *Jeſ.* XXIX. 14. cum quo verba Paulina diligenter confert *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 520. ſqq. ſpeciatimque obſervat, vaticinium hoc impletum in gente ſua eſſe, toties Judæos ipſos fateri, quoties Sapientiam in Iſraele inde a deſtructo Templo ſecundo per inſequentia ſæcula diminutam eſſe affirment. Non attulit Vir doctus locum ullum. Talis vero, isque inſignis, exſtat in Gemara ad *Sota*, capite ultimo fol. 49. 1. 2. ubi inter cetera hæc legis: R. *Pinchas filius Jair dixit: Ex quo vaſtatum eſt Sanctuarium, erubuerunt ſodales, & filii nobilium, & operuerunt caput ſuum, & attenuati ſunt viri praxeos: prævaluerunt autem, qui manu & lingua valebant: neque ſupereſt concionator, neque deprecator, neque qui interroget, cui nobis innitendum eſt? Patri noſtro, qui in cœlis eſt. R. Elieſer Magnus dicit: A quo die vaſtatum eſt Sanctuarium, cœperunt Sapientes eſſe, ut Scribæ, & Scribæ, ut miniſter Synagogæ, ut populus terræ, & populus terræ paulatim attenuatus fuit, neque*

 eſt,

eſt, qui quærat, neque qui inquirat. Locum integrum hic apponendum putavi ideo, quod phraſes v. 20. ſequentis ex eo illuſtrari poſſunt. Adde vero, quæ in eundem commentatur *Jac. Altingius* in libro IV. de Schilo cap. 4. Tomo V. Operum p. 73. ſqq. Plura ejusmodi domeſtica Judæorum de ignorantia & cœcitate ſua teſtimonia lege apud *Raymundum Martini* in Pugione Fidei Parte III. Diſtinct. III. c. 21. Wagenſeilium ad Tela Ignea Satanæ p. 199. (ubi ipſe paronomaſiam, quæ inter voces עברים i. e. *Hebræos* & עורים i. e. *cæcos* intercedit, urget) *Jo. Adamum Scherzerum* in Programmatibus p. 26. ſqq. & *Jo. Jac. Schudtium* in Deliciis Hebræo-Philologicis p. 80. ſqq.

Πῦ σοφὸς; πῦ γραμματεὺς; πῦ συζητητὴς τῦ αἰῶνος τύτυ;) Ad Jeſaiæ XXXIII. 18. hic reſpici inter Interpretes fere convenit. Lege inprimis *Surenhuſium* l. c. p. 522. & *Vitringam* in commentario ſuper Jeſaiam Tomo II. p. 253. ſqq. Jeſaiæ verba ita habent: איה סופר איה שוקל איה סופר את המגדלים *ubi eſt legis peritus, ubi ponderator, ubi is, qui deſcribit turres?* *Surenhuſii* judicio Apoſtolus vocem סופר per σοφὸν convertit, ac ſi ſcriptum fuerit חכם i. e. *Sapiens*, cum חכם & סופר ſint ſynonyma, nec סופר *legis peritus* quisquam eſſe poſſit, niſi ſit חכם. Voci שוקל ſic reſpondebit vox γραμματεύς. Scribarum enim erat, ut omnia exacte ad lancem veritatis exigerent, ſive in Sacris codicibus deſcribendis & examinandis, ſive in cauſis definiendis verſarentur. Duo hæc nomina ut ad Judæos eorumque ſapientiam ſpectant, ita tertium ad Gentilium Philoſophos referri idem exiſtimat. Talis vero confertur cum סופר המגדלים i. e. homine, qui Regis juſſu turres palatiorum, tanquam ad tributa pendenda maxime idoneorum, exacte deſcribere & in numerum referre tenebatur. Hunc Paulus συζητητὴν τῦ αἰῶνος τύτυ appellat, tanquam qui non minus in argumentis ſubtilioribus & ad ſalutem parum profuturis occupatus ſit, quam is, qui in commemorato negotio verſetur. Hæc ſumma eſt ſententiæ Surenhuſianæ. Ab eo nonnihil diſcedit *Vitringa* l. c. rationes ita inſtituens: *Vox* סופר *hic obtinet ſignificationem ſuam communem, ſi* abſolute *ſumatur. Notat æque ac* γραμματεὺς Virum doctum, *eruditione liberali imbutum.* Ponderare, librare, *pro actu judicii, qualis eſt conſultantium ac deliberantium, forte omnibus populis eſt recepta metaphora. Tertium autem*, recenſere turres, *ſi ſpecies me non deludat, de Dialectico, qui ſubtilitate ingenii & faſtu elatus argumenta pro ſententia ſua plura* numerat, *pulcherrime uſurpatur.* Provocat idem in notis ad affinem huic interpretationem Judæorum, a *Samuele Laniado* in commentario ad Jeſaiæ locum allatam. *In Tractatu Sanhedrin*, inquit is, *Samuel invenit R. Jehudam inhærentem huic pericopæ, & flentem. Dixit ipſi: quamobrem vero lacrymaris? Dixit ei Vini Sutra. Quid illud eſt, quod ſcriptum eſt de Rabbinis noſtris:* Ubi eſt ſcriba? ubi ponderator? *UBI EST SCRIBA? Intelliguntur, qui recenſent omnes literas, quæ ſunt in lege. UBI PONDERATOR? Sunt, qui ponderant omnia gravia & levia, quæ ſunt in lege. UBI EST RECENSITOR TURRIUM? Sunt, qui legunt trecentas deciſiones* (paragraphos) *Talmudi-*

mudicas in turre, *quæ volitat in aëre.* Poſtremam hanc phraſin, tanquam myſticam & Cabbaliſticam ita accipit *Vitringa*, ac ſi indicetur ſtudium legis & traditionum Talmudicarum, quo quis ſe a terreſtribus & mundanis omnibus ſeparet ita, ut ἐν τοῖς ἐπȣρανίοις verſari ſibi videatur. Idem eximius Interpres ex contextu Jeſaiæ prophetico evincit contra *Grotium*, oraculum illud non ad ſæcularia illius ætatis negotia referri, ſed myſtico, quem Paulus h. l. clariſſime indicet, ſenſu accipi debere. Idem contra *Grotium* & *Calovius* noſter, ut alios taceam, in *Bibliis Illuſtratis* ad Jeſaiæ & Paulinum hunc locum evicit. Ille סופר המגרלים *deſcriptor turrium* Græce, quod ad ſenſum attinet, diceretur ἀεροβατῶν, *aërem affectans*, & *nubes captans.* Hac phraſi minus proficuam & ſubtiliorem philoſophandi rationem ridet *Ariſtophanes* in Nubib. Socratem ita inducens loquentem: ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον.

Stephani le Moyne de his vocibus cogitata digna ſunt, quæ ex Obſervatt. ejus ad Varia Sacra pag. 346. hic legantur. *Alludit*, inquit, *Apoſtolus ad nomina apud Judæos uſitatiſſima*, חכם, σοφὸς, ספר, γραμματεὺς, דרשן συζητητὴς, *quibus mores quorundam hominum apud Hebræos deſignabantur*, *qui Scripturis interpretandis*, *commentandis*, *illuſtrandis operam ſuam ſolebant collocare. Niſi dicamus*, ἐρευνᾷν *eſſe* חקר & συζητητὴς *apud Hebræos fuiſſe* החקרים *inveſtigantes & explorantes. Nam hoc etiam notat vox* חקר, *quæ notat* ἐρευνᾷν, ἐξερευνᾷν, ἰχνεύειν, ἐξιχνιάζειν, ἐξακριβάζειν, ἐτάζειν, δοκιμάζειν, *quæ omnia integram animi applicationem innuunt ad aliquid incognitum perveſtigandum*, & *explorandum. Hinc* החקר συζητητὴς, *diſquiſitor*, *inquiſitor*, & *qui variis conatibus tandem occultatam veritatem & latentem eruit.* Conferatur idem pag. 600. De voce σοφὸς cum חכם & altera ספר cum γραμματεὺς conferenda nullum, puto, eſt dubium. At tertiam illam συζητητὴς cum דרש vel דרשן comparari malim cum B. *Feſſelio* Tomo I. Adverſariorum Sacrorum p. 201. *Lightfooto* ad h. l. *Nicol. Fullero* in Miſcellaneis Sacris, *Barthol. Mayero* in Philologia Sacra Part. I. p. 222. & *Campeg. Vitringa* in Archi-Synagogo p. 195. & libro III. de Vetere Synagoga Parte I. cap. 5. p. 670. Poſtremus hic *Druſium* oſtendit eſſe deferendum, quando libro VI. Præteritorum ad h. l. τȣ̀ς συζητητὰς confert cum חכמי מחקר vel אנשי i. e. *Sapientibus*, ſeu, *viris diſquiſitionis.* Ita ſcilicet Judæis vocantur Philoſophi, qui *rerum naturalium cauſas* ſcrutantur, ut teſtimonia a *Druſio* allata evincunt. Illud vero non eſt συζητεῖν, quod *diſceptare* & *diſputare* apud Græcæ Linguæ & Sacrarum Scripturarum auctores ſignificat. Hinc & voces ζήτημα & ζήτησις in libris Novi Fœderis frequenter occurrunt, v. c. prior *Actor.* XVIII. 15. XXIII. 29. & XXVI. 3. poſterior ad *Tit.* III. 9. ubi Paulus caveri vult μωρὰς ζητήσεις i. e. *diſputationes* vanas & ſtolidas, quæ in Synagogis celebrantur a diſputatoribus hujus ſæculi.

Triplex officium in Synagogis receptum, nempe *Diſquiſitorum*, *Principum Synagogæ* & *Scribarum* a Paulo hic indicari exiſtimat *Conradus Mel* in Antiquario Sacro p. 21. ſqq.

B. *Godofr.*

B. *Godofr. Olearius* in Prælect. MSS. per γραμματέα doctum ſeu legis peritum, per συζητητὴν vero diſputatorem Sophiſtam, qui in diſputando ſecundum mores ſæculi exercitatus eſt, ut inter Gentiles Sophiſtæ, inter Judæos Phariſæi, intelligit.

Ad unum aliquem doctorem falſum, qui, ex Judæis ortus, Corinthiorum Eccleſiam turbare & ad ſe allicere conatus, atque his nominibus forte gloriatus ſit, ſermonem ſuum dirigere Apoſtolum exiſtimat *Lockius* ad h. l. minus, ut puto, convenienter, cum Pauli inſtitutum ſit, omne genus Sapientum quocunque nomine vel a Judæis, vel a Gentilibus appellentur, in eandem, h. e. illorum claſſem referre, quorum ſapientia ſæcularis a diviniore & ſublimiore illa pudefacta collabatur.

Ceterum συζητητὴν τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ nolim cum *Vitringa* de vetere Synagoga pag. 671. accipere de illo diſputatore, *qui ad Synagogam & Oeconomiam Veteris Teſtamenti* pertineat. Vocem enim αἰὼν hic latius patere, & *univerſum* hoc, i. e. homines ſibi ſolis relictos, indicare ex ſubjecta phraſi σοφία τȣ̃ κόσμȣ elucet. Hunc vero κόσμον ad *Judæos* æque ac *Gentiles* refert Apoſtolus v. 22. utroſque ſuis appellans nominibus. Confer B. *Feſſelii* Adverſaria Sacra l. c. Nec magis probo *Hieron. Guil. Snabelii* ſententiam, in diſſertatione de regulis, quæ in Theologia Typica enucleanda obſervandæ ſint, Amœnitatibus Theologiæ emblematicæ & typicæ præmiſſa, p. 2. exiſtimantis, per συζητητὰς illos ſubinnui, qui tunc in interpretanda Scriptura Sacra מדרש i.e. ſenſum legis myſticum ſint conſectati. Neque enim hoc admittit phraſis addita τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ. Eadem phraſis non magis patitur *Jo. Clerici* interpretationem in verſione Gallica N. T. ita hæc vertentis: *ou eſt celuy, qui recherche la nature de cet univers?* i. e. ubi eſt, qui naturam univerſi hujus ſcrutetur? Vox αἰὼν amplius aliquid infert, nec falli me puto, ſi phraſin τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ non minus ad σοφὸς & γραμματεὺς quam ad συζητητὴς credam eſſe referendum. Scilicet σοφὸς & συζητητὴς τȣ̃ αἰῶνος eodem ſenſu dicitur, quo ὑιοὶ τȣ̃ αἰῶνος appellantur, *Luc.* XVI. 8. & XX. 34. i. e. homines ſæculo huic ejusque genio conformes.

De τῷ σοφῷ Patrum ſententias lege apud *Svicerum* Tomo II. Theſauri p. 955. ſqq.

Ὀυχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς) i. e. μωρὰν ἔδειξεν ȣ̓̃σαν πρὸς τὴν τῆς πίστεως κατάληψιν, ſtultam eſſe declaravit ad comprehendendam fidem, ut *Chryſoſtomus* & alii apud *Svicerum* Tomo II. p. 384. b. explicant.

Verſ. 21. Ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ σοφίᾳ τȣ̃ Θεȣ̃ ȣ̓κ ἔγνω ὁ κόσμος διὰ τῆς σοφίας τὸν Θεὸν) Phraſis ἐν τῇ σοφίᾳ τȣ̃ Θεȣ̃ hic opponitur alteri διὰ τῆς σοφίας, per quam ut ſapientia ipſorum hominum, quam ſomniabant, intelligitur, ita per priorem indicatur ſapientia Dei in operibus ipſius conſpicua, atque hinc merito agnoſcenda, & celebranda. Pertinent huc *Jo. Gerh. Voſſii* verba ex lib. I. de origine & progreſſu Idololatriæ cap. IV. Tomo V. Opp. pag. 9. *Fabrica mundi*, inquit is, *teſtabatur Dei potentiam*, *ſapientiam*, *bonitatem*, *ac propterea exigebat ab homine*, *ut fideliter ſerviret Deo*; *tum propter ſummam ejus maje-*

majeſtatem, tum tot benefacta, pariter etiam, quod cultores ejus præmium maneret vitæ beatæ. Sed maluit mundus otioſe opera Dei contemplari, nullum interea conditori honorem exbibendo, quin contumelioſe eum potius transferendo ad illa, quæ Deus feciſſet. Conf. *Rom.* I. 25.

Verſ. 21. *Διὰ τῆς μωρίας τȣ͂ κηρύγματος*) *μωρία κηρύγματος* eſt *μωρὸν κήρυγμα.* Subſtantivum enim prius paſſim ponitur loco adjectivi. Lege *Horatii Vitringæ* Animadverſiones ad Vorſtii Philologiam Sacram p. 229. *Κήρυγμα* hic infert doctrinam Evangelicam: vide *Suicerum* Tomo II. Theſauri p.99. & 385. a. Præconium hoc ſtultum vocari non in ſe, ſed ex ſtulta hominum perſuaſione, cui hac ratione ſimul illuditur, per ſe manifeſtum eſt.

Verſ. 22. *Ἰȣδαῖοι σημεῖον αἰτȣ͂σι*) Judæos eosdem eſſe cum Hebræis, qui alias dicuntur, nec proinde Judæos, in Actis memoratos, de Helleniſtis accipiendos eſſe, ex hoc quoque loco probare contendit *Salmaſius* in epiſt. dedicator. ad commentarium de Lingua Helleniſtica p. 24. Qui enim h. l. *Ἰȣδαῖοι* in hodiernis exemplaribus vocantur, illos in Codice, quo *Clemens Alexandrinus* uſus ſit, *Ἑβραίȣς* dictos fuiſſe, ex lib. I. Stromatum p. 279. ait apparere. Fallitur autem Vir, alioquin ſagaciſſimus, iſta conjectura ſua. Memoriæ enim potius vitio, quam auctoritate codicis ſui, ita *Clemens* ſcripſit, quippe qui ibidem p.313. locum hunc iterum ad partes vocans, *Ἰȣδαίȣς*, quos antea *Ἑβραίȣς*, vocet. Pro *σημεῖον* Codices nonnulli & verſiones legunt in plurium numero *σημεῖα*, non ſine interpolatione, Quotiescunque enim a Salvatore noſtro Judæis *σημειομανία* exprobratur, quod fit v. c. *Matth.* XII. 38. XVI. 1. 2. *Marc.* VIII. 11. *Luc.* XI. 29. *Joh.* VI. 30. toties numerus ſingularis adhibetur, idque fortaſſe ideo, ut indicetur, Judæos certum quoddam *ſignum*, vel *ſigni genus* poſtulaſſe, non autem in iis, quæ a Chriſto vel Apoſtolis ipſis edi videbant, acquieſcere voluiſſe. Certe niſi ipſa vocis forma id inferat, argumenti tamen conditio requirit, ut phraſin Paulinam hoc ſenſu accipiamus. Poſtulabant ſcilicet Judæi ſignum, quod in cœlo & circa res cœleſtes conſpiceretur. Ita Phariſæi *Matth.* XVI. 1. *σημεῖον ἐκ τȣ͂ ȣ̓ρανȣ͂* expetebant. Lege in hanc ſententiam *Campeg. Vitringam* Obſervatt. Sacrar. lib. II. cap. XVI. p. 253. & quæ in his Curis ſcripſimus ad *Matth.* XII. 38. Fortaſſe tamen Apoſtolus in univerſum hic caſtigat Judæorum intemperiem, tanquam quorum quisque novis ſubinde & cumulatis miraculis fidem ſibi quaſi extorqueri voluerit. Ita *σημεῖον* in ſingulari pro plurali poſitum eſſe, quod alias frequenter fit, exiſtimabitur.

Καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητȣ͂σιν) Proverbium apud Græcos erat, teſte Athenæo, *θαύματα μωροῖς*, i. e. *miracula ſtultis.* Itaque Græci non quærunt ſigna, ſed ſapientiam. Pervagatum erat apud Judæos: *maledictus, qui aluerit ſuem, & qui didicerit ſapientiam Græcorum.* Itaque Judæi non petunt ſapientiam, ſed ſigna. Ea pro ſe quisque optat, quibus adſueverat. Sic *Alex. Morus* ad h. l. Græcos Anacharſis apud *Herodot.* lib. IV. pag. 282. *πάντας ἀσχόλȣς εἶναι πρὸς πᾶσαν σοφίην* dixit quemadmodum idem *Herod.* lib. I. p. 45. *ζητέειν σι-*

τία de *ciborum poſtulatione* uſurpat. Vide *Raphel.* pag. 452. Exſtat alioquin ad comma hoc ſingularis *Jo. Mich. Langii* diſſertatio de Judæorum ſigna poſtulantium affectu funeſto, in Decade II. Diſſertationum ejus Exegetico-Practicarum num. VIII. qui ibidem num. IX. de Gentilium, Sapientiam quærentium, delirio commentatur.

Verſ. 23. Ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν Χριςὸν ἐςαυρωμένον, Ἰȣδαίοις μὲν σκάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρίαν.) Spectat huc Rev. *Jo. Georg. Pritii* diſſertatio Lipſ. 1697. & B. *Godofr. Olearii* commentatio vernacula *de Jeſu vero Meſſia*, in qua ſcandala varii generis, quibus & Judæi & Gentiles a Chriſti, Domini noſtri, ſacris prohiberi ſe paſſi ſunt, recenſentur. Adde ex noſtratibus Rev. *Jo. Georg. Walchii* Diſſert. II. de interpretatione Novi Fœderis ex hiſtoria Philoſophica §. 3. quæ in Obſervationibus ejusdem Philologicis Parte I. p. 89. ſqq. recuſa eſt; & ex Reformatis *Vitringam* lib. III. Obſſ. Sacr. XII. noviſſimeque *Bernhardi Sebaſt. Cremeri*, Prof. Harderoviceni, ſingularem diſſertationem de prædicatione Chriſti crucifixi, quæ ad commata 23. & 24. relata in calce Prodromi ejus Typici Amſtelod. 1721. 4. pag. 208. & in Typologia, Amſtelod. 1727. 4. edita, pag. 172-210. legitur. Compara Acta Eruditorum Lipſienſ. Latina Tom. VIII. Supplement. pag. 15. ſqq. Paucis multa dicit *Alex. Morus* ad h. l. *Signate dicitur Judæis fuiſſe ſcandalum præ infirmitate, quoniam pro ſignis, quæ petebant, invenerunt crucem, qua nihil remotius a magnificentia ſignorum: itaque vocarunt eum* תלוי (Suſpenſum;) *Græcis autem ſtultitiam, quod & morti ſe pateretur dari filius, & talis crederetur* Χριςὸς ἐςαυρωμένος, *quem propterea* σοφιςὴν ἀνεσκολοπισμένον & Γαλιλαῖον πλάνον *dixere.* Atque illa quidem prætulerim cogitatis Cl. *Pet. de Maizeaux*, quæ exſtant in Novis Reipubl. Literar. 1700. Tom. II. pag. 497. Is ſcandali Judaici occaſionem ex abrogatione cultus Levitici natam exiſtimat, quam ſcilicet Apoſtoli una cum Chriſti cruce prædicabant, quoties ipſum ut hoſtiam & ſacrificium pro peccatis hominum in cruce immolatum eſſe teſtabantur. Perſas illis, qui ſtatuis, templis & aris uterentur, μωρίην ἐπιφέρειν i. e. *inſaniam tribuere*, auctor eſt *Herodotus* lib. I. p. 62. Vide *Raphelium* pag. 452. Annotatt. Herodot.

Verſ. 24. Αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς Ἰȣδαίοις τε καὶ Ἕλλησι Χριςὸν Θεȣ̃ δύναμιν καὶ Θεȣ̃ σοφίαν) Comma hoc una cum antecedente illuſtrant Rev. *Jo. Laur. Moshemius* in Parte I. Concionum Sacrarum p. 160. ſqq. & laudatus modo *Cremerus*, qui in calce diſſertationis ſuæ contra eos diſputat, qui ab urgendis religionis myſteriis ad cavenda diſſentientium ſcandala abſtinere præclarum putant, & in inculcandis Chriſtiani hominis officiis tantum & ſecure acquieſcunt. Hos ſcilicet ab Apoſtoli genio & exemplo alieniſſimos eſſe merito & vere judicat.

Quando hic Chriſtus ut *potentia* & *ſapientia* Dei prædicari dicitur, ſapientiſſime id quidem fit reſpectu habito ad *ſignum*, quod Judæi, & ad *ſapientiam*, quam Græci in Evangelii prædicatione deſiderabant. Signum ſcilicet eſt *potentiæ* divinæ argumentum. Converſi itaque utrumque, nempe & potentiam & ſapientiam Dei, omni humana ſuperiorem, in Chriſto invenire dicun-

cuntur. Lege huc *Jo. Lockii* commentarium. Similiter *Alex. Morus* ad h. l. *Vocatis autem Judæis (ut Romanis) pro ſcandalo & infirmitate potentia Dei fuit (crux Chriſti) ſed & ſapientia, dona ſua cumulante Deo: Græcis pro ſtultitia non modo ſapientia, ſed etiam potentia, ut fuerit vere Chriſtus in omnibus omnia, Epheſ.* I. 23. Quæ ſcite admonentur, ſi unum illud exceperis, quod Romani cum Judæis ratione *ſcandali* recepti conjungantur, ad Græcos autem tantum præjudicium de præconii Evangelici *ſtultitia* referatur. Enimvero Ἕλληνες, in Novo Fœdere Judæis oppoſiti, Gentiles in univerſum omnes, atque adeo & *Græcos* & *Romanos*, inferunt, atque hi quidem Apoſtolorum inprimis ætate non minus quam Græci, horum quippe exemplo excitati, ſapientiæ ſæcularis laudem contento ſtudio venabantur. De δυνάμει Θεȣ̃ ex Patribus diſſerit *Svicerus* in Theſauro Eccleſiaſt. Tom. I. p. 969.

Verſ. 25. μωρὸν τȣ̃ Θεȣ̃) Lege eundem *Svicerum* Tomo. II. p. 385. a.

Verſ. 25-28. illuſtrantur a *Vitringa* lib. III. Obſervatt. Sacrar. cap. II. p. 18. ſqq. atque hinc ab *Amelio* Parte I. **der Erörterung** p. 197. ſqq. Videtur illis Paulus hic innuere, quod operationes Spiritus Sancti, tempore miniſterii Legis, ut plurimum fuerint annexæ certis perſonis, item dignitatibus, officiis & qualitatibus externis, quæ nunc, tempore Novi Fœderis, nulla habita harum prærogativarum ratione, in viliſſimos quosque cadant. His poſitis, & tum exemplis V. T. tum teſtimoniis Judæorum, nominatim *Joſephi* & *Abarbanelis* comprobatis, Vitringa p. 29. per δυνατȣ̀ς, εὐγενεῖς & σοφȣ̀ς Paulum potiſſimum putat reſpexiſſe ad ſummos in Judæa gente magiſtratus, ſive Supremi Synedrii Aſſeſſores, quippe quos δυνατȣς & εὐγενεῖς (מיוחסים) & σοφȣ̀ς (חכמים) appellatos fuiſſe ex allatis a ſe *Joſephi* & *Maimonidæ* teſtimoniis probat. Ego, ut negare nolim, S. Paulum hic nominibus & titulis uſum eſſe, ea ætate inter Judæos receptis, eundem tamen non Judæos aut Synedrii Supremi ſpeciatim aſſeſſores ſpectaſſe crediderim, ideo, quod cum Corinthiis ipſi res eſt, apud quos non minus Gentiles quam Judæi, & ex illis fortaſſe plures, ad Chriſtum erant perducti. Hos itaque vult gregem converſorum, apud ſe collectum, recognoſcere, ut intelligant, paucos eſſe, in quibus externa, quæ dixerat, commoda reperirentur.

Verſ. 26. Βλέπετε τὴν κλῆσιν ὑμῶν) Verbi βλέπειν emphaſin ex Doctoribus antiquis ediſſerit *Svicerus* Tom. I. p. 702.

ȣ̓ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα) Inſpice eundem Tomo II. p. 987.

Verſ. 27. Ἀλλὰ τὰ μωρὰ τȣ̃ κόσμȣ ἐξελέξατο ὁ Θεὸς) *Tertulliani* ad hæc verba cogitata affert *Lacerda* in Adverſariis p. 62.

Verſ. 28. Καὶ τὰ μὴ ὄντα, ἵνα τὰ ὄντα καταργήσῃ) Τὸ καὶ, tanquam quod in Codicibus nonnullis deſideretur, pro addititio perperam habet *Millius* in Prolegomenis. Firmatur id ſatis per polyſyndeton, in hoc commate obvium: καὶ τὰ ἀγενῆ τȣ̃ κόσμȣ, καὶ τὰ ἐξȣθενημένα, καὶ τὰ μὴ ὄντα. Per τὰ μὴ ὄντα hic *Gentiles*, per τὰ ὄντα vero *Judæi* ſpeciatim nonnullis intelligendi videntur, v. c. *Lockio* & *Whitbio* ad h. l. ex noſtratibus autem *Amelio* Parte II. p. 113. Ita

 gentes

gentes omnes coram Deo *nihil* eſſe dicuntur, Jeſ. XL. 17. Confer *Rom.* IV. 17. Eædem vocantur *non-populus* ab Hoſea, & a Judæis nullo loco haberi ſolebant. Præſtat tamen meo judicio utramque phraſin laxiore notione induere, ut hinc *abjecta* & *vilia*, hinc *illuſtria* & *eximia* quæque in genere indicentur. Conf. *Gal.* VI. 3. Neque enim Paulus in tota hac oratione Gentiles Judæis opponit, quod in epiſtola ad Romanos paſſim fieri conſtat, ſed cœtum Corinthiorum, ad Chriſtum ex Judæis & Gentilibus converſorum, ita repræſentat, ut ſæculares prærogativas in pauciſſimis obſervari affirmet. Propterea *Chryſoſtomus* τὰ μὴ ὄντα exponit, τὺς μηδὲν εἶναι λογιζομένυς διὰ τὴν πολλὴν ὐδένειαν, *qui nihili putantur.* Obſervavit hoc Cl. *Elsnerus* p. 73. & phraſeos hujus notionem externorum Scriptorum locis adſtruxit, v. c. *Euripidis* Troade v. 608. Jone v. 593. & Electra v. 369. &c. Appoſitus inprimis locus eſt *Ariſtophanis* Equit. v. 158. Ὦ νῦν μὲν ὐδ' ἰς, ἄυριον δὲ ὑπέρμεγας, *O qui, hodie nullus cum ſis, cras maximus eris.* Conferatur ad illum locum *Caſaubonus* & *Kuſterus*, quorum poſterior obſervat, idem hoc dictum a *Themiſtio*, Orat. XVI. p. 206. ed. Harduin. allatum eſſe.

Verſ. 30. Ἐξ ἀυτῦ δὲ ὑμεῖς ἐςε ἐν Χριςῷ Ἰησῦ, ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς, καὶ ἀπολύτρωσις) Abſtractum hic ponitur pro concreto, eleganti loquendi ratione, quam ex *Herodoto* illuſtrat Rev. *Raphelius* in Annotatt. ex eo petitis p. 453. ſqq. De re ipſa lege ex noſtratibus Rev. *Jo. Georg. Pritii* Diſſert. de Chriſto Jeſu, ſalutis humanæ auctore conſummato, Gryphiſwald. 1709. & *Theoph. Alethæi* Gründliche Erläuterung Tomo III. p. 279. ſqq. Ex Reformatis autem *Lambertum Bos* in Obſervatt. miſcellaneis ad loca quædam novi Fœderis p. 1. ſqq. Atque hic quidem novam interpretandi viam ingreſſus ordinem verborum ita conſtituit, ac ſi Paulus ſcripſiſſet: ἐξ ἀυτῦ δὲ ὑμεῖς ἐςε δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις ἐν Χριςῷ Ἰησῦ, ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεῦ. *Ex eo* (Deo Patre) *autem vos eſtis juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio per Chriſtum Jeſum, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo.* Itaque ſolam vocem σοφία ad Chriſtum, reliquas autem, δικαιοσύνη τε καὶ &c. ad converſos ex Corinthiis refert, tanquam qui juſtificati & ſanctificati & redemti per Chriſtum dicantur efficaciter, ponendo abſtracta pro concretis, ſicut περιτομὴ pro περιτετμημένοις, *circumciſis Judæis*, ἀκροβυςία pro *Gentilibus non circumciſis* paſſim, & δικαιοσύνη 2. Cor. V. 21. pro *juſtificatis* occurrit. Præcipuum ſententiæ ſuæ præſidium collocat vir doctus in vocula τε, quæ ponitur poſt δικαιοσύνη. Græcos enim ait, quando plura connectant, priori καὶ eleganter præmittere particulam τε, ſive inter primum nomen & copulam καὶ ponere τε, ut hic δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς, καὶ ἀπολύτρωσις, atque hinc cognoſci poſſe, tria tantum hic prædicata connecti, quorum primum ſit δικαιοσύνη, vocabulum vero σοφία huc non pertinere, quia, ſi hoc voluiſſet Apoſtolus cum ceteris connectere, ſcripturus fuiſſet, σοφία τε καὶ δικαιοσύνη &c. Conf. *Hebr.* VI. 19. Placuit nova hæc expoſitio *Alethæo* l. c. & *Jo. Clerico* in Bibliotheca Selecta Tomo XV. p. 361. talis videtur, quæ nec genio linguæ, nec ſtilo

lo Pauli, nec doctrinæ Apoſtolicæ adverſetur. Nihil tamen is in alterutram partem definit, dubius ſcilicet, quem potiſſimum ſenſum ambigua, quæ vocat, Pauli verba ſibi vindicent. Equidem in communi ſententia perſiſtere malim, Chriſtum, & *ſapientiam* & *juſtitiam* &c. noſtram i. e. illius cauſam, appellari contendit. Quod de uſu & collocatione voculæ τε affert vir doctus, id, cave, credas perpetuo a Scriptoribus obſervari. Contrarium exſtat exemplum *Actor.* II. 9. Πάρθοι, καὶ Μῆδοι, καὶ Ἐλαμῖται, καὶ οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, Ἰουδαίαν τε καὶ Καππαδοκίαν, Πόντον καὶ Ἀσίαν. Ibi, ſi *Boſii* obſervatio locum tueri deberet, ſcribendum fuiſſet, τὴν Μεσοποταμίαν τε καὶ Ἰουδαίαν, καὶ Καππαδοκίαν. At nunc quidem ſecus res habet, & vocula τε æque ac in loco noſtro Paulino, non ſtatim primo vocabulo, ſed ſequenti annectitur. Imo, ſi vel maxime perpetua eſſet hæc collocatio, reddi tamen ratio poterat, cur Paulus ab illa hic receſſerit. Vox ſcilicet σοφία hic non ſimpliciter ponitur, ſed determinatur additis vocibus ἀπὸ Θεοῦ, atque hæ voculam τε tantiſper videri poterant excluſiſſe. Vir doctus præterea nihil in communi interpretatione invenit, vel ſaltem ſe inveniſſe profeſſus eſt, quod eſſet incommodum. At in nova illa ejusmodi aliquid videre mihi videor. Verba enim, ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεοῦ, quæ ſola de Chriſto prædicari exiſtimat, ita interpretatur: *qui Chriſtus Jeſus nobis Apoſtolis per Spiritum revelatus ſapientes nos reddidit.* Hæc vero ſubjungit: *Apoſtolis enim ſuis hoc myſterium ſapientiæ, quod multis retro ſæculis tectum & abſconditum fuerat, revelavit Deus, voluitque, ut id per orbem terrarum prædicarent, & gentibus notum facerent:* quam in rem conferri vult cap. II. 7-18. *Epheſ.* III. 3-5. & *Coloſſ.* I. 26. Chriſtum itaque, ut ſapientiam, habito ad ſolos Apoſtolos reſpectu, prædicari autumat, qui per ipſum redditi ſint ſapientes & idonei ad myſteria Evangelii promulganda. At enimvero ſermonis Paulini nexus omnino requirit, ut vox σοφία ad Corinthios credentes omnes, non autem Apoſtolos ſolos, pertinere exiſtimetur. Sicut enim v. 24. dixerat, ſe cum aliis Apoſtolis prædicare Chriſtum Judæis & Gentilibus vocatis, ut Dei *potentiam & ſapientiam,* quæ ſcilicet in ipſorum animis ſe exſerat; ita non video, quo jure hoc loco Chriſtus ut ſapientia ſolis Apoſtolis, ratione Evangelii prædicandi, vindicari poſſit. Manifeſtum potius eſt, id ſibi velle Apoſtolum, quod, qui ad Chriſtum converſi ſint, veræ *ſapientiæ* jacturam adeo non fecerint, ut eam potius in Chriſto, quicquid etiam hominibus profanis videatur, cum aliis bonis, *potentiam* Chriſti divinam, in parta *juſtificatione*, *ſanctificatione*, & *redemtione* conſpicuam, inveniſſe merito exiſtimentur.

Sunt, qui triplex illud prædicatum ad triplex officium Chriſti mediatorium reſpicere non inconvenienter exiſtimant, ut nempe *ſapientia* ad munus *Propheticum*, *juſtitia* ad *Sacerdotale*, & *ſanctificatio* ad *Regium*, per quod fideles a dominio peccati tutos præſtet, referatur.

De voce σοφία, quatenus de Chriſto hic effertur, lege Cl. *Tobiæ Eckhardi* Technicam Sacram p. 105. ſqq. Quid Patres de ἁγιασμῷ & ἀπολυτρώσει ſtatuerint, docebit *Svicerus* Tomo I. pag. 58. & 463. tum vero *Petavius* in Dogma-

 tibus

tibus Theologicis Tom. V. de Incarnatione lib. II. cap. 9. §. 8. p. 85. Contra Pontificios, commate hoc abutentes, lege ex *Hülſemanno*, Sandhagenii Decadem Epiſt. Theolog. II. p. 284. ſqq. Rev. *Zeltnerus* in annotationibus editioni Germanicæ Lutheri verſionis Altorfinæ ſubjectis p. 195. prima hujus commatis verba: ἐξ ἀυτȣ͂ τὲ ὑμεῖς ἐςε ἐν Χριςῷ Ἰησȣ͂, elliptica eſſe exiſtimat ex v. 28. ita ſupplenda: **Ihr aber ſeid aus ihm (und durch ſeine Kraft, da ihr von Natur zu nichts getauget) in Chriſto JEſu etwas worden.** Supplemento hoc ad ſenſum non video opus eſſe. Ipſa quoque phraſis, εἶναι ἐν χριςῷ, ex uſu Scriptorum Sacrorum aliquid amplius infert, nempe fidem, per quam Chriſto inſiti illuſtrium illorum & divinorum donorum, quorum hic meminit Apoſtolus, participes reddimur.

Verſ. 31. ὁ καυχώμενος ἐν Κυρίῳ καυχάσθω) Verba ſunt Domini apud *Jeremiam* IX. 23. 24. in ſummam hic relata. Lege *Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς p. 525. *Pauli Colomeſii* Obſervatt. Sacras p. 53.

CAP. II.

AD totum hoc caput lege B. *Caſp. Hermanni Sandhagenii* Epiſtolas Theologicas, germanice editas, Decade II. p. 287. ſqq. Commata priora illuſtrant præterea B. *Jo. Henr. Majus* in Diſp. de Theoſebia Chriſtianorum univerſali, Gieſſæ 1699. ed. & Jenæ 1729. recuſa, & *Jo. Mich. Langius* in Exercit. Poſitivo-Polemica de demonſtratione Spiritus & potentiæ, Altorf. 1702.

Verſ. 1. ἦλθον ȣ̓ καθ' ὑπεροχὴν λόγȣ ἢ σοφίας) Vide ſupra ad v. 17. καθ' ὑπεροχὴν λόγȣ idem hic eſt, quod κατὰ λόγον ὑπερέχοντα i. e. orationem, quæ eloquentiam vel ſapientiam humanam proderet. *Uno Spiritu Apoſtolus & de ſapientia & de ſermone, quibus uſus eſt, affirmat, ſe in neutro affectaſſe* ὑπεροχήν. *Hinc attendenti ſatis abunde patet, Paulum non loqui de veri nominis* ὑπεροχῇ, *ſed tantum de humani ſermonis & ſapientiæ* ὑπεροχῇ. *Hanc, non illam affirmat a ſe neglectam. Sicque ſatis aperte, licet tacite, innuit, ſe, ut revera longe majorem* σοφίας ὑπεροχὴν *repræſentavit, ac præſtantiſſimi Oratores & Philoſophi unquam fecerunt, illam* σοφίαν *etiam docuiſſe multo excellentiore* λόγȣ ὑπεροχῇ, *quam apud Oratores & Philoſophos reperire licet.* Ita Cl. *Honertus* in Syntagmate Diſſertationum de Stylo N. T. p. 250.

καταγγέλλων ὑμῖν τὸ μαρτύριον τȣ͂ Θεȣ͂) *annuncians vobis Evangelium, in quo Deus teſtatur de ſe per Chriſtum.* Hinc cap. I. 6. vocatur μαρτύριον τȣ͂ Χριςȣ͂, & 2. *Tim.* I. 8. τὸ μαρτύριον τȣ͂ Κυρίȣ ἡμῶν. Phraſis itaque Paulo eſt familiaris, nec proinde in gratiam paucorum quorundam Codicum μαρτύριον cum μυςήριον permutandum eſt, quod *Lockio* conſultum eſt viſum. Taceo, verbum καταγγέλλειν ad vocem μαρτύριον rectius quam ad μυςήριον quadrare, quemadmodum alias Scriptores Novi Fœderis καταγγέλλειν λόγον & ἐυαγγέλιον dicunt.

Verſ. 2. Ὀυ γὰρ ἔκρινα τȣ͂ εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν) Ad hæc verba *Steph. Charnock* inter Anglos quondam Presbyterianus, Tom. II. Operum p. 834-845. de cogni-

cognitione Chriſti crucifixi differit. Ex noſtratibus lege *Theoph. Alethæum* Parte IV. der Erläuterung p. 21. Senſus primorum verborum eſt: *Statueram mecum, ita me gerere apud vos, quaſi nihil ſcirem.* Vide Rev. *Raphelii* Annotationes Polybianas p. 452. qui ad phraſeos illuſtrationem ſimilem affert *Epicteti* apud *Arrianum* II. 1. δόξυ δὲ μηδεὶς εἶναι, καὶ εἰδέναι μηδέν. *Videri velis nullus eſſe, nihilque ſcire.* Contra *Knatchbullum* ita vertentem: *non enim decrevi, vel neceſſarium duxi, eos, qui inter vos ſunt, h. e. vos ipſos aliquid ſcire;* lege *Hombergii* Parerga p. 244. Loquitur Apoſtolus omnino de ſe, & præcipuo præconii ſui Evangelici momento, ut mirum ſit, *Carolum le Cene* in Specimine novæ verſionis Gallicæ p. 667. expoſitionem hanc approbare potuiſſe.

Verſ. 3. Ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ πολλῷ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς) Phraſis hæc ſemel in V. T. Pſalm. II. 11. & quater in epiſtolis Paulinis occurrit, ubique autem ſuperbiam, carnalem ſecuritatem & præſumtionem omnem excludit, animique demiſſionem & modeſtiam ſignificat. Evincit id de ſingulis locis *Joſua Arndius* in Miſcellaneis Sacris cap. XV. p. 44. ſpeciatimque monet, hoc loco Apoſtolum ſuam ταπεινότητα opponere faſtui Pſeudo-Prophetarum & impoſtorum, non autem metum quendam ſervilem & trepidationem indicare voluiſſe.

Verſ. 4. Καὶ ὁ λόγος μυ καὶ τὸ κήρυγμά μυ) Duplici hac voce ſermones hinc privatim, hinc publice a Paulo habitos innui, non ſine veri ſpecie autumat *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 692. Idem præter ceteros & *Grotio* viſum eſt. Et ſane vox λόγος de colloquio familiari *Matth.* V. 37. *Marc* VIII. 32. & alias, κήρυγμα autem de oratione publica adhibetur *Matth.* X. 27. Conf. Rev. *Raphelii* diſputationem mox citandam, p. 13.

Ουκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις) Vox πειθοῖς, a πειθὸς i. e. *perſuaſorius* derivanda, multis ideo ſuſpecta viſa eſt, quod nullo Græci Scriptoris exemplo comprobari huc dum potuerit. Et veteres quoque in verbis his exprimendis diſſentiunt. *Euſebius* enim in limine Præparationis, *Origenes* Commentar. in Matthæum p. 354. contra Celſum lib. I. pag. 5. & Philocal. c. 4. habent πειθοῖ λόγων, quam in rem lege *Millium.* Ex recentioribus alii πειςοῖς cum *Grotio* ad h. l. alii πειθανοῖς, alii πειςικοῖς, teſte *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris legendum cenſuerunt. Alii receptæ lectioni propius accedere ſibi viſi ſunt, ſi cum Euſebio πειθοῖ ἀνθρωπίνης σοφίας λόγων legerent, ut *ſuadela ſermonum humanæ ſapientiæ* inferretur. Hanc lectionem haud dubie veram eſſe ex noſtratibus ad h. l. cenſet *Eraſmus Schmidius.* Sic & *Bonaventura Vulcanius* in notis ad Cyrilli Tractatum de Incarnatione Unigeniti p. 24. ἐν πειθοῖ i. e. *in ſuadela,* ſeu *demonſtratione dialectica,* legendum, & voces σοφίας λόγοις audacter expungendas eſſe ſtatuit, tanquam quæ vel ex margine, quem gloſſematis loco occupaverant, in contextum irrepſerint, vel ſaltem a Paulo explicationis cauſa adjectæ videantur. Atque hunc ex parte ſecuti videntur & *Paſor,* & *Schrevelius,* quorum uterque in Lexicis ſuis receptam lectionem ἐν πειθοῖς i. e. *in perſuaſionibus,* retinent quidem, ſed ſequentes voces ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, *humanæ ſapientiæ verbis,* facta interpunctione, per appoſitionem interpretandas

cenſent. Noviſſime Cl. *Jo. Alberti* in Obſſ. ad h. l. pag. 336. novam conjecturam in medium attulit: *Quod ſi*, inquit, *nimia videatur differentia inter* πειθοῖ λόγων *&* πειθοῖς λόγοις, *non male forſan legeris, ſaltem leviſſima mutatione:* ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, *in verbis perſuaſionis* i. e. perſuaſoriis *humanæ ſapientiæ. Facile* Υ *&* Ι *miſceri potuerunt, ut & in minoribus literis* υ *&* ι, *præſertim ante* ς. Idem tamen p. 337. id, quod ex Paſore modo attulimus, dici poſſe cenſet de voce πειθοῖς, quamvis vocem πειθὼ in plurium numero ſibi occurrere non meminerit.

Non cumulabo hic, quæ in ſingulas has conjecturas dici poterant. Paulum enim vere ſcripſiſſe ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, vel ex commate 13. conſtare poteſt, ubi eadem phraſis occurrit, niſi quod τὸ πειθοῖς cum διδακτοῖς ſit permutatum, eo ſcilicet fine, ut altera vox alteram interpretaretur. Abſit itaque, ut hic vel de gloſſemate aliquo marginali, vel ulla vocum mutatione cogitemus. Parum quoque id habet momenti, quod vox πειθὸς in forma adjectivi in profana Græcia nullibi obſervetur. Quid ſi enim eam inter veteres & obſoletas reponas? quid ſi inter rarius obvias? Sufficit, eam vocis formam eſſe, quæ analogiæ Græcæ linguæ reſpondeat. Sapienter in hanc ſententiam *Claud. Salmaſius*, ἑλληνικώτατος, in Commentario de Lingua Helleniſtica pag. 86. *Niſi forte*, inquit, πειθὸν, *inter vetera & obſoleta reponas, quo uſus eſt Paulus pro* πιθανῷ *in his verbis:* ἐν πειθοῖς τῆς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις. *Quod velut corruptum quidam male corrigere ſatagunt.* Πειθὸς *a verbo* πείθω, *qui perſuadet, ut* φειδὸς, *qui parcit, ut* μιμὸς, *qui imitatur, & ſimilia. Latini ſimiliter a verbo* condo *nomen* condum *fecerunt de eo, qui condit*, promum, *qui promit. Sed &* ἐγκομβώσασθαι *ibidem reperitur ex antiqua comœdia verbum.* Lege præterea Celeber. *Tac. Haj. van den Honert* in Syntagmate Diſſertationum de Stylo N. T. pag. 113. & Cl. *Tobiam Eckardum* in Tactic. Sacr. pag. 129. Ceterum phraſin πειθοῖς λόγοις per πειθοῖ καὶ λόγῳ exprimit *Polybius* p. 175. πολλοὺς δὲ πειθοῖ καὶ λόγῳ προσηγάγετο. *Multos rationibus & apta ad perſuadendum oratione adduxit.* Quæ hic de Stylo Paulino dici poterant, ea in limine harum Annotationum ſuper epiſtolam ad Romanos occupavimus. Lege præterea, quæ de Sancta Pauli Rhetorica ex veterum Doctorum mente ad h. l. differit *Ritterſhuſius* in Lectionibus Sacris p. 261.

Ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως) Duas voces ultimas omittit *Æthiops*, invitis Codicibus, & verſionibus ceteris omnibus. Itaque male illum probat *Millius* in Prolegomenis. Nec vox δυνάμεως pro ſuperflua habenda eſt. Sicut enim per πνεῦμα Spiritus Dei, ex quo Apoſtoli loquebantur; ita per δύναμιν Evangelium de Chriſto, quod *Rom.* I. 16. vocatur *potentia*, intelligitur. Alii malunt Hendiadyn huc advocare, ut πνεύματος καὶ δυνάμεως idem ſit, quod *virtutis ſpiritualis*, ſeu *virtutis Spiritus Sancti*, qua ratione Deus dicitur Chriſtum unxiſſe πνεύματι ἁγίῳ καὶ δυνάμει, *Act.* X. 38. Ita ſentit *Hulſemannus* apud Sandhagenium Decade II. Epiſtolarum Theolog. p. 289. Quod ad rem ipſam attinet, opponuntur hic ſibi invicem πειθοὶ λόγοι ἀνθρωπίνης σοφίας, i. e. argumen-

menta probabilia, ſive ad perſuadendum apta ſapientiæ humanæ & ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως, demonſtratio verbi divini, quod ſuggeritur a Spiritu Sancto. Vox λόγοι enim non ad *eloquentiam*, ſed ad *argumenta* hic ſpectat, quia λόγοι hoc ſenſu uſurpantur, cum de re oratoria ſermo eſt: de elocutione vero hic cogitari nequit, quoniam in ſequentibus verſibus non de verbis, ſed de rebus ipſis, uſque ad v. 13. agitur, quo commate denique elocutionis diſerte meminit Apoſtolus his verbis: ἃ καὶ λαλοῦμεν. Et quemadmodum πειθὼ ac ἀπόδειξις ſibi invicem hic opponuntur, ἀπόδειξις autem verſatur circa argumenta apodictica; ita ſine dubio etiam πειθὼ verſabitur circa argumenta πιθανὰ ſeu probabilia. Vide hæc diligenter & curate perſequentem Rev. *Georg. Raphelium* in Diſſertat. ad h. l. ſingulari de perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, Roſtochii 1709. habita, qui, poſtquam hanc genuinam eſſe verborum mentem oſtendiſſet, p. 24. ſqq. eos confutat, qui loco hoc ad eliminandam ex concionibus ſacris omnem orandi artem abutuntur. Idem in Annotatt. Herodoteis p. 456. *Huetium* approbat, in Demonſtratione Evangelica *oſtenſionem Spiritus* de demonſtratione, quæ fit ex Prophetis V. T. *virtutem* vero de miraculis accipientem, phraſinque ipſam ex Herodoto illuſtrat.

Sunt enim, qui per δύναμιν *miracula* ab Apoſtolis patrata intelligunt. Sic *Theophylactus* per σημείων ἐπίδειξιν explicat apud *Svicerum* Tomo. I. Theſauri p. 970. B. *Feuſtkingius* in Diſput. de Symbibasmo Biblico, Witteb. 1727. habita, p. 9. ita: *Quemadmodum per* δύναμιν *miracula intelligo, qua voce haud raro illa inſigniuntur, Matth.* VII. 22. 1. *Cor.* XII. 28. *& ex quibus Apoſtolus validiſſima pro doctrina Chriſti argumenta depromſit Ebr.* II. 4. *ita, doctiſſimo Huetio præeunte, Demonſtrat. Evangel. p.* 4. *per oſtenſionem Spiritus talem fidei apodixin & ſolidam demonſtrationem ſubinnuo, quæ fit ex V. T.* Δύναμιν eodem ſenſu accipit Rev. *Moshemius* in concione paulo ante laudata. De σοφίᾳ ἀνθρωπίνῃ lege *Svicerum* Tomo II. p. 985.

Verſ. 6. 7. Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις &c.) Vide huc ex noſtratibus B. *Jo. Winckleri* conciones miſcellaneas pag. 1130. ſqq. & Cl. *Oederi* Syntagma Obſervationum pag. 564. ſq. ex Reformatis autem *Jo. Marckium* in Exercitatt. Biblicis num. XL. pag. 844-863. qui comma 6. & ſequentia uſque ad decimum eadem opera illuſtrat, & *Joh. Creyghtonum* in Prolegomenis ad *Salom. van Till* commentarium in hanc epiſtolam Harlemi 1728. editis p. 84. Per σοφίαν hic non ſapientiam ipſius Dei ut *Epheſ.* III. 10. nec Apoſtolorum, in quantum illis a Deo collata eſt ut *Luc.* XXI. 15. ſed ſapientiſſima doctrinæ Chriſtianæ capita, quæ aliis promulgabant, ut *Actor.* VII. 22. intelligi, recte oſtendit *Oederus* l. c. p. 565. Sic veteris Eccleſiæ doctores acceperunt, v. c. *Chryſoſtomus* Homil. VII. p. 279. Σοφίαν λέγει τὸ κήρυγμα καὶ τὸν τρόπον τῆς σωτηρίας, τὸ διὰ σταυροῦ σωθῆναι, & *Theophylactus* iisdem fere verbis. Confer *Svicerum* Tom. II. pag. 984. Illi vero ſpeciatim doctrinam de ſalute, per Chriſtum crucifixum conſequenda, intelligi volunt, habito procul dubio reſpectu ad cap. I. 23. 24. κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον Θεοῦ δύναμιν καὶ σοφίαν.

Ἐν τοῖς τελείοις) Voce hac alii *perſonas*, τȣ̀ς τελείȣς ſcilicet ἀνθρώπȣς, alii *res* τὰ τέλεια, ſcilicet πράγματα, aut dogmata intelligi volunt. Neutra pars ſuis deſtituitur argumentis. Mihi quidem cum B. *Luthero* noſtro & plerisque aliis Interpretibus prior placet ſententia, ut ſcilicet per τελείȣς intelligantur *credentes*, quos cap. I. 24. appellaverat κλητȣ̀ς i. e. tales, qui factæ vocationi obtemperaſſent. Ita vocem interpretati ſunt ex Patribus *Chryſoſtomus* in h. l. & *Theophylactus*. Prior eorum ita: τελείȣς λέγει τȣ̀ς πεπιςευκότας, καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τέλειοι, οἱ τὰ ἀνθρώπινα εἰδότες, ὅτι σφόδρα ἀσθενῆ, καὶ ὑπεριδόντες αὐτῶν, ὅτι μηδὲν αὐτοῖς συμβάλλεται, πεπεισμένοι, ὃια γεγόνασιν οἱ πιςοί. *Perfectos vocat eos, qui crediderunt. Illi enim ſunt perfecti, qui, cum norint, res humanas eſſe valde imbecilles & eas deſpexerint, perſuaſum habent, eas nihil conferre, cujusmodi ſunt fideles.* Cur illos ſequar, has habeo rationes. Apoſtolus ait ſe loqui ἐν τοῖς τελείοις i. e. *inter*, vel, *apud perfectos*, ſicut v. 2. dixerat: ȣ̓ γὰρ ἔκρινα τȣ̃ εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν, *non ſtatui me quicquam ſcire aut profiteri velle inter, vel apud vos.* Si τὰ τέλεια ad momenta ſapientiæ illius referri voluiſſet Apoſtolus, eum alio ordine vocum uſurum & ſcripturum ita fuiſſe opinor: σοφίαν δὲ ἐν τοῖς τελείοις λαλȣ̃μεν. Præterea vocem τέλεια in toto N. T. in plurium numero nunquam invenio de rebus ſeu capitibus doctrinæ Chriſtianæ adhibitum. Viciſſim vox τέλειος & τέλειοι ibi paſſim de hominibus uſurpatur, v. c. *Matth.* V. 48. XIX. 21. 1. *Cor.* XIV. 20. *Epheſ.* IV. 13. *Philip.* III. 15. *Hebr.* V. 14. &c. Imo τὸ τέλειον in neutro ſingulari poſitum ad futuræ vitæ conditionem refertur, 1. *Cor.* XIII. 10. Denique οἱ τέλειοι hic diſerte opponuntur τοῖς ἄρχȣσι τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ, qui ſcilicet terrena ſapiant, & quibus ſapientia, ab Apoſtolis prædicata, ſtulta videbatur.

Qui τὰ τέλεια ad res referunt, & phraſin ἐν τοῖς τελείοις neutro genere poſitam arbitrantur, illi quidem *ſcientiam perfectam* cum *Hombergio* in Parergis p. 245. vel *ſcientiam rerum perfectiſſimarum* cum *Elsnero* p. 74. intelligendam arbitrantur. Res vero illas *perfectas* dici volunt, vel reſpectu verborum levium doctrinarumque, quibus alii paſcebantur, vel reſpectu dogmatum ipſius Chriſtianiſmi, quibus rudiores tantum erant imbuti. Prius illud placuit *Simoni Epiſcopio* in Reſponſione ad LXIV. Quæſtiones num. VII. Tomo I. Operum p. 5. ita παραφράζοντι: *loquimur ſapientiam, quæ in rebus perfectis, non autem inanibus verborum fucis rebusve levibus poſita eſt.* Poſterius ſe probavit Cl. *Elsnero* ad v. 9. 10. ſequentes provocanti. *Qua ſapientia,* inquit, *qui imbuti ſunt,* τέλειοι, ſapientiſſimi *ſiunt, longe ab illis ſegregati, qui Chriſtianæ doctrinæ ſubliniora capita aut plane ignorant, aut non ſatis capiunt pueris non adultis ſimiles.* Huc referri idem cupit intra XIV. 20. & *Hebr.* V. 4. & *Hieroclem* ad aurea Carmina p. 220. eodem ſenſu τοῖς ἀρχομένοις, *ſapientiæ tironibus*, τȣ̀ς τελείȣς opponi obſervat. Ad alterutram claſſem pertinent *Knatchbullus* ad h. l. *Carolus le Cene* in Specimine novæ verſionis p. 668. & *Jo. Creyghtonus* in Prolegomenis modo citatis; ex noſtratibus autem *Jo. Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 177. & *Jo. Chriſtian. Herzogius* in Corollario IV. ad diſputat. de Subſcriptionibus Paulinis.

At

At ſublimiora doctrinæ Chriſtianæ capita adeo hic ſpectari negat Cl. *Oederus* l. c. p. 568. ut ea potius indicari contendat, *quæ fidem gignerent, & conſervarent genitam, quæ fide & creditu maxime neceſſaria forent, & uſus manifeſti, qualia in cœtu maximam partem indocto bodieque proponi debent.* Hanc in rem provocat vir doctus ad profeſſionem ipſius Pauli, commate primo hujus capitis editam, qua negat ſe veniſſe καϑ' ὑπεροχὴν λογȣ ſeu σοφιας. Eo vero loco non puto effici, quod vir doctus cupit. Illa enim vel ſermonis vel ſapientiæ ſublimitas ad externum profanæ eloquentiæ & ſcientiæ ὕψος, quod Corinthiorum multi conſectabantur, ſpectat; hujus vero fuga doctrinarum Chriſtianiſmi etiam ſublimiorum tractationem omnino admittebat. Nec magis probem, quod idem p. 571. τὰ τέλεια, ſeu doctrinas illas maxime neceſſarias opponi hic cenſet *typis Judaicorum rituum*, quibus res non tam exhibitæ quam adumbratæ fuerint, quosque reliqui in gente Judaica, ſpreto corpore, tanquam umbram vano auſu ſectati ſint, cum Apoſtoli viciſſim de ceteris tradendis ſoliciti eſſent. Non video, quomodo ſic vis vocis τέλειος, alibi in Novo Fœdere ſæpius obviæ, exhauriatur. Locus *Jacobi* I. 25. a Viro docto allatus, quo νόμος τελειος της ἐλευϑεριας appellatur, ut & alter 1. *Cor.* XIII. 10. huc non admodum pertinent, quod inpoſterum ad utrumque oſtendemus.

Ceterum, qui τα τέλεια de *rebus* ſeu *doctrinis* accipi hic volunt, id imprimis urgent, quod σοφία hæc opponatur τῆ ἀνϑρωπίνῃ v. 4. Negaverim vero, hoc loco ad v. 4. reſpici, quippe in quo alterum oppoſitionis momentum, nempe ἀπόδειξις πνέυματος και δυνάμεως jam erat commemoratum. Parum quoque valet, quod obvertitur, ex altera interpretatione, quam nos probavimus, ſequi, quod Paulus h. l. τελέιȣς illos vocet, quos cap. III. v. 1. νηπίȣς ἐν Χριςῶ appellaverat. Facile enim intelligitur, Apoſtolum utrinque diverſo reſpectu Corinthios & *perfectos*, & *infantes*, ſeu non adultos tenerosve appellare potuiſſe. Τελέιȣς ſcilicet vocat reſpectu Judæorum & Gentilium, non converſorum, h. e. Chriſti ſacris & doctrinæ initiatos, atque ita imbutos, ut ſcirent, quæ quantaque gratia ſibi a Deo facta ſit. Eosdem vero νηπίȣς deinde appellat, ad illa reſpiciens incrementa, quæ capere adhuc in fide & uſu vitæ Chriſtianæ poſſint ac debeant. Et loquitur ſane ibi Apoſtolus de initiis Evangelii, a ſe inter Corinthios prædicati, cujus radices, ſuccedente tempore, nonnullorum ſaltem animis altius infixas & amplificatas fuiſſe dubitare non poteſt. B. *Saubertus* ſpeciatim negat, τὸ ἐν hic ſignificare poſſe *inter*, cum eadem propoſitio v. 4. 7. & 13. idem ſit, quod *in*. Poſſet aliquid hæc exceptio, ſi jam evictum eſſet, Apoſtolum hic loqui de *rebus* ſeu *doctrinis*, non de *perſonis*. Dum vero de eo adhuc diſputatur, eodem jure ſignificatum τȣ ἐν ex v. 2. ubi idem eſt, quod *inter*, æſtimandum eſſe contendimus, quo ὁ μακαρίτης ſe ad v. 4. 7. & 13. recepit. Taceo, Paulum σοφίαν τελειων videri dicturum fuiſſe, ſi ſapientiam rerum ſublimium aut perfectarum indicare voluiſſet, non autem σοφιαν ἐν τελείοις, quemadmodum v. 17. σοφίαν λόγȣ, non σοφίαν ἐν λόγῳ dixit. Denique σοφίαν ἐν τοῖς τελείοις idem hic eſſe volunt, quod v. 7. σοφία ϑεȣ ἐν μυςηρίῳ ſit. Gratis

 tis

tis vero hoc dici ipſa verborum ſtructura evincit. Nam v. 6. voces ἐν τοῖς τελείοις verbo λαλοῦμεν immediate, non autem voci σοφίας, at v. 7. voces ἐν μυστηρίῳ non verbo λαλοῦμεν, ſed ἀμέσως vocibus σοφίᾳ Θεοῦ junguntur. Et cur non Apoſtolus ſapientiam, quam v. 6. ratione ſubjectorum diſtinxerat, commate 7. ex diverſa ſua conditione definiiſſe credi debet? Ratum itaque eſto, per τοὺς τελείους hic Corinthios converſos innui, quam ſententiam præter laudatos tuetur *Jo. Owenus* in Theologumenis p. 8. *Alex. Morus* p. 121. & Cl. *Herman. Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe IV. p. 958. ſq.

Proximum eſt, ut diſpiciamus, quinam ex converſis Corinthiis per τελείους indicentur, utrum omnes in univerſum, vere ſcilicet converſi, an provectiores in cognitione & fide? Prius placet *Oweno* in Theologumenis p. 8. ita diſſerenti: *Ut quis ideo* σοφίαν ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένην *recipiat, & intelligat, neceſſe eſt, ut ſit ipſe* μετευημένος, *h. e. in arcanis voluntatis divinæ per Spiritum S. inſtructus. Aeque alii* τέλειοι *apud Paulum, quam initiati, h. e. Spiritu Sancto, de quo ille agit, inſtructi. Nam* τελειόω *eſt* conſecro & initio, *unde apud veteres Baptiſmus etiam* τελειότης *dicitur. Pro conſecratione ſeu dedicatione uſurpant LXX. Exod. XXIX.* τελειῶσαι τὰς χεῖρας αὐτῶν *v. 33. & 35. neque aliter vocabulum illud exponendum videtur epiſtola ad Hebræos II.* 10. τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας διὰ παθημάτων τελειῶσαι. *Atque etiam* τέλη *ſunt myſteria, prout ex Platone probat Budæus, &* τελεταὶ *omne genus ſacra, &* τετελεσμένοι *ſunt initiati, vel ſacrificiis expiati, apud Philoſtratum in vita Apollonii lib. IV. cap. 6.* Is itaque per τελείους intelligit Chriſtianos baptizatos & Spiritu S. inſtructos, ſine habito ad diverſos cognitionis gradus reſpectu. Confer in eandem ſententiam *Marckium* l. c. p. 862. & B. *Jo. Wincklerum* l. c. p. 1162. cui τέλειοι h. l. non tantum illi ſunt, qui in cognitione doctrinæ Chriſtianæ ampliores ceteris progreſſus fecerint, ſed et, qui ex puro corde & fide non fucata felix fecerint initium. Qua de re non mihi videtur dubitandum, cum Paulus h. l. Chriſtianos non opponat Chriſtianis, vel eos inter ſe comparet, ſed Chriſtianos homines, ut τελείους, conferat cum τοῖς ἄρχουσι τοῦ αἰῶνος, ſapientiæ divinæ non ſolum ignaris, ſed & contemtoribus ſuperciliosis. Pertinet huc *Coloſſ.* I. 28. ὃν ἡμεῖς καταγγέλλομεν, νουθετοῦντες πάντα ἄνθρωπον, καὶ διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον, ἐν πάσῃ σοφίᾳ, ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Alii Chriſtianos *provectiores* hic intelligunt, cum *Beza, Calvino, Coccejo*, v. c. *Alex. Morus* p. 121. & laudatus *Reiners* p. 970. qui poſterior id inprimis urget, quod Paulus τελείους hos opponat τοῖς σαρκικοῖς & νηπίοις ἐν Χριστῷ cap. III. v. 1. At ex ſuperioribus manifeſtum, credo, factum eſt, rectius agi, ſi Paulum h. l. τοὺς τελείους opponere ſtatuamus τοῖς ἄρχουσι τοῦ αἰῶνος, h. e. non Chriſtianis ſtatim commemoratis, ſicut cap. I. 24. τοὺς κλητοὺς ſeu *vocatos*, Judæis & Gentilibus, vocationi huic pertinaciter refragantibus. Addit vir doctus, Apoſtolum loqui de talibus, qui ſapientiam Evangelicam, quam alii ſpreverant, pro ſumma agnoverint: hoc vero eſſe adultorum & perfectorum.

Cre-

Crediderim equidem, non minus ſimpliciores, modo vere ad Chriſtum ſint converſi, quam provectiores, religionis Chriſtianæ myſteria ſummæ ſapientiæ loco habere dici poſſe, inprimis, ſi opponantur iis, qui præ contemtu ea pro nullis reputant.

Diſputatum hic eſt ab eruditis, quo conſilio Paulus Chriſtianos ſpeciatim τελείȣς appellarit. *Salmaſii* judicio in de Fœnore Trapezitico p. 348. alludit Apoſtolus ad Sapientes, i. e. σοφȣς Gentilium, qui τέλειοι ducebantur, & dicebantur h. e. in ſapientia conſummati: Inter eos qui modeſtius de ſe ſentiebant, ſe φιλοσόφȣς nominabant, quaſi τελειότητος & σοφίας amantes, non vero τελείȣς, vel σοφȣς perfecte ſapientes.

Alii cum *Camerone* Prælect. de Eccleſia pag. 238. ad Judæorum גמורכם i. e. *perfectos* (ſicut *Esdras* VII. 12. גומר i. e. omnibus numeris abſolutus vocetur) alii ad Gentilium initiatos & ἐπόπτας magnorum myſteriorum, cum *Oweno* & *Reinerſio* ll. cc. reſpici volunt, inprimis cum v. 7. σοφία Θεȣ ἐν μυςηρίῳ dicatur ἀποκεκρυμμένη quam ἀπεκάλυψεν ὁ Θεός. Mihi quidem S. Apoſtolus Hebraicum תמים in V. T. ſæpe obvium, & a τοῖς LXX. paſſim per τέλειος redditum, ſimpliciter expreſſiſſe, animique *ſinceritatem in fide & caritatis exercitiis* indicaſſe videtur. Compara quæ de hac vocis ratione dicta ſunt Volumine I. 113. & 284. Adde nunc V. C. *Jo. Conr. Schwarzii* Monumenta Ingeniorum Tomo I. p. 29. & eruditos auctores Bibliothecæ Theologicæ Selectæ, vernacula lingua editæ, Tomo IV. p. 462.

ἐν τȣ αἰῶνος τȣτȣ, ȣδὲ τῶν ἀρχόντων τȣ αἰῶνος τȣτȣ) Sunt, qui τὸν αἰῶνα τȣτον de œconomia V. T. reſpectu Novi, tum manifeſtati, adeoque τȣς ἄρχοντας de Judæorum primatibus & doctoribus interpretantur. Ita olim *Coccejus*, & *Lightfootus* in Horis Hebr. ad h. l. nec ita pridem *Lockius* in commentario. At contra *Coccejum* lege *Jo. Marckium* l. c. contra *Lockium* vero *Jo. Clericum* in Bibliotheca Selecta Tomo XIII. p. 86. qui recte adfirmat, nondum idoneis locis adſtructum eſſe, quod αἰὼν ȣτος plerumque & fortaſſe ſemper in Novi Fœderis tabulis eum rerum ſtatum inferat, in quo vel Judæi vel Gentiles, durante œconomia Moſaica, vixerint, αἰὼν vero μέλλων vel ἐρχόμενος Evangelicam Novi Teſtam. conditionem ſignificet. Quemadmodum itaque Scriptores N. T. αἰῶνα τȣτον de *vitæ præſentis* ſtatu in univerſum, τὸν μέλλοντα autem de *futura* illa accipere tutius exiſtimantur; ita ad ſolos Judæos h. l. αἰὼν ȣτος non poteſt referri, quandoquidem Apoſtolus tam Græcos quam Judæos incredulos huc refert cap. I. 22. 23. 24. nec illi minus, quam hi, ſapientiam habebant, in qua ſuperbirent, nec illorum minus, quam horum ſapientia ab Evangelio diverſa imo eidem adverſa deprehendebantur, nec denique illi minus, quam hi, ψυχικȣς ſe præſtabant. Itaque & ἄρχοντες ſeu *principes* non de ſolis Judæis eorumque doctoribus, Pharifæis, Scribis aut primatibus, ſed de Gentilium quoque Philoſophis aliisque, ſapientiæ laude inprimis florentibus, accipiendi ſunt, quod recte affirmat *Cappellus* in Operibus p. 13. Nec obſtat v. 8. ubi οἱ ἄρχοντες τȣ αἰῶνος τȣτȣ ad Judæos reſtringi videntur, quia dicitur, quod ſi cognoviſſent

 ſapien-

ſapientiam illam, dominum gloriæ cruci affixuri non fuiſſent. Etenim in crucifixione Chriſti Judæi & Gentiles ſocias operas præſtiterunt, Judæi quidem proditione, accuſatione, precibus importunis; Gentiles autem ex pœnæ hujus apud ſe receptæ conſuetudine, condemnatione & exſecutione. Confer *Act.* II. 23. Neutri eo impietatis proceſſuri erant, ſi ſapientiam, a Chriſto prædicatam, aliquo loco pretioque habuiſſent. Pilatus quærebat: *quid eſt veritas?* Herodes cum familiaribus ſuis jocorum & ludi materiam in Chriſto quærebat. Doctores Judæorum ludibriis & ſubſannationibus viventis ſermones, & moribundi conditionem proſequebantur.

Ab eorum, in quos jam diximus, caſtris parum abeſt Cl. *Oederus* l.c. pag. 573. quando per αἰῶνα τȣ̃τον, *ævum Apoſtolicum*, per τȣ̀ς ἄρχοντας autem optimates & Sacerdotes Judæorum intelligit, præeuntem ſibi, ad quem etiam provocat, habens *Witſium* ad epiſt. *Judæ* v. 18. ita ſcribentem: *Apoſtoli ſuos, quibus vivebant, dies ante excidium urbis & templi vocabant* τὸν αἰῶνα τȣ̃τον. *dies N. T. poſt excidium urbis & templi*, τον αἰῶνα τον μέλλοντα. 1. *Cor.* II. 6. *Epheſ.* II. 7. Aſſertum hoc majore jure in dubium vocatur, aut rejicitur, quam gratis & ſine idoneo argumento, quale *Epheſ.* II. 7. fruſtra quæſiveris, affertur. Cl. *Oederus* quidem ſententiæ ſuæ veri ſpeciem conciliare annifus eſt, ita diſſerens: *Nimirum illud* ſeculum *intelligitur*, *cujus* principes *Chriſtum neci dederant. Cum Apoſtolus hanc epiſtolam ſcriberet, quæ ex primis eſt, nondum ita late recepta erat chriſtiana veritas, ut* communis ſæculi doctrina *dici potuerit. Sed communior adhuc erat de ſacrificiis & cultu reliquo Judæorum inſtitutio.* Quod ad poſterius attinet, *communiſſima* Apoſtolorum tempore erat Gentilium ſuperſtitio & doctrina cum pompoſis ratiociniis conjuncta: & quamvis ſapientia Chriſtiana tam late nondum prolata eſſet, vel ſic tamen ſtultitiæ hominum, quæ totum orbem pervagata erat, opponi poterat. Quod ad prius, non Judæi tantum, ſed & gentiles Chriſtum neci dederant, illa autem trucidatio, recens quippe facta, & in memoria hominum hærens, ſpeciminis tantum loco affertur, ex quo intelligi queant, quo ſtultitia hominum ſibi relicta pertingere poſſit. Hinc *Theodoretus* in commentar. ad h. l. τȣ̀ς ἄρχοντας τȣ̃ αἰῶνος v. 6. per σοφιςὰς και ποιητὰς, και φιλοσόφȣς, και ῥήτορας, puta Gentilium, ut v. 8. per Pilatum, Herodem, Annam, Caipham ceteroſque Judæorum primates; *Chryſoſtomus* vero per φιλοσόφȣς και ῥήτορας, και λογογράφȣς interpretatur.

τῶν καταργȣμένων) De Pontifice, Sacerdotibus, Levitis, ſacrificiis, poſtremo ſacris Leviticis in univerſum omnibus *abolendis* accipi vult Cl. *Oederus* p. 575. Nihil repugno, modo ad illa momenta res non reſtringatur. Sic *Theophylactus* quoque per παυομένȣς και ȣ̓κ αἰωνίζοντας, *ceſſantes, & non in ſecula durantes* explicat.

Verſ. 7. Ἀλλὰ λαλȣ̃μεν σοφίαν Θεȣ̃ ἐν μυςηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην) Σοφία ἐν μυςηρίῳ ſcilicet ȣ̓͂σα eſt Sapientia μυςηριώδης *myſterii plena*, ſeu *myſtica*, i. e. Evangelica, cujus ſublimitas naturali rationi inacceſſa, & illumina-

tæ

tæ etiam menti haud plene perſpecta eſt. Eadem vero vocatur ἀποκεκρυμμένη, i. e. *abſcondita*, reſpectu ſcilicet habito ad priſtina tempora V. T. quibus nec Judæis ipſis, multo minus Gentilibus, eo, quo tunc fiebat, modo ſapientia hæc & doctrina innoteſcebat. Hoc ſenſu Evangelica doctrina a Paulo vocatur μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον, *Rom.* XVI. 25. Conf. *Epheſ.* III. 5. & 9. Speciatim vero per occultationem illam deſignatur adumbratio Evangelii obſcurior in V. T. per typos, figuras, ritusque Moſaicos facta. Ex his elucet, voces ἐν μυστηρίῳ non poſſe referri ad τὴν ἀποκεκρυμμένην, quod nonnullos facere video, hoc ſenſu, ut ſapientia hæc in myſterio occultata innuatur. Vox enim ἀποκεκρυμμένη ab antecedentibus per articulum τὴν ſatis disjungitur, & quemadmodum per phraſin, ἐν μυστηρίῳ, interior ſapientiæ Chriſtianæ conditio, ita per ἀποκεκρυμμένη exterior quædam myſterii circumſtantia, nempe diuturnior occultatio, innuitur. *Dougtæi* judicio *myſterii* voce hic & alias utitur Paulus cum reſpectu ad Gentilium ſacra, ad quæ accedentes gradatim & per ſolemnia quædam prius impleta μύεσθαι ſeu initiari oportebat. Vide eum in Analectis ſacris N. T. pag. 106.

ἣν προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων) i. e. *quam prædefinivit Deus*, (ut ſcilicet aliquando revelaretur, primum *obſcurius*, deinde *clarius* & *plenius*) *ante ſæcula*, i. e. ante mundum conditum. (*Hebr.* I. 2. & XI. 3.) adeoque ab æterno. *Lockius* hic πρὸ τῶν αἰώνων idem eſſe vult, quod *ante ætatem Judæorum*, quam in rem conferri jubet *Epheſ.* III. 9. & *Coloſſ.* I. 26. Sed vide, quæ contra eum diſputat *Jo. Clericus* in Bibliotheca Selecta Tomo XIII. p. 88. ſq.

Verſ. 8. Ἣν οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου ἔγνωκεν) Inſpice *Jo. Conr. Danhaueri* diſſertat. de Domino gloriæ crucifixo, in Diſputt. ejus Theologicis num. XIV. recuſam, & aliam B. *Caſp. Læſcheri* Wittebergæ editam. Per ἄρχοντας legisperitos ſeu doctores Judæorum hic indicari aſſeverat *Alex. Morus* in præfat. ad notas in Jeſaiæ LIII. ***. 3. alluſione ſcilicet facta ad titulum רב, doctoribus Judaicis proprium, quæ vox ejus judicio proprie magnatem infert, ſicut & Rabbini a ſuis גדולי העולם *magnates mundi* vocantur. Aſſentiuntur *Moro*, *Petrus Zornius*, & alii, ab hoc citati in Bibliotheca Antiquaria Tomo I. p. 840. ſqq. Sed vide tu, quæ paulo ante ad v. 6. allata ſunt. Ceterum loquitur hic Apoſtolus συγχωρητικῶς, ut elidat adverſariorum objectionem. Alioquin enim multi ex principibus in Jeſum crediderant, teſte Johanne XII. 42. ὅμως μέντοι καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. Confer *Jac. Cappellum* ad h. l.

Κύριον τῆς δόξης) Vide *Svicerum* Tom. II. p. 195.

Verſ. 9. Ἀλλὰ καθὼς γέγραπται) Conſueta hæc eſt formula, quam Scriptores Sacri allegationi locorum V. T. in Novo præmittunt. Neceſſe itaque eſt, ut vel hoc nomine verba ſequentia non ex libro quodam apocrypho, ſed ex V. T. huc afferri credamus, cum Hieronymo epiſt. CI. ad Pammachium, qui recte caſtigat eos, quibus locus hic ex Apocalypſi Eliæ videbatur repetitus. Nomina ita ſentientium lege apud *Grotium* ad h. l. (cui Paulus ex

Rab-

Rabbinorum traditione hæc derivaſſe præter veri ſpeciem videtur) *Cotelerium* ad Patres Apoſtolicos Tom. I. pag. 347. & præſtantiſſimum *Jo. Alb. Fabricium* in Pſeudepigraphis V. T. pag. 1072. & in Codice Apocrypho N. T. pag. 342. Ex recentioribus idem ſenſit *Pet. Allixius* in Teſtimonio Eccleſiæ veteris Judaicæ adverſus Unitarios pag. 13. Præſtat omnino dicere, quæ & communior Interpretum eſt ſententia, Apoſtolum hic reſpexiſſe ad *Jeſaiæ* LXIV. 4. Quanquam enim nonnihil diſcriminis, facta comparatione, occurrat, id tamen ejusmodi eſt, quod in aliis locis non minus obſerves, de quorum origine tamen non dubitatur. Confer *Guil. Surenhuſii* βίβλον καταλλαγῆς pag. 526. ſqq. & *Vitringam* Comm. in Jeſaiam Tom. II. p. 878. nec omitte *Morinum* in Exercitatt. Biblicis p. 77.

Vaticinium hoc ad beatitatem temporum V. T. a Jeſaia referri, tum ex ſerie ſermonis Prophetici, quam egregie illuſtrat *Vitringa*, tum ex inſtituto Apoſtoli, qui eo hic utitur, ubi de illuſtri prædicatione Evangelii ſermo eſt, ſatis abunde intelligitur. Eadem mens veterum Doctorum fuit, quorum loca habes apud *Svicerum* Tomo II. pag. 531. a. Qui igitur hæc verba ad deprædicanda vitæ futuræ & felicioris bona adhibent, illi per accommodationem quandam, nec eam inconcinnam, facere id exiſtimandi ſunt. Confer *Amelium* Parte II. **der Erörterung** p. 757. *Jac. Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. cap. XXIII. pag. 189. commate tertio capitis Jeſaiæ putat deſcenſum filii Dei in terras conferri cum deſcenſu Dei Sinaitico, atque illum quidem ad hujus exemplum votis expeti. *Nunc*, inquit, *omnibus ſic diligenter expenſis, dicere licet, nullum Dei deſcenſum cum Sinaitico, ad quem alluditur, indicato tamen diſcrimine, comparandum eſſe, niſi deſcenſum filii Dei in terras. Diſſimilis quidem deſcenſus iſte ab illo eſt aliquatenus, ut & monet Propheta, idque ſpecie præſertim externa: ſed æqualis eſt tamen, & multa ſpiritualiter exhibet, quæ in priori corporaliter apparuerunt. Deus idem eſt, etſi hic ſub Filii perſona fœdus divinum in eo promulgatum fuit: ſtillavit non ros quidem nubis aqueæ, ſed verbi vivifici doctrina: non montes tremuerunt aliqui, ſed miracula majora in omnibus naturæ ei obtemperantis partibus parata ſunt. Porro ſi ignis in ſacrificio Eliæ aquam comburens, illud acceptum eſſe oſtendendo, inimicos docuit, agnoſcere nomen Dei, ac timore cunctos perculit; ſacrificium, Dei filio, terris allapſo, oblatum teſtimonio luculentiori comprobatum fuit, cum aliter, tum præſertim ignis in linguas diviſi miſſione.* De hoc itaque adventu filii Deo optato & futuro Prophetam ita ait ominari: *Ipſe faciet exſpectantibus illum res, quas nunquam audiverunt, non auribus perceperunt, oculus non vidit, ſed tu tantum, ò Deus.*

῞Α ὀφθαλμὸς ὀυκ εἶδε καὶ ὀῦς ὀυκ ἤκουσε) Simili modo Hebræos, Græcos & Latinos Scriptores res ſingulares deſcribere, oſtendit *Lamb. Bos* pag. 122. & *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris pag. 337. Ex *Empedocle* Plutarchus de audiendis Poëtis ita:

Ουτ'

Ουτ' ἐπιδερκτὰ τὰ δ' ἀνδράσιν, ὔτ' ἐπακυςὰ,
Ουτε νόῳ περίληπ]α.

Conf. eruditiſſimi *Jo. Alb. Fabricii* notas ad Sextum Empiricum p. 396.

Verſ. 10. Τὸ γὰρ Πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ) Vocem πνεῦμα de homine, Spiritu divino prædito, accipi vult *Socinus*, contra quem lege *Jo. Pearſonium* ad Symbolum Apoſtolicum p. 552. ſqq. verſionis Latinæ. *Guil. Whiſtonus* in *the Account of the primitive Faith* p. 400. recte quidem de Spiritu Sancto, intime cum Deo conjuncto, interpretatur, ſed in eo phraſin Apoſtolicam deprimit, quando ex ſcrutinio arcanorum Dei divinitatem Spiritus Sancti impugnat, ex quo noſtrates aliique Theologi eandem adſtruere rectius & felicius inſtituerunt. Atque in eo Patres ſibi habent præeuntes. Vide *Petavium* in Dogmatibus Theologic. Tomo I. lib. VII. cap. 4. §. 2. p. 288. & Tomo II. lib. II. de Trinitate c. XIV. §. 18. Afferam huc *Jo. Meyeri*, Theologi quondam Harderoviceni, locum ex Fundamentis Theologiæ p. 412. *Deus cum nemine extra ſe conſilium capit, ſed ſecum conſulit, ſecum deliberat, Geneſ.* I. 26. *Pater cum Filio & Spiritu S. Eſaiæ* IX. 5. *Zachar.* VI. 13. 1. *Corinth.* II. 10. & 11. *ſive, ut Talmudici & Cabbaliſtæ loquuntur,* Deus S. B. cum familia ſua הקב״ה שלו בפמליה *per quam non intelligunt aliquid extra Deum, ſed* Middoth, *proprietates Dei, & Sephiroth, inprimis Coronam, Sapientiam atque Intelligentiam, de quibus etiam intelligunt locum Dan.* IV. 14. in decreto vigilum res hæc. Scilicet τὸ ἐρευνᾷν non tam *ſcrutinium* rerum, quam *comprehenſionem* earum pleniſſimam infert, ut *Apocal.* II. 23. Confer *Svicerum* Tomo I. pag. 1211. Pertinet huc Programma Pentecoſtale in Academia Jenenſi an. 1725. promulgatum de Spiritu S. ſcrutatore & manifeſtatore profundorum Dei ad h. l.

Καὶ τὰ βάθη τῦ Θεῦ) Voce βάθος *Polybius* frequenter utitur ad ſignificandam mentis atque ingenii altitudinem, qua præditus abdita quæque examinat atque diſpicit. Vide *Valeſii* Annotationes ad Polybium pag. 1441. & ex eo Rev. *Raphelium* in Annotatt. Polybianis p. 453. ſqq. qui τὰ βάθη τῦ Θεῦ de abditis Dei conſiliis, quæ nemo niſi Spiritus Dei perſcrutari poſſit, accipit. Myſteria Evangelii hic ſpeciatim innui cenſet *Samuel Clarkius* in libro Anglicano, quo Doctrinam Scripturæ Sacræ de SS. Trinitate complexus eſt p. 217. Conferri ille cupit *Rom.* XVI. 25. *Eph.* I. 9. III. 3. 5. *Coloſſ.* I. 26. De his βάθεσι Patrum ſententiam lege apud *Svicerum* Tom. I. p. 614.

Verſ. 11. Τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τῦ ἀνθρώπυ) Lege ad hunc verſum *Jo. Pearſonium* ad Symbolum Apoſtol. pag. 552. contra Socinianos, & Rev. *Hermann. Chriſtoph. Engelkenii* Diſputat. de cognitione internorum hominis, Roſtoch. 1719.

Τὰ τῦ Θεῦ ὐδεὶς οἶδεν, ἐι μὴ τὸ Πνεῦμα τῦ Θεῦ) Vide *Jo. Alberti* Obſervatt. Sacras p. 338.

Verſ. 12. Ἡμεῖς δὲ ὐ τὸ πνεῦμα τῦ Θεῦ ἐλάβομεν) Illuſtrantur hæc a B. *Gottlieb Wernsdorfio* in Programmate Pentecoſtali Wittebergæ an. 1717. edi-

to, & in *Gabrielis Terne* Sylloge I. Programmatum Exegeticorum pag. 677. recuſo.

Verſ. 13. Ἃ καὶ λαλῦμεν ὐκ ἐν διδακ]οῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις) De tumido illo & declamatorio dicendi genere hæc accipit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis pag. 217. quod inepti Sophiſtæ Xenophontis ætate profitebantur. Ab hoc autem Xenophon ſimiliter alienum ſe teſtatur de Venatione pag. 787. his verbis: ἴσως ὖν τοῖς μὲν ὀνόμασιν ὐ σεσοφισμένως λέγω, ὐδὲ γὰρ ζητῶ τῦτο.

Ἀλλ' ἐν διδακ]οῖς Πνεύματος ἁγίυ) Vox ἁγίυ abeſt a Codicibus nonnullis, nec a Patribus quibusdam affertur. Neque tamen ideo *Millio* in Prolegomenis §. 631. addititium videri debebat. Cur enim Πνεῦμα non diceretur ἅγιον, quod in hoc capite quater appellatur τὸ Πνεῦμα τῦ Θεῦ. Confer *Whitbii* Examen p. 61.

Πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες) Verba hæc Interpretes in varias partes ſciderunt. Plerique eorum τὸ συγκρίνειν per *interpretari* convertunt. Hæc enim verbi notio frequens eſt τοῖς LXX. ad explicandum Hebraicũ פתר quod *interpretari* ſignificat. Vide v.c. *Geneſ.* XL. 8 16. 22. & XLI. 12. 13. 15. Ita proinde ſentiunt *Grotius*, *Heinſius*, *Carolus le Cene* in Specimine novæ verſionis Gallicæ pag. 606. *Jo. Clericus* in notis ad verſionem Gallicam, *Elsnerus* pag. 76. & *Wilh. Wallius* in Notis Criticis ſuper N. T. Lond. 1730. editis p. 176. ex noſtratibus autem, ut alios taceam, B. *Starckius* in Notis Selectis ad h. l. pag. 123. & Rev. *Zeltnerus* in annotationibus verſioni Lutheri Biblicæ, Altorfii 1730. curatæ, ſubjectis. Nec diſcedere ab his exiſtimandi ſunt, qui cum *Eraſmo Schmidio* & *Beza* per *conjungere* vel *comparare* convertunt. Qui enim, quod recte monet Cl. *Elsnerus*, ſpiritualia verba cum rebus ſpiritualibus componit, idem verbis ſpiritualibus utitur ad ſpiritualia exponenda. De hoc non putem dubitandum. Major vero & impeditior eſt diſputatio de eo, quid per πνευματικοῖς & πνευματικὰ veniat intelligendum. Multi τὸ πνευματικοῖς ſupplent per ἀνθρώποις *hominibus*, ut ſcilicet illi indicentur, quorum cauſa hæc interpretatio fiat, iidem vero ad poſterius πνευματικὰ ſubintelligunt vel ῥήματα, *verba*, vel πράγματα, *res*. Ita *Clericus* & ex noſtratibus *Zeltnerus* l. c. Alii vero τὸ πνευματικοῖς referunt ad vocem ſubintellectam λόγοις, & τὰ πνευματικὰ de πράγμασι ſeu *rebus ſpiritualibus* accipiunt. Ita Cl. *Elsnerus* l. c. vertit: *ſpiritualibus* (verbis) *ſpiritualia interpretantes*. Subaudiri itaque vult, ἀπὸ κοινῦ, λόγοις, poſt πνευματικοῖς, *ut ſint* διδακ]οὶ πνεύματος ἁγίυ λόγοι, *verba a Spritu S. ſuggeſta, & ſpirituali Evangelii doctrinæ accommodata, non quæ profecta ſint & effuſa ab humani oratoris luxuriante ingenio, qualibus indiget res & ſapientia humana, non cæleſtis & ſpiritualis.* Atque idem fere ſentire videtur *Beza*. Ab his non diſcedunt, qui inverſo ordine procedunt. Illi poſt πνευματικοῖς intelligunt πράγμασι, *rebus*, poſt πνευματικὰ vero ῥήματα. Sic agunt eruditi Auctores des freywilligen Heb-Opfers Tomo III. p. 580. ita hæc παραφράζοντες: *ſpiritualibus ſpiritualia comparantes*, i. e. *verba rebus ſic*

accom-

accommodantes, ut ſpiritualem doctrinam ſpirituali modo proponamus, ſive res divinas tali ſermone tractemus, quæ rebus divinis congruit. Iidem Interpretem Barbaro-Græcum, qui vertit: *adoptantes ſpiritualia* (verba) *ſpiritualibus*, ſecum facere exiſtimant. Vtram harum interpretationum, quas ultimo loco adduximus, adoptes, quod ad rem perinde fuerit. Malim tamen poſtremam amplecti. Convenientius enim dicitur verba accommodari ad res interpretandas, quam res ad verba. Nec obſtat, quam ſi vox πνευματικὰ nihil habeat in antecedentibus ubi λόγοι commemorantur, ad quod referri poſſit. Subintelligi enim commode poſſunt ῥήματα, vox τοῖς λόγοις ſynonyma. Duo itaque hic conjunguntur, nempe *res* ſpirituales, ſeu doctrinæ & conceptus de rebus ſpiritualibus, & *verba* a divino Spiritu profecta. *Res* ſive conceptus de rebus innuuntur verſu 12. ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τȣ̃ Θεȣ̃ χαρισθέντα ἡμῖν. Ἃ καὶ λαλȣ̃μεν. *Verba* vero ſignificantur v. 13. per διδακτȣ̃ς πνεύματος ἁγίȣ λόγȣς, *verba a Spiritu Sancto inſpirata.* Vtrumque denique hoc commate conjungitur. Ex quo novum argumentum accedit ad eorum ſententiam, qui Scriptoribus Sacris non *res* ſolum, ſed etiam *voces phraſesque* ſuggeſtas eſſe recte arbitrantur. De πνευματικοῖς illis quid Patres ſenſerint, intelliges ex *Svicero* Tom. II. p. 781.

Verſ. 14-16. Illuſtrantur a *Jo. Coccejo* Tomo VI. Operum p. 72.

Verſ. 14. ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος ȣ̓ δέχεται τὰ τȣ̃ Πνεύματος τȣ̃ Θεȣ̃) Spectat huc R. *Croſſen* diſſertatio de inſipientia rationis humanæ, gratia Chriſti deſtitutæ, in rebus fidei, quæ Oxonii primum edita & in Triga Diſſertationum Theologicarum Francofurti 1673. 8. p. 31. ſqq. recuſa eſt. Argumentum ipſum cum maxime in Anglia excutitur in ſcriptis peſtilentiſſimo *Tindalli* libro, quem *Chriſtianity as old as Creation* inſcripſit, oppoſitis. Comma noſtrum ſpeciatim illuſtrant *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Poſteriori p. 161. ſqq. B. *Chriſtoph. Sonntagius* in Diſſertat. de homine ψυχικῷ Altorf. 1692. B. *Franc. Julius Lutkenius* in Collegio Biblico p. 336. ſqq. Cl. *Erdwinus Herman. Polemannus*, Athenæi Regii Bremenſis Rector meritiſſimus, in Exercitat. Programmatica XII. p. 16. & XX. p. 14. ſqq. ubi poſteriore loco diverſas recentiorum ſententias, recenſet, & eruditus Pſeudonymus, *Orthodoxus Symbolophilus* in commentatione vernacula de diſceſſibus D. *Jo. Gottlieb Pfeiferi* a libris Symbolicis noſtratis Eccleſiæ factis, p. 87-155. ubi in eos ſpeciatim animadvertit, qui hoc loco ad negandam veram & ſpiritualem hominis irregeniti ſeu prave viventis, quamvis ex Scriptura S. veritatem edocti, notitiam rerum divinarum abutuntur. Noviſſime Rev. *Chriſtiani Eberhardi Weismanni*, Theologi Tubingenſis, *diſſertatio de diſtinctione Apoſtolica in hominem animalem & ſpiritualem, illuſtrandis quoque recentiorum cogitatis maxime accommodata*, prodiit Tubingæ 1731. 4. quam oculis uſurpare nondum licuit. Ex Reformatis multus in his illuſtrandis eſt *Jo. Creyghtonus* in Prolegomenis ad *Salom. van Till* commentarium Belgicum in hanc epiſtolam. Harlemi 1728. editis p. 88. ſqq.

Diſputatur hic inprimis de homine ψυχικῷ. Audiamus *Salmaſium* in præfatione ad librum de Fœnore Trapezitico ? ? ? ? ? ? ς. *Lecta illa Pauli*, inquit, *epiſtola quilibet vel non Theologus poteſt advertere*, *ψυχικὺς ab eo appellari*, *qui Chriſti fidem repudiabant & averſabantur Evangelii prædicationem. Hæc eſt ψυχικὴ σοφία, quam & ἐπίγειον & δαιμονιώδη vocat Apoſtolus Jacobus, ſapientia nempe humana, quæ ſtultitia eſt apud Deum, & cui e contrario Spiritus Dei ſtultitia eſt. Prædicari a ſe aliisque Apoſtolis dicit ibi Paulus, quod oculus non vidit &c. Hæc ſapientia Dei eſt, quæ Chriſtum revelavit, quam ubique in eadem epiſtola opponit ſapientiæ humanæ, quæ eum non cognovit. Quam ſapientiam, inquit, nemo principum hujus ſeculi cognovit. Ergo pſychici illi ſunt, qui dominum gloriæ non agnoverunt, & quibus ſapientia illa divina & Spiritus Dei, per quem Chriſtus revelatus fuit, ſtultitia erat. Contra πνευματικοὶ, quibus Deus Chriſtum ſuum per Spiritum revelaverat, quique ejus fidem, eodem ſpiritu faciente receperant. Chriſtiani igitur πνευματικοὶ Paulo in ea epiſtola, ψυχικοὶ autem a Chriſto averſi, & doctrinam ejus averſati, quia ſtultitiam eam putabant. --- Omnes igitur tunc temporis fideles vocati πνευματικοὶ, quia per Spiritum Dei Chriſtum filium ejus cognoverant, atque Evangelii doctrinam receperant: omnes infideles & increduli ψυχικοί.*

Salmaſius itaque per hominem ψυχικὸν intelligit hominem, Evangelica doctrina ex Scriptura Sacra non inſtructum, quicunque demum is ſit ratione affectuum. Similiter *Grotius* ad h. l. *Non idem eſt ψυχικὸς & σαρκικὸς ἄνθρωπος. ψυχικὸς eſt, qui humanæ tantum rationis luce ducitur: σαρκικὸς, qui corporis affectibus gubernatur: ſed plerumque ψυχικοὶ aliqua in parte ſunt σαρκικοὶ, ut Græcorum Philoſophi ſcortatores, puerorum corruptores, gloriæ aucupes, maledici, invidi. Verum hic nihil aliud deſignatur, quam homo humana tantum ratione nitens, quales erant Judæorum plerique, & Philoſophi Græcorum. Salmaſius* modo laudatus in Notis ad Epictetum & Simplicium pag. 119. ſententiam illam ſuam contra Olympiodorum confirmat: *Olympiodorus*, inquiens, *in Jobum σαρκικὺς & ψυχικὺς eosdem facit ad cap. XII.* καθολικὸν δὲ ἐκτίθεται λόγον, ὅτι οἱ σαρκικοὶ τὰ τῶν δικαίων καὶ πνευματικῶν μωρίαν ἡγῦνται, κατὰ τὸ εἰρημένον, ψυχικὸς ἄνθρωπος ὐ δέχεται τὰ τῦ πνεύματος. *Quæ verba Pauli ſunt ex 1. ad Corinth. cap. II. Vbi additur ab Apoſtolo τὰ τῦ Πνεύματος Θεῦ. Olympiodorus autem, qui ψυχικὸν ibi accepit pro homine, naturales appetitus ſequente, πνευματικὸν intellexit de eo, qui, ſola duce natura, recte per rationem conſtituta, corporis cupiditates non ſequitur, cum tamen verius ſit, ψυχικὸν ἄνθρωπον ab Apoſtolo deſignari, qui ſola naturali animi luce imbutus eſt, cui opponit τὸν πνευματικὸν, ſpiritualem illum, qui a Dei Spiritu regeneratus eſt. Ideo vocat τὰ τῦ πνεύματος τῦ Θεῦ, ut diſtinguat ab illo πνεύματι, quo naturaliter homo donatus eſt.* In eandem ſententiam veteris Eccleſiæ doctores τὸν ψυχικὸν interpretati ſunt, quorum loca leges apud *Svicerum* Tomo II. p. 1590. Sic *Theodoretus* ad h. l. ψυχικὸν καλεῖ τὸν μόνοις τοῖς οἰκείοις ἀρκύμενον λογισμοῖς, καὶ τὴν τῦ πνεύματος διδασκαλίαν μὴ προσιέμενον, ὔτε μὴν ἐπιγνῶναι δυνάμενον. *Animalem appellat illum, qui*

qui eſt contentus propriis cogitationibus, & Spiritus doctrinam non admittit, ſed neque illam poteſt intelligere. Omitto aliorum loca, ad quæ omnino reſpexit *Suidas*, quando Tom. III. Lexici p. 711. edit. Kuſterianæ, σαρκικὸν & ψυχικὸν ἄνθρωπον ita diſtinguit: ὥσπερ δὲ σαρκικὸς ἄνθρωπος λέγεται ὁ τῇ σαρκὶ δουλεύων· οὕτω ψυχικὸν καλεῖ ὁ Ἀπόστολος, τὸν τοῖς ἀνθρωπίνοις λογισμοῖς τὰ πράγματα ἐπιτρέποντα, καὶ τὴν τοῦ πνεύματος ἐνέργειαν μὴ δεχόμενον. *Quemadmodum autem carnalis homo dicitur, qui carni ſervit: ſic animalem Apoſtolus vocat eum, qui in rebus agendis humanas rationes ſequitur, ſpreta ſpiritus efficacia.* Plura de πνευματικοῖς, ψυχικοῖς & σαρκικοῖς ex veterum, Stoicorum inprimis, ſcriptis lege apud *Salmaſium* l. c. p. 118. ſq. & in libro de Uſuris p. 640. ſqq.

Ab hac veterum, *Salmaſii*, aliorumque ſententia diſcedunt, qui per ψυχικὸν hominem pravum i. e. affectibus ſuis deditum intelligunt. Inter hos eſt *Vitringa* lib. III. Obervatt. Sacrar. pag. 163. ſq. *Quod enim* ψυχὴ, inquit is, *reſpectum habeat ad Hebræum* נפש, *& quod Hebræa vox* נפש *concupiſcentiam & affectum notet, id capite IV. hujus libri multis evictum eſt argumentis.* Lege ibi plura & inprimis pag. 167. ubi ita: ψυχικὸς *igitur idem percipitur eſſe, qui* φυσικὸς, *i. e.* animalis, *vel tantummodo vivens, ut cetera vivunt animantia, quæ naturæ ſequuntur impetum absque ulla cogitatione altiore & ſublimiore. Quæ ratio eſt, quod Belgæ non inconvenienter expreſſerint* ἄνθρωπον ψυχικὸν *per* natuyrlycke Menſch. Hæc idem p. 172. ad Philoſophos Gentiles ſpeciatim applicat, eosque capite XII. pag. 173. ſqq. *affectibus* admodum *deditos* fuiſſe oſtendit. Similiter *Jo. la Placette*, in Reponſione Gallica Anti-Bæliana ad duas objectiones de origine mali cap. XI. inter varias ſententias fluctuans, τὸν ψυχικὸν de homine affectibus ſuis indulgente & voluptuoſo intelligit: quod & *Limborchio* in Theologia Chriſtiana lib. I. cap. VI. §. 24. placuit, nec minus *Jo. Clerico* in verſione Gallica N. T. ita reddenti τὸν ψυχικὸν, *qui reſſemble aux bêtes.* In has partes concedit etiam *Jo. Creyghtonus* l. c. pag. 89. quando hominem ψυχικὸν eum ait eſſe, qui naturales & beſtiales vel peccaminoſos motus ſuos ſequitur, talemque ſe in cognitione ſua, judicio, ratiociniisque, horumque ope in conſiliis ſuis, cupiditatibus & actionibus præſtat. Tales ψυχικοὺς addit tempore Apoſtoli fuiſſe Gentiles, inprimis tamen Judæos, ad quos hic inprimis reſpiciatur. Atque is quidem in tantum rectius agit, quam *Jac. Rhenferdius*, qui in Corollario I. ad notas Criticas in Euſebii Onomaſticon, a *Slichero*, ut reſpondente, defenſas, ψυχικὸν *de homine Judæo accipit, qui nimirum addictus ſit ritibus & cerimoniis Moſaicis, & vel ideo res ſpirituales, illis involutas, nec intelligat, nec curet.* Ad Judæos quoque hos ψυχικοὺς refert eruditiſſimus *Polemannus* Exercit. Programmat. XX. pag. 17. his uſus verbis: *Judæi terrena tantum quærebant, evangelico & ſpirituali ſenſu prorſus deſtituti, a ſuo Meſſia nonniſi mundanas delicias exſpectantes; hinc in aperta deliria ſunt præcipitati. Inprimis Phariſæi, etſi omnium cæciſſimi, nullo tamen modo, ſe cæcos eſſe, ſibi perſuadere potuerunt.* Atque huc pag. 18. advocat phraſin, πνευματικῶς ἀνακρίνεται, eo ſenſu, quo τὸ πνεῦμα paſſim in N. T. cultui cerimoniarum tanquam

σαρκικῷ opponatur. Non magis hæc ſententia ſe multis, credo, probabit, quam illorum, qui hominem indicari volunt, Philoſophiæ Platonicæ ejusque myſteriorum peritum, cujus anima deformis ita evaſerit, ut corpus, tanquam carcerem & onus animæ ſub jugum miſerit, atque adeo Chriſtianiſmi myſteria præ Platonicis illis pro nihilo ducat. Vide Cl. *Tobiæ Eckhardi* Technicam Sacram p. 147. Nec *Snabelium* applauſores puto inventurum, qui per ψυχικὸν Chriſtianum νεόφυτον intellexit, teſte Cl. *Polemanno* in Exercitatione Programmatica XIII. p. 16. & XX. p. 17.

Noſtra ætate apud nonnullos illa invaluit opinio; qua ψυχικὸς putatur *homo impius & non renatus, ſive ſit literali Scripturæ uſu deſtitutus, ſive eo inſtructus.* Hæc verba ſunt D. *Joach. Langii*, Theologi Halenſis, Tom. I. Antibarbari Sect. II. p. 313. In contrariam vero ſententiam legendi ſunt præter B. *Jo. Fechtium* illi, qui de Notitia hominis irregeniti ex Scriptura S. hauſta, *Langio* rectius ſunt commentati, quos hic enumerare & longius, & ab inſtituto noſtro alienius foret. Nobis ſuffecerit monuiſſe, Apoſtolum, ſi tales indicare voluiſſet, eos σαρκικοὺς potius, ut cap. III. 2. & alias, non autem ψυχικοὺς appellaturum fuiſſe.

Temperare tamen mihi non poſſum, quo minus Vener. *Jo. Friderici Winckleri*, Collegæ mihi amiciſſimi, qui Senioris Miniſterii noſtratis dignitatem cum laude tuetur, cogitata, quæ per literas aliquando mecum communicavit, pace ejus vel ideo hic opponam, quod δύναμιν ejus ἐν γραφαῖς egregie commonſtrant, & controverſiæ illi, quæ cum maxime agitatur, diſcutiendæ apprime inſerviunt. En tibi Theologi doctiſſimi verba: Faciam initium a diſquiſitione ſcopi & connexionis, quibus ſenſum h. l. multum juvari poſſe exiſtimo. Conſideranti hæc manifeſte apparet, Apoſtolum, poſtquam in principio capitis hujus teſtatus erat, ſe in prædicando Evangelio Jeſu Chriſti ſapientiæ humanæ adminiculis ac verbis uſum haud eſſe, occurrere v. 6. tacitæ objectioni, quam particula δὲ abunde commonſtrat, ac ſi ſermo & prædicatio Apoſtoli ipſiusque Collegarum minus eſſet ſapiens; ad quam ita reſpondet, ut ſermoni Apoſtolico ſummam ſapientiam tribuat v. 6. 7. oppoſitione facta inter ſapientiam humanam & divinam, quam ſibi & Collegis vindicat. Id ipſum vero cum probatione indigeret, Apoſtolus ad principium præconii ſui provocat, quod ſcilicet illud ex ſapientia humana non proficiſcatur, quippe quam longe ſuperet, uti inductione ſapientum hujus ſeculi inter Judæos ac Gentiles probat, v. 8. 9. ſed quod Spiritum Sanctum habeat auctorem. Hoc uti dilucidis verbis v. 10. proponit Paulus, ita ſummam iſtius principii certitudinem affert ex παντογνωσίᾳ Spiritus S., quem ipſæ & Collegæ acceperint, cujus divino afflatu omnia ad ſalutem ſpectantia ipſis revelata ſint: v. 10. 11. 12. tum & id ſatis comprobat ex indole ſpirituali prædicationis ſuæ, quæ virtute Spiritus S. mentes hominum affatim convincat, v. 13. Atque ita pervenit ad verba noſtra, in quibus neceſſitatem oſtendit revelationis, a Spiritu S. ſibi & Collegis factæ, quam ex conditione hominis naturalis, ſibi ſoli relicti, demonſtrat, addita oppoſitione hominis, Spiritu S. extraordinarie inſtructi, qualem Apoſtolus ſe & reliquos Apoſto-

Apoſtolos eſſe affirmat. Concedes, V.C. nexu iſto ſermonis Apoſtolici probe conſiderato, multum lucis noſtro dicto affulgere; quippe ex quo luculenter ſatis conſtat, non de quibusvis irregenitis, ſed de illis, qui doctoribus Judæis ac Gentilibus ſimiles ſunt, nec de quibusvis hominibus ſanctis Paulum diſſerere, quod plerumque exiſtimatur, ſed de Apoſtolis, quorum concio orbem totum tunc temporis implebat, cujus divinitatem ſtabiliri totius intererat Eccleſiæ. Accedamus vero ad ipſa verba Apoſtoli, in quibus ob oculos ponit homines ψυχικὸν & πνευματικὸν inter ſe contrarios. Quid alii ad hæc verba attulerint, tute ---- nobiscum communicabis. Ego mihi id negotii datum eſſe intelligo, ut indicem, quid mihi de iis videatur. Paulus voce ψυχικοῦ tantummodo hic & 1. *Corinth.* XV. 44. 46. utitur, &, uti ipſe erat Hebræus, ita ad genium linguæ Sanctæ ſine dubio reſpexit, ubi נפש pro vita ſæpiſſime ponitur, quam vocem cum ψυχὴ in Græcis exhibeat, ψυχικὸς, ratione derivationis habita, ſignificabit eum, qui vita naturali, quæ huic mundo alligatur, præditus eſt; id quod manifeſto ex 1. *Corinth.* XV. 44. 46. conſtat, ubi σῶμα ψυχικὸν σώματι πνευματικῷ, quod fideles in futuro ſeculo habebunt, opponitur. Homo ergo ψυχικὸς h. l. non erit alius, quam, qui vita naturali præditus ſolum ductum naturæ, & inprimis rationis, qua nihil in homine præſtabilius eſt, ſibi relictæ, ſequitur; quod & Grotius & Hammondus annotarunt. Quinam vero ſunt illi homines ψυχικοί? Omnes omnino homines, prout naſcuntur, in eo ſunt ſtatu. Sed Apoſtolus deſignat inprimis eos, qui verbum Evangelii haud admittunt, omnemque Spiritus S. in verbo ſeſe offerentis, gratiam reſpuunt, ſua vero ratione tantum nituntur: nempe illos ipſos, quos antea principes hujus ſeculi appellaverat, v. 6. 7. qui ſpiritum mundi, in quo ſecundum naturæ, jam depravatæ, inſtinctum vivitur, habent; v. 12. adeoque doctores Judæorum, qui neglecta cœleſti ſacrarum literarum, ipſis concreditarum, doctrina ea ſolum ſapiebant, quæ ad hunc mundum ſpectant, *Joh.* VIII. 23. tum & Philoſophos Gentilium, ſola ratione ſuperbientes, qui utrique concioni Apoſtolicæ de Jeſu Chriſto, unico ſalutis auctore, ſe vehementer opponebant. Hanc notionem vocis ψυχικὸς egregie confirmat *Judas* Apoſtolus, qui de Empæctis ultimorum temporum, quos a falſis doctoribus diſtinguit, & quos in colluvio Atheorum Deiſtarumque proh dolor! hodie conſpicimus, verba faciens, illos ψυχικοὺς appellat, Spiritum non habentes, v. 19. eoque ipſo illos ita depingit, quod omnem revelationem deſpicientes, & pro nihilo putantes ſolam rationem depravatam ſequantur, illiusque nutu & arbitrio regantur. Neque aliter *Jacobus* vocabulum accipit, quando ſapientiam illam, quæ cum vana concertatione conjuncta eſt, nuncupat terrenam & ψυχικὴν, naturalem, ad naturæ & rationis non illuminatæ ductum accomodatam, qualem Philoſophi gentiles nimium quantum oſtentabant. *Jac.* III. 15. Non ergo per ψυχικοὺς h. l. irregenitos quoscunque, quales in Eccleſia Chriſtiana quoque inter hypocritas reperiuntur, intelliget Apoſtolus, ſed vi vocis & contextus homines mere naturales, quales erant doctores Judæorum Gentiliumque Philoſophi, extra Eccleſiam viventes, qui ratione ſua elati Evangelium

gelium Chriſti recipere nolebant, illique ſe acerrime opponebant. Conſtabit id eo magis, ſi ad ſequens capitis III. initium oculos intendamus, ubi Paulus, ſermonem ad Corinthios dirigens, eorum nævos ita deſcribit, ut eos πνευματικοῖς opponat, non tamen ψυχικοὺς, ſed σαρκικοὺς eos appellet. Quod ſi vero ψυχικὸς denotat hominem quemcunque irregenitum, cur Apoſtolus illud vocabulum Corinthiis, qui Chriſto nomen dederant, non applicat, ſed alia potius voce utitur, niſi talis intercedat inter utrumque verbum diſtinctio, ut illud hominibus non Chriſtianis, hoc vero minus pie viventibus, quales & in Eccleſia externa dantur, competat? Ita ſatis demonſtratum eſſe exiſtimo, quoſnam Apoſtolus intelligat, cum de ψυχικοῖς loquitur; quod & illis verbis, quæ de his hominibus profert, confirmari videbimus. Affirmat nimirum, hominem ψυχικὸν non δέχεσθαι ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Noſti, V. C. quantopere circa hoc verbum noſtra ætate inter ſe decertarint Viri ac Theologi celeberrimi, inprimis cum vox in Sacris literis ſæpius de receptione fidei, quæ cum tota vitæ immutatione conjuncta eſt, accipiatur. Confer *Marc.* X. 15. *Actor.* XI. 1. XVII. 11. 2. *Corinth.* VI. 1. 1. *Theſſal.* I. 6. *Jac.* I. 21. At vero ſi contextum inſpiciamus, manifeſto liquet, non intelligi Apoſtolo hic δέχεσθαι completum, ſed tale, quod intellectu perficitur, aſſenſumque continet veritatum homini propoſitarum: opponitur enim huic ab Apoſtolo, ſi quis doctrinam Spiritus S. pro ſtultitia habeat, quod ſine dubio ad intellectum ſpectat. Præterea explicatur hoc δέχεσθαι mox per γνῶναι, quod ἀνακρίσει abſolvitur, quod utrumque intellectus præſtat. Neque aliena prorſus eſt in Sacris paginis iſta verbi δέχεσθαι acceptio, cum *Matth.* XI. 14. eodem ſenſu occurrat, quod & Clericus ad noſtra verba obſervavit. Oſtendit itaque Apoſtolus indolem hominum mere rationalium, (in quorum numero erant inprimis doctores Judæorum pariter ac Gentilium, ſuam ſapientiam magnifice jactantes,) quod veritatibus divinis, in prædicato Evangelio ipſis propoſitis, nolint aſſentiri, quippe quas tanquam ſtultas ſecum reputent; cap. I. 23. quia & quod non poſſint, quam diu tales permanent, eos pro veris agnoſcere, quia ſpiritualis & ex viribus Spiritus S. profecta dijudicatio ad id requiritur, ut verus aſſenſus oriatur, quod ab iis, qui Spiritus S. in verbo demonſtrationem & convictionem ſapientiæ humanæ amore rejiciunt, atque contemnunt, plane fieri non poteſt. Id ipſum vero magnopere facit ad demonſtrandam neceſſitatem revelationis divinæ, Apoſtolis factæ, quia ſine ea homines ſibi relicti nihil cognoſcere poſſunt de conſilio Dei, quod de ſalute noſtra cepit, imo ne quidem, ſi ipſis proponatur, id capere illique aſſentiri queunt, ſed ratione ducti id potius rejiciunt. Unde porro conſtabit, quam egregium nobis naſcatur argumentum pro iſta doctrina, a multis hodierno tempore impugnata, quod homo veritates divinas ex verbo Dei ſcripto meris viribus naturalibus non poſſit percipere, iiſque aſſentiri, ſed quod ad id ipſum virtus Spiritus S. quæ in verbo ineſt, requiratur, quæ intellectum etiam irregenitorum, qui ulteriorem Spiritus S. operationem impediunt, luce ſua illuſtrat, ut aſſenſum verbo præbeat.

Per-

Pergit Apoſtolus,& homini ψυχικῷ opponit πνευματικὸν, quem v. 15. 16. magnifice effert. Nulla hactenus mihi animadverſa eſt inter eruditos diſcrepantia ſententiarum circa hunc hominem πνευματικὸν: quin conſentiunt omnes,de homine Spiritus S gratia converſo,ad fidem in Chriſtum perducto, adeoque in regenerationis gratia conſtituto agi, quales Scriptura πνευματικοὺς appellat cap.III.1. *Galat.*VI.1.qui ſunt ἐν πνεύματι, *Rom.* VIII.9.qui κατὰ πνεῦμα ambulant, ib. v. 1. At vero magnum mihi ea de re ſubnatum eſt dubium, utrum Apoſtolus illos hic indicet. Et primo quidem id nobis concedendum erit, nullos alios πνευματικοὺς intelligi, quam de quibus antea ſermo inſtitutus erat,quia hæc cum præcedentibus arcte cohærent. Manifeſtum vero eſt, Paulum antea de ſe & Collegis,qui Spiritum S.ad cognoſcendum conſilium divinum de ſalute noſtra extra ordinem acceperant,egiſſe. Proinde & illos hic deſignari,nullum dubium nobis eſſe poteſt.Accedit articulus præpoſitivus: ὁ δὲ πνευματικὸς, qui, ſi de quibusvis Spiritualibus aut regenitis ſermo eſſet, non opus erat,ut adjiceretur,uti nec voci ψυχικὸς v. 14. præmiſſus erat. Cum vero articulus ille ſoleat quam ſæpiſſime vocem ad certa ſubjecta reſtringere, adeoque emphaſin efficiat, neceſſario & h. l. de peculiaribus hominibus ſpiritualibus dici indicat. Quinam vero illi? Nempe, qui πνεῦμα Θεοῦ eminenti modo acceperunt, v.12.quibus Deus per Spiritum ſuum revelavit omnes ad ſalutem pertinentes veritates v.10.& qui adeo illuminatione donisque Spiritus S.extraordinariis inſtructi ſunt: id quod de Apoſtolis Apoſtolicisque viris illius ætatis ſolis dici poteſt ac debet; coll. 1.*Corinth.*VII.40. 1.*Theſſal.*IV. 8. 2.*Petr.*I.21. *Joh.*XVI.13.quos proinde ab Apoſtolo innui exiſtimo.Neque mihi quis objiciat, ſingularem hanc eſſe τοῦ πνευματικοῦ acceptionem, cum ipſe Paulus in hac ipſa ad Corinthios ſcripta epiſtola eam rurſus adhibeat c.XIV.37. ubi Prophetis πνευματικοὺς adjungit,εἴ τις δοκεῖ προφήτης εἶναι,ἢ πνευματικὸς,ἐπιγινωσκέτω &c. Tales vero aperte intelligit, qui dona habent πνευματικὰ v.1.qualia in hoc capite commemorantur,nempe linguarum & prophetiæ, adeoque extraordinaria, quibus Eccleſia prima a Deo ditata erat,coll.c.XII.1.4. &c. Quidni ad h.l. vocem in iſto ſenſu acciperemus? inprimis cum prædicata nos cogant? Hanc enim tribuit huic homini πνευματικῷ dignitatem eminentem, quod dijudicet omnia,quæcunque ſcilicet ab hominibus, ſive ſint homines naturales, ſive regeniti, de rebus ſacris proponuntur, ipſe vero a nemine dijudicetur. Rectene hoc quibusvis ſpiritualibus,ac regenitis tribui poteſt? Minime exiſtimo.Quot enim dantur regeniti, qui tamen ob defectũ αἰσθητηρίων γεγυμνασμένων omnia dijudicare nequeunt? Quin nonne regeniti quivis,etiam ipſi Doctores,ſubſunt dijudicationi aliorum? quod Apoſtolus Corinthiis obſervandũ præcipit etiam circa extraordinarium prophetiæ donum, cap.XIV.29.32. Neque exceptioni locus erit,Apoſtolum per οὐδένα ſolos irregenitos intelligere,quod ab Interpretibus fieri animadverto. Cum enim Paulus abſolute loquatur, quis nobis hanc largiatur facultatem ipſius verba ſine neceſſitate ad irregenitos reſtringendi? At vero de Apoſtolis ſolis id utique verum eſt, quod, uti Spiritu S. extra ordi-

nem acti omnem veritatem divinam accuratiſſime cognoſcebant,ita omnia ſine errore certiſſime dijudicare potuerint, utrum vera eſſent, nec ne, ipſi vero nullius judicio fuerint obnoxii. Quis enim noſtrum auctoritatem illorum ignorat, quam ipſis Chriſtus conceſſit, ut verbum illorum fundamentũ poneret Eccleſiæ, *Epheſ.*II.20. *Apocal.*XXI. 14. eosque ſolos ratione verbi, ab ipſis prædicati,judices conſtitueret,inque ſolio ſuo collocaret,ut illorum verbo ſtãdum nobis ſit in omni veritatis ac religionis negotio? *Matth.*XIX. 28. De ſe itaque Collegisque loquitur Apoſtolus, quando hominẽ πνευματικὸν nobis ob oculos ponit: eoque ipſo excellentiam muneris ſui ampliſſimam demonſtrat, quæ a nobis ſummam poſtulat obedientiam,ut verbum ipſorum,licet non magnificis ſapientiæ humanæ ſermonibus prolatum,fide ſuſcipiamus,ac ſancte veneremur.Hoc vero Divus Paulus amplius ex eo confirmat,quod ipſi ſoli mentemDomini cognoſcant; quam in rem locum *Jeſ.*XL. 13.affert,eumque ad ſe Collegasque applicat verbis ultimis: ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν. Nihil quidem in his verbis difficultatis ineſt; νοῦς enim Χριστοῦ (qui ex collatione dicti Eſaiani Jehova & verus Deus eſſe ab Apoſtolo demonſtratur)eſt idem,quod alias dicitur πᾶσα βουλὴ τοῦ Θεοῦ, *Actor.* XX.27. *Luc.*VII.30.& quod antea appellaverat, σοφίαν Θεοῦ,ἣν προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν, v.7. τὰ τοῦ Θεοῦ v.11. τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν v.12.τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ, v.14. quæ Chriſto hic ſpeciatim adſcribuntur,quia eadem ipſius eſt, atque Patris & Spiritus S. mens ac conſilium,tum & inprimis,quia per ipſum nobis patefacta ſunt: *Joh.* I. 18. c.XV. 15. eam vero mentem Chriſti habere,ſignificat, illam animo tenere,cognitamque habere, atque reſpondet præcedenti γινώσκειν, ita tamen,ut prolationem ejus ſimul innuat, quæ ea ratione ſit ſuſcepta, ut alieni nihil, ſed unica mens Chriſti eo contineatur. Convenire enim hoc debet cum præcedentibus,ubi non ſolum de cognitione, ſed & de prædicatione veritatis divinæ ſermo fuit, v.6.7. 13. Verum de iis tamen iterum cogitandum eſt,quos Apoſtolus per ἡμεῖς indicet. Interpretes ſi conſulamus, omnes regeniti intelliguntur, quibus tamen aſſentiri nequeo. Licet enim certo modo verum ſit, regenitos quosvis mentem Chriſti tenere, quatenus ſuam de rebus ſpiritualibus ſcientiam ex verbo Apoſtolorum hauſerunt: coll. *Epheſ.*I.18.19. 2.*Timoth.*I.12.non tamen abſolute de iſtis hoc dici poteſt,qui multis erroribus per ſe ſubjecti ſunt; unde & illos h. l. innui nego. De iis vero Paulum loqui exiſtimo, quos antea v.6.7.10. 12. 13. commemoraverat, & quos Apoſtolos eſſe manifeſtum eſt, quippe de quibus hoc perfecte & ſine conditione affirmari poteſt,quod Chriſti mentem eminenti modo ex ipſius revelatione cognoverint atque prædicaverint. Præterea dum Apoſtolus ſtatim poſt verba hæc ad Corinthios ſe convertit cap. III. 1. apparet,eum perſonam mutare,eoque ipſo ſe Collegasque a reliquis Chriſtianis diſtinguere: id quod Apoſtolis alias quoque familiare eſt; 2. *Pet.*I. 19. 1.*Joh.*IV. 6. qui ſæpe etiam ſe ſolos ratione officii ſui Apoſtolici per ἡμεῖς indicant. Conf. 2. *Cor.* IV.6. 1.*Theſſal.*IV. 8. Conſtabit itaque, hæc quoque verba ad Apoſtolos referenda eſſe. Uti vero hoc quoque probationi in-

inſervit, per hominem ſpiritualem, de quo Paulus locutus eſt, Apoſtolos intelligi, quorum verbum ac dignitatem antea prædicaverat; ita hinc ſimul apertum & perſpicuum erit, minus recte verba hæc ad regenitos quosvis applicari, adeoque male ex iis argumenta necti adverſus notitiam irregenitorum de rebus ſacris, quia ab Apoſtolis ad reliquos credentes concluſio in omnibus non valet. Sed hæc ſatis erunt pro declaranda mea de verbis Paulinis ſententia &c. Perſcriptis hiſce incidi in *Feuerbornii*, Theologi quondam judicio acerrimi & doctrina excellentiſſimi, Faſciculos Diſſertationum, qui in Operibus ipſius Theol. conſpiciuntur, ubi p. 547. loco noſtro Paulino laudato homines ψυχικὰς ex v. 8. de Philoſophis irregenitis exponit, & Hieronymum profert idem affirmantem, addita in margine hac obſervatione: *Homo ψυχικος eſt Philoſophus irregenitus juxta ſcopum Pauli* 1. *Cor. II. & ſententiam Hieronymi.* Gaudeo itaque, ſententiam meam & Patris quondam eruditiſſimi, & Theologi ex noſtris celeberrimi, auctoritatibus corroborari. Hæc hactenus laudatiſſimus *Wincklerus* noſter, quibus multum tribuent illi, qui δεινοτητα Biblicam æſtimare didicerunt. Sententiæ ſumma hæc eſt, per ψυχικὰς h. l. non irregenitos quosvis, quales v. c. ſunt pravæ vitæ homines, ſed doctores Judæos ac Gentiles, iisque ſimiles, per πνευματικὰς autem non ſanctos quosvis, ſed Apoſtolos, tanquam ſingularibus Spiritus S. donis extra ordinem inſtructos, indicari. Ex quo conſequitur, verba hæc male ad alios applicari.

ὀ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος) De genuina verbi δέχεσθαι notione lege, quæ præſtantiſſimus Collega meus *J. F. Wincklerus* paulo ante monuit. Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 458. ita παραφράζει; *non* aſſentitur iis, quod ea non ſolum falſa, ſed plane ſtolida eſſe judicet, unde ſubjungitur: μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι. Eam notionem verbo compoſito ἐνδέχεσθαι tribuit *Herodotus* lib. IV. p. 264. Conferri *Raphelius* vult *Matth.* XI. 14. *Luc.* VIII. 13. *Act.* VIII. 14. &c. Placent doctiſſimi *Polemanni* in Exercit. Programmatica XIII. p. 16. verba: *Paulus ἀνθρώπῳ ψυχικῷ, qui revelationis mentem non ſedulo ſcrutatur, nec per fidem, oblato ſibi gratiæ fœderi adſtipulatur, -- denegat perceptionem actualem, quod non percipiat ea, quæ ſunt ſpiritus; denegat perceptionem, ut loquuntur, proportionalem, quia nulla datur inter ſpiritualia & intellectum carnalem, ſive animalem proportio; cum ipſi ſpiritualia mera ſint ſtultitia; denegat perceptionem potentialem, quod non poſſit talia intelligere, quæ ſpiritualiter dijudicantur.*

Verſ. 15. Ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει μὲν πάντα, αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται) Varias vocis πνευματικὸς ſignificationes ex Patribus explicat *Svicerus* Tomo II. Theſauri p. 783. Vener. *Winckleri* noſtri judicio, quod ex ſuperioribus conſtat, hoc loco ad ſolos Apoſtolos, tanquam ſingularibus Spiritus S. donis conſpicuos, pertinet. Vocem πάντα Interpretes communiter, τὰ πράγματα ſubintelligentes, de *rebus*, vocem vero οὐδενὸς, ſubintellecto ἀνθρώπου, de *homine* accipiunt. Verum, *Lamberto Boſio* judice, in Exercitatt. ad h. l. *quando voces* παντὸς & οὐδενὸς *opponuntur, utraque de perſona aut de re intelligitur; non vero altera de perſona, altera de re*, ut apud *Plutarchum* in Convivio VII. Sapien-

 tum

tum p. 155. Anacharſis de Sole: κρατεῖ πάντων, κρατεῖται δ' ὑπ' ὐδενός. Ideo hic etiam voces ambas de perſonis intelligi vult, ſive πάντα accipias pro maſculino ſingulari, ſupplendo ἄνθρωπον, ſive cum *Theophylacto* legas πάντας, ſive denique utrumque neutraliter ſumas: neutra enim eleganter apud Græcos & Latinos pro maſculinis poni. Senſum itaque Apoſtoli hunc eſſe vult: *Spiritualis homo, quando audit alium loquentem vel docentem, ilico dignoſcere poteſt & dijudicare, utrum ſit ex Deo, nec ne, ipſe vero a nullo homine* ψυχικῷ *& irregenito dijudicari poteſt.* Sententiam hanc amplectitur, & duobus, *Philonis* nempe & *Cebetis*, locis confirmat eruditiſſimus *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. p. 118. Nihil equidem video cauſæ, cur communis interpretatio deſeratur, per quam τὰ πάντα de *rebus* cognoſcendis & dijudicandis accipiuntur. Neque enim Apoſtolus in commate 14. de hominibus, ſed de doctrinis ſeu rebus, quæ traduntur, æſtimandis loquitur, quando ait: ψυχικὸς ἄνθρωπος ὐ δέχεται τὰ τῦ πνεύματος τῦ Θεῦ, addita hac ratione: ὅτι (ſcilicet τὰ τῦ πνεύματος) πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Itaque τὰ πάντα omnino res ſeu doctrinas reſpiciunt, quas cenſuræ ſuæ ſubjicere valet πνευματικὸς, ſive illæ a Spiritu S. ſive a Spiritu mundi fuerint profectæ. An vero voces πᾶς & ὐδεὶς, ſibi oppoſitæ, eadem ſemper ratione a Scriptoribus, ut vir doctus vult, de perſonis uſurpentur, id quidem ex uno alterove loco confici non poſſe exiſtimem. Sufficit orationis Paulinæ ſeriem requirere, ut exemplum hoc regulæ illi, ſi qua talis dari poteſt, contrarium exiſtimemus. Hinc & Cl. *Elsnerus* p. 77. cum ſenſus idem utrinque ſit, parum referre arbitratur, quam interpretationem ſequaris.

Verſ. 16. Τίς γὰρ ἔγνω νῦν Κυρίυ, ὃς συμβιβάσει αὐτόν;) Comparat hunc locum cum *Jeſ.* XL. 13. *Vitringa* in Commentario ſuo Tomo II. p. 370. *Quis enim cognovit*, inquit, *mentem Domini*, h. e. interiora divini conſilii perſpexit, exploravit, libravit; *ſuo ingenio & judicio judicii ejus profunda rimatus eſt? Sed ipſe plus obſervans in hac voce, in epiſt. ad Corinth.* (1. II. 16.) παραφραςικῶς *addit, vel cum reſpectu ad ſequens membrum, aut verſus ſqq. ubi Int. Alex. hanc vocem habet*: Quis cognovit mentem, ὃς συμβιβάσει αὐτόν, qui inſtructurus ſit eum? *Sic recte hic vertitur vox* συμβιβάζω. *Heſychius*: συμβιβασθέντες· διδαχθέντες, διαλεχθέντες· Συμβίβασις· πεῖσις, διδαχή. Cl. *Samuel Battierius* in Biblioth. Bremenſi Tom. VI. p. 98. verba hæc cum duplici interrogandi nota legi vult hunc in modum: Τίς γὰρ ἔγνω νῦν Κυρίυ; ὃς συμβιβάσει αὐτόν; Vult itaque τὸ ὃς non articuli poſtpoſitivi, ſed τῦ τίς notionem hic obtinere, ideo, quod hac ratione majus ſermoni robur accedat. Eam vero locum quoque habere putat in *Platonis* epiſtola VII. ὡς δὲ ὀρνίθην τὰς ἐκείνυ βυλήσεις πειρᾶσθαι ἀποτελεῖν, αἳ δὲ ἦσαν, ἀκηκόατε παρ' ἐμῦ σαφῶς. *Iſtius vero voluntates ut fauſtiſſimas perficere conari: quænam autem illæ fuerint, aperte audiviſtis a me.* At nondum mihi perſuaſit vir doctus, quod volebat. Paulus hic, ut plerumque ſolet, τῶν LXX. verſionem retinuit, reſecta tantum una phraſi, quæ antecedenti prorſus eſt ſimilis. Illi enim ita ex Hebræo: Τίς ἔγνω νῦν Κυρίυ; καὶ τίς αὐτῦ σύμβυλος ἐγένετο, ὃς συμβιβᾷ αὐτόν; Τὺς LXX. hic de particula ὃς, ut nota in-

ter

terrogandi cogitaſſe non dicit vir doctus, nec, ut credamus, per contextum Hebræum fieri poteſt, quippe quem hic Interpretes curate exprimunt. Omiſſio vero mediæ ſententiæ, *καὶ τίς αὐτȣ̃ σύμβȣλος ἐγένετο*; a Paulo facta, non efficit, ut Apoſtolum interrogatione repetita hic defungi voluiſſe exiſtimemus. Nam *τὸ ὃς* in notione relativa, *qui*, non minus quadrat ad phraſin: *τίς ἔγνω νȣ̃ν Κυρίȣ*; quam ad alteram illam: *καὶ τίς αὐτȣ̃ σύμβȣλος ἐγένετο*; Emphaſis, quæ ita ſermoni Paulino conciliari poſſe videtur, non ſatis habet ponderis, quia incertum eſt, an illam Apoſtolus quæſiverit. Taceo denique, voculæ *ὃς* interrogandi valorem nondum vindicatum eſſe. Locus enim Platonis, ab illo allatus, huc non pertinet. Id vel ex eo patet, quod ſententiæ illi, *αἳ δὲ ἦσαν ἀκηκόατε παρ' ἐμȣ̃ σαφῶς*, interrogandi ſignum, quod verbis Paulinis a viro docto ſubjiciatur, adjici non poſſit. Evolvi Platonis locum, qui exſtat p. 1284. edit. Francof. 1602. fol. & vidi, *Ficinum* verba huc pertinentia Latine ita expreſſiſſe: *quæ* (conſilia) *qualia fuerint aperte ex me audiſtis.* Exiſtimaverim, *τὸ αἳ* idem hic eſſe quod *οἷαι*, quamvis non ignorem, & *Budæum* in Commentariis ſuis Gr. L. & H. Stephanum in Lexico, iſtum Platonis locum, ad vindicandam τȣ̃ *ὃς* ſignificationem *τȣ̃ τίς* interrogantis, attuliſſe.

Ἡμεῖς δὲ νȣ̃ν Χριςȣ̃ ἔχομεν) Veterum Eccleſiæ Doctorum de *mente Chriſti* ſententias explicat *Svicerus* Tomo II. Theſauri p. 432.

CAP. III.

VErſ. 1. *ἀλλ' ὡς σαρκικοῖς*) De diſcrimine, quod inter *ψυχικȣ̀ς* & *σαρκικȣ̀ς* intercedit, ſcripſimus ad II. 14. Illi ſcilicet ita reſpectu intellectus, ejusque tum ignorantiæ, tum errorum; hi, ratione voluntatis, pravorumque ejus motuum, tales dicuntur. *Jo. Lockius* in commentario ad h. l. ita: Carnalis (*σαρκικὸς*) *vocatur, qui carnalibus paſſionibus & reſpectibus ducitur;* animalis, (*ψυχικὸς*) *qui ſapientiam aut ſalutis viam ſectatur, ſupernaturali lumine, quod a Spiritu Dei proficiſcitur, deſtitutus, ope tantum naturalium facultatum:* ſpiritualis denique (*πνευματικὸς*) *qui beatitatem ſuam in revelatione, per Spiritum Dei in ſacris literis facta, quærit.* Atque ita vocem *σαρκικὸς* inter Patres olim recte accepit *Theodoretus*. *Σαρκικȣ̀ς αὐτȣ̀ς ἐκάλεσεν, ὡς περὶ τὸν βίον τȣ̃τον ἐπτοημένȣς καὶ κεχηνότας περὶ τὰ δοκȣ̃ντα λαμπρὰ, καὶ τῷ πλȣ́τῳ, καὶ τῇ εὐγλωττίᾳ τῶν διδασκάλων προσεσχηκότας. Carnales illos appellavit, ut qui vitam hanc mirarentur, & iis, quæ præclara videbantur, inhiarent, & ad divitias & eloquentiam ſuorum magiſtrorum attenderent. Iſidorus Peluſiota* epiſt. 128. p. 590. perpetuam hanc vocis in Scriptura notionem eſſe affirmat. *Σαρκικȣ̀ς καλεῖ ἡ γραφὴ τȣ̀ς εἰς τὰ τῆς σαρκὸς κατολισθήσαντας.* Viciſſim *Clemens Alexandrinus* Pædag. lib. I. c. 6. *σαρκικȣ̀ς* h. l. interpretatur per *νεωςὶ κατηχȣμένȣς, καὶ νηπίȣς ἔτι ἐν Χριςῷ, νεοκαταχήτȣς καὶ μηδέπω κεκαθαρμένους.* h. e. *recenter inſtitutos, & adhuc infantes in Chriſto, per auditionem recenter informatos, nec adhuc expurgatos.* Placuit poſterior hæc explicatio

catio etiam *Svicero* Tom.II.Theſauri p.932.minus, puto, convenienter. Voce enim σαρκικοὶ ad pravos animi affectus, quibus Corinthii ex parte adhuc indulgebant, reſpici ipſe Paulus commate 3. ſatis declarat. Recens vero illa & adhuc imperfecta inſtitutio per νηπίους in Chriſto ſtatim indicatur, & tanquam cauſa pravitatis, adhuc inhærentis, ſubjicitur. Quo quis enim magis firmiusque doctrina ſalutari imbutus eſt, & de veritate ac amplitudine ejus convictus, hoc aptior eſt ad bona a malis diſtinguenda, atque illa his in omni vita præferenda. Ejusmodi homines reſpectu τῶν νηπίων vocantur τέλειοι, *perfecti*, quorum eſt ςερεὰ τροφὴ, τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων πρὸς διάκρισιν καλȣ̃ τε καὶ κακȣ̃.

ὡς νηπίοις ἐν Χριςῷ) Vide ſupra ad *Rom.* II. 20. & Volumine I. harum Curarum p. 204.

Verſ. 2. Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ ȣ̓ βρῶμα) *Γάλα eſt infantum potus, ἄδολος, ſimplex, ſignificans primas illas veritates, quas modo regeniti ſcire, perpendere, meditari debent ad ſui incrementum ſpirituale. Sicuti vero ea, quæ lac potandum dat infanti, nutrix, neglectis omnibus bene ac compoſite edendi conſuetudinibus, illi ſæculo attemperatis, hoc tantum ſtudet, ut papillam bene prehendat infans, ne quis ſuccus pereat, ſed in ſubſtantiam infantis unice vertatur; ita quoque, neglecto omni dicendi ornatu, hoc tantum agebat Apoſtolus, ut bene caperent Corinthii, quod ipſe dicebat: nihil etiam proponebat, quod eorum captum ſuperabat.* Ita *Vitringa* lib. III. Obſervatt. Sacrarum cap. XXI. p. 310. Idem lib. III. de vetere Synagoga Parte I. c. 8. p. 714. Maimonidæ quendam locum affert ex cap. IV. de fundamentis legis §. 20. in quo capita doctrinæ comparantur cum cibo, pane & carne, quæ diſpeſcere & diſtribuere, ſecundum hanc metaphoram eſt, *docere*; accipere fracta & diſtributa; eſt *diſcere*. *Panis autem eſt caro*, inquit *Maimonides, eſt cognoſcere rem prohibitam & licitam, aliaque id genus ex reliquis præceptis.* Confer B. *Jo. Adami Scherzeri* Operæ pretium Orientale p. 113. & Cl. *Pet. Zornii* Bibliothecam Antiquariam Tom.I. p. 784. & 261. Ceterum τὸ γάλα de primis & fundamentalibus doctrinæ Chriſtianæ capitibus, βρῶμα autem de ſublimioribus & magis abditis accipiendum eſſe, vix opus eſt, ut moneamus. De utroque lege Patres apud *Svicerum* Tom.I. p. 721. & 717.

Cum ποτίζειν proprie ad lac pertineat, patet, ad vocem βρῶμα aliud ſubintelligendum eſſe, quod ipſi conveniat. Ita *Marc.* I. 6. Joannes dicitur ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλȣ, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτȣ̃, ſcilicet ἔχων vel ἐζωσμένος, *cinctus*, quam vocem Syrus interpres expreſſit. Plura hujusmodi lege apud *Glaſſium* in Grammatica Sacra Tract. II. Obſervat. VII. pag. 716.

ȣ̓́πω γὰρ ἠδύνασθε, ἀλλ' ȣ̓κ ἔτι νῦν δύνασθε) Prius illud ad initia & tirocinia Chriſtianiſmi Corinthiorum in univerſum, & quod ad ſingulos; poſterius autem ad nonnullos tantum illius cœtus pertinet, qui ſcilicet ſectæ ſtudio ducebantur.

Verſ.

Verſ. 3. Καὶ ἔρις καὶ διχοστασίαι) Poſteriores duæ voces, tanquam quæ in Codicibus nonnullis & verſionibus deſiderantur, ex *Galat.* V. 20. huc videntur relatæ *Millio*. Enimvero vox διχοστασία non eſt inſueta Paulo, quippe qua etiam *Rom.* XVI. 17. utitur: nec proinde cauſam video, cur ea hoc quoque loco uſus eſſe videri non debeat; ſaltem veri hoc eſt ſimilius, quam alterum illud, quod librarius aliquis vel Criticus eam ex l. c. mutuam ſumſerit. Ibi enim Paulus commemorat ἔρεις, ζήλους, θυμοὺς, ἐριθείας, διχοστασίας, αἱρέσεις. Cur, quæſo te, librarius neſcio quis, ex pluribus vocibus, ſignificatu affinibus, διχοστασίας magis, quam αἱρέσεις vel ζήλους hinc depromſerit, vel, ſi qua addenda cenſuiſſet, non omnes admiſerit? Nonne præſtat, ipſum Paulum illius Scriptorem profiteri?

Κατ' ἄνθρωπον περιπατεῖτε;) Patrum expoſitiones lege apud *Svicerum* Tom. I. Theſauri p. 351. & Tom. II. p. 679.

Verſ. 5. Ἀλλ' ἢ) *niſi, præterquam*, ut 2. *Cor.* I. 13. Sic *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. VIII. p. 330. ἀργύριον μὲν οὐκ ἔχω, ἀλλ' ἢ μικρόν τι. Plura hujusmodi loca lege apud Rev. *Raphelium* in Annotatt. Xenophonteis p. 218.

Καὶ ἑκάστῳ ὡς ὁ Κύριος ἔδωκεν) Pro καὶ ὡς ἑκάστῳ. Vide ſupra ad *Rom.* XII. 3.

Verſ. 6. Ἐγὼ ἐφύτευσα, Ἀπολλὼς ἐπότισεν) Similem φράσιν invenio apud *Libanium* in Proſphonetico ad Julianum Tom. II. Operum p. 284. ἐγὼ μὲν ἐφύτευσα, σὺ δ' ἔθρεψας, αἱ δὲ πόλεις δρέπονται. De ſententia horum verborum lege B. *Martini Chladenii* diſſert. ſingularem de Eccleſia plantata, Witteberg. 1711. & *Vitringam* libro III. Obſervatt. Sacrarum p. 311. In univerſum hinc patet, Apoſtolos & Viros Apoſtolicos cum γεωργοῖς ſeu agricolis conferri, cujus comparationis momenta ſuppeditat *Chryſoſtomus* Homil. XL. Tom. V. Operum, ubi *de agricultura ſpirituali & terrena* commentatur.

Ἀλλ' ὁ Θεὸς ηὔξανε) Lege *Petavium* Tomo III. Dogmatum Theologic. pag. 326.

Verſ. 8. Ὁ φυτεύων δὲ καὶ ὁ ποτίζων ἕν εἰσιν) Quam male & inconvenienter hæc cum verbis Domini noſtri *Joh.* X. 30. conferantur, oſtendit *Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* p. 407. quod ex Doctoribus veteris Eccleſiæ commonſtravit *Dionyſ. Petavius* Tomo III. Dogmatum, de Trinitate lib. II. c. 8. §. 7. ſqq. pag. 97.

Ἕκαστος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον) Hæc *Gatakerus* in Cinno lib. II. cap. 6. cum *Thoma Mortono* non de mercede *ſalutis*, ſed *laudis* accipit, ex muneris ſcilicet adminiſtratione a Deo reportandæ. Huc ſpectat, quod infra IV. 5. legitur.

Verſ. 10. Ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα) Vox σοφὸς tam late Græcis ſumitur, ut hominem in quavis arte vel ſcientia, etiam mechanica, *peritum & inſignem* denotet. Vide τοὺς LXX. Exodi XXXV. 31. *Ariſtotelem* Ethicorum VI. c. 7. & aliorum loca plura apud Cl. *Jo. Alberti* ad h. l. pag. 339.

Confer

Confer *Balthaſ. Stolbergii* Exercitatt. Græcæ Linguæ p. 343. ſqq. *Gatakerum* de Stylo N. T. cap. 15. & *Jo. Clericum* in Arte Critica Tomo I. p. 194. edit. Amſtelod. Ἀρχιτέκτονα ſe hic vocat Paulus, quemadmodum a Rabbinis Theologi *architecti* vocantur, eo quod in ædificando mundo laborent omnibus diebus vitæ ſuæ, in Codice *Schabbath* fol. 104. 1. Lege *Amelium* Parte II. der Erörterung p. 288. ex *Grelloti* Prodromo in Apocalypſin p. 211. Quædam Patrum loca huc pertinentia affert *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. IV. de Eccleſiaſt. Hierarchia lib. III. cap. IX. §. 9. p. 103. ſqq.

Verſ. 11 - 15. Θεμέλιον γὰρ ἄλλον ὐδεὶς δύναται θεῖναι, κ. τ. λ.) Inſpice ex noſtratibus *Wolfgang. Franzium* de Interpretatione Scripturæ Sacræ pag. 563. ſqq. *Chriſtoph. Reuchlini* Diſput. de fundamento fidei, Tubingæ 1700. *Chriſtiani Ludovici* Probationem per ignem Eccleſiæ Doctoribus exſpectandam, Lipſ. 1701. *Seb. Schmidii* Diſput. de articulis fidei fundamentalibus, Argentor. 1668. & Jenæ 1731. *Wolfburgium* in Obſervationibus Sacris p. 262. ſqq. *Jo. Franc. Buddeum* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ pag. 53. & 632. ſqq. noviſſime autem *Jo. Leonh. Frœreiſenum*, Theologum Argentoratenſem, in commentatione Theolog. de ædificio ſpirituali ejusque fundamento unico, Argentor. 1728. 4. ex Reformatis autem *Jo. Marckium* in Exercitatt. Biblicis p. 863. ſqq. *Franc. Fabricium* in Diſſertatione I. earum, quæ junctim ſub titulo: *Chriſtum unicum ac perpetuum* Eccleſiæ *fundamentum*, Lugd. Batav. 1717. prodierunt, & *Jac. Nyloe* in Schriftuurlick Licht p. 52. & 185. ſqq.

Verſ. 12. Εἰ δέ τις ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸν θεμέλιον τῦτον χρυσὸν, ἄργυρον, λίθυς τιμίυς, ξύλα, χόρτον, καλάμην) Plerique noſtratium Interpretum per *aurum, argendum & lapides pretioſos*, doctrinas intelligunt ad ſalutem neceſſarias & utiles; per *fœnum* & *ſtipulas*, erroneas quidem doctrinas & inutiles, ſed tamen fundamentum, vel propter minus remotam cum eo connexionem, ut fit in hiſtoricis & chronologicis, vel propter deficientem animi malitiam & pertinaciam, non evertentes. At B. *Jo. Fechtius* in Examine Theologiæ Indifferentiſticæ p. 286. B. *Schomeri* interpretationem amplectitur & adſtruit. Is vero per *fundamentum fidei* intelligit totam doctrinam fidei in Jeſum Chriſtum, plures articulos, ut ex *Hebr.* VI. 1. ſqq. patet, complectentem; per *aurum* vero, *argentum* &c. non veritates vel errores dogmaticos, quia de orthodoxia vel Pauli, vel Apollo, nulla erat quæſtio, ſed utiles vel inutiles admonitiones, & conciones, aut ſpiritu Dei plenas, aut eloquentiæ humanæ philoſophicique acuminis oſtentatione turgentes; quando v. c. orator Eccleſiaſticus longior eſt in verborum luſibus, aut quæſtionibus otioſis nihilque profuturis, quam in dogmatibus fidei morumque præceptis inculcandis. Atque ita ut ipſe quoque ſentiam, circumſtantiæ variæ me adducunt, inprimis vero commemoratio eloquentiæ, a qua Paulus alienum ſe profitetur cap. II. 1. & qua Apollonem valuiſſe ex *Actor.* XVIII. 24. & XIX. 1. apparet. Parum diſſentit *Jac. Nyloe* l. c. p. 55. per *aurum, argentum* &c. intelligens veritates fidei claras, firmas & ſolidas, atque adeo, quæ huic fundamento, nempe Chriſto, ſuperſtruantur,

antur, dignas; per *lignum* &c. autem ejuſmodi doctrinas, quæ a doctrinis fidei fundamentalibus non quidem recedant, vanæ tamen, ſteriles, nulliusque ad animos, vera cognitione ſanctitateque implendos, uſus aut momenti ſint. Hoc malim, quam cum Rev. *Guſtavo Georg. Zeltnero* ſtipulas illas interpretari de cerimoniis Judaicis aridiſſimis, quæ apud imbecilliores tunc toleratæ, & a nonnullis doctoribus, fortaſſe etiam *Apollone*, inculcatæ fuerint, Corinthiis, quod ex utraque ad eos Pauli epiſtola pateat, applaudentibus. Minime vero omnium probandi ſunt, qui *lignum, fænum, ſtipulas* non ad doctrinas ſed ad auditorum vitam referunt. Ita *Photius* epiſt. II. pag. 21. εὔφλεκτον τῆς ἁμαρτίας ὕλην, καὶ πρὸς καῦσιν μόνην, πρὸς οὐδὲν δὲ χρησιμεύουσαν ἕτερον, *materiem peccati combuſtibilem, ac conflagrationi tantum, nulli autem uſui præterea inſervientem*, intelligit. Manifeſtum enim ex ſerie ſermonis Paulini eſt, Apoſtolum hic non de auditoribus, ſed doctoribus loqui, quos appellaverat συνεργοὺς Θεοῦ, quemadmodum auditores dixerat Θεοῦ γεώργιον καὶ οἰκοδομὴν v. 9. Sicut etiam v. 10. ſe tanquam primum Corinthiorum doctorem cum architecto comparaverat, qui primum & ſolidum in eorum cœtu jecerit ſalutaris doctrinæ fundamentum; ita quemlibet alium doctorem, qui poſt ſe ad Corinthios acceſſerit, ſolicitum eſſe vult, ut ea ſuperſtruat, quæ ad fundamentum illud proxime ſint accommodata.

Verſ 13. Ἑκάστου τὸ ἔργον) ἔργον hic non opera bona vel mala, ſed *doctrinam*, vel potius *ſtructuram* integram, doctrinæ beneficio exædificatam, infert. Hinc verſ. 14. Εἴ τινος τὸ ἔργον μένει, ὃ ἐπῳκοδόμησε. *Herodianus* lib. I. Hiſtoriarum: *ubi templum omne conſumtum ignibus eſt*, πλεῖστα καὶ κάλλιστα ἔργα τῆς πόλεως, *plurima quoque & pulcherrima urbis ædificia conflagrarunt.* Sic *Vellejus Paterculus* lib. II. cap. 130. *Quanta ſuo ſuorumque nomine exſtruxit opera?* Confer *Bœcleri* notas ad illum locum, & Bibliothec. Bremenſem Claſſe V. p. 871.

ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει) Sic *Xenophon* Cyropæd. III. pag. 66. ἤδε ἡ ἡμέρα δείξει. Τὴν ἡμέραν de temporis tractu ſeu tempore quocunque accipit *Grotius*, & cum eo *Clericus*; alii inprimis ob articulum adpoſitum de certo die vel tempore, atque hi quidem vel de die judicii extremi, qui omnia in luce aliquando collocaturus ſit, vel de die judicii particularis ſuper Judæos, h. e. incendio & excidio urbis Hieroſolymitanæ, vel de die aut tempore tribulationis & calamitatis imminentis interpretantur. De judicio extremo Pontificii plerique, & præter eos *Marckius*, Theologus Leidenſis, in Exercitatt. Biblicis pag. 879. quanquam cetera ab iis diſſentiens, accipit; de excidio vero Hieroſolymitano, *Lightfootus, Hammondus, Guſſetius* in Lexico Hebraico voce יום litera C. *Nic. Gurtlerus* in Inſtitutionibus Theolog. pag. 940. & ex noſtratibus *Amelius* Parte II. **der Erörterung** p. 161. explicare malunt. Urgent illi inprimis, Apoſtolum hic eos petere doctores, qui inſtituta Moſaica cum Evangelica doctrina (vide *Actor.* XV.) conjuncta adhuc eſſe voluerint, atque adeo monere, tempore excidii illius inſtituta iſta per ſe ruitura eſſe, & ſic manifeſtum fore,

 quod

quod nullus illis amplius locus ſit relinquendus. Sed illi quidem gratis præſtruunt, quod adhuc probandum erat, nempe per *ſtipulas*, *gramen* & *fœnum* doctrinam illam erroneam de neceſſitate rituum Moſaicorum ſub Evangelio intelligi debere. Niſi enim id evictum probe fuerit, excidium Hieroſolymitanum fruſtra omnino huc advocabitur. Contra *Hammondum* lege ſpeciatim *Jo. Clericum* & *Marckium* l. c. Si quid ego video, *dies* ille tempus futurum quodcunque, ſed prope imminens, indicat, quo ſcilicet *ignis* ad explorationem operis cujusque inſtituendam ſit oriturus. Efficacior eſt in cauſa præſente Apoſtoli dehortatio a ſtudio partium & rerum externarum conſectando, ſi moneantur Corinthii, imminere jam tempus, quo tali negotio lux affundenda ſit, quam, ſi res omnis ad judicium extremum rejiciatur. Ita Latini: *dies*, vel *tempus docebit*, & Germani: Die Zeit wirds lehren. Externi vero etiam Scriptores vocem ἡμέρα in ſingulari & plurium numero de tempore ſeu χρόνῳ adhibent. Vide *Pſochenium* & *Gatakerum* de Stylo N. T. cap. XXV. item *Vorſtium* in Philologia Sacra Parte I. cap. III pag. 107. & *Stolbergium* ad Sophoclis Ajacem pag. 134. In eadem quod ad h.l. ſententia eſt *Jac. Nyloe* l.c. pag. 55. Is vero pag. 185. ab amico quodam monitus de *die Evangelii* ſpeciatim accipi poſſe putat, qui, docente Petro epiſt. 2. I. 19. jam quidem illuceſcat, ſed clarior indies ſit evaſurus, ut credentes majore ſubinde cognitionis & ſanctitatis luce perfuſi intelligant, cujus opus Chriſto, vero Eccleſiæ fundamento, ſuperſtructum ſit, nec ne.

Ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται) Pro ὅτι *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 124. legere mavult ὅτε hoc ſenſu: *nam palam faciet tempus, quando igne revelabitur.* Τὸ ὅτε ſæpe a librariis corruptum, phraſin vero χρόνος, ἡμέρα, ὥρα cum ὅτε apud Græcos & in N. T. quoque paſſim obviam, v. c. *Joh.* IV. 21. & *Rom.* II. 16. cauſatur. Eandem ſententiam exemplis aliis adſtruxit *Jo. Alberti* pag. 339. Obſervatt. Sacr. At ſenſus ex utraque lectione æque commodus naſcitur. Itaque præſtat in recepto ὅτι acquieſcere, quod & codices omnes & verſiones quoque, ſi unam Æthiopicam exceperis, exhibent. Solet præterea Paulus aſſertionis ſuæ cauſam ſimili modo, ut hic, breviter exponere. Ita cap. II. 14. hujus epiſtolæ: καὶ οὐ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Quod ſi τὸ ὅτε præferamus, in ultima ſententia, καὶ τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι, τὸ πῦρ δοκιμάσει, idem prorſus dicetur, quod per antecedentem hanc exprimitur. Lectio vero communis differentiam aliquam relinquit. Ex ea enim ſenſus naſcitur iſte: *Cujusque opus manifeſtum evadet: nam dies prodet. Sicut enim omne opus igni revelatur* (i.e. revelari ſolet, ſicut *Marc.* XV. 6. de Pilato dicitur, ἀπέλυε, *dimittebat*, i. e. dimittere ſolebat) *ita hic quoque cujusque opus, quale ſit, ignis declarabit.* Sic apparet ſimul, cur Paulus ſcripſerit ἀποκαλύπτεται, non autem ἀποκαλυφθήσεται, quam futuri formam τὸ ὅτε requireret, ut *Joh.* IV. 21. & *Rom.* II. 16. habet. Mutata vero lectio enallagen præſtruit, quæ ſine urgente neceſſitate admitti non debet.

Τὸ

τὸ πῦρ δοκιμάσει) de infernali igne Pontificii ut plurimum accipiunt, v. c. *Eſtius*, de quo lege *Rich. Simonis* Hiſtor. Criticam de Interpretibus N. T. pag. 647. qui & ipſe de igne judicii extremi explicat in Notis ad Verſionem ſuam Gallicam N. T. Idem facit *Thom, Burnetus* de Statu mortuorum & reſurgentium cap. VII. pag. 100. ſq. Eandem ſententiam *Leus* tribuerat *Eraſmo*, quam tamen a ſe in Reſponſione ſua amolitur Tomo IX. Operum p. 217. Illis ego adſentior, qui *ignem explorationis* tum de Scriptura, ad quam quæque examinare fas eſt, tum inprimis de vexationibus & calamitatibus intelligunt. Vide *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. *Jac. Nyloe* l. c. Compara 1. *Pet.* I. 6. 7. & *Zach.* XIII. 8. 9.

Verſ. 15. αὐτὸς δὲ σωθήσεται, ὕτως δὲ ὡς διὰ πυρὸς) De Purgatorii igne, quem Pontificii plerumque huc advocant, cogitari non poſſe oſtenderunt auctores citati, quibus adde *Colomeſii* Obſervationes Sacras p. 42. Doctorum veteris Eccleſiæ nonnulli hoc loco abuſi ſunt, ut oſtenderent, ignem aliquem poſtremo die omnes vitii labisque reliquias in optimo quoque, ad ſummam ſanctitatem conſequendam, exuſturum eſſe, ceu oſtendit *Huetius* in Origenianis lib. II. Quæſt. 7. & 11. In hac tamen ſententia ignem illum luſtratorium Pontificiorum, quem animabus a corpore ſeparatis ſtatim ab exceſſu imminere fingunt, nihil præſidii invenire, ſed ex Rabbinorum fabrica accenſum eſſe ex *Eiſenmengeri* Judaiſmo detecto Parte II. cap. 6. p. 336. ad h. l. monet Cl. *Elsnerus* p. 79. quemadmodum ſimile quid *Plato* apud Euſebium Præparat. Evang. lib. II. capite ultimo tradat.

Rectius illi agunt, qui παροιμιῶδές τι hic obſervant, magnumque periculum & difficultatem rei indicari cenſent. Ita Hebræi מצל מאש *ereptum ex igne* dicunt, ut *Zachar.* III. 2. & *Amoſi* IV. 11. Non minus vero Græci & Latini. Lege huc *Henr. Morum* in Operibus p. 506. *Alex. Morum* in Notis p. 121. *Jo. Henr. Majum* in Obſervatt. Sacr. lib. IV. pag. 133. *Amelium* Parte II. der Erörterung p. 163. *Elsnerum* p. 78. & *Caſauboniana* mea p. 74. 78. & 277. Addam horum locis unum *Libanii* ex Oratione I. de Vita ſua p. 71. ubi refert, Parentes liberos ſuos Antiochia, peſtilentiæ cauſa, evocaſſe, addens, ὅτι φόβος ἠνάγκαζε πατέρας τὺς αὐτῶν καλεῖν παρ' ἑαυτὺς, ὥσπερ ἐκ πυρός. *Theodoricus Hackſpanius* de Uſu Scriptorum Rabbinicorum p. 473. minus convenienter huc referre mihi videtur ex *Maimonide* morem Iſraelitarum, qui ſuos in Molochi honorem per ignem non comburendos quidem, ſed traducendos tamen curarint. Propius huc facit *Elsneri* obſervatio pag. 78. Cum enim non dicatur σώζεσθαι ἐκ πυρὸς, ſed σώζεσθαι ὕτως ὡς διὰ πυρὸς, cenſet hominem hic *ſervandum dici*, *ita tamen*, *ut per ignem*, ſcilicet tranſeat. Itaque vulgatum Proverbium *per ignem incedere*, i. e. in periculo & damno verſari, ad expoſitionem adhibet. Ita Pſ. LXVI. 11. διήλθομεν διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος legimus. Sic *Euripides* Helena v. 1182. διὰ πυρὸς ἔμολον, *per ignem veni* & *Ariſtophanes* Lyſiſtrata v. 133. Significari vero idem cenſet *ignem metaphoricum* vel vehementiſſimarum calamitatum & periculorum, vel acerrimi judicii divini. Cete-

rum exſtat ad hoc comma ſingularis diſputatio *Jo. Edwardi* in Exercitationibus Criticis ſuper loca quædam V. & N. Teſtamenti, Anglice editis, Parte II. pag. 325. ſqq. ubi examinatis diverſis Interpretum ſententiis ſuam denique profert, in Actis Eruditorum Lipſienſibus an. 1704. pag. 138. fuſius enarratam. Ex Pontificiis conferri adhuc poſſunt *Jo. Martianæus* in Conatibus novæ verſionis pag. 335. ſqq. & *Richardus Simon* in Hiſtoria Critica de Interpretibus N. T. pag. 182.

Verſ. 16, Ουκ οιδατε ὅτι ναὸς Θεȣ̃ ἐςε;) Huic & ſequenti commatibus ex antiquitate Judaica lucem fœnerantur B. *Theodorus Daſſovius* in Diſput. I. de Emphaſi Sacrarum Vocum pag. 23. ſqq. & Rev. *Salomon Deylingius* in Obſervation. Sacris Part. II. p. 386. ſqq. & auctius in edit. repetita p. 505. ſqq. Obſervant illi inprimis ex *Maimonidæ* Tractatu de domo electa cap. I. §. 10. & c. VII. §. 7. &c. veteres Judæos ſolicite caviſſe, ne quid detrimenti Templum caperet, aut injuriam pateretur. Dicebatur autem corrumpi aut perdi Templum, ſi quo modo v. c. cadaveris contactu, aut alio quocunque contaminaretur; ſi lapides vel ipſius templi, vel altaris, vel ſcalæ altaris, vel pavimenti frangerentur, aut ſcinderentur; ſi laxata aut male habita non repararentur; ſi denique templum ipſum negligentius cuſtodiretur. Hæc omnia momenta quomodo ad cuſtodiam cordis Spiritualem accommodari poſſint, oſtendit *Daſſovius* l. c. Doctrinam Theologicam de Templo Myſtico ex h. l. tradit, & contra diſſentientes aut eam adulterantes tuetur B. *Mart. Chladenius* in Diſputat. de ναοφθορίᾳ ſive violatione Templi myſtici, Vitembergæ 1712. Pertinet quoque huc Rev. *Jo. Wilh. Zieroldus* **in der deutlichen Erklärung der heiligen Schrifft** pag. 1729. ſqq. ubi phraſin veterum & recentiorum quorundam Theologorum *de tranſitu Dei in hominem, & hominis in Deum*, qua & ipſe uſus erat alicubi, ex h. l. defendere & explicare inſtituit. Parum veteris Eccleſiæ cogitata de fidelibus, ut templo Dei, exponit *Svicerus* Tomo II. Theſauri p. 388. *Philonis* de Somniis p. 597. & alia loca, *Hieroclis* item in aurea carmina Pythagorea p. 24. huc ex parte, quamvis diverſo modo pertinentia, affert *Elsnerus* p. 82. ſqq.

καὶ τὸ Πνεῦμα τȣ̃ Θεȣ̃ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν;) Τὸ καὶ hic eſſe ἐξηγητικὸν ad exemplum τȣ̃ ו Hebræorum, atque idem eſſe, quod Latine dixeris, *quoniam*, vel, *ſiquidem*, non inepte ſervat Cl. *Chriſtoph Wolle* in Diſſert. de uſu & abuſu Synonymias p. 24. Ex qua interpretatione id præterea conſequitur, quod Spiritus S. in priori phraſi, ὅτι ναὸς Θεȣ̃ ἐςι diſerte *Dei* nomine appelletur. Quo fine etiam Patres complures hoc loco ad evincendam Spiritus S. deitatem uſos eſſe, oſtendit *Petavius* in Dogmatibus Theolog. Tom. II. lib. II. c. 13. §. 3. Per πνεῦμα Θεȣ̃ autem Spiritum S. intelligi debere & veteres & recentiores Interpretes conſtanti conſenſu recte tradiderunt. Unus *Campeg. Vitringa* dubitare cœpit, ſuſpicatus, πνεῦμα illud de *Filio Dei* h. l. accipiendum eſſe ideo, quod in locis Scripturæ hujusmodi, ubi Spiritus Dei habitare dicitur in hominibus, alludatur ad vocem Hebraicam שכינה, quæ Filium Dei inferat; atque Chriſtus ſeu

Fili-

Filius Dei alibi in nobis habitare dicatur. Vide *Joh.* I. 14. 2. *Cor.* VI. 16. & *Hebr.* III. 6. ubi fideles vocantur οἶκος τȣ̃ Χριςȣ̃, *domus Chriſti.* Sed utrumque argumentum efficere non poteſt, ut a communi ſententia abeamus. Quod enim ad vocem שכינה attinet, ambigua ea eſt, & nunc de Chriſto, ut mediatore, nunc de Spiritu S., qui alias proprie vocatur רוח הקודש uſurpari conſuevit, quod ex circumſtantiis contextus judicari debet. Vide de utroque illo vocis שכינה ſignificatu præter *Buxtorfium* in Lexico Talmudico p. 2394. *Hackſpanium* de uſu librorum Rabbinic. pag. 373. ſqq. *Hottingerum* de uſu Scriptorum Hebraic. in N. T. §. 3. not. a. *Coccejum* ad Sanhedrin p. 157. n. 4. *Wagenſeilium* ad Sota pag. 83. *Rhenferdium* in Diſput. de Stylo Apocal. Cabbaliſtico §. 26. ſqq. & *Pet. Allixium* in Judicio Eccleſiæ veteris Judaicæ contra Unitarios cap. X. qui utplurimum quidem τὸν λόγον, interdum vero etiam Spiritum S., inprimis in Paraphraſibus, per eam innui oſtendit. Adde his ex noſtratibus Celeb. *Jo. Andr. Danzium* in Programmate ſingulari, quod recuſum eſt in Diario Salano an. 1720. pag. 241. ſqq. & obſerva, tres ejus exſtare continuationes, ſucceſſu temporis Programmatum Academic. loco editas, & curate elaboratas. Si igitur maxime largiamur, per τὸ οἰκεῖν hic ad *Schechinam* alludi, vel ſic tamen de Spiritu S. id commode accipi poteſt, cum vocis illius uſus apud veteres non repugnet. Nec obſtat ſecundo loco, eandem rem, quæ hic de Spiritu S. enunciatur, nempe τὸ *habitare in fidelibus*, de Chriſto quoque alibi prædicari. Idem enim fit de Patre quoque *Joh.* XIV. 23. Hic autem de Spiritu S. ſermonem eſſe Paulo, ex eo intelligi poteſt, quod in antecedentibus capitibus Apoſtolus Spiritus Sancti tam frequentem mentionem fecit, tanquam qui & in Apoſtolis & in fidelibus gratioſe operetur. Ex quo nunc quidem conficit, eos ignorare non poſſe, quod Templum Dei ſint, quia ſcilicet Spiritus S. in ipſis habitet & operetur. Firmat ſententiam hanc locus alter 1. *Corinth.* VI. 19. quem *Vitringa* l. c. itidem ad partes ſuas vocat. Ἢ ȣ̓κ οἴδατε, ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς τȣ̃ ἐν ὑμῖν ἁγίȣ Πνεύματός ἐςιν, ȣ̃ ἔχετε ἀπὸ Θεȣ̃, καὶ ȣ̓κ ἐςὲ ἑαυτῶν. Ibi inhabitatio illa de Spiritu S. omnino accipi debet. Triplici enim argumento hic utitur Paulus ad Chriſtianos a fornicatione abducendos, quod a tribus divinitatis perſonis ordine eſt repetitum. Primum deſumitur a *Patre*, tanquam qui non minus corpora noſtra aliquando, quam olim Chriſti corpus excitavit, in lucem ſit producturus: v. 14. alterum ab arctiſſima unione noſtrum, tanquam membrorum cum *Chriſto:* v. 15-18. tertium ab inhabitatione *Spiritus* S. quem nacti ſimus a Deo i. e. Patre, qui ſcilicet illum nomine Filii miſerit. Veteris Eccleſiæ doctores verba hæc ad Spiritum S. retuliſſe, patet ex locis, quos *Svicerus* Tomo II. p. 766. & *Petavius* Tomo II. Dogmatum Theolog. lib. VIII. c. IV. §. 6. attulerunt.

Exſtant apud Gentiles, & inprimis Stoicos Scriptores, phraſes quædam iis, quas hic conſpeximus, ſimiles. Eas vero hic conſulto omittimus, cum & ſenſu alio ab iis adhibeantur, & aliena admiſceant. Vide interim, ſi placet, unum ejusmodi *Epicteti* locum, ex *Arriano* lib. II. cap. 8. quem Rev. *Raphelius*

in Notis Polybianis p. 454. huc advocavit. Alios invenies apud *Gatakerum* in notis ad *Antoninum* lib. III. §. 16.

Verſ. 17. Ει τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει) Vide dicta ad v. 16.

ὁ γὰρ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἅγιός ἐστιν) *Sanctum*, ἅγιος hoc loco eſt inviolabile, quod φθείρειν nefas; unde lamentatio Pſalmi LXXVIII. 1. ἐμίαναν τὸν ναὸν τὸν ἅγιον σου. Id recte obſervavit Cl. *Elsnerus* p. 83. productis variis externorum Græciæ & Latii Scriptorum locis, in quibus ἅγιον & *ſanctum* de *inviolabili* adhibetur. Sic *Plutarchus* ἱερὸν ἅγιον καὶ ἄσυλον conjungit in Quæſtionibus Romanis p. 283. Ita *Cicero* pro Archia c. VIII. *Sit igitur, Judices,* Sanctum *apud vos, humaniſſimos homines, hoc Poëtæ nomen, quod nulla unquam barbaria violavit.* De templis non temere violatis, & reverenter habitis, exſtat ſingularis *Jac. Lobbetii* liber de religioſo templorum cultu, Leodii 1641. 4. quod argumentum alii, reſpectu ad Judæos, Chriſtianos, Gentiles, Turcas habito, paſſim perſecuti ſunt a diligentiſſimo & χαλκεντέρῳ *Fabricio* noſtro diligenter laudati in Bibliographia Antiquaria p. 305. editionis II. auctioris.

Verſ. 18. Ει τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν, ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, μωρὸς γενέσθω, ἵνα γένηται σοφός.) Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p.455. & Herodoteas p. 452. Mentem horum verborum minime omnium adſecuti ſunt nonnulli veterum Chriſtianorum, qui præcepto Paulino obtemperare ſibi videbantur, ſi inſignia ſtultitiæ ſpecimina ederent, & hominibus, recte ratione cum maxime utentibus, ridendos ſe propinarent, *Salorum* & *Mororum* propter Chriſtum nomine contumelioſe ideo inſigniti. Exempla hujusmodi ex antiquitate Eccleſiaſtica, more ſuo, diligenter collegit Rev. *Urbanus Godofr. Siberus* in *Schediasmate de Moris & Salis propter Chriſtum*, Lipſ. 1718. 4. edito. Apoſtolus omnino id tantum ſibi vult, omnem illam, quam profani homines venditent, ſapientiam abjiciendam eſſe, atque eam viciſſim appetendam, quæ hominibus ſæculi ſtultitia videatur. Simile fere, quamvis in diſſimili cauſa, monitum eſt *Epicteti* in Enchiridio cap. XVIII. εἰ προκόψαι θέλεις, ὑπόμεινον ἕνεκα τῶν ἐκτὸς ἀνοὺς δόξαι καὶ ἠλίθιος· μηδὲν βούλου δοκεῖν ἐπίστασθαι. *Si proficere vis, ne recuſa, quo minus ob res externas amens & fatuus habearis; ne quid ſcire videri velis. Quod ſi quis aliis eſſe videaris, ipſe tibi diffidito.*

Verſ. 19. Η γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐστι) Τὸ ἐστὶ idem hic eſt, quod νομίζεται i. e. *habetur*, reputatur. Lege *Jo. Vorſtii* Philologiam Sacram Parte II. p. 166. Adde Patrum ſententias apud *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 384. ſqq.

ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν) Verba hæc cum Hebræis *Jobi* V. 13. diligenter comparant *Guil. Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 530. & Celeb. *Franc. Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti Parte II. p. 231. ſq. De participio, quod hic Hebræorum more pro verbo finito poſitum eſſe credit *Beza*, lege *Jo. Erici Oſtermanni* Poſitiones Græcum contextum N. T. concernentes, Diſput. III. §. 11.

Verſ.

Verſ. 20. Κύριος γινώσκει τȣ̀ς διαλογισμȣ̀ς τῶν σοφῶν) Vide *Surenbuſium* l. c. pag. 531. & *Wokenium* l. c. p. 357.

Verſ. 21. Πάντα γὰρ ὑμῶν ἐςι) Dicuntur hæc in oppoſitione ad *Adamum*, in quo omnia perdiderant homines: ad *Moſen*, qui Judæos quidem in libertatem aſſeruit ab Ægyptiis, cum Chriſtus nos in libertatem filiorum Dei vindicarit; ad *Joſuam*, qui Iſraelitis jus tantum in Canaan conceſſit &c. Ita *Steph. le Moyne* in Diſſertat. ad *Jerem.* XXIII 6. p. 272. Crediderim, in univerſum hic notari uſum rerum omnium, in quem Chriſtiani poſtliminio per Chriſtum, cujus eſſe dicuntur, tanquam Dominum rerum omnium ſint collocati, ut proinde neceſſe non habeant, de uno alterove homine, ſive ille Paulus ſit, ſive Apollo gloriari; illos enim omnes uſui ipſorum, ipſos vero Chriſto ejusque honori inſervire debere. Conf. *Ludov. de Dieu* ad h.l. & *Vitringam* lib. V. Obſſ. Sacrarum cap. IV. pag. 36. ſq. Conſtat alias, Judæos tantum ſibi tribuiſſe, ut mundum univerſum ſui cauſa conditum eſſe crederent, cujus perſuaſionis exemplum præbet Esdras ἀπόκρυφος lib. IV. c. 6. v. 55. Magnifica hujusmodi, ſed putida, Rabbinorum de gente ſua effata collegit *Jo. Andr. Eiſenmengerus* in Judaiſmo detecto, vernacula lingua edito, Parte I. p. 569. ſqq. Atque hanc vanam opinionem effeciſſe putat *Amelius* Parte II. p. 356. ſq. **der Erörterung**, ut S. Paulus ad Judæorum faſtum deprimendum omnia eſſe diceret eorum, qui ad Chriſtum acceſſiſſent, eadem ſcilicet opera Judæos commonefacturus, nullum amplius diſcrimen inter Judæos & Gentiles ſtatuendum eſſe. Quæ quidem ut recte dicuntur, ſi verba Pauli generatim conſiderentur; ita ad ſcopum Apoſtoli non pertinere ex orationis ſerie non minus manifeſtum evadit. Miror, recentiſſimum editorem Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in textu pro ὑμῶν, in duorum MSS. gratiam, ponere potuiſſe ἡμῶν, cum ſatis appareat, in hoc commate ſemper prædicatum prioris ſententiæ ſubjectum eſſe ſequentis.

Verſ. 23. Ὑμεῖς δὲ Χριςȣ̃· Χριςὸς δὲ Θεȣ̃) Similis fere phraſis ſermonisque gradatio, inſigni tamen Philoſophorum Gentilium errore fœdata, exſtat apud *Philemonem* in Fragmentis p. 306. ubi ſervus ita:

Ἐμȣ̃ γὰρ κύριος μὲν εἷς ἀνήρ,
Τȣ́των δὲ καὶ σȣ̃ μυρίων τ᾽ ἄλλων νόμος,
Ἑτέρων τύραννος, τῶν τυραννȣ́ντων φόβος.
Δȣ̃λοι βασιλέων εἰσὶν· ὁ δὲ βασιλεὺς, Θεῶν,
Ὁ Θεὸς, ἀνάγκης.

Confer *Jo. Alberti* Obſervatt. Sacras pag. 340. & præfationem ad Periculum Criticum.

CAPUT

CAP. IV.

Verſ. 1-5. explicantur a B. *Jo. Oleario* in Exercitatt. Philolog. Græcum epiſtolarum Dominicalium contextum concernentibus p. 17. ſq. & a Cl. *Franc. Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. p. 21. ſq.

Verſ. 1. Ὡς ὑπηρέτας Χριςȣ͂) Phraſin hanc non in contemtum officii Apoſtolici trahi poſſe aut debere oſtendit laudatus modo *Wokenius* in Obſſ. miſcellaneis ad loca quædam V. & N. T. p. 30. De voce ὑπηρέτης commentatur quoque *Joſ. Mede* in Operibus Anglice editis p. 25. ſqq. ubi diſquirit, quo ſenſu vel Apoſtoli, vel alii verbi divini præcones, ita appellentur, ſpeciatimque opinatur, conſultum fuiſſe, ſi ſacri præcones non *Miniſtrorum*, ſed *Presbyterorum* nomine fuiſſent appellati, cum prius illud ab abuſu & inconveniente notione non ſit immune. Adde, quæ de hoc nomine commentati ſumus Vol. I. p. 100. & 611. & *Svicerum* Tomo II. p. 1361.

Καὶ οἰκονόμȣς μυςηρίων Θεȣ͂) Spectat huc Rev. *Georg. Frider. Schræeri* Diſput. ſingularis de Bono Eccleſiæ Oeconomo, *Witteberg.* 1717. 4. Οἰκονόμοι veteribus dicebantur, quorum hoc erat in familia conſervanda officium, ut ſingulis de cibo potuque proſpicerent, &, quæ huc faciebant, ex æquo diſtribuerent. Eos *Iſidorus* appellat *diſpenſatores*, recte quidem, judice *Joſepho Nerio* in Analectis lib. I. cap. 14. qui & de hoc ſervorum genere ibidem diſſerit poſt alios, quos diligenter affert *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquaria pag. 262. *Jo. Forſterus* in Lexico Hebraico pag. 37. opinatur, Apoſtolum voce οἰκονόμȣ Hebræam נאמן *Proverb.* VIII. 30. exprimere voluiſſe, quæ *diſpenſatorem* ſeu *Nutricium* ſignificat, & a fide deducitur, nempe a radice אמן quæ in Niphal נאמן idem eſt, quod *fidum eſſe.* Hinc enim mox dici, ab œconomo *fidelitatem* inprimis exigi. Felicius equidem illos puto conjectaſſe, qui miniſtros Eccleſiæ οἰκονόμȣς ideo hic appellari cenſent, quod verſentur in Eccleſia, tanquam in *domo Dei*, quo nomine illa 1. *Timoth.* III. 15. & *Hebr.* X. 21. vocatur. Phraſin totam ex Patribus illuſtrat *Svicerus* Tom. II. p. 38. voce μυςήριον & pag. 464. voce οἰκονόμος.

Verſ. 2. Ὁ δὲ λοιπὸν) ſcilicet ἐςι, *quod reliquum eſt.* Idem hæc phraſis vult, quod alias ſimpliciter dicitur λοιπὸν, vel τὸ λοιπὸν 1. *Cor.* I. 16. 2. *Cor.* XIII. 11. *Matth.* XXVI. 45. & *Marc.* XIV. 41. *Vulgatus* inconvenienter vertit: *hic jam quæritur inter diſpenſatores*; quaſi ſcriptum fuiſſet ὧδε.

ζητεῖται) Verbum ζητεῖ *requirendi* habere poteſtatem, & cum præpoſitione ἐν apud Hebræos conjungi idoneis locis oſtendit Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* in notis ad *Jo. Olearii* librum de Stylo N. T. p. 375. Sic *Iſocrates* ad Nicoclem lib. I. cap. 12. §. 4. ἀλλὰ γὰρ ȣ̓κ ἐν τοῖς λόγοις χρὴ τοῖς περὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων ζητεῖν τὰς καινότητας. *Sed in orationibus de officiis nova requirenda non ſunt.* *Ariſtoteles* Politic. lib. I. c. 3. ἐν τοῖς ἐλαχίςοις πρῶτον ἕκαςον ζητητέον. Adde Cl. *Jo. Erhardi Kappii* diſputat. de Latiniſmis Novi Fœderis p. 24. qui Latiniſmi ſuſpicionem ab hac phraſi recte repellit.

Ἐν

Ἐν τοῖς οἰκονόμοις) Lege *Svicerum* Tom. II. p. 463.

Ἵνα πιϛός τις εὑρεθῇ) i.e. *ſit*. Vide Volumen I. harum Curarum pag. 16. & 712. item *Svicerum* Tom. I. pag. 1264. qui & de voce *πιϛὸς* differit II. pag. 741. Quod ad rem ſimilia *Xenophontis* & *Ciceronis* loca affert Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis pag. 219. qui præterea monet, Sanctiſſimum Salvatorem noſtrum *Luc.* XII. 42. in œconomo fidelitatem cum prudentia requirere, Paulum vero prudentiam hic omittere, non quod ſine ea villa vel domus recte queat adminiſtrari, ſed quod juſtitia & fides præcipuam in diſpenſatore laudem habeant.

Verſ. 3. & 4. *Ἐμοὶ δὲ εἰς ἐλάχιϛόν ἐϛι, κ. τ. λ.*) Conferenda hic omnino eſt elegans *Georgii Philip. Olearii* diſſertatio de æſtimandis hominum judiciis, Lipſ. 1715. ubi in præfatione affinia his Gentilium dicta recitat, deinde vero diligenter diſpicit, in quo caſu judicia hominum hinc negligenda, hinc autem non prorſus contemnenda ſint, allatis ſimul Gentilium effatis, nunc bene, nunc male ſe in hac cauſa habentibus. Adde ad eadem hæc commata *Alethæum* Tom. III. pag. 193. der Erläuterung, *Wolfburgium* in Obſervatt. Sacris pag. 261. ſq. & *Alex. Morum* in Notis p. 123. ſq.

Εἰς ἐλάχιϛόν ἐϛι) Similis eſt phraſis Hebraica, Jobi XV. 11. המעט ממך *num parum tibi ſunt conſolationes Dei?* Sicut & *τὸ εἰς* Hebræorum more *πλεονάζει*, ut *Hagg.* I. 9. והנה למעט.

Ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ) *Τὸ ἵνα* idem hic valere videtur, quod *εἰ*, *ſi*, ut *Job.* XV. 8. & apud *Homerum* ac *Lucianum*, quorum loca laudatus modo *Olearius* pag. 7. affert.

ἢ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας) Phraſin hanc alii ex *Cilicum* aut *Tarſenſium* idiomate poſt S. *Hieronymum* repetunt cum *Beza*; alii ad *Hebraiſmum* referunt, nihil interim definiente *Stolbergio* in Exercitatt. Græcæ Lingu. pag. 121. ubi commentationem de hoc loco in aliud tempus rejicit. Hac vero opera defunctus poſtea eſt Cl. *Chriſtianus Schœtgenius* in ſingulari diſput. de *ἀνθρωπίνῃ ἡμέρᾳ*, Lipſ. 1712. 4. ubi, Ciliciſmo iſto valere juſſo, contendit, Apoſtolum ad Hebræorum phraſin, ſpeciatim vero locum *Jeremiæ* XVII. 16. ubi יום אנוש commemoratur, reſpexiſſe; quam & *Jo. Martianæi* ſententiam eſſe video in Conatibus novæ verſionis p. 340. *Martianæus* ita vertit: *pour moy je compte fort peu ſur vos jugemens, ou ſur le faveur de quel homme, que ce ſoit, puis que meme je ne ſaurois porter jugement de ce, que je ſuis.* Placent, quæ *G. P. Olearius* §. 6. diſputationis modo laudatæ obſervat. Illi ſcilicet *ἀνθρωπίνη ἡμέρα* eſt judicium hominum, ſive bene ſive male de nobis judicantium; *ἡμέρα* vero illa *ἀνθρωπίνη* dici videtur, reſpectu habito ad *ἡμέραν Κυρίου*, *Act.* XVII. 31. & *Rom.* II. 15. Conf. Cl. *Wolfburgii* Obſervation. Sacr. p. 261. ſqq. quo judice hæc Apoſtoli mens eſt, ſe nec Corinthiorum in præſenti tempore, nec ullius hominis in ſecutura ætate judicium de ſe magni facere. B. *Hulſemannus* apud Sandhagenium in Decade II. epiſtol. Theolog. pag. 297. ad judicium immaturum refert,

quod de diligentia & donis doctorum Eccleſiæ feratur, eademque opera oſtendit, locum hunc foris Eccleſiaſticis ordinariis fraudi non eſſe.

Fuit, qui ἡμέραν ἀνθρωπίνην de homine acciperet, cujus ſcilicet vita ſit ἐφήμερος, ſive *unius diei*, quam ſententiam deſerendam eſſe recte judicat Cl. *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis, Parte I. pag. 23. Sed illa quidem non prorſus nova eſt. Nam & *Theodoretus* per eum intelligit τὸ τῆς φύσεως ὀλιγόβιον i. e. *humanæ vitæ brevitatem.*

Verſ. 4. Οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα) Ita *Plato* in Apologia: ὔδὲ μέγα, ὔδὲ σμικρὸν ἐμαυτῷ σύνοιδα, & *Polybius* I. 84. συνειδότες σφίσι τὰ πεπραγμένα. Confer *Pſochenium* de Stylo N. T. §. 130. & Cl. *Kirchmaierum* in Paralleliſmo dictionis N. T. & Polybianæ p. 42.

Ἀλλ' ὐκ ἐν τύτῳ δεδικαίωμαι) h.e. in tota hac cauſa a ſummo judice, Deo, nondum ſum judicatus aut abſolutus; quæ ſcita eſt *Hulſemanni* apud Sandhagenium obſervatio p. 298. l. c.

Φωτίσει τὰ κρυπτὰ τῦ σκότυς) i.e. *palam faciet.* Sic *Polybius* p. 1448. γράμματα πεφωτισμένα vocat *literas palam recitatas.* Confer Rev. *Raphelii* Notas Polybianas p. 458. & *Svicerum* Tom. II. p. 1490.

Καὶ φανερώσει τὰς βυλὰς τῶν καρδιῶν) *aperiet, quo quidque conſilio factum ſit.* Vide *Raphelium* l. c. & *Caſaubonum* ad Epicteti Enchiridion cap. 67. ubi hæc legis: πρὶν γὰρ διαγνῶναι τὸ δόγμα, πόθεν οἶσθα, εἰ κακῶς; *priusquam enim cognoris conſilium ejus: unde ſcis, an male?*

Καὶ τότε ὁ ἔπαινος γενήσεται) ἔπαινος vox media h. l. eſt, quæ & *laudem* & *vituperium* denotare poſſit. Sic *Heſychius* ἔπαινον per κρίσιν interpretatur. Hinc *Caſaubonus* l. c. vocem ἔπαινος explicat: ἔπαινος ἢ ψόγος, atque id ſe alibi docuiſſe affirmat. Mediam hanc vocis ἔπαινος ſignificationem innuit Heſychius, quando ἐπαίνυς interpretatur τὰς κρίσεις, καὶ τὰς συμβυλίας, καὶ τὰς ἀρχαιρεσίας. *Elogii* & *tituli* eandem eſſe in Latinis Scriptoribus rationem norunt eruditi.

Verſ. 5. Μὴ πρὸ καιρῦ τι κρίνετε) *ne ante tempus alium alii præferte.* Ita B. *Lutherus* in Poſtilla Eccleſiaſtica p. 76. explicat, adſtipulante Rev. *Raphelio* in Annotat Herodoteis pag. 459. ſq. Sic Paulus τὸ κρίνειν *præferendi* ſenſu accipit *Rom.* XIV. 5.

Verſ. 6. Ταῦτα δὲ, ἀδελφοὶ, μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλῶ) Verba hæc ita nonnulli acceperunt, quaſi Apoſtolus iis indicaret, ſe contentionum Corinthiacarum ſpecies ſub ſuo & Apollo nominibus tantum propoſuiſſe, quamvis ipſi illarum non fuerint materies & occaſio. Sed vide contra hos *Vitringam* lib. III. Obſſ. Sacrar. cap. 21. p. 306. ubi recte affirmat, verba hæc non ad ea pertinere, quæ in ſuperioribus de ſectis & contentionibus queſtus erat Apoſtolus, ſed ad illa potius reſpicere, quæ ἀμέσως & proxime anteceſſerant, ubi inde a v. 5. capitis III. diſſeruerat de ratione miniſterii ſub N. T. & de miniſtris Evangelii tanquam ſervis Chriſti & diſpenſatoribus myſteriorum Dei, qui proinde Chriſto, tanquam judici, unice ſint obnoxii. Hæc ait Apoſtolus ſe ad

ſe

ſe ipſum & Apollo tranſtuliſſe, ſeu accommodaſſe, ut Corinthii ſcirent, ſe communi illa Miniſtrorum Evangelii conditione eſſe exemtos, atque adeo male facere, ſi cui prærogativam aliquam ita deferant, ut ab alterutrius nomine malint appellari.

Verſ. 6. τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν) Hæc nonnulli ita accipiunt, ac ſi ad Scripturam S. tanquam ad lydium lapidem fidei morumque dogmata explorandi in univerſum reſpicere Corinthii jubeantur, nihilque adeo admittere, quod in illa non tradatur. Quod ut in ſe verum eſt, ita Apoſtolum hoc loco id ſibi velle non crediderim. Cavere potius ſibi vult, ne præclarius de ſe ſentiant, quam in ſuperioribus hujus capitis ſcriptum erat ab Apoſtolo. In his autem & ſe & Apollo deprimit, exemplum daturus, ad quod conformare ſe & ipſi Corinthii deberent. Sententiam hanc ornavit amplius Cl. *Elsnerus* p. 85. ubi & hunc verbi φρονεῖν ſignificatum, quo magnos tumidorum hominum ſpiritus infert, allatis Sacrorum & profanorum locis adſtruit. Vide v. c. *Rom.* XII. 3. & 16. Ita *Demoſthenes* contra Ariſtogitonem p. 504. ὐδεὶς ὕτως ὔτε ἀναιδὴς ὔτε ὑπὲρ ὑμᾶς φρονῶν ἐςι, *nemo ita eſt vel impudens, vel ſupra vos ſe efferens.* Et *Stobaeus* ex Demonacte Sermone XLIX. pag. 150. θνητοὶ γεγονότες μὴ φρονεῖν ὑπὲρ θεὺς. *Mortales cum ſitis, ne ſupra Deos vos efferatis.*

ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τῦ ἑνὸς φυσιῦσθε) Gloriatio ſcilicet illa de doctoribus, v. c. *Paulo, Apollo, Petro,* ad quorum alium alius tanquam præſtantiorem provocabat, conjuncta erat apud Corinthios cum vana perſuaſione, unumquemque tanto præſtare ceteris, quanto præſtantior doctor ſit, quem quisque audiverit. Ceterum τὸ ἵνα hic indicativo jungitur, quod raro fieri h. l. *Beza* obſervavit. Conf. Budæi Commentarios Gr. Linguæ p. 504. Cl. *Thom. Hutchinſon* ſimimilem Xenophontis φράσιν ex lib. I. Cyropædiæ p. 94. obſervavit, ubi ἵνα ἐνέδυ pro ἵνα ἐνδύηται ſcriptum legitur. De verbo φυσιῦσθαι i. e. *efferre ſe, animo elato eſſe*, lege Cl. *Elsnerum* p. 86.

Verſ. 7. τίς γάρ σε διακρίνει;) *Theophylactus* ita intelligit: τίς σε διέκρινε καὶ ἐψηφίσατο ἄξιον τῦ ἐπαινεῖσθαι, *quis te diſtinxit & laude dignum cenſuit?* Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad Biblia B. Lutheri Germanica: quis te, collatis ſcilicet donis adminiſtrantibus amplioribus, a ceteris diſtinxit? Eidem Apollo, dotibus ſuis, inprimis eloquentiæ (*Act.* XVIII. 24.) & ſibi & aliis illuſtrior viſus, heic tangi videtur. Compara Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 461. Viciſſim *Mich. Mauduit* in ſingulari diſſertatione, quam Tom. I. Analyſeos epiſtolarum Paulinarum & Canonicarum, Rhotomagi 1713. 8. gall. recuſarum, p. 623-625. ſubjunxit, adſtruere conatus eſt, hæc non dici in Apoſtolos, eosque falſos, ſed in Corinthios, qui ſe unius præ altero aſſeclas ita ſint profeſſi, ut alios contemnerent, & contentioſe inter ſe diſputarent. Confer *Hülſemannum* apud Sandhagenium in Decade II. Epiſtol. Theologic. p. 299. ſq.

τί δὲ ἔχεις, ὃ ὐκ ἔλαβες;) Ita *Seneca* ad Marc. c. 10. *Non eſt, quod nos ſuſpiciamus, tanquam inter noſtra poſiti: uſusfructus noſter eſt; cujus tempora ille arbiter muneris ſui temperat.*

Verſ. 8. Ἤδη κεκορεσμένοι ἐςὲ, κ. τ. λ.) Ironice vel ſarcaſtice hæc dici manifeſtum eſt. Lege huc B. *Glaſſii* Rhetoricam Sacram Tract. I. c. V. p. 88.

Verſ. 9. Δοκῶ γὰρ) *exiſtimo enim.* Eo enim ſenſu verbum hoc, etiam ſine addito dativo pronominis, uſurpari Auctoribus oſtendit, *Jac. Perizonius*, Vir præſtantiſſimus, ad Æliani Var. Hiſtor. XIV. 45. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. totum hoc comma cum *Chryſoſtomo, Theodoreto,* & *Oecumenio* ironice accipi vult, hoc ſenſu: Probabile cuiquam videtur, aliis affluentibus, Deum Apoſtolos ſolos fame perire, tanquam ſervos inutiles ſinere? Par erat, dignum iſtos manere præmium, tanquam Apoſtolos, qui totius mundi, ſive cœleſtis, ſive terreſtris in ſe oculos converterunt.

ὅτι ὁ Θεὸς ἡμᾶς τȣ̀ς Ἀποςόλȣς) Apoſtolorum nomen hic latius adhiberi, ut quosvis Eccleſiæ doctores illius ætatis denotet, ex eo apparet, quod Paulus de ſe & Apollo (vid. v. 6.) non omiſſis aliis ejuſdem conditionis viris, loquatur. Confer dicta ad *Rom.* XVI. 7. & *Svicerum* Tomo I. p. 477.

ἐσχάτȣς ἀπέδειξε) *ultimos fecit*, ut olim expoſuit *Chryſoſtomus:* ἐσχάτȣς ἐποίησε. Ita ſæpe *Arrianus*, ut de Expeditione III. 6. 13. *Aſclepiodorum* ſatrapam Syriæ ἀπέδειξε, fecit. Confer *Raphelii* Notas Polybianas p. 459. & *Hombergii* Parerga p. 246. ſimilia veterum loca afferentis, & propterea *Bezam* recte deſerentis, qui verbum hoc interpretatus erat per: *ſpectandos propoſuit.* Lege alia huc pertinentia apud *Elſnerum* p. 87. Per vocem ἐσχάτȣς alludi nonnulli putant ad gladiatores veterum. Sic *Dilherrus* in Electis lib. II. c. 25. p. 332. *Quinam, quæſo, ſunt* ἔσχατοι καὶ ἐπιθανάτιοι? *nonne, quos Græci alias* ἐφέδρȣς, *Latini*, ſubdititios, ſuppoſititios, *aut* ſuccidaneos ſubſeſſores *appellarunt? & erant, qui in ludis gentilium gladiatoriis, feſſis aut victis gladiatoribus ſufficiebantur, ut & ipſi ad mortem cum victore contenderent, hunc quippe in finem educati & ſaginati, ut extremo ſuo atque anhelante Spiritu ſpectatorum oculos oblectarent. Vide Plinium lib. VIII. epiſt.* Scilicet ut in ſpectaculis quibusdam ſors aliquem ſeponit ac ſervat, qui cum victore contendat. In eandem ſententiam ante illum *Scaliger* diſſeruerat ad Manilium, quem ſecutus eſt *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris p. 77. Vertunt illi: *nos, qui Apoſtoli ſumus, tanquam ſuppoſititios quoſdam beſtiarios poſuit.* Omitti hic nolim *Philip. Caroli* Varias Lectiones lib. I. c. 8. *Seldeni* præfat. ad librum de Diis Syris p. 10. *Dougtæi* Analecta Sacra N. T. p. 108. *Car. le Cene* Specimen verſionis novæ p. 607. & *Joſuæ Arndii* Miſcellanea Sacra p. 43. Mallem equidem hæc amplecti, quam cum aliis vocem ἐσχάτȣς ad ἀποςόλȣς referre, eo ſenſu, ut Paulus ſe ſpeciatim Apoſtolorum ultimum (reſpectu temporis vocationis ſuæ) appellet. Sic enim ſcripturus potius erat: ἡμᾶς τῶν ἀποςόλων ἐσχάτȣς, vel etiam ἡμᾶς τȣ̀ς ἀποςόλȣς τȣ̀ς ἐσχάτȣς ἀπέδειξε. At & illi ſententiæ obſtat, quod Paulus non de ludis gladiatoriis, ſed ſpectaculis *beſtiariorum* loquatur. Itaque infimæ conditionis & ſortis homines hic intelligi velim, quos Cicero pro Roſcio c. 47. *poſtremos* appellat obſervante Cl. *Elſnero* p. 87. qui tamen in eo humani aliquid paſſus eſt, quando

Pau-

Paulum infra XV. 8. ἔσχατον ſe vocare ſcribit. Verba hæc ſunt: Ἔσχατον δὲ πάντων ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι ὤφθη κἀμοί. *Poſtremo vero omnium, veluti abortivo, viſus etiam eſt mihi.* Τὸ ἔσχατον hic tempus apparitionis, ſibi poſt reliquos Apoſtolos factæ reſpicere nemo negaverit.

Ὡς ἐπιθανατίους) Ἐπιθανάτος vel ἐπιθανάτιος in genere infert hominem *morti vicinum*. Suidas Tom. I. p. 808. edit. Kuſterianæ explicat, προσδόκιμος τοῦ ἀποθανεῖν, *Heſychius* ſimiliter, προσδοκώμενος ἀποθανεῖν, voce ἐπίθατος, pro qua ἐπιθάνατος vel ἐπιθανάτιος legi debere recte monuerunt *Scaliger*, *Guietus* & *Salmaſius*. Atque ille ſignificatus etiam hic locum obtinere poteſt, ut idem dicatur, quod *Rom.* VIII. 36. ὅτι ἕνεκά σου θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν, ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς. Fuerunt tamen, qui illa voce ad certum mortis genus alludi non inconcinne exiſtimarent. Inter hos primus, ni fallor, eſt *Tertullianus*, qui in libro de Pudicitia vertit per *beſtiarios*, i. e. ad beſtias damnatos, approbante *Bulengero* de Venatione Circi c. XXX. qui tum illo tum ſequentibus aliquot capitibus de ſupplicio hoc, quo homines miſeri ad beſtias damnabantur, diſſerit. Adde, ut ceteros taceam, *Heinſium* in Exercitatt. Sacris ad h. l. & Cl. *Elsnerum* pag. 87. Hic ejusmodi homines *beſtiarios* Latinis vocatos eſſe ex *Ciceronis* Oratione pro P. Sextio cap. 64. & *Torrentio* ad Suetonii Claudium c. 34. probat, & Chriſtianos hoc ſupplicii genere olim affectos ex *la Cerda* in Adverſariis Sacris c. 128. p. 266. & *Gallonio* de cruciatibus Martyrum, p. 437. ad quos provocat, oſtendit.

Ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν) Spectaculi vice exhibiti ſumus, ut olim plectendi nocentes producebantur in theatrum, vel cum leone, vel cum urſo depugnaturi; vel captivi in triumpho circumducebantur, & in carcerem mox ſtrangulandi abripiebantur. Ita *Dilherrus* l. c. & Tomo I. Diſputatt. Academic. pag. 265. Adde *Dougtæum* l. c. qui loca veterum idonea de traductis per fora & theatra ſontibus affert. Idem, quod hic Apoſtolus θέατρον γίνεσθαι emphatice exprimit, *Epictetus* lib. III. c. 22. θέαμα εἶναι dixit. Forte ad hunc locum reſpexit *Heſychius*, θέαμα per θέατρον ἢ σύναγμα interpretatus. *Pollux* quoque θέαμα & θέατρον proxime conjungit II. 55.

Τῷ κόσμῳ καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις) *Seneca* de Providentia cap. II. *Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus.* Lege *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 693. qui & ex occaſione vocis θέατρον vitam cum comœdia comparari a veteribus oſtendit, quod idem facit *Jo. Stephanus Menochius* in Trattenimenti eruditi Parte IV. pag. 76. ſqq. De bonis æque ac malis Angelis, illis, cæde & martyrum ſanguine gaudentibus, his de ejusmodi in Deum veritatemque animo & in præſentiſſimis periculis admirabili virtute lætantibus, accipi hæc poſſe Cl. *Elsnerus* pag. 88. exiſtimat. Malim tamen ad homines æque ac angelos *malos* referre, quemadmodum κόσμον ſenſu ſequiore & Scripturæ paſſim recepto, interpretor, qui κόσμος, ut totum in partes ejus præcipuas, *angelos* ſcilicet & *homines* malos ab Apoſtolo diſpeſcitur. De theatro loquitur Apoſtolus. In illud autem producebantur beſtiarii ludibrio futuri

turi aliis & voluptatem excitaturi. Conſentientes habeo Rev. *Zeltnerum* in notis ad Biblia Lutheri Germanica, & *Calovium* in Bibliis Illuſtratis.

Verſ. 10. Ἡμεῖς ἀσθενεῖς) de calamitatibus vocem interpretatur *Theophylactus* ad h. l. atque hoc ſenſu ubique in Apoſtoli ſcriptis, τὴν ἀσθένειαν adhiberi exiſtimat: ἀσθένειαν πανταχȣ̃ τὰς πειρασμȣ̀ς φησι. Confer *Suiceri* Theſaurum Tomo I. p. 547.

Verſ. 11. καὶ πεινῶμεν, καὶ διψῶμεν) Comparat hunc locum cum *Matth.* V. 5. 6. B. *Godofr. Olearius* in Obſſ. ad Evangelium Matthæi p. 161. & ex eo Cl. *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris Tomo I. p. 304. & in Bibliotheca Antiquaria Tom. I. p. 469.

καὶ κολαφιζόμεθα) Vide, quæ de hoc verbo in genere annotavimus in Volumine I. p. 387. Ad locum vero præſentem lege *Georg. Vechneri* commentationem de Palo Pauli p. 180. & doctiſſimi *Theod. Haſæi* diſſertat. in Bibliotheca Bremenſi Claſſe VI. p. 659. cui hoc κολαφίζεσθαι de flagellatione accipiendum videtur, ex eo, quod Apoſtolus τὸ γυμνητέυειν illi proxime jungat, nudos autem homines flagellis ſubjectos eſſe ex libro *Maccoth* conſtet, verbum denique κολαφίζειν per ſynecdochen de varii generis pœnis atque adflictionibus, cum dolore & ignominia conjunctis, uſurpetur. Sic enim *Suidas* ἐκολάφισαν per ἐβασάνισαν interpretatur. Malim equidem de verberibus cujuscunque generis verbum hoc intelligere, ſicut *Theophylactus* ad h. l. per τυπτόμεθα, *verberamur*, explicat. Nuditatem enim, quæ commemoratur, non alio conſilio, quam in extremæ indigentiæ argumentum afferri, vel ex verbis proxime antecedentibus πεινᾶν & διψᾶν apparet. Confer *Matth.* XXV. 35. ſqq.

Verſ. 12. λοιδορȣ́μενοι εὐλογȣ̃μεν, κ. τ. λ.) Antitheta huc cumulantur eleganter. Hujusmodi exempla ex profanis affert *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 693.

Verſ. 13. Βλασφημȣ́μενοι παρακαλȣ̃μεν) Vide *Suicerum* Theſauri Tomo I. p. 697. & II. p. 581. Τὸ παρακαλȣ̃μεν *Theophylactus* recte exponit per: πραοτέροις λόγοις καὶ μαλακτικοῖς ἀμειβόμεθα, *manſuetioribus & mollioribus verbis occurrimus*, addens, τȣ̃το γὰρ ἡ παράκλησις, ἡ πραΰνȣσα διάλεξις, *obſecratio enim eſt ſermo manſvefaciens.* Ita 2. *Cor.* VIII. 4. μετὰ πολλῆς παρακλήσεως δεόμενοι ἡμῶν.

Verſ. 13. ὡς περικαθάρματα τȣ̃ κόσμȣ ἐγενήθημεν πάντων περίψημα ἕως ἄρτι) Ad hæc copioſe commentantur *Georg. David Ziegra* & *Chriſtoph. Georg. Mayer* in duabus diſſertationibus ſingularibus, quæ in Theſauro Theologico Philolog. N. T. fol. 510. & 512. recuſæ exſtant, B. *Philip. Olearius* in Diſſert. de καθάρμασι Gentilium Lipſ. 1707. *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitat. Biblicis N. T. Parte II. f. 117. *Dilberrus* in Electis lib. II. c. 15. (quæ recuſa ſunt in Faſciculo VIII. Opuſculorum Philologicorum Crenii) *Jo. Lomeierus* de Luſtrationibus p. 275. *Jo. Dougtæus* in Analectis ſacris N. T. p. 109. *Jo. Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus, p. 1454. *Car. le Cene* in Specimine novæ verſionis Gallicæ p. 607. *Lamb. Bos* in Exercitationibus p. 125. *Chriſtoph. Henr.* *Rit-*

Ritmeierus in Apoſpaſmate Philologematum Sacrorum pag. 9. *Theophilus Amelius* Parte II. der Erörterung p. 505. ſqq. & *Jo. Stephanus Menochius*, SS. in Tractatibus Eruditis, italice editis Parte I. pag. 339. ſqq. Ex his placebunt, puto, inprimis ea, quæ *Boſius* l. c. erudite obſervavit, a nobis hic non repetenda. Pro περικαθάρματα unus alterve Codex, teſte *Millio*, legit καθάρματα particula ſcilicet περὶ ad ὥσπερ vel ὡσπερεὶ relata. Hinc *Boſius* l. c. pag. 131. Non *male quidem*, inquit, *legunt pro* ὡς περικαθάρματα, ὥσπερ καθάρματα *parva mutatione. Si quis vero retinere velit vulgatam lectionem, denotabit hic compoſitum* περικάθαρμα *idem, quod ſimplex* κάθαρμα *apud profanos Scriptores. Eſt etiam* τὸ περικάθαρμα *apud LXX. Interpretes Proverb. XXI.* 18. Atque ex hoc Proverbiorum loco γνησιότητα vocis περικάθαρμα adſtruxit quoque nuper Cl. *Richardus Mede* in Diſſertat. de Peſte, de qua lege *Memorias Literarias Angliæ* Tom. XII. pag. 536. ſqq. ubi idem de more homines pro aliis devovendi exponit. Voce περικάθαρμα, quamvis alio ſenſu, utitur *Epictetus* apud Arrianum lib. III. cap. 22. Ὁμήρῳ πλείονα τῇ κοινωνίᾳ συνεβάλετο Πρίαμος ὁ πεντήκοντα γεννήσας περικαθάρματα. Habet & *Heſychius* τὸ περικάθαρμα, ſed ſine explicatione, quam puto excidiſſe. *Henr. Stephanus* in Theſauro Græc. Linguæ Tom. II. pag. 3. τὸ κάθαρμα fere præfert alteri illi cum *Budæo*, atque ita ſe in veteri quodam exemplari legiſſe teſtatur, communem lectionem ὡς περικαθάρματα ex ὡσπερεὶ καθάρματα natam eſſe ſuſpicatus. *Retinendo autem*, ita pergit, περικαθάρματα *præpoſitio pondus addet, quaſi quis dicat (ut annotat Beza) ſordes undique everrendo collectas, i. e.* ἀποσαρώματα, *ut Scholiaſtes Græcus exponit.*

De voce περίψημα lege ſpeciatim *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 579-584. Sumitur illa pro quisquiliis & re nullius momenti, quæ inter viliores numerari debeat, tum vero de hominibus piacularibus. Hinc Heſychius: περίψημα, περικατάμαγμα, ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα. Scilicet quia res viles & rejectaneæ luſtrales erant & piaculares, hinc eſt, quod περίψημα ſumatur pro ἀντιψύχῳ, & pro eo, qui pro aliis alicui ſe exponit periculo. *Valeſius* ad Euſebium lib. VII. cap. 22. ſuſpicatur, Chriſtianos a Gentilibus vulgo vocatos eſſe πάντων περίψημα i. e. *purgamenta ſæculi.* At *le Moyne* l. c. pag. 584. ſqq. phraſin hanc repetere mavult a Judæis, qui mortem ſuam כפרת ſive *expiationem* vocabant, quique ſe pro aliis libenter כפרת offerre velle ſignificabant, adeo ut dicerent: אני כפרתך ego expiatio tua, purgamentum & περίψημα. *Niſi dicamus*, ita pergit idem, *primos iſtos Chriſtianos humilitate quadam ita ſe demiſiſſe, ut rebus vilioribus ſe comparari non fuerint dedignati, &* περιψήματα, *retrimenta ſordesque removendas & calcandas ſe repræſentare, præ dignitate eorum, quibuſcum conſueſcebant, & quos alloquebantur.* Pro piaculi ſignificatione ſtat Interpres *Syrus*, qui vertit per כפרא piaculum. Confer freywilliges Hebe-Opfer Tomo III. pag. 582. ubi commode quoque affertur locus *Tob.* V. 18. Ibi enim Hanna de abitu filii ſui, argentum a Gabele repetituri, conquerens ad maritum ait: ἀργύριον περίψημα τοῦ παιδίου

γενοι-

γένοιτο, *argentum fiat quaſi piaculum filii noſtri*, i. e. argentum neglectum oportuiſſet, modo ut filius noſter maneret ſalvus tutusque. Confer in eandem ſententiam *Olearium* in Diſputatione citata pag. 3. (qui eadem opera contra *Iſaac. Voſſium* in Notis ad Catullum p. 98. de ſpongia obſcœnis uſibus deſtinata, cogitantem recte diſputat) & *Boſium* pag. 133. ita παραφράζοντα: *Adeo contemnimur & deſpectui babemur a gentibus, adeo deteſtabiles ipſis ſumus, adeo ſcelerati videmur, ut digni babeamur, qui pro piaculis offeramur: nibilo ſecius nos deteſtantur, ac illos, qui diris exſecrationibus onerati adbiberi conſueverunt, ut remedia, ad incommoda a civitate arcenda, qui pro ſalute publica offeruntur, ac neci dantur.* Hoc unum addam, *Pollucem* in Onomaſtico V. 162. κάθαρμα & περίτριμμα conjungere.

Verſ. 14. Ουκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα) Τὸ ἐντρέπων plerique Interpretes reddiderunt per *rubore ſuffundens*, aut ſimilem phraſin. At *Jo. Creygbtonus* loco mox citando *ſeveriorem* tantum & *violentiorem* adhortationem hic innui exiſtimat, cui opponatur ſtatim τὸ νȣθετεῖν, quod admonitionem placidam & ſuavem inferat. Ad hanc notionem verbo vindicandam affert *Æliani* Varias Hiſtorias III. 17. ubi de legatis, Romano Senatui aliquid perſuaſuris, dicitur: ἐνέτρεψαν ἐις τοσȣ̃τον. Hoc eruditiſſimus *Perizonius* ita reddidit; *qui in tantam negandi verecundiam ſenatum adegerunt*; Creyghtono viciſſim ſtatuente, ſolum *adigendi* verbum ad phraſeos vim exprimendam ſufficere. Præſtat meo judicio in *pudefaciendi* ſignificatu hic perſiſtere, quam inprimis ſuadet ironica Pauli allocutio v. 8. quæ ceteris juncta omnino ad ſuffundendos rubore Corinthios ſpectat.

Ἀλλ' ὡς τέκνα μȣ ἀγαπητὰ νȣθετῶ) de compellatione hac lege ex Patribus differentem *Svicerum* Tomo II. p. 1253.

Verſ. 15. Ἐὰν γὰρ μυρίȣς παιδαγωγȣ̀ς ἔχητε ἐν Χριςῷ) Per hyberbolen hic decies mille pædagogos commemorari poſt alios ſtatuit B. *Glaſſius* pag. 1943. Philolog. Sacræ, repugnante Celeb. *Val. Erneſto Læſchero* in Stromatibus pag. 38. cui conditio videtur eſſe medicinalis & διδακτική. *Multitudine enim*, inquit, *pædagogorum Corinthii delectabantur, neque ſat multos obtinere poterant. Igitur ex ipſorum affectu non ex hyperbolico ſtilo Paulus bæc ſcribit.* Μυρίȣς alias quoque pro *multis* dici patet ex Heſiodi Ἔργοις v. 100. & 252. Confer Bibliothecam Lubecenſ. Vol. VII. pag. 456. & Cl. *Jo. Alberti* Obſervatt. Sacr. p. 352. ad 1. *Corintb.* XIV. 19. Per παιδαγωγȣ̀ς hic reſpici ad doctores, quibus olim obnoxii fuerint Judæi, ut infantes tenelli, exiſtimat *Amelius* Parte I. **der Erörterung** pag. 319. ſqq. parum, ut videtur, veriſimiliter. Loquitur enim hic ad Corinthios, tum ex Judæis, tum ex Gentilibus converſos, quatenus jam ad Chriſtum perducti erant. Hinc doctores illos παιδαγωγȣ̀ς appellat, non ἐις Χριςὸν, ut *Galat.* III. 24. ſed ἐν Χριςῷ. Atque illi ipſi ut παῖδες doctoribus adhuc indigebant, tanquam, ſaltem ex parte, νήπιοι ἐν Χριςῷ 1. *Corintb.* III. 1. Talibus vero Evangelii doctoribus, ut pædagogis, ſe hic opponit Paulus, ut Patrem, ideo, quod primus exſtiterit, cujus opera ex præconio Evangelii, tanquam

quam ſemine regenerati ſint: eadem vero opera ſubinnuit, dignum ſe eſſe, cujus doctrinam in animum ſibi revocent, cujusque veſtigiis, a novitatibus alieni, præ ceteris inſiſtant.

Ἀλλ' ȣ̓ πολλȣ̀ς πατέρας) Alias quoque Judæorum doctores Patrum (אבורת) nomine appellari ſolebant. Hinc פרקי אבורת *Capitula Patrum* vocatur collectio ſententiarum & monitorum, a doctoribus antiquioribus profectorum. Confer *Cartwrightum* Tom. VII. Critic. Anglican. pag. 810. & *Molinæum* de Vate lib. I. c. 18. Ad totum hoc comma lege *Joh. Creyghtoni* Prolegomena ad Salom. van Till commentarium Belgicum in hanc epiſtolam, Harlemi 1728. edita p. 111. ſqq. ubi inprimis differentiam, quæ ſit inter *pædagogos* & *Patres* in Chriſto, diligenter evolvit, oſtendens, Paulum per illos intelligere doctores, legem præ Evangelio urgentes, atque adeo moroſiores & acerbiores, per hos autem tales, qui Evangelice & manſuete animos ad Chriſtum perducant, & in eo conſervent.

Verſ. 16. Μιμηταί μȣ γίνεσθε) Eadem phraſi utitur *Polybius* p. 176.

Verſ. 17. Ὃς ὑμᾶς ἀναμνήσει τὰς ὁδȣ́ς μȣ ἐν Χριςῷ) Τὰς ὁδȣ̀ς Paulus 2. Tim. III. 10. ἀγωγὴν i. e. *vivendi rationem* vocat. Quo legi velim *Svicerum* Tom. I. pag. 72. Auctores Græcos eadem loquendi ratione uti oſtendit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 91. & *Gatakerus* cap. 32. *M. Antoninus* ὁδὸν de vitæ inſtituto frequenter adhibet. Vide lib. I. 9. & V. 24. *Hierocles* ad Aurea carmina pag. 105. ὁδὸν βίȣ appellat.

Verſ. 19. Ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ) De formula hac lege *Conr. Rittershuſii* Lectiones Sacras p. 5.

Καὶ γνώσομαι ȣ̓ τὸν λόγον τῶν πεφυσιωμένων) Vide *Vitringæ* Obſervationes Sacras lib. III. p. 316.

Verſ. 20. Οὐ γὰρ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τȣ̃ Θεȣ̃) Compara Vener. *Val. Erneſti Læſcheri* Decimas Evangelicas Decade I. p. 482.

Verſ. 21. Τί θέλετε; ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐν ἀγάπῃ, πνεύματί τε πρᾳότητος;) Τὸ ἐν non ſolum more Hebræorum, ſed & ex Græcorum uſu hic abundare exiſtimat *Hombergius* in Parergis p. 246. Malim equidem dicere, τὸ ἐν hoc loco poni pro μετὰ, quia ex genio linguæ omnino præpoſitione aliqua ad ſententiam recte exprimendam opus eſt. Sic *Lucianus:* ἐν βέλει πληγείς. Per *virgam* quid intelligatur, non in confeſſo eſt apud omnes. *Chryſoſtomus & Theophylactus* per κόλασιν & τιμωρίαν, *pœnam* & *caſtigationem*, exprimunt. *Theodoretus* vero per παιδευτικὴν ἐνέργειαν. Compara *Svicerum* Tomo II. pag. 898. *Campeg. Vitringa* in Archiſynagogo pag. 390. *Non dubito ſane*, inquit, *quin reſpiciat ad flagellandi caſtigandique morem, in Synagoga uſurpatum, licet Apoſtolus quodcunque pœnæ Apoſtolicæ exercitium per eam forte intelligat, quod tamen nullus faciles determinet.* Alii *virgam* hanc idem innuere volunt, quod *traditionem Satanæ* 1. *Corinth.* V. 5. 1. *Timoth.* I. v. ult. Eam vero iidem de excluſione a cœtu Eccleſiaſtico & immiſſione morborum interpretantur, nominatim ex Reformatis *Molinæus* & *Scultetus* in Obſervatt. ad 1. *Timoth.* I. 20.

 & ex

& ex noſtratibus *Amelius* Parte I. p. 20. Sed contra hos lege *Saldeni* Otia Theologica pag. 454. ſqq. qui pag. 455. hæc habet: *Paulus* τὸ venire in *vel* cum virga, τῷ venire in *vel* cum charitate & ſpiritu lenitatis *opponit; at quis lenitatem ibi innuere eum dicet, in Corinthiorum corpora exercendam? & , ſi talem non innuat, quis non videt, eum per virgam ejusque uſum non etiam corporale quippiam, ſed acriorem tantum in animis eorum cenſuram indicatam velle?* Idem pag. 456. ſpeciatim oſtendit, virgam hanc cum traditione Satanæ nihil commune habere. Paulus procul dubio ad *pædagogos* & *Patres*, paulo ante commemoratos, reſpicit, quorum illi cum ſeveriore, hi mitiore diſciplina utantur, ipſe contumacioribus & pertinacioribus objurgationes graviores & legales minatur, pro quibus viciſſim, ſi corrigantur, lenem placidumque animum ſperare jubet.

CAPUT V.

Verſ. 1. Ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία) *Daniel Heinſius* in Exercitatt. Sacris ad h. l. p. 378. particulam ὅλως idem hic eſſe, quod *paſſim*, vel *ubique* Hebraice בכל מקום, ſuſpicatum ſe aliquando teſtatur: ea vero conjectura miſſa, τὸ ὅλως ad πορνείαν referre mavult, ac ſi Apoſtolus ſcripſiſſet: Ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία μὲν οὐ μόνον ὅλως οὕτω λεγομένη, ἀλλὰ καὶ τοιαύτη, ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὀνομάζεται. *Non ſolum ſcortatio quælibet, aut, generaliter ſic dicta, inter vos auditur, ſed & talis, a qua gentes quoque abhorrent.* Sed recte quidem magno *Salmaſio* iſta a ſcopo Pauli aliena viſa ſunt libro de Fœnore Trapezitico p. 161. ita judicanti: *Quod quid ſit, ſane neſcio. Non enim omnem in genere* πορνείαν *apud eos audiri queritur, ſed hanc ſolum, cui nec ſimilis inter gentes audiatur.* Ὅλως *hic idem quod* ἄρα, *ut etiam exponit* Heſychius. *Et bene per* omnino *redditur.* Quod poſtremum ut rectiſſime obſervatur, ita in priori humani aliquid paſſus videtur vir ſummus, quando ad vindicandam voci τοῦ ἄρα notionem Heſychium adducit. Is enim ita: ὅλως παντελῶς ἢ ἄρα ὁμοῦ. Ibi non τὸ ἄρα ſed τὸ ὁμοῦ expoſitionem vocis ὅλως exhibere mihi videtur. Ceterum τὸ ὅλως hic *confirmandi* vim habere, quam Latini per *omnino* exprimunt, recte monuit Cl. *Elsnerus* p. 89. adductis in fidem locis cap. VI. 7. hujus epiſtolæ: ὅλως ἥττημα ἐν ὑμῖν ἐστι *Matth.* V. 24. & *Hieroclis* in aurea Carmina p. 114.

Πορνείας nomen hic latius patere, ut ad omnem illicitæ veneris uſum referri poſſit, eruditis pridem eſt obſervatum, non ſine allatis veterum exemplis. Vide inprimis *Seldenum* de Uxore Hebræa lib. III. cap. 23. pag. 491. ſqq. qui proinde pag. 493. ita hæc Pauli verba reddi vult: *Omnino auditur inter vos flagitium, crimen, deviantis animi turpitudo, & talis turpitudo, ſeu* ἀσχημοσύνη (nam & hoc nomine veniebant in Judæorum Helleniſmo Levit. XVIII. &c. & omnimodus inceſtus & turpitudinis genera reliqua) *qualis nec inter gentes.* Adde eundem de Jure Nat. & Gent. lib. VII. c. 12. p. 890. ſqq.

ἥτις

ἥτις ὀυδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὀνομάζεται) Codices multi, verſiones item & Patres verbum ultimum hujus ſententiæ non habent. In Latinis nullis idem exſtare teſtis eſt *Eſtius*, qui ideo a Græco quodam adſcriptum eſſe ſuſpicatur; ſive explendæ ſententiæ, ſive ex occaſione ſimilis loci, *Epheſ.* V. 3. Propterea nec *Salmaſio* l. c. placet, ideo, quod in optimis & vetuſtiſſimis codicibus deſideretur: nec *Millio* in Prolegomenis §. 791. cui ad abſolvendam ſententiam additum videtur. Hinc & Anonymus editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Lond. 1729. 8. prorſus omiſit. Lege notas ejus p. 640. At non video, cur loco movere velimus vocem Paulo alias receptam, ubi itidem per ſenſum abeſſe poterat. Sic infra v. 11. ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος. Locus *Epheſ.* V. 3. γνησιότητα verbi h. l. adſtruit potius, quam evertit. Ibi enim de ſimili argumento adhibetur: πορνεία δὲ καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία ἢ πλεονεξία μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν. Confer *Rom.* XV. 20. Videtur etiam ratio reddi poſſe, cur τὸ ὀνομάζεται in nonnullis exemplaribus ſit omiſſum. Fortaſſe enim nimium aliquid videbatur dixiſſe Apoſtolus, qui hoc inceſtus genus inter Gentiles ne ſermone quidem notum eſſe ſcripſiſſet. Sed non erat, a quo ſibi iſti metuerent, modo meminiſſent, hyperbolen aliquam hic commode admitti poſſe, quæ nec Apoſtolo, nec aliis Scriptoribus inſveta eſt. Vel ſi minus id placeat, *Jac. Cappello* p. 64. ad h. l. alias probatum, τὸ ὀνομάζεσθαι hic non nudam *mentionem*, ſed talem, quæ cum *laude & approbatione* conjuncta ſit, inferre exiſtimandum eſt. Poſterius hoc amplectitur *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, & noviſſime Cl. *Elsnerus* p. 90. qui hanc in cauſam conferri vult, *Rom.* XV. 20. 2. *Tim.* II. 19. *Epheſ.* I. 21. & V. 3. item τοὺς LXX. *Joſ.* XXIII. 9. Mihi quidem prius placet. Neque enim adhuc ullum vidi locum, in quo τὸ ὀνομάζεσθαι *commemorationem cum laude* conjunctam per ſe inferat. Imo locus Paulinus *Epheſ.* V. 3. adverſatur potius illi notioni, tantum abeſt, ut ſuppetias ferat. Πορνεία δὲ καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία ἢ πλεονεξία μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν. Nonne hic dilutus evaderet ſenſus, ſi Paulum monere crederes, ſcortationem impuritatem omnem aut avaritiam ne cum laude quidem commemorandam eſſe? Imo vero τὸ μηδὲ per ſe innuit, *ne mentionem quidem* horum vitiorum inter Chriſtianos fieri debere. Nec obſtat, quod ὀνομαστὸς & ὠνομασμένος celebritatem nominis crebro inferant. Uſus enim vocibus derivatis id paſſim vendicat, quod in primitivis non invenias. Cave autem hyperbolen hic nimiam, aut *parum pudentem*, cum Eraſmo fingas. Multo enim de ea diminuitur, ſi recogites, Paulum hic inprimis de Romanis & Græcis gentibus, ea ætate præ ceteris celebratis, loqui. Illis enim tunc temporis hoc criminis genus inviſum erat & fere inauditum. Accipe illuſtrem Ciceronis locum, in eadem cauſa ſimili omnino phraſi uſi in oratione pro Cluentio §. 5. *Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis omnibus omnium. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum!* Vide Orationes Græviánas Tom. I. Parte I. p. 99. Interim nemo ſibi perſuaſerit, vel *Paulo* vel *Ciceroni* ignota fuiſſe, quæ inter Gentiles, tum Orientales, tum Græcos hujusmodi inceſtus exempla exſtiterunt. Horum nonnulla ex anti-

tiquitatis memoria repetierunt *Alex. ab Alexandro* Dierum Genial. lib. I. c. 24. *Alex. Sardus* de moribus gentium lib. I. c. 2. *Jo. Henr. Urſinus* Tom. II. Analectorum Sacrorum p. 55. ſqq. *Jo. Albertus Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 597. ſqq. *Jo. Henr. Majus*, filius, in Obſervationibus Sacris lib. I. p. 140. (vel repetitæ editionis p. 184.) & *Jac. Elsnerus* p. 90. De *Chaldæis*, ante Abrahamum hujus flagitii reis, lege *Photii* ep. 205. cum notis Montacutii & *Jo. Spencerum* de legibus ritualibus Hebræorum lib. I. p. 46. De *Græcis* Interpretes ad Diogenem Laërtium lib. I. §. 95. & VII. 33. item ad Sextum Empiricum Pyrrhon. Hypoth. III. 24. 25. De *Perſis* Interpretes ad Laërtium IX. 23. *Arabas* cum matribus & ſororibus pecudum ritu conſueviſſe teſtis eſt *Mich. Villanovanus* (i. e. Servetus) ad VI. tabulam Aſiæ in Geographia Ptolomæi. Eum vero falli contendit *Abrahamus Echellenſis* in Hiſtoria Arabum cap. V. p. 169. Exempla hujusmodi Paulo ex gentibus ignota fuiſſe, hæc phraſis ejus non evincit, utpote qua, ceu monitum eſt, id ſibi volebat, ejusmodi inceſtuum genera illius ætatis Gentilibus ignorata & improbata fuiſſe. Id certe Græci variis inſtitutis ſuis comprobant, quæ hic advocat Cl. *Elsnerus* p. 91. Ex *Romanis* recordare loci Ciceroniani modo allati.

ὥϛε γυναῖκά τινα τȣ̃ πατρὸς ἔχειν) Verbum ἔχειν Græci de re venerea adhibent. Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. II. c. 20. & *Keuchenium* ad Joh. III. 29. Per γυναῖκα hic *novercam* ſignificari vel inde patet, quia alioquin Apoſtolus μητέρα ſive *matrem* ſimpliciter appellaturus fuiſſet. Mirum hic nonnullis viſum eſt, qui fieri potuerit, ut vel proſelytus aliquis tantum facinus inter Chriſtianos auderet, vel integer cœtus negligenter & ſecure impunitum hominem dimitteret, itaque colorem quendam & ſpeciem prætextam fuiſſe ſuſpicantur. Speciatim *Jac. Triglandius* in Diatriba de Karæis p. 140. ſqq. obſervat ex *Bartenora* ad Jevammoth. XI. 2. & *Maimonide* in Hilcoth אסורי ביאה c. XIV. 11. Judæos proſelytis ſuis in rebus conjugii liberius agere permiſiſſe. *Cuthæus*, inquit, *Maimonides, ex quo factus eſt proſelytus, & ſervus, poſtquam eſt manumiſſus, ecce cenſetur, tanquam infans natus, omnisque carnis propinquitas, quæ illi fuit, cum adhuc Gentiles eſſet, vel ſervus, jam non amplius propinquitas putatur.* Et ibidem: *Propterea ducere poteſt proſelytus uxorem ſui fratris paterni, vel uxorem patrui, quin & uxorem Patris, & uxorem filii: etiamſi ducta ſit fratri, Patri, aut patruo, modo ad Judaicam religionem tranſierint.* Triglandii itaque judicio homo ille *Chriſtianiſmi proſelytus factus, ſe hac recepta Proſelytorum conditione citra noxam uti poſſe, quæ inter Judæos, quorum ingens Corinthi copia, obtinebat; quo magis eandem legem Moſis Chriſtiani cum Hebræis habebant communem. Cum itaque* (ita pergit) *noverca privignum & juniorem ſpe lucri & blanditiis, in ea mollitie morum & civitatis, forte pelliceret ad nuptias, ille facilius, ut arbitror, hoc prætextu & defenſione uſurus, conſenſit.* Conjecturam hanc probat *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 178. Neque tamen deſunt, quæ illi adverſantur. Crediderim enim, Apoſtolum hunc

vel

vel alium ſimilem colorem, ſi quem homo inceſtuoſus facinori ſuo, obduxiſſet, oppoſitis argumentis diluturum fuiſſe. Hoc vero quando non fecit, veri ſit ſimilius, hominem hunc nec habuiſſe aliquid, quo ſe excuſaret, nec flagitium ipſum excuſare voluiſſe, ſed pertinaciter & proterve genio ſuo indulgere ſtatuiſſe. Atque hinc factum puto, ut Paulus tam ſevere in eum animadverteret. Non plus tribuendum puto conjecturæ *Jo. Lockii* ad h. l. Is enim, ut totam hanc epiſtolam uni falſo doctori potiſſimum putat oppoſitam; ita illius aſſeclas credit effeciſſe, ut homo flagitioſus facinus hoc impune ferret, inprimis cum fortaſſe rem omnem ad Magiſtratum Gentilium detulerint, ibique immunitatem a pœna vel quæſiverint, vel impetrarint.

Verſ. 2. Καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐςὲ) *Latini Interpretes, ut notat Eſtius, in genere putant reprehendi Corinthiorum ſuperbiam, gloriationesque, de quibus capite præcedente IV. 6. 18. 19. Græci putant de ipſo inceſtuoſo gloriatos, ut qui fuerit homo ſapientia & auctoritate præcellens. Mihi veriſimilius, de novo iſto paternæ benevolentiæ & indulgentiæ exemplo gloriatos: quia* 1) *Apoſtolus* 2. Cor. *VII.* 12. *ſe Patris, injuriam paſſi, nullam habuiſſe rationem indicat. Volenti enim non fit injuria.* 2) *quia ſic Seleucus, advocato in concionem exercitu, publice filio novercam tradens & deſponſans, enumeratis rebus geſtis, hunc in filium amorem omnibus præferri voluit: denique* 3) *Græcorum levitati & ſtultitiæ hoc convenit, qui ſua tantum mirati ſunt.* Ita B. *Jo. Henr. Vrſinus* in Analectis Sacris Tom. II. 56. Eadem olim *Lightfooti* fuit ſententia in notis ad h. l. De ea vero adhuc deliberandum eſſe *Triglandius* l.c. prudenter monet p. 142. *Si vivens Pater*, inquit, *erat etiam factus Chriſtianæ fidei proſelytus, vel non erat? Si quoque Chriſtianus, quæ ſolvendi conjugii occaſio? Quæ licentia? Si manſit Ethnicus, ut credibile eſt, unde tanta illi cum Paulo neceſſitudo, tam magna ejus habita ratio, ut propter injuriam, qua affectus erat Gentilis, ignotus, & de qua rumore tantum Paulus inaudierat* 1. *Cor. V.* 1. *unice crederetur epiſtolam ad Corinthios exaraſſe? Illud* 2. *Cor. VII.* 12. *commodius forte alii alio, & ad ipſum Paulum retulerunt, præcipue, ſi verſum* 2. *& temporum hiſtoriam conferas, quod nunc non agitur.* Quid ſi igitur potius ſtatuamus, Corinthiorum quorundam gloriationem, h. l. caſtigatam, eo conſtitiſſe, quod vel ſic felicem Eccleſiæ ſuæ ſtatum prædicarint, minimeque omnium ſibi metuerint, ne hujus flagitii exemplo offenſi alii in ejuſdem aut ſimilium ſcelerum ſocietatem pellicerentur. Id ſane velle videtur Paulus v. 6. ubi τὸ καύχημα Corinthiorum commemorans, quod ſcilicet vel ſic Eccleſiæ ſuæ bene eſſet, ſtatim ſubjungit: ἐκ οἴδατε, ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ; De phraſi Paulina lege Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 464.

καὶ ἐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε) Subtilius hic agunt, qui cum *Grotio* τὸ πενθεῖν idem per metonymiam eſſe volunt, quod *excommunicare*, quia ſcilicet Eccleſia, a cœtu ſuo aliquem procul factura, lugentium habitum ſumere conſueverit. *Triſtitiam* hic ſimpliciter innui, ex flagitio hoc merito concipiendam,

apparet ex 2. *Cor.* VII. 8. ſqq. ubi Paulus laudat Corinthios, quod poſt lectas literas ſuas dolorem animi ſenſerint. Itaque *Vitringam* probo, qui lib. III. Parte I. cap. 10. p. 757. de vetere Synagoga ita hæc παραφράζει : *quod luctum ſuum ob ſcandalum datum per ἐπιτιμίαν*, admonitionem & increpationem *neceſſariam eatenus non demonſtraverint fratri peccanti, ut ſe ſeparaverint ab illius communione, & ipſe viciſſim a communione Eccleſiæ depulſus fuerit eorum luctu & increpatione.* Scilicet triſtitia & dolore vehementi ſuper facto hoc adduci debebant Corinthii, ut illius auctorem ferre non poſſent.

ἵνα ἐξαρϑῇ ἐκ μέσȣ ὑμῶν) Codices quidam hic legunt verbum ſimplex ἀρϑῇ pro compoſito. Hinc *Millio* judice in Prolegomenis §. 791. τὸ ἐξαρϑῇ in hujus locum ſuffecit quiſpiam ex verſu ultimo hujus capitis, tanquam paulo plenius. Non video, cur non utrinque eadem ratione ſcripſiſſe Apoſtolus credi debeat. Veriſimilius certe eſt, eos, qui pro ἐξαρϑῇ exhibent ἀρϑῇ, τὸ ἐξ ob proxime ſequens ἐκ, tanquam ſuperfluum, abjeciſſe, quam alios illud ob exemplum commatis ultimi, cum non adeſſet, intruſiſſe. Accedit, verbum idem compoſitum Græcis receptum eſſe, ubi de removendis ab exercitu ignavis militibus ſermo eſt. Ita *Xenophon* Cyropæd. lib. II. p. 40. ἐξαιρετέοι οἱ τοιȣ̃τοι ἡμῖν εἰσι. *homines ejusmodi nobis exauctorandi ſunt.* Ceterum Paulum hic non loqui de ſublatione hominis de mundo per mortem, ſed de remotione ex communione Eccleſiaſtica patet ex addita phraſi: ἐκ μέσȣ ὑμῶν i.e. *e cœtu veſtro.*

Verſ. 4. συναχϑέντων ὑμῶν καὶ τȣ̃ ἐμȣ̃ πνεύματος) Nuperus auctor Prolegomenorum ad novam N. T. Græci editionem curandam Amſtelod. 1730. 4. vulgatorum p. 172. monet, *Jac. Fabrum*, Stapulenſem, hic pro συναχϑέντων legere συναχϑόντων. Quod cum non ſatis caperem, evolvi Fabri commentarios in epiſtolas Paulinas, & ad noſtrum locum hæc ab illo annotata legi: Congregatis vobis: *Sic probe ſtat a verbo συνάγομαι, quod congregor &* convocor *ſignificat, ut amicus noſter Eraſmus diligenter annotavit, & in hac parte libens ejus ſubſcribo judicio, oſtendente Paulo, hanc tam ſeveram ſententiam non ab ſe ſolo profectam, ſed a communi eccleſiæ conſenſu. Paulus:* ἐν τῷ ὀνόματι τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, συναχϑέντων ὑμῶν καὶ τȣ̃ ἐμȣ̃ πνεύματος. *Verbum enim ἄχϑομαι* triſtor *ſignificat: cujus compoſitum συνάχϑομαι.* Hinc etiam in verſione ſua expreſſit: *condolentibus vobis & ſpiritu meo.* Ex his apparet, Fabrum in lectione ipſa nihil mutaſſe, ſed aliam verbo, non ex συνάγομαι, ſed συνάχϑομαι derivato, ſignificationem tribuiſſe. Taceo, formam συναχϑόντων nihili eſſe, nec rationibus Grammaticis reſpondere. Si quid mutandum voluiſſet Faber, ſcripſiſſet συναχϑομένων. Jam quod ad mutatam vocis συναχϑέντων originem & notionem attinet, falſus omnino fuit *Faber*, Vir cetera ſuæ ætatis eruditiſſimus & cordatus. Congregationis enim ſignificatus omnino hic tenendus eſt. Nam commate 3. ſe ἀπόντα τῷ σώματι, παρόντα δὲ τῷ πνεύματι *abſentem corpore, præſentem vero ſpiritu* dixerat. Itaque commate quarto congregari vult Corinthios in cœtum unum, cui ipſe ſpiritu ſuo ſeu mente ſit interfuturus.

Σὺν τῇ δυνάμει τȣ̃ Κυρίȣ) *per poteſtatem Domini*, cujus ſcilicet erat omnis illa vis hominem hunc Satanæ tradendi. Lege *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 464.

Verſ. 5. Παραδȣ̃ναι τὸν τοιȣ̃τον τῷ Σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός) De iſta traditione Satanæ lege ex noſtratibus *Zimmermannum* ad dictum Tertulliani: *Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani*, pag. 369. & *Ittigium* in Selectis Capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Sec. I. p. 251. ex Reformatis autem *Jo. Owenum* in Otiis Theologicis p.457. ſqq. *Witſium* in Meletematibus Leidenſibus p.129. ſq. *Vitringam* de vetere Synagoga l.c. p.757. *Bochartum* Tomo II. Operum p.1023. *Sam. Basnage* in Annalibus Politico Eccleſiaſt. Tomo II. Diſſ. I. fol. 474. & *Jo. Marckium* in Sylloge Diſſertationum ſuper loca quædam V. & N. T. Roterodami 1721. 4. edita, Exercitat. XIX. quæ antea ſeorſim lucem viderat Lugd. Bat. 1719. Patrum ſententias profert *Svicerus* Tom.II. p. 940. & *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tomo IV. de Eccleſiaſtica Hierarchia lib. III. c. XI. §.7. p.108. Plerique veterum & recentiorum quoque, inprimis noſtratium Interpretum, traditionem illam ab excommunicatione non diſtingunt, quippe quæ per ſe hominem in Satanæ poteſtatem præcipitem dederit. Atque hanc ſententiam contra *Lightfootum* ad h.l. adſtruit *Owenus* l.c. & *Marckius* contra *Pet. Molinæum* de Vate lib. I. cap. 11. ac *Lightfootum*, in Exercitatione modo laudata, ubi ſeptem omnino argumentis eosdem aggreditur, & totidem eorum rationes refutat, qui ſingularem poteſtatem Apoſtolicam hic innui cenſent, qua effecerint, ut Satanas hominem hunc morbis plagisque corporeis adflixerit. In horum claſſem referendi præter dictos ſunt *Seldenus* de Synedriis Hebræorum lib.I. c.8. p.149. *Vitringa*, *Bochartus* & *Sam. Basnage* ll. cc. cui poſtremo vide quæ oppoſuit doctiſſimus *C.M.Pfaffius* in Originibus Juris Eccleſiaſt. p.72. ſqq. ubi & de phraſi ipſa, *tradere aliquem Satanæ* tanquam in formulis excommunicandi Judæis recepta, commentatur. Agmen illorum augent ex noſtratibus nonnulli, a B. *Calovio*, ipſo tamen diſſentiente, in Bibliis Illuſtratis ad h. l. appellati. Mihi quidem, fateor, *Bocharti* placet judicium, ita conformatum: *Ego certe nullus dubito, quin in hoc ipſo capite inceſtuoſus jubeatur excommunicari, tum dicit Paulus* v.13. Auferte de medio veſtri hunc hominem; *at cum loquitur de tradendo eo Satanæ, non puto agi de Excommunicatione, ſed tantum de miraculoſa illa pœnæ corporalis inflictione. Neque enim video, quomodo eadem verba poſſint res tam diverſas ſignificare: & plerique ſane Neotericorum pertendunt, hic agi de Excommunicatione; ſed nullum legi hactenus, qui crederet, utrumque ſenſum iis affingi poſſe.* Rationes ſententiæ ſuæ idem has affert. Si de excommunicatione agatur, traditionem hanc ad animam referri debere; ſic autem ſine contradictione dici non poſſe, quod ajat Apoſtolus, id fieri, *ut ſervetur Spiritus*, i. e. ipſa anima. Evangelium eſſe potentiam ad ſalutem, *Rom.* I. 16. itaque & miniſterium Apoſtolicum non tradere, ſed eripere animas Satanæ. Viciſſim Deum poteſtatem in corpus hominis Satanæ feciſſe, ex *Luc.* XIII. 11. apparere, ubi mulier συγκύπτȣσα a Satana dicatur vincta. Qui contrariam ſententiam

am tuentur, illi per ὄλεθρον σαρκὸς intelligunt carnales inceſtuoſi hominis affectus & concupiſcentiam. Hic vero nomen σαρκὸς aliter accipiendum *Bocharto* videtur, nempe pro ipſo corpore, quia caro *ſpiritui* opponitur; per ſpiritum autem non pars regenerata, ſed anima h. l. intelligitur, quoniam caro dicitur perdenda, ut ſervetur ſpiritus in die Domini. Itaque vi oppoſitionis *caro* eo ſenſu ſumi debet, qui poſſit opponi illi *ſenſui*, quo ſumitur *Spiritus*. Hoc poſito per carnem non pars corrupta, ſed corpus eſt intelligendum, ut conſtet ratio oppoſitionis, qualis nulla eſt inter animam & partem animæ non regeneratam. Addidero ego his, Apoſtolum *traditionem* illam in poteſtatem *Satanæ* ab excommunicatione diſerte ſatis diſtinguere. Excommunicationem enim ab ipſis fieri pridem debuiſſe monuerat v. 2. Ea igitur ut eo rectius & citius defungerentur, ipſe quidem pro ſe Zelum ſuum in hominem inceſtuoſum judicio hoc extraordinario, cujus effectus procul dubio ſtatim ſe exſeruit, ſevere teſtatum facit dicens: Ἐγὼ μὲν γὰρ, *quod ad me quidem attinet* &c. Hinc commate ultimo hujus capitis repetitur adhortatio ad remotionem hominis a cœtu Eccleſiaſtico. Compara B. *Hülſemannum* apud Sandhagenium in Decade II. Epiſtol. Theologic. p. 301. qui itidem τὸν ὄλεθρον σαρκὸς ab excommunicatione, tanquam *finem* a *cauſa* diſtinguit, & per eum internum conſcientiæ angorem, a Satana excitandum, intelligens conferri jubet 1. Tim. I. 20.

Quæ Judæus virulentiſſimus in *Chiſſuk Emuna* Parte II. cap. 83. ex h. l. objicit, ea diluit *Jac. Guſſetius* in Confutatione illius libri p. 435.

Verſ. 6. Οὐ καλὸν τὸ καύχημα ὑμῶν) Codices aliqui, tempore Auguſtini, maxime autem Latini, teſte ipſo lib. 3. contra Parmenionem cap. 2. particulam negandi non agnoverunt, atque hinc nec Apoſtolus eam ſcripſiſſe videtur *Millio* in Prolegomenis §. 455. qui cum eodem Auguſtino pro ironica habet exprobratione, qualis exſtet *Marci* VII. 9. *Rom.* XI. 20. & *Jac.* II. 19. Adſtipulatur illi editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, Londin. 1729. in notis p. 640. *Millius* τὸ οὐ repetit a lectore quodam, qui ex ſententia arguta & mordaci fecerit languidam, & ardori ſpiritus Paulini haud quaquam congruam. Vereor ego ſane, ne frigidior evadat Pauli oratio, ſi ironiam illi h. l. affricemus, quali uti non omnino conſueverunt, qui in vehemente animi affectione ſunt conſtituti. Ut taceam, ſcholia & verſiones in univerſum omnes negationem illam tueri, nec a *Millio* ullum Græcum codicem allatum eſſe, in quo deſideretur. Nec denique exiſtimandum cum eodem eſt, τὸ οὐ καλὸν ſimpliciter rem *non bonam* ſeu *non honeſtam* inferre, cum ex uſu Scriptorum hæc ſcribendi ratio etiam *peſſimam* ſignificare poſſit. Vide μειώσεως hujusmodi exempla Tomo I. harum Curarum p. 35. & 508.

Οὐκ οἴδατε, ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ;) Pro ζυμοῖ Codices alii legunt φθείρει, alii δηλεῖ, alii δολοῖ. Illos afferunt *Millius* ad h. l. & *Cotelerius* ad Monumenta Eccleſiæ Græc. Tom. II. pag. 584. Hinc *Salmaſius* de Transſubſtantiat. p. 528. *Vetuſtiſſima, inquit, exemplaria Græca habent* δηλεῖ *i. e.* corrumpit. *Atque ita egiſſe etiam videtur Vetus Interpres, qui vertit:* corrumpit.

pit. *Hic ſenſus magis convenit menti Pauli.* *Millius* viciſſim pugnat pro verbo δολοῖ tum ad h. l. tum in Prolegomenis §. 457. *Eſt enim*, inquit, δολοῦν corrumpere, depravare, *teſte Heſychio*, *qui & ipſe lectionem hanc amplexus videtur.* Δολεῖ (lege δολοῖ) φθείρει, κακουργεῖ. *In eundem ſenſum*, δολώσαντες τὸν οἶνον, *dixit Lucianus.* Addit idem, ab Apoſtolo hæreticos quosdam notari, tanquam δολοῦντας τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, nec dubitat, *Vulgatum* & reliquos Codices primorum temporum ita legiſſe; poſtea vero ζυμοῖ jam ante *Hieronymi* tempora repoſitum fuiſſe in locum veræ lectionis, ſive quod vocis δολοῖ hoc loco veram vim ignorarent, ſive etiam, quod non uſque adeo probarent, quod de fermento indefinite dicitur, illud totam maſſam corrumpere. Conjecturam hanc ſuam firmari poſſe exiſtimat auctoritate Codicis *San-Germanenſis*, qui ad *Galat.* V. 9. ubi eadem phraſis occurrit, ita legat: μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα δολοῖ ζυμοῖ. Ibi verbum prius pro genuino contextus, poſterius autem pro gloſſemate habendum eſſe opinatur. In eadem ſententia ſunt *Rich. Simon* in notis ad verſionem ſuam Gallicam, Rev. C. *M. Pfaffius* in Diſſertât. de variantibus lectionibus N. T. pag. 166. & noviſſime editor anonymus N. T. Græco-Anglicani Lond. 1729.

Communem lectionem viciſſim adſtruxit *Whitbius* in Examine pag. 62. his inter cetera verbis uſus: *Illum vero* (nempe *Michaelem Cerularium* in epiſtola ad Petrum Antiochenum) *verbum* ζυμοῖ *jure optimo alteri* (φθείρει) *antepoſuiſſe, exinde liquet, quod hæc ſit lectio ipſius Apoſtoli Gal.* V. 9. *atque hic & illic Orientales verſiones C. Alex. & Græca Scholia omnia retinent* τὸ ζυμοῖ, *ne ulla quidem alterius cujuscunque lectionis mentione facta; præterea hæc lectio innititur teſtimonio* Hieronymi, *quod plus valet, quam Latinorum, qui* φθείρει *potius quam* δολοῖ *interpretatur. Is enim non ſolum in verſione ſua utitur voce* fermentat, *Galat.* V. 9. ſed etiam addit: *male in noſtris Codicibus habetur* corrumpit, & ſenſum potius Interpres ſuum quam Apoſtoli verba tranſtulit. *Non leve firmamentum lectioni huic addit Buxtorfius, qui apud Hebræos de originali corruptione loquens vetus eſſe adagium ait:* fermentum in maſſa. *Sicut enim parum fermenti fermentat ingentem maſſam, eamque corrumpit; ita concupiſcentia mala totam corrumpit hominem. Florileg. Hebr. p.* 43. Lege huc plura ad v. 7. Nec ipſe ego dubito, genuinam hanc eſſe lectionem, inprimis cum Sanctiſſimus Salvator noſter eadem phraſi utatur *Luc.* XIII. 21. ὁμοία ἐστὶ ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον. Hinc itaque apparet, recte *Whitbium* formulam hanc pro adagio Hebraico habuiſſe, quod in Poëta Græco ab Apoſtolo lectum fuiſſe minori veri ſpecie contendit *Eraſmus Schmidius* ad h. l. Quod *Millius* verbum ζυμοῖ ex interpretamento natum putat, id parum mihi ſit probabile, cum verba φθείρειν & δολοῦν frequentius occurrant, quam ut vis eorum ignorari potuerit. Veroſimilius autem eſt, verbum ζυμοῦν τῷ φθείρειν vel δολοῦν, tanquam gloſſemate, aliquando inſtructum fuiſſe ab homine, qui verbum metaphoricum per aliud proprium explicandum cenſebat, ut,

facta ad præſens negotium accommodatione, rectius intelligeretur, quid ſibi Paulus vellet.

De ſententia adagii hujus, a profanis quoque Scriptoribus alia ratione expreſſa, lege *Picinelli* Lumina Reflexa p. 694. & *Andreæ Schotti* Adagialia Sacra N. T. p. 108. Voces *ζύμη* & *φύραμα* ex Patrum ſcriptis illuſtratas dedit *Suicerus* Tom. II. p. 1300. & 1467.

Verſ. 7. Ἐκκαθάρατε οὖν τὴν παλαιὰν ζυμην, κ. τ. λ.) Ex hoc commate *Steph. Charnockius*, Anglus, Tomo II. Operum p. 846. ſqq. 855. ſqq. & 865. ſqq. de Chriſto, ut *Paſchate* noſtro, ut *ſacrificio*, & ut *ſacrificio pro nobis* prolixe & eleganter commentatur. Verbum ἐκκαθαίρειν expurgationem ſummo ſtudio faciendam infert, teſte *Polluce* lib. III. §. 11. cujus ſententiam exemplis veterum confirmat eruditiſſimus amicus noſter *Jo. Henr. Majus* in Obſervatt. Sacris lib. III. pag. 150. ſq. (& pag. 162. editionis repetitæ) Sic *Syneſius* epiſt. 121. πονηρίας ἐκκαθαρθῆναι τὴν πόλιν dixit. Ἀνακαθαίρεσθαι ſimili ſenſu adhibet *Xenophon* Cyropæd. lib. II. p. 40.

Τὴν παλαιὰν ζύμην) *Conſtat, figmentum malum* (i. e. Peccatum originale) *a Cabbaliſtis vocari* חמירא fermentum, *&* *quidem* חמירא ראיסא fermentum maſſæ. *Sis, vide, librum Sobar Tit. XII. §. 21. Quam id belle convenit cum* 1 *Cor. V. 7. Druſius id jam obſervavit ex* R. Joſ. Albo *in Præteritis ad h. l. ſed &* Lightfootus *citato loco eodem ex Codice* Berachoth *ad Matth. XVI. 6.* Ita *Vitringa* lib. III. Obſervatt. Sacrar. cap. VIII. p. 138. Confer *Amelium* Parte I. der Erörterung p. 453. & II. p. 554. Per *ζύμην* itaque omnes inveteratæ ſordes recte h. l. intelligentur, nec proinde exiſtimem, verba Pauli ad ejectionem hominis inceſtúoſi, tanquam παλαιᾶς ζύμης, tantum referri debere. In hanc ſententiam Cl. *Majus* lib. III. Obſſ. Sacrar. p. 151. ita: *Poſſis & expurgandi mandatum ad omnes illorum animos trahere, ad quos præſentes exaraverat literas Apoſtolus. Etenim mentis purgationem imperat hoc vocabulum, atque huic negotio quaſi proprium videtur: in Platonicorum certe ac Pythagoricorum ore frequenter habitat.* Lege *Hieroclem* in limine commentarii ad Aurea Carmina, & *Schefferum* de Philoſophia Italica. Scilicet, poſtquam Apoſtolus peſſimi exempli hominem cum *fermento* amoliendo comparaſſet, in eadem allegoria perrecturus, in univerſum omnes de vitiis, inter ipſos hactenus frequentatis, tanquam in poſterum ſerio cavendis, admonet. Ceterum quam ſolliciti & inepte ſuperſtitioſi hodienum Judæi ſint in expurgando ſub Feſtum Paſchatos fermento, intelligi poteſt ex libris eorum ritualibus, quos מנהגים appellant, tum vero ex R. *Mordechai Japhe* לבוש החור fol. 150. col. 1. & 2. item *Moſe Cotſenſi* in ס מצורת קטין fol. 117. Adde *Frider. Chriſtiani Alberti*, Ex-Judæi, Deſcriptionem Paſchatis Judaici vernaculam, & confer *Jo. Sauberti* Palæſtram p. 77.

Ἵνα ἦτε νέον φύραμα) Veteres Eccleſiæ Doctores fideles cum panibus comparant, v. c. *Ignatius* in epiſt. ad Romanos. Lege B. *Jo. Henr. Urſini* Analecta Sacra lib. I. p. 347.

Καθὼς

Καθώς ἐςε ἄζυμοι) Inſpice Patrum loca apud *Suicerum* Tom. I. p. 106.

Καὶ γὰρ τὸ Πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη ὁ Χριςός) Verba his ſimilia olim in *Esdræ* libro lecta, deinceps vero a Judæis expuncta fuiſſe, teſtatur *Juſtinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone p. 297. his verbis: Ἀπὸ μὲν ἐξηγήσεων, ὧν ἐξηγήσατο Ἔσδρας εἰς τὸν νόμον, τὸν περὶ τῦ Πάσχα, τὴν ἐξήγησιν ταύτην ἀφείλοντο. Καὶ εἶπεν Ἔσδρας τῷ λαῷ· τῦτο τὸ Πάσχα ὁ Σωτὴρ ἡμῶν, καὶ ἡ καταφυγὴ ἡμῶν. Atque ad hæc Paulum reſpexiſſe, ut olim *Colomeſius* in Obſervatt. Sacris p. 16. ita noviſſime *Guil. Whiſtonus* in Conamine contextum Hebræum V. T. reſtituendi p. 145. contendit. Sed, quemadmodum veterum Judæorum fides in hoc negotio adverſus Juſtinum aliosque a multis vindicata eſt, de quibus Parte II. Bibliothecæ Hebrææ p. 16. ſqq. dixi: ita probandum adhuc fuerit, verba hæc in libro Esdræ Canonico, cujus caput VI. de Paſchate, poſt reditum e captivitate celebrato, exponit, unquam exſtitiſſe. Conf. Celeb. *Jo. Alb. Fabricii* Codicem Pſeudepigraphum V. T. p. 1152. Sunt qui *Juſtinum Martyrem*, &, qui illum ex veteribus ſolus ſecutus eſt, *Lactantium* IV. 8. pia quadam fraude locum hunc Esdræ ſuppoſuiſſe, exiſtimant, quod minus quidem honorifice aut prudenter ſuſpicatur *Jo. Crojus* Obſerv. in N. T. Nec majori veri ſpecie *Jo. Erneſtus Grabius* in Diſſert. de vitiis LXX. Interpretum verſioni illatis p. 34. pericopam hanc, & ejusmodi alias, non a Judæis ex verſione τῶν LXX. ſublatas, ſed potius a Chriſtianis primævis ad marginem explicationis cauſa adſcriptas, atque hinc in ipſum textum poſtea illatas cenſet. Veri ſit ſimillimum, pericopas ejusmodi non a Judæis ſublatas, ſed a Chriſtiano aliquo confictas eſſe, quæ, ut alios taceam, Cl. *Styani Thirlbii* ſententia eſt in notis ad Juſtinum Martyrem p. 292.

Alludere potius his verbis Apoſtolus videtur ad rationem agnum Paſchalem aſſandi, Judæis olim ita receptam, ut figuram cruci ſimilem agnus referret. Teſtem rei habemus *Juſtinum Martyrem* in Dialogo cum Tryphone p. 259. ed. Pariſ. & 218. ed. Londinenſis noviſſimæ: *Et agnus ille, de quo, ne aſſus totus fieret, præceptum eſt, ſupplicii crucis, quod ſubiturus erat Chriſtus, ſymbolum fuit. Agnus namque aſſus in figuram, cruci ſimilem, conformatus, ad ignem torretur: nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur, & aliud rurſus ſecundum ſcapulas, ad quod ſuſpenduntur manus agni.* Idem confirmat *Maimonides* in Tractatu de Paſchate cap. VIII. §. 10. *Quomodo aſſant eum?* A medio ore uſque ad pudenda transfigunt eum veru ligneo, &, ſubjecto igne, in medio furno ſuſpendunt. Adde *Abarbanelis* commentar. in Exodum fol. 150. col. 4. Argumentum hoc ex noſtratibus amplius urgent *Jo. Friſchmuthus* in Diſſertat. ad Joh. I. 29. §. 5. B. *Georg. Elieſer Elzardus* ad Avoda Sara cap. II. pag. 234. *Daſſovius* & *Zeltnerus* in Diſſertationibus de figuris crucis Chriſti in V. T. Rev. *Deylingius* in Obſſ. Sacr. Part. III. pag. 258. & *Theophilus Amelius* Parte I. p. 212. ex aliis *Bochartus* Hierozoici lib. II. c. 50. & *Vitringa* lib. II. Obſerv. Sacr. cap. X. p. 180.

Voces ὑπὲρ ἡμῶν Codices nonnulli, verſiones item & Patres quidam omittunt, ideoque ſuſpectæ ſunt *Millio* in Prolegomenis, recte contra nitente *Whitbio* in Examine p. 62.

Sententiam verborum ipſam illuſtrat Programma Paſchale Lipſienſe quod in M. *Gabr. Ternii* Sylloge I. Programmatum Exegeticorum recuſum exſtat p. 685. Adde *Rob. Gelli* Reliquias Anglice editas, Tom. II. p. 161. 164. Conſtat ſpeciatim, ex occaſione horum verborum diſputatum eſſe inter Theologos noſtrates, num agnus Paſchalis rationem ſacrificii proprie ſic dicti habuerit, cum h. l. agnus ille *ſacrificatus* diſerte dicatur? Affirmat rem B. *Dannhauerus* in Myſteriosophia Sect. II. Act. II. p. 261. & B. *Seb. Schmidius* in Tractatu de Paſchate Parte III. cap. II. Negat autem B. *Jo. Georg. Dorſcheus* in Diſſ. de Agno Paſchali Judæorum Argentor. habita. Utriusque partis argumenta in compendium mittit, diſſentientesque conciliandi viam oſtendit Rev. *Sal. Deylingius* in Obſerv. Sacris Parte I. p. 161. ſqq. *Cum igitur*, inquit is, *hæc agni Paſchalis Cerimonia veri ſacrificii naturam habuerit, & ſimul tamen in ordinem claſſemque Sacramentorum Vet. Teſtamenti collocari debeat, recte eleganterque appellari poteſt* Sacramentum V. T. ſacrificiale, aut Sacrificium V. T. ſacramentale.

Verſ. 8. ἀλλ᾽ ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας) Deſunt hæc in verſione Æthiopica, ideoque jam olim adjecta videntur *Millio* in Prolegomenis §. 1215. ut eſſet, quod reſponderet parti præcedentis commatis poſteriori: καθώς ἐςε ἄζυμοι. Sed vide *Whitbii* Examen p. 62. Τὴν εἰλικρίνειαν hic alii cum *Grotio* τῇ κακίᾳ ut *fugam impuritatis*, τὴν ἀλήθειαν autem τῇ πονηρίᾳ, ut *fugam ſimulationis* cenſent oppoſitam. Alii vero per ἀλήθειαν reſpici volunt ad typos V. T. Utramque expoſitionem conjungit *Theophylactus* poſt *Chryſoſtomum*. Compara *Suicerum* Tom. I. p. 187. & 190.

Verſ. 9. Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιςολῇ) Epiſtolam hic commemoratam nonnulli de ea, quæ non amplius exſtet, accipiunt. Ex noſtratibus ita ſentientes affert B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. & in Critico Sacro, ipſe illis ὁμόψηφος. De ceteris lege Celeb. *J. A. Fabricii* noſtri Codicem Apocryphum N. T. Part. II. p. 918. ſq. quibus adde *Jo. Millium* in Prolegomenis ad N. T. §. 8. & *Jo. Ens* in Bibliotheca Sacra p. 51.

Alii ipſam hanc epiſtolam innui arbitrantur, & ex noſtratibus quidem plerique, quorum interpretem diligenter egit B. *Iſaacus Fauſtius* in Exercitat. de Pauli epiſtola 1. ad Corinthios, Argent. 1671. Atque illi provocant ad ſimilem Φράσιν *Rom.* XVI. 22. 1 *Theſſal.* V. 27. & *Coloſſ.* IV. 16. obviam. In primo loco Tertius ſe vocat τὸν γράψαντα τὴν ἐπιςολὴν, i. e. ipſam illam ad Romanos epiſtolam. Senſus eſt: *ſcripſi vobis in hac epiſtola.* Atque ita Paulus ad comma ſecundum hujus capitis reſpexiſſe plerisque videtur.

Viciſſim aliis idem velle exiſtimatur, ac ſi ſcripſiſſet: *Scribo vobis in præſenti epiſtola,* vel per enallagen temporum in N. T. ſatis receptam, vel quod B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. mavult, per formam aoriſti ἔγραψα, qui

qui paſſim præſens tempus infert. Ita vero Paulus reſpectum habuiſſet ad ea, quæ mox v. 11. ſequuntur. Lege huc *Jo. Claudii* Opera Poſthuma Tom. V. pag. 320. B. *Starckii* Notas Selectas ad h.l. p. 123. & *Jo. Eduardi* Diſcourſe concerning the authority of the books of the Old and New Teſtament, Tom. III. p. 467. qui poſtremus, ſiquidem enallage illa videatur admittenda, verba hæc ſuſpicatur a Paulo poſtliminio, poſtquam epiſtolam ſuam relegiſſet, inſerta fuiſſe, habita ſcilicet eorum ratione, quæ VI. 13. 18. & VII. 2. occurrunt. Confer Acta Erudit. Lipſienſ. Tom. III. p. 140. Adde paulo poſt dicenda.

Alii ad 2 *Theſſalonic.* III. 6. & 14. reſpicere volunt Apoſtolum, quibus tamen refragatur id, quod Paulus hic clare teſtetur, ſe iſta Corinthiis ſcripſiſſe.

Mihi quidem non diſplicet eruditiſſimi *Fabricii* noſtri interpretatio l. c. p. 920. ita conformata: *Scripſi vobis hac præſente epiſtola, propterea ne fornicariis communicetis. Non loquor de Ethnicis, qui ferendi vobis ſunt: verum ſcripſi iſta, ne tanquam fratri communicetis, qui eſt fornicarius. Certe* (ita pergit idem) *verba* v. 11. *νυνὶ δὲ ἔγραψα, non poſſunt de alia, quam hac ipſa epiſtola exponi, ergo etiam* v. 9. *quia utrinque ſunt eadem verba: μὴ ἀναμίγνυσθαι πόρνοις.* Comparetur ejusdem Biblioth. Græca lib. IV. p. 154. ubi addit, τὸ, ἔγραψα ὑμῖν commode etiam reddi poſſe: *ſcribo vobis.* Ita Pſeudo-Phalaris, ep. VIII. *γέγραφά σοι συντόμως, ſummatim tibi ſcribo.* Adde quæ ad 2. ep. II. 9. dicentur. In eandem explicationem deſcendit præter paulo ante laudatos *Alethæus* Tomo III. pag. 8. Scilicet τὸ νυνὶ non opponitur antecedenti phraſi, ἔγραψα ἐν τῇ ἐπιστολῇ, ſed eam potius explicat. B. *Godofr. Olearius* opportune obſervat, νυνὶ h. l. non eſſe temporis, ſed propioris deſignationis, & æquipollere Latinorum *jam*, quod, remoto falſo ſenſu, verum indicat.

De tota hac cauſa lege plura, ſi placet, apud *Stephanum le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 342. *Witſium* in Meletematibus p. 121. qui epiſtolam, de qua ſermo hic Paulo ſit, amiſſam putat, *Jo. Creyghtonum* in Prolegomenis ad Salom. van Till commentarium Belgicum in hanc epiſtolam pag. 13. ſqq. qui contra Tillium, *Witſio* ὁμόψηφον, diſputat, *Theophilum Alethæum* l.c. *Bernhard. Elſingium* in diſſert. de Pſeudepigraphis Pauli pag. 13. ſqq. & M. *Jo. Chriſtoph. Gubitium* in diſput. de τῷ βαρεῖ καὶ ἰσχυρῷ Paulino, præſide Cl. *Jo. Guil. Bergero* habita, pag. 8. ſqq.

Noviſſime primam, quam commemoravimus, ſententiam, quod ſcilicet ea, quam Paulus hic innuit, epiſtola prorſus interciderit, ornare dicendo placuit Cl. *Georg. Ludov. Oedero* in Syntagmate Obſervatt. Sacrarum pag. 576. ſqq. At nihil, ſi dicere fas eſt, ab eo allatum vidimus, quod, ut aliis quoque in mentem venit, ita ab aliis non ſit diſſipatum, aut ex iis, quæ diximus, diſſipari poſſit. Lege interim, quæ Viro docto oppoſita ſunt ab eruditis auctoribus Bibliothecæ Theologicæ Selectæ, vernacula lingua editæ Tom. IV. pag. 463. ſqq.

Ipſa illa ſententia occaſionem nonnullis videtur feciſſe epiſtolam quandam ad Corinthios Paulino nomine inſcribendi, in qua tamen nulla ſcortationis mentio exſtat. Eam una cum illa, quam Corinthii priores ad Paulum ſcripſiſſe finguntur, Armenice ex Muſeo Cl. *Philippi Maſſoni*, cum verſione ſua Latina in lucem ſeorſim edidit Cl. *David Wilkinſius*, Amſtelod. 1715. 4. in Hiſtoria Critica Reipubl. Literariæ Tom. X. p. 148. Latine recuſam, atque hinc a præſtantiſſimo *Fabricio* noſtro in Parte III. Codicis Apocryphi N. T. p. 667. ſqq. una cum ſubjectis Virorum doctorum, Anonymi & eruditiſſimi Amici noſtri, *Maturini Veyſſerii La Croze* cenſuris repetitam. *Germanice* exſtat in Novis Literariis Lipſienſibus vernaculis an. 1715. p. 174. Utriusque epiſtolæ, Armenice ſcriptæ, exemplum, edito plenius, Halebo Syriæ nactus *Guilielmus Whiſtonus*, illud ad laudatiſſimum *La Croze*, Armenicarum literarum hodie ſtatorem fere unicum, ſaltem præcipuum, ablegavit, & ab eo novam verſionem Latinam facile impetravit, pauloque poſt eandem interpretationem una cum Latina verſione Negri Arabis, ex Arabico facta, & Anglicana ſua, *Collectioni authenticorum*, quæ vocat, *Monumentorum* Veteris & Novi Teſtamenti Tomo II. p. 585-605. inſeruit, ſubjuncta uſque ad p. 639. diſſertatione, qua epiſtolarum illarum γνησιότητα tueri, more ſuo, inſtituit. Apponam hic Cl. *La Crozii* epiſtolam ad *Whiſtonum*, ab ipſo mecum communicatam, qua verſionem ſuam ad ipſum comitatus eſt. *Mihi voluptati*, inquit, *fuit*, *illud officium humanitatis tibi exhibere*, *quod petebas. Itaque ad deſcriptionem & verſionem earum epiſtolarum ſtatim manum admovi. Armenica nitide ſcripſi*, *quod mihi neceſſario faciendum fuit: nam deſcriptor Armenus*, *vir certe idiota*, *Grammaticæ patriæ omnino ignarus*, *multa peccavit in orthographiam*, *& in ipſius linguæ proprietatem. Exſtantiſſimos errores emendavi*, *i. e. eos*, *in quibus nihil dubium erat. Alios in margine notavi ſumma fide. Ceterum nihil dubito*, *has epiſtolas ex Actis Apocryphis S. Pauli eſſe deſcriptas. Id oſtendit narratiuncula illa*, *quæ ſequitur epiſtolam Corinthiorum ante epiſtolam Pauli. De his epiſtolis jam ſententiam meam noſti*, *quam confirmari arbitror*, *ex integra Pauli epiſtola*, *ubi ea dicuntur de generatione hominis*, *quæ ad refutandos Manichæos ſpectant.* Tuum porro erit, de re ipſa judicare, ut voles, abjecta omni *præconcepta opinione*, &c. Hactenus V. C. qui, ceu ex Cl. *Fabricio* l. c. p. 684. conſtat, epiſtolas illas Sæculo X. aut XI. poſt C. N. a Monacho quodam aut Presbytero Armeno occaſione hæreſeos *Paulicianorum* conſcriptas eſſe, erudite ſuſpicatur.

Verſ. 10. Καὶ ὀ πάντως) Τὸ καὶ in nonnullis Codicibus deeſt, quos *Millius* affert. Uno eorum innixus *Grotius* illud rectius omitti cenſuit, quod miror. Τὸ καὶ enim ſæpius *explanativum* eſt, atque hic ad ſenſum Pauli exprimendum neceſſarium. Hinc B. Lutherus rectiſſime expreſſit: **das meyne ich nicht.**

τοῖς πόρνοις τȣ͂ κόσμȣ τȣ́τȣ) Per πόρνȣς quid intelligat Apoſtolus, ita ediſſerit *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 141. *Dubio procul*, inquiens, *non*

non aliam intellexit πορνείαν, *præter illam, quam* πόρνος *exercet. Fallitur autem, ſi quis putat,* πόρνον *dici eum, qui cum* πόρνῃ *i. e. meretrice rem habet. Virile ſcortum & muliebris patientiæ virum hæc vox Græcis notat. Nec bene ſcortatorem vulgo vertunt. Nolim etiam* fornicatorem. *Melius Vetus Interpres* fornicarium *appellat in* 1. *ep. ad Corinth. V. quamvis alibi fornicatorem reddiderit, ſi modo eadem eſt verſio, & non una ex pluribus concinnata. Sic igitur eo loco vertit:* non utique fornicariis hujus mundi aut avaris, aut rapacibus. *In ſequenti tamen verſiculo reddidit* πόρνον fornicatorem. *Sed actum hæc vox deſignat tam agentis, quam patientis. At* fornicarius *proprie dicitur a profeſſione, quæ in fornice agitatur. Sic* πόρνος *eſt* fornicarius, *ut* fornicaria ἡ πόρνη. Optime *Gloſſa Philoxeni:* Fornicaria πόρνη, ἀπὸ τῆς καμάρας, ἐν ᾗ ἵςανται &c. Scorta igitur virilia ſeu catamitos *Salmaſius* hic indicari vult, ſecus quam *Grotius*, cui *fornicatores* ſeu ſcortis utentes ſignificari videntur. *Rich. Bentlejus*, vir eruditiſſimus, in Diſſertat. de Epiſtolis Phalaridis p. 416. confirmat, πόρνȣ nomen nunquam niſi de *ſcorto* & *cinædo* apud veteres occurrere. Quod ſi recogitemus, πορνείαν commate primo hujus capitis de uſu illicitæ veneris cujuscunque adhiberi, ita, ut inceſtum hominis flagitioſi complectatur, qui dehortationi Apoſtolicæ occaſionem omnino fecerit, non dubitabimus, in hoc commate πόρνȣς eo ſenſu dici, qui impuros cujuscunque generis homines ſignificet. Hujus ſignificatus exemplum invenire mihi videor in *Polluce* lib. VI. cap. 36. §. 152. ubi commemorat Φαρμακέα, Φαρμακίδα, δωροδόκον, λῃςὴν, καταποντιςὴν, πόρνον, quam ultimam vocem Interpres recte reddidit per *ſcortatorem*, Pollucis mentem omnino aſſecutus, qui, ſi de cinædo vel ſcorto maſculo hic ſpeciatim cogitaſſet, πόρνην ſine dubio adjeciſſet. Id enim facit lib. VII. cap. 33. §. 201. ubi πόρνας & πόρνȣς, ἑταίρας & ἑταιρȣ̃ντας conjungit.

ἢ τοῖς πλεονέκταις) Hic non *avaros* ſimpliciter, ſed *fraudatores*, h. e. eos, qui per fraudem alieno imminent, intelligi debere judicat *Salmaſius* l. c. pag. 182. Poſtquam enim monuiſſet, avari nomen nimis laxum eſſe, & latiorem habere ſignificatum, quam qui huic loco conveniat, ita pergit: *Nam* ἅρπαγες *etiam avari ſunt, & impellente avaritia rapiunt aliena. At Paulus* πλεονέκτας *eos videtur ſolos intelligere, qui per fraudem alieno imminent. Et ſic Patres plerique antiquiores interpretati ſunt, qui* πλεονέκτην fraudatorem *reddiderunt, ut* Tertullianus & Cyprianus. *Atque ita etiam* Philoxenus *in Gloſſis:* Fraudator, πλεονέκτης. *Hinc & Vetus Interpres* πλεονεκτεῖν ἀδελφὸν *vertit* circumvenire fratrem. *Et ſic etiam* Cyprianus *in III. ad Quirinum:* non circumvenire in negotio fratrem, quia Deus ultor eſt de omnibus. *Eadem ratione illi Patres, cum Vulgatæ verſionis auctore:* ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τȣ̃ Σατανᾶ, ne circumveniamur aut fraudemur a Diabolo, *verterunt.* Lege ibi in ſequentibus in eandem ſententiam plura, quæ mihi per vocem ἅρπαξ proxime collocatam confirmari videtur. Sicut enim per πλεονέκτας homines, qui *dolo*, ita per ἅρπαγας illi, qui *aperta vi* ſua aliis extorquent, intelliguntur. Hinc

Hinc patet, quam prave *Wilh. Wall* in Notis Criticis ad N. T. p. 181. τὸν πλεονέκτην v. 11. de *libidinoſo* ex *Epheſ.* IV. 19. V. 3. & *Coloſſ.* III. 5. accipiat.

'Επεὶ ὀφείλετε ἄρα ἐκ τοῦ κόσμου ἐξελθεῖν) Nove hæc vertit Cl. *Hombergius* in Parergis pag. 247. *quia debetis ex mundo jam exiiſſe.* Sequuntur eum *Theophilus Alethæus* l. c. pag. 19. & *Starckius* pag. 124. Germanice ita diceres: **im= maſſen ihr von der Welt bereits ausgegangen ſeyn ſolt.** *Hombergius* hanc verſionem & *verba* textus, & *rem*, de qua ibi agitur, & *ſcopum* Apoſtoli poſtulare arbitratur. Itaque per πόρνους τοῦ κόσμου τούτου *ſcortatores inter infideles*, per *exitum* vero *ex mundo* fugam conſuetudinis non qualiscunque, ſed familiarioris, intelligit. Malim ego in communiore, quam & B. *Lutherus* retinuit, interpretatione acquieſcere; **ſonſt müſtet ihr die Welt räumen.** Vir doctus contra hæc urget formam temporis præſentis indicativi, ὀφείλετε, pro quo perfectum vel aliud tempus poni ex Græcorum more debuiſſe exiſtimat, ſi ſenſus eſſet: *alioqui deberetis.* Quid autem fiet de loco hujus epiſtolæ cap. VII. 14. ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστιν, quæ verba adeo ſimilia ſunt præſentibus noſtris, ut magis eſſe non poſſint. Senſus vero illorum eſt: *alioquin liberi veſtri impuri eſſent.* Τὸ ἐξελθεῖν præſentis temporis ſignificationem ferre ipſe largitur; talem autem in hac forma N. Teſtamenti loca tantum non omnia poſtulant. Quæ de *ſcopo* Apoſtoli, tanquam communi interpretationi adverſante, affert idem, ea novam illam non felicius adſtruunt, quod intuenti patebit. Viciſſim illa Viri docti explicatio pugnare mihi merito videtur cum verbis Paulinis v. 12. ubi eos, qui foris ſunt, i. e. gentiles, negat a ſe judicari debere. Jam vero de iis omnino judicium tuliſſet, ſi ſecundum novam iſtam interpretationem conſortium infidelium vitandum pronunciaſſet. Eandem *Hombergii* ſententiam impugnat Cl. *Oederus* l. c. pag. 586. ſqq. Adde doctiſſimi *Jo. Alberti* Obſervatt. Philolog. pag. 341. ſqq. qui eadem opera oſtendit, voculam ἐπεὶ ſæpe idem eſſe, quod *alioqui*, ut in hac ipſa epiſtola XV. 29. & VII. 14. item apud *Ariſtophanem* Pluto Act. IV. Scen. III. pag. 60. De particula ἄρα vel ornatus gratia, vel, ut idem ſit, quod, *ſcilicet*, *nempe*, interjecta, idem legi jubet *Devarium*, & *Perizonium* ad *Ælianum* Var. Hiſtor. I. 15. Ad *Hombergium* ex parte accedit *Jo. Wilh. Zieroldus* **in der deutlichen Erklärung der heiligen Schrift** pag. 1272. ita vertens: **ſintemahl ihr ſolt allerdings aus der Welt ausgehen.** De verbo ὀφείλειν, per *oportere* interpretando, lege Rev. *Raphelium* in Notis Polybianis pag. 460. Conferri idem jubet infra VII. 16. *Hebr.* II. 17. V. 3. & *Polybium* pag. 649. & 670.

Verſ. 11. Νυνὶ δὲ ἔγραψα) Vide dicta ad v. 9.

'Εάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος &c.) Hæc parenthetice uſque ad voces ἢ ἅρπαξ accipi vult Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* in elegantiſſima commentatione de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis pag. 119. ut ſcilicet ultima illa τῷ τοιούτῳ μηδὲ συνεσθίειν proxime cum phraſi μὴ συναναμίγνυσθαι, ſine ſolœciſmi ſuſpicione ulla, cohæreant.

ἢ μέ-

ἡ μέθυσος) de *viro* Græce non dici præceps affirmat *Thomas Magiſter* de Vocibus Atticis p. 119. At vide tu *Lamb. Boſii* notas ad illum p. 28.

Verſ. 12. Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν;) *Quid ad me, judicare etiam eos, qui foris ſunt?* Ita recte *Lamb. Bos* in Obſervatt. Miſcellaneis p. 69. hoc ſenſu: *eos, qui extra Eccleſiam ſunt, judicare meum non eſt.* Scilicet phraſis: τί ἐμοὶ, ſubintelligi jubet verbum διαφέρει, vel προσήκει, vel μέλει. Sic *Heſychius*: τί ὑμῖν διαφέρει, τί ὑμῖν μέλει; *Euripides* Jone v. 433. & alii. Conf. idem *Boſius* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 263. & ὁμόψηφος illi *Jo. Alberti* pag. 343. Atque idem hic recte judicat deſerendum *Jo. Clericum*, in Arte Critica Parte III. Sect. I. cap. 17. §. 9. verba hæc ita conformari cupientem: τί γάρ μοι καὶ τοῖς ἔξω; καὶ μενοῦνγε τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε. *Ingenioſa*, inquit is, *ſed audax criſis, quam unanimi conſenſu reſpuunt codices, quæque minime neceſſaria eſt, cum ſimilis plane locutionis exempla jam prolata ſint.* Talis ſcilicet locus eſt *Tatiani* in Orat. ad Græcos Sect. 40. pag. 86. Τί μοι καὶ τεθηπέναι τὸν μυθικὸν αὐλητήν; a *Boſio* allatus. Alia lege apud Cl. *Elsnerum* pag. 92. Ad *Clerici* argumenta data opera reſponderunt B. *Jo. Franckius* in præfatione ad Syſtema Ethices Divinæ ſeu commentarium in Eccleſiaſten p. 8. ſqq. & Cl. *Franc. Wokenius* in Obſervationibus miſcellaneis ſuper loca quædam V. & N. T. p. 16. ſqq. In eundem animadvertit etiam Cl. *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 152. ſqq. qui, ſi conjecturæ locus hic relinqui deberet, conſultum putat legere: μήτι γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; ut ſenſus ſit: *nonne meum quoque eſt, illos, qui foris ſunt, judicare? vos eos, qui intus ſunt, judicate: ego extraneos judico.* Sed & ſine hac conjectura, quæ aliis etiam de cauſis admitti non poteſt, ſenſus ſibi optime conſtat, ſi ſcilicet ita efferatur: *quid enim mea refert de exteris judicare? Nonne vos ipſi* (alias) *eos* (tantum) *qui inter vos ſunt, judicatis?* Id ſibi vult Apoſtolus, non magis ſe nunc quidem ſollicitum eſſe de gentilium moribus & vita, quam ipſi Corinthii alias eſſe conſueverint, qui ſcilicet non ſoleant rationem habere eorum, quæ extra cœtum ſuum agantur, ſed Magiſtratui potius definienda permittere, viciſſim autem diligenter providere, ne quid detrimenti ipſi inter ſe patiantur. Hanc eſſe Pauli mentem, apparet ex adhortatione proxime ſequente: καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. *Itaque* (etiam nunc) *malum ex cœtu veſtro tollite:* h. e. cum alias de rebus, quæ inter vos aguntur, judicium vindicare vobis ſoleatis, in hac quoque cauſa, quæ ad inceſtuoſum pertinet, idem faciendum cenſete.

Οἱ ἔξω ſunt Gentiles, Chriſtianis, tanquam τοῖς ἔσω, oppoſiti. Ita Philoſophi homines, a ſecta ſua alienos, τοὺς ἔξω appellabant. Vide *Schefferum* de Philoſophia Italica cap. IX. *Jo. Seldenum* de Synedriis lib. II. cap. 7. pag. 724. Ad totum hoc comma inſpice præterea *Franzium* de Interpretatione Scripturæ Sacræ p. 580.

Οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε;) *Theophylactus* hic τελείαν στιγμὴν poſt οὐχὶ poſuit, atque eum ſequendum putarunt *Knatchbullus* & fere *Hammondus*, nec non, more ſuo, *Carolus le Cene* in Specimine novæ verſionis pag. 669. Viciſ-

ſim

ſim interpunctionem hanc averſantur *Hombergius* in Parergis p. 249. & Cl. *Wolfsburgius* l. c. p. 152. Nec eam omnino patitur uſus particulæ οὐχὶ apud Græcos Scriptores, & inprimis Sacros N. T. obvius. Ibi enim τὸ οὐχὶ vel interrogative ſententiam novam inchoat; vel, ſi poſitive ad præcedentem habeat reſpectum, ſubjunctam ſibi habet particulam ἀλλὰ, quæ cum hic fruſtra quæratur, neceſſe eſt, ut τὸ οὐχὶ vim interrogandi, quam communis interpunctio illi tribuit, retineat. Vide v. c. *Matth.* V. 46. 47. VI. 25. &c. item *Luc.* I. 60. οὐχί· ἀλλὰ κληθήσεται. XII. 51. XIII. 3. &c.

Verſ. 13. Καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν) *Itaque tollite* &c. Τὸ καὶ enim ſæpe idem eſſe, quod *igitur*, in his Curis Vol. I. pag. 498. & 1151. evicimus. *Jo. Seldenus* de Synedriis lib. I. v. 8. p. 149. & *Knatchbullus* ad h. l. cumque eo *le Cene* l. c. malunt legere τὸ πονηρόν. *Nam Codices, Seldenus* inquit, *priſci optimique habent τὸ πονηρὸν ſeu neutrum, quod perſonam non denotat, quemadmodum & a Patribus vetuſtis, obiterque ab aliis obſervatum. Et verba ipſa, quaſi formula ſolennis ſunt in Pentateucho ſæpius iterata, ſed ita, ut interdum maſculinum, interdum neutrum Græce in ea adhibeatur, pro eo, quod eſt:* ובערת הרע מקרבך & eliminabis, *aut*, elimina malum e medio veſtri; *quod in Codicibus Græcis etiam nunc pluraliter, nunc ſingulariter prolatum a capitalibus judiciis in pœnam excommunicationis, quæ ita ex humano in eorum locum invento juxta ante dicta ſucceſſit, transferri potuit.* Sed recte eruditiſſimus *C. M. Pfaffius* de Originibus Juris Eccleſiaſtici p. 72. *Seldeno* hæc indigna eſſe judicat. Mirum ſane eſt, nullum a *Millio* codicem inventum eſſe, qui τὸ πονηρὸν exhibeat, ſi codices priſci optimique eam lectionem repræſentarunt. Loca *Deuter.* XII. 8. XVII. 7. XIX. 19. XXII. 21. XXIV. 7. ubi eadem phraſis hebraice legitur, non ad *rem*, ſed ad *perſonam* referri inſpectio docebit. Paulo denique non de *re*, ſed de *perſona* flagitioſi hic ſermonem eſſe v. 2. manifeſtum facit. Relinquitur itaque, verba hæc ad excommunicationem omnino referenda eſſe, id quod data opera oſtendit laudatus Pfaffius p. 71. ſqq.

Quod hic de inceſtuoſo fieri vult Paulus, id in homicidas a Gentilibus ſtatui ſolebat. Sic *Xenophon* in Hierone p. 718. πεποίηνται πολλοὶ νόμοι τῷ μιαιφόνῳ μηδὲ τὸν συνόντα καθαρεύειν. Idem ibidem ſcribit, εἴργειν ἐκ τῶν ἱερῶν τοὺς φονέας.

CAP. VI.

VErſ. 1. Τολμᾷ τις ὑμῶν πρᾶγμα ἔχων πρὸς τὸν ἕτερον κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων;) Comma hoc cum ſequentibus nonnullis exponit *Simon Epiſcopius* Tomo I. Operum Parte II. in Tractatu brevi de Magiſtratu cap. V. pag. 77. ſqq. oſtendens eadem opera, ex hoc loco adeo nihil afferri poſſe contra judicia civilia a Chriſtianis exercenda, ut potius pro illis adſtruendis inde præſidia petere liceat. Conf. B. *Franzium* de Interpretatione Scripturæ Sacræ pag.

pag. 581. ſqq. Celeb. *Val. Erneſt. Læſcherum* in Decimis Evangelicis Decad. I. pag. 103. ſqq. *Jo. Pearſonum* ad Symbolum Apoſtolicum p. 625. & *Jo. Creyghtonum* in Prolegomenis ad Salom. van. Till commentar. Belgicum in hanc epiſtolam p. 122. ſqq.

τολμᾷ τις) *Suſtinet ne aliquis*, poteſtne animum ad hoc inducere? Vide *Suiceri* Theſaurum Tomo II. p. 1277.

πρᾶγμα ἔχων) πρᾶγμα de cauſa diſceptanda hic accipi contextus evincit. Solet alioquin hæc vox adhiberi de re moleſta, v. c. apud *Antoninum* de rebus ſuis IV. 50. & V. 29. ubi lege notas *Gatakeri*.

κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων) *judicio experiri ſub injuſtis*. Ita *Heſiodus* Theogoniæ v. 535. ὅτε ἐκρίνοντο θεοί τε θνητοί τε, *cum diſceptarent inter ſe dii homineſque*. Quod ad rem attinet, ſimilis exſtat obſervatio in *Schulchan Aruch* Parte IV. ubi de Judicibus n. 26. *Nefas eſt, contendere coram Judicibus gentium, & in tribunalibus eorum, etſi controverſiam diſceptent eodem modo, quo Iſraëlitæ: At licet adverſarii duo ad eundem Gentilium judicem provocent, tamen interdictum eſt; & qui inſtituit diſceptare coram illis, ecce is eſt impius.* Confer *Hackſpanium* de uſu librorum Rabbinicorum p. 474. Plures ejusmodi locos *J. A. Eiſenmengerus* in Judaiſmi detecti Parte II. p. 472. ſqq. attulit, qui tamen & in ſequentibus alios promit, in quibus diſceptatio cauſarum in loco gentium Judæis a doctoribus ipſorum cum temperamento quodam permittitur.

οὐχὶ ἐπὶ τῶν ἁγίων;) i. e. a Chriſtianis, qui hic opponuntur τοῖς ἀδίκοις, h. e. ut v. 6. appellantur, τοῖς ἀπίςοις, *infidelibus, non converſis*. Confer *Eraſmum Schmidium* ad h. l.

Verſ. 2. Οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσι;) Lege ad hæc B. *Mich. Fœrtſchii*, Theologi quondam Jenenſis præſtantiſſimi, Diſputatt. de Judiciis Sanctorum ſuper mundum, Jen. 1721. *Phil. Mulleri* aliam de patientia victrice in judicio Sanctorum in fine mundi, Jen. 1688. *Godofr. Wegneri* de judicio Sanctorum ſuper mundum & angelos, Regiomonti 1709. & *Jo. Arnoldi Noltenii* ſimilem, Bremæ 1718. Atque in hac ultima diverſæ Interpretum ſententiæ enarrantur, & examini ſubjiciuntur. Alii enim judicium hoc ad *extremum judicium* referunt, ita quidem ut nonnulli exiſtiment, hic nudam judicii Chriſti approbationem innui: nunnulli Sanctos adſeſſores Chriſti Judicis futuros, nonnulli denique tum angelos, tum homines impios, ab illis condemnandos, cenſeant. Alii viciſſim judicium hoc ad præſentem vitam referunt, & ipſi in diverſa iterum abeuntes. Pontificii enim Hierarchiæ ſuæ præſidium hic quærunt: Chiliaſtæ, regnum millenarium promitti, ſomniant: *Lightfootus* in Operibus Poſthumis pag. 106. judicium terrenum a Chriſtianis Magiſtratibus, tempore imminente exercendum, ſubindicari opinatur. Atque hoc ipſum perſuaſum quoque fuit *Campegio Vitringæ*, lib. V. Obſervatt. Sacrar. cap. VI. §. 12. p. 79. *Hujus ſententiæ*, inquit is, *hæc certa eſt interpretatio ex ſcopo Pauli; an vos latet, venturum eſſe tempus, quo mundus hic regatur & judicetur*

tur a Principibus & Judicibus Chriſtianis publicis, abolita ſuperſtitione & idololatria; excisis impiis, ſuppreſſa injuſtitia? Quæ cum vos ſpes maneat, tot oraculis Prophetarum confirmata, quare felicitatem illorum temporum veſtro non prævertitis exemplo, & ipſi inter vos non potius judicia agitis, & litem conteſtamini, quam ut provocetis ad fora publica Gentium cum dedecore veſtræ profeſſionis? Quidam hujus claſſis interpretes quod ad tempus judicii hujus, a Sanctis exercendi, nihil definiunt, ſed tempus tamen illud deſignari exiſtimant, *quo Sancti ſub Chriſto Rege & præſide in hoc Sæculo ſub cœlo judicent, amplumque dominatum habeant.* Ita *Witſius* Exercitatt. in Symbolum Apoſtolicum p. 358. Laudatus *Noltenius* ab his omnibus diſcedit, judiciumque hoc præſenti vitæ, omnibusque omnium temporum Chriſtianis vindicat, ita quidem, ut totum *ſpirituale* ſit, quod a Sanctis tum mentis illuminatæ recta διακρίσει, tum ἐλέγχῳ verbi, tum vitæ ſanctimonia adminiſtretur. Addit idem, illud ut futurum hic deſcribi, ideo, quod ſuos habeat gradus, & eximium aliquod complementum Pauli tempore adhuc imminuerit. Chriſtum enim illud inchoaſſe, ſanctos autem adhuc proſequi, & conſummaturos inpoſterum eſſe, quando regna mundi futura ſint Domini & Chriſti ejus. Confer Bibliothecam Bremenſem Claſſ. I. p. 578.

Ex noſtratibus plerique, exemplo multorum veterum Eccleſiæ Doctorum, (quos *Suicerus* Tom. I. p. 47. & II. p. 159. excitat,) judicium hoc ad extremum diem, τὸν παντοκριτικὸν, ſpectare merito cenſent, ex quibus *Calovium* inprimis in Bibliis Illuſtratis ad h. l. legi velim. Atque his equidem adſtipulor, inprimis cum non admodum appareat, quomodo judicium illud, quod in Angelos, puta malos, Sanctis tribuitur, comparatum eſſe debeat, niſi de ultimo illo, præeunte Chriſto, inſtituendo accipiatur. Taceo, veriſimile non eſſe, quod Apoſtolus a judicio *metaphorico* & *ſpirituali* ad *proprium*, quale hic urgebat, argumentum ducere voluerit. *Lightfooti* tamen ſententiam hic amplectitur *Amelius* Parte II. p. 639. Ex Anglis non ita pridem *Joannes Paris* in *Miſcellanies chiefly concerning faith and manners*, Cantabrigiæ 1726. 8. anglice editis, Prælect. IV. noſtram ſententiam amplexus eſt, ſtatuens, *pios poſt verba illa audita:* venite benedicti, *in ſublime evectum, & Chriſto ad thronum judicialem tanquam aſſeſſores junctum iri, quando pronunciabitur decretum condemnationis adverſus ſpiritus & homines damnatos. Atque hoc ſtatim in ipſis flammis, quibus orbis terrarum conflagrabit, ſententiæ horrendæ executionem ſenſuros.* Confer Acta Eruditorum Lipſienſium Latina an. 1728. p. 175.

καὶ εἰ ἐν ὑμῖν κρίνεται ὁ κόσμος) Τὸ ἐν ὑμῖν *Beza* exponit: *inter vos*, ſeu, vobis præſentibus. Hieronymus: *per vos*, vel *veſtro exemplo*. *Chryſoſtomus* ad fidem & facta Sanctorum, quibus condemnandi ſint impii, phraſin hanc ſpectare cenſet. Rectius illi, qui τὸ ἐν ὑμῖν idem eſſe contendunt, quod ὑφ᾽ ὑμῶν i. e. *a vobis*. *Alioquin enim*, habes verba erudititiſſimi *Raphelii* in notis Polybianis pag. 461. *enervaretur vis argumenti, eo pertinentis, ut demonſtretur, dignos & idoneos eſſe Chriſtianos, qui controverſias hujus vitæ dijudi-*

di-

dicent, quod ipſi olim judices futuri ſint, de impiis hominibus & malis Angelis. Quem enim Deus dignum æſtimat, qui de rebus graviſſimis ferat ſententiam, ei multo magis par eſt, ab hominibus res minoris momenti cognoſcendas committi. Quam autem infirma foret iſta argumentandi ratio, ſi ſic colligas: cujus ſanctitate in extremo judicio alterius arguetur impietas, is idoneus quoque eſt judex rerum temporalium. Nam in judice potiſſimum ſapientia requiritur. Unde Paulus ait v. 5. οὕτως οὐκ ἔστιν ἐν ὑμῖν σοφός; *Tum vero ſuum habebit oratio pondus, ſi ita dicas. Cujus ſapientiæ Deus tantum tribuit, ut eum in noviſſimo die velit judicem ſedere in mundum & Angelos, eum omnino parem etiam habendum eſſe, litibus hujus vitæ diſceptandis.* Ne quis vero dubitet, num τὸ ἐν eo ſenſu uſurpetur a Græcis, idem Vir doctus duos affert *Polybii* locos, noſtro prorſus ſimiles. Alter lib. XVII. c. 6. p. 1039. alter lib. V. c. 29. p. 524. legitur. Prior ita habet: ἐν μὲν ἴσῳ κριτῇ δικαιότερον μὲν νομισθείη, τούτους ἡμῖν ἀποδιδόναι τὰς αἰχμαλώτους ναῦς καὶ τοὺς ἄνδρας. i. e. *Si apud æquum judicem res ageretur, juſtius videretur, ut illi potius naves captas & viros nobis redderent, quam ut nos ipſis.* Lege ibi plura, quæ rem omnem ad liquidum perducunt.

Ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων;) Vocem κριτήρια alii de *judiciis*, alii de *tribunalibus*, ſeu *ſubſelliis judiciariis*, accipi volunt. Poſterius placet *Hammondo*, *Knatchbullo*, *Le Cene* pag. 672. Speciminis novæ verſionis, *Hombergio* in Parergis pag. 250. & M. *Jo. Chriſtiano Herzogio* in Corollario V. diſſertationis de Subſcriptionibus Paulinis. Cauſantur illi, τὸ κριτήριον apud Græcos in ſignificatu *judicii* fruſtra quæri, cum viciſſim alterum frequenter ſecum ferat. Atque hujus exemplum invenire mihi videor apud *Polybium* pag. 1095. ubi Attalus dicitur δίκας ὑπέχειν ἐν ἴσῳ κριτηρίῳ h. e. *rationem reddere apud æquos judices*, ſive, coram æquo tribunali. Heſychius: κριτήριον, δοκιμαστήριον, δικαστήριον. Quod ad rem ipſam nihil refert, utram interpretationem amplectaris. Malim tamen κριτήριον per metonymiam de *re cognoſcenda* ſeu *judicanda* accipere, ob v. 4. ubi eundem ſenſum habet, & v. 7. ubi κρίματα idem ſunt, quod hic κριτήρια.

Verſ. 3. Οὐκ οἴδατε, ὅτι ἀγγέλους κρινοῦμεν;) Vide huc *Jo. Lightfooti* Orationem ſingularem, quæ exſtat in Operibus Poſthumis pag. 105. ſq. Atque is quidem, cum de malis Angelis iſta accipienda recte monuiſſet, judicium hoc, ut v. 2. de mundo, ita & hic de Angelis in hoc mundo ferendum a Sanctis eſſe contendit. *Concepimus ante*, inquit, *Sanctos judicare mundum etiam in hoc mundo, ante & uſque ad extremum judicium. Liceat pariter concipere, in hoc mundo quoque malos Angelos eſſe a quibusdam hominibus judicandos. Nam nonne quilibet vere ſanctus, & gratia ſalutari locupletatus, aliquo ſenſu Diabolos judicat? Nonne ſanctitate ſua eos accuſat, precibus flagellat, pietate damnat, fide torquet & patientia crucifigit?* Addit idem, verba hæc de Apoſtolis viriſque Apoſtolicis accipi ſpeciatim poſſe, quippe qui frequenter in dæmonas graviter animadverterint, *Luc.* X. 17. inprimis vero hic cogitandum eſſe de illo

tempore, quod Johannes *Apocal.* XX. prænunciat, quando Satanas a Chriſto vinctus per millennium gentes ſeducere non potuerit. Tunc enim ait, abolito Ethniciſmo, miniſtros Evangelii, Angelos inopes, egenos, deſtitutos, afflictos voce tantum & verbo res Satanæ evertiſſe & conculcaſſe, ipſo interim ſpectante, frendente, fremente, & fruſtra in contrarium nitente. Subtilius hæc ita dici plerique omnes, me non monente intelligent & fatebuntur. Itaque alii, de quibus ante diximus, rectius ad Angelos, extremo die a Chriſto & Sanctis judicandos, referunt. Lege, præter eos, *Jo. Buxtorfium* in Catalectis p. 278. & *Jo. d'Outrein* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe I. p. 83. ſqq. Certe antiquam hanc inter Chriſtianos doctrinam & ſpem fuiſſe, de malis angelis aliquando a Sanctis judicandis, patet ex *Tertulliano* lib. I. de cultu fœminarum cap. II. *Hi ſunt nempe Angeli, quos judicaturi ſumus. Hi ſunt Angeli, quibus in lavacro renunciamus.* Acta Pauli & Theclæ ita p. 97. Μακάριοι οἱ δι' ἀγάπην Χριςȣ̃ ἐξελθόντες τȣ̃ σχήματος τȣ̃ κόσμȣ, ὅτι αὐτοὶ ἀγγέλȣς κρινȣ̃σι. Cl. *Jac. Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte II. c. 85. p. 436. Sanctos Angelorum judices & in hoc mundo, & in fine ejus conſtituit. *Angelos debent*, inquit is, *judicare Chriſtiani primum in hac vita, quoniam auctoritate pollent illis, ſi quid Evangelio addant, anathema dicendi. Deinde cum Satanas Angeli lucis ſpeciem ſæpe induat, noſtrum eſt id judicare, & causa cognita, eum tanquam ſeductorem damnare, ut ei reſiſtamus, donec fugiat. - - - In extremo præterea judicio illi ipſi fideles capiti ſuo, Domino Jeſu, tanquam ſummo Judici, aſſidebunt. Ut autem ille non modo hominum, ſed & Angelorum judicium publicum pronunciabit; ſic fideles illud judicium aſſenſu & laudibus ſuis confirmabunt: quod eſt mente & voce judicare, quantum id ſubditi cum Domino ſuo facere poſſunt.*

Verſ. 4. Βιωτικὰ μὲν ȣ̃ν κριτήρια ἐὰν ἔχητε, τȣ̀ς ἐξȣθενημένȣς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τȣ́τȣς καθίζετε.) *Knatchbullus* ad h. l. verba hæc ita vult interpungi: βιωτικὰ μὲν ȣ̃ν κριτήρια, ἐὰν ἔχητε τȣ̀ς ἐξȣθενημένȣς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τȣ́τȣς, καθίζετε, hoc ſenſu: ſecularia igitur ſubſellia, ſi habeatis hos contemtibiles in Eccleſia, conſtituite. Quaſi diceret: *Quid? num judicio vultis experiri apud infideles, quos contemtibiles habetis in Eccleſia? num iniquos & impios ſinetis judicare inter vos, quos vos ipſi olim judicabitis? an ignoratis, fore, ut Angelos judicetis? & non ſecularia judicabimus. Conſtituite ergo inter vos ipſos, conſtituite vobis tribunalia.* Approbant eum *le Cene* p. 673. & ex noſtratibus *Herzogius* l. c. *Knatchbullo* ſcilicet dura viſa eſt vox τȣ́τȣς, proxime ante καθίζετε collocata, quippe qua prorſus non ſit opus. Sed non recordatus erat Vir doctus, quod recte monet *Hombergius* p. 250. Parergorum, emphaticum illum pronominis relativi uſum tam apud ſacros, ut *Marc.* XII. 10. quam apud profanos Scriptores, v. c. *Ælianum* Var. Hiſt. IX. 9. & XII. 16. (confer *Jenſii* Lectiones Lucianeas pag. 100.) occurrere. Itaque dictio hæc non efficiet, ut a recepta interpunctione recedamus. Ab ea vero *Knatchbullum* præterea id retraxit, quod vocem κριτήρια non de *judiciis*, ſeu, *cauſis judiciariis*, ſed potius de *ſubſelliis* accipiendam eſſe cenſeret. Ita vero cur ſtatuamus, nihil cauſæ eſt. Num v.

3. Βιω-

3. βιωτικὰ omnino intelligi debent de *rebus*, ſeu *cauſis ſæcularibus*, cur non itaque κριτήρια βιωτικὰ de cauſis hujus ſæculi diſceptandis interpretemur? Si vero hoc: per ſe ruit nova illa interpunctio, qua verbum καθίζειν ad vocem κριτήρια refertur. Neque enim *cauſæ*, ſed *judices* καθίζονται. Τὰ βιωτικὰ eo, quem diximus, ſenſu acceperunt Patres, quos affert *Suicerus* I. p. 695. Ita Lucas XXI. 34. βιωτικὰς μερίμνας dixit. Ita *Philo* lib. III. de Vita Moſis p. 677. πρὸς τὰς βιωτικὰς χρείας ὑπηρετεῖν & alii apud Cl. *Elsnerum* p. 93. qui & luculentis veterum locis oſtendit, τὸ καθίζειν & καθίζεσθαι Græcis, τὸ *ſedere* autem Latinis de Judicibus uſurpari. *Polybius* de Virtut. & Vitiis p. 1480. ἐς δὲ τὴν ἐπαύριον καθίσαντες δικαστὰς, τȣ̃ μὲν Σωσικράτȣς κατεδίκασαν θάνατον. *Phædrus* lib. I. Fab. 10. v. 6. *Tunc Judex inter illos ſedit ſimius.*

Joſ. Medus in Fragmentis Sacris pag. 261. Faſciculi X. Opuſculorum, ad Hiſtor. & Philolog. Sacram ſpectantium, ita: *Legatur cum interrogatione ſicut præcedentes, & ſequens, quod etiam facit Caſtellio; & per* ἐξȣθενημένȣς ἐν Ἐκκλησίᾳ *intellige Ethnicos.* Id etiam quondam Decano Paulino, i. e. *Overallio*, viro doctiſſimo, placuiſſe, ſingularemque hanc eſſe obſervationem ſcribit *Caſaubonus* in Caſaubonianis meis p. 92. ubi vide, quæ ipſe in notis pag. 293. monui. Ferri hoc quidem præ altero illo *Knatchbulli* poterat, niſi etiam ſine illo ſenſus ſibi ſatis conſtaret. Objurgat Apoſtolus Corinthios ironice, qui cum Angelos aliquando, ut ſancti, judicaturi ſint, in rebus ſæcularibus adeoque longe minoris momenti, eandem judicandi facultatem ſibi non ſumant; ſed homines potius in cœtu ſacro contemtibiles aut merito contemnendos, (ita enim vocem ἐξȣθενημένȣς accipi velim) i. e. *ethnicos*, judices conſtituant. Scilicet verbum καθίζετε, non *imperandi*, ſed *indicandi* ſenſu hic adhibetur. Apoſtolus enim in eo eſt, ut, quid hactenus inter eos actum ſit, non autem, quid aut quomodo agendum ſit inpoſterum, exponat. Similiter de ethnicis vocem accipiunt *Ludov. de Dieu* & *Lockius* ad h. l. Illi autem ἐξȣθενημένοι merito hic vocantur, tanquam qui cum cœtus Chriſtiani hominibus comparari non poſſint, nec debeant, ſed illis a Deo longe inferiores habeantur. Ita quoque accepit B. Lutherus noſter, quod ex gloſſa ejus marginali ad h. l. conſtat. Pauli mentem non aſſequuntur, qui de Chriſtianis minoris aut ſapientiæ aut exiſtimationis τȣ̀ς ἐξȣθενημένȣς explicant. Sic enim v. 5. dicere non poterat: ȣ̓́τως ȣ̓κ ἔστιν ἐν ὑμῖν σοφὸς ȣ̓δὲ εἷς. Si enim Chriſtiani vel minimum ſuarum ad cognoſcendas cauſas elegiſſent, utique fuiſſet unus, cui tantum ſapientiæ tribuerent. Non magis, fateor, placet *Hombergii* interpretatio, ſecundum quam per ἐξȣθενημένȣς intelligi debent *illi, qui de rebus terreſtribus litigant.* Quamvis enim & hoc non probetur Apoſtolo, v. 7. hoc tamen loco id maxime omnium culpat, quod cauſas ſuas ad Gentiles deferant. Utrumque vitium conjungit Paulus v. 6. Ἀλλὰ ἀδελφὸς μετὰ ἀδελφȣ̃ κρίνεται, καὶ τȣ̃το ἐπὶ ἀπίστων;

Verſ. 5. Οὕτως ȣ̓κ ἔστιν ἐν ὑμῖν σοφός;) Judæi doctores ſuos חכמים i. e. σοφȣ̀ς Sapientes appellare ſolebant, ſive facultatem docendi tantum conſecuti eſſent, ſive etiam illam facultatem actu exercerent. Lege *Maimonidem* in Tractatu

ctatu *Talmud Tora* cap. I. §. 1. & cap. V. §. 3. Atque ex hoc ſignificatu *Vitringa* locum hunc Paulinum explicari vult de Vetere Synagoga lib. II. cap. 10. p. 570. *Per Sapientem*, inquiens, *Paulus in h. l. non intelligit prudentem quemvis & probati judicii virum, ſed doctorem aliquem vel doctori ſupparem interpretem verbi divini, quales in caſibus conſcientiæ & quæſtionibus juris apud Judæos in provinciis adiri ſolebant, ceu monebitur in ſequentibus.* Confer ejusdem Archiſynagogum p. 385. Mihi quidem Paulus *prudentem* quemvis hominem per σοφὸν indicare videtur, quandoquidem ad Corinthios ſcribit, quorum multos ſapientiæ multum ſibi tribuiſſe, vel ex cap. IV. 6. ſq. apparet. Cum hac itaque perſuaſione conciliari id non poſſe ſubinnuit, quod ſui ipſorum adeo ſint immemores, ut aliis potius, quam fratribus, de rebus ſuis judicia permittant.

Οὐδὲ εἷς) In paucis quibusdam Codd. & Æthiopica quoque verſione cum iſta quidem deſiderentur, *Millius* in Prolegomenis jam olim emphaſeos cauſa adjecta eſſe opinatur. Lege contra eum *Whitbii* Examen p. 62.

Verſ. 6. Καὶ τοῦτο) ſcilicet γίνεται, *uſu venit*: ſicut mox v. 8. καὶ ταῦτα i. e. ποιεῖτε, *facitis.* Latini dicunt, *idque*, ἐν αὐξήσει. Sic vero etiam Græci, ut *Xenophon* Oeconom. pag. 680. *καὶ ταῦτα πρόσθεν ἐμοῦ τὴν γνώμην ἀποφαινόμενος. Et quidem ante me, quid tui eſſet judicii, pronuncians.* Confer Rev. *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 223. & *Jo. Vorſtii* Diſſertatt. Sacrarum lib. III. p. 80.

Verſ. 7. Ἤδη μὲν οὖν ὅλως ἥττημα ἐν ὑμῖν ἐστιν) De voce ἥττημα vide **Unſchuldige Nachrichten** an. 1715. p. 357. Particulam ἤδη, quam B. *Lutherus* rectiſſime per **ſchon** expreſſit, illuſtrat Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 466.

Διατί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε) Paulum hic ad celebre aliquod Scriptoris cujusdam Græci dictum alludere ſuſpicatur *Henr. Stephanus* in Diſſertat. de Stylo Græco N. T. p. 13. Syntagmatis Honertiani. Ejusmodi vero loca is tria affert. Unus eſt *Menandri*:

> Οὗτος κράτιστος ἐστ᾽ ἀνὴρ, ὦ Γοργία,
> Ὅστις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ᾽ ἐπίσταται βροτῶν.
> *Eſt, Gorgia, vir ille præſtantiſſimus,*
> *Qui injuriis ſcit affici quamplurimis.*

Verſ. 8. Καὶ ταῦτα ἀδελφούς) Vide ad v. 6. Voces καὶ ταῦτα ſuſpectæ Millio ſunt, quia eas omiſit *Clemens Alex.* alii autem pro ταῦτα legunt τοῦτο. Neutrum momenti aliquid habere recte exiſtimat *Whitbius* p. 62. Phraſis ipſa Græca omnino eſt. Vide, quæ dicentur ad Hebr. XI. 12. & confer *A. Blackwall* in Sacris Claſſicis Tom. II. pag. 56. item *Raphelium* pag. 467. Annotatt. Herodotearum.

Verſ. 9. Μὴ πλανᾶσθε) Similiter *Philemon*:

> Μηδὲν πλανηθῇς· ἔσται κἂν ᾅδου κρίσις,
> Ἥνπερ ποιήσει θεὸς, ὁ πάντων δεσπότης.

Conf. *Henr. Stephanum* l. c.

Οὔτε

Ουτε μαλακοὶ) *Non alia inter πόρνους & μαλακοὺς differentia eſt, niſi quod πόρνοι quæſtum corpore ſuo publice faciebant. -- Μαλακοὶ ſunt impudici, non tamen πόρνοι. Cæſar apud Nicomedem impudicus fuit, non πόρνος. Molles ergo ſunt, qui Græce μαλακοὶ, cinædi nempe, & hi, quos intelligimus, πόρνοι, ſi publice ſe proſtituant.* Ita *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 154. De variis cinædorum nominibus Græcis lege *Pollucem* VI. 30. ibique Interpretes. Salmaſius forte reſpexit *Heſychium*, qui μαλακὸν expoſuit per ἀσελγές. Inſpice præterea *Suicerum* II. p. 297.

Ουτε ἀρσενοκοῖται) Veneris maſculæ, flagitii deteſtandi, auctorem primum *Laium* quendam ſtatuunt Scriptores. Vide *Æliani* Var. Hiſtor. XIII. 5. ibique *Schefferi* & *Kühnii* notas. Alii vero *Orpheum:* inſpice præſtantiſſimi *J. A. Fabricii* Bibliothecam Græcam lib. I. p. 135. edit. primæ. Inter gentes frequentatum fuiſſe hoc crimen tum aliunde, tum ex *Pet. Bælii* Dictionario Hiſtorico-Critico Tom. I. p. 212. patet. Adde *Pet. Ærodium* in Pandectas lib. VIII. Tit. 2. p. 1069. & *Guil. Saldenum* in Otiis Theolog. lib. I. Exerc. VII. Diogenem illud improbaſſe, ex illis ejus dictis patet, quæ *Diogenes Laërtius* VI. 65. & alii ad poſteritatem transmiſerunt. Lege obſervationes *Ægid. Menagii* ad l. c. p. 250.

Verſ. 10. Ουτε κλέπται, ὔτε πλεονέκται &c.) Vide *Eraſmum* in Epiſtolis Tomo III. Operum p. 368.

Verſ. 11. Καὶ ταῦτά τινες ἦτε) De vi hujus phraſeos diligenter contra *Paſorem* & *Wyſſium* commentatus eſt *Jo. Vorſtius* in Diſſertatt. Sacris lib. III. c. 4. pag. 79. ſqq. Summa huc redit p. 81. *Quapropter rectius fecerimus, ſi ſic vertamus, ut Interpres Vetus vertit:* & hæc quidem eratis; *& vocem ταῦτα poſitam credamus pro τοῖοι,* tales, *ut ita vox iſta ipſa integrum ſit enunciationis prædicatum, & ſenſus ſit:* & vos quoque eratis tales. Idem in ſequentibus contendit, vocem τινὲς non per *quidam* vertendam eſſe, ut quidam tantum Corinthiorum tales fuiſſe innuantur. *Etſi enim,* inquit, *Corinthii iſtis vitiis, quæ Apoſtolus recenſet, non ſimul omnibus præditi omnes fuere; ſinguli tamen eorum vitiorum aliquod aut aliqua habuere. Deinde, ſi enunciationem Apoſtolus particularem facere voluiſſet, non ſcripſiſſet:* καὶ ταῦτά τινες ἦτε, & hæc quidam fuiſtis; *ſed ſcripſiſſet:* καὶ ταῦτα ὑμῶν τινες ἦσαν, & hæc quidam veſtrum erant. *Sic Joh.* VI. εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινες, οἳ ὐ πιστεύουσιν. Deinde poſtquam p. 83. monuiſſet, *Bezam* in editione quarta verſionis ſuæ ita reddidiſſe: *& hæc eratis unusquisque;* atque adeo τὸ τινὲς de unoquoque accepiſſe, quaſi ſcriptum fuiſſet ἕκαστός τις, vel πᾶς τις, ipſe quidem hanc interpretationem deſerere ſuadet, & pag. 85. vocem τινὲς abundare, ac in verſione negligendam eſſe pronunciat, allato hanc in rem *Ariſtotelis* loco ex lib. VII. Politicorum, ubi vox τὶς ter παρέλκει. Περὶ μὲν ὖν τῶν πολιτευομένων, πόσους τε ὑπάρχειν δεῖ, καὶ ποίους τινὰς τὴν φύσιν, ἔτι τε τὴν χώραν, πόσην τέ τινα, καὶ ποίαν τινὰ, ὥρισται σχεδόν. Idem itaque per ταῦτά τινες ἦτε dici putat, ac ſi ſcripſiſſet Apoſtolus: καὶ τοῖοί τινες ἦτε. Idem p. 86. vocem ταῦτα pro τοῖοι adhibitam eſſe opinatur eodem modo, quo Apoſtolus 1 *Cor.* IX. 22. ſe omnibus factum eſſe τὰ πάντα affirmat. Mihi quidem *Vorſtius* pleonaſmum voculæ

τινὲς non ſatis adſtruxiſſe videtur. Ratio ejus prima quod omnes & ſinguli, qui ex Corinthiis converſi erant, vel aliquod, vel aliqua eorum, quæ hic commemorantur, vitiorum habuerint, merito adhuc in dubium vocatur. Paulus enim ad cœtum, qui ex Judæis & Gentilibus Chriſto collectus erat, hoc loco ſcribit, & flagitia turpiſſima commemorat, a quibus eos ſaltem, qui ex Judæis ad Chriſtum acceſſerant, alienos maximam partem fuiſſe probabile eſt. Allatus *Ariſtotelis* locus pleonaſmum voculæ τινὲς in Paulinis verbis non evincit, cum neutrum ταῦτα ſimilem formam atque adeo τινὰ requirat. Nec fraudi cuiquam eſſe debet, quod Paulus non ſcripſerit: ϰ͵ ταῦτα ὑμῶν τινες ἦσαν. Nam ellipſis pronominum in hac loquendi forma frequenter ſe offert, v. c. *Joh.* XIII. 29. τινὲς γὰρ ἐδόκουν, ubi deficit αὐτῶν *Actor.* XVII. 18. καί τινες ἔλεγον. Accedit, efficaciorem eſſe orationem hanc Paulinam, ϰ͵ ταῦτά τινες ἦτε, qua ſcilicet eos graviter compellat, & ad attentionem excitat.

Ἀλλὰ ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλ' ἐδικαιώθητε) Cl. *Georg. Ludov. Oederus* in Syntagmate Obſervatt. Sacrarum pag. 599. ſq. hæc non *enunciative* & *aſſertive*, ſed *interrogative* exprimi & accipi vult, hoc ſenſu: *Enimvero num abluti eſtis, num ſanctificati eſtis, num juſtificati eſtis nomine Domini Jeſu & Spiritu Dei noſtri?* Ejus itaque judicio Apoſtolus duo ponit hoc commate momenta, certum alterum, tales ſcilicet eos fuiſſe olim, alterum incertum, nempe *purgationem* ipſorum, quam hac *interrogatione vel penitus factam eſſe neget, vel ſaltem dubiam faciat.* Rationem ita ſentiendi hanc affert p. 598. *Jam enim cum pejore Corinthiorum parte agendum eſt Apoſtolo noſtro, quos graviter reprehendit v.* 8. Vos injuriam facitis & defraudatis, & fratres quidem veſtros. *Deinde vehementius etiam loquitur:* an neſcitis injuſtos regnum Dei non adepturos? *Quos ita duriter compellari neceſſe eſt, quis juſtificatos ſanctificatosque illos dixerit eſſe?* Sed hic iterum Vir doctus nodum in ſcirpo quærit, quod ipſi alias familiare eſſe aliquot exemplis ex ſuperioribus conſtat. Recte omnino hæc verba ſine interrogandi nota, quam nec Codices, nec verſiones ullæ, nec Interpretes adhibuerunt, *aſſertive* capiuntur. Id poſcit ipſa particulæ ἀλλὰ notio frequentior, per quam *oppoſitionem* infert. Poſcit Paulinus illius particulæ uſus, qui, ut alia loca taceam, v. 12. recurrit: πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' ȣ̓ πάντα συμφέρει· πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' ȣ̓κ ἐγὼ ἐξȣσιασθήσομαι ὑπό τινος. Nec ullus quærenti mihi in Novi Fœderis tabulis locus occurrit, in quo τὸ ἀλλὰ interrogandi nota inſtructum appareat. Poſcit idem Apoſtoli ſcopus. Hic avocare volebat Corinthiorum nonnullos ab impuris & Chriſtiano homine indignis vitæ inſtitutis. Quod efficacius certe fieri non poterat, quam, ſi illis in memoriam revocaret inſigne illud beneficium, quo ab omnibus priſtinæ vitæ ſordibus erant liberati. Turpiſſimum enim fore facile intelligebant, ſi in easdem iterum ſe præcipites darent, immemores βαπτίσματος ſui, tanquam ἐπερωτήματος συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς θεόν. 1 *Pet.* III. 21. Id rectiſſime, ipſo *Oedero* in tantum applaudente, *Nic. Hemmingius* in notis ad h. l. *Ut commemoratione,* inquiens, *priſtini ſtatus Corinthios humiliat, ita propoſito gratuito beneficio excitat eos ad gratitudinem*

per

per ſolicitudinem ſanctam , qua caveant , ne tantum bonum ſua culpa amittant. Nec obverti valide poteſt, Corinthios, paulo ante tam duriter compellatos, vocari non poſſe *juſtificatos* & *ſanctificatos.* Nonne enim ipſi illi Corinthii, quos hic alloquitur, cum Chriſto per ſacrum lavacrum initiarentur, vere per illum baptiſmum, *juſtificati* & *ſanctificati* erant? Quomodo alioquin Paulus eos in limine epiſtolæ hujus vocare potuiſſet ἡγιασμένους ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ & κλητοὺς ἁγίους. At excipit Vir doctus p. 598. Paulum Eccleſiam Corinthiorum ob partem etſi non majorem, potiorem tamen, ejusmodi elogio dignam habuiſſe. Injurius mihi in Corinthiorum cœtum videtur, qui majorem illius partem pravis moribus tunc corruptam fuiſſe ſtatuat. Ex dictione Paulina id certe non apparet: imo vero contrarium elucet. Tales enim flagitioſos, quos v. 9. & 10. commemoraverat, nonnullos eorum ait *olim* fuiſſe. Itaque non amplius tales erant *multi* eorum. Taceo, Apoſtolum v. 8. id unum in iis reprehendere, quod dentur, qui ſe invicem defraudent. Hac vero occaſione in alia etiam vitia præter injuſtitiam digreditur, ut intelligerent, eandem omnium aliorum ſordium rationem eſſe, omnesque æque ac *injuſtitiam* illam caveri a Chriſtiano homine debere. Quid ſi igitur dixero, Apoſtolum hoc loco Corinthios ablutos, ſanctificatos & juſtificatos etiam ratione *applicationis* appellare, quod hactenus ſe ab illis vitiis abſtinuerint? Præſtat tamen in eo acquieſcere, quod Paulus iis in memoriam revocet gratiam ſingularem, cujus fructum olim in baptiſmo ceperint, ſive in illa adhuc perſtiterint, ſive ea exciderint. Utrinque non tam *elogium* quærendum eſt, quam divinum *beneficium*, cujus & participes facti erant, & inpoſterum eſſe poterant Corinthii, ſi admonitioni Paulinæ audientes eſſent.

Quod ad phraſes ipſas attinet, per tres illas unam eandemque rem, nempe gratuitam peccatorum remiſſionem & juſtificationem, inferri recte contendit *Jo. Vorſtius* l. c. p. 86. ſqq. contra Pontificios & *Conr. Hornejum* Tomo II. Diſputatt. Theologic. in limine Diſput. IV. τὸ δικαιοῦσθαι de infuſione juſtitiæ interpretantem. *Non novum eſt, Vorſtius* inquit, *in ſacris literis præſertim, tribus aut pluribus diverſis vocabulis rem denotari unam eandemque. Ipſi Rhetores inter figuras, quas tradunt, & συνωνυμίαν ſeu interpretationem habent. Notum eſt illud Tullii:* non feram, non patiar, non ſinam. *Et alterum illud:* abiit, exceſſit, evaſit, erupit. *Et utuntur auctores hoc elocutionis genere, quoties dignitatem aut magnitudinem uno vocabulo non ſatis exprimere poſſe videntur. Nec mirum cuiquam eſſe debet, quod Apoſtolus, cum plura grandia vitia recenſuiſſet, quibus Corinthii obſiti fuiſſent, condonationem, quæ facta erat, iſtorum omnium non uno, ſed pluribus vocabulis exprimit.* Sententia hæc, quod verbum δικαιοῦσθαι juſtificationem a peccatis per Chriſti meritum inferat, vel ex ipſa dictionis Paulinæ ſerie comprobari poteſt, quandoquidem voces ἀλλ᾽ ἐδικαιώθητε proxime junguntur illis: ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, tanquam ex quo omnis juſtificatio hominis pendet, quemadmodum *ablutio a peccatis* ad baptiſmum, tanquam cauſam mediam, & *ſanctificatio* ad Spiritum S. non obſcure reſpectum infert,

fert, additis verbis: ϗ ἐν τῷ Πνεύματι τῦ Θεῦ ἡμῶν. Itaque nec phraſes hæ prorſus pro iisdem ſunt habendæ, quamvis ſingulæ ad condonationem per Chriſtum referantur. Idem *Vorſtius* pag. 90. ſub verbo ἀπελέσαϑε non inconvenienter vult ſubintelligi τὰς ἁμαρτίας, quæ vox diſerte exprimitur *Act.* XXII. 16. ἀναςὰς βάπτισαι ϗ ἀπόλυσαι τὰς ἁμαρτίας. Paſſivam verbi formam hanc eſſe exemplo ſuo Græci probant Interpretes *Job.* IX. 30. ἐὰν ἀπολέσωμαι χιόνι, ϗ ἀποκαϑάρωμαι χερσὶ καϑαραῖς.

Verſ. 12. Πάντα μοι ἔξεςιν, ἀλλ' ὐ πάντα συμφέρει) Connexio horum verborum cum antecedentibus nulla viſa eſt Interpretibus plerisque, qui Paulum hic quaſi ex abrupto ad novum argumentum digredi exiſtimarunt. Inter hos eſt *Clericus* in notis ad verſionem Gallicam. Id in oratione hac, tanquam pathetica, mirum non eſſe affirmat Cl. *Oederus* l. c. p. 600. Videtur tamen ratio ex ſuperioribus reddi poſſe, quomodo in hanc phraſin Paulus inciderit. Egerat enim in ſuperioribus hujus capitis uſque ad v. 10. de intemperie illa cauſas in foro Gentilium perorandi. Hanc Corinthii procul dubio pro re ἀδιαφόρῳ ſibique licita habebant. Horum itaque intemperantiæ κυρίαν illam δόξαν opponit, qua in ſimili argumento etiam infra utitur cap. X. 23. ſive illam ex ore hominum quorundam aſſumtam, ſive ex ſe petitam & ſimul valide repulſam dixeris. Eadem vero ſententia viam ſibi munit ad ſequentem tractationem, quæ partim ad ſcortationem, per conjugium vitandam, partim ad idolothytorum eſum temperandum refertur. Ad utrumque horum phraſi repetita: πάντα μοὶ ἔξεςιν, & duplici reſponſione munita, reſpicere Apoſtolum obſervat Cl. *Oederus* l. c. p. 602. ſq. quæ apud ipſum legi velim.

Phraſin: πάντα μοι ἔξεςιν illuſtrat *Joſua Arndius* in Miſcellan. Sacris p.45. *Vox* ἐξεῖναι *& Latinum* licere, *interdum notat id, quod rectum & pium eſt, licere, etiamſi aliud fieri poſſit laudabilius. Et tale eſt hoc Pauli.* Πάντα, *inquit, omnia; iſtius puta generis, de quibus agere cœpi, & acturus ſum,* ἔξεςί μοι, *ſed non omnia expediunt. Adlucebo faculam exemplis. Licet matrimonium contrahere, ſed laudabilior tamen eſt cœlebs caſtitas.* Vide ibi plura, nec omitte *Eraſmum* Tom. I. Operum p. 680.

ἀλλ' ὐκ ἐγὼ ἐξυσιαϑήσομαι ὑπό τινος) Horum verborum ſenſum ex duplici ſignificatione verbi ἐξυσιάζειν, τοῖς LXX. recepta, eruditiſſimus *Jo. Conr. Schwarzius* optime deduci poſſe cenſet in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. VI.p. 103. ſq. Hac itaque paraphraſi ea illuſtrat: *Omnia mihi quidem facere licet, quæ ad* εἰδωλόϑυτα *pertinent & conjugium: ſed ad ipſum hujus rei uſum non ego perpellar unquam abs quopiam.* Vel ſi minus ea quidem placeat, illam promit: *Quod ad conjugium &* εἰδωλόϑυτα *ſpectat, meam quidem libertatem nihil uſquam circumſcribit, veruntamen haud quaquam ego utar illa libertate, ne, ſiquidem cohortetur quispiam.* Argumenta viri doctiſſimi ſuo loco legi velim, quibus nonnulla oppoſuit Cl. *Oederus* l. c. p. 603. qui τὸ ἐξυσιάζεσϑαι per *mancipium fieri* explicatum cupit. Mihi quidem voces ὑπό τινος ad *rem* potius, quam *perſonam* referri debere cum Interpretibus plerisque videtur. Nullius ſcilicet rei, alio-

alioquin licitæ, uſum ita ſibi commendatum & jucundum fore Paulus ſignificat, ut illi ſe penitus addicat, ſe quaſi jugo quodam premendum præbeat.

Eſt Vir doctus, qui ex v. 12-14. novum argumentum pro reſurrectione carnis peti poſſe exiſtimat in dem Freywilligen Heb-Opfer Tomo II. pag. 179. & 189. ſqq. Videtur illi Paulus hic diſputare contra eos, qui, ſicut & 1 *Corinth.* XV., reſurrectionem corporis inficiabantur, atque ex hac negata omnium ciborum uſum licitum ſibi eſſe contendebant, ideo, quod Deus aliquando & cibum & corpus penitus abolere conſtituerit. Hoc fine commata illa tria objectionibus ita ſentientium, & reſponſionibus Apoſtoli abſolvi exiſtimat, hoc modo: Objectio: *πάντα μοι ἔξεστιν.* Reſponſio: *ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει.* Objectio: *πάντα μοι ἔξεστιν.* Reſponſio: *ἀλλ' οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθήσομαι ὑπό τινος.* Objectio: *τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ, καὶ ἡ κοιλία τοῖς βρώμασιν, ὁ δὲ Θεὸς καὶ ταύτην ϗ ταῦτα καταργήσει.* Reſponſio prima: *τὸ δὲ σῶμα οὐ τῇ πορνείᾳ, ἀλλὰ τῷ Κυρίῳ, ϗ ὁ Κύριος τῷ σώματι.* Reſponſio ſecunda: *ὁ δὲ Θεὸς ϗ τὸν Κύριον ἤγειρε, καὶ ὑμᾶς ἐξεγερεῖ διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ.* Largior Viro docto, reſponderi hic ad exceptionem, qua Corinthiorum nonnulli abuſum libertatis tegere & palliare ſatagebant, dicentes: *πάντα ἡμῖν ἔξεστιν*, ideo ſcilicet, quod doctrinam de libertate Chriſtiana non recte ceperant, ſed in abuſum vertere ſtudebant. Conf. 1 *Pet.* II. 16. Itaque libertatem illam etiam reſpectu rerum indifferentium temperandam omnino eſſe confirmat Apoſtolus, ut ſcilicet communis utilitatis ratio habeatur. Alioquin ſatis conſtare v. c. de cibis, eos ventri alendo, ventrem vero recipiendis cibis conditum eſſe, ventremque aliquando, ratione ſcilicet uſus, ubi homo ex hac vita deceſſerit, nec minus cibum, nullum fore. Cum tamen vel ſic (ita pergit argumentari Apoſtolus) ipſorum quoque ciborum, alioquin indifferentium, uſus non promiſcue Chriſtianis integer eſſe debeat, multo minus eum licere in rebus, quarum alia prorſus ſit conditio, v. c. ubi corpus ad ſcortationem adhibeatur. Corpus enim non fornicationi, ſed Domino, deſtinatum eſſe, ſicut Dominus ſe dederit ad corpus hominis (hominemque totum) redimendum, quod etiam propterea Deus aliquando non aboliturus, ſed, quemadmodum corpus Domini noſtri, ad vitam meliorem revocaturus ſit. Hanc argumentationis Paulinæ ſeriem, hanc vim eſſe, & dictio ipſa, & ſcopus Apoſtoli, tum vero ſequentia contextus momenta ſatis clare evincere mihi videntur. Apoſtoli enim h. l. inſtitutum eſt, ab impuræ & illicitæ veneris cujusque uſu avocare Corinthios, accepta ex inceſtu hominis flagitioſiſſimi occaſione. Illum enim nonnulli, libertatem Chriſtianam cauſati, inter adiaphora numerare auſi erant. His occurrit Apoſtolus, oſtendens primum, & in rerum indifferentium, v. c. ciborum, uſu unumquemque caute & provide, non autem temere & inconſiderate verſari debere, deinde vero graviter monens, veneris uſum in adiaphororum numero omnino non eſſe collocandum, cum eo contaminetur corpus, quod Domini ſit, quodque aliquando ſit reſuſcitandum. Non diſplicent, quæ *Jo. Lockius* in Commentario ad h. l. de nexu orationis Paulinæ affert. Monet is, Apo-

Apoſtolum reſpondere ad objectionem, quæ fieri poterat: licere nempe cibis veſci omnibus, cur non & uti uxore quacunque? & reſpondere quidem ita: ſi liceret ex lege cibis uti omnibus, abſtinerem tamen ab omnibus, qui ventri meo non prodeſſent, quamvis tamen ille aliquando perire debeat. Cur igitur non idem facerem de corpore meo, quod certe non eſt factum propter uſum uxoris, ſed, ut perpetuum ſit?

Tantum igitur abeſt, ut verba illa: *τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ καὶ ἡ κοιλία τοῖς βρώμασι* &c. objectionis loco habenda ſint, ut reſponſionis potius Paulinæ *ἀλλ' οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθήσομαι ὑπό τινος* probationem, per aliquot commata continuatam, complectantur. Vir doctus pro ſua ſententia id urget, quod Paulus non ſcripſerit: *ἀλλὰ ὁ Θεὸς καὶ ταύτην* &c. Sic enim pro reſponſione Paulina haberi poſſe, quemadmodum in binis antecedentibus, *ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει*, & *ἀλλὰ οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθήσομαι*, particula *ἀλλὰ* occurrat. Enimvero Vir doctus hic præſtruit, ſententiam proximam *τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ* &c. pro objectione adverſarii habendam eſſe, quod ab eo evictum eſſe non video. Orationis enim nexui magis convenit, ſi ſtatuamus, S. Paulum iſta quidem ideo afferre, ut conſtet, de quibus rebus & quouſque ad Chriſtianam libertatem provocari poſſit, quæ tamen viciſſim in præſenti argumento, de quo exponebat Apoſtolus, ad partes vocari prorſus non poſſit, cum cibi ventriſque ab una, corporis vero & illicitæ veneris ab altera parte ratio ſit diſſimillima.

Verſ. 13. *Τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ, καὶ ἡ κοιλία τοῖς βρώμασιν*) Verbum *ἀνήκει* hic ſupplendum eſſe monet Cl. *Jo. Georg. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 124. Per *κοιλίαν Chryſoſtomus* & alii quidam Patres non *ventrem* aut *ſtomachum*, ſed *γαστριμαργίαν* ſeu *gulam* intelligunt; *Theodoretus* vero rectius ad *ventrem* ejusque uſum refert. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 119. Inſpice præterea *Witſium* in Ægyptiacis p. 103. & in Exercitatt. ad Symbolum Apoſtolicum p. 502. nec non *Bochartum* Tom. II. Operum p. 1025. Poſterior hic ſummam Paulini ſermonis hanc ait eſſe, *ſcortationem*, vel ſi liceret, non tamen expedire; ſed neque licere ullatenus, quamvis aliter ſenſiſſe videantur Ethnicorum plerique; nempe licitum eſſe promiſcuum veneris atque ciborum uſum, quod vel ex *Act.* XV. 20. & 29. pateat. Hoc vero probare Apoſtolum variis rationibus, quia ſcilicet ſcortatores in Deum, in Chriſtum, & Spiritum S. & in proprium corpus injurios ſe præſtent.

καταργήσει) Lege *Suicerum* Tom. II. p. 59.

Verſ. 14. *Ὁ δὲ Θεὸς καὶ τὸν Κύριον ἤγειρε*) Cur Deus Pater & hic & alias Chriſtum excitaſſe dicatur ex Patribus exponit idem *Suicerus* Tom. I. p. 309.

Verſ. 15-17. *Οὐκ οἴδατε, ὅτι τὰ σώματα ὑμῶν* &c.) Lege huc M. *Chriſtoph. Stralii* diſputat. de metatheſi Theſium & probationum, §. 17. ubi exiſtimat, his commatibus duo contineri argumenta, quæ inverſo ordine ab Apoſtolo confirmentur.

Verſ. 15. *Ἄρας οὖν τὰ μέλη τοῦ Χριστοῦ ποιήσω πόρνης μέλη;*) *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 133. pro *ἄρας* legendum eſſe putat *ἆρα*, quippe quod in con-

concluſionibus & interrogationibus cum ὖν ſæpe conjungatur. Sic apud *Platonem* in Theæteto pag. 118. ἆρ' ὖν πρὸς χαρίτων πάνσοφός τις ἦν ὁ Πρωταγόρας, & *Rom.* VII. 3. Ἄρα ὖν ζῶντος τῦ ἀνδρὸς, *Galat.* VI. 10. & 1 *Theſſal.* V. 6. Senſus itaque fuerit: *an igitur, quæ membra ſunt Chriſti, faciam meretricis membra?* Contra Codicum fidem id a *Boſio* factum ait Cl. *Elsnerus* pag. 94. Sed attulit tales aliquot *Millius*, ad quem etiam Boſius in calce obſervationis ſuæ digitum intendit, in univerſum ſcribens: *vide Mill.* Laudandus igitur videtur *Boſius* a modeſtia, quod vel ſic conjecturam ſuam dubius & anceps proponat, quam ſuperbe reprehendendus, tanquam qui ob *leviſſimam rationem* ita egerit. *Kuſterus* potius acerbiori huic cenſuræ ſubjici poterat, qui in notula ad *Millium* audacter ita pronunciat: Ἄρα *autem procul dubio vera lectio eſt: nam quem ſenſum* ἄρας *hic habeat, haud ſane perſpicio.* Interim & mihi perſuaſiſſimum eſt, vocem ἄρας ex Apoſtoli calamo fluxiſſe. Egregie illa ſe tum Codicibus optimis, plurimis & antiquiſſimis, tum verſionibus omnibus tuetur. Senſus quoque, quem *Kuſterus* deſiderat, ſatis conſtat, & efficaciam ſermoni Paulino conciliat. Idem enim eſt, ac ſi ſcripſiſſet: *num itaque membra Chriſti, furto quaſi ſurrepta, ſcorti membra faciam?* Ideo Paulus proxime ante Corinthios μέλη Χριςῦ vocaverat. Hoc vero ſenſu verbum ἄιρειν uſurpari patet ex verbis Mariæ *Joh.* XX. 2. 13. ἦραν τὸν Κύριον ἐκ τῦ μνημείυ. Hunc locum noſtro credo accommodatiorem eſſe, quam quem *Elsnerus* ex *Epicteto* Enchiridii cap. 2. attulit. De hoc verbi ſignificatu cum non cogitarent librarii quidam ſcioli, prætereaque meminiſſent, voculas ἄρα ὖν alias ab Apoſtolo uſurpari, factum eſt, ut τὸ ἄρας cum ἄρα ὖν permutandum cenſerent.

Verſ. 16. Ἢ ὐκ οἴδατε &c.) Vide *Eraſmum* Tom. V. Operum p. 19. C.

Ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ) Lege *Suicerum* Tom. II. p. 134.

Ἔσονται γάρ Φησιν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν) De ſenſu horum verborum ex mente Hebræorum exponit *Seldenus* de Jure Naturæ & Gentium pag. 562. de convenientia vero eorundem cum *Geneſ.* II. 24. *Guil. Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 532. ſqq. Differentia hic quidem obvia eo continetur, quod vox שניהם in Hebraico contextu deſideretur, quæ & apud τὺς LXX. & in Paulina hac citatione, tum vero *Matth.* XIX. 5. 6. *Marc.* X. 7. 8. & *Epheſ.* V. 31. itemque in Conſtitutt. Apoſtol. VI. 14. & VII. 2. per οἱ δύο exprimitur. Ex eo autem tum alii, tum nuper iterum *Guil. Whiſtonus* efficere conati ſunt, vocem שניהם ex codice Hebraico excidiſſe, aut de induſtria ſublatam eſſe. Neutrum ſequi illi facile largientur, quibus conſtat, Scriptores Sacros libenter τὺς LXX. in interpretando exprimere, hos autem nonnunquam perſpicuitatis cauſa unam alteramve vocem, quam ſenſus vel præſtruit, vel patitur, addere conſueviſſe. Alioquin enim ipſa orationis Moſaicæ facies commonſtrat, non niſi de duobus, mare nempe & fœmina, ſermonem eſſe, ut vel ſine addita voce שניהם intelligi potuerit. Hæc opponi velim *Whiſtono* in Conamine textum Hebræum reſtituendi pag. 93. & 302. Quid Patres de his verbis ſenſerint, oſtendit *Suicerus* Tom. II. pag. 935. Ex iisdem nullum polygamiæ aut con-

concubinatui præſidium naſci ſpeciatim oſtendit Rev. *Jo. Wilh. Zieroldus* in der deutlichen Erklärung der Heil. Schrift p. 1116. ſqq.

Verſ. 17. Ὁ δὲ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ ἕν πνεῦμά ἐστιν) Illuſtrantur hæc verba a B. *Julio Franc. Lütkenio* in Collegio Biblico p. 555. & *Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. III. cap. 4. pag. 68. ubi phraſin ἕν πνεῦμα cum Cabbaliſtica ſimili נשמה יחידה confert. Statuunt autem Cabbaliſtæ, mentem, (נשמה) in contemplatione & communione Dei perpetuo hærentem, ita Deo agglutinari, ut quaſi una cum Dei mente ſit. Confer *Amelium* Parte II. pag. 675. ſqq.

Verſ. 18. Φεύγετε τὴν πορνείαν) De permiſſa inter Gentiles, ſpeciatimque Corinthios, vaga venere cœlibum lege veterum loca apud *Amelium* Parte II. der Erörterung p. 243. ſqq.

Ὁ δὲ πορνεύων εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει) *Quis neget ſuum corpus inſigni quadam contumelia illos afficere, qui id reddunt membrum meretricis, & unum eſſe faciunt cum impuro propudio? In reliquis enim* ὕβρεως *ſpeciebus id damus operam, ut in alios* ὕβριν *exſeramus, & contumeliæ notam inuramus, non in noſmet ipſos? Utut ſit, ut ne quis putet, Apoſtolum hic paradoxum aliquid attuliſſe in medium, obſervo, etiam Ethnicum hominem ſic locutum multis ante Apoſtolum ſæculis; ex quo etiam ſuſpicor, eum hoc mutuare voluiſſe, ut multa alia paſſim, prout in Græcorum ſcriptis erat verſatiſſimus. Is porro eſt* Æſchines, *cujus hæc verba ſunt in Oratione in Timarchum non procul ab initio:* τοῦτον τὸν νόμον ἔθηκε περὶ τῶν μειρακίων, τῶν προχείρως εἰς τὰ ἑαυτῶν σώματα ἐξαμαρτανόντων *&c. de ſcortationibus agi ex ſequentibus abunde patet. Huc & illud refero, quod ex Hebr. Chald. Syr. Arab. nomine* גופה *&* גוף *corpus ſignificante, Chald.* גוף *verbum ſcortari eſt. Sic in Lege in Targum Jonathanis* לא תגוף *non ſcortaberis. Et* גיף *mœchum ſignificat, ac ſi hoc proprie ſit corporis vitium, ſeu, quo peccatur in corpus.* Ita *Samuel Bochartus* Tom. II. Operum p. 1025. Cetera hic obſervata mitto. Id unum vero non poſſum non monere, Virum alioquin magnum & cum paucis comparandum humani aliquid paſſum eſſe, quando Paulum ab Æſchine mutua ſumſiſſe vult, quæ ad inſtitutum Pauli non pertinent. Loquitur hic Paulus in ſcortatorem. Æſchines vero de cinædo. Evolvi locum qui exſtat in Operibus Demoſthenis & Æſchinis edit. Genevenſis 1606. p. 173. Ibi Lex, ad quam Æſchines provocat, ita habet: ἄν τις Ἀθηναῖος ἑταιρήσῃ, μὴ ἐξέστω αὐτῷ τῶν ἐννέα ἀρχόντων γενέσθαι. Hæc *Hieron. Wolfius*, Vir græce peritiſſimus, rectiſſime ita reddidit: *Si quis Athenienſis ſe proſtituerit, ei ne liceat in Novemviros cooptari.* Vides hic ſermonem de cinædo ſeu ſcorto maſculo eſſe, non de ſcortatore quocunque. Et ſic Scriptores veteres ἡταιρηκότα appellant *muliebria paſſum.* Vide *Diog. Laërtium* lib. I. §. 55. *Pollucem* Onomaſtici lib. VI. c. 30. aliosque ab *Ægid. Menagio* ad citatum Diogenis locum allatos. Adde *Kuſterum* ad *Ariſtoph.* Acharnenſ. v. 603. Paulus igitur aliquid amplius dicit, quam Æſchini unquam in mentem venit.

Verſ.

Verſ. 19. 20. Ἢ οὐκ οἴδατε, τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς &c.) Commata hæc illuſtrat *Robertus Fleming*, Anglus, in Chriſtologia ſua Anglice edita Vol. II. cap. 7. p. 665. ſqq.

Ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς τοῦ ἐν ὑμῖν ἁγίου Πνεύματός ἐστιν) Spiritum Sanctum hic per πνεῦμα intelligi, contra *Vitringam* ſupra ad cap. III. 16. a me oſtenſum eſt. Confer *Pearſonium* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 563. Corpora fidelium cum templis comparari nonnulli exiſtimant per alluſionem ad templa Gentilium, ſpeciatimque Veneris illud apud Corinthios, quippe in quibus impuris eſſe deorum cultoribus licuerit. Vide *Petiti* Miſcellan. VIII. 8. p. 173. & *Amelium* Parte II. p. 245. Jam vero fideles non Veneris alicujus, ſed Spiritus S. templa erant, atque adeo puritatis & ſanctitatis ſtudioſi eſſe debebant. Mihi quidem Paulina phraſis ſublimior videtur, quam ut ex loco tam obſcuro nata ſit. In hoc commate duo momenta exprimi ab Apoſtolo monet *Joſ. Medus* in Operibus Parte I. Exc. 180. nempe inhabitationem Spiritus, ſeu præſentiam, & *dominium* ejusdem, καὶ οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν. Utrumque conjungitur etiam 2 *Corinth.* VI. 16. Confer *Spencerum* de Legibus ritualibus Hebræorum p. 1188.

Verſ. 20. ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς) Redemtionem hanc, pretioſo ſanguine factam, 1 *Pet.* I. 19. opponi uſui meretricis, tanquam quæſtuariæ & merentis, ingenioſe magis quam convenienter monetur in Biblioth. Bremenſi Claſſe III. pag. 449. Legi interim de hac phraſi poteſt *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitatt. Biblicis N. T. Tom. I. pag. 33. *Vulg.* & ejus exemplo Patres quidam *Latini*, verterunt *pretio magno*, non quod hoc epitheton in Græcis Codd. legerint, ſed quod mentem Apoſtoli efficacius ita exprimendam cenſuerint. Vide *Millium*. *Herodotus* lib. VII. pag. 479. ἐξευρίσκειν τιμῆς eodem ſenſu dicit, obſervante Rev. *Raphelio* p. 467. Annotatt. Herodotearum.

Δοξάσατε δὴ) Τὸ δὴ pro ἄρα, *igitur*, hic poni recte pridem monuit *Henr. Stephanus* de Stylo N. T. pag. 19. qui & hujus ſignificatus, alioquin rarioris, exempla in Theſauro Græcæ Linguæ ex profanis Scriptoribus attulit. Hinc intelligitur, unde τὸ *portate*, quod poſt *glorificate* in Vulgato & Latinis quibusdam Patribus legitur, natum ſit, nempe ex ſcholio illius, qui τὸ δὴ per ἄρα explicandum cenſebat. Ita recte conjecit *Grotius*, & cum eo *Lamb. Bos* pag. 134. In *Veleſianis* quidem lectionibus poſt τὸ δοξάσατε legitur καὶ βαστάσατε. Et *Millius*, *Grotio* relicto, verbum ejusmodi βαστάσατε vel ἄρατε, quod Chryſoſtomus in edit. *Veronenſi* & *Saviliana* exhibet, a Chryſoſtomo ipſo credit profectum. Inſueta alias hæc phraſis eſt Sacris Scriptoribus, quamvis Patribus Latinis inprimis, tum vero *Irenæo* etiam recepta. Vide *Millium* & *Jo. Pearſonium* ad Ignatii epiſtolas p. 3.

Καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ θεοῦ) Deſunt hæc in Codice Alexandr. aliisque nonnullis, nec non quibusdam verſionibus, atque ideo a ſtudioſo aliquo ad oram libri, explicationis gratia, addita videntur *Millio* in Prolegomenis §. 1289., quæ & ideo recens editor Novi Teſtamenti Græco-Angli-

 cani

cani prorſus omiſit. At Pauli illa eſſe, dubitari nequit per antecedentia. In iis enim Paulus & *σώματος* v. 16. *ἢ ὐκ οἴδατε, ὅτι ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμά ἐϛιν*, & *πνεύματος* v. 17. reſpectu Dei: *ὁ δὲ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐϛι*, mentionem fecerat, ideo inprimis, ut moneret, cum Deo neminem conjunctum eſſe Spiritu poſſe, qui per ſcortationem unum cum meretrice corpus fiat. Hinc itaque prima naſcebatur conſecutio, Deum & corpore & animo eſſe celebrandum, ſiquidem utrumque eorum Deo per ſe debeatur.

C A P. VII.

VErſ. 1. *Καλὸν ἀνθρώπῳ*) *Pulchrum, bonum*, i. e. *utile* eſt homini, quemadmodum Apoſtolus ipſe exponit infra v. 26. 28. 32. ſqq. & 35. *τῦτο δὲ πρὸς τὸ ὑμῶν συμφέρον λέγω*. Rectiſſime hoc monet Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 224. afferens ſimul *Xenophontis* locum ex Memorabilibus ejus lib. IV. p. 641. *τὸ χρήσιμον ἄρα καλόν ἐϛι, πρὸς ὃ ἂν ᾖ χρήσιμον; ἐμόιγε δοκεῖ, ἔφη.* *Ergo ad quod utile quidque fuerit, ad id cuique pulchrum eſt, eo uti? Omnino, ait.*

Γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι) Per euphemiſmum *τὸ ἅπτεσθαι* de uſu conjugii etiam a profanis Scriptoribus adhiberi oſtendunt *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. p. 130. & *Gatakerus* de Stylo N. T. cap. XI. pag. 129. item ad *M. Antoninum* de rebus ſuis p. 45.

Verſ. 2. *Διὰ δὲ τὰς πορνείας ἕκαϛος τὴν ἑαυτῦ γυναῖκα ἐχέτω*) i. e. *ad cavendam fornicationem.* Ita Scriptor libri כתר שם טוב pag. 127. col. 4. *Tribus*, ait, *modis vir conjungitur uxori: primo quidem, ut ſatisfaciat præcepto; Geneſ. I. 27. qui quidem modus omnium optimus eſt: deinde, ne concupiſcentia pravi ipſi dominetur; nam & hoc ex parte imperatum eſt: denique, ut ſatisfaciat appetitui ſolum, quæ quidem intentio peſſima eſt.* Alterum ex his modum, ſeu ſcopum potius, cum verbis Paulinis, *διὰ δὲ τὰς πορνείας* recte confert *Hackſpanius* in Miſcellaneis pag. 441. Vir doctus, cujus Horas Hebræo-Talmudicas in N. T. cupide exſpectamus, in earum Specimine, quod Nova Literaria Lipſienſia Latina an. 1719. pag. 83. exhibent, interpretari mavult ita: *propter exercendam libidinem*; vel, *ut libidinem licite exercere liceat.* Eam vero Pauli mentem eſſe, perſuadere mihi non poſſum, ut credam. Loquitur enim hic de honeſto conjugii uſu. Hinc jubet v. 3. *τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω.* Ejuſmodi vero legitimum uſum Paulus nunquam appellaverit *πορνείαν*, quam tanquam in vitio poſitam idem hactenus cavere juſſerat. Nec unquam libido licite etiam in conjugio exercetur, quamvis illa velo conjugii hominibus tegatur. Eam vero hic approbare videri poterat Paulus, ſi ad illam licite exercendam uxorem duci vellet. Locus *Hoſeæ* IV. 10. ubi verbum הזנו Viro docto de conjugibus, libidini admodum deditis, adhiberi videtur, meam hanc ſententiam confirmat potius, quam deſtruit. Talibus enim minatur Deus, fore, ut nullos tollant liberos. Non nego, in

Jalkuth ad Deuter. XXI. 15. phraſin לשם זנות (*ob fornicationem*) de iis dici, qui explendæ tantum libidinis cauſa uxores ducunt. Sed hinc nihil aliud efficitur, quam, quod vox זנות de immoderato conjugii uſu uſurpari poſſit, non vero, quod eandem illi notionem Apoſtolus hic ſubjecerit.

De phraſibus ἔχειν γυναῖκα & ἔχειν ἄνδρα, lege B. *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. II. cap. XX. p. 153. ſqq. Contra Polygamiam utriusque ſexus præceptum hoc Pauli inculcatum eſſe oſtendit *Wilh. Wall* in Hiſtoria Pædobaptiſmi p. 52. ubi & efficaciam vocis ἴδιος ex *Ariſtotele* recte urget.

Verſ. 3. Τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω) Codices nonnulli, verſiones & Patres ὀφειλὴν ſimpliciter legunt pro ὀφειλομένην εὔνοιαν, quomodo etiam Paulum ſcripſiſſe putant *Eraſmus*, *Zegerus*, *Grotius*, in cujus locum lectionis hodierna, tanquam verecundior, ſit ſuffecta. Adſtipulatur his *Millius* in Prolegomenis §. 632. & recentiſſimus editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Lond. 1729. Confer *Seldenum* de Uxore Hebræa lib. III. cap. VI. p. 337. Mihi non dubium eſt, receptam hodie lectionem ipſi Paulo deberi. Ὀφειλὴ vox ſatis verecunda eſt, nec video, qui de ea verecundiore reddenda cogitare quisquam potuerit. Paulinum vero ὀφειλομένη εὔνοια id habet præcipuum, ut clarior & efficacior fiat oratio. Paulus ſcilicet τὴν εὔνοιαν non ſimpliciter, ſed addita voce, ὀφειλομένην, præſtari a conjugibus jubet, tanquam, quæ non ab arbitrio alterutrius pendeat, ſed ex officio & conjugii conditione derivetur. Hinc v. 4. ait nec uxorem nec maritum abſolutum in corpora ſua jus habere; & v. 5. defraudationis loco habet, ſi inter conjuges aliter agatur. Ceterum εὐνοίας ὀφειλομένης nomine debitum conjugale hic verecunde ſignificari non ſolum ex contextu, ſed & communi fere Interpretum conſenſione conſtat. S. Paulus alludere per εὔνοιαν videtur ad Hebræam ſimilis ſoni vocem עונה, quæ eodem ſenſu adhibetur *Exodi* XXI. 10. ubi οἱ LXX. per ὁμιλίαν vertunt, Judæi autem Interpretes & Talmudici Doctores in *Ketuvoth* V. 6. *coitum*, ſive תשמיש המטה (*lecti munus*) interpretantur. Lege hanc in rem *Ludov. Cappelli* Spicilegium ad h. l. *Druſium* lib. VI. Præterit. *Gatakerum* de Stylo N. T. c. XI. p. 117. ſqq. & noviſſime doctiſſimum *Jo. Henr. Majum* lib. I. Obſervatt. Sacrarum p. 82. & in repetita editione p. 104. Atque hic quidem vocem Græcam εὐνὴν, noſtræ illi ſimilem, eodem ſignificatu ab *Homero* Iliad. σ΄. v. 433. & Odyſſ. κ΄. v. 296. adhiberi oſtendit. Ego εὔνοιαν τὴν παρὰ τῶν παιδικῶν a *Polluce* Onomaſtici lib. IX. §. 128. commemorari video. Externi alii in hac cauſa vocibus Φιλότης, χάρις & χαρίζεσθαι utuntur. Lege præter citatos *Feſſelium* in Adverſariis Sacris Tomo I. p. 142. Cl. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris p. 343. & diligentiſſimum *Jo. Georg. Schelhornium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe VII. pag. 75. ſqq. Ceterum *Herodotus* lib. V. p. 372. ὀφειλόμενα ἀποδιδόντας eos vocat, qui *debitam reddunt gratiam*. Lege *Raphelium* p. 467.

Ἀνὴρ in hoc commate de *marito* ex uſu veterum dicitur. Lege Volum. I. harum Curarum pag. 18. & adde hic obſervationes *Albertinas* l. c. ex quibus

acci-

accipies verbi *ἀποδιδόναι*, in amoris negotio uſurpati, exemplum in *Ariſtophanis* Pluto Act. IV. Scen. IV. ſub finem obvium, ubi Chremylus ad anum de juvene ita: *ȣ̓κȣ̃ν καθ' ἑκάςην ἀπεδίδȣ τὴν νύκτα σοι*, i. e. *ὀφειλὴν*, vel *ὀφειλόμενον*. Alias feminas dici *λαμβάνειν*, viros autem *διδόναι*, oſtendit pridem B. *Godofr. Olearius* in notis ad Philoſtrati ep. 12. & 20.

Verſ. 5. *Μὴ ἀποςερεῖτε ἀλλήλȣς*) Lege *Eraſmum* Tom. V. Operum p. 698. ubi de conjugio Chriſtianorum præcipit.

εἰ μήτι ἂν ἐκ συμφώνȣ πρὸς καιρὸν) De conjugum Chriſtianorum naſcentis Eccleſiæ continentia ex communi conſenſione lege inprimis *Godofredi Arnoldi* Tractatum Germanicum de conjugio primorum Chriſtianorum c. X. & alios ab eruditiſſimo *Jo. Alberto Fabricio* in Bibliographia Antiquaria cap. XX. §. 8. p. 584. laudatos, qui & inter Judæos æque ac Ethnicos ſimilis abſtinentiæ exempla a Scriptoribus commemorari oſtendit. Adde *Dougtæi* Analecta Sacra ad h. l. p. 111. & *Pet. Zornii* Vindicias Patrum adverſus Dallæum p. 68.

ἵνα σχολάζητε) B. *Lutherus* vertit: **daß ihr Muſſe habet.** Phraſin hanc Germanicam illuſtrat B. *Stadenius* in commentatione de difficilioribus vocibus verſionis Biblicæ B. Lutheri ſuo loco. De Græca voce conſulendus eſt *Vitringa* de Decem Otioſis p. 120.

τῇ νηςείᾳ ϗ τῇ πρoσευχῇ) Tres priores voces in Codicibus nonnullis, verſionibus & Interpretibus deſiderantur, ideoque nonnullis ac ſpeciatim *Millio* a ſtudioſo aliquo vel librario videntur profectæ, quas & ideo in ipſo textu omiſit noviſſimus editor anonymus Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, Londin. 1729. 8. Tuetur vero eas recte *Whitbius* in Examine pag. 63. & *Arnaldus* in Defenſione verſionis Gallicæ Montenſis contra *Amelotum* & *Malletum* p. 240. ſqq. quos ex parte in gratiam Interpretis Vulgati fruſtra defendit *Rich. Simon* in Obſervationibus novis ſuper textum & verſiones N. T. p. 343. ſqq.

καὶ πάλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχησθε) *συνέρχεσθαι* verecunde ad uſum conjugii hic refertur, veterum quoque Scriptorum exemplo. Lege huc *Cornel. Adami* Obſervationes Theologico-Philolog. p. 72. ſq. *Feſſelium* Tomo I. Adverſariorum Sacr. p. 128. & *Eraſmum* Tom. IX. Operum p. 145. Adde quoque, ſi placet, Volumen I. harum Curarum ad Matth. I. 18.

διὰ τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν) Lege B. *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. Tom. I. p. 73. Æthiops *τὴν ἀκρασίαν* per ejuſmodi vocem hic interpretatur, quæ *corpus* ſive *carnem infirmiter temperatam* infert. Vide *Caſtelli* Lexicon Heptaglotton radice תשוה col. 3956. *Atque hic noſter*, inquit is, (*ut nec raro alias*) *præ Interpretibus Orientalibus omnibus genuinum loci ſenſum ſolus eſt aſſecutus: non enim incontinentia ſive vitium aliquod, ſed infirmitas tantum naturæ per ἀκρασίαν indigitatur, ut ἐγκρατὴς dicitur, qui ἑαυτὸν ἐν κράτει ἔχει.* Interim negari non poteſt, vocem *ἀκρασία* alias intemperantiam in libidine venerea inferre. Vide *Salmaſium* in præfatione ad Tabulam Cebetis **. 4. De voce *ἀκρατὴς* (ſcilicet *ἑαυτȣ̃*) lege eruditiſſimum *Perizonium* ad Æliani Var. Hiſtor.

Hiſtor. II. 21. & *Arnaldi* Defenſionem verſionis Gallicæ Montenſis pag. 189. ſeq.

Verſ. 7. Θέλω γὰρ, πάντας ἀνθρώπους εἶναι, ὡς καὶ ἐμαυτόν) Τὸ καὶ emphaſin hic habere cenſuit *Beza*, quod abundare potius ex Græcæ Linguæ genio, & inprimis *Herodoto*, probat *Raphelius* pag. 468. Annotatt. Herodoteaꝛum. Ex his verbis cœlibatus Pauli pleriſque omnibus Interpretibus probari poſſe recte viſus eſt. Lege ex noſtratibus B. *Jo. Andr. Schmidium* de Apoſtolis uxoratis p. 79. ſqq. Rev. *Joach. Langium* in Commentatione Hiſtorico-Hermeneutica de Vita & epiſtolis Pauli pag. 12. & *Amelii* Erörterung Tom. II. pag. 797. ex ceteris *Herman. Witſium* in Meletematibus Leidenſibus p. 227. Viciſſim Pauli conjugium ex epiſtola *Ignatii* ad Philippenſes contra Biſſelium evincere conatus eſt B. *Dilherrus*, codice uſus Bibliothecæ Norimbergenſis MS., qui undecim Ignatii epiſtolas Latine converſas exhibet. Rem retulit *Ittigius* in Selectis capitibus Hiſtoriæ Eccleſ. Sec. I. pag. 247. ſq. & in præfat. ad Bibliothecam Patrum Apoſtol. eundemque priore in loco contra *Wagenſeilium* confirmavit, qui in commentatione de illuſtri civitate Norimbergenſi pap. 78. codicem ejusmodi ibi exſtare præceps negaverat. *Ittigio* ſuppetias fert Rev. *Guſtavus Georg. Zeltnerus* in diſſertat. de precatione Judæorum *Bircath Hamminim* p. 61. ſq. *Quamvis enim*, inquit, *hæc ita ſint facta, uti narrantur, & B. Ittigius etiam nuper admodum in Bibliothecæ P. P. Apoſtol. præfatione optima fide typis repetiit; non tamen tanta fuit vel codicis hujus, vel aliorum etiam haud diſſimilium, uti Nydprucciani, Auguſtani, Hungari R. Matthiæ, Oxonienſis &c. auctoritas, ut noſtrates non lubentiſſime prope omnes interpolationem fateantur; quam tamen dudum ante Lutherum factam eſſe ipſa MStorum, & in Papatu quoque impreſſorum codicum ætas docet: ut adeo vel hoc ſolum nomine Biſſelius, confeſſione edita, de more ſuorum mentiendi & infucandi MSS. ut & formidine ex inſpecto codice Norimbergenſi concepta ſuperſedere potuiſſet.* Idem p. 62. ipſum illum epiſtolarum Ignatianarum codicem ſe oculis ſuis uſurpaſſe teſtatur, miratus eadem opera, qui factum ſit, ut Wagenſeilius omnia alia adſerere auderet. Ex noſtratibus Rev. *Kochius* ſingulari diſſertatione conjugium Pauli confirmare quondam inſtituit, contra quem idem *Zeltnerus* l. c. & doctiſſimus *Heumannus* in Pœcile Tomo I. pag. 330. ſq. recte diſputant. Provocare hujus ſententiæ patroni ſolent ad Clementis Alexandrini & Chryſoſtomi teſtimonia: ad ea vero *Serarium* ſingulari opuſculo reſpondiſſe teſtis eſt *Lacerda* in Adverſariis pag. 369. qui & ipſe pro cœlibatu Pauli pugnat. Viciſſim ex Pontificiis *Natalis Alexander*, ſententiam de Pauli conjugio erroneam cenſeri non poſſe, pronunciat in Hiſt. Eccleſ. Tomo IV. f. 99. Ex noſtratibus rem pro dubia & incerta habet, Rev. *Deylingius* Obſervatt. Sacrarum Parte III. pag. 369. Sed mittamus hæc, quæ forte ab inſtituto noſtro remotiora, vel nimia videri poterant. Pertinent tamen ad illuſtranda ea, quæ infra IX. 5. leguntur.

Verſ. 8. Λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις) Confer *Eraſmi* Opera Tom. V. pag. 757. & IX. p. 693. De voce ἄγαμος ſpeciatim commentatur B. *Jo. Conr. Dietericus*

in Antiquitatibus Biblicis N. T. p. 15. ſq. ubi & alia de cœlibatu affert, quæ ad hoc caput illuſtrandum ſpectant.

Verſ. 9. Ἐι δὲ ὐκ ἐγκρατέυονται) Verſio Montenſis ita: *S'ils ſont trop foibles pour garder la continence;* quam interpretationem contra *Malletum* defendit *Arnaldus* in Defenſione verſionis Montenſis p. 278. ſqq. Attice ita dici pro vulgari: ἀκρατέυονται, monuerunt *Phrynichus* p. 82. & *Thomas Magiſter* de Vocibus Atticis, (ad quem compara notas *Lamb. Boſii*,) quamvis poſteriori illo utatur *Ariſtoteles*. Adde Cl. *Jo. Alberti* Obſſ. Sacr. p. 344.

Præceptum hoc Paulinum etiam ad eos ſpectare, qui voto virginitatis ſe jam obſtrinxerint, viſum eſt veteribus. Vide, ſodes, *Guil. Beveregium* ad Canonem Chalcedonenſem XVI. p. 119.

ἢ πυρῦσθαι) Latinos quoque Scriptores verbis *uri* & *ardere*, vocibusque *ignis* & *flamma* de libidinoſi amoris affectu uti oſtendit B. *Feſſelius* in Adverſariis Sacris lib. II. c. 22. p. 160. Adde *Picinelli* Lumina Reflexa p. 695. Patrum cogitata habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 895.

Verſ. 10. Τοῖς δὲ γεγαμηκόσι) i. e. *quibus ſunt uxores*, ut Interpres Syrus habet. Confer *Beveregium* ad Canonem Gangræn. IV.

παραγγέλλω ὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ὁ Κύριος) Verbis his ad temperandam vel coarctandam Scripturæ Sacræ θεοπνευςίαν perperam & inepte abuſos eſſe nonnullos, præter noſtrates, oſtendit *Jo. Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 15. ſqq. inter cetera hæc tradens. *Cum in hoc capite præcepta quædam ab* ἐπιταγῇ *Domini diſtinguat, non intelligit præcepta ex ſuopte ingenio excogitata, ſed hujusmodi, quæ immediate acceperat a divino Spiritu, non autem a Chriſto ipſo. Sic v. 10. dicit, non ſe, ſed Dominum præcipere ut uxor a viro non diſcedat: nempe Chriſtus ipſe hoc expreſſe docuerat (Matth. V. 32. & XIX. 9.). Contra v. 12. ait, ſe, non Dominum, dicere, ne fidelis infidelem uxorem dimittat. Recte: neque enim a Domino ipſo expreſſe declaratum erat, quid in iſto caſu faciendum eſſet: ſed in genere ſolum prohibitum erat divortium, quod generale Servatoris noſtri interdictum Apoſtolus, Spiritu divino ductus utique, ad conjugium fidelis cum infideli applicabat.* Lege ibi plura, & adde *Herm. Witſii* Miſcellanea Sacra lib. I. c. XXII. §. 31.

Verſ. 11. Ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, μενέτω ἄγαμος &c.) De ſenſu horum verborum diſputatum olim eſt inter Pollentium & Auguſtinum, quod conſtat ex duobus *Auguſtini* libris de adulterinis conjugiis, qui B. *Jo. Schilteri*, JCti quondam Argentoratenſis, notis illuſtrati prodierunt Jenæ 1698. 4. Is vero neutrum Paulini loci ſenſum aſſecutum eſſe putat. Auguſtinus uxorem, quæ diſcedat a marito, de ea accipit, quæ ob adulterium divortat, aut repudietur; Pollentius autem, quæ Apoſtolus in eam conditionem confert, ſi fiant, pure accipit, ac ſi licite fieri poſſint, atque adeo, quæ de facto dicuntur, de jure intelligit. Confer Acta Eruditorum Lipſienſ. Latina an. 1698. p. 340. Spectat huc quoque B. *Jo. Andreæ Danzii* diſſert. de uxore maritum repudiante ſecundum

leges

leges Hebræorum, contra Joſephum, pro illuſtrandis verbis Chriſti *Marc.* X. 12. & Pauli 1 *Cor.* VII. 10. 11. 13.

Lambertum Bos poſt χωριϑῆ ex ingenio legi velle ἢ, didici ex Prolegomenis ad novam Novi Teſtam. editionem *Amſtelodami* 1730. editis. Nec ubi, nec qua de cauſa ita ſtatuerit, perſpectum habeo. Conjectura vero cauſam aſſequi mihi videor, quod ſcilicet Græcæ linguæ rationibus convenientius habuit, ut phraſi μενέτω ἄγαμος, τὸ ἢ æque præmittatur, ac alteri præmiſſum eſt ἢ τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω. Et fieri facile potuit, ut τὸ ἢ prius ab ultima ſyllaba verbi χωριϑῆ abſorberetur. Aut valde fallor, aut hæc ſententiæ ejus præſidia fuerunt. Neutrum tamen pro tali habeo, quod receptæ & in omnibus Codicibus, qui adhuc collati fuerunt, obviæ lectioni valide opponatur. Nam quod fieri facile poteſt, id propterea non ſemper fit. Nec Græcæ linguæ genio adverſatur, τὸ ἢ in oratione ejusmodi bimembri omitti. Simile huic exemplum exſtat *Epheſ.* III. 20. Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκ περισσȣ̃ ὧν αἰτȣ́μεϑα ἢ νοȣ̃μεν. Ibi itidem τὸ, αἰτȣ́μεϑα, τὸ, ἢ præmiſſum non habet, quod requirere videbatur ſequens, ἢ νοȣ̃μεν.

Verſ. 14. Ἡγίαςαι γὰρ ὁ ἀνὴρ ὁ ἄπιςος ἐν τῇ γυναικὶ) Noſtratium plerique hanc *ſanctificationem conjugis infidelis* eo tantum ſenſu accipiunt, quod conjugium ejusmodi *legitimum* & *ratum* eſſe debere Chriſtianis Paulus dicat, etiamſi alter tantum conjugum Chriſti nomen profiteatur. Lege hanc in rem *Jo. Conr. Dietericum* in Antiquitatibus Biblicis N. T. Tom. I. p. 27. qui ita habet: Sanctificatus & ſanctificata *eſt*, *h. e.* legitimatus & legitimata, *adeo ut conjugium eorum ſit legitimum*, *idque probat ex effectu correlato. Si enim vir* ἄπιςος *per uxorem*, & *uxor* ἄπιςος *per virum non ſanctificatur*, *i. e.* legitimatur: τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάϑαρτά ἐςιν, filii veſtri, *qui tali impari quoad religionem conjugio copulati eſtis*, ſunt impuri, *i. e. ex illegitimo conjugio ſeu concubitu potius nati.* Νῦν δὲ ἁγιά ἐςιν, jam vero ſancti ſunt, *i. e. legitimi*, γνήσιοι, *non ſpurii*, *aut ex inceſtu nati.* Idem de hoc loco ſentit *Hackſpanius* in Sylloge Diſputatt. Theolog. & Philolog. p. 301. *Mihi*, inquit, *perplacet ſententia Joh. Piſcatoris*, *Herbornenſis*, *in Scholiis ad h. l. Is virum infidelem ſanctificatum dici cenſet per mulierem fidelem*, & *contra; quia nempe uſus conjugii ut ſanctus*, *h. e. conſcientiam uxoris aut viri non lædens*, *conceſſus eſt*, *ſive*, *quod uxor bona conſcientia cum viro infideli cohabitare poſſit*, *ſicut cibi* 1 Tim. IV. 5. *dicuntur ſanctificati*, *quibus ſine conſcientiæ vulnere quis uti poſſit*, *quem locum parallelum hic urgent poſt Auguſtinum* Flacius *in voce* ſanctificare, & Ameſius *Tom. III. Bellarmini Enervati: Hujus verba ſubjungam:* Sanctificari dicitur conjux infidelis non ſimpliciter, ſed quoad uſum conjugii: ſicut omnes creaturæ ad ſuum uſum ſanctificantur.

Alii viciſſim ampliorem quandam ea, quæ dicta eſt, prærogativam & conjugi infideli, & liberis ex conjugio impari natis, h. l. a Paulo tribui cenſent. Ita olim B. *Balduinus* ad h. l. adſtipulante B. *Calovio* in Bibliis Illuſtratis, ſtatuit, hic non de mere *civili*, nec de mere *Eccleſiaſtica* vel *ſpirituali* ſanctitate ſermonem

eſſe,

eſſe, ſed de *intermedia* aliqua, quæ *Levitica* ſeu legalis appellari poſſit, h. e. de jure iſto & poteſtate conſequendi privilegia civium Eccleſiæ. Sicut enim non quilibet in populo Dei ſacra facere in templo, vel tabernaculo poterat; ſed Levitæ ſaltem, 1 *Paralip.* XV. 14. nec omnia vaſa dicebantur ſancta, ſed quæ ad res ſacras adhibebantur, & ad hoc certis ritibus ſanctificabantur; ita non omnes promiſcue admittendi ſunt ad baptiſmum, & ei adjuncta beneficia, ſed qui ex civibus Eccleſiæ, ſeu fidelibus Parentibus nati ſunt. Hi ergo ſancti ſunt, quia habent privilegia Eccleſiæ, quæ aliis, qui foris ſunt, non conceduntur. Accedit huc ex parte *Campeg. Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. II. cap. VI. pag. 100. verba Pauli ita illuſtrans: *Quia Deus ejusmodi ſigna gratiæ jam cœpit monſtrare in ea familia, ex quibus colligere poſſumus, eum infantes, in ea ſuſceptos, negligere nolle, ita ut uxor amplecti eam gratiam poſſit, quandocunque velit; neque hoc ſolum, ſed ita etiam, ut uxor ſecundum aliquam ſui partem jam ſanctificata habeatur, quia una eſt cum marito, & maritus etiam, quia unus eſt cum uxore.* Idem in ſequentibus in ſanctitatem, quæ liberis, ex ejusmodi conjugio natis, tribuitur, inquirit, & poſtquam oſtendiſſet, liberos, qui ex infidelibus naſcuntur, non eſſe ideo participes Spiritus Sancti, aut per eum corpori Eccleſiæ inſeri, nec hic ideo ſanctos dici, quod vi fœderis externi ad *ſanctitatem externam* pervenerint, tanquam qui a mundo ſegregati in communione Eccleſiæ externæ vivant & educentur: ipſe quidem p. 104. ſtatuit: *infantes fidelium Parentum ideo dici Sanctos, quia juſte ex lege charitatis præſumimus, eos eſſe ſanctificatos per Spiritum Sanctum. Cum enim Deus gratiam ſuam cœperit monſtrare Parentibus, vel alterutri Parentum, non licet aliter præſumere, quam illum eandem gratiam præſtiturum infantibus, quam diu nobis non liquet contrarium. Hæc vero ratio eſt, cur infidelium liberi non admittantur ad baptiſmum, quia nullum argumentum habemus præſumendi, Deum iis velle communicare ſuam gratiam.* Hæc *Vitringæ* cogitata non ſatis ſe probarunt Cl. *Jo. Creyghtono* in Prolegomenis ad *Salom. van Till* commentarium in hanc epiſtolam Belgicum, ubi in his verbis explicandis multus eſt pag. 137. ſqq. Exiſtimat enim pag. 145. illam ſanctificationem alterius partis infidelis non tantum in eo conſiſtere, quod illa occaſionem ex fideli nanciſcatur vocatione ſancta potiundi, ſed eo potiſſimum abſolvi & contineri, quod *procreatio ſobolis etiam ab infideli facta ad commodum & incrementum Eccleſiæ N. T. ſpectet.* Eodem ſenſu idem liberos ex hujusmodi conjugio natos ſanctos ait vocari p. 147. quod membra ſint Eccleſiæ, & ut talia ad fœdus pertineant, dignaque baptiſmo non minus haberi debeant, quam olim liberi proſelytorum inter Judæos ad circumciſionem fuerint admiſſi. Lege ibi plura. Hæc in tantum admitti poſſunt, in quantum liberis Parentum fidelium naturalem ſeu originariam ſanctitatem, qualem illis *Calvinus* & *Beza* olim ex hoc loco vindicare ſuſtinuerunt, non adſcribunt. Sanctitas enim illorum ita non niſi *relativa* eſt, quia præ conjuge utroque infideli, & præ liberis, ex conjuge utroque infideli procreatis, & *jus* & *opportunitatem*

habent

habent in gratiam Dei perveniendi, iisque mediis, v. c. *inſtitutione* & *baptiſmo* utendi, per quæ gratiæ divinæ participes reddantur.

Alii denique verbum ἡγίαςαι de ſancto *baptiſmo* hic accipi tantum volunt, totumque comma ita interpretantur: ſæpius uſu veniſſe, ut maritus infidelis per uxorem fidelem ad fidem adeoque baptiſmum ſit perductus; ſin minus ita res haberet, & pars infidelis utplurimum talis manſiſſet, liberos, ex ejusmodi conjugio natos, baptiſmi participes fieri non potuiſſe, adeoque in naturali immunditie fuiſſe relictos. Jam vero contraria omnia in Eccleſia apparere, in qua liberi in univerſum omnes & baptiſati & ſanctificati ſint. Ita ex Anglis ſpeciatim Pauli mentem repræſentat *Walkerus* in libro Anglicano, quem *Modeſt Plea for Infant-baptiſm* h. e. vindicias Pædobaptiſmi inſcripſit, cap. 29. & *Wilh. Wa* in Hiſtoria Pædobaptiſmi pag. 67. ſq. iterumque in Notis Criticis ad N. T. pag 185. & nuperrime *Leonhard. Twells* in Examine Critico Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Parte II. p. 40. cujus verſionis auctor τὸ ἡγίαςαι verterat *is chriſtianizd*, eo ſenſu, quem in notis affert, quod maritus infidelis ob conjugem fidelem ideo pro Chriſtiano habeatur, quod maritus & uxor unum ſint. Urgent illi, quod verbum ἁγιάζεσθαι tum in N. T. v. c. 1 *Corinth.* VI. 11. & *Epheſ.* V. 26. tum a doctoribus veteris Eccleſiæ de baptiſmo adhiberi ſoleat, & in Veteri quoque Inſtrumento, nominatim *Exodi* XIX. 10. *Levit.* VI. 27. & 2 *Sam.* XI. 4. *ſanctificati* illi dicantur, qui aqua luſtrali a ſordibus ſint purgati. At utrumque argumentum rem mihi conficere non videtur. Lotio enim illa legalis V. T. ad baptiſmum a Chriſto inſtitutum minus convenienter accommodatur; nec vel citata illa, vel ſimilia iſtis ex V. T. oracula ita comparata ſunt, ut S. Baptiſmum per illa nude & ſimpliciter innui perſuadere nobis poſſimus; denique vero, ſiquidem utrumque largiri vellemus, nec ſic conſequeretur, eandem verbi ἁγιάζεσθαι hoc loco notionem eſſe, cum illi alias in N. T. nunc latior, nunc ſtrictior ſubjici ſoleat. Eſt vero præterea aliquid in ipſa orationis ſerie, quod hanc interpretationem procul eſſe jubet. Illa enim hoc ſibi vult, quod in primitiva Eccleſia conjux infidelis alterius fidelis exemplo una cum liberis, ex conjugio illo natis, ad Chriſtum frequenter perduci conſueverit. Sane, ſi tam feliciter cum re Chriſtiana actum fuiſſet, non opus futurum erat omni illa S. Pauli admonitione, ut alter conjugum alterum religionis cauſa non deſereret. Imo Paulus v. 16. ſperari quidem ejusmodi infidelis conjugis emendationem vult, non autem vel hactenus ſemper factam eſſe, vel certo futuram indicat. Itaque S. Apoſtolus conſilio hoc ſuo tantum conſultum cupit illis fidelibus, qui nefas eſſe credebant, matrimonii vinculo illis jungi, quos hactenus a Deo alienos eſſe videbant. Ex noſtratibus *Jo. Wilh. Zieroldus* in der deutſchen Erklärung der Heiligen Schrift pag. 1274. ſq. verbum ἡγίαςαι de *converſione* accipit.

Meam ſi requiras ſententiam, exiſtimaverim, eam, quam ſecundo loco ex *Balduino* noſtrate attuli, ſine incommodo admitti poſſe: ſed eidem tamen primam prætulerim. Paulus nempe indicat, conjugium ejusmodi impar ob conjugem alterutrum fidelem Deo placere. Hoc vero ad ſcopum Pauli ſufficiebat,

ciebat, qui eo ſpectabat, ut doceret, conjugem fidelem matrimonium, cum infideli ſuſceptum, ſolvere non debere. Hunc ſenſum verbum ἡγίασαι æque hic admittit, ac 1 *Tim.* IV. 5. poſtulat, ubi de *cibo* dicitur: ἁγιάζεται γὰρ διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως. *Grotius* ibi mentem Pauli recte aſſecutus eſt, ita eum exprimendo: *uſus illarum rerum gratus eſt Deo.* Ratio vero cur Deo conjugium etiam impar placeat, in parte ejus potiore quærenda eſt. Hæc eſt fidelis, quæ cum Deo accepta ſit, totum quoque conjugium, tanquam ordinatio divina, eidem probatur, inprimis cum ex ejus occaſione fieri poſſit, quod Paulus v. 15. ſubjungit, ut altera quoque pars ad ſalutarem doctrinam perducatur. Cetera, quæ ab aliis afferuntur, hujus ſanctificationis momenta & fundamenta longius mihi petita videntur.

Subnectam his B. *Godofredi Olearii* ſententiam in Prælectionibus MSS. expoſitam. Ἁγιάζεσθαι, inquit, *ſignificat ſacris uſibus deſtinari, illisque inſervire. Sic vaſa ſacrorum dicuntur* Ἁγιάζεσθαι, *dum ad ſacros uſus reponuntur & adhibentur. Sic conjugium comparatur cum vaſe, imo & corpus hominis. Sanctificatur igitur uxor infidelis per virum fidelem, & viciſſim, dum tanquam vas ſacrum deſtinatur uſui ſancto ex affectu ſancto ſobolem in honorem Dei procreandi. Liberi ejusmodi dicuntur Sancti, quia, ut ait Ambroſius, ſub Creatoris veneratione nati. Parentes ſcilicet fideles ſuſcipiunt liberos, ea intentione, ut ipſi liberi ita fiant vaſa gloriæ divinæ. Et ſicut aliæ oblationes ſanctæ fiunt voto, ita liberi ſanctificantur, in quantum Deo a Parentibus conſecrantur.* Hæc ὁ μακαρίτης quæ cum *Creyghtonianis*, antea adductis, ex parte conſpirant. Patrum veterum de his verbis ſententias a *Wallio* propoſitas lege in Hiſtoria Pædobaptiſmi p. 99. 152. & 175. ſqq.

Ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστι) Phraſeos hujus rationem petes ex iis, quæ ſcripſi ſupra ad V. 10.

Νῦν δὲ ἅγιά ἐστιν) Ex Cl. *Elsneri* ſententia pag. 95. ἅγιος *h. l. ſignificat* non impurus; *cujus poſſeſſio & uſus legitimus eſt, quia opponitur* τῷ ἀκαθάρτῳ, ut ſenſus ſit: *puri vobis cenſentur, amandi propter vinculum naturæ & curandi, nec abjiciendi tanquam impuri.* Hoc itaque Apoſtolum ſibi velle cenſet: *quod, quemadmodum liberi, e tali conjugio procreati, non ut impuri desererentur, ſed ob vinculum naturale amore & cura digni, atque ita ipſis eſſent* ἅγια, *ita quoque conjux, licet fide in Chriſtum carens, non continuo tanquam impurus ſit ſegregandus, ſed ob vinculum conjugii amore & contubernio dignus cenſendus. Ita ait expoſuiſſe Chryſoſtomum* ἅγια, τοῦτ᾽ ἔστιν οὐκ ἀκάθαρτα. *Ita cibos dici* ἁγίους *nec* ἀποβλήτους *ſeu abjiciendos* 1 *Tim.* IV. 4. 5. &c. Hæc interpretatio præſtruit, conjugem alterum, vel fidelem vel infidelem, qui religionis cauſa alterum olim deſeruerit, liberos tamen ex conjugio illo natos amore, curaque dignos habuiſſe. Id vero liquidum & extra dubitationem poſitum non exiſtimo, cum non deſint hodie conjugum exempla, qui, ubi religionis cauſa ſe deſerunt, liberorum quoque curam abjiciant. Ponamus vero rem ita actam eſſe, certe ab amore & complexu liberorum ad mutuum & perpetuum conjugii uſum argumentum duci non poſſet, cum conjuges, ſibi maxime infenſi, mutuo tamen amore libe-

liberos proſequi poſſint. Mihi quidem Paulus his verbis aliquid amplius indicaſſe videtur. Probaverat antea conjugii imparis vinculum non eſſe ſolvendum, ideo, quod Deo illud probetur; jam hoc Dei beneplacitum ad liberos quoque extendit, tanquam Deo vel ideo charos, & acceptos, quod ex Parente altero, ipſi placente, ſint procreati, per quem etiam ſalutari doctrina imbui & fœderi gratiæ initiari poſſint. Quod cum commode fieri nequeat, ſi v. c. maritus fidelis uxorem infidelem deſerat, eique liberos permittat, divortium ejusmodi etiam hoc nomine vult caveri. Ita ut ſentiam, comma ſequens me adducit, ubi emendatio conjugis infidelis a fideli ſperari jubetur. Sic omnia probe ſibi conſtant. Addo denique, Viri docti interpretationem locum prorſus habere non poſſe. Liberi hic dicuntur ἅγιοι in oppoſitione ad ἀκαθάρτυς. Quo igitur reſpectu ἀκάθαρτοι ſive *impuri* eſſe negantur, eodem affirmantur eſſe ἅγιοι. Impuri autem eſſe negantur ideo, quod ex altero parente fideli prognati ſint. Itaque ſanctitas illa pendet a ſanctitate & probitate alterutrius conjugis, quæ ut in ipſum conjugium cadit, ita in liberos. Proinde τὸ ἅγιον referri non poteſt ad utriusque conjugis in liberos ſuos prolixam voluntatem & amorem. Alioquin perit nexus orationis Pauli, qui dixerat, liberos ἀκαθάρτυς fore, ſi nempe Parente Gentili utroque ſati eſſent.

Sunt, qui phraſeos hujus notionem ex Judæorum ſcriptis illuſtrant. Illi enim in Codice *Jebhammoth*, tum vero *Maimonides*, & R. *Jac. ben Aſcher* in Jore Dea de *conceptione* & *nativitate* בקדושה *in ſanctitate*, verba faciunt, quando de prole Gentilis hominis ante proſelytiſmum & poſt proſelytiſmum diſſerunt. De hac ajunt, quod ſit נזרע בקדושה concepta & genita in ſanctitate, de illa vero שלא נזרע בקדושה, quod in ſanctitate, ἐν ἁγιωσύνῃ, vel ἁγίᾳ, non nata ſit. Loca hujusmodi lege in *Jebhammoth* cap. IV. & *Ketuvoth* cap. IV. §. 3. Adde *Vitringam* lib. II. Obſervationum Sacrarum p. 104. & *Jo. Braunium* in Selectis Sacris lib. III. p. 304. Doctores Judaici alios quoque commemorant liberos כשרים *rectos*, & פסולים impuros, ceu poſt *Druſium* lib. VI. Præteritorum obſervavit *Lud. Cappellus* in Spicilegio ad h. l.

Verſ. 15. Εἰ δὲ ὁ ἄπιςος χωρίζεται, χωριζέσθω· ὐ δεδύλωται ὁ ἀδελφὸς, ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τοιύτοις) Conſuli ad hæc verba poſſunt *Jo. Marckius* in Exercitt. Miſcellaneis p. 326. ſq. & *Jac. Guſſetius* in Veſperis Groninganis p. 218. ſq. Crucem illa Interpretibus ex eo fixerunt, quod Dominus noſter Matth. XIX. 9. ſolum adulterium divortii faciendi poteſtatem facere aſſeveret, hic autem *malitioſa deſertio* alteri illi, ceu cauſa non minus gravis & idonea, adjungatur. Quod cum pugnam aliquam inter Dominum noſtrum & Paulum inferre videatur, alii quidem deſertionem illam malitioſam pro cauſa legitima divortii hic afferri negant, alii viciſſim affirmant. In poſteriores has partes concedunt plerique, inprimis noſtrates, atque illi quidem cum *Buxtorfio*, in Tractatu de Divortiis & Sponſalibus, Dominum & Paulum hoc modo ſecum invicem non pugnare exiſtimant, cum uterque non de eodem agant argumento. Chriſtum enim ajunt tantum exponere de repudio voluntario & arbitrario, eoque quod

tunc inter Judæos invaluerat, cujus & Paulus v. 10. & 11. faciat mentionem, ad Domini noſtri præceptum exſerte provocans. Paulum vero præterea deſertionis malitioſæ meminiſſe, quam Chriſtus omiſerit, quia de ea apud Matthæum a diſputantibus non fuerat interrogatus. Illi vero comma 15. ita quoque accipiunt, quod, ſi pars infidelis cum fideli, hujus religione offenſa, habitare nolit, hanc diſceſſionem illius non ſolum ferre poſſit, ſed & ſimul libertate potiatur novo matrimonio ſe addicendi, quia non amplius δεδούλωται, ſeu *ſervituti* ſit obnoxia, nempe *conjugali*, per quam conjux neuter corporis ſui plena poteſtate alioquin fruatur. Ubi inprimis notandum eſt, quod verbum δεδούλωται reſpondeat vocibus Hebræis שעבד & אשתעבד i. e. *ſervituti ſubjicere*, & *ſervituti ſubjici*, quibus Hebræos in contractibus matrimonialibus uti pro *obligare ſe*, & *obligatum eſſe*, idem monuit l. c. *Buxtorfius.*

Alii voluntariam illam deſertionem ex mente Apoſtoli inferre tantum cenſent libertatem a commercio conjugali cum parte infideli, non item plenam matrimonii ſolutionem, aut ad nuptias ſecundas tranſitum, quippe qui a Domino noſtro ex ſola fornicatione, tanquam legitima cauſa, repetatur. Lege Veſperas Groninganas l. c. p. 223. D. *Jo. Frider. Wilhelmi Pagenſtecheri*, Profeſſoris quondam Marpurgenſis, *Jus Sanctorum*, (confer Unſchuldige Nachrichten an. 1707. p. 954.) & binorum hodie in Academia Profeſſorum præſtantiſſimorum, *Pet. de Toullieu* & *Michaëlis Roſſali* commentationes ſingulares, illius ſcilicet Orationem *de non ſolubili ob malitioſam deſertionem matrimonio*, Groningæ 1720. habitam, hujus autem Diſputationem de ſententia commatum hujus capitis 12-17. ibidem an. 1721. publico examini ſubjectam. Utrique viri eruditiſſimi in eo conſentiunt, quod deſertio voluntaria matrimonium non ſolvat, ſed diverſa tamen via in loco Paulino illuſtrando incedunt. Prioris explicatio his verbis proponitur p. 17. Orationis citatæ. *Inter varias Paulo, ut certiſſimo divinæ voluntatis Interpreti, propoſitas a Corinthiis quæſtiones, non poſtrema, nec, ut ea ſeſe habebant tempora, minimi momenti hæc fuit:* num conjugi liceret, recepta divortiorum licentia uſo, conjugem dimittere? *Licere negat Paulus. Hoc ipſius reſponſum videntur ſatis præſenſiſſe Corinthii, ut qui jam e ſancto ipſius ore pependerant, & ſanioris doctrinæ principiis ab ipſo non leviter erant imbuti. Huic igitur quæſtioni aliam ſubjecerant:* Si divertere non licet, at ſaltem alicui licebit eſſe deſerto, & ſic ſoluto per crimen infidelis, cui publice favent & patrocinantur leges, matrimonio, fas procul dubio erit ad ſecunda vota adſpirare. *Rationem addiderunt*: Nam quæ illa foret deſerti ab infideli Chriſtiani conjugis conditio? Quam dura illa, quam gravis? quid denique niſi ſervitus? quo quid liberali ac generoſo pectore indignius? *Quid ad hæc vero Paulus?* Si diſcedit infidelis, diſcedat: non eſt ſervituti ſubjectus deſertus frater vel ſoror in hujuſmodi rebus. *His verbis non prioris matrimonii ſolutionem, non vinculi ipſius abruptionem, & ſecundi contrahendi poteſtatem: non etiam officiorum erga deſertorem conjugalium liberationem, pronunciat; ſed propoſitam a Corinthiis rationem, ut Chriſtianis indignam, rejicit indignabundus,*

aſſe-

aſſeritque, ſtatum illum ſolitudinis, coacti cœlibatus & domeſtici luctus, in quo deſertione conjugis conſtituitur deſertus conjux, utut gravem, utut durum, minime tamen ſervitutem dici vel nuncupari poſſe, vel debere ab eo, qui veræ religionis imbutus ſit præceptis: nedum ex odioſo illo rei illiberalis & indignæ nomine concludi vel deduci (id quod a Corinthiis fiebat,) poſſit, non teneri ergo in eo ſtatu remanere fidelem, quin eum feliciter cum novo matrimonio permutaret. *Non negat, inquam, triſtem illam eſſe, & acerbam homini deſerto vitæ ſortem, quis enim id negaret? ſed ſervilem eam eſſe Chriſtiano adeoque intolerandam ipſi videri poſſe vel debere, id vero eſt, quod jure negat ſummo. At quo ergo? Id ipſe nos ignorare non ſinit: id ipſe nos ſtatim docet.* Quia vocati ſumus, & quidem a Deo, ad pacem.

Illa vero verba ita accipit Vir doctus, ut per *pacem* animus pacificus & injuriarum patiens (ſicut *Rom.* XIV. 7. *Gal.* V. 22. & *Epheſ.* IV. 2. 31. 32. innuatur, ſenſusque adeo ſit, Chriſtianum a Deo vocatum eſſe ad deſertionem ejusmodi æquo & tranquillo animo tolerandam, non vero novo matrimonio reſarciendam. Hanc in rem ita diſſerit Vir doctus p. 20. *Quæ vos ergo, ô Corinthii, vocationis ipſos veſtræ, quæ ſervitutis, rei apud vos quotidianæ, cepit ignorantia? Ad patientiam, ad manſuetudinem, ad injurias & contumelias tranquille ac fortiter ſufferendas vocati eſtis. Ea ipſiſſima eſt veſtra, in quantum a Deo vocati & Chriſti diſcipuli audire vultis, natura, quam non conſuetudo, non lex, non humana conſtituit aut finxit voluntas, ſed ipſe naturæ auctor & creator, ejusdemque, vitio hominis collapſæ ac profligatæ, inſtaurator formavit & ſancivit Deus.*

Viciſſim Cl. *Roſſalus*, vir Græce doctiſſimus, ut ex Interioribus Græcæ linguæ rationibus verbis Paulinis lucem inſignem fœneratur; ita totius argumenti, de quo hic agitur, conditionem hoc modo ediſſerit. Corinthios putat hanc Paulo quæſtionem propoſuiſſe: *Si non credens, ſive infidelis, diſcedat a conjuge fideli, quid tum agendum credenti? ſive potius, ſi Gentilis, a fideli conjuge abalienatus, niſi fide Chriſti deſerta, in conjugio permanere abnuat, ſed Chriſtiano neceſſe ſit, aut fidem abnegare, aut a conjuge repudiari, quid tum fideli faciendum? Eritne in connubio permanendum, fidem Chriſti abnuendo? Eritne contra connubio abeundum, fidem retinendo?* Ad hæc Paulum ait reſpondere: *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat.* Horum autem verborum hanc putat eſſe ſententiam: Impediri id a fideli non poſſe, quin a Gentili ex lege civili repudietur, multo autem magis neceſſarium eſſe, fidem retinere, hic fideli non diu eſſe ambigendum, ſed conjugis domo potius exeundum, quam fidem Domini abnuendam. Non enim *ἐν τοῖς τοιούτοις*, ſeu, *εἰς τὰ τοιαῦτα* (id enim per priorem illam phraſin innui exiſtimat) *ad talia* ſervituti ſubjectos eſſe infidelibus conjugibus conjuges fideles, h. e. non debere in talibus fratrem vel ſororem e Chriſtianis gentili conjugi imperanti parere, talia enim ut quis fidem abneget, ad conjugum ſubjectionem non ſpectare, ac ne quidem ad ſervorum ſervitutem. Per pacem idem intelligit non conjugum concordiam, ſed

eam, quæ ex Deo eſt, quamque Chriſtus pepererit, & cujus participes facti ſint, qui ad Chriſti ſacra ſe converterint. Hanc itaque ſectandam perpetuo, adeoque in Chriſtiana religione perſeverandum, nequaquam autem ad Gentilium ſuperſtitionem ex obſequio in conjugem infidelem redeundum eſſe. Cum hujus interpretationis præcipuum momentum in phraſi οὐ δεδούλωται repoſitum ſit, operæ pretium putamus, ipſa Cl. *Roſſali* verba, quæ ad illius expoſitionem pertinent, afferre. *Cunctandum itaque*, p. 21. inquit, *fideli dimiſſo, vel dubitandum nequaquam eſſe dicit Apoſtolus, ubi talis optio ab infideli proponitur*, ἐν τοῖς τοιούτοις, *eſſeque tantiſper obſequendum, quandoquidem nullo modo ad gentilitatem revocanti, & apoſtaſiam imperanti parendum. - - - Non enim ſervituti ſubjecti ſunt infidelibus conjugibus conjuges fideles* εἰς τὰ τοιαῦτα, ad talia. *Ad talia, quæ acerbe imperat infidelis, ſi velis in eadem cum ipſo conjugii ſocietate permanere, eſſe tibi cum eo quoque in gentilitatis*, ἀπιστίας *communione vivendum.* Atque hunc quidem ſenſum *Theophylactum* & *Chryſoſtomum* verbo δεδούλωται tribuiſſe idem oſtendere conatur pag. 22. ſqq. interque cetera hæc ſcribit pag. 23. *Adeo, ut iſto ſenſu*, οὐ δεδούλωται, non eſt ſervituti ſubjectus, *idem ſit, ac*, non eſt ſervituti obnoxius, & quoniam, qui ſervituti ſunt ſubjecti, iis etiam ſerviunt, quibus ſunt ſubjecti, &, qui ſerviunt Dominis, eorum voluntati obediunt, inde figura deducta, mens erit, non tenetur obſequi, parere viri voluntati non debet, οὐ χρὴ δουλεύειν τὸν ἀδελφὸν ἢ τὴν ἀδελφὴν ἐν τοῖς τοιούτοις.

Prolixius nonnihil hæc ex duabus hic virorum doctorum commentationibus enarranda cenſui, tanquam quæ procul dubio in paucorum manus incident, & in argumento non levi verſantur. Confer, ſi placet Bibliothecam Bremenſem Claſſe V. p. 382. ſqq.

Ingenio, fateor, & eruditione ſe commendant, quæ uterque ad ſententias ſuas ornandas attulerunt. Neque tamen adduci poſſum ut credam, Apoſtolum hic deſertis ab altera parte conjugibus poteſtatem non feciſſe ad ſecundas nuptias adſpirandi. Ut aliter ſentirent nonnulli, verba Domini noſtri de ſcortatione ſeu adulterio, tanquam unica divortii cauſa, effecerunt. Hic vero cogitari velim, diſtinctas circumſtantias diſtinctis præceptis & conſiliis occaſionem præbuiſſe. Domini noſtri tempore divortia temere & levibus ex cauſis rata haberi ſolebant, quibus proinde tunc potiſſimum erat occurrendum, ſolo adulterio ad partes vocato. Pauli vero ætate deſertioni via aperiebatur nova & hactenus non trita, quando vel ex Judæis vel ex Gentilibus alter conjugum tantum ad Chriſti ſacra accedebat. Nova itaque rerum facies novum requirebat conſilium. Itaque Paulus non tam Chriſto contrarius eſt, quam voluntatis ejus novus Interpres, quam ipſe declaraturus erat, ſi eadem tunc Eccleſiæ rerumque conditio fuiſſet. Hinc Paulus diſerte monet v. 12. non Dominum, ſed ſe, Spiritu ejus actum, v. 40. iſta præcipere, quæ præſenti rerum ſtatui ſint accommodata. Jam largior omnino, fideles eo tempore ſolicitos de eo fuiſſe, quid ſibi ſit agendum, ſi alter conjugum in ſuperſtitione priſtina

priſtina perſiſtat, & vel clanculum diſcedat, vel ſolenniter alteri nuncium mittat. De eo vero illos tantum dubios fuiſſe, an ferre id quidem & pati ſine conſcientiæ vulnere poſſent, nec potius in conjugii gratiam Gentilium ſacra iterum amplecti deberent, veri non eſt ſimile, quippe quibus ignotum eſſe non poterat, abnegationem rerum ſæculi omnium, Chriſtianis injunctam hanc poteſtatem omnino ſecum ferre, inprimis cum Dominus edixerit: *ει τις ἔρχεται πρός με, καὶ ȣ̓ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτȣ̃ καὶ τὴν μητέρα, καὶ τὴν γυναῖκα, καὶ τὰ τέκνα, καὶ τȣ̀ς ἀδελφȣ̀ς, καὶ τὰς ἀδελφὰς, ἔτι δὲ καὶ τὴν ἑαυτȣ̃ ψυχὴν, ȣ̓ δύναταί μȣ μαθητὴς εἶναι.* Hoc præſtructo neceſſe eſt, ut Paulum his verbis aliquid amplius ſpectaſſe credamus, nempe id, quod conjuges ita deſerti a priſtini matrimonii vinculo prorſus ſint liberati, adeoque poteſtatem nacti novis, ſi libuerit, votis ſe obſtringendi. Hanc S. Pauli mentem eſſe ipſa phraſis, *ȣ̓ δεδȣ́λωται*, evincit. Ea enim idem ſibi vult, ac ſi dixiſſet, *ἐξȣσιάζει*, i. e. *poteſtatem habet corporis ſui*, ſicut ſupra v. 3. de marito aut uxore dixerat: *ȣ̓κ ἐξȣσιάζει ἰδίȣ σώματος.* Similiter cap. VI. v. 12. de ſe Paulus ita: *ἀλλ' ȣ̓κ ἐγὼ ἐξȣσιασθήσομαι ὑπό τινος.* Hujus autem contrarium verbo *δȣλόω* exprimit 1 *Corinth.* IX. 19. *ἐλεύθερος γὰρ ἐν πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδȣ́λωσα.* Si ad ſuperiora Apoſtoli verba reſpiciamus, quibus Paulus conjugium ſuaſit ad fornicationem & uſtionem cavendam v. 2. & 3. & recogitemus, conjugem, ab altero prave deſertum, utrique obnoxium eſſe poſſe, fieri non poteſt, quin novi conjugii uſum etiam in hoc caſu liberum feciſſe Apoſtolum exiſtimemus. Cum hac interpretatione ratio a Paulo adducta adeo non pugnat, ut per eam potius adſeratur. *Ἐν δὲ εἰρήνῃ* inquit, *κέκληκεν ἡμᾶς ὁ Θεός*, *in pace*, (i. e. ad pacem) *vocavit nos Deus.* Senſus enim eſt: infidelis faciat, quicquid libuerit, dimittat partem fidelem, vel diſcedat ab ipſa: nobis quidem id per leges religionis non licet, quippe quibus pacis ſtudium cum omnibus hominibus colendum injunctum eſt. (*Rom.* XII. 18.) Confer in hanc ſententiam, præter Theologos noſtrates in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ, *Frideric. Spanhemium* in Dubiis Evangelicis Parte III. Dubio 148. p. 894. Contrariæ huic virorum doctorum, quas attulimus, expoſitiones partim aliqua præſtruunt, quæ ad liquidum nunquam deducentur, partim phraſes quaſdam a communi & inprimis in Sacro Codice recepta ſignificatione abducunt.

Verſ. 17. *Ἐι μὴ*) *Millius* hic ita: *σώσεις, ἢ μή;* (*ut illud ἢ μὴ connectatur cum ſuperioribus*) N. 2. *Oecumenius ex auctoritate Severiani. Meminit & Theophylactus utriusque diſtinctionis: ſed ita, ut præferat eam, quæ in noſtris eſt Codicibus. Cui & Eraſmus adſtipulatur; qui illud εἰ μὴ ſeorſim legendum cenſet, ac perinde valere, quaſi dicat:* utcunque eſt, *aut* in ſumma. Lectionem ἢ μὴ vel a Paulo profectam, vel ſaltem τὸ εἰ μὴ eo ſenſu accipiendum & cum verbo *σώσει* conjungendum ſtatuit etiam *Wilh. Wall* in Notis Criticis Anglicanis ad N. T. p. 187. Τὸ εἰ μὴ retinent quidem, ſed verbo *σώσει* proxime ſubjungendum cenſent *Knatchbullus* & *Hombergius* in Parergis pag. 251. hoc ſenſu: *quid noſti, ô vir, utrum uxorem ſervaturus ſis, an non?* Eadem eſt

B.

B. *Godofr. Olearii* in Prælectionibus MSS. ſententia. Mihi placent illi, qui τὸ ἐι μὴ cum B. *Luthero* in initio commatis hujus relinquunt. Ita vero τὸ ἐι μὴ idem fuerit quod ἀλλὰ, ut ἐὰν μὴ *Galat*. II. 16. Senſus eſt ellipticus, qualis *Rom*. XV. 3. occurrit: ἀλλὰ, καθὼς γέγραπται i. e. *ſed*, ita ſe geſſit, *ut ſcriptum eſt*. Sententia hæc fuerit: *ſed* hoc tenendum eſt, ut quisque ita ambulet, prout vocatus eſt. Hoc ſibi B. Lutherus voluit, τὸ ἐι μὴ per **doch** interpretatus. *Eraſmus Schmidius* ita παραφράζει: *Sin minus* fieret, ut conjux conjugem ſervare poſſit, *ſic tamen quisque ambulet*, &c. De reliquis hujus commatis lege *Vitringam* Obſervatt. Sacrar. lib. V. p. 232.

Verſ. 18. Περιτετμημένος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω) Pro ἐκλήθη *Æthiops* legiſſe videtur ἔλθη. Vertit enim per, *intraverit*, obſervante D. L. i. e. *Loſtuſio*, apud *Edmund. Caſtellum* in Lexico Heptaglotto rad. בוא col. 299. quod ideo moneo, quia varietatem hanc inter *Millianas* fruſtra quæſivi. Forte tamen Interpres ille τὸ, ἐκλήθη vere in Codice ſuo legit, ſed ex metonymia *effectus* pro *cauſa*, vertendum cenſuit per *intraverit*, h. e. vocationi factæ ſemel paruerit. Quicquid horum ſit, recepta lectio nequaquam eſt ſolicitanda. De Latina horum verborum verſione lege *Tanaquilli Fabri* Epiſtolas lib. II. pag. 71. Improbat hic Paulus nonnullorum morem, qui præputii olim reſciſſi cutem ſpaſtere reducere conabantur. Momentum hoc ex antiquitate Judaica expoſuerunt Interpretes eruditiores ad 1 *Maccab*. I. 17. *Buxtorfius* in Lexico Talmudico-Rabbin. ſub radice משך *Steph. le Moyne* in notis ad Varia Sacra p. 761-771. & alii ab *Auguſt. Pfeifero* in Antiquitatt. Hebr. Selectis cap. 27. eruditiſſimo *Fabricio* noſtro in Bibliographia Antiquaria cap. XI. pag. 383. edit. I. ac Cl. *Petro Zornio* in diſſertat. de baptiſmo Proſelytorum pag. 15. & in Illuſtratione locorum Scripturæ S. difficiliorum vernacula, ſub *Amelii* nomine edita, Parte II. pag. 419. ſqq. diligenter laudati. Adde illis ex noſtratibus ſingularem B. *Gabrielis Groddeckii* diſputationem de Judæis præputium attrahentibus, Lipſ. 1699. & aliam *Jerem. Loſſii* de Epiſpaſmo Judaico, Witteberg. 1665. capite I. *Hackspanium* de uſu librorum Rabbinicorum pag. 475. *Joſuam Arndium* in Miſcellaneis Sacris pag. 93. *Wedelium* Centuria I. Dec. V. num. I. Exercitationum Medico-Philolog. & Rev. *Mosheimium* in Vindiciis Anti-Tolandinis pag. 303. ex ceteris *Salmaſium* in Exercitatt. Plinian. Tom. II. pag. 1050. *Scaligerum* in Scaligeranis p. 323. *Guil. Spencerum* ad Origenis Philocaliam pag. 96. *Jo. Spencerum* de *Legibus* ritualibus Hebræorum pag. 86. *Sixtin. Amamam* in præfat. ad Druſii Fragmenta veterum Interpr. *Jac. Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte II. c. 75. & 83. *Jo. van der Wæyen* in Variis Sacris pag. 333. ſqq. & noviſſime doctiſſimum *Jo. Baptiſtam Ottium* in Annotationibus ad Joſephum Tomo II. edit. Havercampianæ p. 315.

Verſ. 19. Ἡ περιτομὴ ὀυδέν ἐστι) *i. e. circumciſio in ſe nihil confert ad ſalutem, & non eſt apta ingenerandæ fidei, vel ſanctitati, nihil eſt, nihil poteſt, & in ſe nullam habet efficaciam, ſicut idola ab eodem Apoſtolo nihil eſſe dicuntur, i. e. nihil poſſe, & de ſe ipſo dicit, ſe nihil eſſe, niſi habeat charitatem,*

i. e.

i. e. ſe nihil poſſe, & ad ſalutem ſuam promovendam ſe nihil poſſe conferre. Et revera apud ipſos Judæos etiam circumciſio aliquando habebatur pro re nihili, & quæ nullam utilitatem conferebat, unde apud illos exſtiterunt Sacerdotes ſummi, ſine Sacramento circumciſionis. Unde apud illos frequens mentio τῶ ישראל ערל *&* כהן ערל *Iſraelitæ præputiati, & Sacerdotes præputiati.* Ita *Steph. le Moyne* in notis ad Varia Sacra pag. 771. quæ quidem admitti in tantum poſſunt, in quantum ad circumciſionem referuntur una cum ceteris Judæorum inſtitutis abrogatam, & inſtar umbræ futurorum ſub Novo Fœdere bonorum diſſipatam.

Verſ. 21. *Δῶλος ἐκλήθης; μή σοι μελέτω, ἀλλ' ἐι κ) δύνασαι ἐλεύθερος γενέϑαι, μᾶλλον χρῆσαι*) Illuſtrata hæc vide a *Salmaſio* in Reſponſione ad Miltonum pag. 251. ſqq. Dubium hic eſt, quomodo particulæ *ἀλλ' ἐι καὶ* verti debeant. Alii enim eas interpretantur per: *ſed ſi tamen*, & ſic ſequentem phraſin: *μᾶλλον χρῆσαι*, ad *ἐλευθερίαν* ſeu *libertatem* referunt, tanquam quæ ſervituti ſit præferenda. Et ſic quoque eruditiſſimus *Jo. Alberti* in Periculo Critico p. 99. qui huc conferri vult *Φράσιν Hebr.* XI. 25. *μᾶλλον ἑλῶ.* Alii vertunt per: *imo ſi etiam*, vel, *imo ſi vel maxime*, ut non *adverſativum*, ſed *exaggerativum* habeat ſenſum, & ſic ſervitus libertati anteferatur. Ita poſt Interpretem Syrum (de quo confer **Freywilliges Hebe-Opfer** *Tom.* III. pag. 585.) *Chryſoſtomus* (vide *Caſauboniana* mea pag. 82.) & *Theophylactus*; ex recentioribus vero *Joach. Camerarius*, & *Eraſmus Schmidius* ad h. l. verſio item Gallica Montenſis, & B. *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis pag. 124. Similem notionem *τὸ ἀλλὰ* obtinet *Joh.* XVI. 2. & 2 *Corinth.* VII. 11. Senſus itaque foret: **ja, wann du auch ſchon könnteſt frey werden, ſo brauche doch** (**jenes**) **viel lieber.** *Non enim* (inquit *Starckius*) *Apoſtolo conſtitutum eſt, inculcare libertatem corporis, ſed mentis, ſive Spiritus, in quam Chriſtus Corinthios abſque ullo diſcrimine conditionis vel ſervitutis, vel libertatis pretioſe aſſeruit. Quem indifferentiſſmum manifeſte confirmant non ſolum antecedentia:* quilibet in ea vocatione, qua vocatus eſt, in ea, inquam, maneat; *id quod mox denuo repetit* v. 24. *& notanter addit: παρὰ τῷ Θεῷ* apud Deum; *verum etiam conſequentia:* qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini: ſimiliter etiam libertus vocatus ſervus eſt Chriſti. Parum abeſt, quin & ipſe in has partes diſcedam. Paulus enim in toto capite hoc agit, ut externam hominis conditionem Chriſtianiſmo fraudi non eſſe evincat; itaque nec ſervitutem. Eam igitur, ſi quis illi antea obnoxius fuerit, tuendam cenſet, tantum abeſt, ut libertas obtinenda commendetur. Hujus autem conſilii hanc rationem videtur habuiſſe Apoſtolus, quod videret, homines nonnullos, ad Chriſtum converſos, nunc religioni ſibi ducere, aliis eſſe obnoxios, nunc vero priſtinos dominos vitæ liberioris deſiderio deſerere, & vel fuga, vel aliis modis minus probandis ſibi conſulere. Id vero non poterat non & vitiis variis viam parare, & rerum ordinem turbare, & toti religioni Chriſtianæ calumniantium convicia inter ipſos Gentiles conciliare. Ad illa itaque cavenda, Chriſtianorumque animos

ſub ſervitutis jugo recreandos & demulcendos Apoſtolus ſervitutis conditionem iſti libertatis præferri cupit, pro illis ſcilicet circumſtantiis, quæ tunc Eccleſiæ cœtum premebant. Interpretationi huic præſidium naſcitur ex v. 23. ſiquidem illi eum ſenſum ſubjecerimus, de quo mox dicemus. In eadem ſententia video fuiſſe eruditiſſimum *Joach. Kühnium* in notis ad *Diogenis Laërtii* lib. X. §. 20. pag. 545. ita vertentem: *Potius te frugi ſervum præſta, & domino utilem.* Χρῆσαι, ita pergit, *eſt idem, quod hoc loco* (nempe Laërtii) χρείαν παράσχου. *Adeo non debet ſervus moleſte ferre ſuam conditionem, ut, ſi detur ei optio, magis eligat eſſe frugi, & bonus ſervus, quam libertus qualiscunque, qui ſæpius cum ſua libertate non habebat, unde* ſalem delingeret. Non inſolens eſt illa verbi χρῆσθαι notio in bonam & malam partem. Ita *Phalaris*, vel quicunque eſt ſcriptor, ep. 5. χρήσομαι δὲ αὐτῷ οὐδὲν χαλεπώτερον, ubi interpres: *nibil vero in eum crudelis ſtatuam.*

Verſ. 22. Ἀπελεύθερος Κυρίου ἐστὶν) Vide *Suicerum* Tomo I. p. 430.

Verſ. 23. Τιμῆς ἠγοράσθητε, μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων) *Knatchbullus* ad h. l. & *Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 80. verba τιμῆς ἠγοράσθητε interrogative legi volunt: *pretio emti eſtis?* ad exemplum v. 21. δοῦλος ἐκλήθης, & v. 18. περιτετμημένος τις ἐκλήθη; Adſtipulatur illis *Amelius* Tom. II. p. 769. & *Hombergius* p. 251. Enimvero, ſi in eodem tractandi modo, qui v. 18. & 21. exſtat, perſiſtere voluiſſet Apoſtolus, quod illi opinantur, ſcripturus potius erat: ἐλεύθεροι ἐκλήθητε; Et alia omnino vis & notio eſt phraſeos: τιμῆς ἠγοράσθητε, quam ut ad lytron referri poſſit, (ut iidem ſtatuunt,) quo quis libertati externæ vindicetur. Eadem enim Apoſtolus utitur ſupra VI. 20. ubi de redemtione ſpirituali, per Chriſti ſanguinem facta, omnino ſermo eſt. Atque hanc redemtionem Corinthiis in ſtatu libertatis ad Chriſtum vocatis, propterea in animum revocat, ut intelligant, cur, etiamſi liberi eſſent, ſervi Chriſti a ſe vocarentur: quia ſcilicet pretioſo ejus ſanguine a vano ſæculi ſtudio ipſius cultui ſint vindicati. Interim libertas illa ſpiritualis, quæ ad ſæcularem ſeu externam illam acceſſerat, incitamento iisdem eſſe debebat, ut poſteriorem illam non temere abjicerent, tanquam qui Dominum longe meliorem & clementiorem nacti ſint. Neque enim verba illa: μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων, improprie accipi poſſe exiſtimem de ſervitute in fidei & religionis negotio, ut per ſuperſtitionem & conficta dogmata dominium aliorum in conſcientias ſuas admittere fideles prohibeantur. Si enim id innueret Apoſtolus, a ſuperioris tractationis nexu & inſtituto, quod ad externam cujusque conditionem pertinebat, prorſus abiiſſe dicendus erat. Hoc autem quo minus admittamus, v. 24. efficit, ubi vocationis ſæcularis, de qua hactenus locutus erat, mentio iterum injicitur: Ἕκαστος οὖν, ἐν ᾧ ἐκλήθη, ἀδελφὸς, ἐν τούτῳ μενέτω παρὰ τῷ Θεῷ. In eo itaque aſſentior *Sauberto*, quod Apoſtolus his verbis libertatem, in qua ad Chriſti ſacra perductus ſit, æque ac ſervitutem paulo ante, tuendam commendet. Idem ſcite obſervat, per ἀνθρώπους Gentiles hic indicari, qui & alibi, v. c. *Matth.* XVII. 22. collato *Marci* X. 33. &

Luc.

Luc. XVIII. 32. hominum nomine ſimpliciter appellentur. Confirmabo hæc *Salmaſii* verbis ex Reſponſione ad *Miltonum* p. 253. Is vero ita hæc παραφράζει: *Chriſtus vos ſanguine ſuo emit, & ſervos ſuos fecit, ne fiatis ſervi hominum h. e. in ſervitutem vos hominibus mancipetis. Quod erat tum tralatitium. Nam multi ſe vendebant ad pretium participandum. Quidam enim ſe laniſtis & magiſtris auctorabant, ad depugnandum cum beſtiis, aut aliis gladiatoribus, in ſpectaculo publico, cum ædiles aut prætores munus populo edebant. Hæc auctoratio venditio erat, & jurabant in verba laniſtæ, eique ſe ſervos addicebant, ad omnia, quæ vellet, patienda, uri, ferro ſecari. Unde illa Horatii: Quid refert uri virgis, ferroque ſecari? Auctoratus eas. Hæc omnia igitur Pauli eodem pertinent, ut, in qua quis conditione ad fidem vocetur, eam retineat: ſi ſervus, non ob ſervitutem, quam patitur, ſolicitus ſit: nam libertus eſt Chriſti; ſi liber ſit, ne ſe hominibus mancipium det, vendendo ſe, quia ſit ſervus Chriſti, pretio ejus, i. e. ſanguine emtus.* Hæc ille. Interim non ignoro, aliis, & ſpeciatim ex Reformatis *Jac. Nyloe* in *Schriftuurlyk Licht* p. 12. ſqq. Paulina hæc ad cavendam ſpiritualem ſervitutem referenda videri. Non negaverim per accommodationem id fieri poſſe, per quam *libertatem conſcientiæ* ex hoc loco commendare licet.

Verſ. 25. Περὶ δὲ τῶν παρθένων) Elliptice hæc dici, ita ut γάμων ὡραῖοι intelligantur, monet Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* in egregia commentatione de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 123. adducto *Herodoti* lib. I. c. 196. loco, ubi phraſis plena legitur.

ἐπιταγὴν Κυρίου οὐκ ἔχω) Diſcrimen conſiliorum & præceptorum, quod Pontificii præter rem ſtatuunt, ex h. l. æque infeliciter adſtruere conatur *Dionyſius Petavius*, Tomo IV. Dogmatum in Diſſertationibus Eccleſiaſt. lib. II. c. VI. §. 1. ſqq.

γνώμην δὲ δίδωμι) γνώμην alii Patrum de συμβουλῇ, *conſilio*, alii nominatim Damaſcenus Orthod. fidei lib. III. c. 14. de παραινέσει, *adhortatione* interpretantur. *Heſychius* παραίνεσιν per συμβουλὴν explicat. Confer *Suicerum* Tomo I. pag. 768.

Verſ. 25. πιστὸς εἶναι) *ut fide dignus ſim*, vel, *habear*, judice B. *Starckio* in Notis Selectis pag. 125. Conferri is vult 2 *Tim.* I. 15. III. 1. IV. 9. & 2 *Tim.* II. 2. 11. ubi eadem vocis πιστὸς notio eſſe videatur. Ita *Theophylactus* quoque accepit ad h. l. cui πιστὸς eſt οἰκεῖος αὐτοῦ καὶ μυστικὰ ἄξιος πιστεύεσθαι, i. e. *familiaris Dei, & dignus, cui myſteria concredantur.* Compara *Suicerum* Tomo II. p. 743.

Verſ. 26. Νομίζω οὖν τοῦτο καλὸν ὑπάρχειν διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην) Orationem hanc Pauli nihil inſulſi habere, quod nonnullis viſum eſt, modo voces διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην parentheſi includantur, oſtendit laudatiſſimus *Schwarzius* loco modo citato pag. 119. qui & ſub voce καλὸν intelligi vult ἐπιτήδευμα pag. 124. præeunte *Xenophonte* VIII. pag. 226. & 227. Per ἀναγκην *incommoda* reſpici, quæ conjugium ea inprimis ætate ſecum ferebat, vel ex

ex v. 28. patet. Confer *Hombergium* in Parergis p. 251. Externos Scriptores *ἀνάγκην* de *calamitate* adhibere oſtendit *Pſochenius* de Stylo N. T. §. 110. Verſio Gallica *Montenſis* ita: *Je croy donc, qu'il eſt avantageux, à cauſe des fâcheuſes néceſſités de la vie préſente.* Eam a *Malleti* exceptionibus vindicat *Arnaldus* in Defenſione illius verſionis pag. 302. ſqq. ex allatis compluribus aliorum verſionibus eadem opera oſtendens, alios neceſſitatem illam ſive incommoda ad vitam hanc in univerſum, alios ad *conjugium* ſpeciatim retuliſſe.

ὅτι καλὸν ἀνθρώπῳ τὸ ὅτως ἔχειν) Argumenta Apoſtoli pro cœlibatu ab *utilitate* potius, quam *honeſtate* petita eſſe oſtendit *Henr. Dodwellus* in Additionibus ad *Jo. Pearſoni* Opera Poſthuma p. 297. *Nempe*, inquit, *faciliorem arbitratus eſt* (Apoſtolus) *in perſecutione conſtantiam cœlibi, quam conjugato. Quæ certe ratio nec abſolute docet, nec ſemper, conjugio cœlibatum eſſe anteferendum. Non abſolute, ſed propter noſtram duntaxat infirmitatem, qui libentius noſmet ipſos Deo providentiæque permittimus, quam ſi etiam affectus chariſſimi una devovendi ſint. Nec ſemper etiam, ſed urgente perſecutione. Eodem ſpectat & illa* (ratio) Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco v. 28. *Nec enim ad virtutis laudem ſpectat, quod vellet illos tribulationes non tam vincere, quam potius effugere.* Confer v. 32. & 35. & lege ibidem plura, ubi in ſequentibus *Dodwellus* diſquirit, unde factum ſit, ut Apoſtolicis temporibus virginitas in pretio haberi cœperit.

Verſ. 27. *Δέδεσαι γυναικί*;) De conjugio, tanquam ligamine ſeu vinculo, Gentiles quoque Scriptores verba facere oſtendit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 695.

Verſ. 29. *ὅτι ὁ καιρὸς συνεσαλμένος τὸ λοιπόν ἐστι*) Parentheſi hæc includi vult *Hombergius* l. c. Sed vel ſine ea ſenſus manifeſtus eſt, modo *τὸ ὅτι* per *quia*, verteris, hoc modo, *hoc vero vobis dixi, fratres, quia, quod reliquum eſt, tempus breve eſt, & contractum, ut, qui uxores habent* &c. Confer *Starckii* Notas Selectas p. 125. Sic nec opus eſt, ut cum codicibus quibusdam & editionibus, quas *Medus* loco mox citando & *Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 29. ſequuntur, vocem *συνεσαλμένος* interpunctione a ſequentibus ſeparemus. Phraſin, *καιρὸς συνεσαλμένος*, *Tertullianus* vertit: *tempus in collecto eſt. Cyprianus* vero: *tempus eſt collectum.* Vide *Lacerdam* in Adverſariis pag. 63. a. Tempus autem illud nonnulli de perſecutione magna, brevi imminente, accipiunt, & reliqua, *ἵνα καὶ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι*, ſic interpretantur, quod ipſum illud tempus calamitoſum effecturum ſit, ut mariti uxores ſuas cito deſerant. Lege huc *Joſ. Medum* in Fragmentis Sacris Tom. X. Opuſculorum ad Hiſtor. & Philolog. Sacram ſpectantium pag. 253. & *Jo. Clericum* in notis ad verſionem Gallicam. Alii convenientius de *brevitate vitæ* dici hæc exiſtimant, quæ prohibeat, quo minus rebus hujus ſæculi obnoxios nos ita faciamus, ut iis carere non poſſimus, quibus tamen brevi carituros nos eſſe prævideamus. Hunc ſenſum ingerit phraſis ab Apoſtolo ſub-

ſubjecta: παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ. B. *Hülſemannus* apud Sandhagenium Dec. II. Epiſtol. Theolog. pag. 315. *tempora dura* & *calamitoſa*, quæ Paulus 2 *Tim.* III. 1. ἡμέρας χαλεπὰς appellet, intelligi vult. Ceterum Galilæos, i. e. Chriſtianos naſcentis Eccleſiæ ita erga liberos, uxorem, omnesque res humanas affectos fuiſſe, ut hic jubet Apoſtolus, teſtis eſt *Epictetus* apud Arrianum lib. IV. cap.7. p.277. quando ſcribit: ὥςε ἐν μηδενὶ ποιεῖσθαι τὸ ἔχειν ταῦτα, ἢ μὴ ἔχειν. Confer Rev. *Raphelii* Notas Polybianas p. 463.

Verſ. 31. Ὡς μὴ καταχρώμενοι) *Knatchbullus* vertit: *tanquam non vehementer utentes.* Alii ſimpliciter: *tanquam non utentes.* Sic infra Paulus: εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι τῇ ἐξȣσίᾳ μȣ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, *ne utar facultate mea in Evangelio.* Ita accipiunt *W. Worthus* ad Tatianum §. 2. & *Wilh. Wall* in Notis Criticis ad N. T. p.188. Firmant hanc expoſitionem phraſes antecedentes omnes, ubi τῷ ἔχοντες ſimpliciter ὡς μὴ ἔχοντες, τῷ κλαίοντες, ὡς μὴ κλαίοντες &c. opponitur. Neque tamen negari poteſt, abuſum rerum externarum hoc ipſo innui, qui cavetur, ſi ſemper cogitemus, parum referre, ſive illis uti poſſimus, ſive minus.

Παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ) Verbum παράγει nonnulli *decipiendi* ſenſu accipi hic voluerunt, eo quod habitus ſeu ſpecies externa mundi hominibus blandiri, eosque a recto tramite avertere ſoleat. Ita poſt alios *Alciatus* in Parergis II. c. 30. *Budæus* in Commentar. & *Medus* in Fragmentis Sacris l. c. Cum vero eadem phraſi utatur Johannes 1 ep. II. 17. καὶ ὁ κόσμος παράγεται ϗ ἡ ἐπιθυμία αὐτȣ̃, eo omnino ſenſu, ut rerum ſæculi fluxarum vanitas innuatur: ὁ δὲ ποιῶν τὸ θέλημα τȣ̃ Θεȣ̃ μένει εἰς τὸν αἰῶνα, rectius illi agere cenſendi ſunt, qui *inconſtantiam* hic innui cenſent. Atque hunc ſenſum vox σχῆμα requirit, quæ theatralis eſt, & ad frequentem ſcenæ mutationem reſpicit. Lege huc *Grotium* & *Le Cene* in Specimine novæ verſionis p. 674. Atque id ſane malim, quam cum *Andr. Dounæo*, Prælectionibus in Demoſthenis Philippicam de Pace p. 69. de *oſtentatione* hic cogitare. Id vero ille: *Præterit hujus mundi ſpecies, non figura, ut Vetus. Speciem vero nominat, quam Lucas in Actis* Φαντασίαν, *Johannes Apoſtolus* ἀλαζόνειαν τȣ̃ βίȣ. Longius a vera vocis notione deflectit *Trillerus* in Examine locorum quorundam verſionis B. Lutheri p. 94. ſqq. quando ita verti vult: **Die äuſſerliche Figur, oder, wie es jetzo ausſiehet, der jetzige geruhige und friedliche Zuſtand, der den Chriſten vergönnet wird**; ubi ſimul reprehendit B. *Lutherum*, interpretantem **das Weſen in dieſer Welt.** Enimvero recte jam monuit *Sam. Theod. Schönlandius* in Vindiciis vernaculis Trillero oppoſitis p. 145. B. Lutherum per vocem **Weſen** non ȣ̓σίαν aut *ſubſtantiam* mundi, ſed externam ejus conditionem indicare voluiſſe, quam notionem eidem voci ſubjicit Pſ. XLV. 8. Per σχῆμα vero non tantum ſtatum Chriſtianorum, qui tunc erat, ſed perpetuam rerum ſæcularium conditionem & habitum lubricum mutationique obnoxium innui, vel ex voce κόσμȣ apparet, inprimis ſi laudatus ante *Joannis* locus comparetur. Ita *Theophylactus* ad h. l. σχῆμα ἐκάλεσεν, ἐμφαίνων, ὅτι ἄχρις ὄψεώς εἰσι τὰ τȣ̃ παρόντος κόσμȣ, ϗ ἐπιπόλαια, μηδὲν βε-

βηκὸς καὶ ἐστιῶδες ἔχοντα. Lege alia ſimilia Patrum loca apud *Suicerum* Tomo II. p. 1200. De bonis mundi fluxis & apparentibus veterum ſententias habes apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 695. Adde illis M. *Antoninum* de rebus ſuis lib. VI. §. 5. qui mundum cum flumine comparat, ἐφ᾽ ὃ στῆναι οὐκ ἔξεστιν, *in quo conſiſtere non liceat;* quemadmodum lib. V. §. 23. in eodem οὐδὲν ἑστὼς agnoſcit.

Verſ. 33. 34. Ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου &c.) Utrumque comma ſingulari diſſertatione illuſtrat *Jo. Henr. Hartſchmidius*, quæ recuſa eſt in Theſauro Theologico & Philologico Diſputatt. ſuper N. T. p. 529. ſqq. Diſſentiunt hic Codices, verſiones & Patres in legendis & interpungendis his commatibus, quod annotarunt ex noſtratibus *Jo. Gerhardus* in Confeſ. Cathol. p. 113. ſq. *Glaſſius* in Philol. Sacr. p. 175. & *Chriſtian. Kortholtus* de Variis Scripturæ Sacræ editionibus, ex ceteris vero *Jo. Morinus* in Exercitationibus Biblicis p. 38. *Rich. Simon* in Hiſt. Critica N. T. Tom. II. p. 59. ſq. *Gatakerus* in Adverſariis p. 157. & inprimis *Millius* ad h. l. Ita enim nonnulli verba cum *Vulgato* repræſentant: ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικὶ, καὶ μεμέρισται. Καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου. Interpunctionem illam in phraſi: καὶ μεμέρισται ex noſtratibus ut genuinam amplectitur M. *Jo. Chriſtianus Herzogius* de Interpunctionum poſitu in epiſtola ad Romanos §. 2. Sed communem lectionem & interpunctionem rectius alii noſtratium modo laudati defendunt, quibus adde inprimis *Eraſmum Schmidium* ad h. l. Ipſe quoque, quod mireris, *Millius* ab his partibus ſe non alienum profitetur in his verbis: *Et certe cum exemplaria Latina ante Hieronymum ideoque & verſio germana* Vulg. Clar. Ger. & *utriusque Lat. Græco textui adverſa (quam ipſam illam verſionem fuiſſe cenſet Morinus, qua Eccleſia Latina ante Hieronymum utebatur,)* Syr. Arab. Tertull. *lib. de velandis Virgin. c.* 4. Auguſtin. *lib. de bono vid. c.* 2. & *lib. de bono conjug. c.* 10. Sedulius, *Græci item*, Chryſoſt. Baſil. *non ſemel*, Theodoret. Theophylact. Oecumen. *ut & magna pars Græcorum Codicum* μεμέρισται *ad ſequentia referant; lectionem hodiernam noſtram omnino retinendam cenſuerim.* Conferatur idem in Prolegomenis §. 729. & 1321. ut & *Whitby* p. 63. Examinis. Addiderim his, ſi τὸ μεμέρισται ad v. 33. adeoque ad maritum referendum ſit, probandam ſimul eſſe lectionem ſequentem æque novam: καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος. Illa vero procul dubio falſa eſt. In toto enim hoc capite Apoſtolus vocem γυνὴ ita adhibet, ut non *feminam* ratione ſexus, ſed *uxorem* reſpectu conjugii inferat, eamque cœlibi ſeu virgini opponat. Itaque veri non eſt ſimile, Paulum h. l. eandem vocem addito epitheto ἄγαμος alia notione adhibere voluiſſe, præcipue cum v. 25. τῶν παρθένων ſimpliciter faciat mentionem. Τὴν γυναῖκα de uxore hic accipi oſtendit *Gatakerus* de Stylo N. T. c. XII. p. 132. adductis Scriptorum Græcorum locis ſimilibus.

Μερι-

Μεριμνᾷ τὰ τȣ̃ Κυρίȣ) Ita vitam *cœlibem* quaſi *cœlitem* & *cœleſtem* Cajum JCtum dictam putaſſe teſtis eſt *Quintilianus* lib. I. cap. 10. Confer *Picinelli* Lumina Reflexa p. 696.

Ἵνα ᾖ ἁγία ϗ σώματι καὶ πνεύματι) Inſpice *Petavium* Tomo VI. Dogmatum Theologic. lib. XIV. cap. I. §. 2.

Πῶς ἀρέσει τῷ ἀνδρὶ) Ita *Stobæus* Sermone XXII. *Θεανὼ ἡ Πυθαγορικὴ Φιλόσοφος, ἐρωτηθεῖσα, τί πρῶτον εἴη γυναικί· τὸ, τῷ ἰδίῳ ἔφη ἀρέσκειν ἀνδρί.* Simile Antipatri dictum apud eundem legitur Sermone LXV.

Verſ. 35. *Καὶ ἐυπρόσεδρον*) Codices quidam habent *ἐυπάρεδρον*, & poſterius hoc mavult *Millius* ad h. l. & in Prolegomenis §. 555. 632. & 1042. Senſus utrinque idem eſt, quemadmodum & voces ſimplices hinc *πρόσεδρος* & *προσεδρεύειν*, hinc *πάρεδρος* & *παρεδρεύειν* apud profanos Scriptores æque frequenter occurrunt. Vocis vim ita expreſſerat verſio Gallica *Montenſis*: *qui vous donne un moyen plus facile de vous attacher à Dieu*, i. e. ut eo magis adhærere Deo poſſitis. Vulgatus ita: *quod facultatem præbeat Dominum obſecrandi.* Atque hoc malebat *Malletus*, contra quem priorem illam interpretationem tanquam verſionum, Patrum & Interpretum auctoritate nixam tuetur *Arnaldus* in Defenſione verſionis Montenſis p. 247. ſqq.

Ἀπερισπάστως) *ſine ulla diſtractione*, *ſine cura & ſolicitudine.* Sic *Heſychius*: *ἀπερισπάστως, ἀμερίμνως, ἀφροντίστως, ἡσύχως.* Adjectivum *ἀπερίσπαστος* pro *quieto* eſt apud Siracidem XLI. 2. & *περισπᾶσθαι* idem eſt, ac *diſtineri curis*, *diſtrahi negotiis*, *Luc.* X. 40. Commode hæc præter ſimilia *Polybii* & *Plutarchi* loca attulit *Lamb. Bos* in Exercitatt. Philologicis pag. 134. contra *Knatchbullum* in Animadverſionibus ad h. l. qui nove interpretatur: *ſine violenta abſtractione*, *ſine compulſione*, reſpectu Apoſtoli, quippe qui vi quadam in verba ſua Corinthios trahere noluerit. Scilicet *Knatchbullum* appellare ibi voluit Vir doctus, quando *Dougtæum* in Analectis Sacris citat, vitio memoriæ, inde facile enato, quod hujus Analectis illius Animadverſiones in editione Amſtelodamenſi an. 1693. junctæ ſunt. Contra *Knatchbullum* lege in eandem ſententiam Rev. *Raphelii* Notas Polybianas pag. 464. qui ex variis *Arriani* & *Polybii* locis iſtam vocis Græcæ ſignificationem, quam diximus, confirmat. Lege *Arrianum* in Diſſert. Epictet. lib. I. cap. 29. pag. 123. & *Polybium* lib. II. c. 20. item pag. 932. &c. Similiter *Antoninus* de rebus ſuis lib. III. §. 6. *ȣ̓κ ἔτι ἀπερισπάστως*, ubi compara notas *Gatakeri* pag. 104. *Theodoretus* per *διηνεκῶς* ad h. l. expreſſit. Confer *Suicerum* Tom. I. p. 433.

Verſ. 36. *Ἐι δέ τις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον ἀυτȣ̃ νομίζει*) *παρθένον* non de *virgine*, ſed de *virginitate* accipi vult *Lockius* in Commentario ad h. l. qui ideo v. 38. verbum *ἐκγαμίζειν* idem eſſe vult, quod *uxorem ducere*, non vero *elocare.* Sicut vero utrinque a conſueta vocum ſignificatione diſceditur, ita nihil eſt in nexu ſermonis, quod novam hanc explicationem juvet. Oſtendit id *Jo. Clericus* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 90. ſq. Adde Anonymi libellum Angli-

Anglicanum: *Remarks on ſome books*, p. 139. Contra *Heinſium* lege hic *Hülſemannum* apud *Sandhagenium* in Decade II. Epiſtol. Theolog. p. 315.

Ἐὰν ᾖ ὑπέρακμος) *Xenophon* utitur cognato verbo παρακμάζειν Memorabil. lib. IV. p. 638. Vide *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 225. *Toro maturam* dicunt Latini. Propius *Ovidius* Metamorph. XIV. 335. *Hæc ubi nubilibus primum maturuit annis.* Εἰς ἀκμὴν κατέστη inquit *Lucianus* de Leda in Deorum Dialogo Tom. I. Opp. p. 225. Plura iſtiusmodi apud Statium, Claudian. Apulej. Metam. lib. X. & alios. Ita Cl. D. *W. Trillerus* in Notis MSS.

Γαμείτωσαν) De παρθένῳ ſermo eſt. Itaque a numero ſingulari ad pluralem fit tranſitus, quod frequens eſt apud Scriptores. Compara huc *Suicerum* Tom. I. p. 1265.

Verſ. 37. Ὃς δὲ ἕστηκεν ἑδραῖος ἐν τῇ καρδίᾳ) Hunc verſum contra *Lockium* recte illuſtrat *Clericus* l. c. Sermo hic in univerſum de Parente eſt, qui poteſtatem habet filiam ſuam nubilem vel elocandi, vel non elocandi, ſiquidem alterutrum conſultum putet, & filia ipſa non diſſentiat. Ex Patribus ad h. l. diſſerit *Petavius* Tomo III. Dogmatum, ubi de Opificio ſex dierum lib. III. cap. VI. §. 5. p. 204. iterumque lib. IV. cap. X. §. 2. p. 258.

Μὴ ἔχων ἀνάγκην) Lege *Suicerum* Tom. I. p. 246.

Verſ. 38. Ὥστε καὶ ὁ ἐκγαμίζων καλῶς ποιεῖ) Rev. *C. M. Pfaffius* in Obſervatt. ad Matthæum p. 179. B. Lutheri verſionem ita repræſentat: **Endlich welcher ſich verheyrathet, der thut wohl, welcher aber ſich nicht verheyrathet, der thut beſſer.** Recte idem monet, hæc quidem contra contextum Paulinum & verbi ἐκγαμίζειν ſignificationem pugnare. Sed nec ita vertit ὁ μακαρίτης. Editiones enim, quas vidi, omnes ſine pronomine reciproco, **ſich**, ita habent: **endlich welcher verheyrathet, thut wohl, welcher aber nicht verheyrathet, thut beſſer.** Quæ quidem verba, prout jacent, & ad patrem & ad filiam elocandam referri poſſunt. Ad filiam autem elocandam ea referri voluiſſe B. *Lutherum* ex ſubjecta ejus gloſſa patet. Clarius quidem hæc non expreſſit, quod, addito pronomine **ſie** fieri poterat, quia & Græcus contextus idem, ex argumento facile ſupplendum, omiſit.

Verſ. 39. Γυνὴ δέδεται νόμῳ) Codices quidam & Patres vocem νόμῳ hic omittunt, quam ideo *Millius* ad h. l. neſcire ſe ait, an ex *Rom.* VII. 2. huc ſit translata, quemadmodum in Prolegomenis §. 632. de eo ſe non dubitare profitetur. Eum ſecure ſequitur anonymus editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. At ille ad Romanos locus, in communi præcipue codicum conſenſu, confirmare potius cenſendus eſt lectionem h. l. receptam, præcipue cum verbum δεῖσθαι, ſi obligationem infert, objectum, cui quis obligatus eſt, vel deſignare, vel ſaltem ſubintelligere jubeat. Deſignaſſe autem illud h. l. Paulum non dubium eſt, cum ſupra v. 27. ſcripſerit: δέδεσαι γυναικί; Confer *Whitbii* Examen p. 63. Interpres *Coptus* a Cl. Dav. Wilkins editus, pro νόμῳ habet, *marito ſuo.* Lege de re ipſa *Eraſmum* Tomo IX. Operum p. 262. *Spanhemium* in Dubiis Evangelicis Parte III. pag. 895. 903. & 909. & *Dionyſ. Petavium* Tomo III. Dogmatum, ubi

ubi de Opificio ſex dierum lib. IV. c. XII. §. 6. De δευτερογαμίᾳ Patrum ſententias vide apud *Suicerum* Tom. I. p. 843. 895. & 897.

Μόνον ἐν Κυρίῳ) i. e. *pie*, *ſancte*, *religioſe*. Lege Patrum effata apud *Suicerum* Tomo II. p. 196.

Verſ. 40. Κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην) Ita prorſus *Polybius* p. 416. κατά γε τὴν ἐμὴν γνώμην, *meo quidem judicio*, & *Herodotus* lib. V. p. 330. obſervante ex utroque *Raphelio*.

Δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα Θεȣ̃ ἔχειν) Verbum δοκῶ non incertam quandam opinionem, ſed convictionem & ſcientiam infert, ut *Joh.* V. 39. *Act.* XV. 28. & *Matth.* XVII. 25. Conf. Cl. *Wolfburgii* Obſervatt. Sacras p. 138. ſqq.

C A P. VIII.

VErſ. 1. Περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν, ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν· ἡ γνῶσις φυσιοῖ, κ. τ. λ.) Cum hæc ſecum invicem non ſatis cohæreant, ſunt, qui nonnulla per parentheſin, cujus Paulum novimus amantiorem eſſe, a reliquis ſeparanda cenſent. In illius vero terminis definiendis diſſentiunt. *Eraſmus Schmidius* ad h. l. *Lamb. Bos* pag. 135. Exercitatt. Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis pag. 119. M. *Chriſtoph. Wolle* de Parentheſi Sacra p. 69. Anonymus auctor admonitionum amicarum & modeſtarum ad futuros N. T. editores, in Actis Eruditorum Lipſienſium Latinorum anni 1729. pag. 13. & noviſſime Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 469. initium parentheſeos poſt verbum οἴδαμεν, finem autem in vocibus commatis tertii extremis, ὑπ' αὐτȣ̃, collocant. At Cl. *Elsnerus* p. 96. initium fieri mavult a verbis ἡ γνῶσις φυσιοῖ. *Boſii* ratio in eo poſita eſt, quod ſic τὸ οἴδαμεν verſus 4. repetitio ſit prioris οἴδαμεν, poſt quædam interjecta, hoc ſenſu: *De immolatitiis novimus* (*quoniam omnes ſcientiam habemus &c.*) *de eſu itaque immolatitiorum novimus*, inquam, *nihil eſſe idolum in hoc mundo. Solent enim*, quod idem addit, *optimi quique Scriptores tam Latini quam Græci propter illa, quæ* παρενθέσει *incluſa ſunt, easdem repetere voces.* Id quod Vir doctiſſimus illuſtri loco *Herodoti* lib. I. c. 57. & alio *Themiſtii* ex Orat. IV. probat. De Latinis Scriptoribus legi idem vult, quæ eruditiſſimus *Daviſius* ad Julium Cæſarem de Bello Gallico lib. III. cap. 20. attulit. Adde ex illis *Ciceronem* in Epiſt. ad Familiares lib. VI. ep. 12. & lib. XV. ep. 10. nec omitte B. *Morhofii* obſervationem pag. 58. de conſcribendis epiſtolis. Viciſſim Cl. *Elsnerus* pag. 97. parentheſin inchoari vult a verbis, ἡ γνῶσις φυσιοῖ, & produci ſimiliter uſque ad comma tertium extremum, eamque natam putat ex occaſione γνώσεως in phraſi, ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν, commemoratæ. Ego, ſiquidem parentheſis exprimenda eſt, non difficulter aſſentior viris primo loco laudatis; nec video, quicquam Boſii rationi omnino validæ, & ab uſu Scriptorum petitæ, oppoſitum eſſe, quod fieri tamen debeat. Eſt vero præterea, quod in interpretatione Cl. *Elsneri* deſideres. Ille prima verba, ante parentheſin ſuam, ita explicat, ac ſi Paulus ſcripſiſſet, οἴδαμεν ὅτι πάντες γνῶσιν

ἔχομεν περὶ τῶν εἰδωλοθύτων, de idolothytis omnes inſignem cognitionem habere novimus, ſive, ſi Græca preſſius ſequaris: *de idolothytis novimus, quod omnes eorum habeant notitiam.* In illa autem explicatione ταυτολογικὸν quiddam cum recte viderent Interpretes, τὸ ὅτι non per *quod*, ſed per *quia*, vel, *nam* recte expoſuerunt. Nec ſufficit hic, quod Vir doctus affert, externos quoque Scriptores dicere γνῶσιν περί τινος ἔχειν, ut *Heliodorum* lib. IV. pag. 190. &c. Sed id probandum erat, Paulum phraſin illam, alia ratione hic collocatam, eodem ſenſu accipi voluiſſe. De hoc vero cur dubitemus, id inprimis facit, quod Paulus etiam alias phraſi, γνῶσιν ἔχειν, ſimpliciter ut h. l. utatur. Sic v. 10. hujus capitis: ἐὰν γάρ τις ἴδῃ σε τὸν ἔχοντα γνῶσιν. Ita ſimiliter infra cap. XIII. 2. καὶ ἐὰν ἔχω προφητείαν, καὶ εἰδῶ τὰ μυστήρια πάντα καὶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν. Tutius igitur in illo Paulino hujus phraſeos uſu hoc loco acquieſcimus. Quod ſi fiat, non poteſt non initium parentheſeos poſt verbum, οἴδαμεν, fieri. Neque id fit incommode. Nam τὸ οἴδαμεν Paulo æque occaſionem ſuppeditare potuit de γνώσει in tranſcurſu aliquid commemorandi, quam vox γνῶσις. Accedit, quod, quæ hic de γνώσει Corinthiorum dicit Apoſtolus, ea non præter rem cum *Eraſmo Schmidio* ironice accipi poſſint, ac ſi ſcripſiſſet: Wir ſind zu Corintho alle klug genug, h. e. omnes Corinthii belle ſibi ſapere videntur. Ideo γνῶσιν illam, quam nempe ſibi tribuebant, ut parum proficuam, imo ut imaginariam deſcribit v. 2. & v. 7. ait: ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις. V. C. *Jo. Creyghtonus* in Prolegomenis ad *Salom. van Till* commentarium Belgicum in hanc epiſtolam *Boſii* cogitata laudat quidem, ſed in eo tamen ab illis diſcedit, quod prima verba hujus capitis, περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων, pro tranſitione ad novum argumentum cum Camerario habet, hoc ſenſu: *quod ad* εἰδωλόθυτα *attinet, de iis nunc commentabor.* Quæ vero ſequuntur uſque ad v. 7. ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις, ea pro introductione habet duabus iterum parentheſibus diſtincta, quæ ad pleniorem tractationem v. 7. τινὲς δὲ &c. & ſqq. ſuſceptam viam muniat. Mihi quidem hæc ſubtiliora videntur, quæ proinde apud ipſum Auctorem legi velim.

ἡ γνῶσις φυσιοῖ) Intelligitur haud dubie γνῶσις ψευδώνυμος, ſive δοκησισοφία ſciolorum, juncta præfidenti judicio de magna amplitudine libertatis Chriſtianæ, nec male judicandi præfidentiam dixeris. Ita recte Cl. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris pag. 344. qui præterea monet, non culpari hic eruditionem, tanquam pietati inimicam, eamque in rem conferri vult *Vitringam* in præfat. ad Obſervatt. Sacras. Adde tu *Eraſmum* Tom. IX. Operum pag. 1718. ſq. Similia aliorum dicta affert *Picinellus* in Luminibus Reflexis pag. 696. Ad tractationem Apoſtolicam *de immolatitiis* rectius intelligendam apprime faciunt, quæ *Jac. Triglandius* in Diatriba de Karæis pag. 179. commentatur. *Quum*, inquit is, *ſub œconomia N. T. non minor eſſet fuga vel averſio idolorum*, 1 *Joh.* V. 21. *& hiſce ſuis imbuti principiis Judæi Chriſtianæ religioni nomen darent, ubi, jam vocatis ad Meſſiæ notitiam gentibus, erat uſus macelli publici, occaſio conviviorum &c. mox metus hinc Hebræos Chriſtianos inceſſit, hæc cura coxit indies ſub imo pectore, ne per illam libertatem, quod nefas erat, alicubi forſan ex beſtia vel*

pecude

pecude comederent, idolis aliqua parte conſecrata; adeoque ex eo caperent utilitatem. Opus erat periculoſæ plenum aleæ, & adhuc incertæ difficillimæque inquiſitionis. In duas ideo partes ſcindebantur ſententiæ. Quidam animo fortes audacter omnia eſu licita pronunciarunt. Rom. XIV. 2. parte prima. Hi nimis ſuam γνῶσιν & ſcientiam jactitabant. 1 *Cor. VIII.* 1-10. *Quo nomine & fundamento οἱ γνωστικοὶ multa indigna fœdaque poſtmodum invexerunt in Eccleſiam. Alii ſcrupuloſi & fide infirma, ut omne contagium & diſcrimen certe effugerent, oleribus tantum victitabant.* Rom. *XIV.* 2. *parte poſtrema. Scandalum ex nimia fratrum licentia arripientes,* 1 Cor. *VIII.* 13. *fine. Hæc ſemina gliſcebant συῤῥάξεως, animos & vitam iſta turbabant. In Concilio propterea Hieroſolymitano, in Hebræorum gratiam, omnibus credentibus ex gentilitate graviter edicunt Act. XV.* 20. ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων --- *Verum hoc generali interdicto cum omnes, qui intercidere poterant, caſus, & circumſtantiæ ſingulares nequaquam dirimerentur, Spiritus S. per Paulum debuit hoc paulo preſſius clariusque ad inſtructionem ambigentium definire. Præfatur, ſe & omnes ſuos naturæ rerum, quod πᾶν κτίσμα καλὸν* (1 *Tim. IV.* 4.) *& libertatis Chriſtianæ, ceterorumque, quæ ad hanc cauſam faciunt, æque notitiam habere, ac iſti, qui ſibi hac parte magnopere placebant,* 1 Cor. *VIII.* 1. *Interim non temere vel imprudenter ea libertate utendum. Non expedire, ut quis εἰδωλόθυτα comedat* 1.) *ſi ante ſciat, idolo dicatum: ſi habeat συνείδησιν εἰδώλου, eamque ἀσθενῆ* 1 Cor. *VIII.* 7. *etſi non idololatricum in finem præciſe proponatur.* 2.) *Malum eſt, ſi* בשמו *eo nomine comedat, & reſpectu, ὡς εἰδωλόθυτα* 1 Cor. *VIII.* 7. *med. Quod variis indiciis colligi poſſit, ſive palam dicatur, ſive in convivio fiat* ſacrificiali *gentilium.* 1 Cor. *X.* 14. 18. 20. *ſive in* templo ipſius idoli, *vel εἰδωλείῳ* 1 Cor. *VIII.* 20. 3.) *Si infirmus frater, accepto illinc ſcandalo, in via veritatis vel ſalutis hoc facto retardetur.* 1 Cor. *VIII.* 9. 13. *Ubi horum omnium abeſt metus ac periculum, ut probe juris ſui gnarus eſt quiſpiam, non damnans ſecus ſentientes, Rom. XIV.* 3. *nec a ſua ipſe damnatus conſcientia verſ.* 5. 22. & 23. *illi permittit Apoſtolus edere ſine carioſa factorum inquiſitione* 1 Cor. *X.* 25. *quicquid venum exponitur in Macello.* Hæc *Triglandius*, quæ, utut longiora, ob lucem, quam toti huic capiti fœnerantur, adſcribenda putavi.

Verſ. 2. οὐδέπω οὐδὲν ἔγνωκε) Hic vocem οὐδὲν temere omittit recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in gratiam MSS. quorundam Codd., Millium ſcilicet in Prolegom. ſecutus. Librarios nonnullos eam tanquam ſuperfluam ſibi viſam omiſiſſe, mirum non eſt, cum ſæpe id alias fiat: at prave omiſiſſe, patet ex eo, quod duplex negatio tanquam fortior Græcæ Linguæ in univerſum & Scriptoribus Sacris N. T. ſpeciatim familiaris ſit, ac præterea alibi τὸ οὐδὲν poſt οὐδέπω exſtet, v. c. *Luc.* XXIII. 53. & *Joh.* XIX. 41. Compara *Leonhardi Twells* Examen Criticum illius N. T. Parte I. p. 19.

Verſ. 3. οὗτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ) Eadem phraſi utitur Paulus infra XIII. 12. & *Galat.* IV. 9. Eſt vero Hebraica ex *Jerem.* XXXI. 19. In ſenſu ejus exprimendo Interpretes diſſentiunt. Alii enim ſimpliciter vertunt: *cognitus eſt*

ab eo: alii: *cognoſcere factus*, h. e. in veram cognitionem deductus eſt. Priores illi ſimul monent, τὸ *cognitus eſt a Deo* idem hic eſſe, quod *approbatus eſt.* Ita *Grotius*, *Piſcator* ad h. l. *Gatakerus* de Stylo N. T. c. IV. p. 51. & *Clericus* ad verſionem Gall. N. T. Ita Deus dicitur noſſe viam juſtorum, i. e. approbare, Pſalmo I. 6. & Paulus Rom. VII. 15. id, quod perpetret, ſe ait ἐ γινώσκειν i. e. non agnoſcere pro ſuo, non approbare. Alteram vero illam interpretationem præferunt poſt Auguſtinum in Johannem Orat. 98. *Beza*, *Pareus*, & ex noſtratibus *Flacius* & *Eraſmus Schmidius*, qui poſtremus locum affert ex *Demoſthene* pro Corona: ἐκ γὰρ ἀυτȣ̃ τȣ́τȣ παραδείγματος ὡμολόγηκε νυνὶ ὑμᾶς ὑπάρχειν ἐγνωσμένȣς. *Confeſſus eſt, vos jam in cognitionem deductos eſſe.* Conf. B. *Mart. Geieri* Liebes-Sprüche XIX. p. 209. *Vitringa* commentario in Jeſ. XI. 2. pag. 311. phraſin prægnantem eſſe judicat, atque hoc ſenſu præditam: *hic cognoſcit Deum, & cognitus eſt ab illo.* Mihi quidem prima, quam attuli, expoſitio ſe probat, tanquam quæ & ad ceteros Pauli locos accommodatior ſit, & a Domino noſtro Joh. X. 14. 15. confirmetur. Ibi enim ita: Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, κὶ γινώσκω τὰ ἐμὰ, κὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν. Καθὼς γινώσκει με ὁ Πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν Πατέρα. Ibi & Chriſtus ſuos cognoſcere & a ſuis cognoſci dicitur, quemadmodum ipſe Patrem, & Pater ipſum noſcat: utrinque autem notitia ſignificatur cum affectu hinc fiduciæ amoriſque, hinc approbationis conjuncta. Eadem ratione Patrum præcipuos phraſin accepiſſe diſces ex *Suicero* Tomo I. p. 762. Phraſeos hujus, *cognoſci a Deo*, δεινότητα inveſtigat & aperit Theologorum noſtratium decus, *Valent. Ern. Læſcherus* in Decimis Evangelicis Decade IV. p. 120. ſq.

Verſ. 4-6. illuſtrantur a *Seb. Schmidio* in Collegio Biblico Poſteriori p. 38. ſqq. & *Georgio Zarnoveco* in Clypeo Myſtico, Gedani 1625.

Verſ. 4. Περὶ τῆς βρώσεως ȣ̂ν) Particulam ȣ̂ν hic eſſe ἐπαναληπτικὴν, qua ad ſuperiora ſe redire Apoſtolus teſtatur, res ipſa docet, & *Herodoti* loco quodam illuſtratur a *Raphelio* p. 469. Annotationum ex eo petitarum.

οἴδαμεν, ὅτι ȣ̓δὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ) *Idolum nihil hic dicitur, non, quod revera nihil ſit in mundo. Sed quia eſt, tanquam ſi nihil eſſet. Nil poteſt, non juvat, ex illo nullum majorem fructum poſſumus colligere, quam ex nihilo. Sicut præputium dicitur nihil, & circumciſio nihil eſſe. Non quod revera nullam habeant entitatem, & nullum eſſe phyſicum, ſed quia non agunt, ſunt deſtituta viribus, & non magis juvant præputiatos & circumciſos, quam ſi præputio carerent, vel circumciſionis Sacramento non fuiſſent initiati.* Ita *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 117. qui phraſin hanc appoſite confert cum loco Jeſ. XLI. 24. הן אתם מאין ופעלכם מאפע *Ecce vos* (idola) *eſtis ex nihilo, & opera veſtra ſunt nihil.* Adde *Caroli le Cene* Specimen novæ verſionis pag. 49. & Patrum expoſitionem apud *Suicerum* Tomo I. pag. 1009. Placent *Gerh. Joh. Voſſii* verba de Origine & Progreſſu idololatriæ lib. I. cap. 3. Tomo V. Operum pag. 7. *Idolum nec numen eſt, nec vim numinis habet: ſed res eſt vana, & inane hominum commentum, eoque nulla virtute præditum,*

tum, ad hominem vel ſanctificandum, vel polluendum. Unde deinceps colligit in edendis iis, quæ idolis ſunt immolata, per ſe nullum eſſe crimen, ſed tum demum peccari, ſi quis hac edendi libertate abutatur, neglecta charitate. Idem de hac phraſeos notione ſentit Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 446. ad *Arrianum* provocans, eadem ſenſu ſimili utentem in Diſſertatt. Epicteteis II. 20. p. 229. Itaque aliquid *indignius* & *minus* infert, quam ſi τὸ ὀδὲν per *nullius pretii* convertas, quod fieri vult *Henr. Langenes* in notis ad *Maimonidæ* caput I. de Æſtimationibus p. 2. Interim non negaverim, veterum loca ab eo allata hanc ſignificationem generatim probare.

De notione vocis εἴδωλον varia, quando nunc pro *ſimulacro*, nunc pro defunctorum ſeu inferorum *umbris*, *ſpectrisve*, nunc pro *ſpecie* ſeu defluxione quadam inſenſibili a corpore promanante, ſumitur, lege *Jo. Dougtæi* Analecta Sacra N. T. pag. 113. *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 1008. *Menagium* ad Diog. Laërtium X. 46. & *Kuſterum* ad Suidam Tom. I. p. 20. Pro *ſpectris* & *umbris* accipi ſolere ab externis, multis veterum, Græciæ & Latii Scriptorum, locis diligenter oſtendit Cl. *Elsnerus* p. 97. ſqq. Hic quidem Gentilium *deaſtros* intelligi per ſe patet: non autem *imagines* tantum & ſimulacra eorum. Vide omnino B. *Hülſemannum* apud Sandhagenium Decade II. Epiſtol. Theologic. p. 319. ſqq.

De argumento ipſo, de quo agitur, lege *Seb. Schmidium* l. c. qui p. 40. voces ἐν κόσμῳ non cum prædicato ὀδὲν ſed cum ſubjecto conjungit, hoc ſenſu: *idolum in mundo eſt nihil.* Conferatur idem de imagine Dei p. 60.

ὀδεὶς Θεὸς ἕτερος) Vocem ἕτερος, tanquam in Codd. nonnullis non obviam, *Millius* in Prolegomenis §. 987. pro ſpuria habet, & ex margine in editiones irrepſiſſe putat. Ejus exemplo eandem expungit noviſſimus editor anonymus Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Conjecturam hanc ſuis auctoribus facile relinquet, qui perpenderit, Scriptores Sacros in argumento gravi & momentoſo iis etiam vocibus, quæ abeſſe videri poterant, δεινότητος & perſpicuitatis cauſa uti conſueviſſe.

Verſ. 5. Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι Θεοὶ, εἴτε ἐν ὀρανῷ, εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς, (ὥσπερ εἰσὶ Θεοὶ πολλοὶ, καὶ κύριοι πολλοὶ) Reſpectu Gentilium, eorumque de Diis pluribus perſuaſionis hæc dici non dubito, quippe de quorum idolis paulo ante monuerat Apoſtolus, quod nulla eſſent, & nihil poſſent: quo ſenſu Θεὸς hic λεγομένος i. e. *putatitios* & fictitios appellat. Non diſplicent *Joſ. Medi* verba in Fragmentis Sacris Tomo X. Opuſculorum ad Hiſtor. & Philolog. Sacr. ſpectantium pag. 240. *Sunt, qui vocantur* (ab Ethnicis) *Dii*, (in ſenſu generaliori) *tum ὀράνιοι*, (quibuscum dicunt nullam homines immediate communionem habere) *tum ἐπιχθόνιοι* (i. e. mortui heroes, quos ſtatuunt mediatores) *ſicut ſunt*, (nempe iis) *multi dii* (i. e. cœleſtes in ſenſu ſtrictiore) & πολλοὶ κύριοι (i. e. mediatores & patroni) nempe δαίμονες. Non autem hac voce utitur Apoſtolus, quia huic mediatorum multitudini oppoſiturus unum Chriſtum v. 6. hunc noluit vocare δαίμονα v. 6. Conferantur ejusdem Opera An-

Anglicana p. 628. ubi ſuperioribus id addit, quod & *Grotio* ac *Seldeno* de Diis Syris p. 201. viſum eſt, per κυρίες alludi ad בעלים i. e. dominos, ac ſi diceret בעלים רבים & אלהים רבים.

Alii ultima verba: ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοὶ, ita interpretantur, *ut revera ſunt Dii multi & Domini multi.* Ita *Clericus* in Arte Critica Part. II. Sect. I. cap. 3. §. 8. *Supplevimus*, inquit, *vocem* revera, *quæ ſane hoc loco debet ſuppleri, niſi frigidam & inutilem* ταυτολογίαν *in re clara hic eſſe velimus. Quod cum non ſit veri ſimile, ſenſus Pauli erit, non modo eſſe, qui dicantur vulgo ab Ethnicis Dii, ſed etiam, qui a Judæis & Chriſtianis adpellari jure queant, & ſint revera* θεοὶ *h. e.* σεβάσμιοι, *cultu digni, quisque pro dignitate naturæ & muneris; at unicum eſſe ſummum, qui ut Creator & ceterorum omnium Dominus & Deus ſit colendus.* Ex ſequentibus patet, eundem per *Deos* angelos, per *dominos* autem Magiſtratus intelligi velle: quam in rem *Philonis* quoque locum adducit e libro de Somniis p. 464. ὁ μὲν ἀληθείᾳ θεὸς εἷς ἐςι - οἱ δὲ καταχρήσει γενόμενοι πλεῖες. Confer ejusdem notas ad verſionem Gallicam N. T. Eadem eſt ſententia *Jo. Crelli*, in quam recte propterea animadvertit B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Sententiam hanc itidem amplexus eſt *Steph. le Moyne* in Diſſertatt. ad Jeremiæ XXIII. p. 252. qui plurimos ait eſſe angelos & principes, qui dicantur אלהים וארונים plurimos magiſtratus & doctores, qui vocantur אלהים מורים ורבנים.

Nonnulli per *deos* & *dominos* ſignificari tantum volunt doctores Judaicos, qui in Judæos tunc temporis, impoſito legis jugo, dominatum exercuerint. Ita ſtatuit *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 429.

Ad Judæos & Gentiles ſimul his verbis reſpici exiſtimat *B. P. Karlius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. V. p. 835. ita verba Pauli παραφράζων: *Quanquam ſunt, qui Dii dicuntur, & in cælo & in terra* (h. e. in Judaiſmo & Gentiliſmo: vide Hagg. II. 7. Ebr. XII. 26.) *ſicut ſunt Dii multi & Domini multi: nobis tamen* (Chriſtianis) *unus eſt Deus Pater, ex quo omnia* &c. (h. e. qui Judæos juxta & gentes præcognovit & præordinavit ad ſalutem. Quæ quidem p. 836. ſic amplius illuſtrantur. *Dii dicti itaque Paulo ſunt homines in eminentia conſtituti, obſequio colendi, Diique appellati vel ab ipſo Deo, ut Judæorum Principes, Pſ.* LXXXII. 6. *coll. Exod.* XXI. 6. XXII. 6. 28. *Joh.* X. 34. ſqq. *Actor.* XXIII. 5. *Gal.* IV. 8. *vel ab hominibus, Jeſ.* XLII. 17. *Quare, addita ſtatim limitatione, illos quidem, quos Deus ipſe Deos dixerat, & quibus, ceu Dei vicariis, nomen Deorum hactenus jure quodam conveniebat, Deos appellat; hos vero, quibus vel ſuperſtitio, vel adulatio hominum iſtud nomen attribuerat, ad corrigendum quaſi abuſum, Dominos duntaxat nominat.*

In his ſententiarum divortiis quæ via tenenda ſit, non admodum obſcurum videtur. Ad ſolos enim Gentiles eorumque deaſtros, ſive deorum ſive dominorum nomine appellentur, reſpici, ex eo manifeſtum eſt, quod Apoſtolus per vocem ἡμῖν illis opponat Chriſtianorum cœtum, quatenus ex Judæis & Gentilibus erat collectus. Idem evincit Pauli inſtitutum. Hoc enim eo perti-

pertinebat, ut εἴδωλα i. e. *deaſtros* nihil eſſe, adeoque nullam eorum, proinde nec immolatitiorum, curam haberi a Chriſtianis debere evinceret. Propterea in memoriam iis revocat doctrinam fidei præcipuam, ipſis receptam, nempe unum eſſe Patrem, & unum Dominum Jeſum Chriſtum. Hac occaſione monet, nihil obſtare tot deorum dominorumque inter Gentiles, quibus ſcilicet εἴδωλα tantum competebant, mentionem, quippe qui in ore tantum hominum verſarentur, non autem vere exiſterent. Jam facile patet, ad ſcopum Apoſtoli nihil facere, ſi eum de *Angelis* aut *Magiſtratibus* aut *Doctoribus* Judæorum, qui vel a Chriſtianis, vel a Judæis deorum dominorumque nomine appellari ſoleant, hic cogitaſſe credamus. Nemo enim dubitare poterat, quin illi quidem ſequiore ſenſu dominorum nomine venirent. *Ταυτολογίας frigidæ & inutilis* ſuſpicio evaneſcet, ſi recogitemus, S. Paulum ideo ſpeciatim poſt θεὺς λεγομένυς facere mentionem τῶν θεῶν καὶ κυρίων πολλῶν, ſcilicet λεγομένων, tum ad indicandam πολυωνυμίαν deorum gentilium, tum, ut occaſionem haberet explicandi, quis a Chriſtianis Θεὸς & Κύριος appellari ſoleat. Tralatitium vero erat inter Gentiles, ut Deos ſuos, ſpeciatimque Jovem, κύριον vocarent. Vide hanc in rem *Radulphum Cudworthum* in Syſtemate Intellectuali p. 454. ſqq.

Verſ. 6. Ἀλλ' ἡμῖν εἷς Θεὸς, ὁ πατὴρ, ἐξ ὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν· καὶ εἷς Κύριος Ἰησῦς Χριςὸς, δι' ὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι' αὐτῦ) De notione harum diverſarum particularum ἐκ, εἰς & διὰ vide, quæ ſupra ad *Roman.* XI. 36. a nobis allata ſunt, nec omitte B. *Sebaſt. Schmidii* Collegium Biblicum poſterius pag. 38. ſqq. & B. *Jo. Andreæ Schmidii* diſſertationem de Syllabicis ſumme injuriis, Helmſtad. 1700. Ex his inprimis de vero verborum ſenſu judicium formari poterat, quemadmodum cum grano ſalis expendenda ſunt iſta *Joſ. Medi* cogitata in Fragmentis Sacris l. c. pag. 241. *Nobis autem unicus eſt Deus (ſummus citra condeſcenſum perſonæ ſuæ in œconomia ſalutis) pater, a quo ſunt omnia (primario juxta ordinem operandi) & unus Dominus (mediator & patronus) Jeſus Chriſtus,* δι' ὗ τὰ πάντα *(a patre ad nos perferuntur)* καὶ ἡμεῖς δι' αὐτῦ *(cultum patri offerimus.) Eſt Mediator* ἐν τοῖς πρὸς ἡμᾶς καὶ πρὸς Θεόν. Ille ſcilicet commatis hujus momenta referri tantum vult ad œconomiam ſalutis, ut appareat diverſitas reſpectus, qui in ea ad Patrem & Filium habeatur. Idem, ſed modo diverſo, indicatum putat *Karlius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. V. pag. 835., ita hæc παραφράζων: *Nobis tamen* (Chriſtianis) unus eſt Deus Pater, ex quo omnia (*h. e. qui Judæos juxta & gentes præcognovit, & præordinavit ad ſalutem,* 1 *Corinth.* I. 30. 2 *Corinth.* V. 18.) & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia (*h. e. qui Judæos & gentes ſuo ſanguine redemit, ſuoque Spiritu in unum corpus gregemve conglutinavit, aut congregavit.* 1 *Corinth.* XII. 12. 13. *Johan.* I. 3. X. 16. XI. 52. *Galat.* III. 20. 28.) *ubi & hoc addit: nosque fideles ex Judæis, uti* ex Deo, *ita &* ad Deum, *h. e. ad id a Deo ſumus præcogniti, ut ipſi eſſemus honori, ejusque promiſſionem noſtro miniſterio, nempe vocatione & converſione gentium, impleamus: ſed per Dominum*

minum h. e. per Chriſtum ad hoc a lege redemti, & libertate donati. Galat. III. 13. 14. & IV. 5. Quam vim toti huic commati, in Arianam ſententiam detorquendo, intulerit *Daniel Whitbius, Cogitationes* ejus *poſteriores* in loca quædam N. T. anglice poſt fata viri, alioquin doctiſſimi, editas legenti patebit ex Diſſertat. I. pag. 98. ſqq. Aliter ſenſiſſe primitivæ Eccleſiæ doctores ex eorum ſcriptis apparet, qui vel ex noſtratibus, vel ex Anglis ſuperiori & noſtro Sæculo tum Socinianis tum Arianis ſe oppoſuerunt, quos hic commemorare longum foret. Lege interim *Suicerum* Tom. I. p. 1038. & *Petavium* Tomo II. Dogmatum lib. II. cap. 5. Adde etiam *Jo. Creyghtonum* in Prolegomenis ad *Salom. van Till* Commentar. belgicum in hanc epiſtolam p. 178. ſqq.

Verſ. 7. Ἀλλ' ὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις, κ. τ. λ.) Lege huc, quæ ad v. 1. ex *Triglandii* diatriba de Karæis produximus. *Lockius* in Commentario ad h. l. comma hoc quod ad ſenſum proxime jungi vult commati primo, interjecta autem per παρένθεσιν a reliquis diſtingui. At enimvero patet, Apoſtolum verbis his: ἀλλ' ὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις, *ſed non omnibus hæc adeſt ſcientia;* reſpicere ad v. 4. περὶ τῆς βρώσεως ὖν τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν, ὅτι ὐδὲν εἴδωλον ἐν τῷ κόσμῳ. Hoc vult Apoſtolus, non omnes Chriſtianos plene perſuaſos eſſe de eo, quod deaſtrorum, adeoque & immolatitiorum nulla ſit habenda ratio, ſed nonnullos eorum, quamvis alioquin ab idololatria penitus alienos, ſaltem dubitare, an ſine conſcientiæ vulnere immolatitiis veſci poſſint, & nihilominus illis uti, licet compertum habeant, iſta, quibus veſcerentur, diis conſecrata fuiſſe. Hunc enim puto eſſe ſenſum φράσεως, τῇ συνειδήσει τῦ εἰδώλυ i. e. *cum conſcientia idoli*, ſeu, quamvis ſub eſu immolatitiorum de idolis cogitent, eorumque ſint conſcii. Ceterum comma hoc ſeptimum & reliqua uſque ad v. 10. illuſtrat *Witſius* in Miſcellaneis Sacris Tom. II. Exerc. XVIII. eam in finem, ut oſtendat, conſcientiam aliquando errare poſſe, quod nonnulli temere ſunt inficiati.

Ἕως ἄρτι) *Wilh. Wall* in Notis Criticis ad N. T. p. 189. hac phraſi cenſet eorum confirmari ſententiam, qui perſuaſum ſibi habent, decretum Hieroſolymitanum Act. XV. idolothytorum eſui oppoſitum, ad illa tantum tempora ſpectaſſe, quibus Gentiles converſi inter Judæos verſarentur, & quamdiu vel hinc ſpes erat, fore, ut illi ad veritatis cognitionem perducerentur.

Verſ. 8. Βρῶμα δὲ ἡμᾶς ὐ παρίστησι τῷ Θεῷ) i. e. συνίστησι, *commendat.* Sic *Joſephus* Antiquitatum Judaic. XV. 7. 3. Ἐξιόντι δὲ Μαριάμνη παραστησαμένη τὸν Σόεμον, quem locum obſervavit Cl. *Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 69.

Οὔτε γὰρ ἐὰν φάγωμεν, περισσεύομεν· ὔτε ἐὰν μὴ φάγωμεν, ὑστερύμεθα.) i. e. *neque enim, ſi edamus, aliquid hinc nobis accedit; neque, ſi non edamus, quicquam nobis decedit:* ſcilicet coram Deo. Lege *Henr. Stephani* Diſſertationem de Stylo N. T. p. 7. Syntagmatis Honertiani.

Verſ. 9. Βλέπετε δὲ, μήπως ἡ ἐξυσία ὑμῶν αὕτη πρόσκομμα γένηται) ἐξυσία hic *licentiam* infert. Confer *Pſochenium* de Stylo N. T. §. 124. ubi hæc notio Scriptorum externorum locis confirmatur.

Verſ.

Verſ. 10. τὸν ἔχοντα γνῶσιν) qui ſcis, idoli nullam rationem eſſe habendam. *Caſtellio* minus recte nec plene ſatis vertit: *cui nota res eſt.* Contra eum lege *Jo. Alberti* Obſervatt. Sacras p. 345.

Ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον) εἰδωλεῖον hic non eſt *epulum* aut *locus ſimulacrorum*, ſed *delubrum* ſeu *templum idolorum*, ut *Beza*, *Syrus* & *Arabs* olim verterant. Vide Hiſtoriam Criticam Reipublicæ Literariæ gallice editam Tomo I. p. 139. Scilicet compertum eſt, Gentiles in templis ſeu delubris non ſolum diis ſuis ſacra facere, ſed & de ſacris oblatis epulari conſueviſſe. Vide huc *Fileſacum* in Selectis lib. I. p. 82. ſqq. *Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus lib. III. Diſſert. I. cap. 7. p. 874. Cl. *Pet. Zornium* in Biblioth. Antiquaria Tomo I. p. 554. in notis, inprimis autem *Radulphum Cudworthum* in Diſſertat. Anglicana ſingulari de vera notione Cœnæ Dominicæ. Adde Cl. *Elsnerum* p. 99. ſqq. qui idem ex Græca & Romana antiquitate teſtatum fecit. De hoc vocis ſignificatu confer *Obertum Giſanium* Collectaneis in Lucretium p. 332. & Cl. *Jo. Alberti* p. 345. Obſervatt. Sacrar. & in Addendis p. 510.

Οὐχὶ ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν;) Pro οἰκοδομηθήσεται *Tanaqu. Faber* lib. II. epiſt. 29. legi vult ὁδοποιηθήσεται, *in viam inducetur:* ideo ſcilicet, quod verbum οἰκοδομεῖν a Paulo nunquam in deteriorem ſenſum accipiatur, hic vero de re minime laudanda ſermo ſit, nec Paulus ironice hoc loco locutus cenſeri debeat. Ingenioſam, ſed parum ſolidam hanc eſſe conjecturam oſtendit *Jo. Clericus* in Arte Critica Parte III. Sect. I. c. 17. §. 11. Recte enim ejus judicio οἰκοδομεῖν non minus atque ὁδοποιεῖν verbum μέσον eſt, quemadmodum Latinum *exædificare* Plautus in Trinummo Act. I. Scen. II. v. 95. ſequiori ſenſu adhibuit his verbis:

- - - dare te in manus
Argentum amanti homini adoleſcenti, animi impoti,
Qui exædificaret ſuam inchoatam ignaviam.

Convenienter *Eraſmus Schmidius* ad h. l. verbi vim ita ediſſerit: *Sicut enim ædificium, addita ſubinde materia conveniente & ſuperingeſta, extollitur & abſolvitur; ita infirmus, qui hactenus eſu idolothytorum abſtinuit, tuo exemplo adductus, & ipſe non verebitur iis veſci, ſed huic rei ſenſim adſueſcet, eamque pro peccato non amplius habebit: adeoque, cum careat illa veſtra, quam jactitatis,* γνώσει, ὅτι εἴδωλον ἐν τῷ κόσμῳ οὐδὲν, *ſenſim* τὰ εἴδωλα *in mundo aliquid eſſe ſtatuet, eaque colere tandem aſſueſcet.* Junge his Cl. *Alberti* l. c. & *Wæchtlerum* in Actis Eruditorum Lipſienſium Latinis Tomo IX. Supplementorum pag. 12. pag. 372. comparata laudati *Alberti* præfatione ad Periculum Criticum. Conſentit cum illis *Elsnerus* p. 101. & *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Tomo II. pag. 104. ſqq. Cl. *Dan. Wilh. Trillerus* in Notis MSS. rejecta illa *Fabri* conjectura aliam affert, quam probabiliorem, neque tamen neceſſariam, nedum certam, putat. Legi ſcilicet poſſe εἰκότως ἐθίσεται, *convenienter*, ſive, *ſimiliter adſueſcet.* Hæc enim verba, ſi literis majuſculis ſcribantur, alteri illi οἰκοδο-

μηθήσεται prope accedere exiſtimat. Enimvero optime ſe tuetur lectio recepta.

Verſ. 11. *Καὶ ἀπολεῖται ὁ ἀσθενῶν ἀδελφός σου ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει*) Perit ſcilicet, ſive, quod dubia & reluctante conſcientia veſcitur idolothytis, ſive, quod paulatim de Chriſtianiſmo ſecus ſentire incipit, aut penitus ab eo diſcedit, exiſtimans, rem nihili eſſe, idolis quicquam offerre, & de oblatis veſci. Τὸ ἀπολεῖται hic non *æternam perniciem*, ſed *miſeriam externam* denotare multis contendit, atque in hanc ſententiam ſequentem phraſin δι' ὃν Χριστὸς ἀπέθανε, torquet *Jo. Creyghtonus* in Prolegomenis ad *Salom. van Till* commentar. Belgicum in hanc epiſtolam p. 184-201. Sed vide, quæ ad Rom. XIV. 15. contra hanc Reformatorum Doctorum ſententiam dicta ſunt. Adde *Petavium* Tomo I. Dogmatum Theologicorum lib. X. cap. V.

Verſ. 13. *Εἰς τὸν αἰῶνα*) *toto vitæ meæ tempore.* Inſpice *Suicerum*, ex Patribus inprimis hanc phraſeos ſignificationem adſtruentem Tomo I. p. 141.

CAP. IX.

VErſ. 2. *Εἰ ἄλλοις οὐκ εἰμὶ Ἀπόστολος, ἀλλά γε ὑμῖν εἰμι*) Τὸ ἀλλὰ hic ſignificat *tamen*, ut apud *Herodotum* lib. V. pag. 344. Lege *Raphelium* pag. 470.

ἡ γὰρ σφραγὶς τῆς ἐμῆς ἀποστολῆς ὑμεῖς ἐστε ἐν Κυρίῳ) Ultimæ duæ voces deſunt in Codicibus quibuſdam, ideoque ex commate proxime antecedente repetitæ videntur *Millio* ad h. l. & in Prolegomenis §. 458. Sed familiaris Paulo eſt hæc phraſis, modeſtiæque ejus & demiſſi animi argumentum, ſecundum quem res muneris ſui non ad ſe, ſed ad Dominum vocantem & cooperantem refert. Pro voce ἀποστολῆς Æthiops hic legit ἐπιστολῆς, quod obſervavit *Luſtuſius* apud *Caſtellum* in Lexico Heptaglotto col. 3161. ubi exemplaria noſtra hodie corrupta eſſe ſuſpicatur. At præferendus hic eſt *Millius*, cui Interpres ad 2 *Cor.* III. 2. ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν ὑμεῖς ἐστε reſpexiſſe videtur. Communem lectionem genuinam eſſe, vel antecedens phraſis: εἰ ἄλλοις οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος, evincit. Senſus enim eſt: Siquidem alii pro Apoſtolo me agnoſcere nolint, talem tamen me eſſe per vos, quos vi muneris Apoſtolici ad Chriſtum perduxi, evidenter probavero, nec vos ipſi negaveritis. Valeat itaque editio N.T. Græci Amſtelodamenſis an. 1678. 12. quæ hic legit ἐπιστολῆς.

Verſ. 5. *Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν;*) *Non placet*, inquit *Herman. Witſius* in Meletematibus Leidenſibus pag. 227. *eorum interpretatio, qui de honeſta aliqua, pia, divite matrona explicant, quales Chriſtum comitatæ ſint, de bonis ipſi ſuis ſervientes. Si enim hoc voluiſſet Paulus, quod illi volunt, non addidiſſet* γυναῖκα, *nam voce* ἀδελφῆς *jam ſexum indicaverat. Quis ignorat, ſorores eſſe mulieres? Neque eſt, quod exiſtimemus, Pauli ætate cognitas fuiſſe iſtiusmodi mulieres, quas Cypriani ævo & paulo poſt* συνεισάκτους *dixere, quæ Clericis miniſtrantes ſub conjugii prætextu virginitatem nihil-*

nihilominus illibatam conſervabant, & nomine uxores erant, uſu ſorores. Sic de Anaſtaſio Presbytero Amphilochius: λέγει τῇ γυναικὶ αὐτῆ, ὀνόματι μὲν, ἀδελφῇ δὲ τῇ χρήσει. *Talium enim feminarum cum Presbyteris cohabitationem a primævi Chriſtianiſmi ſimplicitate ac ſeveritate alienam fuiſſe docet doctiſſimus Dodwellus Diſſertat. Cyprianica III. Præterea confeſſum ſatis eſt, Petrum alioſque ex cognatis Domini fuiſſe conjugatos, qui uxores ſuas Eccleſiæ ſumtibus circumduxere. Voluit ergo oſtendere, ut jure ſuo ceſſerit; quod, etſi non habuit, habere tamen potuit uxorem, quam, ut alii faciebant Apoſtoli, circumduceret, & ſumtus ab Eccleſiis non pro ſe ſolum, ſed & pro illa exigeret, atque acciperet.* Quam hic ſententiam confutat recte *Witſius*, eam veterum Patrum multis placuiſſe mirum eſt. Eorum loca attulit *Suicerus* Tomo I. pag. 810. ſed & deſeruit, allatis ex *Chamiero* idoneis argumentis. Sic & ex his verbis Pauli cœlibatum recte adſeruerunt recentiores, ex Reformatis quidem *Jo. Marckius* in Exercitatt. Juvenilibus pag. 455. ſqq. ubi de cœlibatu Pauli exponit, ex noſtratibus autem B. *Jo. Andr. Schmidius* in Decade Diſſertatt. Hiſtorico-Theologic. num. X. quæ de Apoſtolis uxoratis commentatur, ſectione ultima, doctiſſimus *C. A. Heumannus* contra Rev. *Kochium* in Pœcile Tomo I. pag. 320. & *Theoph. Amelius* Tomo II. der Erörterung pag. 795. ſqq. & qui ab illo citantur. Adde illis Rev. *Henr. Scharbau*, amici noſtri, epiſtolicam diſſertationem de ſororio conjugum titulo Lubecæ primum an. 1729. ſeorſim editam, & in Obſervationibus Sacris pag. 196. ſqq. recuſam. Confer, quæ ſupra ad VII. 7. a me dicta ſunt. Ad phraſin illam, qua h. l. *conjux* nonnullis dici viſa eſt *ſoror* per continentiam & abſtinentiam ab uſu conjugii, lege præſtantiſſimum *Fabricium* noſtrum in notis ad Codicem Pſeudepigraphum N. T. Tomo II. pag. 782. quibus oſtendit, ſignificationem hanc & Græcis, v. c. *Clementi Alex.* Stromatum lib. III. pag. 448. lib. VI. pag. 664. ſqq. & Latinis Eccleſiæ Scriptoribus, ut *Hermæ* in Paſtore lib. I. Viſione II. ac lib. III. Similitud. IX. cap. 11. aliiſque receptam fuiſſe, quod ipſum docuit etiam *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitatt. Biblicis N. T. Tomo I. pag. 41. Conſtat alioquin, *fratrum & ſororum* appellationem frequentiſſimam fuiſſe inter Chriſtianos idque ſingulari libro comprobaſſe *Godofr. Arnoldum*, quem Hiſtoriam cognationis ſpiritualis inſcripſit, *Goslariæ* 1703. 8.

De συνεισάκτοις, quas inconvenienter huc advocari recte monuit *Witſius* l. c. lege, quos *Fabricius* l. c. conſuli jubet.

περιάγειν) Ita *Polybius* ex Theopompo pag. 137. καὶ περιήγοντο μὲν δύο, καὶ τρεῖς τὰς ἑταιρευομένας, & *Lucianus* in Toxari p. 50. *Ac duos quidem treſve meritorios pueros ſecum circumducebant.* De re ipſa lege M. *Henr. Wittii* diſſert. de more circumducendi uxorem, Witteberg. 1691.

ὡς καὶ οἱ λοιποὶ Ἀπόστολοι) De Apoſtolis, præter Paulum uxoratis lege ſingularem *Jo. Andreæ Schmidii* diſſertat. modo laudatam. Ita *Baſilio* Tomo II. pag. 234. conjugati dicuntur Πέτρος καὶ οἱ λοιποὶ τῶν Ἀποστόλων. Pſeudo-Ambroſius

broſius in 2 *Cor.* XI. omnes Apoſtolos, exceptis *Joanne* & *Paulo* uxores habuiſſe affirmat.

καὶ Κηφᾶς) Non *Petrum* Apoſtolum, ſed quendam ex LXX. Chriſti, Domini noſtri, diſcipulis *Cepham*, hoc loco, & inprimis *Galat.* II. 9. intelligi contendit *Jo. Harduinus* in Operibus Selectis pag. 927. Sed hanc ſententiam auctori ſuo relinquendam eſſe pridem oſtendit doctiſſimus *Salom. Deylingius* in Obſervatt. Sacris, Parte II. Obſerv. XLV. Interim *Petri* Apoſtoli conjugium ex antiquitatis monumentis adſtruxit B. *Jo. Frider. Mayerus* ſingulari diſſertat. Witteberg. 1684. Adde *Deylingium* modo laudatum Parte III. Obſervatt. Sacr. pag. 369. & Auctorem *Critici eruditi* vernaculo ſermone editi, Tom. I. Quæſt. XC. itemque *Guil. Caveum* in Antiquitatibus Apoſtolicis, ubi de vita Petri p. 304. ſqq. Uxorem *Petri* ab aliis *Concordiam*, ab aliis *Perpetuam*, ab aliis alio nomine vocari oſtendit *Jo. Erneſtus Grabius* in notis ad Tomum I. Spicilegii Patrum pag. 330. Utrum *Petronilla* Petri filia naturalis, an ſpiritualis fuerit, diſquirit *Jo. Stephanus Menochius* in Tractatibus eruditis, italice editis, Parte I. p. 9. ſqq.

Verſ. 6. *Ἢ μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι;*) an ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem non operandi, i. e. non vivendi ex manuum labore, ſed aliena benignitate nos alendi, per metonymiam cauſæ: inde enim victum ſibi comparaſſe teſtatur Apoſtolus *Actor.* XX. 34. XVIII. 3. Ita recte B. *Feſſelius* in Adverſariis Sacris lib. IV. cap. II. p. 315. Nolim itaque, quod nonnulli faciunt Interpretes, verbum *ἐργάζεσθαι* per *facere* interpretari, quaſi indicare voluerit Apoſtolus, ſe & Barnabam eadem *facere* poſſe ratione conjugii, quod aliis licuerit Apoſtolis. Obſtat huic expoſitioni uſus verbi *ἐργάζεσθαι*, Paulo alias in ſignificatu *laborandi* recepti, v. c. 2 *Theſſ.* III. 8. *νύκτα καὶ ἡμέραν ἐργαζόμενοι.* Confer ibi v. 10. 11. 12. Adde *Actor.* XVIII. 3. Obſtat & ſermonis Paulini ſeries. In ſequentibus enim tum ex Jure Gentium, tum ex lege Moſis &c. oſtendit, licere ſibi quoque ex opera Evangelii prædicandi fructum, adeoque ſine ſuſcepto alio labore, capere, non minus quam aliis idem fas integrumque fuerit. Conf. *Aug. Herm. Franckii* Annotationes in aliquot loca Scripturæ Sacr. germanice editas p. 119. ſqq. Profanos quoque Scriptores *τὸ ἐργάζεσθαι* de *victu* ex labore quæſito, adhibere oſtendit *Grævius* in notis ad Heſiodum p. 9.

Barnabæ hic Paulus ſpeciatim meminit, tanquam ſui in prædicando Evangelio *συνέργου*. Confer *Feſſelium* l. c. p. 315.

Verſ. 7. *Τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ;*) Antiquiores verſionis *Lutheri* Biblicæ editiones hic habent ſimpliciter: **wer reiſet jemals auf ſeinen eigenen Sold?** At recentiores nonnullæ v. c. *Stadenſis* illa B. *Diecmanni* anni 1690. *Hamburgenſis* B. *Joach. Morgenwegii*, an. 1708. *Altorfina Zeltneri* an. 1730. &c. notioni verbi Græci propius accedunt hoc modo: **wer reiſet jemals in den Krieg auf ſeinen eigenen Sold?**

De

De voce ὀψώνιον in ſenſu militari ſcripſimus Volum. I. harum Curarum p. 601. Confer *Jac. Lydii* Syntagma de re militari pag. 23. & *Suiceri* Theſaurum Tomo II. p. 540.

καὶ ἐκ τȣ γάλακτος τῆς ποίμνης ȣκ ἐσθίει;) Patres nonnulli ita hæc verba allegant, ut vocem ποίμνης vel omittant, vel pro ea relativum αὐτῆς ſurrogent. Vide *Millium*, qui hinc conjecturam ducit, τὸ, ποίμνης ex proxime præcedentibus adjectum eſſe, in Prolegomenis §. 731. At præſtat, communem illam & perpetuam Codicum Græcorum, ſi unum exceperis, lectionem tenere, præcipue cum illa ad δεινότητα ſermonis Paulini faciat.

Verſ. 8. κατὰ ἄνθρωπον) ex more & conſuetudine hominum. Huic enim proxime opponitur lex divina. Vide etiam *Suicerum* ex Patribus Tomo I. pag. 351.

Verſ. 9. Ἐν γὰρ τῷ Μωσέως νόμῳ γέγραπται) Moſis legem hic appellat illam, quæ Dei eſt, quæque v. 8. ſimpliciter vocatur νόμος. Loco hoc utitur contra Marcionitas *Origenes* in Dialogo contra eos ſcripto p. 32. ad quem locum compara *Wetſteinii* notas. Apud gentes quoque lege cautum fuiſſe, ne quis bovem occideret, oſtendit *Grotius* in Explicatione Decalogi p. 63.

ȣ φιμώσεις βȣ̃ν ἀλοῶντα) Reſpicitur ad *Deuter.* XXV. 4. Eam vero legem ad omnia alia animalia, quæ homini inſerviunt, pertinere obſervat R. *Moſes Cotſenſis*, de Præceptis negativis Præcepto 184. & de Affirmativis Præcepto XCI. Confer Cl. *Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς p. 535. qui ibidem ex narratione hominum, qui apud Turcas commorati ſunt, teſtatur, moris ibi eſſe, ut bos vel vacca rhedam aliquam, clavis ferreis acuminatis inſtructam, trahat ſuper frumentum in area ſparſum, quo ariſtæ a culmis abſcindantur, nucleique ipſarum denudentur, dehinc grana colligi, & ventilatione a palea liberari, ſtramine interim in area manente, donec alia triturandi materies advehatur. De more per boves triturandi, Græcis recepto, conſtat ex *Xenophontis* Oeconomicis p. 681. quem locum Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis attulit p. 225. Adde Cl. *Chriſtiani Schœtgenii* Antiquitates trituræ & fulloniæ, Ultrajecti 1727. 8. editas, ubi & locus hic Apoſtoli illuſtratur p. 42.

Capiſtrationem boum, hic a Deo prohibitam, inter gentes frequentatam fuiſſe, vel ex proverbio illo patet, quod præter alios affert *Suidas:* Βȣ̃ς ἐπὶ σωρῷ· ἐπὶ τῶν ἀλοώντων, καὶ διὰ φιμȣ̃ ἐσθίειν κωλυομένων. *Bos in acervo, de bobus triturantibus, & qui per camum ab eſu prohibentur.* Compara omnino *Bochartum* in Hierozoico Parte I. lib. II. c. 40. p. 401. ſqq. ubi ex omnis generis antiquitate oſtendit, quibus modis boves ab eſu granorum frumenti prohiberi conſueverint. Adde Bibliothecam Bremenſem Claſſe I. Faſcic. II. p. 67. ſq.

Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ;) Non ſimpliciter hic negat Apoſtolus, vel boves, vel jumenta reliqua Deum ullo modo curare, tantum vult, Deum hanc legem non tam propter boves, quam propter homines condidiſſe, & hos potiſſimum reſpexiſſe, ut nos doceret, ex labore ſuo unumquemque vivere

 opor-

oportere. Ita recte *Bochartus* l. c. p. 416. qui ibidem ſimilem *Philonis* phraſin ex libro *περὶ θυσιῶν* & ex *Menachemo Ricinenſi* apud Druſium ad Deuteron. XXII. 6. affert. Is enim ad legem: *Non accipies matrem cum pullis*, ita commentatur: *Intentio præcipientis non eſt miſereri avium, ſed propter homines hoc dicit, quos ita voluit aſſuefacere ad manſuetudinem & commiſerationem.* Similiter *Philoſtratus* de Vita Apollonii lib. VIII. c. 30. Apollonium affert de edicto Phraotæ, leones manſuefaciendos verberibus cædi prohibentis, ita judicantem: *Τοῦτο δὲ οὐχ ὑπὲρ τῶν λεόντων εἶπεν, οὐ γὰρ ἐπὶ θηρίων ἀγωγῆς ἐσπουδάζομεν· ἀλλ' ἡνίαν ἐπὶ τοὺς τυράννους διδοὺς, ἣ χρωμένους οὐκ ἂν ἐκπεσεῖν ἡγεῖτο τοῦ ξυμμέτρου.* Ceterum de Paulina hac argumentatione, *a minori ad majus ducta*, quam Hebræorum Magiſtri קל וחומר appellant, lege *Surenhuſium* l. c. p. 536. Idem accommodationem tantum allegoricam locum hic habere cenſet, eamque confert cum Hebræorum דרשא qua ſimplex præceptum ad alias res transferatur, & per aliquod fulcimentum ſeu אסמכתא ex lege illuſtretur, conſequentia ſcilicet probabili ducta. Secus videtur Rev. *Henr. Scharbau* in Obſervationibus Sacris p. 69. ſqq. ubi in *Surenhuſium* hoc nomine animadvertit, totumque comma illuſtrat, & ſpeciatim momenta ſimilitudinis, quæ inter *arationem*, & *miniſterium verbi* Apoſtolicum aliorumque verbi miniſtrorum intercedit, in ampliore luce collocat.

Verſ. 10. *τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν*) *i. e. fructus ſperatos obtinere*, ut recte explicat *Theophylactus* apud Suicerum Tomo I. p. 1094.

Verſ. 11. *Ει ἡμεῖς ὑμῖν τὰ πνευματικὰ ἐσπείραμεν*) De Æthiopico Interprete, qui *τὸ ὑμῖν* per *lachmu* i. e. *vobis* (in veſtrum uſum) reddidit, lege Cl. *Steph. Saucieti* Collectionem Diſſertationum Criticarum p. 493.

Verſ. 12. *Ει ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσιν*) *ſi alii jure ſuo in vos utantur.* Sic Matth. X. 1. *ἐξουσία πνευμάτων* de *poteſtate in Spiritus* & *Joh.* XVII. 2. *ἐξουσία πάσης σαρκὸς* de *poteſtate in omnem carnem* dicitur. De *jure* enim, quo alii Apoſtoli & Evangelii præcones in Corinthios ratione præmii, ab iis reportandi, utantur, & ipſe quoque uti poſſit, loqui Apoſtolum, patet ex v. 6. *ἢ -- οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν.* Et ſic in hoc commate v. 12. *ἀλλὰ οὐκ ἐχρησάμεθα τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ.* Itaque non eſt, cur cum *Lockio* ad h. l., reclamantibus Codicibus omnibus, pro *ἐξουσίας* legamus *οὐσίας* i. e. *facultatum*, *opum.* Nec magis probem Anonymi interpretationem Tom. VI. Obſervationum Selectarum Halenſium p. 103. allatam. Illi *eminentia* ſeu *abundantia*, (ſcilicet *opum*) hic exprimi videtur per *ἐξουσίαν*, ideo, quod vocula *ἐκ* in compoſitione ſæpe tale quid inferat. Senſus itaque foret: *ſi alii abundantiæ* (opum) *veſtræ conſortes ſunt, an non nos potius* ejus conſortes ſimus? *Elegans hic*, ita pergit, *ἀνταναάκλασις eſt, & ſenſus manifeſtiſſimus, & toti orationi accommodatiſſimus.* At nec ſenſui, nec contextui rectius conſulitur, quam ſi receptam vocis *ἐξουσία* ſignificationem teneamus, quæ nec propterea deſeri debet, quod nullo vel Sancti vel profani Auctoris exemplo altera illa conſtet. Nec ſufficit Paulo *ἰδιωτικόν τι*, quod p. 102. fieri video, tribuere, atque hoc modo vocem alias frequentiſſimam nova

va

va & inſolente induere ſignificatione. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. legere mallet ἐξουσίας ἡμῶν niſi Codicum obſtaret auctoritas, hoc ſenſu: ſi alii noſtra poteſtate utuntur, nonne & nos habeamus poteſtatem eadem libertate utendi? Deinde vero ἐξουσίαν de facultatibus & opibus interpretatur, ideo, quod οἱ LXX. Hebraicam vocem רכוש *opes*, per ἐξουσίαν explicent. Vellem, ὁ μακαρίτης vel unico exemplo hoc comprobaſſet. Evolvi eos ipſe, ſed intellexi, illos hanc vocem nunc ἀποσκευὴν, nunc ἵππον, nunc κτῆνος, nunc κτῆσιν, nunc κτίσιν, nunc ὕπαρξιν, nunc ὑπάρχοντα, nunquam autem ἐξουσίαν reddere. Opes tamen hic etiam intelligi vult Rev. *Zeltnerus* in diſputat. de munimento capitis femineo p. 18. ſq.

Ἀλλ' οὐκ ἐχρησάμεθα τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ) Ita Elias, Doctor Karæus, de ſuis ait: *non ſolent agere* (Karæi) *ex more Doctorum Rabbinicorum, ut deos argenti faciant ſibi, & duces auri, dum docent hoc fine ſcopoque, ut Rabbi vocentur, magnamque vim pecuniæ congerant.* Lege *Jac. Triglandii* Diatribam de Karæis p. 164. qui & p. 165. obſervat, Rabbanitas quoſdam Judæos gratuitam pariter legis vel ſcriptæ vel oralis inſtitutionem profeſſos eſſe, deque ea re in Miſchna, Tractatu *de Votis* diſputari. Atque hanc putat fuiſſe cauſam, cur Paulus ſimiliter egerit, ne ſcilicet amore, induſtria & generoſo opum contemtu videretur cedere illis Judæorum doctoribus, qui gratuitam inſtitutionem ſubdole venditabant; ne ſuſpicioni vel calumniæ anſam præberet, quaſi ſuum in Evangelio commodum, non ſuorum auditorum ſalutem conſectaretur. De illa mercedis fuga, quæ legis doctoribus in *Pirke Avoth* c. IV. §. 5. commendatur, lege Rev. *Henr. Scharbau* l. c. Sed vel ſic tamen Judæos Doctoribus ſuis de ſalariis amplis proſpicere conſueviſſe, *Campeg. Vitringa* de Synagoga Vetere lib. VIII. Parte I. c. 18. oſtendit. Conſtat etiam, ex eorum ſententia illum ſacrificium quotidie Deo afferre cenſeri, qui Sapientem vel Sapientis diſcipulum ſeu Rabbinum domo aut convivio excipiat. Vide *Neve ſchalom* fol. 156. col. 1. & *Eiſenmengerum* in Judaiſmo Detecto germanice edito Parte I. p. 338.

Ἵνα μὴ ἐγκοπήν τινα δῶμεν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ) Ἐγκοπὴ eſt præpeditio ſeu interciſio itineris, vel curſus. Heſychius exponit ἔνεδρον, ἐμπόδιον. Itaque Apoſtolus a curſoribus ſimilitudinem hic poſt Chryſoſtomum ſumere videtur *Bezæ* & *Jac. Lydio* in Agoniſticis Sacris p. 120. quaſi diceret: *ne curſum Evangelicæ prædicationis retardemus.*

Verſ. 13. Οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι) Τὰ ἱερὰ ἐργάζεσθαι, ſeu *ſacris operari* accipiendum eſt pro deſcriptione officii Levitarum; valet autem tantundem ac *ſervire ſacris*, eoque opere occupatum eſſe per totam vitam. Ita poſt *Theophylactum* phraſin hanc explicat *Campeg. Vitringa* de Vetere Synagoga in Prolegomenis cap. VI. p. 74. quemadmodum idem cum eodem Theophylacto phraſin in hoc commate ſequentem τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύειν a Sacerdotibus V. T. repetitam eſſe monet. In eandem ſententiam lege omnino *Joſ. Mede* Opera Anglice edita p. 77. ſqq. Hinc tamen, quod nonnulli volunt, non conſequitur, Miniſtros Eccleſiæ Chriſtianæ ad exemplar Sacerdotum V. T. inſti-

inſtitutos eſſe. Contra hanc ſententiam *Vitringa* diſputat l. c. p. 73. ſ. τὰ ἱερὰ de ſacro cultu etiam *Herodotus* paſſim adhibet. Vide *Raphel.* p. 470.

ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν) Hinc ſalarium Clericorum olim *cenſus annuus ex altaribus* dicebatur. Vide *Stephanum Baluzium* in Additionibus ad *Petri de Marca* Concordiam Sacerdotii & Imperii VI. 31.

Verſ. 14. Οὕτω καὶ ὁ Κύριος διέταξε τοῖς τὸ Εὐαγγέλιον καταγγέλλουσιν, ἐκ τοῦ Εὐαγγελίου ζῆν) Lege huc eundem *Vitringam* l.c. lib.III. Part. I. c. 18. p. 874. ſqq. ubi de honorariis ſive ſtipendiis Presbyterorum, tam Eccleſiæ, quam Synagogæ, diſſerit, monſtrata utriusque morum hac in parte convenientia. Idem p. 878. inſtitutum hoc ſalaria & victum ab Eccleſia accipiendi a Domino noſtro recte derivat. Vide v. c. *Matth.* X. 10.

ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν) In hac phraſi illuſtranda multus eſt *Joſ. Mede* in Operibus pag. 77. ſqq. Is vero ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίειν in commate 13. interpretatur de *decimis*, quæ Levitis cedebant, ſicut τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζεσθαι de partibus ſacrificiorum, quæ Sacerdotibus divino inſtituto aſſignatæ erant. Hinc vero conficit, cum phraſis ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν reſpondeat τῷ, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίειν, ſicut altera phraſis, τὸ εὐαγγέλιον καταγγέλλειν reſpondeat τῷ, τὰ ἱερὰ ἐργάζεσθαι, fieri non poſſe, ut vox εὐαγγέλιον, poſteriore loco in hoc commate obvia, eodem ſenſu, quem in priore obtinet, h. e. *de munere prædicationis Evangelicæ* accipiatur, niſi Paulum apodoſin ad protaſin minus convenienter accommodaſſe dicere velimus. Hoc poſito εὐαγγέλιον in phraſi: ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν, accipi vult de *præmio, quod dari conſuevit lætum nuncium afferenti.* Quamvis enim in Sacris Scriptoribus alias vox illa hac notione non occurrat, negari tamen non poteſt, exſtare apud externos luculenta loca, in quibus eum ſignificatum obtineat. Talia quidem & *Medus* ipſe affert, & illi promſerunt, quos Vol. I. harum Curarum p. 2. appellavimus. Ad confirmandam hanc interpretationem idem facere putat, quod vox בשורה in Sacro Codice Hebræo, teſte *Schindlero*, & בשורא apud Chaldæos, tum vero εὐαγγέλιον apud τοὺς LXX. v. c. 2 *Sam.* IV. 10. ᾧ ἔδει με δοῦναι εὐαγγέλια, *præmium pro bono nuncio* inferat. Addit denique, mirum non eſſe, quod vox εὐαγγέλιον eadem ſignificatione nusquam alibi in N. T. tabulis occurrat, cum res ipſa, nempe præmium boni nuncii alibi non commemoretur, atque adeo nec vocis illius uſus locum habere potuerit. Comparetur idem in Fragmentis Sacris Tom. X. Opuſculorum ad Hiſtor. Philolog. pertinentium p. 246. Erudite, fateor, hæc diſſeruntur, ſed ita tamen, ut paucis putem perſuaſiſſe virum doctum ea, quæ intendit, præcipue cum intentio Apoſtoli ſatis manifeſta evadat, etiamſi ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν ex communi vocis notione interpretemur. Id ſcilicet ſibi vult, non minus Miniſtros Evangelii ex munere ſuo Evangelico, quo perfungantur, fructum capere debere, quam Levitas olim ex opera, quam Templo externoque cultui dedicabant. Omitto, nondum eſſe evictum, quod τὸ ἱερὸν in phraſi ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίειν, de *decimis* rectius quam de *templo* ipſo, in quod illæ deferebantur, explicari debeat. Alibi ſane hanc τοῦ ἱεροῦ, vocis alioquin frequenter obviæ, ſignificationem

nem in Novo inſtrumento & apud τȣ̀ς LXX. fruſtra quæſivi. Argumentatio itaque Paulina recte ſibi conſtat. Levitæ, ſacris in templo operantes, ex templo rebusque illuc delatis vivebant; itaque & iis, qui Evangelio operantur ex munere Evangelico victum habere fas eſt.

Verſ. 15. ἢ τὸ καύχημά μȣ ἵνα τις κενώσῃ) Synchyſin hic nonnulli ſtatuunt in voce ἵνα, quæ ita collocanda videbatur, ἢ ἵνα τὸ καύχημά μȣ τις κενώσῃ. Lege contra hos Cl. *Wokenium* in Pietate Critica Parte II. p. 127. Scilicet non infrequens eſt etiam apud elegantiſſimos Græciæ Scriptores iſta *conjunctionum* trajectio. Lege, quæ ſcripſimus Vol. I. harum Curarum p. 896. de particula ὅτι ſimiliter transpoſita.

Verſ. 16. Ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται) Neceſſitas illa pendebat ex vocatione divina. Lege Patres apud *Svicerum* Tomo I. p. 245. Illa vero neceſſitas τὸ ἑκȣ́σιον ſeu libertatem non tollit. Vide hic veterum Doctorum effata apud *Dionyſ. Petavium* Tomo III. Dogmatum Theologicorum de Opificio ſex dierum lib. III. cap. VI. §. 5. 6. p. 204.

Verſ. 17. Εἰ δὲ ἄκων) *Knatchbullus* poſt ἄκων delet comma, & vertit: *ſi vero nolenti diſpenſatio eſt concredita.* Sed male. Cohæret enim omnino eum πράσσω, & ſenſus rectus eſt nihilominus. Ita recte *Hombergius* in Parergis Sacris p. 251.

οἰκονομίαν πεπίςευμαι) Eadem conſtructio verbi πιςεύεσθαι *Rom.* III. 2. *Gal.* II. 7. 1. *Theſſal.* II. 4. 1. *Tim.* I. 11. *Tit.* I. 3. Et ſic quoque apud *Polybium* p. 1316. ἐπιςεύθην δὲ τὴν ἐπιμέλειαν τῶν ὅλων ὑπὸ τȣ̃ βασιλέως, Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 467. Munus illud Evangelicum vocatur alias οἰκονομία τῆς χάριτος τȣ̃ Θεȣ̃ *Epheſ.* III. 2. & οἰκονομία τȣ̃ Θεȣ̃ *Coloſſ.* I. 25. Confer *Sviceri* Theſaurum Eccleſiaſt. Tom. II. p. 458. ubi de voce οἰκονομία, quemadmodum de verbo πιςεύεσθαι agitur ab eodem Tomo I. p. 325. & II. p. 720. Conſultum quoque fuerit legere, quæ ad *Rom.* III. 2. ſcripſi.

Verſ. 18. Τίς ȣ̂ν μοί ἐςιν ὁ μισθός;) Sine interrogatione hæc legi vult *Joſ. Medus* in Fragmentis Sacris Faſcic. X. Opuſculorum ad Hiſtoriam & Philolog. Sacram pertinentium p. 247. hoc ſenſu: *aliqua mihi merces eſt.* At manifeſtum eſt, δεινότητα ſermonis Paulini hac mutatione infringi. Paulus ſimili phraſi interrogative utitur 1. *Cor.* XV. 32. τί μοι τὸ ὄφελος, εἰ νεκροὶ ȣ̓κ ἐγείρονται; Si Apoſtolus id hic voluiſſet, quod *Medus* vult, ex Græcæ Linguæ rationibus ſcripturus potius erat: μισθὸς ȣ̂ν τίς μοί ἐςι. Sic v. 12. ἵνα μὴ ἐγκοπήν τινα δῶμεν τῷ εὐαγγελίῳ τȣ̃ Χριςȣ̃, & 2. *Cor.* XI. 16. ἵνα μικρόν τι κἀγὼ καυχήσωμαι.

ἵνα εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον θήσω) De voce ἀδάπανον inſpice *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. Tom. I. p. 40. Verbum θήσω idem eſt, quod ποιήσω, ut alias frequenter, ceu paſſim in aliis verbi hujus temporibus monet ex veteribus *Heſychius*. Ita *Apollonius Rhodius* lib. I. v. 259. --- καὶ ἄλγεα μυρία θείη. Scholiaſtes ejus ad v. 421. τὸ θεῖναι per ποιῆσαι explicat. Similia veterum loca lege apud *Pſochenium* de Stylo N. T. §. 70. *Grævium* ad Heſiodum p. 54. & noviſſime Cl. *Jo. Alberti* in Obſſ. Sacris p. 347. Poſtremus hic p. 348. monet,

 net,

net, *ἀδάπανον* dici, *quod ſumtu caret*, ſeu *expers impenſarum*. Heſychius: *ἀδάπανον, τὸ ὕδωρ*, quia ſcilicet aqua rerum eſt viliſſima. Τὸ ἵνα, eodem obſervante, cum indicativo hic conſtruitur, ut ſupra cap. IV. 6.

τὸ ἐυαγγέλιον τȣ̃ Χριςȣ̃) Poſteriorem vocem quidam omittunt, quam ideo pro interpretamento habet *Millius* in Prolegomenis, monente *VVhitbio* in Examine p. 63. At eadem phraſi plena utitur Paulus v. 12. tum vero 2. *Cor.* II. 12. IX. 13. *Gal.* I. 7. & 1. *Theſſalonic.* II. 2.

εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι) i. e. *ne utar.* Vide ad cap. VII. 31. Confer *VVilh. VVall* Notas Criticas anglice editas in N. T. p. 191.

Verſ. 19. πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδȣ́λωσα) Lege *Picinelli* Lumina Reflexa, p. 696. ubi ſimilia veterum effata exſtant.

ἵνα τȣ̀ς πλείονας κερδήσω) Paulum hoc pro præmio ſuo habuiſſe, & hic demum ad quæſtionem: *quæ igitur merces mea eſt?* v. 18. propoſitam, reſpondere, reliquis verbis illuſtrationis cauſa παρενθετικῶς interjectis, ſtatuit Rev. *Zeltnerus* in annotationibus ad verſionem B. Lutheri vernaculam, Altorf. 1730. editam, p. 196. Ita ut ſtatuamus, nullam cauſam video. Neque enim illuſtratione hic ulla opus erat, in argumento, quod verbis clariſſimis Paulus v. 12. propoſuerat, in quo præterea idem illud, quod v. 18. pro lucro ſuo habet, nempe τὸ ἀδάπανον θῆσαι τὸ ἐυαγγέλιον, rationis loco, cur ex præconio Evangelii ad exemplum aliorum ſuſtentari noluerit, affert, dicens: ἵνα μὴ ἐγκοπήν τινα δῶμεν τῷ ἐυαγγελίῳ τȣ̃ Χριςȣ̃. Impediri enim ſaltem apud nonnullos curſus Evangelii poterat, qui ſuſtentationem illam vel ſiniſtre interpretarentur, vel incommodam ſibi & difficilem haberent. Hoc vero dum evitabat Paulus, idem illud pro lucro reputabat. Quemadmodum igitur in eo jure ſuo ceſſerat Paulus, ita v. 19. novum accommodationis ſuæ exemplum affert, teſtatus, ſe etiam in aliis muneris ſui partibus ad ingenia eorum, cum quibus ſibi res erat, reſpexiſſe, ſibique temperaſſe, ut plurium ſaluti conſuleret. Atque hujus inſtituti ſui rationem eam reddit, quod plurium ſaluti hoc modo conſulere voluerit. Prior illa cauſa, quam ſimul lucri ſui loco habet, ad Evangelii præconium provehendum in univerſum, poſterior ad audientium ſalutem amplificandum ſpeciatim pertinet.

Verſ. 20. 21. καὶ ἐγενόμην τοῖς Ἰȣδαίοις ὡς Ἰȣδαῖος κ. τ. λ.) Utrumque comma illuſtratum lege a Cl. *Jo. Creyghtono* in Prolegomenis ad commentar. *Salom. van Till* in hanc epiſtolam p. 202. 212. ubi momenta accommodationis Paulinæ ad diverſam Judæorum & Gentilium conditionem ediſſeruntur. De illa Pauli συγκαταβάσει lege Patrum cogitata apud *Svicerum* Tomo II. pag. 1072. & *Gatakerum* ad M. Antoninum I. 9. p. 17. ubi τὸ πρὸς πάντας ἐναρμοςον commendatur. Confer *Jo. Steph. Menochii* Tractatus eruditos, italice editos, Parte III. p. 258. ſq.

Verſ. 21. τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος) Ἀνόμοι hic ſunt Gentes, quibus lex Moſaica ritualis non erat, quique adeo eam nec norant, nec obſervabant. Vide

Svi-

Svicerum l. c. Tom. I. p. 366. qui & de paronomaſia, quæ in vocibus ἄνομος & ἔννομος obſervatur, Tomo II. p. 658. differit.

Verſ. 22. Ἐγενόμην τοῖς ἀσθενέσιν ὡς ἀσθενὴς, ἵνα τὰς ἀσθενεῖς κερδήσω) Nihil hic eſſe, quod Indifferentiſtis patrocinetur, oſtendit *Fechtius* in Examine Theologiæ Indifferentiſticæ p. 287. ſqq. Nihil vero etiam, quod in hypocriſi in vitæ uſu externo frigidam ſuffundat, *Spenerus* evicit in Vindiciis locorum Scripturæ Sacræ, quæ in abuſum trahuntur, p. 366. Adde *Jo. Andr. Schmidii* Diſſertat. quam inſcripſit: *Miniſter Eccleſiæ omnibus omnia*, Helmſtad. 1701.

τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα) Id *Herodotus* exprimit per παντοῖον γίνεσθαι, lib. III. p. 238. Lege *Raphelium* p. 470. Sic *M. Antoninus* I. 9. laudat τὸ πρὸς πάντας εὐάρμοστον, & *Vellejus Paterculus* Auguſtum prædicat, qui omnibus omnia fuerit, obſervante *Barthio* ad Claudianum. Debeo hæc Cl. *Wilh. Erneſti Trilleri* notis MSS. ad h. l.

ἵνα πάντως τινὰς σώσω) Hic *Millius* in Prolegomenis ad N. T. p. 47. col. 1. edit. Anglicanæ ait, κερδήσω mutatum eſſe in σώσω, ad evitandam ejusdem vocis crebram repetitionem, & p. 123. πάντως τινὰς irrepſiſſe ſtatuit loco genuinæ, quam putat, lectionis πάντας, quam & noviſſimus Novi Teſtamenti Græco-Anglicani editor amplexus eſt. Sed omnia Græca Scholia legunt πάντως τινὰς, & miram ſimul Pauli charitatem laudant, qui ſe aliis dederit, ἵνα καὶ τὰς ὀλίγας σώσῃ. Cum iis conſentiunt *Clemens Alexandr.* Arabs imo Paulus ipſe *Rom.* XI. 14. εἴπως σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν. Ita recte *Whitbius* in Examine N. T. Milliani p. 63. Adde ſimilem Pauli phraſin ſupra VII. 16. Τί γὰρ, οἶδας, γύναι, εἰ τὸν ἄνδρα σώσεις; ἢ τί οἶδας, ἄνερ, εἰ τὴν γυναῖκα σώσεις;

Verſ. 23. Τοῦτο δὲ ποιῶ διὰ τὸ εὐαγγέλιον) Codices pauci, & quædam verſiones pro τοῦτο habent πάντα, atque hanc lectionem veram eſſe arbitratur ad h. l. *Millius*, & ejus exemplo anonymus editor Novi Teſtam. Græco-Anglicani, Londin. 1729. Πάντα, inquit *Millius in τοῦτο mutandi cauſa aliqua*, (*nec enim* omnia *fecit, aut facere potuit Paulus propter Evangelium*) *mutandi autem τοῦτο in πάντα omnino nulla.* Mihi videtur cauſa vocis τοῦτο in πάντα mutatæ omnino reddi poſſe ex eo, quod v. 22. anteceſſit, τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα, ἵνα πάντως τινὰς σώσω, ubi vox πᾶς diverſa ratione ter repetitur. Hæc itaque in animo hærebat librario uni alterive, fierique facile potuit, ut pro τοῦτο ſic πάντα poneret. Neque erat ſane, cur vox πάντα, ſiquidem a Paulo ſcripta hic fuiſſet, inconveniens cuiquam videretur. Quo enim ſenſu Apoſtolus ait ſe πᾶσι factum eſſe τὰ πάντα, eodem h. e. commodiſſimo ſenſu hic ſcribere, ſi voluiſſet, poterat, ſe πάντα, nempe illa, de quibus ſermo erat v. 22. *facere.*

ἵνα συγκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι) Αὐτοῦ hic reſpicit εὐαγγέλιον proxime antecedens. Atque hic miror, *Joſ. Medum* p. 79. Operum vocem illam ut v. 14. de *præmio boni nuncii* accipere potuiſſe. Si id admittamus Apoſtolus ſibi non conſtabit, qui nunc dicat, ſe ita agere, ut præmium ſeu fructum ex labore ſuo capiat, quo tamen paulo ante ſe libenter & ſponte ſua carere monuerat. At lon-

longe alia ipſi mens eſt. Reſpicit enim ad promiſſiones in Evangelica doctrina fidelibus Miniſtris a Domino ipſo præſtitas, in quibus ſuaviter, ſine alius præmii expectatione, acquieſcebat.

Verſ. 24-27. Ὀυκ οἴδατε, &c.) Totam hanc pericopen ex veterum locutionibus de curſoribus Gymnicis & Athletis diligenter illuſtrant ex noſtratibus *Jo. Michael Dilberrus* in Diſputationibus Academicis Tom. I. p. 253. ſq. *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis N. T. Tom. I. 39. ſq. *Tobias Eckhardus* in Diſp. de Paulo Athleta Witteb. 1688. *Jo. Frider. Guntherus* de curſoribus veterum Gymnicis Witteb. 1709. B. *Jo. Olearius* in Exercitationibus Philolog. in Pericopas Dominicales p. 113. ſqq. & noviſſime Cl. *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. p. 101. ſqq. ex Anglis *Dougtæus* in Analectis Sacris N. T. p. 114. ex Reformatis, *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris paſſim, v. c. p. 78. 147. 150. 156. &c. & copioſiſſime omnium *Cornel. Adami* in Obſervatt. Philolog. p. 355-481. qui & totum hoc argumentum Theologice perſequitur. Adde his de re Gymnaſtica veterum Scriptores, a doctiſſimo *Fabricio* noſtro in Bibliographia Antiquaria p. 625. edit. I. laudatos. Iis nuper acceſſit Cl. *Burretus* in Hiſtoria Academiæ Inſcriptionum & elegantiorum literarum Tomo III. Parte II. p. 280. ſqq. edit. Pariſ. in 4.

Verſ. 24. ὅτι οἱ ἐν ςαδίῳ τρέχοντες πάντες μὲν τρέχουσι) S. Paulus ad ſacros veterum agones, & quidem Olympicum ſpeciatim, qui præcipuæ inter eos celebritatis, reſpiciens non luctam, pugilatum & pancratium, vel qui in iis certabant, aut vicerant, athletas, ſed curſum, tanquam inter eadem Olympiaca certamina nobiliſſimum, ac in eodem victorem, h. l. & 2. *Tim.* IV. 7. tangit, quod obſervat Illuſtris *Ezech. Spanhemius* in epiſt. I. ad Andr. Morellum, hujus Specimini Rei numariæ antiquæ ſubjecta p. 39. ita locum hunc interpretatus: *omnes quidem in ſtadio currunt, unus autem accipit præmium ſeu coronam nempe* ὁ ςαδιεὺς, *h. e. curſu victor, cujus nomine inſigniri ſolita Olympias. Ad quos vero*, ita pergit, *in Olympia ludos potius quam ad Iſthmicos, prout ſtatui alioquin poſſet, utpote quos agebant Corinthii, reſpectum habuiſſe itidem Chryſoſtomum, teſtatur ipſemet alibi ſermone* XX. *in* 1. *Cor.* XII. p. 437. *Tom.* III. edit. Savil. Cl. *Hombergius* quidem in Parergis p. 252. dubius hæret, an non τὸ τρέχειν h. l. idem ſit, ac *certare*, cum *Heſychius* τρέχειν interpretetur per ἀγωνίσασθαι, ipſeque Apoſtolus verbo ἀγωνιζόμενος v. 25. & ὑπωπιάζω v. 27. utatur. Enimvero dubitandum ego non puto, per τὸ τρέχειν *curſum Olympiacum* ſimpliciter innui. Nam in interpretatione Heſychiana τὸ ἀγωνίσασθαι nihil aliud infert, quam hoc, quod verbum τρέχειν, quod alias de *curſu* quocunque adhiberi ſoleat, ſpeciatim de curſu *gymnico* uſurpetur. Nec ignotum eſt, verbum ἀγωνίζεσθαι a Scriptoribus de omnibus gymnaſmatum generibus uſurpari. Sic B. *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis N. T. Tomo I. p. 39. obſervat, apud Plutarchum ἀγωνίζεσθαι ςάδιον eſſe *currere ſtadium*, ut loquitur Cicero i. e. inire certamen curſus in ſtadio.

εἷς

εἰς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον) Βραβεῖον hoc *Cyprianus* & *Ambroſius*, monente *Grotio*, interpretantur de *palma*, quod rectius de *olea*, accipitur, quippe ex qua corona Olympiaca, victoribus debita, erat confecta. Ipſe enim S. Paulus v. 25. *corona*, facit mentionem, quam curſores conſectantur. Vide *Spanhemium* l. c. p. 66. De *brabæo* commentantur etiam *Lydius* in Agoniſticis Sacris p. 145. (qui & de *ſtadio* agit p. 78.) *Svicerus* Tomo I. p. 707. *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tomo II. p. 520. & *Jo. Frider. Gubling* in diſput. de locutionibus Sacris ex palæſtra Græcorum veterum repetitis p. 11. ſqq. cujus curam verbum quoque λαμβάνειν pag. 18. ſqq. expertum eſt. Βραβεῖον differre ab ἄθλῳ, ut λῆμμα a δώρῳ, obſervat B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. cum illud diſtribuatur a diribitoribus, ἆθλον vero reportetur vel accipiatur a victoribus.

οὕτω τρέχετε, ἵνα καταλάβητε) Τὸ οὕτω artis eſſe vocabulum, & ſignificare artis regulas, certas leges, lineam albam, idemque eſſe, quod νομίμως 2. *Tim.* II. 5. idem obſervat *Olearius*. *Alex. Morus* in Notis p. 124. reddi vult: *ita currite, ut vincatis. Quantum*, inquit, *inter victoriam & coronam, tantum diſcriminis eſt inter λαμβάνειν τὸ βραβεῖον, quod hic præceſſit, & καταλαμβάνειν, quod magis ad antagoniſtas referebatur*, occupare. *Cyprianus*, ut occupetis, *i. e. ut victores ſitis.* Heſychius: *καταλαβέσθαι, φθάσασθαι. Ipſe Paulus, optimus ſui interpres, Rom.* IX. 30. 31. *& Philip.* III. 12. *ubi, cum ait ἔλαβον, ſupple ex hoc loco, τὸ βραβεῖον. Λαμβάνειν τὸ βραβεῖον & τὸν ςέφανον perpetuo dicitur, nunquam καταλαμβάνειν. Hoc enim eſt idem, quod προλαμβάνειν; utrumque abſolute ponitur: ſic προειληφότες dicuntur, qui priores alicubi fuerunt. Gallice:* qui ont pris le devant. *Non igitur ad brabæum refertur τὸ καταλαμβάνειν.* Lege ibidem plura in hanc ſententiam. Præivit ad hanc rem *Henr. Stephanus* ex Budæo, tum vero *Maximus* in Metaphraſi N. T. vertens, ἔτζη τρέχετε, διὰ νὰ φθάσετε. At vide, quæ pro *capiendi* aut *apprehendendi* ſignificatu retinendo contra *Morum* recte diſputarunt *Lydius*, (in cujus Agoniſtica Sacra pag. 3. hæc inprimis ſcripſerat *Morus*) in præfatione ad Florum Sparſionem ad Hiſtoriam Paſſionis J.C. pag. 2. ſqq. & ex noſtratibus doctiſſimus *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 315. *Dixerat*, audis *Lydium*, Paulus: *εἰς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον: itaque, quod ſequitur, οὕτω τρέχετε, ἵνα καταλάβητε, non victoriam, aut, quæ eam præcedit, contentionem proprie reſpicit, ſed ipſiſſimum βραβεῖον. Id enim in poſteriori membro repetendum & ſupplendum, quomodo alibi apud Paulum, ipſe vir doctus ſupplendum monet. Nec multum refert, καταλαμβάνειν τὸ βραβεῖον alibi non legi; ſed λαμβάνειν τὸ βραβεῖον, aut τὸν ςέφανον, ideo, quia compoſitum idem valet, quod ſimplex, niſi quod præpoſitio emphaſin majorem addere exiſtimari queat.* Atque ita omnino puto ſtatuendum, inprimis cum S. Paulus 1. *Tim.* VI. 12. in eodem argumento verſans, verbo compoſito, huic ſimili, ἐπιλαμβάνεσθαι utatur. Ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίςεως, ἐπιλάβου τῆς αἰωνίου ζωῆς. Hac verbi compoſiti forma, in alio quamvis argumento, in conſequendi ſenſu *Theophraſtum*

uſum eſſe video apud Pollucem VIII. c. 6. §. 53. εἰ τȣ̃ πέμπτȣ τῶν ψήφων μὴ καταλάβοιεν, *ſi non quinta ſuffragiorum parte potiantur.* Medium ſe utrique litigantium parti præſtat *Cornel. Adami* p. 368. ſqq. Obſſ. Sacrarum, cui id quidem Moro concedendum videtur, quod τὸ καταλαμβάνειν ſæpe victoriam ipſam notet, adeoque *Cyprianus* recte verterit: *ut occupetis.* Eadem vero opera pag. 370. commode victores ipſos *capere* ſeu *rapere* coronam dici poſſe obſervat, cum alias iidem in ludis publicis dicti ſint ἀναιρεῖν τὸν ςέφανον, ut apud *Pollucem* lib. III. cap. 30. n. 7. ὁ δὲ νικήσας τὰ ἆθλα ἀνείλετο τὸν ςέφανον, ἀνείλετο τὸν ῥαβδον τȣ̃ φοίνικος, ἢ τὸν ςέφανον ἔλαβεν, ἐςεφανώθη, ἐκηρύχθη. Addidero his, ipſum quoque *Cyprianum*, ad quem hic inprimis provocat *Morus*, *occupare* illud ſuum non ad antagoniſtam devictum, ſed ad *coronam* ſeu præmium videri retuliſſe. Ceterum verba hæc Pauli: ȣ̌τω τρέχετε, ἵνα καταλάβητε, non perfunctorie quoque illuſtrat *Gellus* in Reliquiis ſuis Anglice editis Tomo II. p. 165 - 171.

Verſ. 25. Πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται) Πάντα i. e. κατὰ πάντα. Sic paſſim *Herodotus*, cujus loca quædam attulit *Raphelius* pag. 471. Horum verborum interpretationem ab exactiſſima athletarum diæta petendam eſſe monet *Salmaſius* in Epiſtolis pag. 147. *Nihil crebrius*, inquit, *eſt apud antiquos Scriptores, quam ἀναγκοφαγίαι & ξηροφαγίαι athletarum: adeo ut etiam antiqui Monachi ob regulæ ſtrictæ ac propoſiti auſteriorem obſervantiam ἀθλητὰς ſe ipſi & ἀσκητὰς indigitarint, quo nomine vocati ſunt antiqui Gymnaſtæ -- Certis horis comedebant, & ſemper ad præſcriptum; certis cibis abſtinebant, jurulentis præcipue ac ſucculentis. Vnde illorum ξηροφαγίαι celebrantur.* Idem in epiſtola de cæſarie virorum & mulierum coma pag. 515. Ἐγκρατευόμενος, inquit, *is eſt proprie, qui τὴν ἐγκράτειαν ἀσκεῖ, qui continentiæ ſtudet, qui in continentiæ ſtudio ſe exercet, eamque meditatur, & opere exſequitur. Vnde etiam ἐγκράτεια exponitur ἄσκησις apud Heſychium. Ergo ἐγκρατευόμενος idem, qui ἀσκητὴς, & ἐγκρατεύεσθαι dicitur, qui τὴν ἐγκράτειαν ἀσκεῖ. -- Ergo etiam πάντα ἐγκρατεύεσθαι apud Apoſtolum in* 1. *Cor.* IX. 25. *non eſt* omnia perferre, *ut quibusdam placet, ſed ita accipi debet, ut diximus, i. e.* omnis, qui in agone contendit, in omnibus continet, vel continentiæ ſtudet. *Abſtinebant quippe a vino, & continebant a venere. Et hæc erat etiam eorum ἄσκησις. Nam & ἀσκεῖν dicebantur hi athletæ, qui ad certamen ſe præparabant, haud minus ac Dei athletæ.* Diætam illam & continentiam curſorum athletarumque ex antiquitate diligentiſſime perſequitur Illuſtris *Spanhemius* in copioſiſſimis & luculentis obſervationibus ad *Juliani* Orationes pag. 105. ſqq. & ad *Callimachum* in Dianam pag. 242. & Cl. *Jo. Henr. Schulze*, Medicus hodie Altorfinus præſtantiſſimus, in diſſertatione de athletis veterum, eorum diæta & habitu, præſide D. *Friderico Hofmanno* Halæ 1717. habita. Obiter quaſi nonnulla huc conferunt *Joſua Arndius* in Miſcellaneis Sacris pag. 111. & *Alex. Morus* in Notis pag. 126. *Epicteti* & *Arriani* quædam loca huc ſpectantia obſervavit Rev. *Raphelius* in Notis ex Polybio & Arriano pag. 467. quemadmodum

modum inſignis alius *Æliani* ex VI. 1. de Animalibus huc accomodatur in Hiſtoria Critica Reipubl. Literar. Tomo I. p. 177. & *Platonis* quidam ab *Henr. Stephano* in Schediaſmatibus lib. I. cap. III. Tomo V. Theſauri Critici pag. 6. Supplementi. Patrum veterum loca habes apud *Svicerum* Tomo I. pag. 998. Non obſtat huic *ἐγκρατείᾳ* inſignis *voracitas*, cui indulgebant athletæ, tanta omnino, ut ingeſti cibi copiam violentis modis expellere neceſſe haberent, id quod diligentiſſime omnium ex veterum monimentis oſtendit laudatus *Schulzius* §. 57. ſqq. diſſertationis. Neque etiam exiſtimem cum Cl. *Elsnero* pag. 102. Obſervationum, (qui alioquin contra *Clericum*, *abſtinentiam a cibi copia* hic innui exiſtimantem, recte diſputat,) *ἐγκράτειαν* illam omnem ad abſtinentiam a vino & venere referendam eſſe. Nam ab utroque athletæ non ſemper abſtinebant, ſed in tantum, in quantum firmum corporis habitum impediebat, & eo etiam tempore, quo certamen imminebat. Hoc ipſum innuit ad h. l. *Chryſoſtomus*, ad quem tamen Vir doctus pro confirmanda ſententia ſua ſe recepit. Ὀυδὲ γὰρ, inquit, *μεθύειν ἔξεστι, τοῖς ἀγωνιζομένοις κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀγωνίας, ὐδὲ πορνεύειν, ἵνα μὴ τὴν δύναμιν ἐκλύσωσι.* *Neque enim inebriari licebat certaturis* SVB TEMPVS CERTAMINIS, *neque ſcortari, ne vires corporis exhaurirent.* Conſtat hinc, Chryſoſtomum vini & veneris fugam athletis non omnem, ſed eam, quæ imminentis exercitationis tempore etiam lege injuncta erat, tribuere. Sic *Galenus* de alimentorum facult. lib. I. cap. 2. auctor eſt: *athletas non ita ſtatim ab exercitationibus vinum bibere*, ſed *aquam prius, experientia ſic edoctos.* Itaque nec alias a vino penitus abſtinebant. Conf. Cl. *Schulzium* l. c. §. 52. Præterea non video, quomodo Paulus dicere potuerit, athletas *πάντα ἐγκρατεύεσθαι*, ſi bina illa tantum ſpectaſſet, cum longe plura eſſent, quibus ſe ex præſcripto dare debebant. Obvertit V. C. *τὸ ἐγκρατεύεσθαι proprie de veneris abſtinentia accipi.* At id mihi perſuaderi non patior. Locus Paulinus ex hujus epiſtolæ cap. VII. 9. nihil amplius evincit, quam quod verbum hoc de illo continentiæ genere accipi poſſit, ſi cetera patiantur, tantum abeſt, ut illi eam notionem tanquam propriam vindicet. Aliter ſane ad h. l. judicavit *Chryſoſtomus*. *Τί ἐστι*, inquit, *πάντα*; *ὐχὶ τῦδε μὲν ἀπέχεται, ἐν ἑτέρῳ δὲ διαμαρτάνει, ἀλλὰ καὶ γαστριμαργίας, καὶ λαγνείας, καὶ μέθης, καὶ πάντων ἁπλῶς κρατεῖ τῶν παθῶν.* *Quid eſt*, ab omnibus abſtinet? *Non ab hoc quidem abſtinet, in alio autem peccat: ſed & ingluviem & ſalacitatem, & temulentiam, & ut ſimul dicam, omnia vincit vitia.* Propterea *Heſychius τὸ ἐγκρατῆσαι* interpretatur per *καρτερῆσαι*. *Suidas ἐγκράτειαν* explicat per *διάθεσιν ἀνυπέρβατον τῶν κατ' ὀρθὸν λόγον, ἢ ἔξω ἀήττητον ἡδονῶν.* Idem evincit origo vocis, per quam *ἐγκρατεῖν* & *ἐγκρατεύειν* eſt *ἐν κράτει εἶναι.* Quando itaque Paulus *ἐγκράτειαν κατὰ πάντα* athletis tribuit, illam continentiam ipſum indicaſſe cenſeo, qua homines illi præſcriptis aliorum, quibus ſe vendiderant, ita ſe adſtringebant, ut v. c. veſcerentur illis cibis, quos domini volebant, eo item tempore, & ea menſura, quam iidem definiebant, quemadmodum & in ceteris omnibus nutui eorum obtemperabant. Ipſa igitur vel cibi

bi vel potus ingurgitatio continentiæ illi non obſtabat, cum eam juſſi ſuſciperent, eadem vero itidem juſſi ſub certaminis tempore abſtinerent. Placet *Alex. Morus*, qui τὸ ἐγκρατεύεται ita explicat: *ſibi hoc imperat, ut omnia faciat ad præſcriptum alienum; nam tum etiam ἐγκρατεύεται, cum plus edit, quam vellet.* Vidit hoc *Theodoretus*, cujus hæc habe verba: ἀποβλέψατε τοίνυν εἰς τοὺς ἐκείνων πόνους, οὐδὲ γὰρ πάντων μεταλαγχάνουσιν ὡς ἂν ἐπιθυμήσωσιν, ἀλλ᾽ ἐκείνης ἀπολαύουσι τῆς τροφῆς, ἣν ὁ παιδοτρίβης προσφέρει. *Reſpicite ergo ad eorum labores: neque enim omnia percipiunt, ut concupierint: ſed eo cibo utuntur, quem affert pædotriba.* Idem omnino innuit *Epictetus* cap. 26. Enchiridii n. 2. quem V. C. ipſe attulit: δεῖ σ᾽ εὐτακτεῖν, ἀναγκοφαγεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην, ἐν ὥρα τεταγμένη, ἐν καύματι, ἐν ψύχει, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶνον, ὡς ἔτυχεν· ἁπλῶς, ὡς ἰατρῷ παραδεδωκέναι σεαυτὸν τῷ ἐπιστάτῃ, εἶτα εἰς τὸν ἀγῶνα παρέρχεσθαι.

Ceterum de athletica fidelium ex hoc commate exponit *Jo. Henr. Urſinus* in Analectis Tomo II. p. 346. ſqq. de quo argumento conſulere quoque juvabit *Cornelium Adami* l. c. nec non doctiſſimum *Valent. Ern. Læſcherum* in Decimis Evangelicis Parte I. p. 357. ſqq.

ἵνα φθαρτὸν στέφανον λάβωσι) *Ariſtophanes* tum alibi tum in Pluto v. 589. ſugillat illam Olympionicarum *coronam*, quod & alios externos ſcriptores, inprimis vero Eccleſiæ doctores, facere oſtendit laudatiſſimus *Spanhemius*, cujus doctrinam & modeſtiam pari cultu proſequor, ad Ariſtophanis l. c. qui & ad v. 586. de κοτίνῳ ſive ramo ſylveſtris oleæ, quo iidem donari ſolebant, erudite, ut ſolet, commentatur. Alia Gentilium in eandem ſententiam loca dabit Cl. *Elsnerus* p. 103.

Verſ. 26. Ἐγὼ τοίνυν οὕτω τρέχω, ὡς οὐκ ἀδήλως) Ultima hac phraſi præludium curſorum innui videtur *Alex. Moro* ad h. l. p. 127. *Curſores enim*, inquit, *breves curſus inſtituebant nullo ſcopo, nullo fine, niſi ut excitarent ſeſe, vel animi gratia, ut exercitarent ſeſe ſine adverſario, nullum ob præmium, hoc eſt ἀδήλως vel εἰς κενόν, Gal.* II. 2. *& alibi ſæpe. Menander, quem Paulus legerat:* Ἀνὴρ ἄβουλος εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων. *Suidæ ἀδηλία, ἀοριστία. Hinc ἀδήλως, ἀορίστως*, ſine termino, *nullo fine propoſito, non κατὰ σκοπόν, itaque Chryſoſtomus interpretatur. Miror autem, ſummos Criticorum ἀδήλως interpretari de progreſſu, qui non appareat, quaſi teſtudo currere dicatur.* Ita ille. Summi illi Criticorum, quos *Morus* hic deſerit, *Grotius* ſunt & *Heinſius*, quos ſequitur *Jo. Arrovvſmith* in Tacticis Sacris pag. 303. τὸ ἀδήλως ita explicans: cum profectu ac progreſſu, non inconſpicue, verum ita, ut illum in religionis ſtudio non movere tantum, ſed & promovere conſtaret ſpectatoribus univerſis, præſertim ſibi, qui ſe quotidie meliorem ſentit, & metæ cœleſti viciniorem. Idem velle videtur Cl. *Hombergius* in Parergis Sacris p. 252. ſic παραφράζων: ita curro, *ut non in obſcuro ſim, ſed potius inter reliquos emineam.* Ad præſcriptam curſoribus lineam albam hic alludere Apoſtolum, & ſimul teſtari, ſe non obſcurum indicium, ſed voluntatem Dei ſibi perſpectam in curſu ſuo

ſuo ſequi, exiſtimat B. *Godofredus Olearius* in Prælectionibus ad h. l. MSS. Mihi placent, qui cum B. Luthero noſtro vertunt auſs ungewiſſe, *in incertum*, i. e. dubio exitu. Ita cum Vulgato *Beza*, cujus interpretationem adſtruit doctiſſimus *Elsnerus* p. 104. luculentum afferens *Luciani* locum de Gymnaſiis p. 393. ubi Anacharſis, cum unum modo in certaminibus victorem coronari audiviſſet, εἶτ' ὦ Σόλων, ἐπὶ τῷ ἀδήλῳ καὶ ἀμφιβόλῳ τῆς νίκης τοσοῦτοι πονοῦσιν, *ergone ô Solon, pro obſcura & ambigua victoria tam multi laborant.* Aut valde ego fallor, aut per vocem ἀδήλως reſpicitur ad eos, qui, ubi victoria excidiſſent, in cetera currentium turba obſcuri manebant, quando viciſſim victor non ſolum nomine appellatus, ſed & præmio ornatus ſpectantium oculis innoteſceret. *Jo. Conr. Dietericus*, Lutheri interpretationem in Antiquitatibus Biblicis N. T. Tom. I. p. 43. a. amplexus, miſeram athletarum conditionem ita innui cenſet, quorum ut vita in diſcrimine perpetuo, ſic præmium non modo incertum ſit, ſed & levidenſe, nulliusque pretii, ut neſcias, an ἀπὸ τῶν ἀθλίων a *miſeria* athletæ, an ἀπὸ τῶν ἀθλητῶν (legendum puto ἄθλων i. e. a præmiis) dicti fuerint ἀθληταί.

Οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων) Ad *ventilationem* pugilum hic reſpici poſt *Mercurialem* de Arte Gymnaſtica lib. III. cap. 4. *Fabrum* lib. III. c. 13. *Lydium* cap. 15. Agoniſticorum, *Grotium* & alios recte monuit *Morus* ad h. l. pag. 127. & *Elsnerus* p. 104. Virgilium id dixiſſe, *ictibus auras verberare*, & *vires in ventum effundere* obſervavit *Pet. Francius* ad Nazianzenum περὶ φιλοπτωχίας p. 112. Hanc autem *ventilationem* alii, ut *Morus*, ad *præludia pugilum*, qui ſcilicet alterna brachia jactare proludentes conſueverint, alii ad σκιαμαχίαν, ut ceteri fere, referunt. In hanc ſententiam lege inprimis *Hier. Mercurialem* l. c. quem totum affert & illuſtrat *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tomo I. p. 880. Adde ex noſtratibus conſentientes *Feſſelium* in Adverſariis Sacris lib. IV. cap. 15. Tom. I. pag. 403. *Joſ. Arndium* in Miſcellaneis Sacris pag. 67. *Jo. Conr. Dietericum* Antiquitt. Biblic. N. T. Tomo I. pag. 49. & *Dilherrum* Tomo I. Diſſertatt. Academic. p. 257. Ita *Achilles Tatius* lib. II. dixit, σκιαμαχῶν πρὸς τὸν ἀέρα. Patrum loca promit *Suicerus* Tomo I. p. 107. De pugilatu veterum in univerſum lege nuperam Cl. *Burettii* obſervationem in Memoriis Academiæ Regiæ Inſcriptionum Tomo III. p. 255. edit. Pariſ. in 4.

Verſ. 27. Ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα) De Hypopiaſmo hoc Paulino exſtat ſingularis *Jo. Conr. Dannhaueri* diſputatio, tum in Diſputationibus ejus Theologicis num. XV. tum in Theſauro Theologico-Philologico N. T. pag. 533. ſqq. recuſa. Atque is quidem §. 1. & 2. invicte oſtendit, ὑπωπιάζω, non autem, quod codices quidam habent, ὑποπιέζω, vel ὑποπιάζω eſſe legendum. Eandem lectionem recte approbaverat *Millius* in notis ad h. l. perperam vero in Prolegomenis §. 1204. præfert ὑποπιάζω, atque τὸ ὑπωπιάζω ex veteri lectione ingenioſe fictum opinatur, nullo conjecturæ ſuæ allato argumento. Non video, qui vox, apud externos ſatis frequens, ex alia quadam reficta credi poſſit. Viciſſim in promtu eſt cauſa, cur librarii nonnulli vel ὑποπιέζω, vel ὑποπιάζω ſcripſerint, illi ſcilicet, quibus non ſatis erat doctrinæ, ut verbum hoc athleticum

perſpectum haberent. Nec ignorantiæ eorum puto conſuli, ſi cum *Boilavio* cap. III. Hiſtoriæ Flagellantium dicamus, ὑποπιέζω vel ὑποπιάζω ex dialecto Dorica legi poſſe. Idem ſtatuerat *Heinſius* in Exercitatt. Sacris p. 389. contra quem lege *Jo. Olearii* Exercitationes Philologicas in Pericopas Dominicales pag. 120. De toto commate inſpice *Jo. Henr. Urſini* Analecta Tomo I. p. 59. ſqq. *Amelium* Tomo I. der Erörterung p. 42. ſqq. & Celeberr. *V. E. Læſcherum* in den edlen Andachts-Früchten p. 362. & in Decimis Evangelicis Parte I. p. 363. ſq. quo poſteriore loco inprimis in verbi ὑπωπιάζω notionem inquirit. De eodem verbo copioſe commentantur poſt *Pet. Fabrum* in Agoniſticis lib. III. c. 14. *Lydium* pag. 53. Agoniſtic. & *Suicerum* Tomo II. Theſauri p. 1401. *Alex. Morus* p. 128. *Hombergius* in Parergis p. 252. & *Lamb. Bos* in Exercitt. p. 138. ſq. Horum poſtremus totius phraſeos ſenſum ita evolvit. *Ipſe* (Apoſtolus) *ut præco Evangelii comparat ſe cum pugile, congrediente cum antagoniſta. Antagoniſtam ponit corpus ſuum i. e. carnem, pravosque affectus. Caſtus, quo utitur in hoc certamine, eſt ſpiritualis, meditatio ſcilicet rerum ſacrarum: prædicatio Evangelii* εὔκαιρος, ἄκαιρος, βίος σώφρων, *vita temperans, &c. Hoc caſtu dicit ſe non temerarium ictum inferre adverſario ſuo, ſed accuratum agere pugilem, contundere adverſarium, & vincere i. e. carnis affectus compeſcere, eosque animo ſuo ſubjicere.* Ex noſtratibus denique comparandi ſunt *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis N. T. Tom. II. pag. 227. eruditiſſimus *Jo. Alb. Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 404. ubi & de jejuniis aliisque durioribus diſciplinis, ex loco hoc Paulino, minus recte intellecto, olim in Eccleſiam perperam invectis, diſſerit, Rev. *Salomon Deylingius* Obſervatt. Sacrar. Tomo I. p. 164. & in edit. II. p. 288. nonnihil copioſius, item Cl. *Pet. Zornius* in Biblioth. Antiquario-Exegetica Tomo I. pag. 903. in notis. *Deylingius* ſpeciatim, quod & B. *Dannhauerus* fecerat, oſtendit, hypopiaſmo huic nihil eſſe commercii cum Pontificiorum flagellationibus non tam religioſis, quam ſuperſtitioſis, id quod ex ipſorum cœtu candide profeſſus eſt *Jac. Boilavius* in Hiſtoria Flagellantium, Pariſ. 1700. edita, & a *Jo. Bapt. Thiers* an. 1703. in Critica Hiſtoriæ Flagellantium infeliciter confutata. Apud profanas gentes rectius crudeliſſimi & nihil profuturi ritus veſtigia quæri & felicius inveniri *Boilavius* l. c. demonſtravit. Addemus adhuc *Deylingii* verba, mentem Apoſtoli ſummatim repræſentantia ex p. 168. *Quemadmodum*, inquit, *athletæ olim adverſarios ſuos ſolebant* ſugillare, *i. e. notam inſignem faciei infligere, &* ſupplantare, *i. e. in humum proſternere; ſic Paulus carnem, ſeu inhabitans peccatum, Spiritui reluctans, ſugillabat quaſi & ſupplantabat, precationibus cumprimis, ſacris meditationibus, labore, ſtudiis, ſanctis occupationibus, quotidiana renovatione, jejuniis item & temperantia. Et, ne dominetur iterum caro, ideo in ſervitutem plane redigit, & de corpore ſuo veluti edomito triumphat. Nam* δουλαγωγεῖν, verbum ἅπαξ λεγόμενον *a pyctis itidem deſumtum eſt. Ille enim, qui vicerat, victum trahebat adverſarium quaſi ſervum.*

Μήπως ἄλλοις κηρύξας) Alludi hic ad publicam victoris renunciationem, præconis voce olim fieri ſolitam, monuerunt, quos ante excitavimus, plures. Ita

Ita Philoſtratus de vita Apollonii lib. VI. cap. 4. *ἀθληταὶ παραμένουσι τὸ μεσημερινὸν κήρυγμα* i. e. *Athletæ* (victores) *meridianam præconis vocem exſpectant.* Lege alia apud *Lydium* l. c. p. 156. & inprimis *Cornel. Adami* in Obſervatt. Philolog. p. 475. Nobis inquirendum potiſſimum videtur eſſe in audaciorem *Pet. Fabri* conjecturam lib. III. c. 14. Agoniſticorum proditam. Cum enim is perſpiceret, *τοὺς κήρυκας* olim *κηρύξαι ἄλλους* dictos fuiſſe, quos victores renunciabant, legere ſe malle ait, *ἄλλους κηρύξας, i. e. inſtar præconis proclamans*, eamque conjecturam pro certa habiturum ſignificat, ſi vetuſti cujusdam Codicis auctoritate confirmari poſſet. Memini, me virum, qui inter Anglos hodie doctrina & ingenio egregie valet, audire in eandem ſententiam copioſe & ſine dubitatione diſſerentem. *Lydius* l. c. p. 157. hic *ἐπέχει*, teſtatus ſimul, ſe non temere vel unius apicis in ſacris literis mutationem admittere, neque tamen in *Fabri* gratiam, vulgari lectione & ſignificatione verborum agoniſtica ſervata, repugnare, ſi quis *τὸ κηρύσσειν* abſolute ab Apoſtolo uſurpatum velit, & prædicationem quaſi athleticam, quæ vel proprio ore, vel per alios præcones facta ſit, ſignificare. Ita ut, *ἄλλοις κηρύσσειν*, ſit certamina & virtutes victoriasque aliorum fidelium deprædicare palam in ipſorum utilitatem, laudem & honorem. Mihi quidem nec mutatio *Fabri*, nec *Lydii* illa accommodatio probanda videtur. Cum enim phraſis, *κηρύσσειν τινὶ*, in N. T. alias frequenter de prædicatione Evangelica, aliis facta, adhibeatur, in hac ſignificatione puto acquieſcendum, præcipue cum non tam Apoſtolus, quam Chriſtus ipſe, ut *ἀγωνοθέτης*, dici proprie poſſit renunciare victores. Utut itaque largiar, S. Paulum phraſi athletica uſum, alio tamen id ſenſu hic æque ac in aliis ejusmodi phraſibus factum eſſe, exiſtimo. *Sufficit enim*, ut recte *Cornel. Adami* p. 478. inquit, *ad ſtatuendum, Paulum in recepta metaphora perſtare, ſi dicamus, eum κήρυκος munus ſibi tribuere, quia alios ad ſtudium fidei vocabat, invitabat, leges ſpiritualis certaminis inculcabat, & ad illud excitabat.* Reſpici ego inprimis hic putem ad præcones, qui leges certaminum publice recitabant. Hoc ſubinnuere videtur Paulus phraſi ſequenti, *αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι*, h. e. ne apud alios præconis munere fungens, ipſe & a certantibus & ab agonotheta minus prober.

αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι) De voce *ἀδόκιμος* lege *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. Tomo I. p. 47. & quos de *δοκιμασίᾳ* pugilum affert *Amelius* Tomo I. **der Erörterung** p. 45.

CAP. X.

AD priora quatuor hujus capitis commata lege *Jo. Behm*, Theologi quondam Regiomontani, Analyſin Quæſtionis Theol. Num Apoſtolus Patres V.T. cum fidelibus N.T. pares faciat circa Sacramentorum participationem, Regiomonti 1637. 4. quod ipſe recte negat contra Zwinglium, & alios Calvinianos doctores. Eadem illuſtrantur quoque a Cl. *Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. p. 104. ſqq. & in Moſe Harmonico p. 143. ſq. ſicut duo

priora ab *Amelio* Parte II. der Erörterung p. 453. *Jo. Seldeno* de Synedriis Hebræorum lib. I. cap. 3. & illis omnibus, qui de baptiſmo Proſelytorum Judaico (vide Vol. I. harum Curarum p. 53.) itemque de Columna nubis, nominatim *Herman. von der Hardt* in Ephemeridibus Philolog. p. 101. commentati ſunt. Nec omitte *Jo. Vorſtium* in Diſſertatt. Sacris Part. I. p. 269. ſq.

Verſ. 1. ὅτι οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν) Columna nubis, ſub qua majores Judæorum omnes hic fuiſſe dicuntur, argumentum illis erat præſidii divini ſingularis, quod *Jeſaiæ* IV. 5. ſubindicari recte nonnullis videtur. Itaque phraſin ὑπὸ τὴν νεφέλην non ſolum de commoratione ſub ea, ſed & de tutela hinc exſpectata & præſtita, interpretandam puto cum Cl. *Hardtio* in Appendice ad Ephemerides Philolog. pag. 255. Phraſis non obſtat. Quemadmodum enim, qui operibus legis innituntur, ὑπὸ κατάραν, h. e. maledictioni obnoxii eſſe dicuntur a Paulo *Gal.* III. 10. ita viciſſim ὑπὸ νεφέλην *ſub nube* h. e. præſidio ejus eſſe dici convenienter poſſunt. Ad præſidium hoc, a nube Iſraelitis olim præſtitum, pertinet R. Zachariæ dictum in Pirke R. Elieſer cap. XLIV. *Columna nubis*, inquit, *circumambiebat caſtra Iſraelitarum, ut murus urbem cingit. Neque potuit hoſtis ad eos pervenire.* B. *Olearius* in Prælectionibus MSS. phraſi hac id putat indicari, ut vel *obnoxii nubi* ad ductum ejus, vel nube tecti & quaſi merſi fuiſſe dicantur. Præfert tamen poſterius.

Verſ. 2. καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο) Verba hæc illuſtrant *Jo. Lightfootus* in Operibus Anglicanis Tom. II. Parte II. p. 1132. *Thom. Gatakerus* in Adverſariis Sacris cap. IV. & ex eo *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 624. ſq. denique vero *Jac. Nyloe* in Schriftuurlyck Licht p. 162. ſq. Dubii inprimis hærent Interpretes, quid ſibi velit εἰς Μωσῆν βαπτίζεσθαι. Alii enim τὸ εἰς Μωσῆν convertunt *per Moſen*, alii *ſecundum Moſis mandatum*, alii *cum Moſe*, alii *Moſis ductu atque auſpiciis.* Harum interpretationum auctores affert & deſerit *Gatakerus* l. c. *Jo. Vorſtius* in Philolog. Sacr. Parte I. p. 177. poſt Interpretem Syrum (quem hic etiam approbat *Gutbirius* in præfat. ad N. T. Syriacum) & *Auguſtinum* Tract. XXVI. in Johannem τὸ εἰς Μωσῆν idem eſſe vult, quod διὰ Μωσέως *per Moſen* ex *Act.* VII. 53. Atque hunc quidem ſignificatum repetit ex Hebræorum imitatione, apud quos præfixum ב non tantum idem, quod Græcum εἰς, ſed &, quod διὰ, ſignificet. Eum ſequitur *Jac. Nyloe* l. c. p. 163. Viciſſim *Campeg. Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. III. cap. 22. p. 322. *Nullus*, inquit, *eſt locus in univerſo Codice Novi Fœderis, in quo vocula* εἰς *inſtrumentalem cauſam ſignificat, qualem huic voculæ ſignificatum hoc loco affingunt Interpretes. Doctiſſimus* Vorſtius *præter hoc teſtimonium nullum aliud produxit.* Glaſſius *ad Canonem V. diverſas notiones particularum* ad locum *explicans hac de ſignificatione ne verbum quidem dixit: in Appendice vero ad Can. XIX. præter h. l.* τὸ εἰς *pro* per *capi notavit in Evangelio Matthæi cap. V. v. 35. ubi* εἰς Ἱεροσόλυμα. *Sed ſignificatus ibi eſt diverſiſſimus: quod enim ibi Latini in ſua lingua expri-* *munt*

munt per per , *hoc Belgæ per* by , *quod æque per* ad , *quam per* per *vertitur.* Ipſe itaque S. Paulum , *in Moſen fuiſſe baptiſatos* , aſſerentem , id dicere voluiſſe contendit, quod fuerint ad id baptiſati, ut Moſen profiterentur fidelem Dei miniſtrum, eique deinceps in quibuscunque calamitatibus adhærerent, eum pro legitimo Imperatore & Soſpitatore , ſibi divinitus excitato , agnoſcerent, h. e. ut in Moſe crederent. Ita enim *Exodi* XIV. 31. quod idem obſervat, Iſraelitæ transgreſſi per mare rubrum , atque ab hoſtibus ſuis liberati, per inſigne miraculum *credidiſſe* dicuntur *in Jehova & in Moſe* , *ſervo ſuo.* ויאמינו ביהוה ובמושה עבדו Confer *Amelium* Parte II. der Erörterung pag. 457. & *Hülſemannum* apud Sandhagenium in Decade II. Epiſtol. Theologic. p. 328. Atque hæc mihi convenienter ita dici videntur. Iſraelitæ ſcilicet Deum, per nubem ipſis ſe manifeſtantem, reſpicere debebant, hinc vero in Moſen oculos convertere, quo duce, divinis auſpiciis , uti oportebat. Adde conſentientem B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Parum ab hac mente diſcedunt, qui in Moſen idem eſſe volunt, quod, *in pædagogiæ Moſaicæ ſive cultus religionisque per Moſen traditæ profeſſionem* , cum *Gatakero* l. c. aut, *in Moſis diſciplinam* cum *Lightfooto* pag. 1134.

Nonnullis Moſes, ut mediator N. T. & typus ipſius Chriſti, qui ideo Moſes primus vocetur, & quocum ſe Chriſtus ipſe conjungat *Joh.* V. 46. repræſentari hac phraſi videtur. Lege B. *Starckii* Notas Selectas pag. 126. & doctiſſimum *Theod. Haſæum* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 1043.

Sunt, qui veſtigia baptiſmi Iſraelitarum originariorum V. T. hic quærunt, atque ita phraſin interpretantur , *quod baptiſmo hoc* Iſraelitæ *ad doctrinam & formam religionis Moſaicæ initiati fuerint.* Ita B. *Danzius* in Antiquitate Baptiſmi Initiationis Iſraelitarum vindicata §. 5. & ante eum *Gatakerus* l. c. qui *baptiſari* hic idem eſſe vult, quod , *ſolemni ritu initiari* , & *Lightfootus* pag. 1132. l. c. cui præterea egregium pro *pædobaptiſmo* argumentum ex eo repeti poſſe videtur, quod totus populus Iſraeliticus, ſine ætatis diſcrimine, hoc modo initiatus eſſe dicatur. Lege tamen , quæ in contrariam ſententiam contra *Danzium* attulit B. *Gottlieb Wernsdorfius* in Diſſertat. de Baptiſmi origine mere divina p. 6. & quæ contra *Seldenum* lib. I. cap. 3. de Synedriis diſputavit *Herm. Witſius* in Oeconomia Fœderum p. 735. ſqq.

De cetero facile apparet, S. Paulum in tota pericope id agere, ut Corinthiis conſtaret, Iſraelitas olim illuſtribus Dei beneficiis non minus atque ipſos hac ætate, mactatos fuiſſe, neque tamen omnes, ſua culpa, illorum fructum cepiſſe. Cavendum itaque eſſe , ne in eandem ipſi & culpam & pœnam incidant. Hic ut generalis Apoſtoli ſcopus eſt, ita ſpeciatim ad Sacramentum N. T. duplex, *Baptiſmum* ſcilicet & *Sacram Cœnam* v. 3. & 4. eum reſpexiſſe, ejuſque in *nube*, *marique* & *manna* typum oſtendere voluiſſe facile adducor, ut

credam. Lege huc B. *Jo. Winckleri* noſtri Tractatum de Pædobaptiſmo, germanice editum pag. 100. ſqq. cujus cogitata in ſummam retulit *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis ad h. l. pag. 126. *In Moſen itaque*, inquit is, *baptiſabantur nube & mari, dum videlicet Iſraelitæ Solis calore ſolique ſqualore, & hoſtis inſectantis metu languidi, a nube, ut Schechinæ ſeu præſentiæ Dei gratioſæ illuſtri ſymbolo, irrigabantur, ſimulque ex maris, hinc inde inſtar muri erecti, aquis adſpergebantur. Quo ipſo ſane Sacramentum Baptiſmi luculenter ſignificatur, ut patebit ex utriusque typi & antitypi collatione. In illo Iſraelitæ ibant & communione & tyrannide Pharaonis: in hoc evadimus e manu hoſtium noſtrorum & poteſtate tenebrarum. In illo Pharao cum toto ſuo exercitu ſuffocabatur, in hoc omnis vis peccati. Ibi Iſraelitæ baptiſabantur aqua; hic pariter. Ibi nube & majeſtatica & gratioſa Dei; hic itidem in nomine ejusdem Dei triunius. Ibi in Moſen, typum Chriſti; hic in Chriſtum ipſum. Ibi accedebant ad Deum, ad accipiendum e monte Sinai regnum Iſraelis cum ſuis ſtatutis & legibus: hic baptiſati introeunt in Sionem & regnum Dei.* *Vitringa* ex conditione baptiſmi hujus typici recte pædobaptiſmum, de quo & Lightfootum cogitaſſe paulo ante monuimus, adſtruit in Obſerv. Sacris lib. II. c. 6. p. 85. *Novimus*, inquit, *baptiſmum veterum Iſraelitarum, quem Apoſtolus noſtro ſimilem eſſe declarat, ita fuiſſe generalem, ut ſe ad Iſraelitas omnes, cujuscunque ſexus, conditionis & ætatis, puta viros, mulieres, juvenes, pueros, infantes, extenderit: omnes enim illi per algoſum mare tranſierunt, omnes quoque nube cæleſti tecti ſunt, in quibus Apoſtolus eorum baptiſmum conſtitiſſe aſſerit. Concludo igitur, & hunc noſtrum baptiſmum ſimiliter Apoſtoli ætate ita fuiſſe generalem, ut cujuslibet ſexus & ætatis homines non excluſis infantibus, illius facti fuerint participes, quos per πάντας exprimit cap. XII.* 13.

Omiſeram fere monere aliquid de nova *Theodori Janſonii Almelovenii* interpretatione in Bibliothecæ Bremenſis Claſſe III. p. 1130. *ad Jo. d'Outreinium* perſcripta. Is Iſraelitas in *Moſe* baptiſatos hic dici ſtatuit eo ſenſu, quo dicimur in *Adamo* omnes peccaſſe, *Rom.* V. 12. & in eodem mori 1 *Cor.* XV. 22. Moſen enim ait ſolum in nubem denſam ingreſſum dici *Exodi* XX. 21. coll. XIX. 9. 16. non autem populum XIX. 21. 24. & XX. 21. coll. *Hebr.* XII. 18. Enimvero phraſin εἰς Μωσῆν minus recte hic conferri cum altera ἐπὶ τῷ Ἀδὰμ per ſe patet, nec convenientius loca Exodi modo memorata hic adducuntur, tanquam ad quæ Apoſtolus reſpexerit. Paulus enim *omnes* ait fuiſſe ſub nube, atque ſic *omnes* etiam per eam baptiſatos eſſe aſſeverat. Itaque reſpexiſſe potius cenſendus eſt ad *Exodi* XIII. 22.

ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ) Baptiſati itaque hic dicuntur, non quod *tecti* nube aut *mari* circumdati fuerunt; ſed quod tum ex nube *pluvia* decidua, tum ex mari circumſtante in æſtu recreatos ſe ſenſerunt. Ita poſt alios verba hæc accipit *Spenerus* in Conſiliis Theologicis, Germanice editis Parte I. Artic. V. pag. 145. & *Theod. Haſæus* in Bibliothecæ Bremenſis Claſſe IV.

IV. p. 1024. Atque hic in eam ſententiam urget repetitionem particulæ *καὶ*, ac ſi ſcriptum Paulo eſſet: *ἐβαπτίσαντο καὶ ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ*. Sed nec editio ulla N. T. quam quidem ego viderim, nec codex MS. inter eos, quos *Millius* incredibili induſtria conſuluit, *τὸ καὶ* vocibus *ἐν τῇ νεφέλῃ* præmiſſum exhibet. Sententia interim proba eſt, pro qua lege, quæ ex *Starckio* modo allata ſunt. Senſum tamen metaphoricum hic amplectitur *Jac. Nyloe* l. c.

Verſ. 3. & 4. Illuſtrantur ex noſtratibus a *Seb. Schmidio* in Faſciculo Diſputationum p. 419. in Collegio Biblico Poſteriori pag. 329. ſqq. in Tractatu de imagine Dei pag. 278. & in Appendice ad Diſputationes in Formulam Concordiæ p. 94. a M. *Jo. Jac. Lungershauſenio* in Diſputat. de Sympoſiis Patrum Eremitico-myſticis, Jenæ 1696. *Hermanno Hardtio* in Ephemeridibus Philologicis Diſſert. VII. & VIII. & *Wolfburgio* in Obſervationibus Sacris pag. 73. ſqq. Ex Anglis a *Roberto Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 171-175. *Joſ. Mede* pag. 245. Opp. *Thom. Gatakero* in Adverſariis p. 21. & *Iſaaco Caſaubono* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 465. Ex Reformatis denique a *Jo. Marckio* Exercitatt. Biblic. p. 249. ſqq. & 281. ſqq. *Jo. Cloppenburgio* Tom. I. Operum p. 903. & *Jo. Vorſtio* in Diſſertationibus Sacris lib. I. p. 265. ſqq.

Verſ. 3. *Καὶ πάντες τὸ αὐτὸ βρῶμα πνευματικὸν ἔφαγον*) *Τὸ αὐτὸ* in hoc & ſequenti commate omittit codex *Alexandr.* & Æthiopica verſio. Viciſſim vero ut genuinum habent Scholia Græca, Vulg. & verſiones ceteræ ad unam omnes Græcique Patres, quos nominatim appellat *Whitbius* in Examine Variant. Lectionum Millii p. 33. ſq.

Βρῶμα πνευματικὸν) De manna, Iſraelitis divinitus conceſſo, Interpretes, quos ſciam, omnes recte interpretati ſunt. Ex noſtratibus unus, ni fallor, *Sebaſt. Schmidius* locis citatis, & ſpeciatim in Collegio Biblico Poſteriori p. 335. *τὸ βρῶμα* de corpore & *πόμα* de ſanguine Chriſti ita accipit, ut illi utriusque *per fidem* in typo mannæ & aquæ a petra participes facti dicantur. Recte vero hæc cogitata B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis una cum aliis Auctori ſuo relinquenda eſſe brevibus oſtendit. Adde *Wolfburgium* pag. 73. Ex Anglis tamen eadem ſententia placuit *Rob. Gello* l. c. p. 171. hæc Pauli verba ita *παραφράζοντι*: *idem cibus, quo nunc veſcimur in Sacramento, non corporeus*, aut materialis, *ſed ſpiritualis: corporeus enim cibus illis erat manna*, *Exod.* XII. *nobis vero panis* 1 *Cor.* XI. *Manna quid eſſet, quærebant Iſraelitæ (vide notas in Apocal.* II. 17.) *Sed eodem ſpirituali pane, Manna, & ſpirituali cibo Patres æque ac nos fruiti ſunt.* Illi autem merito opponimus *Joſephum Mede* pag. 245. ſqq. affirmantem, ſermonem hic tantum eſſe de comeſtione mannæ & bibitione aquæ e petra, ita tamen, ut utrumque, manna ſcilicet & aqua, typi fuerint Sacramenti N. T. ſicut petra Chriſtum ſubindicarit. In hanc ſententiam lege ibi plura.

Manna illud hoc loco vocatur *βρῶμα πνευματικὸν*, reſpectu habito cum ad *originem mere divinam*, tum ad *ſignificationem futuri myſticam.* Utrumque

que feliciter conjungit *Theodoretus* ad h. l. ita ſcribens: *ὡς ἐν τύπῳ δέ τινι καὶ τὸ μάννα οὐρανόθεν ἐδέξαντο. Manna quoque* cœlitus *tanquam* in figura *acceperunt. Theophylactus* priorem inprimis ſpectari vult. Πνευματικὰ δὲ ταῦτα λέγει, ἐπειδὰν εἰ καὶ αἰσθητὰ ἦσαν, ἀλλὰ οὐ φύσεως ἀκολουθίᾳ ἐγένοντο, ἀλλὰ χάριτι πνευματικῇ. *Spiritualia autem hæc dicit, quoniam, etſi ſenſibilia fuerint, naturali tamen ordine facta non ſint, ſed gratia ſpirituali.* De origine illa Mannæ mere divina detrahere auſi ſunt nonnulli, qui naturalem cibum hic perſpicere ſibi viſi ſunt. Inter hos eſt *Herm. Hardtius*, Vir alioquin eruditus, ſed in rebusSacris audacter & infeliciter ingenioſus, in Ephemeridibus Diſc. VII. p. 126. ſqq. Ille enim manna pro fruge habet, inſtar granorum minutorum, rotundorum, candidorum, dulcium & mellitorum in terra Arabiæ, ex rore cœli, terræ incumbente, nata. Oppoſuit ſe illi Anonymus in epiſtola ſingulari, quam ipſe *Hardtius* in Ephemeridibus Philolog. Illuſtratis pag. 163. ſqq. exhibet, & examinat. Idem præſtitit B. *Caſpar Calværius* in Gloria Moſis illuſtrata pag. 20. ſqq. & repetita vice ac opera ampliore in Diſſertationibus ſub titulo *Gloriæ Moſis* Goslariæ 1696. 4. editis p. 56. ſqq. Quæ commentationes, cum in omnium verſentur manibus, efficiunt, ut ab examinando argumento ipſo abſtineam, inprimis, cum Rev. *Salom. Deylingium* labore hoc in Obſervatt. Sacris Parte III. p. 58. egregie perfunctum eſſe intelligam. Id recte monet *Hardtius*, Judæorum Magiſtros manna לחם רוחני *panem ſpiritualem* appellare, quam tamen appellationem in firmandam ſententiam ſuam male detorquet, quando *τὸ ſpiritualis* idem hic eſſe vult, quod *promiſſus* a *ſpiritu* vel verbo Dei. Adde, quæ de Manna commentati ſumus ad *Joh.* VI. 49. & illis hæc junge. Chriſtum, Dominum noſtrum, in Sacramento cœnæ nobis exhibitum, cum manna ſapienter comparat B. *Abrah. Hinckelmannus* in concionibus vernaculis junctim editis p. 703. ſqq. Quomodo Judæi, deficiente manna, de victu ſibi proſpicere potuerint, oſtendit Cl. *Jo. Conradus Schwarzius* in Monumentis Ingeniorum Tomo III. p. 3. ſqq.

Verſ. 4. Καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον) Reſpiciunt hæc vel *Exod.* XVII. 6. vel *Num.* XX. 10. ubi de aqua ex petra ſuppeditata exponitur. Nonnulli Interpretes locum priorem tantum, alii utrumque ſpectari hic volunt. Lege hanc in rem Cl. *Franc. Wokenii* Moſen Harmonicum pag. 147. ſqq. & Stromata Apoſtolica Parte I. pag. 106. De ſententia verborum ex illuſtratione commatis ſuperioris judicari poteſt. Retulit vero huc *Hermannus Hardtius* Diſcurſum VIII. Ephemeridum ſuorum Philologic. pag. 141. ſqq. Summa illius hæc eſt. Populum Iſraeliticum in deſertum Horeb, in quo olim greges ſoceri ſui paverit Moſes, ductum eſſe & e ſaxis ac rupibus promanantem divinaque manu elicitum fluvium deprehendiſſe, prævia ſolenni actione ſacra, rupe Moſis manu percuſſa, & igne ſacro in ara advecto, præſentiæ divinæ charactere. Memoriam hujus, a Deo promiſſæ, aquæ ſervatam inter Judæos ſub charactere præcipuo fontis & aquæ ſpiritualis מים רוחנים h. e. *divino Spiritu promiſſa.* Compara Acta Eruditorum Lipſienſium Latina an. 1693. pag. 472. Lectori

ctori non obeſæ naris facile patet, Virum doctum easdem hic inflare tibias, quas in præcedente commate audivimus.

Ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας) Fuerunt, qui hunc petræ comitatum ita interpretarentur, quod ipſa Iſraelitas æque ac columna nubis & ignis inſecuta fuerit. Ita vero ſtatuerunt, adducti procul dubio exemplo Paraphraſeos *Onkeloſi* ad *Num.* XXI. 18. Gemaricorum ad Maſſecheth *Taanith* cap. I. fol. 9. &, ut alios taceam, auctoris *Midbar Rabba* fol. 275. quæ loca affert & illuſtrat *Jo. Saubertus* in Palæſtra Diſſertationum pag. 320. Hos, inquam, ſecuti ſunt *Genebrardus* in Pſ. LXXVII. 19. & *Pareus*, quorum hunc confutatum dedit *Grauerus* in Propugnaculo Anti-Pareano pag. 16. ſqq. Ipſum Moſis de re adeo mirabili ſilentium, ut cetera ſileam, inter fabulas, quicquid hoc eſt, numerare jubet.

Nec magis, opinor, quisquam ſibi ſecure perſuaſerit, quamvis cum majore veri ſpecie id fieri poſſit, aquas, ex petra promanantes, comites Iſraelitarum perpetuos fuiſſe, eorumque ſitim reſtinxiſſe. Hoc enim ſi ponamus, ratio reddi non poteſt, cur repetita vice de qua *Num.* XX. aquæ penuria mirabili petræ percuſſione levari debuerit. Et vel ſic tamen poſt *Grotium* ad h. l. *Joſepho Mede* ſententia hæc tanquam potior probare ſe potuit p. 246. Operum, nec minus *Jac. Nyloe* in Schrifttuurlyck Licht p. 166.

Alii itaque veriſimilius arbitrantur, Iſraelitas ſibi ipſis de aqua, inpoſterum in deſerto profutura, ita proſpexiſſe, ut rivos ex petra manantes vaſibus exciperent, & ſecum aſportarent. Ita ſentit B. *Olearius* in Prælectionibus MSS. allata ſimili phraſi ex *Æliani* Variis Hiſtoriis XII. 40. ubi Regem Perſarum aqua ex Choaſpe dicitur ſecuta. Ad eundem Æliani locum ante ipſum provocaverat quoque *Car. le Cene* in Specimine novæ verſionis Bibliorum Gallicæ p. 706. Sed non ſatis intelligo, quomodo id, niſi ad breve forte tempus, fieri potuerit; nec hoc incommodo opus fuiſſe exiſtimo, cum omnes Iſraelitarum viæ tam aridæ fuiſſe credi non poſſint, ut nuſquam aqua illis in promtu fuerit. Nec dubitandum eſt, Deum voluiſſe, ut Iſraelitæ perſuaſum ſibi haberent, potentiam ſuam ſiti ipſorum etiam inpoſterum, ſi res ita ferret, conſulturam. Id quod vel repetita illa æque mirabilis potatio *Num.* XX. evincit.

Alia itaque via rem aggreſſus eſt doctiſſimus *Theodor. Haſæus* in ſingulari diſſertatione, quam de אבן שתירה ſive *lapide fundamenti, cui olim arca fœderis impoſita fuit*, *Erfurtii* 1718. 4. edidit. Conſtat eruditis, Talmudicos & alios Judæorum doctores, paſſim mentionem facere *lapidis*, quem אבן שתיא vel שתירה appellant. Ita in Codice *Joma* cap. V. §. 1. hæc leguntur: *Poſtquam abducta eſt arca, lapis ibi erat a diebus priorum Prophetarum, & dictus eſt lapis* שתירה *altus a terra tribus digitis, & ſuper eum collocabat thuribulum* Pontifex S. Hunc lapidem Vir doctus cenſet *arcæ fœderis fundamenti* loco inſerviiſſe, lapidem autem ipſum ex petra illa, de qua hic ſermo eſt, eſſe excisum. Accipe verba ejus ex pag. 26. *Cum lapis ex illa petra abſciſſus*

 ad

ad perpetuam rei memoriam in ſacratiſſimo templi loco ad exemplum urnæ Mannæ reconditus ſubſterneretur arcæ, & cum ea toto illo itinere, quod populus in deſerto emenſus eſt, circumferretur, vides, quam commode dici potuerit ἡ ἀκολουθοῦσα. Cumque ille præterea, ſicut reliqua omnia, quæ in illo loco (ſanctuarii) *erant, elegans Chriſti & SPIRITUALIUM beneficiorum, ab eo promanantium, eſſet emblema, πνευματικῇ ſenſu egregio dici potuit.* Addit idem pag. 27. in firmamentum, ipſum lapidis nomen, quod dicitur אבן שתייה. Hoc enim cum percommode (vide cap. I. §. 12.) reddi poſſit *lapis bibitionis*, vel *potationis*, vel *potus* (der Stein des Trinckens, vel der tränckende Stein,) quærit Vir doctus: *cui hoc audienti non illico in mentem venit petra illa Moſis, quæ ſiti fere pereunti Judæorum genti potum præbuit, & quis eandem illam ſignificantiori voce putet appellari poſſe, quam ut diceretur* אבן שתייה *i. e. lapis potationis?* Non dubito equidem, omnem illam de lapide iſto Judæorum commentationem fabulis contineri. Ipſi ſane de origine & conditione ejus admodum inter ſe diſſentiunt, id quod ex iis intelligetur, quæ viri docti, *Wagenſeilius* ad Toldos Jeſchu pag. 6. *Buxtorfius* in Lexico Talmudico pag. 2541. & *Jo. Andr. Eiſenmengerus* in Judaiſmo Detecto Tom. I. pag. 158. imo ipſe quoque *Haſæus* l. c. ex Judæorum ſcriptis attulerunt. Accedit Sacrarum literarum & *Joſephi* de eo ſilentium, quod ut non inficiatur Vir doctus, ita ad illud non ſatis pag. 21. reſponſum eſſe video. Ut idem in hanc ſententiam de origine ejus incideret, ipſe hic locus Paulinus primum effeciſſe mihi videtur. Id ſcilicet ex eo, ſi quid video, factum eſt, quod verbi ἀκολουθεῖν ſignificatum, preſſius urſerit, quam quidem opus erat, idemque ad petram materialem retulerit, quod de Chriſto, petra ſpirituali, potius fuerat accipiendum. Id enim non obſcure indicavit Paulus, quando diſerte ſtatim ſubjungit, petram illam, quæ comitabatur, *fuiſſe Chriſtum.* Rectiſſime igitur illi rationes ſuas inſtituunt, qui *τὸ bibere ex petra* ita accipiunt, ut non petra naturalis, tanquam cauſa materialis, *ex qua*, ſed petra ſpiritualis, tanquam cauſa efficiens, *a qua* mirabilis illa aqua & potatio profecta ſit, intelligatur. Eam enim τοῦ ἐκ notionem eſſe patet ex *Matth.* I. 20. *Joh.* VI. 65. *Joh.* XVIII. 3. & *Rom.* XI. 36. quæ loca ad vindicandam huic oraculo eandem ſignificationem B. *Glaſſius* in Grammat. Sacra pag. 535. attulit. Nec externis Scriptoribus eam infrequentem eſſe Volum. I. pag. 17. 20. & 868. oſtenſum eſt. Chriſtus itaque, qui omnipotente & gratioſa ſua præſentia comitabatur Iſraelitas, ut auctor & ſcaturigo aquæ, miraculoſe productæ, hic repræſentatur.

ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός) Petram *ſignificaſſe* Chriſtum Reformati doctores contendunt, & cum iis *Salmaſius* de Transſubſtantione pag. 109. Illis vero præter alios jam occurrit *Calovius* noſter. Adde *Mentzerum* Tomo III. Diſputatt. Gieſſenſium diſp. VII. §. 54. & *Schmidii* Apologiam contra Reformatos vernaculo ſermone editam p. 169. ſqq. Ex eo vero, quod Chriſtus Iſraelitas vere comitatus dicitur, inſigne pro divinitate ejus argumentum peti poſſe noſtrates pridem oſtenderunt. Lege inprimis egregium *Speneri* tractatum vernaculum

culum de Deitate Chriſti, Socinianis oppoſitum pag. 259. ſqq. Quibus nominibus Chriſtus cum petra comparetur, *Gellius* & *Medus*, ll. cc. *Suicerus* autem ex Patribus Tom. II. Theſauri p. 241. oſtenderunt.

Verſ. 5. Ἀλλ' ὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεός) Vocem Θεὸς *Marcon* olim omiſit, approbante *Millio* in Prolegomenis §. 296. *tanquam quæ in poſterioris ævi libris appoſita fuerit*, cum vox Χριςὸς ex antecedente commate intelligenda veniat. Mirum eſt, Millium hic Codici illi, quo Marcion uſus eſt, plus tribuiſſe, quam codicibus & verſionibus omnibus, in quibus nulla varietas occurrit. Confer *Whitbii* Examen p. 63. Tenemus itaque vocem Θεὸς hoc magis, quod illa Chriſtum ut verum Deum repræſentat, qualem ſe in Iſraelitas olim præſtitit, ſive vox illa ex Marcionis exemplo caſu exciderit, ſive de induſtria ſit ſublata. Præterea humani aliquid paſſus eſt *Millius*, quando vocem Χριςὸς ibi ait non exſtitiſſe. Scribere ſcilicet voluit Θεός. De toto hoc commate commentantur *Rob. Gell* in Reliquiis p. 175-178. & *Joſ. Mede* in Operibus p. 255.

Verſ. 6. Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν) De varia vocis τύποι acceptione diximus ſupra ad *Rom.* V. 14. quæ conferri velim. Hic quidem τύποι ſunt exempla commonitoria, quod oſtendit *Gatakerus* in Adverſariis cap. IV. p. 23. ubi huic & ſequentibus nonnullis commatibus lucem affundit. Cogitata ejus quod ad hanc phraſin in ſummam retulit *Suicerus* Tomo II. Theſauri p. 1341. Scilicet hic non amplius ad *nubem*, *mare*, *cibum* & *potum* reſpicitur, ſed ad judicium & ſupplicium v. 5. commemoratum, quod patet ex fine, hoc ipſo commate commemorato, *ne deſiderio feramur in mala*, & ex v. 11. ἐγράφη πρὸς νυθεσίαν ἡμῶν. *Philo* in Operibus dixit δείγματα τύπων p. 36. C. Operum, monente Cl. *Alberti* in Muſeo Bremenſi Volum. I. p. 119. Eodem modo *Polybius* lib. XXVIII. p. 1446. exempla ad imitandum vel vitandum propoſita τύπυς appellat, indice Rev. *Raphelio* in Annotationibus Polybianis pag. 468. Compara B. *Glaſſii* Philologiam Sacr. lib. II. p. 257.

ἐπιθυμητὰς κακῶν) Eadem voce utitur *Herodotus* lib. VII. p. 437.

Verſ. 7-13. Illuſtrat Cl. *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. p. 109. ſqq.

Verſ. 7. Μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε) Immutatur hic ſtructura ſermonis, reſpectu φράσεως antecedentis v. 6. εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς. Talis vero tranſitio tum a numero ad numerum, tum a perſona ad perſonam frequens eſt Scriptoribus Sacris & externis, v. c. *Antonino* II. 9. & VI. 50. ad quem poſteriorem locum lege *Gatakerum*.

ὡς γέγραπται) Reſpicitur ad *Exod.* XXXII. 6. cum quo oraculum hoc confert, & formulam allegandi ſimul illuſtrat *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς pag. 541. Memoriæ enim vitio, vel calami lapſui tribuendum eſt, quod ibi *Numer.* XXXII. affertur.

Ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πιεῖν) Non de quocunque, ſed ſacro epulo, quale gentiles cum ſuperſtitioſo deaſtrorum cultu conjungere ſolebant,

 ſer-

ſermonem h. l. eſſe vel ſeries orationis Moſaicæ, quæ de effictо & religioſe culto vitulo exponit, evincit. Compara in hanc ſententiam *Amelium* Part. II. der Erörterung p. 210.

καὶ ἀνέστησαν παίζειν) Id de re venerea accipi nonnulli voluerunt, inter quos eſt *Mart. Feſſelius* in Adverſariis Sacris II. 18. §. 4. Atque ea notione *παίζειν* & *ludere* Græcis & Latinis Scriptoribus receptum eſſe conſtat. Vide *Dougtæi* Analecta Part. I. p. 46. ſqq. *Zachar. Boganum* in Homero *ἑβραΐζοντι* p. 7. *Joſ. Arndium* in Miſcellaneis Sacris p. 90. & alios a Cl. *Pet. Zornio* Tomo I. Bibliothecæ Antiquario-Exegeticæ p. 277. excitatos. Sententia hæc fulciri poterat Homeri verbis.

Τῶν δ᾽ ἔφαγον τ᾽ ἔπιόν τε καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα.

Ubi *τῷ φαγεῖν* & *πίνειν* ejusmodi phraſis jungitur, quam per *παίζειν* exprimere poterat, & alias exprimere conſuevit. Rectius tamen alii de ſaltatione, in ſacris gentium recepta, interpretantur. Hunc autem ſignificatum vocem paſſim obtinere oſtenderunt *Grævius* ad Heſiodi *Ἀσπίδα* v. 277. *Dougtæus* in Analectis Part. I. p. 152. *Saubertus* de Sacrificiis p. 708. *Elsnerus* ad h. l. p. 105. & alii, a *Zornio* l. c. p. 277. allati. Iidem vero una cum *Elsnero*, ut alios taceam, choreas ejusmodi idololatricas præſenti loco vindicant. Atque id recte factum eſſe nemo forte diffitebitur, qui recogitet, S. Paulum hoc commate idololatriam diſſuadere, ſequenti vero demum adverſus ſcortationem loqui. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. vanitatem & impuritatem cultus illius profani, & irreligioſi indicari hoc verbo exiſtimat, quemadmodum verbum צחק i. e. *luſit Geneſ.* 19. a Paraphraſte Hieroſolymitano & R. *Salomone Iſaacide* ita explicetur. Cibo ſcilicet & vino repleti ad cultus profanos adduci ſe paſſi ſunt Iſraelitæ, quos ritus tanquam ſtultos & joculares verbo צחק & *παίζειν* Moſes ac Paulus exprimere videntur.

Verſ. 8. *Μηδὲ πορνεύωμεν, καθώς τινες αὐτῶν ἐπόρνευσαν*) Refert ſe Paulus ad Num. XXV. 1. ſqq. cum quo loco verba Paulina comparant *Surenhuſius* in libro *καταλλαγῆς* pag. 542. & Cl. *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico pag. 152.

καὶ ἔπεσον) Et *trucidati* ſeu *mortui ſunt*. Hæc frequens eſt notio verbi Hebraici נפל, ſed nec externis Græciæ Scriptoribus inſueta. Vide *Pſochenium* §. 102. & *Vorſtium* Part. I. Philolog. Sacr. pag. 133. ſqq. Adde *Gatakerum* pag. 242.

εἴκοσι τρεῖς χιλιάδες) Hanc ſummam Codices Græci omnes & verſiones quoque ſine ulla varietate exhibent, pro qua contextus Moſis Hebraicus, Samaritanus, *οἱ* LXX. *Philo* item & *Joſephus* 24000. repræſentant. Quæ differentia cauſæ ſatis fuit *Guil. Whiſtono* in Conatu contextum Hebraicum emendandi pag. 307. cur locum hunc corruptelæ, a librariis illatæ, audacter poſtularet, a quo non multum alienus eſt *Eduard. Bernardus* ad Joſephi Antiquitates Judaicas IV. 6. Tomo II. pag. 222. edit. Havercampianæ. Longius proceſſit *Iſaacus Abrahamides* in virulentiſſimo libro *Chiſſuk Emuna* Part. II. c. 86.

Pau-

Paulum ipſum vitii inculpans. Contra eum lege *Guſſetium* in Confutatione p. 437. Is, allata duplice conciliandi ratione, ſubjungit: *Sed hæc ſi non valent, Paulo tamen rationem defuiſſe nemo jure affirmat. Non enim noſtra in conjectando ſolertia ſtat vel cadit Apoſtoli θεοπνέυςȣ auctoritas.* Quod ad Joſephum attinet, ad quem *Whiſtonus* provocat, nonnulla quidem ejus exempla, manu exarata, ſummam Paulinam exhibent. Id vero perperam fieri recte monuit *Bernardus* l. c. cum illa Moſaica omnino ſtandum ſit. Idem quoque ad conciliandam utramque dici poſſe monet, zelotarum gladium ſuſtuliſſe mille milites pollutos, ceteros autem telo Dei fuiſſe peremtos. Hanc, ut & alias καταλλαγῆς rationes diligenter attulit Cl. *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico p. 152. ſq. Cl. *Jo. Alberti* in Obſſ. pag. 348. 23000. plaga divina, ceteros vero mille ex præcepto Moſis vitam amiſiſſe exiſtimat. Atque huc etiam collineat *Jo. Bapt. Ottius* in Animadverſionibus ad Joſephum Tomo I. Operum p. 315. Non contemnenda vero videtur ejusdem *Alberti* obſervatio ad phraſin ἐν μιᾷ ἡμέρα reſpiciendum potiſſimum eſſe exiſtimantis, ita ut Moſes integrum numerum 24000. eorum ſcilicet, qui interierint, tradat, Paulus vero eos tantum, qui una die ceciderint, nempe 23000. commemoret. Applaudit huic ſententiæ Cl. *Wokenius* l. c.

Verſ. 9. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριςὸν) Pauci quidam codices hic legunt Κύριον, unus *Alexandrinus*, & *Æthiops* Θεόν. Poſteriorem hanc lectionem approbat *Grotius*, & *Wetſteinius* in Prolegomenis ad novam N. T. Græci editionem pag. 190. alteram illam, Χριςὸν a Marcione, teſte *Epiphanio*, invectam eſſe autumans, & conſentientem ſibi habens *Colomeſium* pag. 26. Obſſ. Sacr. *Grotio* jam occurrit B. *Calovius*, in Bibliis Illuſtratis, & *Millius* ad h. l. conjecturam *Grotii*, *errorem hic ex notis* Θν *&* Χν *librariis obortum* eſſe ſuſpicantis, ita retundens: *Quaſi vero proclive fuerit librariis* Χ *ſcribere pro* Θ, *aut lectionem, qualis illa* Κύριον *aut* Θεὸν *commodam, mutare in duriorem hanc, & ad quam impegerint lectores* Χριςόν. *Certe cum editis congruant non ſolum Irenæus, Theodotus in* ἐπιτομαῖς, *ac Scriptores Gr. Lat. complures; ſed & exemplaria MSS. univerſim, & quidem Clar.* Gr. Lat. *Ger.* Gr. Lat. *quique Marcionis tempora præceſſiſſe videtur Interpres* Vulgatus; *omnino crediderim, ab Apoſtolo ipſo ſcriptum fuiſſe* Χριςὸν, *mutatum autem hoc in* Θεὸν *ab audaculo quodam ſtudioſo, cui minus verum, ſi placet, quod ex recepta lectione dicitur, Iſraelitas tentaſſe* Chriſtum *in deſerto.* Conſentit cum *Millio* Rev. *Pfaffius* in diſſertat. de Variis N. T. lectionibus p. 152. quemadmodum γνησιότητα communioris lectionis contra Grotium vindicavit *Georg. Bullus* in Defenſione Fidei Nicenæ Sect. I. cap. 1. §. 15. Quomodo vim hujus phraſeos ad divinitatem Chriſti firmandam eludere conatus ſit *Enjedinus*, apparet ex *Rich. Simonis* Hiſtoria Critica N. T. lib. III. p. 870. Socinianorum exceptiones infregit *Hackſpanius* in Miſcellaneis p. 142. & *Spenerus* in tractatu vernaculo pro deitate Chriſti p. 264.

ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο) *Herodotus* eodem verbo paſſim utitur. Lege loca apud *Raphelium* p. 472.

Verſ. 10. *Μηδὲ γογγύζετε*) Nonnulli Codices legunt *γογγύζωμεν*, ex librariorum procul dubio ingenio, qui perſonæ mutationem ferri non poſſe falſo ſibi perſuadebant, cum v. 8. & 9. legeretur *πορνεύωμεν* & *ἐκπειράζωμεν*. Sed ſalva res eſt. Sic enim Paulus v. 9. *μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε*, ad quem, quæ dicta ſunt, vide. Frequentia in V. T. Judæorum, adverſus Deum murmurantium, exempla exſtant, ex iis vero h. l. illud inprimis ſpectari videtur, quod Moſes *Numer.* XIV. 2. recitat. Patet illud ex comparatione loci noſtri cum *Hebr.* III. 8. ubi Deus murmurantibus jurejurando teſtatus dicitur, eos quietis in terra promiſſa participes non fore. At hoc jusjurandum *Numer.* XIV. commemoratur. Lege plura in hanc ſententiam apud Cl. *Wokenium* in Moſe Harmonico p. 145.

Verſ. 11. *Ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις*) Pro *τύποι* Codices nonnulli legunt *τυπικῶς*, ex interpretamento ſcilicet, perſpicuitatis cauſa ad marginem olim ſcripto, quod recte conjecit *Eſtius*. Scilicet vox *τύποι*, modo participium *ὄντες* vel *ὄντα* ſubintelligas, idem ſibi vult, quod *τυπικῶς*. Confer *Gatakerum* in Cinno p. 390. Vocem vero *τύποι* a Paulo profectam eſſe, vel v. 6. docet, ad quem nos vide.

εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν) *Τέλη τῶν αἰώνων* hic ſunt *πλήρωμα τοῦ χρόνου*, *Gal.* IV. 4. & *πλήρωμα τῶν καιρῶν* *Eph.* I. 10. interpretante *Grotio*, ſive œconomia Novi Fœderis. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. *αἰῶνας* ait eſſe varias temporis œconomias & rationes diverſas in diverſis periodis, ex ſtilo Hebraico, in quo œconomia V. T. dicatur עולם הזה *ſæculum præſens*, & Novi Teſtamenti עולם הבא *ſæculum futurum*. Ita *τέλη* ſignificaverint ultimam periodum, quæ tendat ad ultimam horam. *Lightfootum* hanc phraſeos notionem paſſim, etiam minus opportune, inculcare, conſtat, quam tamen h. l. non tam ex ipſius phraſeos vi, quam ex *περικειμένοις* admittere poſſumus.

Verſ. 12. *Ὥστε ὁ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω, μὴ πέσῃ*) Illuſtrantur hæc ab *Iſaaco Fauſtio* in Diſput. de lapſu ſtantium cavendo, *Argent.* 1674. & a *Jo. Joachimo Zentgravio* in Exercitatione Hiſtorico-Theologica de lapſu Tertulliani ad Montaniſtas, Diſputat. I. Argentorati 1700. habita, §. 1-5.

ὁ δοκῶν ἑστάναι) *Τὸ δοκεῖν* paſſim in N. T. & aliis Scriptoribus *πλεονάζειν* nemo negaverit. Idem vero de hoc loco cum nonnullis viris doctis ſtatuere nolim. Corinthios multum ſibi tribuiſſe, & *δοκησισόφους* fuiſſe ex ſuperioribus conſtat. Hæc *δοκησισοφία* proxima eſt ad ſecuritatem via, cui nonnullos eorum implicitos fuiſſe vix dubitandum videtur. Ab hac Paulus eos revocaturus *τὸ δοκεῖν* ſapienter inculcat, quod ex nexu ſermonis ipſo non minus intelligitur. Compara *Wolfburgii* Obſervationes p. 135. *Τὸ ἑστάναι* non eſſe poëticum pro *ἱστάναι*, quod *Paſori* viſum eſt, idoneis veterum exemplis probatum dedit M. *Chriſtian. Sigiſm. Georgius* in diſſert. de puritate N. T. Attica a Doriſmis, Bœotiſmis & Poëtiſmis immuni p. 25.

βλεπέτω) *ſedulo caveat*. Vide Patrum expoſitionem apud *Suicerum* Tom. I. p. 702.

Verſ.

Verſ. 13. Πειρασμὸς ὑμᾶς ὐκ εἴληφεν εἰ μὴ ἀνθρώπινος) Pro εἴληφεν unus Codex legit εἰληφέτω, quod Interpres Vulgatus expreſſit per *apprehendat*, a Patribus nonnullis Latinis receptum, a *Sedulio* vero recte rejectum. Neque enim *optantis*, ſed *commonefacientis* inſtar hæc ſcripſiſſe Apoſtolum, reſpectu eorum, quæ jam Corinthiis incubuerant, ex eo conſtat, quod eosdem in futurum tempus de præſidio divino certos eſſe jubeat. Recte itaque Interpretes Galli *Montenſes* contextum Græcum Vulgato prætulerunt, non improbante *Rich. Simonio* in Hiſtoria Critica N. T. lib. III. pag. 432. niſi quod in notis indicium varietatis hujus factum eſſe voluiſſet.

Εἴληφε) Eodem modo verbum λαμβάνειν accepit *Xenophon* Hiſt. Græc. lib. V. p. 441. καῦμα πυριφλεγὲς λαμβάνει αὐτὸν, & in Conviv. p. 690. ὀδύνη δὲ εἴληφε. Confer Rev. *Raphelium* p. 226. ex Xenophon.

Ἀνθρώπινος) i. e. μικρὸς, βραχὺς, σύμμετρος, *parva, brevis* & *modica*, ut cum *Chryſoſtomo* interpretatus eſt *Theophylactus*. Similiter *Grotius*, *Calovius* & *Cornel. Adami* in Obſervatt. Theolog. Philologicis p. 378. accipi volunt, quos vide. *Jac. Cappellus* eodem ſenſu p. 70. vertit *clemens, mitis*. Sermo hic eſt, judice B. *Oleario* in Prælection. MSS. de tentatione non adflictionis, ſed ad lapſum, qualis proficiſcitur a ſtudiis & affectibus hominis, & facile ſuperari poteſt, v. c. ex appetentia ciborum & deliciarum, aut ex deſiderio cum amicis familiariter verſandi. Adde B. *Hülſemannum* apud Sandhagenium Decade II. Epiſt. Theolog. p. 330.

Πιςὸς) *verax*, ratione promiſſionum datarum. Vide *Suicerum* Tomo II. Theſauri p. 740.

Τῦ δύνασθαι ὑμᾶς ὑπενεγκεῖν) Ita Lycon apud *Laërtium* lib. V. §. 69. ἐὰν μὴ δυνηθῶ τὴν ἀρρωςίαν ταύτην ὑπενεγκεῖν, *ſi hunc morbum ferre non quivero.* Ex quo communis lectio ſimul vindicatur contra unum alterumve codicem, qui refert ἐπενεγκεῖν. Apoſtolum in hoc commate ad ſimile de *ſtadiodromis* & *athletis*, quo cap. IX. uſus erat, alludere exiſtimat *Cornel. Adami* in Obſervationibus p. 379. *Ut enim*, inquit, *in certaminibus, non niſi fortiſſimi viri maximis laboribus & robuſtiſſimis antagoniſtis objiciebantur ; ita etiam cum ſuis agit Deus.* Sic forte ἔκβασις id infert, quod curſores Chriſtiani a carceribus progreſſi, & in medio curſu conſtituti, non prolapſuri, ſed, divino præſidio nixi, ad metam feliciter ſint perventuri. Ceterum totum hoc comma illuſtrat *Guſtavus Phil. Mörl* in diſſ. de modo dirigendi actiones noſtras ad gloriam Dei. Altorf. 1701.

Verſ. 14-21. exponere ex antiquitate Judaica & Gentili inſtituit *Rudolphus Cudworthus* in Diſſertatione Anglica quam de *genuina notione Cœnæ Dominicæ* inſcriptam, Londini 1642. in 4. edidit, deinceps in fol. recuſam. Summam illius habes in Hiſtoria Critica Reipubl. Literariæ gallice edita Tomo I. p. 120. ſqq. &, quod ad hunc ſpeciatim locum pertinet, Tomo II. p. 244. ſqq. Illius veſtigiis inſtitit B. *Godofr. Olearius* in Diſſert. Philolog. de κοινωνίᾳ cum Chriſto & dæmoniis, Lipſ. 1706. & 1712.

Verſ.

Verſ. 15. *Ὡς φρονίμοις λέγω*) Per *φρονίμους* Paulum, tanquam ad gentium ſacra hoc loco alludentem, eos innuere, qui inter *ἐπόπτας*, remotis aliis *ἀμυήτοις* locum jure ſuo obtinebant, ſuſpicatur *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris Tom. I. p. 311. poſt *Olearium* ſcilicet in diſſertat. modo laudata p. 5.

Κρίνατε ὑμεῖς, ὅ φημι) Ad hæc commentatur *Henr. Dodwellus* de Jure Laicorum p. 359-370. & ex eo *Clericus* in Biblioth. Univerſali Tomo IV. p. 149. ſq. Legi etiam meretur *Gisb. Voëtius* in Deſperata cauſa Papatus p. 39. ſq.

Verſ. 16. *Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν;*) Doctrinam, hoc commate contentam, quatenus noſtratis Eccleſiæ de Sacra Domini Cœna ſententiam confirmat, egregie illuſtrat, & vindicat *Seb. Schmidius* in Tractatu ſingulari de fundamentali præſentia Corporis Chriſti in Sacra Cœna cap. VIII. toto p. 161-188. Accipe ex p. 176. hanc ejus paraphraſin: *Poculum benedictionis, cui benedicimus, i. e. ſi poculo benedictionis benedicimus (& communicamus, ſive diſtribuimus) nonne eſt iſtud communicatio ſive benedictio ſanguinis Chriſti, quod idem eſt, ac ſi dicas: quando poculum benedictionis i. e. vinum Euchariſticum diſpenſamus, nonne ſimul diſpenſamus ſanguinem Chriſti? Apoſtolus uſus eſt*, (ita pergit) *oratione relativa in virtute conditionatæ conditione temporis, ut etiam alias oratoria relativa pro conditionali ponitur, v. c. Marc. VIII. 34. coll. cum Matth. XVIII. 24. & 1 Cor. XI. 27.* Conferatur idem in Apologia vernacula adverſus Reformatos p. 362. ſq. & *Balthaſ. Mentzerus* in ſolida explicatione verborum inſtitutionis S. Cœnæ p. 186. ſqq. Adde *Jo. Hülſemanni* diſſert. de *κοινωνίᾳ* rei cœleſtis & terrenæ in S. Cœna, Lipſienſ. 1649. *Jo. Aſſelmanni* Syntagma Exercitatt. Theologic. Part. II. p. 180. *Hectoris Godofr. Maſii* Diſp. de reali præſentia Corporis & Sanguinis in S. Cœna, Haſn. 1694. Tom. II. pag. 142. Diſſertationum ejus, junctim Hamburgi editarum, recuſam, *Bartholdi Botſacci* Vindicias Feuerbornianas, ſive Diſp. qua B. Feurbornii argumenta pro reali C. & S. Chriſti in S. Cœna præſentia ex verbis Inſtitutionis & 1 *Cor.* X. 16. ab exceptionibus Jo. Heinii vindicantur, Gieſſæ 1676.4. & *Jo. Georg. Dorſchei* Pentadecadem Diſp. Theologic. pag. 272. de Sacramentali per panem & vinum Chriſti *κοινωνία*. Atque ea quidem, tanquam quæ ad noſtrum inſtitutum non ſpectent, Theologorum ſcholis relinquimus.

Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας) Voces *εὐλογία* & *κακολογία ἑλληνικὰς* ſeu bene Græcas eſſe negat *Thomas Magiſter* de vocibus Atticis pag. 79. Præpropere, ni fallor, quod & alias ipſi uſu venire eruditis obſervatum eſt. *Thucydidem* enim lib. II. & *Platonem* in Axiocho *εὐλογίαν* de laude ſeu *prædicatione* adhibere, vel ex *Henr. Stephani* Theſauro conſtat. Interim negare nolim, phraſi hac reſpectum haberi ad Poculum in feſto Paſchali a Judæis adhibitum, quod ab illis כוס דברכה *poculum benedictionis* appellatum fuiſſe, poſt alios monuit *Jo. Saubertus* in Palæſtra Diſquiſitionum p. 84. & *Adrian. Relandus* in Antiquitatibus Hebr. pag. 427. *Chryſoſtomus* ad h. l. ita explicat: *ποτήριον εὐλογίας ἐκάλεσεν, ἐπειδὰν αὐτὸ μετὰ χεῖρας ἔχοντες, οὕτως αὐτὸν ἀνυμνοῦμεν, θαυμάζοντες, ἐκπληττόμενοι τῆς ἀφάτου δωρεᾶς, εὐλογοῦντες, ὅτι καὶ αὐτὸ τοῦτο ἐξέχεεν.* Ex hac appellatione procul

cul dubio factum eſt, ut S. Cœna εὐλογίας nomine a veteribus vocaretur. Inſpice ſodes Patrum loca apud *Suicerum* Tomo I. Theſauri p. 1249. & *Herman. Wittii* Diſputat. de Eulogiis veterum Witteberg. 1691.

Ὃ εὐλογȣ̃μεν) Locutionem hanc ex Judæorum antiquitate illuſtrat *Vorſtius* in Philologia Sacra Parte I. p. 166. ſqq.

Οὐχὶ κοινωνία τȣ̃ αἵματος τȣ̃ Χριςȣ̃ ἐςι) Quæ illius communionis ratio ſit, ex Patribus exponit *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 126. ubi præterea oſtendit, ipſam S. Euchariſtiam κοινωνίας nomine veteribus eſſe appellatam, quam in rem lege ejusdem Obſervationes Sacras p. 201. ſq.

Τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν) Pauci quidam codices habent ὁ ἄρτος, ex ingenio ſcilicet eorum, quibus hæc ſtructura Grammaticis rationibus non ſatis reſpondere viſa eſt. At illi quidem ſuam Atticiſmi imperitiam prodiderunt, cujus hoc ſchema eſſe oſtendit *Stolbergius* in Exercitatt. Græc. Linguæ p. 59. ſq. Ita *Sophocles* Oed. Tyranno v. 453. Τὸν ἄνδρα τȣ̃τον, ὃν πάλαι ζητεῖς, ȣ̃τός ἐςιν ἐνθάδε. Præterea accuſativus ſæpe primordium eſt ſententiarum, quamvis a cetera deinceps oratione deſtituatur, & tanquam proditus hæſitet. Exempla hujus canonis ex ſacris & profanis Scriptoribus ſuppeditat Cl. *Jo. Conradus Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 77. & 94. Tum vero ſubintelligi poteſt præpoſitio κατά. Vide Cl. *Schœtgenii* notas ad Lamb. Bos de Ellipſi Græcæ Linguæ p. 341.

Οὐχὶ κοινωνία τȣ̃ σώματος τȣ̃ Χριςȣ̃ ἐςιν;) Ex his verbis contra doctrinam Papæam de Transſubſtantiatione feliciter diſputat, eademque opera recentiorum quorundam Papiſmi aſſeclarum ad illam palliandam εὑρήματα auctoribus ſuis remittit, Pontificios quoque in venditata illa diſciplina arcani nihil præſidii invenire, oſtendit Rev. *Deylingius* in Obſervatt. Sacris Parte I. p. 170. ſqq.

Verſ. 17. Ὅτι εἷς ἄρτος ἓν σῶμα, οἱ πολλοί ἐσμεν· οἱ γὰρ πάντες ἐκ τȣ̃ ἑνὸς ἄρτȣ μετέχομεν) Paulinæ ratiocinationis nervum ita proponit *Olearius* p. 7. diſſertationis ad v. 14. laudatæ: *Ex uno pane comedimus, qui ſit corpus Chriſti; quod poſterius non dicit Apoſtolus diſerte quidem, paulo occultius iſta propter* ἀμυήτȣς *proponens, nam in his præcipua myſterii ratio; inſinuat tamen per nexum cauſalem, quo colligavit hanc propoſitionem cum altera:* εἷς ἄρτος ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν. *Si enim ex eo, quod* uno pane *veſcimur, colligere eſt, quod* unus panis *ſimus; certe ex hoc quoque, quod* unum corpus ſimus, *colligetur retro eundo,* uno corpore *nos veſci, vel* panem eſſe corpus, *cujus fruitio facit, ut* unus panis *nos ſimus,* & corpus unum. -- *Cum quo enim aliquis ita arcte conjungitur,* id eſſe *dicitur ſtilo Scripturæ, quemadmodum* ἓν πνεῦμα *eſſe dicitur* κολλώμενος τῷ κυρίῳ *in eadem hac epiſtola,* (VI. 16. 17.) & κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμα: *atque in hoc adeo conſiſtit, ex qua ad idololatriam evitandam argumentatur Apoſtolus,* κοινωνία. Ex eadem corporis Chriſti communione & uſu Sacramentali pendet omnino unio myſtica, quæ inter fideles intercedit, tanquam membra unius corporis, cujus caput eſt Chriſtus. Vide infra XII. 13. & *Epheſ.* I. 23. Ad hanc unionem ſtabiliendam S. Cœnam inter cetera a Chriſto, Domino

Mmm

no noſtro, relatam eſſe *Campeg. Viringa* in Obſervatt. Sacris lib. V. c. 7. pag. 73. ſqq. data opera probat. Nec quisquam illud negaverit, modo hic finis non unicus nec primarius ſtatuatur. In eandem ſententiam Cl. *Elsnerus* pag. 107. ſq. Iſraelitarum urget conſuetudinem, qui olim in ſolennibus feſtis de ſacrificiis ſacra convivia inſtituerint, ad mutuam concordiam ſocietatemque arctioribus vinculis adſtringendam, quemadmodum idem paganis quoque receptum fuiſſe idoneis locis commonſtrat.

Verſ. 18. Οὐχὶ οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας) Indicat Apoſtolus Judæorum conſuetudinem, carnem de ſacrificiis oblatis inter ſe invicem comedendi. Ritus ille ex Veteris Inſtrumenti tabulis, *Exod.* XXXIV. 14. *Num.* XXV. 2. 1 *Sam.* I. 3. *Judic.* IX. 27. & alias conſtat, & pluribus illuſtratus eſt a *Cudwortho* in citatæ diſſertationis cap. I. p. 3. ſq. *Nicol. Gurtlero* in diſſertat. de Epulis Sacris, & *Jo. Heinr. Hottingero* de Jure Eccleſiaſtico legibus C. & CXXXV.

Κοινωνοὶ τȣ̃ θυσιαστηρίȣ εἰσιν) i. e. *quicunque ad ſacrificia comedenda admittuntur, illi ad κοινωνίαν ſacrorum Judaicorum admittuntur, nec atrio gentium continentur amplius, propiore acceſſu excluſi, ſed in ipſius altaris omniumque ſacrorum communionem venire poſſunt.* Ita B. *Olearius* p. 8. diſſert. laudatæ, qui addit: *Quam κοινωνίαν per ſacrificiorum manducationem, nil neceſſe eſt ſtatuere eſſe ejusdem generis cum ea, de qua hoc loco præcipue agitur: Id quod ſimile enim eſt, atque illuſtrationis cauſa adducitur, idem eſſe non debet. Sufficereque hoc loco Apoſtoli ſcopo Logica ratio ſuadet, quod aliqua communio, & κοινωνία fundatur in manducatione ſacrificiorum oblatorum: κοινωνία nempe cum ipſo altari, omnibusque, quæ ſacra ſunt Judæis: ad illuſtrandam κοινωνίαν multo ſublimiorem in ſacris iſtis Chriſtianis, in quibus manducantes panem cum ſacrorum omnium ſacratiſſimo, corpore ſcilicet Chriſti, conjungantur, & κοινωνίαν habeant. Id nempe unice propoſitum erat Apoſtolo, ut monſtraret, κοινωνίαν Chriſtianos in μυστηρίοις illis φρικτοῖς contrahere, quæ cum idololatria conſiſtere non poſſet. Quod initiatis verum eſſe facile liquebat, qui noſſent, iſtam κοινωνίαν eſſe veri corporis Chriſti.* Hæc tenenda inprimis ſunt contra Reformatos doctores, ſpeciatimque *Jo. Vorſtium*, qui ex hac phraſi κοινωνίαν, de qua v. 16., non niſi *conſortium* & *ſocietatem* indicare exiſtimat, in quam, qui Sacra Cœna utuntur, perveniant. Vide eum in Diſſertationibus Sacris lib. I. c. V. p. 104.

Verſ. 19. Τί οὖν φημί; ὅτι εἴδωλον τί ἐστιν, ἤ, ὅτι εἰδωλόθυτόν τί ἐστιν;) Ita omnino hæc ſententia eſt interpungenda cum *Curcellæi* & aliis editionibus, ſecus ac in illa *Millii* ita diſtincta legitur: ὅτι εἴδωλον, τί ἐστιν; ἢ ὅτι εἰδωλόθυτον, τί ἐστιν; Hanc enim interpunctionem ita accipere poſſis, ac ſi utrumque illud τὶ interrogandi notionem habeat, quod tamen a ſenſu phraſeos prorſus alienum eſt, cum τὸ τὶ hic *aliquid* ſignificet.

Ὅτι εἰδωλόθυτόν τι ἐστιν;) Omiſſam poſt hæc eſſe negandi particulam οὐ, vel οὐχὶ, patet ex ſequenti ἀλλά. Similiter *Arrianus* diſſert. lib. I. cap. 29. extremo: μήτι οὖν ἐκείνῳ λέγει, ὅτι διὰ τοῦτο τὰς γυναῖκας ἀπελύσαμεν; ἀλλὰ τοῖς γυναι-

ρίμοις,

ῥίμοις, τοῖς δυναμένοις αὐτὰ ἀκῦσαι· ἐκείνῳ δὲ συμπεριφέρεται, ὡς παιδίῳ. *Num ergo illi dicit: ob hanc cauſam mulieres dimiſimus?* NON. *Sed familiaribus hoc dicit, qui ea poterant audire: illi vero ſe accommodat, tanquam puero.* Idem vero p. 247. l. 9. plenius id effert: Τίς ἐςιν ἀνοίγυσα καὶ κλαίυσα τὺς ὀφθαλμὺς, καὶ ἀφ' ὧν ὐ δεῖ ἀποςρέφυσα, τοῖς δὲ προσάγυσα; ἡ ὁρατική; ΟΥ. ἈΛΛ' ἡ προαιρετική. *Quænam eſt facultas, quæ aperit & claudit oculos, & ab iis, quæ inſpici non debent, avertit, ad alia vero advertit? num viſus?* NON, SED *arbitrium voluntatis.* Hæc & ſimilia Arriani loca commodiſſima recitat Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 409. Negat ſcilicet hac interrogatione Paulus, ſe *idolum* pro re vera exiſtente habere, id vero potius ſibi velle ait, quod v. 20. profertur. Cum itaque oratio ipſa τὸ ὐ ſubintelligi juberet, hinc natam puto illam *Claromontani* & *Ger.* Græco-Latinorum, quam & Patres quidam Latini ſecuti ſunt, lectionem: ὅτι εἰδωλόθυτόν ἐςί τι; ὐχ ὅτι εἴδωλόν ἐςι τι. Librarii ſcilicet particulam ὐ, quam ſenſus requirebat, diſerte exprimendam temere cenſentes, alieno eam loco poſuerunt. *Millius* ad h. l. ſibi non conſtare intelligetur, ſi, quæ ad h. l. recte monet, compares cum Prolegomenis ejusdem §. 318. & 1333. Ceterum Paulus ſupra VIII. 4. εἴδωλον ὐδὲν ἐν τῷ κόσμῳ eſſe affirmavit, quod h. l. confirmat.

Verſ. 20. Ἀλλ' ὅτι ἃ θύει τὰ ἔθνη) Τὸ ἀλλὰ per *imo* hic verti vult *Knatchbullus.* Sed eo opus non eſſe, ex modo dictis intelligenti conſtabit, quamvis alias eo ſignificatu gaudeat. Vide Volum. I. harum Curarum p. 950.

τὰ ἔθνη) Deeſt in nonnullis Codicibus, ideoque ſcholion ex Pſ. XLVI. 5. deſumtum videtur *Millio* in Prolegomenis § 459. Si non exſtaret hæc vox, certe ſubintelligenda erat: cumque exſtet in Codicibus tantum non omnibus, quæ ratio tandem eſt, cur a Paulo ipſo non ſtatuamus eſſe profectam? Paulus interim præter illum Pſalmi locum, (quæ Cl. *Schwarzii* ſententia eſt, ad *Olearii* diſſertat. de Stylo N. Teſtam. p. 304.) hic reſpexiſſe videtur ad *Deuteron.* XXXII. 17.

δαιμονίοις θύει) δαιμόνια in N. T. proprie denotant deos falſos & fictos Gentilium, quemadmodum & hic opponuntur τῷ Θεῷ i. e. Deo vero. Confer *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 297. ad Apoc. IX. 20. Adde *Act.* XVII. 18. Sic & Gentiles ipſi diis ſuis putatitiis δαιμόνων nomen imponere ſolebant. Vide quæ hanc in rem in Vol. I. p. 1253. allata ſunt. Hinc & Cl. *Maſſonus* in Hiſtor. Critica Reip. Literar. Tom. II. p. 246. *diabolorum* nomen, quod verſiones & inter has *Anglicana* & *Belgica*, ſicut noſtra Lutheri, exhibet, ab hoc loco exulare vult, cum Gentiles deos ſuos ſub habitu aut ſpecie malorum dæmonum non coluerint. Enimvero non tam hic quæritur, quid Gentilibus de deaſtris ſuis perſuaſum fuerit, quam quid illis perſuaſum eſſe debuerit, quidve ex rei veritate de illis ſit judicandum. Poſterius hoc innuit Apoſtolus, & teſtatum adeo facit, cultum illum ſuperſtitioſum & a malis dæmonibus profectum eſſe, & in illorum ſocietatem pertrahere. Idem Summum Numen Judæis, in eum proclivibus, ſuggeſtum voluit per Moſen *Deuter.* XXXII. 17. & per Davidem *Pſalm.* CVI. 37.

 ubi

ubi deaſtri illi שדים & in LXX. Interpr. *δαιμόνια* appellantur: שדים autem *vaſtatores* ex radice שדד adeoque malos & malignos ſpiritus inferunt. Lege *Bochartum* Hierozoici Parte I. pag. 357. & *Guſſeti* Lexicon Hebraicum p. 832. *Videtur autem*, inquit poſterior, *Apoſtolus iſtud* (δαιμονίοις θύει) *non tantum habere ex Ethnicorum profeſſione, exque rei veritate, ſed & ex locis Deuteron. & Pſalmi citatis. Jacobus pariter cap. II. 19.* δαιμόνια *ſupponit eſſe res vivas, ceu cognitione, imo veri uniusque Dei cognitione ac timore præditas.* Per שדים illos Cananæorum gentilium deaſtros intelligi *Anton. van Dalen* monuit in Diſſert. de origine & progreſſu idololatriæ, ad quem compara *Jo. Clerici* Bibliothecam Selectam Tomo III. p. 163. Ex his intelligitur, Interpretes hoc loco recte de malis dæmonibus cogitaſſe. Neque enim hic de *ſtatuis* & *ſimulacris* ſermo eſt, quæ alias δαιμόνων aut δαιμονίων nomine inſigniri conſueviſſe, oſtenderuut viri eruditi a Cl. *Zornio* in Opuſculis Sacris p. 138. laudati; ſed de *deaſtris*, qui ſub illarum imaginum habitu colebantur. Apoſtolus enim τὸ εἴδωλον, quod nihil eſt, diſtinguit a δαιμονίοις, tanquam quæ vere exiſtant, & ex cultu præſtito fructum percipiant, in perniciem ſacrificantium redundantem; quemadmodum & οἱ θύοντες ſacra ſua faciant ea intentione, ut cum deaſtris conjungantur. Compara Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 472.

Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι) *Nolim autem vos venire in communionem vel ſocietatem dæmonum.* Μείωσις hic eſt, quando Paulus ſe *id nolle* ait, quod ut nefas prohibere poterat. Exempla ejusmodi habes apud *Glaſſium* in Rhetorica Sacra p. 478. qualia & nos attulimus Vol. I. p. 35. & 508.

Κοινωνίας illius fundamenta & rationes præter *Cudworthum* diſſertatione aliquoties laudata, & *Dodwellum* in libro Anglicano de uno altari & uno Sacerdotio, *Rich. Baxtero* oppoſito p. 166. ſq. ex noſtratibus expoſuit B. *Godofr. Olearius* in diſſert. de κοινωνίᾳ cum Chriſto & dæmoniis, cujus itidem fecimus mentionem. Hujus autem veſtigia preſſit & amplificavit eruditus Anonymus in *hiſtoria conviviorum, ex ſacrificiis apud gentiles celebratorum, ad demonſtrandam præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Cœna realem, Magdeburgi* 1726. 4. vernaculo ſermone (Hiſtorie der Heidniſchen Opfermåhler) edita. Summam illius habes in Actis Eruditorum Lipſienſ. Latinis Tom. IX. Supplementorum p. 96. ſqq. & in fortgeſetzter Sammlung von Alten und Neuen Theologiſchen Sachen an. 1727. p. 1185. ſq. Triplicem Auctor capite III. ſtatuit κοινωνίαν, quæ a convivantibus illis ſit quæſita. Primam facit epulantium inter ſe, alteram mutuam convivarum cum Diis ſuis & Deorum cum convivis, tertiam denique dæmonum cum ſacrificiis. Ultimam hanc in eo ait conſtitiſſe, quod gentes putarint, dæmones mediæ naturæ ad talia etiam convivia accedere, & cibos, ipſis ſacros, ingredi, ac per eſum eorum in ipſos convivas ſe inſinuare. In quam ſententiam *Julii Firmici* de profanarum religionum errore p. 18. & *Jamblichi* Sect. V. c. 23. de Myſteriis Ægyptiorum locos, ab *Oleario* §. 20. allatos, urget, iisque unum *Auguſtini* jungit. Ad primam illam κοινωνίαν Paulum v. 17. 18. ad ſecun-

ſecundam v. 20. & 21. ad tertiam autem v. 16. & 19. reſpicere exiſtimat cap. IV. & commatis 16. ſenſum hac paraphraſi illuſtrat: *Vos de victimis gentium, deaſtris oblatis, eodem ore editis, quo Domini ſumitis cœnam. Jam Gentilis affirmat, victimas illas a dæmonibus ſuis inhabitari, iisque plenas eſſe: vos autem noſtis, quod, quandocunque viſibilia elementa panis & vini eucharistici, quæ ore accipitis, ſacro illi uſui precibus dedicata ſint, eadem præſentia ſibi habeant corpus & ſanguinem Chriſti. Fieri ne igitur poteſt, ut dæmon victimis illis junctus & Chriſti ſanctum corpus & ſanguis ſub pane & vino in eodem ore habitet & inveniatur?* Hæc *Olearii*, quæ ἀνώνυμος amplius ornavit, cogitata ut ſe Rev. *Chriſtoph. Matthæo Pfaffio* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ & Moralis pag. 746. probarunt, ita maximopere diſplicuerunt Cl. *Elsnero* p. 108. ſqq. *Fateor*, inquit, *me non ſatis admirari poſſe tantam imprudentiam; nam in ea ſi opinione fuerunt Pagani, an fœdius quicquam cogitari queat, quam inquinatiſſimos homines Dæmones devoraſſe cruentis faucibus; an id comparari cum ſanctiſſima doctrina, atque hinc illuſtrari modus communionis cum Chriſto in S. Cœna debebat ab Apoſtolo!* Hinc ſequentia eo refert Vir doctus, ut oſtendat, Gentiles ab ejusmodi dæmonum præſentia, hujusque opinionis turpitudine abhorruiſſe. Argumentum hoc a præſenti noſtro inſtituto alienius eſt, quam ut in eo amplius verſari poſſimus. Legat, qui volet, quæ Anonymus in Tomo IX. Supplementorum Actorum Lipſienſium Latinorum pag. 391. ad explicandam & illuſtrandam Olearii ſententiam attulit. Interim nollem, *fidei ſimplicitate* luſiſſet Vir doctus, aut *imprudentiæ* vocem excidere ſibi paſſus fuiſſet. Capernaiticum illum dæmonum eſum ὁ μακαρίτης Gentilibus tanquam ex ipſorum ſententia non magis tribuit, quam ejusmodi manducationem ſanctiſſimi corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna, nobis a nonnullis cœtus Reformati doctoribus præter rem exprobratam, vel *Olearius* vel quiſquam noſtratium adſeruit.

Verſ. 21. Οὐ δύνασθε ποτήριον Κυρίου πίνειν, καὶ ποτήριον δαιμονίων) Comma hoc illuſtratur ex noſtratibus ab Auctore Obſervationum Miſcellan. Tom. I. p. 765. *Alethæo* Tom. V. der Erläuterung p. 438. ſqq. Cl. *Jo. Henr. Majo* Obſervatt. Sacrarum Tomo III. p. 38. ſqq. *Jo. Nic. Miſlero* in diſp. de calice & menſa Domini & dæmoniorum, Gieſſ. 1678. & *Jo. Matth. Hammerico* in diſſ. de menſa & poculo dæmoniorum, *Hafn.* 1700.

Οὐ δύνασθε) *non decet, non fas eſt.* Ita ſupra III. 11. θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι. Confer Patrum expoſitionem apud *Suicerum* Tomo I. pag. 964. &, quæ de hoc verbi ſignificatu allata ſunt Vol. I. pag. 166. 438. 821. & 844.

Ποτήριον Κυρίου) Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 813.

Ποτήριον δαιμονίων) Per hoc Paulum Cl. *Majus* l. c. alludere exiſtimat ad poculum ἀγαθοῦ δαίμονος, quod mero plenum in conviviorum ſive fine, ſive exordio, in Bacchi gratiam circumferebatur, cujus *participes reddebantur* convivæ omnes, pauxillum ex eo bibentes. De hoc poculo veterum loca non

 minus

minus idem recitat, quam *Ludolphus Kuſterus* ad Suidam Tomo I. p. 17. Alii inferri cenſent veterum Gentilium morem, diis certis, v.c. Jovi Olympio, Jovi Servatori &c. pocula ſingula libandi. Vide *Saubertum* de Sacrificiis p. 611. & 613. Cl. *Chriſtianus Gottlieb Schwarzius*, Altorfinæ Academiæ decus, ad eum morem reſpici vult, quo, qui ſacris matris Deûm initiabantur, ex tympanis, diſci formam referentibus, comedere, & ex cymbalis bibere ſolebant. Lege eum in Miſcellaneis politioris literaturæ Diatriba I. p. 117.

τραπέζης Κυρίȣ μετέχειν) Hic Pauli locus procul dubio effecit, ut a veteribus Eccleſiæ Doctoribus S. Cœna *Domini menſa*, vel *menſa* ſimpliciter appellaretur. Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 1428. & Tom. II. p. 1280. item in Obſervatt. Sacris p. 114. ſqq.

Verſ. 22. Ἢ παραζηλȣ̃μεν τὸν Κύριον;) i. e. *num ad iram provocabimus Dominum?* Ita Interpretes adhuc omnes acceperunt communi ipſius verbi ſignificatu adducti. Reſpondet enim Hebraico קנא vel הקניא quod *οἱ* LXX. nunc per παρεξύνειν, nunc per παροργίζειν, nunc per παραζηλȣ̃ν reddiderunt, ex quibus verba duo priora incitationem ad iram omnino inferunt. At nuper Cl. *Oederus* in Syntagmate Obſervatt. Sacrarum p. 610. in omnia alia abiit, ita ſcilicet interpretatus: *aut num æmulabimur ſeu imitabimur Dominum*, eo ſenſu, *num Chriſti exemplo tueri audaciam veſtram audebitis? Illum enim pranſum quidem cum peccatoribus, cumque Samaritana & Syrophœniſſa collocutum ſcimus, ad idolorum autem fana cucurriſſe minime conſtat.* In ſententiæ ſuæ ſocietatem Vir doctus trahit *Vulgatum*, vertentem: *an æmulamur Dominum*, ejusque *eandem, quæ ſibi ſit, mentem fuiſſe videri* exiſtimat, p. 611. At ita non acceperunt Vulgatum Interpretes Montenſes Galli ita interpretati: *eſt ce que nous voulons irriter Dieu:* num irritabimus Deum: quod non improbat *Rich. Simon* in Hiſt. Critica N. T. de commentatoribus p. 925. niſi quod inſertam verſioni gloſſam: *& comme le piquer de jalouſie*, ad notas relatam cupiat. Nec negari poteſt, Interpretes illos & Pauli & Vulgati mentem recte expreſſiſſe. Idololatria enim alias, quod recte B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. monet, comparatur cum fornicatione, ſicut communio veræ religionis adverſus Deum, cum legitimo matrimonio. Apoſtolica itaque hac phraſi illi, qui idolothytis tam cupide & licenter veſcantur, Deum dicuntur ad zelum, cumque eo conjunctam indignationem, provocare tanquam בעל נעוריהם *Joel.* I. 8.

Nec felicior in eo eſt Cl. *Oederus*, quando τȣ̀ς LXX., quos alias hoc verbo provocationem ad zelum ſive iram exprimere non negat, eidem imitandi quoque notionem ſubjeciſſe contendit. Hoc conſilio p. 627. provocat ad *Pſalm.* XXXVII. 1. ubi legitur: μὴ παραζήλȣ ἐν τοῖς πονηρευομένοις, quæ quidem ita converti vult: *ne imiteris ſive æmuleris, cum inter malignos verſaris.* In Hebræo eſt אל תתחר במרעים. Iſta autem verſio latina tum verbo Hebræo, tum ſtructuræ hic obviæ prorſus non reſpondet. Non verbo חרה, quod ſemper, ſi non *iram*, certe ingentem animi *motum* ad iram tendentem in-

inſert. Id in hoc loco apparet ex addita phraſi: אל תתחר במרעים *ne indigneris facientibus iniquitatem.* Nec reſpondet ſtructuræ במרעים. Nam τὸ ב hic non inſert objectum, *cum* quo verſeris, ſed *in* quod aliquid agas. Id patet ex *Pſalm.* LXXIV. 3. בחרות אפם בנו i. e. *cum efferveſceret ira eorum in* ſive adverſus *nos.* Confer *Jeſ.* XLI. 11. Hanc verbi חרה notionem reliqui Interpretes Græci h. l. expreſſam recte dederunt. *Symmachus* enim vertit: *μὴ φιλονείκει κακούργοις. Theodotion: μὴ παρεριθίζου. Aquila: μὴ διαμάχου.* Nec ullum ego adhuc in τοῖς LXX. locum inveni, ubi *τὸ παραζηλοῦν imitandi* notione commode indui poſſit, de qua nec h. l. vel per additam alteram phraſin Hebraicam תקנא cogitare potuerunt. Ad *Guſſetium* p. 285. fruſtra provocat Vir doctus. Quamvis enim per חרה *iram* inferri neget, (quod jam examini non ſubjiciemus) *per ſe tamen* ait *ſignificare acrem quandam perturbationem eamque moleſtam*, & talem animi habitum, *quo quis vehementer commovetur & æſtuat ob mala externa, quæ regnare videt.* Quæ quidem omnia quantopere ab imitandi ſtudio ſint ſejuncta, nemo non intelligit. Eidem ſcenæ non inſervit locus Paulinus *Rom.* XI. 14. *εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα*, *num forte ad æmulationem* ſeu imitandi ſtudium, ut vertit Vir doctus, *provocare poſſim carnem meam.* Ipſa illa *παραζήλωσις indignationem* ſecum fert, qua permoti Judæi, cum Gentiles divinæ gratiæ participes fieri viderent, ad exprimendam illorum fidem perduci poterant. Hinc illa *παραζήλωσις* inſtar pœnæ futuræ Judæorum pertinaciæ & incredulitati denunciatur *Deuteron.* XXXII. 21. *κἀγὼ παραζηλώσω αὐτοὺς ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ αὐτούς.* Ponamus autem *τὸ παραζηλοῦν* in loco illo Paulino & alias *excitationem ad imitandi ſtudium* ſimpliciter inferre, num ideo idem eſſe poterit, quod *imitari*, quod Vir doctus hic ingerit. Sane *τὸ παραζηλοῦν τὸν Κύριον*, his poſitis, nihil aliud fuerit, quam *Dominum ad imitationem accendere.* Hoc vero nec ipſe, nec quisquam alius, unquam admiſerit. Itaque omnino in communi illa interpretatione acquieſcendum eſt. Paulus in eo eſt, ut ab idololatrias & uſu & ſpecie revocet Corinthios, vel ideo, quod alioquin Dominum ad zelum & iram ſint provocaturi. Hoc ſcilicet fecerant majores Judæorum deaſtrorum cultu. Teſtis eſt Deus, *Deut.* XXXII. 21. *Αὐτοὶ παρεζήλωσάν με ἐπ' οὐ θεῷ, παρώξυνάν με ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν.*

Quas difficultates huic interpretationi Cl. *Oederus* movit, eæ videntur potius, quam ſunt, quibus proinde diſpellendis immorari multum non libet. Prima & forte potior ea eſt, quod ſic Corinthiis *immanis malitia* tribuatur. *Qui enim*, inquit p. 613. *ſtudio provocare Dei iram audet, nec clam amplius & apud animum, ſed perfricta fronte manuque elata & aperto Marte cum ſummo Deo pugnam ingreditur, & tanta quidem ſtultitia, ut ſe æque potentem ac Deum exiſtimet; illi ſane ad extremum malitiæ, quin & inſaniæ faſtigium nihil amplius deeſt. Hoc autem profligatiſſimæ malitiæ genus Corinthiis, quorum cœtus ſatis quidem corruptus fuit, an tribuere fas ſit, ſubdubito.* Imo & ipſe dubito. Sed nec video, Paulum Corinthiis hoc ſceleris genus exprobrare. Cum illis enim Apo-

Apoſtolo res eſt, qui non ſatis intelligebant, quanti mali reum ſe faciat, qui ſciens volensque de victimis, deaſtris oblatis, comederit. Ideo paulo ante facti illius ſequelas exponit, & in ſequentibus totum hoc argumentum diſertius explicat. In hoc vero commate cavere ſibi Corinthiorum quemque jubet, ne, ſi vel hæc edoctus aliter agat, Domini iram & vindictam in ſe derivet. Hinc non conſequitur, vel Corinthios hactenus *perfricta fronte manuque elata* in Deum pugnaſſe, vel Paulum hoc ſceleris genus ipſis improperare. Altera difficultas, quam Vir doctus movet, petita eſt ex verbis ſequentibus:

Μὴ ἰσχυρότεροι αὐτȣ̃ ἐσμέν;) Hæc interpretes communiter ita reddunt: *num robuſtiores ipſo ſumus? eo ſcilicet ſenſu, ut pœnas evadere poſſimus, quas iratus Deus nobis velit infligere.* Ita phraſin accepit *Grotius*, aliique, quos inſpicere libuit. Contra ea Vir doctus pag. 626. ita: *an forte nos confirmatiores ipſo Chriſto ſumus? nempe in pietate & ſanctitate.* Interpretationis hanc reddit cauſam pag. 625. *ἰσχυρὸς non ſignificat proprie eum, qui ut alteri* bellum inferre, *ſive* nocere *poſſit, in viribus habet; ſed,* qui firmis ipſe talis innititur, *non temere ab aliis proſternendus, adeoque non ad offendendum alios, ſed ad ſe defendendum* robuſtus *eſt.* Δυνατὸς *uſitatiſſime appellatur, qui iis inſtructus eſt viribus, ut alii, quod ab ipſo ſibi timerent, habeant.* Ponamus, proprium hunc eſſe vocis ἰσχυρὸς ſignificatum, eundemque hic locum obtinere, vel ſic recepta interpretatio ſe tuebitur. Talis enim homo repræſentatur, qui ut Deum ad iram provocavit, ita pœnis ejus expoſitus eſt, quas qui ſe vel avertere, vel ſuſtinere poſſe crediderit, is ſcilicet ſe ἰσχυρότερον Θεȣ̃ vanus ipſe exiſtimaverit. Cum rerum Jobi ea eſſet conditio, imbecillitatem ſuam candide profitebatur, negans in ſe eſſe ἰσχὺν i. e. *robur* ad ſuſtinendum, vel reſiſtendum, cap. VI. 11. τίς γάρ μȣ ἡ ἰσχὺς, ὅτι ὑπομένω; τίς μȣ ὁ χρόνος, ὅτι ἀντέχεταί μȣ ἡ ψυχή; At obvertet Vir doctus, ſermonem hic omnino eſſe de viribus & fortitudine, qua quis in Deum oppugnandum nitatur. Largiar id tantiſper. Sed en tibi locum τῶν LXX. qui ejusmodi nocendi & lædendi vires voce ἰσχυρὸς expreſſerunt. *Jeſaias* vates cap. XXVII. 1. ita: ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐπάξει ὁ Θεὸς τὴν μάχαιραν τὴν ἁγίαν, καὶ τὴν μεγάλην, καὶ τὴν ἰσχυρὰν ἐπὶ τὸν δράκοντα, ὄφιν φεύγοντα, ἐπὶ τὸν δράκοντα ὄφιν σκολιὸν· ἀνελεῖ τὸν δράκοντα. Vides hic gladium dici ἰσχυρὸν, quo Deus percuſſurus erat hoſtes, non vero ad propellendas eorum injurias uſurus. Nonne eodem ſenſu ἄνεμος ἰσχυρὸς vocatur *Matth.* XIV. 30. qui in alium ita fertur, ut conſiſtere non poſſit? Nonne Chriſtus ſe vocat ἰσχυρότερον, quando ſe ait ἐπελθόντα (τῷ ἰσχυρῷ) νικῆσαι αὐτὸν, τὴν πανοπλίαν αὐτȣ̃ αἴρειν, καὶ τὰ σκῦλα αὐτȣ̃ διαδιδόναι. *Luc.* XI. 22. At prudens mihi tempero a pluribus ejusmodi locis recitandis. Habere enim ſibi videtur Vir doctus, quo omnem eorum vim eludat. *Nolim equidem mihi exempla opponi*, inquit pag. 626. *ubi ipſa vox ἰσχυρὸς eas vires, quibus aliquis alterum aggreditur, deſignat. Nec enim talia neſcio. In eam vero ſignificationem verborum tyrannus uſus vocem ideo inflexit, quod ii, qui robur internum membraque confirmata ſentiunt, raro a laceſſendis aliis abſtineant.* Crudelior hic mihi videtur

tur vel ſubtilior, qui de uſu tyranno loquatur, ubi res ipſa aliter agere prohibet. Quæ enim quæſo differentia eſt inter vires, quibus quis nunc ad *oppugnandum* alium, nunc ad ſe *tuendum* utitur? Nonne utrumque utplurimum conjunctum eſſe conſuevit? Obvertit Vir doctus morem loquendi Apoſtolicum, quando 1 *Corinth.* IV. 10. ἰσχυρὸν τῷ ἀσθενεῖ ita opponit, ut illi ſuæ interpretationi velificari videri poſſit. Num vero idem ſtatuet de 2 *Corinth.* X. 10. ubi Apoſtolus epiſtolas ſuas βαρείας & ἰσχυρὰς vocat, reſpectu præſentiæ corporis ἀσθενοῦς & λόγου ἐξουθενημένου? Num, quæſo, epiſtolæ hic *graves* & *validæ* dicuntur alio ſenſu, quam quod iis Paulus Corinthios acriter percelleret animosque frangeret? Ut cauſam tandem conficiamus, Cl. *Oederus* in toto hoc argumento conjecturis ſuis nimis indulget, quod & alias ipſi fraudi eſt. Præſtruit hic primum, Corinthios factum, a Paulo reprehenſum, excuſare conſueviſſe allato Chriſti exemplo, qui a peccantium ſocietate non abſtinuerit. Qui vero illud præſtiterit, aut liquidum fecerit unquam? In oratione certe Paulina nec minimum conjecturæ hujus veſtigium exſtat. Deinde ſignificatum verbi παραζηλοῦν conſuetum & perpetuum cum tali permutat, cujus nullum vel attulit vel afferre poteſt ex Scriptoribus exemplum. Ipſe enim per *imitari* convertit, quod alias ſemper infert *provocare ad zelum*, vel *ad imitationem*, cum zelo & indignatione conjunctam. Inhæret propriæ, quam ſibi fingit, vocis ſignificationi; ubi vero auctores linguæ ab ea recedunt, uſum tyrannum in ſui defenſionem advocat. Quid hoc eſt, niſi in linguam linguæque auctores jure quaſi quodam dominari?

Verſ. 23. Πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει) Eadem gnome Paulus ſupra VI. 12. utitur, ubi nos vide. Hic obſervemus, Cl. *Oederum* pag. 621. profiteri, vel hæc verba impellere ſe potuiſſe, ut a communi antecedentis commatis interpretatione diſcederet, nec ſe videre (pag. 620.) quomodo extricare ſententiam receptiorem queamus. Videamus, quæ ſint illæ tricæ. *Enimvero*, inquit, ad iram Deum provocare, bellumque indicere, *aut etiam* præferre rivalem ipſi oppoſitum; *nemo ſane dixerit* licere. At nec hoc dicit Paulus. Neque enim hæc ſententia ad comma 22. ἀμέσως præcedens, ſed ad totum argumentum, de quo hactenus expoſuerat Paulus, quodque amplius illuſtraturus erat, referenda eſt. Occurrere enim hic Apoſtolus mihi videtur objectioni, quam Corinthii ad palliandam illam victimarum gentilium manducationem formare vel ſolebant vel poterant, prætexentes libertatis Chriſtianæ, ad quam hoc quoque momentum pertineat, uſum. Hanc eſſe Pauli mentem, vel inde patet, quod v. 25. & ſequentibus oſtendit, quando victimis illis veſci liceat, nempe, ſi id ſine labe conſcientiæ & offenſione alterius fieri poſſit. Si hæc Viro docto minus placeant, placebit ipſi procul dubio, quod ad eandem hanc ſententiam cap. VI. 12. obviam ipſe attulit. *Nexum cum antecedentibus reperire, res difficillima viſa eſt omnibus, ſed ex hactenus dictis apparet, verborum & conſtructionis nexum non neceſſe eſſe quæri. Non eſt enim is ſermo patheticus, in quo verba ſolicite copulantur & junguntur.* Sermonem pathe-

Nnn ticum

ticum hic eſſe non negaverit. Itaque nexum hic non ſolicite quæret, niſi ſua ipſe vineta cædere velit. Mihi interim & ſenſus commatis 22. & nexus commatis 23. cum ſuperiori tractatione adeo apertus videtur, ut mirer, virum alioquin perſpicacem non vidiſſe.

Verſ. 24. Μηδεὶς τὸ ἑαυτȣ̃ ζητείτω) Vide ad *Rom.* XIII. 2.

Ἀλλὰ τὸ τȣ̃ ἑτέρȣ ἕκαςος) Vox ἕκαςος a paucis Codd. & verſione Vulg. abeſt. Itaque *Millio* ſcholion videtur in Prolegomenis. At Paulus eandem ſententiam recitans *Philipp.* II. 4. τὸ ἕκαςος repetita vice ponit. Cur, quæſo, hic nec ſemel poſuiſſe credetur? Imo, ſi abeſſet a textu, ſubintelligi debebat. Neque enim τὸ μηδεὶς, quod in priori orationis membro exſtat, ad poſterius: ἀλλὰ τὸ τȣ̃ ἑτέρȣ, repeti poteſt.

Verſ. 25. Πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ) Vox μάκελλον, ut origine Latina, barbara viſa eſt *Camerario*, recte renitente *Stolbergio* in Exercitationibus Græc. Lat. pag. 89. ſqq. & *Adamo Rechenbergio* in Exercitationibus in N. T. &c. p. 8. Uterque monent, vocem peregrinam, ſed civitate donatam, a barbariæ ſuſpicione immunem eſſe. *Stolbergio* etiam incerta & dubia Latina illa vocis origo merito videtur, cum Varro, ſibi alioquin hic non conſtans, lib. IV. pag. 174. de Lingua Lat. ita ſcribat: *Forum olitorium. Hoc erat antiquum macellum, ubi olerum copia. Ea loca etiam nunc Lacedæmonii vocant* μακελλῶτας. *Sed Jones oſtia hortorum & caſtelli* μακέλλȣς. Itaque a Græcis potius ad Romanos nomen hoc propagatum videtur, Lacedæmoniis Dorica dialecto utentibus, ex qua plurima ad Latinos vocabula manaſſe teſtis eſt *Euſtathius*, in Ὀδ. ά. Similiter *Salmaſius* a μάγειρος, Æolice μάγεῤῥος, *Lamb. Bos* vero in Exercitat. de Etymologia Græca p. 31. a μᾶκος *longitudo* macellum derivat. Fortaſſe de hoc argumento plura dixit *Jo. Sibranda* in Diſſertat. quam ad h. l. de *Macello* ab ipſo habitam eſſe didici ex Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VII. p. 955. in notis.

Πωλȣ́μενον) Gentilium Sacerdotes ex victimis partem pro ſuſtentandis ſe ſuisque accipere ſolebant. Carnem itaque, qua ipſi non utebantur, in macello vendi faciebant, ex quo fieri facile poterat, ut eam, rei ignari, ære ſibi ſuo in victum compararent. Vide huc *Herodoti* lib. II. pag. 117. & *Auguſtini* teſtimonia apud *Dilherrum* in Diſſertt. Academ. Tom. II. p. 277. item Rev. *Raphelium* p. 473. Annotatt. Herodotearum. Adde *Amelium* Tom. II. der Erörterung p. 842. De re ipſa hic tractata lege *Jac. Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. cap. XV. §. 14. & cap. XLIX. 22.

Μηδὲν ἀνακρίνοντες) Vide ſupra ad cap. II. 14. 15.

Verſ. 26. Τȣ̃ γὰρ Κυρίȣ ἡ γῆ, καὶ τὸ πλήρωμα ἀυτῆς) Reſpici ad *Pſalm.* XXIV. 1. in propatulo eſt. Quomodo vero hæc verba ad hoc argumentum pertineant, non æque patet. Interim oſtenſum id eſt diligenter a *Seb. Schmidio* in Appendice ad Pſalmos Propheticos, pag. 120. ſqq. & Cl. *Franc. Wokenio* in Harmonia V. & N. T. pag. 309. Quid ſibi phraſis, πλήρωμα τῆς γῆς, velit, ex Patrum mente ediſſerit *Suicerus* Tomo II. Theſauri pag. 754. Phraſin hanc Bibli-

Biblicam ex ſacris tabulis & Judæorum ſcriptis exponit *Adrian. Relandus* in Palæſtina p. 16.

Verſ. 27. Ἐι δέ τις καλεῖ ὑμᾶς) *Si quis vos vocet*, ſeu invitet, ad convivium ſcilicet ex victimis paratum, cui honoris cauſa adhiberi ſolebant amici. Ita Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis pag. 227. Sic in Memorabil. lib. 2. pag. 600. Crito Menedemum dicitur καλέσαι, ὁπότε ἐθύει, *invitaſſe*, (ad convivium) *quoties ſacra fecerit.* Crediderim ego, Apoſtolo hic ſermonem eſſe de convivio quocunque, ad quod a Gentili vocaretur Chriſtianus, ſine certo indicio, cibos, ex victimis paratos, appoſitum iri. Hoc enim ſi quis Chriſtianorum cognitum habuiſſet, abſtinere ab ejusmodi convivio debebat, vel ideo, quod alioquin offendere poterat infirmum fide, vel Gentiles etiam in ſuperſtitione ſua confirmare. Patet id ex v. 28. Ἐάν δέ τις ὑμῖν εἴπῃ. Verbum καλεῖν de invitatione ad convivium Græce dici, ſupra evici Vol. I. p. 682. & 802.

Verſ. 28. Τῦ γὰρ Κυρίυ ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς) Deſunt in variis Codd. MSS. & verſionibus nonnullis. Itaque rectius hæc omitti putat *Beza* apud Morinum Exercit. II. lib. I. pag. 42. & *Grotius*, tanquam male ex ſuperioribus repetita, nec diſſentire videtur *Clericus* in notis ad verſionem Gallicam N. T. *Colomeſius* in Obſſ. Sacris pag. 147. fere indignatur illis, qui, cum Interpretes omnes in eo conſentiant, verba hæc nihilominus in contextu reliquerint. Omiſit itaque penitus recens Novi Teſtamenti Græco-Anglicani editor. *Millius* non minus in has partes pendet, dubius tamen, *an non* forte *ex incuria omiſſa ſint verba ob vocem συνειδησιν, quæ proxime præcedat. Lockius* in Comm. ad h. l. itidem expungi vult, quia ſenſum illis turbari appareat. Contra tuetur ea *Whitbius* in Examine pag. 64. hac addita ratione: *Ita improvidi* (ſic legendum puto loco *providi*) *olim, & negligentes fuerint Chriſtiani, ſi S. Codices in omnibus Eccleſiis publice recitatos repoſitosque in Eccleſiis ab oſcitantibus librariis miſere depravari paſſi fuiſſent. Quod tamen plusquam centies factum eſſe contendit Millius.* Cave etiam, credas, ſenſum ita turbari. Hic enim ut v. 26. ita & præſenti commati probe ſibi conſtat. Ad prius illud, quo de victimis edere licere traditur, hæc loci eſt ſententia, quod cum omnia ſint Dei, tanquam conditoris, nihil eorum per ſe rejici debeat. Confer 1 *Timoth.* IV. 4. In hoc autem commate vi ejusdem loci manducatio illa prohibetur, quia in tanta rerum creatarum copia non defuturum ſit aliud cibi genus, quo veſci aliquis ſine periculo offendendi alterum poſſit. Hanc expoſitionem ceteris, a Cl. *Wokenio* l. c. allatis, potiorem judico, eandemque *Calovio* in Bibliis Illuſtr. placuiſſe video.

Verſ. 30. Ἐι δὲ ἐγὼ χάριτι μετέχω) *ſi cum gratiarum actione* cibis *fruor.* Ita rectiſſime B. *Lutherus*, *Joſ. Mede* in Operibus p. 171. & *Jo. Clericus* in verſione Gallica. χάρις enim paſſim *gratiarum actionem* infert, v. c. 1 *Cor.* XV. 57. Hinc χάριν εἰδέναι. Apoſtolus mentem ſuam explicat per ſequens ἐυχαριςῶ. Valeat igitur lectio: χάριτος μετέχω, quam *Antioch.* in homilia, & Latinos quosdam Patres ſecutos eſſe teſtatur *Millius.*

Verſ. 31. Ειτε ἐν ἐσθίετε, εἴτε πίνετε, εἴτε τι ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν Θεȣ̃ ποιεῖτε) Idem ſibi vult Epictetus apud *Arrianum* diſſert. lib. II. c. 19. ubi quosvis jubet eſſe εἰς τὸν Θεὸν ἀφορῶντας, ἐν παντὶ μικρῷ καὶ μεγάλῳ. Adde ſimilem M. *Antonini* ſententiam lib. III. §. 13. ibique notas *Gatakeri*. R. Joſes in *Pirke Aboth* c.II. 12. :כל מעשיך יהיו לשם שמים Vide *Lud. Cappellum* in Spicilegio ad h. l. & *Vitringam* in Archi-Synagogo p. 20.

εἴτε τι ποιεῖτε) Miror, *Amelium* τὸ ποιεῖν de uſu conjugii & procreandis liberis explicare potuiſſe in der Erörterung Tom. I. pag. 107. Non negaverim per εὐφημισμὸν id hac notione interdum ab externis Scriptoribus adhiberi, quam in rem legi vult *Novarini* Electa Sacra lib. VI. pag. 161. Ubi vero hoc uſu venit, περικείμενα ejusmodi adeſſe ſolent, ex quibus judicium formari poſſit. Talia vero hic non video, quemadmodum nec ullus in Novo Fœdere locus exſtat, qui ad hanc ſignificationem tuendam referri poſſit. Τὸ τι ad quodcunque aliud inſtitutum & opus pertinere, vel ſequens vox πάντα infert.

πάντα-ποιεῖτε) Vox πάντα in duobus tantum Codd. Græcis deeſt, & vel ſic ut ſcholion uberioris explicationis gratia inſertum inducit *Millius* in Prolegomenis p. 159. ed. Anglic. recte a *Whitbio* p. 64. Examinis deſertus. Vocem ſatis vindicat ſimilis Pauli locus *Coloſſ.* III. 17. καὶ πᾶν ὅ, τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι Κυρίȣ Ἰησȣ̃. Vides hic τὸ πᾶν ita urgeri, ut per πάντα iterum efficaciſſime repetatur. Quis igitur hic ne ſemel quidem poſitum dixerit?

Verſ. 32. Ἀπρόσκοποι γίνεσθε καὶ Ἰȣδαίοις &c.) ἀπρόσκοπον *Heſychius* per ἀσκανδάλιστον recte exponit. Patrum interpretationem affert *Suicerus* Tomo I. Theſauri p. 495. Ad rem ipſam ſpectat L. *Gotfrid. Chriſt. Boſii* diſſ. de ſcandalo pietatis & charitatis Chriſtianæ remora, Lipſ. 1668.

Verſ. 33. Καθὼς κἀγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω) *ſicut ego in omni re omnibus placere ſtudeo.* Τὸ πάντα hic ſubintelligi jubet κατὰ, quod recte monet Cl. *Thom. Hutchinſon* ad *Xenophontis* Cyropædiam lib. VIII. pag. 587 allatis aliis hujus ellipſeos exemplis, qualia & ipſe produxi Volumine I. p. 571.

μὴ ζητῶν τὸ ἐμαυτȣ̃ συμφέρον, ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν) Sic *Cicero* lib. I. de Officiis. *Ergo unum debet eſſe omnibus propoſitum, ut eadem ſit utilitas uniuscujusque, & univerſorum, quam ſi ad ſe quisque rapiat, diſſolvetur omnis humana conſociatio.*

CAP. XI.

Commata ſedecim priora hujus capitis illuſtrat *Jo. Creyghton* in Prolegomenis ad commentarium *Sal. van Till* belgicum in hanc epiſtolam, p. 257-318. & ſtrictim *Salmaſius* in epiſtola ſeu potius commentario de cæſarie virorum & mulierum coma p. 645. ſqq.

Verſ.

Verſ. 1. *Μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ*) Comma hoc male a præcedenti capite avulſum eſſe, & ad illi colophonem imponendum omnino pertinere aſſeverat *Lockius* in commentario & *Jo. Creyghton* l. c. p. 255. ut alios nonnullos taceam. Ita quoque egit B. *Lutherus* noſter, ceu obſervatum eſt *Eraſmo Schmidio* ὁμοψήφῳ ad h. l. Nec id ſine veri ſpecie monetur. Vide tamen B. *Calovium* ad h. l.

Verſ. 2. ὅτι πάντα μου μέμνησθε) i. e. *κατὰ πάντα in omni negotio* ſeu cauſa: confer dicta ad v. 33. cap. X. Hoc malim, quam cum Cl. *Hombergio* p. 253. per *ſemper* vertere, qui idem recte deſerit *Bezam*, interpretantem: *quod omnia mea meminiſtis*. Quamvis enim *Accuſativus*, pro quo *Genitivum* hic ponendum fuiſſe putat *Hombergius*, non admodum obſtet, quod *Eraſmus Schmidius* recte monet, res tamen ipſa pro hac cauſa militat.

τὰς παραδόσεις κατέχετε) *παραδόσεις* hic ſignificant præcepta Apoſtoli ad *εὐταξίαν* pertinentia, quod recte docuit *Grotius*. Alias doctrinam, Scriptura S. comprehenſam, imo ipſam Scripturam Sacram denotat. Vide *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 576. Nec proinde habent eccleſiæ Romanæ doctores, cur hoc loco ad ſtabiliendas *traditiones* humanas, quas venditant, abutantur.

Verſ. 3. κεφαλὴ δὲ γυναικὸς ὁ ἀνήρ)) Oneirocritica *Achmetis* c. 127. ſimiliter: *κεφαλὴ τῆς γυναικὸς ὁ ἀνήρ*. Rationes hujus appellationis Patres partim ab origine feminarum, quam viris quippe potiſſimum acceptam ferant, partim a dominio, quod vir habeat in uxorem, repetunt. Lege *Suicerum* Tom. I. Theſauri pag. 96. qui & ibidem oſtendit, quo ſenſu Chriſtus *παντὸς ἀνδρὸς κεφαλὴ* dicatur.

κεφαλὴ δὲ Χριστοῦ ὁ Θεός) Lege *Suicerum* l. c. & *Petavium* Tom. V. Dogmatum Theologic. lib. VII. c. 6. §. 4. p. 343. ubi de Patribus agitur, qui ad originem humanæ Chriſti naturæ hic reſpici recte contendunt.

Verſ. 4. *κατὰ κεφαλῆς ἔχων*) ſubintellige *κάλυμμα, velamen*. Sic *οἱ* LXX. *Eſther*. VI. 12. *Ἀμὰν δὲ ὑπέστρεψεν εἰς τὰ ἴδια λυπούμενος, κατὰ κεφαλῆς*. *Plutarchus* Apopht. p. 200. plene: *κατὰ κεφαλῆς ἔχειν ἱμάτιον*. Vide *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 144. De more caput in ſacris vel operiendi vel aperiendi, apud diverſas gentes vario, lege hinc *Jo. Guil. Bergeri*, hinc *Chriſtoph. Heur. Zeibichii* diſſertationes Wittebergæ olim an. 1703. & 1704 habitas, *Doughtæum* in Analectis Sacris N. T. p. 115. *Theoph. Raynaudum* de pileo, ceteriſque capitis tegminibus tam ſacris quam profanis, & *Jo. Hagerup* in Cogitationibus Hiſtorico-Sacris in rem veſtiariam N. T. p. 6. ſqq.

καταισχύνει τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ) Aperto igitur capite Apoſtolus viros vult uti. Quo præcepto reſpexiſſe videtur ad Græcorum exemplum, quos nudo capite ſacra ſua peragere conſueviſſe conſtat. Ita certe arbitratur *Altingius* Tomo V. Operum in Heptade Diſſertationum p. -70. Accipe verba ejus: *Poſtquam Græcorum multi, deſerta idololatria, ad Chriſtianam fidem tranſiiſſent, videntur quoque ab illa conſuetudine aperiendi capitis deſciviſſe, ſive id Judæorum imitatione factum fuerit, ſive odio moris antiqui. Verum hoc pacto Græcorum*

aliis profanitatem & contemtum Numinis induiſſe credi poterant, quod omni teſtimonio reverentiæ in ſacris novis abſtinerent. Monet ergo Paulus, ut in precibus & prophetia gentile decus aperiendi capitis obſervarent, nec magis pudendæ religionis ſpeciem præberent extraneis, poſtquam Chriſtiani facti eſſent, quam olim præbuiſſent idololatriæ. In eandem ſententiam pronunciat Cl. *Jo. Godofr. Lakemacherus* Parte III. Obſerv. Sacrar. p. 209. ubi de ritu capitis in ſacris velandi a Romanis ad Judæos profecto differit, & utrique genti ex antiquitatis monumentis illum vindicat. Sic Rev. *Zeltnerus* in annotationibus ad Biblia Lutheri vernacula ad lintea, Judæorum oculos jam tum temporis, ut etiamnum, velantia, reſpici exiſtimat. Mihi quidem hæc erudite cogitata, ſed longius petita & a ſcopo Apoſtoli alieniora videntur. Paulus fundamentum admonitionis ſuæ in dominio maris in feminam collocat, quod ex v. 3. manifeſtum eſt. Jam vero apud Græcos dominii ſignum erat, capite nudo & non velato incedere. Hunc itaque morem a viris, a feminis autem contrarium habitum in ſubjectionis argumentum, etiam in ſacris teneri vult.

καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἀυτȣ̃) Caput hoc alii ad virum tantum, alii ad Chriſtum, qui caput viri eſt, v. 3. referri volunt. Mihi utrumque reſpici poſſe videtur, eo ſenſu, quod vir & ſe ipſum, adhibito ſcilicet ſubjectionis ſigno, & Chriſtum, qui dominii & prærogativæ auctor eſt, dedecore afficiat.

Verſ. 5. Πᾶσα δὲ γυνὴ προσευχομένη, ἢ προφητεύȣσα) Videtur hoc modo Paulus permittere feminæ, ut publice doceat, quod tamen infra XIV. 34. & 1 *Tim.* II. 12. fieri prohibet. Varias utrumque locum conciliandi ratinoes recitat *Pet. Molinæus* de Vate, lib. I. c. 8. p. 15. ipſe vero exiſtimat, hunc inter initia fuiſſe morem Eccleſiæ Corinthiacæ, ut tam viri, quam feminæ in Eccleſia & in propatulo loquerentur de rebus divinis, quem morem Apoſtolus hoc capite nec probet, nec diſerte damnet, ſed tantum velit, ut id ſaltem obnupta facie fiat; capite vero XIV. eundem reſumens ſermonem, eaſdem tacere deinceps jubeat, & cônſuetudinem hanc abroget. Non ſatis hæc fecerunt *Witſio*, ſed audacula viſa ſunt in Miſcellaneis I. 1. p. 8. cui potius τὸ προφητεύειν idem h. l. eſſe videtur, quod ſacro concentu, Spiritu aurigante, Deum celebrare, quod feminæ etiam licuerit, ſed ſervato decore atque integra verecundia. Enimvero, cum τὸ προφητεύειν v. 4. publicam in cœtu doctrinam, & Scripturæ Sacræ interpretationem inferat, ab hoc ſignificatu nec h. l. recedendum eſſe plerique exiſtimant, ſed ita potius ſtatuendum, quod Apoſtolus hic loquatur de ſingulari Spiritus S. impulſu in feminas ad docendum incumbente, qualem nonnunquam eveniſſe ex *Exod.* V. 20. & *Judic.* V. item *Act.* XXI. 9. conſtat. Hoc autem docendi munus feminis æque ac viris ordinario competere negat cap. XIV. Hanc ſententiam contra argumenta *Witſii* adſtruere conatur *Jo. Creyghton* in Prolegomenis ad *Salom. van Till* commentar. in hanc epiſtolam p. 260-269. Video commode, *Joſephum Mede* ante Witſium idem ſtatuiſſe in Operibus p. 59. quando prolatis aliorum ſententiis, affirmat, τὸ προφητεύειν idem eſſe, quod *Deum hymnis & canticis celebrare. Hymnorum* enim & *precum*

uſum

uſum præcipuam cultus publici partem ait fuiſſe, qui uterque hic æque conjungatur ac infra XIV. 15. & 19. quemadmodum & olim Prophetæ V. T. tria hæc præſtare conſueverint, ut vel futura prænunciarent, vel Divinæ voluntatis eſſent interpretes, vel hymnis ſe in laudem Dei effunderent. Eam in rem recitat 1 *Chron.* XXV. 1 - 3. & 2 *Chron.* XXIX. 30. item XXXV. 15. & 1 *Sam.* X. 5. 10. His in locis, ſpeciatimque in primo, pſallentes & laudantes Deum *prophetare* dicuntur. Urget idem in hanc ſententiam p. 58. quod non ſolum docere, ſed & in ſui informationem interrogare publice feminæ infra XIV. 34. vetentur, tanquam quod ſubjectioni earum adverſetur. Nil video obſtare, quo minus & ipſe in has partes concedam. Apoſtolus enim generatim diſſerit de habitu, viris æque ac feminis in ſacris publicis competente, non habito reſpectu ad actus quosdam ſpeciales, qualis omnino foret prophetia, ſi de interpretatione Scripturæ Sacræ, aut vaticiniis futurorum acciperetur. Hanc autem prophetiam omnibus viris in cœtu ſacro naſcentis Chriſtianiſmi competiiſſe nemo dixerit, qui meminerit, Paulum infra XII. 10. προφητείαν inter ſpecialia dona numerare. Viciſſim τὸ προσεύχεσθαι ſingulis & viris & feminis in cultu divino competere nemo negaverit. Cumque prius illud cum hoc conjungat Apoſtolus, neceſſe eſt, ut alterum æque ac alterum ita accipiamus, ut in feminas cadere promiſcue & omni tempore poſſit. Id itaque ſibi vult Apoſtolus, feminas cultui publico, qui precando & celebrando Deum potiſſimum abſolvatur, non niſi velato, viros autem non niſi aperto capite intereſſe oportere. Eandem ſententiam amplexus eſt Rev. *Guſtavus Georg. Zeltnerus* in Diſſert. de munimento capitis feminei p. 15.

Ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ) Eadem phraſi Plutarchum uſum eſſe de feminis *Grotius* obſervavit. Adde *Polybii* locum a Rev. *Raphelio* ex pag. 993. adductum. De velandis feminis compara *Jo. Conr. Dietericum* Tomo I. Antiquitatum Biblicar. N. T. p. 69. *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 697. & *Jo. Steph. Menochium* in Trattenimenti eruditi Parte II. pag. 129. ſqq. *Jo. Lockius* ad h. l. multis contendit, feminas Chriſtianas, quæ alias ſemper velatæ eſſe conſueverint, hoc ſibi ſumſiſſe, ut, cum extra ordinem a Spiritu impulſæ docerent, aut canerent, aperto capite id facerent: id vero fieri noluiſſe Apoſtolum, ne quid hac ratione de ſubjectione earum adverſus viros diminueretur. De hac ſententia quid ſtatuendum ſit ex iis, quæ modo diximus, conſtabit. Non magis probaverim *Medi* ſententiam l. c. p. 61. ſuſpicantis, Corinthiacas feminas, in ſacris precantes aut canentes, non velatas eſſe voluiſſe ad imitationem *Pythiarum*, *Baccharum* aut *Mænadum*, quæ in oracula effuſæ, aut ſacra facientes, conſpiciendas ſe ſingulis, paſſis capillis, præbuerint.

Καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς) i. e. & ſe, & maritum, cui ſe ſubjectam eſſe hoc habitu quaſi inficietur in proprium etiam dedecus. Vide ad v. 4. Feminis caput denudatum probroſum apud Græcos habitum fuiſſe teſtatur *Polybius* l. c. nec minus apud Judæos, quam in rem lege, quæ ad *Schickardum* de Jure Regio Hebræorum commentatus eſt *Carpzovius* p. 356.

Ἓν γάρ ἐστι καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ) Tonſuram & raſuram variis gentibus ignominiæ plenam olim judicatam fuiſſe oſtendunt, *Jac. Lydius* de re militari VI. 6. p. 237. ſq. *Franc. Hottomannus* in Franco-Gallia cap. IX. & *Jo. Faëſius* ad Gyraldum de Sepulturis p. 766. Opp. De modo tondendi comam Hebræis licito & illicito commentatur B. *Theodorus Daſſovius* diſſertat. ſingulari Witteb. 1695. Adde auctores a Cl. *Fabricio* noſtro in Bibliographia Antiquaria pag. 550. edit. prioris allatos. Ex Græcorum moribus mulieri dedecori fuiſſe *tonderi*, oſtendit ſpeciatim Cl. *Elsnerus* p. 113.

Verſ. 6. Τὸ κείρασθαι, ἢ ξυρᾶσθαι) Prius proprie *tonderi*, poſterius *radi* ſignificat. Τὸ καρῆναι καὶ ἐκάρη, Attice de tonſura ignominioſa, τὸ κείρασθαι vero de non ignominioſa dici tradit *Thomas Magiſter* p. 99. Promiſcüe tamen utraque verbi forma Auctores, taxante quamvis *Luciano* in Solœciſta p. 744., uti monuit *Lamb. Bos* in Notis ad Thomam p. 22.

Verſ. 7. Εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων) Quo ſenſu vir imago & gloria Dei vocetur, diſquirit ex Patribus *Dionyſ. Petavius* Tom. III. Dogmatum Theologic. de Opificio ſex dierum lib. II. cap. III. §. 2. & cap. IV. §. 12. & *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 1025. ex noſtratibus autem *Seb. Schmidius* de Imagine Dei cap. II. toto p. 208. ſq. & 348.

Γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ἐστι) Uxor mariti δόξα vocatur ideo, quod *imaginem figuram* & *ſimilitudinem* ejus ſiſtat. Ita οἱ LXX. תמונה i. e. *imago* per δόξαν convertunt, *Num.* XII. 8. & *Phavorinus* δόξα, per εἰκασμόν. Sic jam olim *Grotius* accepit, quem ſequuntur ex noſtratibus *Jo. Saubertus* in Opp. poſthumis pag. 126. *Amelius* Tom. II. p. 868. & *G. G. Zeltnerus* de munimento capitis feminei p. 14. ex ceteris *Knatchbullus* & *Hombergius* pag. 253. Videtur tamen proprius & communior *gloriæ* ſignificatus retineri poſſe, quam in rem lege Interpretes noſtrates ad h. l.

Verſ. 8. Οὐ γάρ ἐστιν ἀνὴρ ἐκ γυναικὸς, ἀλλὰ γυνὴ ἐξ ἀνδρὸς) Inſpice *Guil. Saldeni* Otia Theologica p. 228.

Verſ. 10. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους (Integrum hoc comma non unam crucem fixit interpretibus, adeo, ut nonnulli eorum ab illo explicando abſtinere ſe maluerint. Ita *Jo. Lockius* in commentario, ſe illud intelligendo non aſſequi, candide fatetur. Viciſſim alii tanto majorem operam illi impenderunt. Ex noſtratibus huc ſpectant diſſertationes ſingulares *Adami Rechenbergii* Lipſ. 1697. edita, & in Exercitatt. ejus in N. T. recuſa pag. 69. ſqq. *Jo. Eliæ Reichardti* de velamine veterum Jenæ 1694. *Jo. Frid. Mayeri* in Ecloga in Feſtum Michaëlis, Witteb. 1684. *Chriſtoph. Aug. Heumanni* Jenæ primum 1709. habita, & Tomo III. Pœciles lib. I. pag. 123. inſerta & *Guſtavi Georg. Zeltneri* de munimento capitis feminei adverſus angelos, Altorf. 1715. quibus junge Programma Wittebergenſe ſub nomine *Godofr. Strauſſii* 1685. publicatum. Præter has diſputationes inſpiciendæ ſunt ſingulares nonnullorum obſervationes hinc inde obviæ, quales ſunt ex noſtratibus *Wolfg. Franzii* de Interpretatione Scripturæ pag. 567. *J. C. Wagenſeil.* ad Sota

p. 44.

p. 44. & 1157. Rev. *Salom. Deylingii* Parte I. Obſſ. Sacrar. n. 66. ed. II. *Jo. Henr. Urſini* in Analectis Tom. I. p. 374. & Tom. II. p. 337. Auctoris Anonymi Obſervationum Miſcellanearum Parte XVII. 337. & 1033. *Theophili Alethæi* in der Erläuterung Tom. II. p. 267. Rev. *Chriſtiani Feuſtelii* in Miſcell. Sacris & Eruditis p. 241. ſqq. *Henr. Bened. Starckii* in Notis Selectis ſuper loca N. T. p. 125. *Jo. Henr. Maji* in Obſervatt. Sacris Tom. I. p. 34. *Wolfburgii* in Obſerv. Sacris p. 207. ſq. *Franc. Wokenii* in Meditationibus Privatis Tom. II. p. 115. ſq. & Anonymi Auctoris in Obſſ. Hallenſibus Tom. VI. p. 100. ſq.

Ex Reformatis & Anglis lucem huic commati accendere inſtituerunt *Jac. Godofredus* tum alibi, tum in diſſertatione ſingulari de velandis mulieribus, deque exuvia capitis, quam *Genevæ* 1654. 4. ad aſſerendam ſuam a *Salmaſii* exceptionibus in egregia epiſtola, vel libro potius *de cæſarie virorum & mulierum coma* prolatis, ſententiam edidit. Illius ſummam habes in Cl. *Pet. Zornii* Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 158. ſq. propriis ejus obſervationibus auctam. Præter *Godofredum*, ejusque adverſarium *Salmaſium*, conſultum fuerit inſpicere *Paulum Colomeſium* in Obſſ. Sacr. p. 21. & in Κειμηλίοις Literar. c. 35. *Alex. Morum* p. 128. *Anton. Borremanſium* de Poëtis & Prophetis p. 123. ſq. *Car. le Cene* in Projet p. 752. *Guil. Saldenum* in Otiis Theolog. pag. 85. *Jo. Seldenum* in Uxore Hebræa p. 545. *Joſ. Mede* in Opp. p. 345. ſq. *Jo. Gregorium* in Obſervatt. Sacris cap. XXV. *Georg. Brigthium* in præfat. ad Tom. I. Opp. Lightfooti lit. D. 1. a. & D. 3. b. *Knatchbullum* in Animadverſ. *Doughtæum* in Analectis N. T. *Jo. Braunium* in Selectis Sacris p. 62. ſqq. *Hombergium* in Parergis pag. 253. ſq. *Jac. Elsnerum* pag. 114. ſq. *Jo. d'Outrein* tum in commentario ad Parabolam de filio prodigo §. 336. tum in Obſervatt. Miſcellaneis p. 199. & ſpeciatim in Obſervat. ſingulari, Bibliothecæ Bremenſis Vol. II. pag. 51-100. inſerta, cui ibidem alia *Gerh. Crœſii* de eodem argumento pag. 101. cum *d'Outreinii* epicriſi p. 107. ad latus collocatur.

Ex *Arminianis* huc ſpectat *Episcopius* in Reſponſ. ad LXIV. Quæſtiones Quæſt. 44.

Ex Pontificiis denique *Anſelmus Solerius* i. e. *Theophilus Raynaudus* de pileo ceterisque capitis tegminibus, (qui liber tum alias, tum in Antiquitatum Romanarum Theſauro Tom. VI. recuſus exſtat) Sect. V. item *Nic. Abramus* in Pharo V. T. p. 519.

Nos potiores Interpretum ſententias perſequemur, noſtram denique ſubjuncturi.

Διὰ τȣ̃το ὀφείλει) Verbum ὀφείλει per *decet* nonnulli interpretantur, cum hic de *decoro* tantum ſermo ſit, non autem honeſto, atque adeo ſimpliciter & perpetuo obſervando. Inter hos eſt Cl. *Wolle* in diſſ. de Uſu & abuſu Synagogæ Veteris in interpretatione N. T. Regula II. quæ præmiſſa eſt repetitæ editioni libri de Synagoga vetere *Campegii Vitringæ*. Alii convenientius per *oportet* convertunt, reſpectu ſcilicet dominii, viro a Deo ipſo in uxorem conceſſi, quod etiam mulierum natura teſtatum faciat, ipſæque proinde habitu ſuo & veſtitu

Ooo ſigni-

ſignificare debeant. Confer *Creyghtonum* in Prolegom. ad comment. *Sal. van Till* in hanc epiſtolam pag. 299. Hoc ipſo interim non negatur, indicium & ſignum hujus ſubjectionis ex conſuetudine, in diverſis gentibus & regionibus recepta, pendere, & pro diverſitate ejus variam eſſe poſſe. Sic facile intelligitur, quomodo controverſia de coma & capillis, inter viros eruditos ſuperioris Sæculi diſceptata, definiri debeat. Nec opus eſt, ut in illa enarranda h. l. occupemur, præcipue cum *Matth. Polum* hac opera ex parte perfunctum eſſe conſtet.

Ἐξουσίαν ἔχειν) *Jac. Godofredus* tum alibi, tum in laudata modo diſſertatione ἐξουσία legi vult, vocem Latinam i. e. *exuviam* quæ *velamen* denotet. Eam vero conjecturam rectiſſime improbavit *Salmaſius* in libro laudato p. 694. *Primum*, inquit, *tota antiquitas, etiam ultima, vulgarem lectionem tuetur. Omnes Patres, omnes Interpretes, Syri, Arabes, Ægyptii, Latini eam agnoſcunt. Non de nihilo eſt tantus, & tam inveteratus conſenſus. Deinde vox exuvia Latina non eſt, cum exuviæ tantum dicantur numero multitudinis. Hæc numeri tamen enallage parvi eſſet facienda, ſi alia faverent. Quis legit exuvias pro velamine, vel pro veſte, niſi etiam adjungatur, cujus ſint exuviæ? Non enim exuviæ ſunt, quas quis induit. Quæ alii ereptæ fuere, quibus ſpoliatus & exutus fuit, ea proprie exuviæ ſunt.* Ab eadem ſententia alienos ſe profeſſi ſunt, quos quidem in hac cauſa legi, omnes. Lege ſpeciatim ex noſtratibus *Rechenbergium* pag. 71. & p. 101. differt. citatæ, *Wagenſeilium* ad Tract. Talmudicum *Sota* p. 44. *C. M. Pfaffium* de Variant. Lectionibus N. T. p. 241. ex ceteris vero *Claud. Sarravium* in epiſtolis p. 75. & *Doughtæum* in Analectis N. T. Rectius, quanquam ad ſcopum non accommodatius, egit *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 128. quando ἐξουσία in nominandi caſu per appoſitionem, *ſi quid audendum*, vel *fas eſſet*, legi poſſe cenſuit, eo ſenſu, ut uxor ἐξουσία i. e. *gloria viri* dicatur, ſicut *Achmetes* Oneirocritic. 123. dixerit: ἡ γυνὴ τοῦ ἀνδρὸς δύναμις καὶ ἐξουσία ἐστί. Recte, inquam, hic egit Morus, dum ipſe, conjecturæ ſuæ diffiſus, lectori omnia alia cogitandi libertatem fecit. Nullum habet codicem ſibi adſtipulantem, ipſa quoque vocis ἐξουσία notio adeo inſolens eſt, ut nec adducto *Achmetis* loco ſatis confirmetur.

Qui communem lectionem recte tuentur, in varias ſcinduntur partes, ratione ſignificatus. Alii *poteſtatem* hic ſignificari volunt, eo ſenſu, quem B. *Henr. Benedictus Starckius* in Notis Selectis ad loca N. T. p. 127. ita expreſſit: *Propter hoc debet mulier poteſtatem habere*, ἔχειν (i. e. κατέχειν, φυλάττειν, tenere, æſtimare vel agnoſcere) *in capite* (ſeu quæ eſt ſupra illo capite, nempe viro) *propter ipſos angelos*, qui pariter in ſuis ordinibus ſunt creati, iique ut ἐξουσίαι καὶ δυνάμεις Chriſto ſubjecti ſunt, 1 *Pet.* III. 22. coll. *Coloſſ.* I. 16. gaudentes, ſi omnia in Eccleſia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fiant, infra c. XIV. 40. Germanice: Darum ſoll das Weib die Macht erhalten, und bewahren, an dem Haupte) (ihrem Manne) auch wegen der Engel (die obgleich weit höhere und vollkommenere Creaturen, dennoch ihre Ordnung unter ſich haben, und halten.) Idem ante eum pla-

placuit *Borremanſio* de Poëtis & Prophetis pag. 125. *Heinſio* in Exercitt. ad h. l. *Carolo le Cene* in Projet p. 753. *Jo. Creyghtono* in Prolegomenis citatis p. 288. *Knatchbullo* ad h. l. *Hombergio* in Parergis pag. 253. ſqq. & ex noſtratibus Rev. *Sal. Deylingio* in Obſſ. Sacris Parte I. edit. II. Obſ. LXVI. itemque celeb. *Jo. Henr. a Seelen* in Meditatt. Exegeticis p. 653. Nec diſcedit hinc Cl. *Jo. Henr. Majus* in Obſervatt. Sacris Parte I. p. 44. edit. II. niſi quod *poteſtatem viri* eam intelligit, quam femina *ſupra caput ſuum* i.e. ſuper ſe habere & agnoſcere debeat. Parum ab his abeſt *Pagenſtecherus*, JCtus quondam Groninganus, quando τὴν ἐξουσίαν per *tutelam mariti*, ab uxore agnoſcendam, interpretatur in Diſſertat. quadam earum, quas de uſu Juris Romani in rebus Theologicis & Philolog. inſcripſit. In hanc ſententiam *Salmaſius* l. c. p. 695. ita animadvertit: *An aliquis poteſtatem habere dici debeat, quæ penes alium ſit, neſcio, alii judicent, ſi ſciunt.* Plura vero contra eandem monuerunt *Zeltnerus* l. c. pag. 4. & *Wolfburgius* in Obſſ. Sacris p. 211.

Placent, quæ in hac interpretatione nuper notavit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 473. Poſtquam enim monuiſſet, τὸ ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς idem hic eſſe, quod v. 4. κατὰ κεφαλῆς ἔχειν, & varia Herodoti loca attuliſſet, in quibus eadem phraſis ἔχειν ἐπὶ κεφαλῇ pro *in capite habere*, occurrat; *Knatchbullum* τὸ ἔχειν per *æſtimare*, vel *cognoſcere* interpretantem ita reprimit p. 474. *Verum non ſpectandum eſt, quid ἔχειν per ſe ſignificare poſſit, ſed quo ſenſu Græci dicant ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Et annon univerſa diſputatio Pauli eo tendit, mulierem capite velato eſſe oportere?*

Ad priores illos etiam ex parte accedit poſt *Lightfootum*, *Braunius* in Selectis Sacris p. 62. qui virgini *poteſtatem* hic *in caput ſuum* tribui eam exiſtimat, quod caput denudare poſſit coram *legatis* ſponſi ſui. Hæc vero interpretatio ut ſingularem nec facile admittendam ſignificationem vocis ἄγγελοι præſtruit, ita cum ſcopo Apoſtoli ſtare non poteſt, quod recte obſervavit *Jo. d'Outrein* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. II. p. 77. Alia *Braunio* obvertit Cl. *Wolle* in diſſ. citata Reg. II. Per *poteſtatem* ſeu *libertatem* verti quoque vult *Alethæus* Tom. II. p. 271. nempe *aliquid ſuper capite habendi*, ſicut *Pet. d'Apples*, Profeſſor L. Gr. Lauſannenſis *jus comam nutriendi* intelligi poſſe cenſuit, teſte *Hombergio* p. 257.

Alii per *ornamenti muliebris* genus explicant τὴν ἐξουσίαν. Id facit *Colomeſius* Obſſ. Sacr. p. 21. *Arculphi* loco adductus, qui inter *ornamenta muliebria imperium ex auro & gemmis* numerat. Sententiam hanc illuſtrat B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus ad h. l. MSS. *Calliſtratus*, inquit, *ἀττικώτατος Scriptor, qui circa Euripidis tempora vixit, in ſtatua, quæ eſt Narciſſi, phraſin habet, ἐξουσίαν τριχώματος, i. e. amplum & denſum capillitium, quod caput tegat, ſicut Apoſtolus v. 15. comam fœminæ vult inſervire ἀντὶ περιβολαίου. Hic vero ἐξουσία etiam integumentum validum notat, quod ſit ſymbolum poteſtatis, cui fœmina ſit obnoxia.* Ihr ſtarckes Haar, und eine beſondere Decke. *Hanc explicationem firmat verſio Arab. quæ reddit* Schultana, *quæ vox eſt a radice*, dominium *ſigni-*

ſignificante. Idem vocabulum etiam denotat integumentum capitis. Sic Arculphus imperium muliebre ex auro & gemmis, & Paulus JCtus leg. 3. Dig. Tit. de Suppelle-ctile legata habet. Vid. Car. du Freſne in Gloſſario Latinit. v. imperium. Hæc ille. *Calliſtrati* ille locus exſtat in ejus ἐκφράσεσι, ſeu *deſcriptionibus Statuarum* p. 896. Operum Philoſtrati, ab eodem *Oleario* editorum, ubi in ſubjecta nota indicium hujus ſententiæ invenies. Lege contra eam *Zeltnerum*, in Colomeſium diſputantem, p. 2. Non diſſentit tamen Cl. *Wolle* l. c. quando ἐξουσίαν de honore & dignitate i. e. ornatu capitis accipit, quo ſenſu ἐξουσία prærogativam, ſeu gloriam inferat *Job.* I. 12. ſicut & Paulus v. 15. τὴν κόμην appellet δόξαν, per εὐφημίαν ita velamentum ſeu κάλυμμα inſigniens, ut illud feminis tanto acceptius reddat. Adde ejusdem diſſ. de vera & ficta emphaſi particularum in calce tractatus de Eccleſia Phariſ. & Chriſtiana p. 316. nec non, quæ paulo poſt de B. *Alberti Ehlerſii* ſententia afferentur.

Anonymus Obſervator Hallenſis, Tomo VI. Obſervationum ad rem literariam ſpectantium p. 100. *rem ſupereminentem*, *ſtilo idiotico*, h. e. tale tegminis genus, quale Galliæ hodie acceptum ferunt feminæ, indicari contendit. Verendum autem eſt, ne hoc tegminis genus feminis illius ætatis æque incognitum fuerit, quam Scriptoribus Sacris *ſtilus* ille *idioticus*. Compara *Zeltnerum* p. 3.

Idem *Zeltnerus* longius ab his omnibus divertit, ſignificatum vocis ἐξουσία ex Hebræis כוח, און, עון, מעוז & חיל repetens, quæ ut *robur* & *poteſtatem*, ita etiam, & ſpeciatim τὸ חיל, *exercitum*, ſeu *copiam* hominum inferunt. Vide v. c. *Pſalm.* XXXIII. 16. 1 *Sam.* X. 26. *Jeſ.* XXX. 6. &c. Eandem vero *exercitus* notionem Scriptores N. T. voci Græcæ δυνάμεις tribuunt, ut *Matth.* XXIV. 29. & *Luc.* XXI. 26. ubi Chriſtus ait δυνάμεις τῶν οὐρανῶν, ingruentibus malis & pœnis, commotum iri. Jam Græco illi δύναμις, ut συνώνυμον, reſpondet ἐξουσία, cui proinde eundem ſignificatum tribui poſſe vel ideo non dubitat Vir doctus, quod eum ſibi 1 *Cor.* IX. 12. deprehendere videtur, in phraſi: εἰ ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσιν h. e. ipſo interprete, *ſi alii copiis & facultatibus veſtris utantur.* Similiter itaque Paulum opinatur Hebræum מעוז per ἐξουσίαν hic expreſſiſſe. Τὸ מעוז vero denotat *munimentum & propugnaculum*, *Jeſ.* XVII. 9. XXIII. 4. 11. 14. *Ezech.* XXX. 15. qui ſignificatus etiam huic loco, ejus judicio, accommodari poteſt, eo ſcilicet ſenſu, ut feminis *munimentum* quoddam capitis *adverſus angelos* eosque malos, ne ſcilicet per liberum aſpectum pravæ cupiditates in viris ab iis excitentur, præſcribatur & inculcetur. Idem Paulum ad Pſalmum LX. 9. ſpeciatim reſpexiſſe exiſtimat, ubi David Ephraïm vocat ראשי מעוז i. e. ut B. *Lutherus* expreſſit die Macht meines Haupts. Hæc ſumma eſt diſſertationis, ingenii & doctrinæ copia ſe commendantis, quanquam, ſi quid video, ita comparatæ, ut aſſenſum non facile cuiquam extorqueat. Nec vir doctiſſimus p. 22. ſqq. exceptiones, quas fieri poſſe ipſe videt, ita eluſit, ut iisdem amplius urgendis & premendis viam præſtruxerit. Nobis quidem in his diſcutiendis prolixioribus eſſe non licet. Senten-

tentiam ſuam idem paucis nuper repetiit in annotatione ad Biblia Lutheri vernacula pag. 179. ubi vocem ἐξȣσία ex Hebr. חיל germanice per Vor-Mauer convertit.

Supereſt communior & antiquiſſima hujus vocis interpretatio, quæ eo tendit, ut per ἐξȣσίαν intelligamus *velamen* tanquam ſignum imperii viri in mulierem, & ſubjectionis feminæ adverſus virum. Hoc ſe probavit *Theodoreto*, per κάλυμμα interpretanti, item *Photio* epiſt. CCX. & aliis Eccleſiæ doctoribus, quos attulit *Rechenbergius* pag. 77. diſſertat. laudatæ. Idem amplectuntur ex noſtratibus plerique omnes, v. c. ipſe *Rechenbergius*, *Jo. Conrad. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis N. T. voce ἐξȣσία, *Feuſtelius* pag. 242. Miſcellaneorum, *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. pag. 136. *Jo. Guil. Bergerus* in diſſert. citata §. 51. & *Jo. Albertus Fabricius* in Bibliographia Antiquaria pag. 553. ed. I. ex ceteris vero *Scaliger* in Scaligeranis pag. 20. *Hammondus* ad h. l. *Conr. Mel* in Antiquario pag. 28. *Joannes d'Outrein* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. II. p. 61. *Jac. Elsnerus* pag. 115. & *Theophilus Raynaudus* de Pileo, Sect. 5. Cl. *Elsnerus* ita totam cauſam brevi complectitur: *ἐξȣσία mulieris ἐπὶ τῆς κεφαλῆς eſt velamen, τὸ κάλυμμα Theodoreto: aut περιβόλαιον: cum enim de ea re, quam κατὰ κεφαλῆς haberet ſive vir, ſive mulier v. 3 - 7. locutus eſſet Apoſtolus, facili negotio, quia hic ἐξȣσία ἐπὶ κεφαλῆς mulieris ſit, intelligitur. Nempe velamen, poteſtatis alienæ ſeu viri in mulierem ſignum, quoniam eſt ἐξȣσία ejus capiti impoſita: ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἀυτȣ̃, ut ſignum poſitum ſit pro re ſignata, loquendi genere & in ſacris & profanis literis uſitatiſſimo. Nullum deinde, præter comam, aptius ejus poteſtatis ſignum in capite mulieris in omnium oculos incurrit, quam velamen, quo tectæ incedebant mulieres, viris præſertim junctæ, hoc ſigno oſtendentes, uni, in cujus poteſtate eſſent, viro conſpicuas eſſe oportere, cum virgines ſine velo prodirent.*

Qui τὴν ἐξȣσίαν ita de *velamine* accipiunt, illorum multi v. c. *Hammondus* & *Clericus* ad h. l. & *Lud. Cappellus* in Spicilegio Notarum in N. Teſt. ad Hebraicam vocem רדיד, cui Arabicum רדא reſpondeat, ſe recipiunt. Utraque vox originem habet a רדד & רדה quæ *dominium* infert. Ex quo conſequitur, τὸ רדיד commode per ἐξȣσίαν etiam ad dominium ſignificandum exprimi potuiſſe. Obvertit huic conjecturæ nonnulla non contemnenda Rev. *Zeltnerus* l. c. pag. 6. quæ apud ipſum legi velim. Alii ad vocem שולטן ſeu שולטנא ſimili inſtituto provocant, præeunte Interprete Syro, quem B. *Aug. Varenius* in commentario ad Geneſ. III. pag. 326. pulchre ſenſum ait expreſſiſſe: *debitrix eſt mulier*, ut שולטנא i. e. dominium, vel ſignum שולטן (domini) ſit ſuper caput ejus. Afferam in hanc rem, quæ B. *Albertus Ehlers* ad ſuum Novi Inſtrumenti exemplum ita notaverat: שולטנא *ornamentum quoddam variegatum, idem quod* שבים *vitta, reticulum capitis, ornamentum muliebre, juxta Buxtorfium Lexico Talmudico voce* שבם. *Adde ibidem voc.* שלט *p. 2416. Confer & Arabicum* סילרת, *i. e. veſtis, pannusque cui imponitur gramen aut ſtramen. Vide Caſtelli Lexicon rad.* סלט. *Quid ſi Paulus ex*

ex uſu & analogia vocis שולטנא *aut ſimilis, pro velamento muliebri in dialecto Hieroſolymitana adhibita, vocem* ἐξουσία *etiam pro eodem velamine muliebri in Græca Lingua hebraizans ſive Chaldaizans uſurpaverit?* Convertimur nunc ad phraſin, non minus vexatam.

διὰ τοὺς ἀγγέλους) De ea variiſque ejus interpretationibus tum afferendis, tum confutandis inprimis ſoliciti fuerunt ex noſtratibus Celeb. *Heumannus* in Pœcile Tom. III. lib. I. p. 123. ſqq. & *Jo. d'Outrein* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. II. p. 53. ſqq. Age, ſpicilegium aliquod poſt illorum meſſem inſtituamus. Phraſin ipſam mendi ita ſuſpectam habet *Wilh. Wall* in Notis Criticis ſuper N. T. anglice editis p. 193. ut medicinam illi afferri poſſe inficietur. Eo confidentiores alii afferre ita tentarunt, ut nec ſibi ipſis ſatis conſtent, nec inter ſe conveniant. Primus forte eorum eſt *Jac. Godofredus* l. c. qui vel ἀγέλας i. e. *greges juvenum*, ad vetitum amorem facile pelliciendorum, nunc ἀγελαίους i. e. *homines incompoſitos* vult intelligi. Hoc nec modeſtiorem nec feliciorem ſe Oedipum præſtitit *Jo. Clericus*, qui mox διὰ τῆς ἀγγελίας h. e. eo tempore, quo ἀγγελίαν ſeu doctrinam ſibi divinitus revelatam femina profert, mox διὰ τοὺς ἄνδρας, *propter viros*, legi poſſe cenſet. *Godofredo* ſe recte oppoſuerunt *Jo. Gregorius* in Obſervationibus Sacris cap. XXV. auctori ſuo conjecturam relinquens, tum *Adr. Beverlandus*, minime alioquin etiam in his ſacris tractandis caſtus & temperans, p. 10. de Peccato Originali, tum *Rechenbergius* p. 96. l. c. Utriuſque vero conatus repreſſerunt *Heumannus* tum in Parergis Criticis p. 32. tum in Pœcile l. c. p. 129. ſqq. & *Jo. d'Outrein* l. c. p. 63. Vix etiam ſerio egiſſe putaverim ἀνώνυμον, qui in Biblioth. Bremenſi Claſſ. II. p. 107. ſi alia vox ponenda ſit, legendum ſuſpicatur ἐγγελοίους, vocem puta, ut minime Græcam, ita, ſi talis eſſet, ad totam ῥῆσιν minime accommodatam. Conf. *d'Outreinium* ibidem p. 110.

Scilicet recepta lectio, conſtante codicum, verſionum, veterumque Interpretum conſenſu ad nos tranſmiſſa, proba omnino eſt, nec temere ſolicitanda, de cujus tamen ſignificatione non æque conſtat. Communiſſima eorum eſt ſententia, qui ad angelos ſive *bonos*, & inprimis *tutelares*, ſive *malos* reſpici putant, quamvis & iidem in diverſas abeant partes, ubi ediſſerendum eſt, quo fine angelorum ratio ex præcepto Apoſtoli habenda ſit. Huc pertinent Eccleſiæ veteris doctores omnes, Pontificii item & noſtrates ceterique commentatores tantum non omnes. Contra eos vero diſputat *Heumannus* l. c. p. 134. Mirum eſt, vel Patres quosdam cum *Tertulliano*, vel hodie nonnullos de angelis cogitare hic potuiſſe, tanquam tales, quos feminarum amore capi poſſe exemplo antediluviano conſtet. Exemplum enim illud ex *Geneſ.* VI. 2. gratis præſtrui, nemo cum ratione dubitaverit. Et vel ſic tamen eandem ſententiam ex recentioribus ſecuti ſunt eruditiſſimus *Jo. Daviſius* in notis ad Epitomen *Lactantii* c. 27. (de quo vide *Memorias literarias magnæ Britaniæ*, gallice editas Tomo X. pag. 435.) & *Guil. Whiſtonus* in Conatu textum Hebræum reſtituendi, pag. 314. Nec rectius aliis *angeli mali* hic ab Apoſto-

lo

lo afferri videntur, ut ſibi caveant mulieres, ne in idem κρῖμα cum angelis incidant, quos Judas v. *6.* τῆς ἀρχὴν αὐτῶν i. e. *imperium*, quo ſubjecti fuerint, *non ſervaſſe* teſtetur. Ita cenſuit olim *Borremanſius* in dialogo de Poëtis & Prophetis p. *126.* & noſtra ætate *Hombergius* in Parergis p. 256. Vide, quæ contra *Hombergium* diſputat *Creyghtonus* in Prolegomenis citatis p. 290. Nec magis aſſenſerim Rev. *Zeltnero*, quando p. 31. *Munimentum* malis angelis ideo opponendum tanquam ex Pauli ſententia exiſtimat, *ne ex aperto capite, facieque patente cupidines apud alios excitandi occaſionem captent.* Eadem olim ſententia fuit *Jo. Lightfooti* in Harmonia N. T. Tom. I. p. 303. Operum Anglican. quam tamen recte confutavit *Georg. Brightius* in præfatione ad illa Opera D. 1. & ipſe *Lightfootus* poſtea in Horis Hebraicis ad h. l. cum alia permutavit.

Quidam *Deum* ipſum per *angelos* indicari ſtatuerunt, *qui ſcilicet per miniſterium angelorum in hoc ordine crearit homines, & non longo poſt creationem tempore impoſuerit etiam mulieri legem ſubjectionis.* Audis loquentem *Knatchbullum*, cujus ſententiam amplexus eſt *Carolus le Cene* in Projet pag. 755. & laudatus *Creyghtonus* pag. 292. ſqq. ornandam ſuſcepit. Sed nec hic pedem tuto figi ex illis patebit, quæ præter *Rechenbergium* pag. 90. ſtrictim monuit *Heumannus* pag. 133. inſignem ἀκυρολογίαν Apoſtolo hac ratione tribui recte arbitratus.

Hinc de Viris alii cogitarunt, & ſpeciatim vel de *maritis*, pro concione dicentibus, quæ *Wolſgangi Franzii* ſententia eſt in egregio tractatu de interpretatione S. Scripturæ p. 570. vel de *juvenibus*, ut auctor libri anglice editi, de Religione Bibliopolæ p. 12. & Anonymus Obſervator Halenſis Tom. VI. pag. 103. qui *juvenes & comtulos adoleſcentes* intelligit, ut qui ad eccleſias mitti conſueverint, quorumve conſpectu mulierculæ in concione ad libidinem irritari poſſent; vel de *hominibus ſanctis & fidelibus*, quemadmodum Sethi poſteri in Codice Alexandr. τῶν LXX. Interpretum Gen. VI. 2. ἄγγελοι θεῦ vocentur, repugnante recte *Wagenſeilio* ad Codicem *Sota* p. 45.

In hanc claſſem pertinent & illi, qui *epiſcopos*, vel doctores Eccleſiæ angelorum nomine inſigniri affirmant. Inter hos eſt ex veteribus Pſeudo *Ambroſius*, ex recentioribus autem *Beza* in notis ad h. l. repetitæ editionis, *Beverlandus* p. 11. libri nefandi, & auctores *Memoriarum Trevoltienſium* an. 1711. pag. 1489. Confer, quæ infra ad v. 14. ex *Beverlandi* Otiis Oxonienſibus MSS. afferentur. Vide ſis contra eos *Salmaſium* de coma pag. *699.* *d'Outreinium* l. c. p. *66.* & *Heumannum* p. 128.

Ex iisdem alii de *nunciis deſponſationum*, quos Hebræi שילוחי קדושים appellant, Paulum loqui opinantur, tanquam coram quibus non minus, quam coram marito, ceu hujus legatis, faciem ſuam denudandi poteſtatem feminæ habeant. Vide eum in Horis Hebr. & Talmudicis ad h. l. Approbatores nactus eſt Vir doctus *Braunium* in Selectis Sacris pag. *62.* & *Adrian. Relandum* pag. 134. Antiquitatum Hebr. At nec illud locum tueri poſſe evictum eſt a *Geor-*

Georgio Bright in præfat. ad Tom. I. Operum Lightfooti plagula D. 3. *d'Outreinio* pag. 75. & *Heumanno* pag. 132. Latus illi claudit Anonymus, quem affert *d'Outreinius* pag. 78. cui nuncius ejuſmodi ſeu legatus ſponſi indicari quidem videtur, ſed ita, tanquam coram quo ſponſa femina non minus, quam coram ipſo marito, faciem velare debeat. Idem ſentit Cl. *Conradus Mel* in Antiquario Sacro pag. 28. Alteri horum obviam ivit *d'Outreinius* pag. 79. alteri *Heumannus* p. 133.

Denique alii expeditiſſime ſibi verſari viſi ſunt, ſi τὺς ἀγγέλυς de *ſpeculatoribus*, & *exploratoribus*, ſive emiſſariis, interpretarentur, qui vel ab eccleſia, vel a gentilibus ad explorandum Chriſtianorum cœtum fuerint ablegati. Utroſque tales legatos intelligi hic vult *Alethæus* Tom. II. p. 274. Gentilium vero inprimis Cl. *Heumannus* pag. 142. quos cavendos dici exiſtimat, ne ſcilicet *feminæ apertis capitibus in publico comparentes, diſſolutioris vitæ & grandium flagitiorum ſpeciem illis præberent.* Eandem ſententiam ſuam fecit *Feuſtelius* in Miſcellaneis pag. 253. ſqq. quem ſua vitula araſſe, quantumvis diſſimulet, ſatis exploratum ſe habere affirmat *Heumannus* in annotatione ad pag. 123. Nam diſſertatio hujus jam anno 1719. Iſenaci lucem viderat. Idem fortaſſe dixerit de *Gerh. Cræſio*, cujus in eandem ſententiam obſervatio exſtat in Biblioth. Bremenſi Claſſ. II. p. 101. ſqq. Præſidia Cl. *Heumannus* hæc affert, quod Hebræum מלאך *Geneſ.* XXXII. 3. *nuncium* & *Joſ.* VI. 25. exploratorem ſignificet, quemadmodum *Jacobus*, Apoſtolus, cap. II. 25. emiſſarios, a Joſua memoratos, ἀγγέλυς vocet, quos Paulus clarius *Hebr.* X. 31. κατασκόπυς appellet. Ita *Polyænum* ait lib. III. in Iphicrate tradidiſſe, quod Iphicrates & Jaſon δὶ ἀγγέλων ἠρέυνησαν ἀλλήλυς καὶ τὰ σώματα ἐγύμνωσαν, *per angelos ſive exploratores ſe invicem ſcrutati ſunt, & corpora nudaverunt.* Alios ex Scriptura S. locos affert, & cum profanis, v. c. *Euripidis* in Bacch. v. 663. ſqq. & *Æſchyli* in *Theb.* init. conjungit *Cræſius* l. c. pag. 103. Ne quis autem dubitet, Chriſtiani nominis hoſtes emiſſariis ejuſmodi uti conſueviſſe, Cl. *Heumannus* ipſum Chriſti exemplum moreſque in eum Judæorum ex *Matth.* XII. 2. & *Luc.* XIV. 1. &c. perſpectos, imo Sauli in Chriſtianos conſilium ex *Actor.* VIII. 3. ac præterea luculentum *Tertulliani* locum ex capite VII. Apologetici affert. Eodem utitur quoque *Cræſius* pag. 103. illique ex Scriptura jungit τὺς παρεισάκτυς *Galat.* II. 4. & παρεισδύσαντας de quibus S. *Judas* v. 4. epiſtolæ. Non placuit hæc ſententia auctoribus Memoriarum Trevoltienſium an. 1711. pag. 1849. nec *Elsnero* pag. 115. Obſſ. Sacr. inprimis autem *d'Outreinius* invenit, quæ hic deſideraret, pag. 108. Urget is recte, primum quidem, vocem ἄγγελος, abſolute poſitam, non niſi de Spiritibus incorporeis ſumi in Scriptura N. T. iiſque vel bonis vel malis, angelos vero a *Jac.* II. 25. *Luc.* VII. 24. & IX. 52. memoratos, ex circumſtantiis textus in nunciorum vel legatorum claſſe collocandos apparere. Deinde, vocem ἄγγελος, ſine epitheto, plerumque nomen eſſe *dignitatis*, neque videri Apoſtolum tam honorifico titulo *exploratores* indigitare voluiſſe, cum alias *odioſo* uti in ejuſmodi argumentis ſoleat, v. c. *Gal.*

II. 4.

II. 4. *Jud.* v. 4. & 1 *Timoth.* V. 14. Porro, demonſtratum ſe in ſuperiore diſſertatione dediſſe, τὰς ἀγγέλους cum articulo demonſtrativo in N. T. non niſi de Spiritibus miniſtratoriis, ſeu ſanctis Angelis adhiberi. Denique, nullam ſe, illa interpretatione poſita, videre vim in ratiocinio Apoſtolico. Dixerat enim Paulus, feminam creatam eſſe ex viro & propter virum, atque inde concludit, IDEO mulierem velamen (ἐξουσίας viri in eandem ſymbolum) in capite habere debere propter ANGELOS, quod nequaquam ſtringere exiſtimat, ſi exploratores intelligantur. Et ponamus, emiſſarios ejusmodi in Chriſtianorum cœtu viros comatos & velatos, feminas autem non velatas vidiſſe, nihil aliud viſuri erant, quam quod Corinthiis paſſim in publico more receptum erat, nullamque adeo occaſionem criminandi Chriſtianos habituri. Nihil ego admodum video, quod his Viri eruditi animadverſionibus addi debeat.

Cauſam igitur omnem peroraturus exiſtimaverim, eos ad Apoſtoli mentem proxime accedere, qui τὴν ἐξουσίαν de velamine muliebri, imperii in feminas virilis indicio, accipiunt, quo in ſacris conventibus publicis inſtructæ mulieres eſſe debeant, etiam ob Angelos, quos illis ſingulariter intereſſe, eorumque, quæ agerentur, teſtes exiſtere, perſuaſum ſibi merito habebant. Hanc rationem inculcatæ in hoc negotio Spirituum cœleſtium præſentiæ multi urſerunt. Vide nominatim, ut Interpretes taceam, *Gerh. Jo. Voſſium* in de origine & progreſſu idololatriæ lib. I. c. 7. *Joſ. Mede*, conſentientes Patres quosdam afferentem, pag. 345. Operum, & noviſſime doctiſſimum *Elsnerum* pag. 116. Hic poſtremus invicte oſtendit, præeuntibus *Buxtorfio* cap. XV. Synagogæ Judaicæ, & *Eiſenmengero* in Judaiſmo detecto Parte II. cap. 7. pag. 393. quos affert, *Judæos* de ſpeciali Angelorum in Synagogis & precibus faciendis præſentia perſuaſiſſimos fuiſſe: quemadmodum idem arriſerit vetuſtiſſimis ſacrorum cœtuum doctoribus v. c. *Tertulliano* de Oratione cap. XII. *Origeni* contra Celſum lib. V. pag. 233. & *Conſtitutt. Apoſtolicis* lib. VIII. c. 4. Atque illos quidem non tam ex Platonicorum ſcholis, quod Viro docto viſum eſt, quam ex ipſis Judæorum monimentis, quale exſtat in Apocrypho Tobiæ cap. XXII. 15. niſi potius ſacris literis, ductaque ex earum locis conſequentia, ſententiam hanc hauſiſſe exiſtimem. Conſtat alioquin, alios alio conſilio Angelos a Paulo adductos hic eſſe putare. Ita *Wagenſeilius* pag. 45. ad Codicem Talmudicum *Sota* Angelos in exemplum fidelibus propoſitos cenſet, quos imitari deceat, ut tales, qui & hominibus inſerviant, & Deum laudantes faciem obvelent. *Jeſ.* VI. 2. B. *Hülſemannus* apud Sandhagenium in Decade II. Epiſtolarum Theolog. p. 334. *præſtantiam* & excellentiam Angelorum, cujusmodi antea viris reſpectu feminarum vindicata erat, reſpici cenſet, quam feminæ velamine ſuo teſtatam facere debeant. Quæ poſterior ratio ſe *Alex. Moro* pag. 129. Notarum probavit. Taceo alia hanc in rem cogitata, quorum varietas non efficit, ut a communiore hac interpretatione recedamus, cui nihil adhuc, quod quidem pondus aliquod habeat, objectum eſſe memini.

Doctiſſimus *Heumannus* quidem pag. 134. contra eam urget Pontificiorum exemplum, qui interpretatione hac ad exornandum ſuum de Angelolatria errorem abutantur. Facile autem intelligit Vir doctus, ſi abuſu ejusmodi offendamur, alias, & magni momenti, doctrinas, quas merito, præeunte Sacro Codice, tuemur, v. c. de neceſſitate bonorum operum, ratione ordinis, deſerendas eſſe. Vim argumenti Pauli non ſatis hinc elucere, non exiſtimo. Neque enim ſequitur, etiam domi ſemper opertum eſſe debere feminarum caput, ſi propter angelos in publico cœtu velari oporteat. Multa enim domi licent, quæ in publico conventu, divino cultui dedicato, fieri non expedit. Taceo, novam hanc interpretationem cum ſcopo argumentationis Paulinæ conciliari non poſſe, quod ex Cl. *d'Outreinio* in ſuperioribus monuimus. Angelos præterea revereri par eſt, non quod ipſi ex rebus parum honeſtis aliquid detrimenti patiantur, ſed quod teſtes ſint rerum parum decentium. Ita nemini offendiculum ponere jubemur, ſive talis ſit, qui exemplo noſtro ad prava allici poſſit, ſive minus. Fruſtra denique obvertitur, hujus generis exhortationem, a reverentia Angelorum petitam, in Sacra Scriptura nusquam reperiri. Non enim negat Vir doctus, pertinere huc locum 1 *Tim.* V. 21. ubi Paulus Timotheum obteſtatur per Deum Patrem & Jeſum Chriſtum Dominum & electos angelos. *Sed aliud*, inquit, *eſt, argumentum quodpiam ſolum afferre, vel in prima acie collocare: aliud, illud gravioribus appendicis inſtar ſubjungere.* Enimvero etiam hoc loco manifeſtum eſt, angelorum præſentiam inſtar appendicis reliquis argumentis addi, quibus Apoſtolus contenderat, feminas velatas eſſe debere, quarum prima ex viro ſit deſumta, & in commodum viri condita, atque vel eo nomine viro ſubjecta ſit, ſubjectamque ſe illi eſſe externo ejusmodi indicio profiteri debeat. His rationibus jungitur denique in præſenti commate Angelorum præſentia. Recte itaque vel ex conceſſis argumentamur.

Verſ. 12 Ὥσπερ γὰρ ἡ γυνὴ ἐκ τοῦ ἀνδρὸς, οὕτω καὶ ὁ ἀνὴρ διὰ τῆς γυναικὸς) Verſio Gallica Montenſis recte hæc verterat: *car comme la femme* (au commencement) *a été tirée de l'homme, auſſi l'homme* (maintenant) *naiſt de la femme.* Sed vel ſic *Malletus* habere ſibi viſus eſt, quæ deſideraret. Illi vero occurrit *Arnaldus* in Defenſione Gallica illius Verſionis pag. 357. ſqq. adductis & adſtructis ſimilibus aliorum interpretationibus, & doctorum veterum ſuffragiis.

Verſ. 14. Ἡ οὐδὲ αὐτὴ ἡ Φύσις διδάσκει ὑμᾶς, κ. τ. λ.) Comma hoc illuſtratum dederunt ex noſtratibus auctor Anonymus Obſervationis Tomo VIII. Obſervationum Selectarum Halenſium p. 52. ſqq. *Hackſpanius* in Miſcellaneis pag. 154. & *Amelius* Tomo I. der Erörterung pag. 158. ex Reformatis *Claud. Salmaſius* de cæſarie Virorum &c. pag. 355. ſqq. & *646*. *Jac. Revius* in libro de libertate Chriſtiana circa uſum capillitii defenſa, cap. V. & Anonymus in Dialogo de Coma, (qui in Opuſculis ad Hiſtoriam & Philolog. Sacram ſpectantibus, Faſcic. IX. recuſus eſt) pag. 408. ſqq. ex Anglis *Jo. Doughtæus* in Analectis N. T. pag. 117. ſqq. & *Jo. Eduardus* in diſſertatione II. earum, quæ ſub titulo *Enquiry*

quiry into four remarkable texts of the New Teſtament, anglice Cantabrigiæ 1692. 8. prodierunt. Illius ſummam habes in Actis Eruditorum Latinis Lipſienſibus an. 1693. p. 51. Ex Pontificiis denique legi poteſt *Theoph. Raynaudus* de pileo & capitis tegminibus Sect. III. Quid vox φύσις ſibi velit, inprimis diſputatum eſt. Vel enim dictamen rationis connatum, ut *Rom.* II. 14. vel dictamen naturæ particulare quoad diſcrimen ſexus utriusque, *Rom.* I. 26. 27. vel cultiorum gentium conſuetudinem denotare ſolet. Tres illos ſignificatus hic ex mente Apoſtoli conjungi vult *Eduardus* l. c. alii vero alteram alteri præferunt. Plerique Interpretes notionem ſecundam, ſexus ſcilicet virilis & feminei diverſam, quod ad capillorum menſuram & habitum, conditionem hic innui recte arbitrantur, cum negari non poſſit, naturam ſe in hoc momento feminis liberaliorem, quam viris, præſtare, quicquid etiam in contrarium diſputet auctor Dialogi de coma l. c. pag. 410. Id enim confirmatur v. 15. ὅτι ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίυ δέδοται ἀυτῇ h. e. *coma pro velamine data eſt ipſi.* Id vero profecto non a conſuetudine, ſed a natura factum eſt. Recte hoc urget *Leonh. Twells* in Examine Critico N. T. Græco-Anglicani Londini 1730. editi Parte I. pag. 99. *Lamb. Bos* pag. 144. Exercitt. commode monet, φύσιν opponi τῷ νόμῳ, *legi*, & inſtitutioni, allato ſimili *Æliani* loco Hiſt. Anim. IX. 1. ubi de leonum catulorum in parentes pietate: διδάσκει δὲ ἡ φύσις, ᾗ νόμων ἀνθρωπικῶν μέλει ὐδὲν, γίνεται δὲ ἄτρεπτος ἀυτη νόμος. Nonnulli tamen *conſuetudinem* potius indicari cenſent. Inter hos ſunt *Grotius*, Auctor Dialogi citati de Coma pag. 422. ſqq. *Perizonius* ad Ælianum pag. 532. *Wilh. Wall* in Notis Criticis ſuper N. T. pag. 193. & Cl. *Pagenſtecherus* in diſſertatione quadam earum, quas de uſu Juris Romani in rebus Theologicis & Philologicis inſcripſit, ubi naturam per *conſuetudinem* & *regulam juris* interpretatur. Adſtipulatur *Amelius* pag. 279. Quidam φύσιν de *natura* accipiunt, quæ ſexum diſcrevit. Inter hos eſt *Salmaſius* de Coma p. 720. ſqq. & *Beverlandus*, priorem procul dubio ſecutus, cujus locum mox producemus.

Omittam ego, brevitatis ſtudio, omnem hanc diſputationem, tanquam per ſe facile expediendam, adponam vero *Adriani Beverlandi* obſervationem eruditam ex *Otiis* ejus *Oxonienſibus* adhuc ἀνεκδότοις, quæ amiciſſimi & eruditiſſimi *Jo. Henr. Maji* beneficio poſſidere me, gratus profiteor. Ille vero cap. XIII. ita ad h. l. diſſerit: Capillorum fiſſores nec verba, nec mentem D. Pauli 1 Cor. XI. 14. intellexiſſe comperio. Ἡ φύσις non denotat dictamen rectæ rationis; alioquin contra δίκαιον ἀκίνητον, irreformabile jus, peccaſſent Nazaræi 2 Sam. XIV. 26. (Abſolon non capillis pependit ab arbore, ſed a gula inhærente bidenti forcæ 2 *Sam.* XVIII. 9. 14. Joſeph. VII. 8.) Ἄβαντες ὄπιθεν κομῶνται: Πέρσαι κομῆται. Herodotus. Arabes: Plinius VI. 28. καρηκομόωντες Ἀχαῖοι Homero. Monachi in Meſopotamia capillati; *Epiphan.* Hær. 80. Sed φύσις hic denotat *ſexum*. Scelus in viro, ſi ſequiorem adſciſcat perſonam, incedatque mitratus. *Et mitra cæſariem cohibens aurata virilem.* Mendacium quoque

que in femina, ſi meliorem mentiatur ſexum φενάκει, greſſumque galeata glomeret militarem.

Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem,
Quæ fugit a ſexu?

Perverſa veſtis dedecet matronam. Recte itaque in Novell. 118. c. 1. φύσιν Charondas vertit ſexum. Adde *Rom.* I. 26. unde *Artemidoro, Horapollini, Anaſtaſio* & *Epiphanio* φύσις, τὰ αἰδοῖα utriusque ſexus. Sueton. *Natura*, Tiber. 43. *fœcunda*, Lucret. *arcta* D. ædil. Edict. *obſignata*, Cic. de Divinat. 145. N. D. Apulejo, Jul. Obſeq. *naturalia*, Juſtino XXX. 4. 2. Ut aſſequamur, quid ſit coma, primo rimabimur, quid ſit cæſaries. Cæſaries eſt intonſus, promiſſus, pendulus, in pectore fluitans, vel per tergum nutans capillus, nunquam commiſſus tonſori. *Indetonſa* juventus Perſ. III. 54. Ligurini, Horat. IV. 10.

Et quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ.
Sic Intonſi crines longa cervice fluentes.

ita tamen, ut retro eſſent breviores Senec. epiſt. V. Contra capilli, ſupercilio breviores, criſpati, tonſi, ſecati, affectati & muliebriter comti. Juvenali *coma*. *Phocylides* v. 200. ἄμματα λοξὰ κορύμβων interpretatur κόμην. κομᾶν τῷ Θεῷ Arrian. Κόμη παρὰ τὸν κόσμον. *Schol.* ad II. ά. 194. *Pollux* II. 1. a κοσμέω *orno*. Rectius a κομέω Curo κομμώτριαι ſunt, quæ plicis & plectis ædificant caput. πλέκουσα *Mart.* II. 66. ψεκάδες Juvenal. VI. 491. a ψεκάζειν. κομοπλόκος. Corinthi viri incedebant coma criſpata, calamiſtrata, in faſtigium ſuggeſta. Tertull. Lib. II. 7. de cultu. Cum Corinthi plus mille proſtituerentur victimæ in fano Veneris, mirari noli, ſi mulieres & viri adeo de juba fuerint ſolliciti, ut maluerint rempublicam turbari, quam comam. Inter hos quoque fuiſſe pathicos, indicat muliebris eorum coma. Κόμη capillus arte compoſitus in viro habet aliquid fracti. Ottonis galericulam adparet non fuiſſe mulieris mortuæ κράνην ſed κόμην. Unde Juvenali *Pathici* Sat. II. 99. Cicero Gabinio exprobat *comam calamiſtratam*. Utriusque ſexus victimas eodem ornatas fuiſſe capillitio, præter Ariſtophanem & Juvenalem, nos docet Hiſpanus de Corinthio LX. 65. Carmenion non rutilantem per collum & humeros ſpargebat cæſariem, qualiter ἀκερσικόμης Ἀπόλλων, Ganymedes, Bacchus, Nireus; ſed crines, calamiſtro inconcinno intortos, in fronte ædificabat in altum caliendrum. Juvenal. VI. 503. *in ſuggeſtus ſcanſili vertice elatos.* Ammian. Marcell. XVI. ſicuti Hector: Ἑκτόρειοι κομῆται Heſych. Pollux L. II. 1. 3. *Gabinius cincinnatus ganeo.* Ciceroni pro Sextio. *Tonſa ſaltatrix* in Piſon. quia frons turrita.

Sed vitate viros, cultum formamque profeſſos,
Quique ſuas ponunt in ſtatione comas.

De Bellonariis comatis, quia in fronte capillatiores, Valer. Flaccus, de Commodo Herodianus, de Vero Capitolinus, de Galeno, Pollio. Hæc coma renodata & ſoluta non deſinebat eſſe coma. Flaccus meminit longam renodantis comam, Epod. XI. Ovid. XII. Metam. 395.

Ex

Ex humeris medios coma dependebant in armos.

Κόμας ἐπὶ τὸ μετάφρενον. *Athen.* L. XII. p. 525. Ac coma tonſa & abraſa vultum dat virilem. *Martial.* IX. 36.

Denique φύσιν ſignificare *conſuetudinem* teſtatur *Ariſtotel.* I. 11. Rhetor. Harmenop. lib. I. 1. Sic *Suidas* explicat *Eph.* II. 3. voc. συνήθεια. Add. L. 24. D. de ſtatu homin. Cum viri apud omnes fere gentes oris frontisque adſpectu ſecernantur a feminis; ideo Apoſtolus dicit, gentium conſuetudinem refragari, ut vir ſit muliebriter comtus.

Ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη, χλιδαὶ δὲ γυναιξί (Verſus eſt *Phocylidis* 201.)
Οὐδεὶς κομήτης, ὅστις οὐ. *Syneſius:* addit Suidas ψηνίζεται.

Germanorum cinni, Gothorum grani, Sicambrorum cinnabar, licet in nodos tortum, non erit coma: ſi crinibus, in cinnos coërcitis, non utantur mulieres, cæſaries rutilans non eſt coma. Apoſtolus jubet, ut mulieres ſint coma tectæ, & inſuper, ut iſta coma ſit velo obnupta, non obſcure innuens, ut viri ſint capite aperto, pendulaque cæſarie. Cum itaque prolixa cæſaries, modo non comta, (ſicut caprina coma immiſſa fronti & calamiſtris plus æquo uſta, qua hodie νεανίσκοι ἀκόλαστοι, ἀπώγωνες, ἄνανδροι utuntur) ſed negligenter rejecta, fluitans non ſit coma; curta vero, in nodos torta, & in ſuggeſtus enormiter ſuſcitata, & Dianio ritu bicornis in fronte κεκορυμβωμένη, faſtigiata, ſit coma, neſcio, quare tot turbas dederint in Batavia Tribuni plebis. Satius detonarent in albos calceos, virides caligas, crura faſciculis circumvoluta, Matronis non quidem induenda, ſed teneris Mæcenatibus apta, quam in capillos naturali diffluentes decore. Magis contra naturam calvities. *Cicero* de Fannio: *Semper capite & ſuperciliis eſt raſis, ne ullum pilum boni viri habere videatur.* Quanquam ligneo hoc ſæculo juvenes & viri iterum incipiant plus capillis ſtudere, quam mulieres, & aperto capite, capillis ad lumbos pendulis ornato, per plateas rhythmice incedere. Contra hos imbelles hi, qui malis moribus medicinam faciunt, ſuos exaſperent pulmones. Cum Apoſtolus diſerte ſerioque monuerit, ut mulier in Eccleſia habeat ἐξουσίαν in capite, 1. Cor. XI. ne leonis adparatu turbaret miſſos juniores; miror ſummopere, Homiliſtas non invehi in illas matronas, quæ effronti comio nudoque pectore audent venari viros, & ad altare accedere. Noverant Apoſtoli, quantum pudicitiæ & caſtitatis naufragium fecerint catablepæ in gentilium fanis, & Pſeudo-Chriſtianorum cavernis; ideo monet Apoſtolus, oculos exoſus muliebres, ut mulieres κόμιον habeant, mitris atque vittis occultatum, ſicut in Cereris & Saturni ſacris feminæ vitta, mitra, calantica velatæ. *Plutarchus* in Dicæarcho p. 58. *Ariſtoteles* Rhetoric. lib. II. 6. *Dio Chryſoſtomus* Orat. I. & *Chryſoſt.* Homilia in Matthæum 74. Lege *Tertullianum* de velandis virginibus. Ἐξουσία itaque eſt γυναικεῖον κεφαλῆς κοσμάριον πορφύριον, quo amictu verendas comas obnubit ſobria. C. Sulpicius Gallus uxorem dimiſit, quod eam aperto capite foris verſatam cognoverat. *Valer. Maximus* VI. 7. In verſione Arabica *Sulthan*, capital purpureum. In Talmude: *ædificium. Ædificare caput*, Juvenalis VI. 502. *Hæc Beverlandus.*

 Neu-

Neutram, quam is adſtruere conatus eſt, de voce φύσις ſententiam approbo, nec alia, quæ immiſcuit, mea facio. Hæc tamen ejus cogitata, nonnullis ſtudioſe omiſſis, inſerenda hic cenſui, quod ex parte huc pertinere viderentur. Fortaſſe etiam alibi *Otia* illa *Oxonienſia* in lucem proferam, bonæ frugis præ reliquis ejus ſcriptis plena, niſi quod ea obſcœni, quamvis eruditi, ingenii ſordibus hinc inde conſpurcata appareant.

ὅτι ἀνὴρ μὲν ἐὰν κομᾷ) Verbo κομᾷν repetitis vicibus in eadem ſententia utitur *Herodotus* lib. I. p. 38. quod obſervavit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 574. Adde obſervationem Beverlandinam modo productam.

ἀτιμία αὐτῷ ἐστι) Φράσιν hanc ita exponit *Salmaſius* de cæſarie & coma p. 702. *Ne* ignominiam *quidem velim cum interprete Latino dicere. Cum enim* ignominia *eadem ſit cum* infamia, *infames eſſe & ignominioſos, qui comati ſunt; non intellexit Apoſtolus, ut vulgo nomen ignominia apud Latinos ſumitur. - - -* Ἄτιμον *opponitur ei rei, quæ in pretio eſt atque honore. Unde* ἀτιμάζειν negligere *eſt &* contemnere. *Si qui populi comam alere conſueverunt, apud eos coma* ἐν τιμῇ *eſt*, in honore ac decore, *&* τιμᾶται. *Huic oppoſitum* τὸ ἄτιμον vile, *&* contemtibile, *ut indecorum. Auctor incertus apud* Suidam: καί με ὁ Φοῖβος ἄτιμον ἐξέπεμψε. *Interpretatur ipſe* ἀνήκουστον. - - Ἄτιμος *proprie hoc ſenſu eſt* inglorius. Quod ad argumentum ipſum attinet, diverſaque gentium reſpectu comæ virilis inſtituta, id quidem nemo *Salmaſio* in libro laudato diligentius excuſſit. Adde *Picinelli* Lumina Reflexa p. 697. Ad Græcorum conſuetudinem inprimis hic reſpexiſſe Paulum indubium eſt. Apud illos autem turpe habebatur viris κομᾷν. Lege *Perizonium* ad Æliani Var. Hiſtor. IX. 4. p. 532. Fuerunt, qui ex h. l. omni capillamentorum uſu ſexum virilem interdicendum eſſe contenderunt. Uſus eo hoc conſilio eſt *Jo. Bapt. Thiers* in hiſtoria capillamentorum gallice edita cap. 3. p.37. Sed illi obviam itum eſt ab auctore anonymo Obſervationis II. Tomi VIII. Obſervatt. Selectarum Halenſium pag. 52. ſqq. Omitto aliorum commentationes ultro citroque in hac cauſa editas, quos more ſuo diligenter commemorat eruditiſſimus *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria p. 550. edit. I.

Verſ. 15. γυνὴ δὲ ἐὰν κομᾷ, δόξα αὐτῇ ἐστιν) Lege huc *Speneri* Reſponſa Theolog. Germanica Tom. II. p. 477. & 481. & auctorem Obſervationum Miſcellanearum germanice editarum Tom. II. p. 343. De galericulis & capillamentis mulierum, olim apud gentes nonnullas receptis, ad quæ tamen Apoſtolus hic non reſpicit, inſpice, quos *Fabricius* affert l. c.

δέδοται αὐτῇ) Vocem αὐτῇ in MSS. nonnullis omiſſam pro additamento habet *Millius*, contra quem eam recte tuetur *Whitbius* in Examine p. 64.

Verſ. 16. Εἰ δέ τις δοκεῖ φιλόνεικος εἶναι) Verbum δοκεῖ nonnullis πλεονάζειν videtur, judicio præcipiti. Rectius B. *Lutherus*: **Iſt aber jemand unter euch, der Luſt zu zancken hat.** Ita quoque *Grotius*: *ſi cui libeat contra hæc diſputare*, qui illam verbi notionem ad *Matth.* III. 9. μὴ δόξητε λέγειν, *ne lubeat vobis dicere*, ex aliis Scripturæ locis, & uno *Demoſthenis* adſtruxit. In eandem

dem ſententiam *Wolfburgius* p. 136. Obſſ. Sacrar. reddidit: *ſi quis voluerit eſſe, reputaverit ſecum velle eſſe contentioſum.* Τὸ φιλόνεικον hic infert vilipendium & contemtum argumentorum, a Paulo productorum, judice *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis p. 61.

ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν ὀυκ ἔχομεν) Idem *Medus* l. c. τὸ ἡμεῖς de illis Chriſtianis accipi vult, qui fuerint ex Judæis. Satius eſt, de Apoſtolis interpretari, tanquam doctoribus Eccleſiarum, quarum ſtatim fit mentio.

Verſ. 17. τῦτο δὲ παραγγέλλων ὀυκ ἐπαινῶ) Μείωσις eſt Grammatica, exemplis externorum Scriptorum non deſtituta. Dicunt enim Græci ὀυκ ἐπαινῶ de re, quam non modo non laudant, ſed etiam vehementer vituperant. Ita *Arrianus* Expedit. Alex. IV. 7. 6. Compara *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 470.

Verſ. 18. Πρῶτον μὲν γὰρ συνερχομένων ὑμῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀκὔω σχίσματα ἐν ὑμῖν εἶναι) In his verbis σολοικοφανὲς aliquid videre ſibi viſi ſunt nonnulli, cujus ſpeciem recte abſterſit eruditiſſimus *Jo. Conr. Schwarzius* in Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 119. monens, verba, quæ inde a phraſi, ἀκὔω σχίσματα ad verba v. 19. γένωνται ἐν ὑμῖν, tanquam παρενθετικῶς ſcripta, accipi debere. Hoc modo omnia probe cohærent.

Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ) i. e. non ſolum in *cœtu fidelium*, ſed & *loco cultui divino dedicato.* Opponitur enim hic ædibus privatis v. 22. Confer *Vitringam* de Synagoga vetere lib. I. Part. I. cap. 3. & Cl. *Polemannum* in Exercitat. VI. de Pleonaſmis Scripturæ Sac. §. 28. Vide ſodes infra ad v. 22.

σχίσματα) Quæ illa ſint, ex Patribus exponit *Suicerus* Tomo II. Theſauri p. 1202. Omitto recentiorum de Hæreſi & Schiſmate, &, quod inter utrumque intercedit, diſcrimine recentiorum commentarios, quorum præcipua capita in compendio ſiſtit *Schützius* mox laudandus.

Verſ. 19. Δεῖ γὰρ καὶ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι) Τὸ ἐν ὑμῖν a Latinis Eccleſiæ doctoribus omittitur, ideoque ex poſteriore hujus commatis parte huc translatum videtur *Millio*, in quem ideo recte animadvertit *Whitby* pag. 64. Examinis. De *hæreſium* in Eccleſia *neceſſitate* erudite & copioſe actum eſt a Rev. *Frid. Guilh. Schützio* in diſſertat. ſingulari ad h. l. Lipſiæ 1714. habita, cui idem aliam *de utilitate* hæreſium ibid. an. 1724. ſuccenturiavit. Adde *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 120. 122. 123. &c. Neceſſitatis illius rationem expediit *Petavius* Tom. III. Dogmatum, de Opificio ſex dierum lib. IV. c. IX. 9. p. 257. *M. Antoninus* lib. IX. §. 42. Ὅταν τινὸς ἀναισχυντίᾳ προσκόπτῃς, ἐυθὺς πυνθάνȣ σεαυτῦ, δύνανται ῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἀναίσχυντοι μὴ εἶναι; ὀυ δύνανται· μὴ ῦν ἀπαίτει τὸ ἀδύνατον· εἷς γὰρ καὶ ῦτός ἐςιν ἐκείνων τῶν ἀναισχύντων, ὀῦς ἀνάγκη ἐν τῷ κόσμῳ εἶναι.

Verſ. 20. Συνερχομένων ῦν ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ) *Convenientibus igitur vobis in eundem locum*, ſicut *Act.* II. 1. ubi Heſychius exponit per ἐπὶ τὸν αυτὸν τόπον. Vide, quæ ibi ſcripſimus, & adde *Polemannum* l. c. ad v. 18.

Ὀυκ

Ὀυκ ἐςι Κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν) Per δεῖπνον κυριακὸν *ſacram Cœnam* recte intellexerunt Græcæ & Latinæ Eccleſiæ Doctores, quos afferunt *Suicerus* Tom. I. Theſauri pag. 827. & pag. 91. Obſſ. Sacr. itemque *Iſaacus Caſaubonus* adverſus Baronium pag. 450. ſqq. Nonnulli cum Pontificiis agapas indicari contendunt. Inter hos eſt *Grotius*, contra quem lege *Calovii* Biblia Illuſtrata. Præiviſſe illis videtur *Syrus*, ita interpretans : *non ſicut conveniens diei Domini noſtri, comedentes vos & bibentes.* In eum ſolide animadvertit præſtantiſſimus *Gottlieb Wernsdorfius*, ὁ μακαρίτης, in recentioribus de Cœna Domini controverſiis §. 8. De Agapis, quas cum S. Cœna conjungere veteres ſolebant, ad epiſtolam Judæ dicemus. Lege interim *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 24. 27. & *Hornbeckii* Miſcellanea Sacra, ſeu Vetera & Nova Tom. I. p. 587. ſqq. Τὸ, ὐκ ἔςι, innuit, ea a Corinthiis, S. Cœna utentibus, agi, quæ fieri non decebat. Compara *Wolſburgium* p. 163.

Verſ. 21. Ἕκαςος γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν) Hæc verba produnt vitium Corinthiorum. Conveniebant illi, ut veſcerentur S. Cœna, afferebat quisque, prout poterat, cibos de ſuo, quibus poſtea uterentur, non autem conferebant in commune, ſed ſuum quisque ſibi ſervabat, ex quo fieri non poterat, quin inopes & pauperes, qui ſibi ipſis proſpicere non poterant, eſurirent, opulentioribus interim fortaſſe etiam largius veſcentibus. Lege huc *Lockii* commentarium & Rev. *Raphelii* Annotationes Xenophonteas pag. 227. ipſam hanc conſuetudinem ex more, Athenis Socratis ætate recepto, probantis, quo, qui ad cœnam conveniebant, ipſimet ſinguli aliquid obſonii afferrent, quod non ſemper in commune apponebant, ſed plerumque quiſque ſuo veſcebatur. Auctor eſt *Xenophon* Memorabil. III. p. 623. Pravitatem moris hujus ex fonte ejus æſtimandam proponit Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* in Monumentis Ingeniorum varii argumenti Tom. I. p. 12. *Potuit enim*, inquit, *vel ex avaritia, vel ex liguriendi libidine proficiſci iniquitas illa erga eos, qui nihil habebant, quod ederent. Niſi forte, quod ego quidem magis crediderim, utrumque illud vitium Corinthios inquinavit.* Quibus copioſius diſputatis pag. 13. ſubjungit: *Sed quid obſtat, quo minus ſtatuamus, etiam pauperes ſummopere expetiiſſe potum & cibum opiparum? Etenim Corinthi poſitio ad mercaturam & exquirendas omnis generis delicias opportuniſſima fuit. - - - Fuerunt ergo animi etiam plebis infimæ Corinthiæ, antequam eis inſtituta Chriſti inveteraſſent, pravo voluptatis ſtudio nimium infecti.* Cogitata hæc ſua firmat Vir doctus loco *Alciphronis* luculento III. 60. epiſt. in qua perditam divitum Corinthiorum impudentiam & pauperum miſerias depingit. Pertinet quoque huc, quod *Nicol. Gürtlerus* de Originibus mundi p. 634. probat, Corinthios ad rixas & contentiones perquam pronos fuiſſe.

Ὃς δὲ μεθύει) Verbum hoc & inebriationem, quam B. Lutherus expreſſit, & ſatietatem infert, quam alii malunt. Poſteriori ſenſu occurrit *Joh.* II. 10. ubi vide quæ ſcripſimus. Adde *Sauberti* Opera Poſthuma p. 178.

Sunt,

Sunt, qui ex hoc & præcedentibus commatibus privatum S. Cœnæ uſum, ubi neceſſitas non exigit, vetitum eſſe contendant. Huc ſpectat B. *Jo. Deutſchmanni* diſput. de communione privata, Witteberg. 1688. & D. *Jo. Pet. Grünenbergii* alia de vitando communionis privatæ ſeparatiſmo, Roſtoch. 1704. Omitto alia, ex Theologorum ſcholis petenda:

Verſ. 22. *Μὴ γὰρ οἰκίας ὐκ ἔχετε εἰς τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν;*) Judæi ſingularem reverentiam locis ſacris vindicant, tanquam in quibus ridere, cachinnari, confabulari, nedum edere, bibere aut deambulare non liceat. Vide *Maimonidem* in Jad chaſaka Tract. de oratione & benedict. ſacerdotum cap. II. §. 6. & adde *Ludov. Cappellum* in Spicilegio ad Jac. Cappelli notas in N. T. p. 95. Hoc vero omne a Gentilium licentia alienum eſt.

ἢ τῆς ἐκκλησίας τῦ Θεῦ καταφρονεῖτε;) Per Eccleſiam hic alii *cœtum ſacrum*, alii *ædificium*, cultui divino publico deſtinatum, intelligunt. Poſteriorum partes tuentur *Fullerus* Miſcell. Sacrorum lib. II. c. 9. *Jo. Seldenus* de Synedriis lib. III. c. 15. pag. 1279. & copioſiſſime omnium *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis pag. 319. ſqq. Prioribus ſe jungunt plerique omnes, ædificia ejusmodi primis Chriſtianiſmi ſæculis cognita fuiſſe, inficiantes. His acceſſit *Walterus Moyle* in Tomo I. epiſtolarum Anglice editarum pag. 378. ſqq. cujus argumenta in compendio recitat *Jo. Clericus* ὁμόψηφος in Bibliotheca Vetere & Nova Tomo XXVII. Parte II. p. 277. ſqq. Medium ſe his partibus interponit *Campeg. Vitringa* de Vetere Synagoga lib. I. Parte I. cap. III. & Parte III. cap. 1. pag. 433. *Non tranſeo quidem*, inquit, *nunc recta in eam ſententiam, quod Eccleſia hic ipſam tantummodo ſignificet* ſtructuram *lignorum & lapidum*, *alias προσευχτήριον* oratorium *dictam. In præcedentibus de eo diſputavimus*, *& diſcrepantes ſententias duas hac media ſtuduimus componere*, *quod ἐκκλησία hic notet ipſum* cœtum Chriſtianum *cum σχέσει ad* certum locum. *Pone itaque*, *ἐκκλησίαν hic notare cœtum ipſum*, (קהילה *ſive* קהל) *fidelium congregatum in certo quodam loco*, *illud tamen tenebimus*, *quod cum τὸ ἐν οἴκῳ diſtinguatur ἀπὸ τῦ ἐν ἐκκλησίᾳ*, *Eccleſia omnino fuerit congregata in* publico, *ſive in* ædificio *communis juris.* In hanc ſententiam lege in ſequentibus plura. Atque hanc merito & ſecure tenemus. Confer ſcripta ad v. 18. & Celeb. *Jo. Alb. Fabricii* Bibliographiam Antiquariam p. 300. ed. I.

Ἐπαινέσω ὑμᾶς; ἐν τύτῳ ὐκ ἐπαινῶ) *Joſ. Scaliger* apud *Schurzfleiſchium* in Actis Literariis p. 29. ita hæc mavult interpungere: *ἐπαινέσω ὑμᾶς ἐν τύτῳ; ὐκ ἐπαινῶ.* Sententia utrinque eadem eſt.

Verſ. 23. ſqq. *Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τῦ Κυρίυ, κ. τ. λ.*) Conſule Cl. *Franc. Wokenii* Stromata Apoſtolica Parte I. pag. 229. ſq. & diſſertationes Theologorum noſtratium ſingulares a M. *Wildeshauſenio* laudatas, quibus adde B. *Jo. Guil. Baieri* Analyſin & vindicias dictorum illuſtrium Scripturæ Sacræ Parte II. p. 169-208.

Παρέλαβον) *accepi*, *didici*: quo ſenſu eodem verbo utitur *Herodotus* lib. II. pag. 108. & 123. obſervante Rev. *Raphelio* in Annotatt. Herodoteis p. 475. ut

ut proinde Hebraiſmus, quem alii hic ſtatuunt, merito exſulare credatur. Fieri tamen poteſt, ut Apoſtolus ad Cabbalam & Maſoram, qua Judæi gloriabantur, verbis παρέλαβον & παρέδωκα alluſerit. Hæc eſt ſententia *Stephani le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 1063. *Erat*, inquit, *παράδοσις*, מסורה, *Traditio. Hæc obtinebat apud Hebræos, qui doctrinam vocabant* מסורה, Traditionem, *quod ea* traderetur *diſcipulis, & illis conſervanda & obſervanda concrederetur. Dicebatur etiam* קבלה Acceptio, *quod eſt correlatum* τῦ מסורה *ſeu* traditionis. *Quaſi doctrina non tantum tradita, ſed accepta. Ideo etiam Hebraice doctrina vocatur* לקח *ab accipiendo, & forſan etiam* משא *Jeſ.* XIX. 1. *Doctrina de Ægypto. Aquila ἄρμα, non ὅραμα.* LXX. *λῆμμα*, acceptio. *Hinc loquendi genus uſurpatum ab Apoſtolo: ἐγὼ παρέλαβον ἀπὸ τῦ Κυρίυ, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν.* Ego accepi a Domino, quod tradidi vobis: *accepi doctrinam a Domino, quam vobis diſcendam & retinendam communicavi. Hebraice diceretur:* קבלתי מיהוה שמסרתי לכם *Ubi vox* מסר tradere, & קבל, accipere, *occurrunt.*

Verſ. 24. Καὶ εὐχαριςήσας ἔκλασε, κ. τ. λ.) Lege, quæ ad Evangeliſtas Volum. I. obſervata ſunt.

Λάβετε, φάγετε·) Quoniam hæc in quatuor MSS. deſunt, ideo ex formula inſtitutionis S. Cœnæ transſumta huc credit *Millius* in Prolegomenis. Recte vero obvertit *Whitby* pag. 64. Examinis: *At, ſi hæc ibi ſint verba Chriſti, ſequitur, ea hic loci genuina eſſe, & ex Evangeliis ab Apoſtolo deſumta, utpote qui diſerte narrat*, ſe accepiſſe a Domino, quod traditurus erat illis. Cetera bene habent: interim perſuaſum mihi habeo, Paulum omnem hanc doctrinam non ex Evangeliis hauſiſſe, ſed a Chriſto doctore ἀμέσως accepiſſe. Miror vehementer, utrumque hoc verbum in nova editione Novi Teſtamenti Græco-Anglicani omiſſa eſſe.

Τῦτό μυ ἐςι τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον) *Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebr. pag. 699. radice פרס lit. C. ita: *Reſpicit itaque τὸ κλώμενον aut verbum* שבר, *aut aliquod aliud ejusmodi deſtructivum, & denotat paſſionem victimæ. Sicut & phraſis ſynonyma Lucæ, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον ſpectat traditionem victimæ, ut ea patiatur pro nobis. Alias enim nonnihil abſurdum eſſet, dicere homini cuipiam, te dare pro eo, quod ipſi das. Sic autem hæc vox ὑπὲρ & illa περί de calice uſurpata Matth. XXVI. 28. quadraret inter ſe. Adde, quod de altero elemento dicitur, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, quod ſpectat mortem, non diſtributionem, quod indicat & additum εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· his autem reſpondet κλώμενον de priori elemento: quare iſtud κλώμενον reſpondet Ebraico* שבר *vel* מחץ, *de quibus vide ſuis locis.* Contra ea Anonymus in Relationibus innoxiis de Nov. antiquis Theologic. an. 1703. p. 866. ſq. contendit, *τὸ κλώμενον de corpore Chriſti in ſacramento fracto & tradito* accipi debere. Idem ſtatuit B. *Lutherus* in Confeſſ. Major. Tom. III. Jenenſi Germanico & cum eo *Hülſemannus* & *Balduinus*, quibus vide, quæ B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. obvertit, meo judicio, omnino probanda.

Τȣ̃το ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν) *Hugo Grotius* in diſſertatione de eo : *an ſemper communicandum ſit per ſymbola ?* adſtructum ivit, non neceſſe eſſe, ut, in tanto ſententiarum inter Chriſtianos, reſpectu doctrinæ, divortio, quisquam uni ſe parti Sacræ Cœnæ uſu jungat, ſed ſatius eſſe, ab ea prorſus abſtinere, cum in his verbis non abſolute præcipiatur, ſed tantum certo quodam fine, nempe ad excitandam Chriſti memoriam, commendetur. Huic ſe præter *Petavium*, *Jo. Cloppenburgius* & *Henr. Dodwellus* oppoſuerunt, quorum reſponſiones Londini 1685. 8. junctim editæ exſtant. Ex noſtratibus autem *Amelius* Tomo I. der Erörterung p. 133. ſq. Exſtat alioquin D. *Henr. Mulleri* diſſ. de Euchariſtia mortis Dominicæ commemoratione, Roſtoch. 1665.

Verſ. 25. Τȣ̃το ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν πίνητε) His verbis frequentiorem S. Cœnæ uſum innui recte contenderunt, præter alios, noſtrates, ex quibus hic tantum appellabo *Joſuam Schwarzium* in ſcripto vernaculo contra Chiliasmum Parte III. c. 5. p. 369. ſq. & *Phil. Jac. Spenerum* in Conſiliis Theologicis Germanicis Tom. II. p. 856. Fuerunt, qui tempore tantum Paſchali ea utendum eſſe cenſerent. Contra hos lege *Thomæ Ittigii* Enneadem Exercitatt. Theologic. diſſert. VI. *Pet. Allixius* in Conſiderationibus librorum N. T. p. 254. Dominum noſtrum cœnam frequentius celebrandam voluiſſe cenſet, reſpectu habito ad Paſcha, cujus celebritas annua tantum fuerit. Ceterum *Petrus Brun*, Epiſcopus in Hibernia Corkenſis, ex hoc commate probare conatus eſt, nefas eſſe, bibere in memoriam defunctorum. Diſſertatio ejus *Londini* 1713. 8. anglice edita commemoratur in Bibliotheca Anglicana, gallice edita Tom. XIV. Parte II. p. 360. ubi & mentio injicitur commentationis, illi oppoſitæ.

Verſ. 26. Ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τȣ̃τον, κ. τ. λ.) Legi huc poſſunt, habito delectu, ex Anglis *Henr. Morus* in Operibus Theologic. Latinis p. 368. *Rob. Gell* in Reliquiis Anglice editis, Tomo II. p. 179-181. & *Steph. Charnock* Tomo II. Opp. qui p. 746-755. de fine & ſcopo S. Cœnæ; p. 756-767. de ejusdem uſu frequente, & p. 768-775. de uſu perpetuo duraturo commentatur.

τὸν θάνατον τȣ̃ Κυρίȣ καταγγέλλετε) Dominum noſtrum his verbis ad commemorationem beneficiorum, Judaico populo a Deo præſtitorum, in Paſchalibus ſolennibus *Exodi* XIII. 8. injunctam, reſpexiſſe cum *Hoornbeeckio* Tom. I. Miſcellaneorum Sacror. p. 328. & *Caſaubono* Exercit. XIV. adverſus Baronium cenſet *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 874.

Verſ. 27. Ὥστε ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον τȣ̃τον, κ. τ. λ.) Conferendi ad hoc comma fuerint ex noſtratibus Theologi Gieſſenſes in Diſputationum Tomo II. Diſp. I. §. 59. Tom. III. Diſp. VI. §. 180. *Barth. Botſaccus* in Vindiciis Feuerbornianis, Hafn. 1697. *Seb. Schmidius* in Tractatu de corporis & ſanguinis Chriſti in S. C. præſentia, cap. IX. p. 189-202. D. *Frid. Erneſt. Meis* in orthodoxa expoſitione Schleuſingæ 1700. & *Phil. Jac. Spenerus* in Reſponſis Theolog. Germanic. Tom. IV. p. 723.

ἢ πίνει) Ex particula ἢ, quæ frequenter disjunctiva eſt, Pontificii conficere conantur, alteram S. Euchariſtiæ ſpeciem ab altera poſſe ſeparari. Eam vero etiam conjungendi vim habere, & τῷ καὶ reſpondere, patet vel ex *Matth.* V. 17. Confer *Glaſſii* Philolog. Sacr. lib. III. Tract. VII. can. 8. Hinc recte *Syrus* h. l. *& bibens.* Quid quod v. 26. & 29. uterque actus edendi & bibendi per καὶ conjunguntur. Notandum præterea eſt, in antiquiſſimis verſionis Vulgatæ editionibus, v. c. Baſil. 1462. & triginta aliis inde ab illo anno usque ad 1569. excuſis, itemque in Miſſalibus, tam editis quam MSS. legi *& biberit*, quod oſtenſum eſt a *le Brun*, Presbytero Oratorii Pariſ. in Continuat. Memoriarum Literariarum & Hiſtoric. Tom. VIII. Parte I. n. III. Adde Ephemerides Pariſ. an. 1730. Dec. p. 451. ſq. ed. Belg.

ἀναξίως) Indigne edere & bibere *Lockio* in comment. ad h. l. idem videtur, quod alio inſtituto id facere, quam a Domino noſtro præceptum eſt, nempe in memoriam mortis ejus. Hanc vero eos ait neglexiſſe ex Corinthiis, qui panem & vinum S. Cœnæ pro parte epuli cujusdam ordinarii habuerint. Idem explorationem ſui ipſius eo quoque tantum pertinere cenſet, ut inquiratur, num in S. Cœna Chriſti memores ſimus. Enimvero amplius aliquid, & ſpeciatim animum ac conditionem eorum innui, qui S. Cœna fruerentur, recte contra Lockium monuit *Clericus* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 96. Confer *Seldenum* de Synedriis lib. I. c. VIII. p. 169. Τὸ ἀναξίως ad vocem Κυρίȣ immediate retulit recens Interpres in N. T. Græco-Anglicano, vertens: *without reſpect to the Lord*, inductus forte Codicum quorundam MSS. qui τὸ Κυρίȣ poſt ἀναξίως repetunt, exemplo. Perperam vero ita factum eſſe oſtendit *Leonb. Twells* in Examine Critico Parte I. p. 145.

ἔνοχος ἔϛαι τȣ̃ σώματος καὶ αἵματος τȣ̃ Κυρίȣ) Ex his verbis manifeſtum evadit, indignos etiam convivas vere corpus & ſanguinem Chriſti Sacramentaliter accipere. Retulit huc *Guſtav. Georg. Zeltnerus* diſputationem ſingularem Altorf. 1708. Adde *Trilleri* **Unterſuchung etlicher Oerter des Neuen Teſtaments** Parte I. p. 105. ſq.

Verſ. 28. Δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτὸν) Δοκιμασίαν illam i. e. propriæ conſcientiæ explorationem ex Patribus exponit *Jo. Seldenus* de Synedriis lib. I. c. 13. pag. 346. ex profanis vero Scriptoribus *Gatakerus* ad Antoninum X. 37. p. 381. Ipſius verbi efficacia frigidam *Jo. Lockii* interpretationem, cujus modo fecimus mentionem, ſatis convellit, contra quam leges etiam, ſi placet, Anonymi Angli *Remarks on ſome books* pag. 140. ſqq. Nec magis probavero *Sam. Werenfelſium*, cui τὸ δοκιμάζειν non tam *explorationem*, quam *approbationem* ſui inferre videtur, cum Paulus eos tantum ad S. Cœnam accedere velit, qui bono conſcientiæ teſtimonio gaudeant. Vide eum in Sylloge Diſſertationum Theologic. diſſertatione ultima pag. 505. & *Clericum*, ipſi fere adſtipulantem, in Bibliotheca Selecta Tom. XXI. Parte II. pag. 435. Equidem non negaverim, *approbationem* illam finem eſſe *explorationis* præviæ: inde vero

ro eadem opera colligo, poſteriorem hanc ab Apoſtolo ideo injungi, cum ſine illa finem hunc conſequi non liceat. Res plana eſt ex v. 31. ubi τὸ δοκιμάζειν per διακρίνειν explicatur. Interim video illam *Werenfelſii* interpretationem ſuam feciſſe nuperum editorem Novi Teſtamenti Græco-Anglic. recte ideo notatum a *Leonh. Twells* in Examinis Critici Parte I. pag. 146. Confer 2 *Cor.* XIII. 5.

Quomodo *exploratio* illa inſtituenda ſit, oſtenderunt, ut noſtrates, facile obvios & cognitos, omittam, *Rob. Gell* in Reliquiis anglice editis Tom. II. p. 182-186. & *Steph. Charnock* Tom. II. Operum p. 776-792. & p. 793-814. qui & p. 814-823. de indigno ejus uſu diſſerit.

Καὶ ὕτως ἐκ τῦ ἄρτυ ἐσθιέτω) Ita *Arrianus* lib. III. c. 15. Diſſertatt. ἑκάςυ ἔργυ σκόπει τὰ καθηγύμενα καὶ τὰ ἀκόλυθα, καὶ ὕτως ἔρχυ ἐπ' αὐτό. Compara Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybianas & Xenophonteas.

Καὶ ἐκ τῦ ποτηρίυ πινέτω) *Poſt tam expreſſa Pauli verba, quis ferat conventum Conſtantienſem, de adimendo populis calice leges condentem?* Ita recte interrogat *Paulus Colomeſius* in Obſſ. Sacris p. 48.

Κρῖμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει) Phraſin illam *Thom. Gravius* in Annotatt. ad verſionem Evangeliorum Perſicam, quæ in Tomo VI. Bibliorum Polyglottorum Londinenſium exſtant, pag. 95. ad *Joh.* III. 18. ubi *Perſa* verba ὐ κρίνεται, reddidit: *judicium non comedet;* ita exponit: *Qui mentitur, aut jurat, qui cura torquetur, vel pœnas luit, a Perſis* mendacium, juramentum, ſolicitudinem, ſupplicium comedere, ſeu devorare *dicitur. Matth.* VI. 34. ne anxii eſtote: & *paulo poſt -- quod Latino Interpreti ſic vertere libuit:* moleſtiam devorabit. *Crebras ejuſmodi locutiones apud Hebræos & alios Orientales, & nonnunquam apud Græcos & Latinos reperies. Hinc illud Diaboli nomen toties Chaldæis & Syris uſitatum* אכלקרצא, *quod proprie eum notat, qui criminationibus veſcitur, ſeu* calumniis paſcitur. *Ad Perſicam phraſin*, edit judicium, *prope accedit illud Apoſtoli* 1 *Cor.* XI. 29. κρῖμα ἐσθίει. Τὸ κρῖμα hic non de æterna condemnatione, ſed gravibus pœnis externis & ſecularibus, poſt *Werenfelſium* in citata diſſertatt. Theologicarum Sylloge, accipit ex noſtratibus *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 833. inprimis cum v. 30. de morbis, in Corinthiorum nonnullos graſſantibus, Apoſtolus loquatur. Idem contra verſionem Anglicanam monuerat *Lockius* ad h. l. quam vero Anonymus Anglus in *Remarks on ſome books* p. 145. ex eo tuetur, quod, quamvis hic præcipue ad pœnas temporales reſpiciatur, æternum tamen exitium illis v. 32. prænuncietur, qui pertinaciter praviſſimæ illi conſuetudini indulſerint.

Μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τῦ Κυρίυ) *non diſcernens corpus Domini*, nempe ab aliis vulgaribus & profanis cibis. Ita *Herodotus* lib. III. pag. 201. ἔφερε δὲ καὶ ἦγε πάντας διακρίνων ὐδένα. Confer *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 475.

Verſ. 30-32. Διὰ τῦτο ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς, κ. τ. λ.) Hæc ſectio copioſe illuſtratur, & ad uſum vitæ accommodatur a *Jo. Altingio* Tom. IV. Operum

rum in calce, pag. 108-122. Deſcribi is primis verbis ait morbum gravem, omnes vires correptis adimentem, lethalem, eosdem crebro perimentem, contagioſum, ad plures pervadentem, & pariter afficientem, verbo peſtilentiam.

κοιμῶνται) *mortui ſunt.* Vide Vol. I. p. 412. & 916.

Verſ. 31. Ἐι γὰρ ἑαυτὺς διεκρίνομεν, ὐκ ἂν ἐκρινόμεθα. Verſ. 32. κρινόμενοι δὲ, ὑπὸ Κυρίυ παιδευόμεθα) *Zeugma* in his verbis exſtare ſuſpicatur eruditiſſimus *Jo. Conr. Schwarzius* in Monumentis Ingeniorum Tomo III. p. 256. quo fiat, ut τὸ ὑπὸ Κυρίυ, ſemel poſitum, bis tamen ſit intelligendum. Plena itaque foret oratio: εἰ γὰρ ἑαυτὺς διεκρίνομεν, ὐκ ἂν ἐκρινόμεθα ὑπὸ Κυρίυ. Κρινόμενοι δὲ ὑπὸ Κυρίυ, παιδευόμεθα &c. Itaque voces κρινόμενοι δὲ ὑπὸ Κυρίυ, per comma ſecerni vult a ſequentibus. Mentem explanat amplius his verbis: *Scilicet juſtitia Dei invigilat omnibus hominum actionibus. Si quis igitur ſuis ipſe negotiis attendat animum, ne correctionibus divinis locus relinquatur: tum vero animadverſiones divinæ ceſſant, & omnia pacata permanent. Contra, ſi quis oſcitanter migret officium: tum vero Deus, auctoritate ſua interpoſita, caſtigat homines, ne diutius labantur & ruant. Etenim ſi ruerent: futurum eſſet, ut ſempiternum etiam incurrerent exitium.* Verbum κρίνειν pro κατακρίνειν hic poſitum eſſe arbitrantur Patres nonnulli apud *Suicerum* Tom. II. p. 160. Theſauri.

Verſ. 32. Κρινόμενοι δὲ ὑπὸ Κυρίυ παιδευόμεθα) i. e. paterne, moderate & in commodum noſtrum a Domino caſtigamur. Ita verbi notionem explicant recte Patres apud *Suicerum* l. c. p. 545.

Verſ. 34. εἰς κρῖμα συνέρχησθε) De voce κρῖμα legatur idem *Suicerus* pag. 161.

C A P. XII.

VErſ. 1-11. Pertinent huc, quæ Cl. *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſt. Parte II. p. 113. ſqq. & doctiſſimus *Seb. Edzardus* in diſſ. de Uſu Logices in Emphaſibus Sacris ad hanc pericopen, Hamburgi an. 1713. commentati ſunt.

Verſ. 1. Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν, ἀδελφοὶ, ὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν) Vox πνευματικῶν vel in *maſculino*, vel in *neutro* genere hic poſita credi poteſt. Si prius; πνευματικοὶ ſcil. ἄνθρωποι, h. e. homines, ſpiritualibus donis inſtructi; ſin poſterius amplectaris, πνευματικὰ, ſcilicet χαρίσματα, i. e. *ſpiritualia dona* intelligentur. Prius mavult *Lockius* ad h. l. provocans ad cap. II. 15. & XIV. 37. hujus epiſtolæ, item ad *Gal.* VI. 1. Qua in re procul dubio *Grotium* ſecutus eſt, πνευματοφόρυς innui ſtatuentem, qui vel ſancto vel impuro Spiritu agitentur. Poſterius Interpretibus antiquis & recentioribus tantum non omnibus placet, ut & *Lamberto Bos* de Ellipſi Gr. L. pag. 219. Plene phraſis exſtat *Rom.* I. 11. χάρισμα πνευματικόν. Quod ad rem attinet, non multum refert,

fert, utram ſententiam ſequaris. Cum vero uſus poſterior Paulo frequentior ſit, & v. 4. χαρισμάτων mentio fiat, illam quidem vocem malim ſubintelligi.

Verſ. 2. Ὅτι ἔθνη ἦτε) Nonnulli Codd. legunt ὅτε, quod & Interpretibus quibuſdam placuit, refragante omnino ſtructura, quæ hic exſtat, Grammatica. Lege *Millium* ad h. l.

Ἀπαγόμενοι) Verbum ἀπάγεσθαι de iis frequenter adhibetur, qui ad ſupplicium ducuntur. Vide Vol. I. p. 388. 403. & 1175. Fortaſſe Apoſtolus Corinthios, in gentiliſmo ante conſtitutos, comparat cum victimis, quæ Deaſtris immolandæ duci ſolebant.

Verſ. 3. Λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν) i. e. *dicit, quod Jeſus ſit exſecrandus.* Ita viciſſim Paulus infra XVI. 22. eum qui Chriſtum non amet, ait eſſe exſecrandum: ἤτω ἀνάθεμα. Pro tali vero Chriſtum Judæi habebant, & habendum pronunciabant, quotiescunque Chriſtianos excommunicationis fulmine percutiebant. Lege huc *Seldenum* de Synedriis lib. I. cap. VIII. p. 149. Neſcio, cur Cl. *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 114. mitius vocem interpretari velit, ut ſcilicet Chriſtus, tanquam Salvator, pro homine peccaminoſo habendus eſſe tantum negetur. Certe oppoſitum, *Chriſtum Dominum vocare*, aliquid amplius infert, quam Chriſtum pro homine a peccatis omnibus immuni habere.

Καὶ οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν) Per Synchyſin hæc ita poni viſa ſunt nonnullis, cum ſcribi debuiſſet εἰπεῖν Ἰησοῦν Κύριον. Contra eos lege Cl. *Wokenium* l. c. & in Pietate Critica contra Synchyſes pag. 128. Scilicet Paulus vocem efficaciſſimam, & in cujus notione præcipuum cauſæ hujus momentum poſitum erat, priore loco ponit, quemadmodum idem in priore fecerat de voce ἀνάθεμα. Τὸ, εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν hic eſt *Jeſum agnoſcere Dominum, in eum credere, nomen ejus invocare, celebrare ac glorificare, vera fidei confeſſione, ſancta obedientia, & ſubjectione.* Ita breviter & nervoſe *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Cl. *Oederus* in Syntagmate Obſervatt. Sacrarum pag. 758. hæc dici cenſet *in Judæos tum temporis circumvagantes, qui, cum mira portenta venditarent, Salvatori tamen noſtro ſanctiſſimo anathema dixerint*, ex quo omnino intelligatur, eos Spiritum S. minime habere, de quo viciſſim certi eſſe poſſint, qui Chriſtianam religionem ſincere profiteantur. Idem video placuiſſe *Jo. Clerico* in Notis ad N. T. Gallicum p. 155.

Verſ. 4. Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσὶ, κ. τ. λ.) Illuſtrantur hæc a B. *Jo. Adamo Scherzero* in Sciagraphia donorum Spiritus S. ſpecialium, Lipſ. 1691. Vocem χαρίσματα exponit *Suicerus* Tomo II. Theſauri p. 1500.

Commate hoc veteres Eccleſiæ doctores uſos eſſe ad adſtruendam Spiritus S. Deitatem, oſtendit *Petavius* Tomo II. Dogmatum, lib. II. de Trinitate cap. XIII. §. 3. & cap. XV. §. 3. Ex iisdem alios nomen *Spiritus* v. 4. *Domini* v. 5. & *Dei* v. 6. de eodem Spiritu S., alios de tribus SS. Trinitatis perſonis, accepiſſe conſtat.

Verſ.

Verſ. 6. Καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων) ἐνεργήματα & συνεργήματα a *Polybio* p. 1280. diſtingui, at in N. T. τὸ ἐνεργεῖν & συνεργεῖν ſæpe idem valere obſervat *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 471.

Ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν) Inſpice *Suicerum* Tomo I. Theſauri p. 1115.

Verſ. 7. Ἑκάστῳ δὲ δίδοται ἡ φανέρωσις τοῦ Πνεύματος) Ad hoc & ſequentia nonnulla commentatur *Trillerus* in der Unterſuchung etlicher Oerter Neues Teſtaments Part. II. p. 106. ſqq. cum delectu adhibenda.

Verſ. 8. 9. 10. explicantur a Vener. *Val. Erneſto Læſchero* in edlen Andachts-Früchten p. 680.

Verſ. 8. Ὧ μὲν γὰρ διὰ τοῦ Πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας, ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως) Per λόγον σοφίας *Lockius* ad h. l. totam doctrinam Evangelii Apoſtolis communicatam, per λόγον γνώσεως vero donum intelligendi ſenſum myſticum legis & Evangelii intelligit. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. prius de σοφίᾳ τοῦ λέγειν ſeu *loquendi facultate*; poſterius de *facultate judicandi*, ſive γνώσει λογικῇ, cum *Chryſoſt.* & *Theophylacto* accipit. Confer *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 250.

Verſ. 9. Ἑτέρῳ δὲ πίστις) Per πίστιν non fidem ſalvificam, quippe quæ omnibus ad Chriſtum perducendis & perductis debet eſſe communis, ſed vel *miraculoſam*, vel *fiducia ſingulari* in calamitatibus aut alias *inſtructam* intelligi, recte poſt alios monuit *Trillerus* l.c. p. 111. ſqq. Adde *Grotii* Opera Theologica Tom. III. p. 496. & 617. Confer infra XIII. 2. Ita olim *Chryſoſtomus* & *Theophylactus* de fide miraculoſa interpretati ſunt apud *Suicerum* Tom. II. p. 727.

Ἑτέρῳ δὲ χαρίσματα ἰαμάτων) Vide *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 1049.

Verſ. 10. Ἄλλῳ δὲ ἐνεργήματα δυνάμεων, κ. τ. λ.) Conferatur *Guil. Saldenus* in Otiis Theologicis p. 456.

Ἄλλῳ δὲ διακρίσεις πνευμάτων) Per *diſcretionem Spirituum* plerique noſtratium facultatem veros Chriſtianos a ſimulatis diſtinguendi recte intelligunt, cum quibus ſentiunt *Hammondus* ad h. l. & *Heideggerus* in Analyſi Exegetica hujus epiſtolæ. Nonnulli eam referunt ad dijudicanda oracula & prodigia vera & ficta. Inter hos ſunt *Grotius*, *Pricæus* & *Cavius* in Vitis Apoſtolorum p. 180. Cl. *Petrus Zornius* in der Erörterung ſub *Amelii* nomine edita Parte II. pag. 133. & in Opuſculis Sacris p. 371. ſqq. ſignificari hic ſpeciatim cenſet *admiranda indicia, quæ in miniſtris eligendis extra ordinem Divinum Numen prodiderit.* Lege ipſe, & judica.

Γένη γλωσσῶν) Inter has *Bivarius* ad Flavium Dextrum numerat linguam Hiſpanicam, vane & leviter, cum lingua illa tunc nec exſtaret, nec ea uterentur Hiſpani, aliquot ſcilicet ſæculis poſt demum nata. Copioſius rem ediſſerit *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 1035.

Verſ.

Verſ. 11. *Πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἕν, καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα*) Spectat huc ſingularis *Iſaaci Fauſtii* de Spiritu Sancto diſſertatio, Argentor. 1688. Idem comma cum ſequentibus nonnullis illuſtrat *Wolfburgius* p. 171. ſqq.

Διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ) *Auguſtinus* & *Hieronymus*, a Millio allati, convertunt: *propria cuique.* Itaque legiſſe videntur *ἴδια*, quod etiam in verſione ſua expreſſit B. *Lutherus* noſter: und theilet einem jeglichen ſeines zu. Atque ita legi vult *Knatchbullus* pag. 84. ſubintellecta voce *χαρίσματα*. Quod ad ſenſum, parum intereſt, utram lectionem ſequaris. Tenenda tamen eſt communior in omnibus Codd. MSS. obvia. Grotius phraſin recte confert cum Hebraico בפרט i. e. *ſigillatim*, *ſpeciatim.* *Τὸ ἰδίᾳ* ſcilicet eſt ellipticum, voce *χώρᾳ*, vel ſimili, ſupplendum. Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. L. voce *χώρα*, & adde *Pſocheniuм* §. 96.

Verſ. 12. *Καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἕν ἐστι, καὶ μέλη ἔχει πολλά, κ. τ. λ.*) Simili hoc ad commendandum pacis & ſocietatis ſtudium utuntur etiam profani Scriptores, v. c. *Seneca* de Ira lib. II. cap. 31. *Hierocles* pag. 298. ed. Cantabrig. & *M. Antoninus* VII. 13. ubi lege *Gatakerum*, nec omitte *Jo. Henr. Urſinum* in Analectis II. p. 149.

Οὕτω καὶ ὁ Χριστός) ita etiam Chriſtus, reſpectu ſcilicet *cœtus Chriſtiani.* Confer *Galat.* III. 16. Adde *Jo. Clerici* Artem Criticam Tom. I. Part. II. Sect. I. c. XI. 11. *Jac. Guſſetium* contra *Chiſſuk Emuna* p. 443. & *Herm. Witſium* Tom. II. Miſcellaneorum p. 67. Adpoſite *Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. VI. c. 21. pag. 494. ad h. l. *Voluit dicere:* ita & Eccleſia. *Sed emphatice magis dixit*: ita & Chriſtus; *ob arctiſſimam* Eccleſiæ *unionem cum ſuo* capite, *quippe quæ eſt* complementum ejus, qui omnia in omnibus implet. *Caput enim non magis poteſt eſſe abſque* corpore, *quam corpus abſque* capite. Omitto reliqua.

Verſ. 13. *Καὶ γὰρ ἐν ἑνὶ Πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν*) Adi, ſis, M. *Georg. Hæberlini* diſſertationem, Tubing. 1681. & *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. pag. 548. Spectant etiam huc, quæ *Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. V. cap. 7. de communione Chriſtianorum externa hypothetica ex h. l. diſſeruit. Vide pag. 96. 99. 101. & 106. nec minus *Gatakerum* in Operibus Criticis p. 688.

Καὶ πάντες εἰς ἓν Πνεῦμα ἐποτίσθημεν) Pauci Codd. MSS. hic legunt *εἰς ἓν πόμα.* At receptam lectionem merito pro germana habet *Millius*, alteram vero illam *πόμα* ex *περιεργίᾳ* Studioſi cujuſdam natam putat, in animo forte habentis *πόμα πνευματικόν*, de quo ſupra X. 4. *Πνεῦμα* ſcilicet hic reſpondet *τῷ σώματι*, atque hujus vocis ſenſum ſpiritualem eadem opera illuſtrat. Miror itaque, *Sam. Clarckium* Tom. IV. p. 99. concionum ſuarum Anglice editarum in corruptam hanc approbandam proclivem ſe profiteri. Phraſin integram copioſius interpretatur *Caſp. Mauritius* in commentatiuncula ad Aphoriſmum hunc Apoſtolicum Roſtoch. 1655. quæ in Bibliotheca Diſputationum Wildeshauſenii ab *Henr. Mulleri* commentatiuncula non erat diſtinguenda. *Mullerus* enim diſputantium more *Mauritii* præſidium eſt expertus.

Verſ. 15. Ἐὰν εἴπῃ ὁ πȣ̃ς· ὅτι ȣ̓κ εἰμὶ χεὶρ, ȣ̓κ εἰμὶ ἐκ τȣ̃ σώματος) Similiter in לקח טוב ita: כי כל העדה כגוף אחד נבדל באבריו וכ׳ *Nam univerſa Eccleſia eſt inſtar unius, corporis, diviſi in membra ſua: ſicut enim cum manus hominis percuſſerit pedem, aut aliud aliquod membrum, non revertitur ad percutiendum manum ſuam ad vindicandum pedem, ita, ſi quis in alium peccat, præceptum eſt, ut alter alteri e veſtigio condonet.*

Ὀυ παρὰ τȣ̃το ȣ̓κ ἔςιν ἐκ τȣ̃ σώματος;) *nonne propterea*, aut *vel ſic eſt pars corporis?* Eodem ſenſu παρὰ τȣ̃το aliquoties adhibet *Polybius* pag. 775. παρὰ τȣ̃το συνέβη, *ex quo factum*; & pag. 808. Confer *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 471.

Verſ. 17. Ἐι ὅλον τὸ σῶμα ὀφθαλμὸς, πȣ̃ ἡ ἀκοή;) Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 336.

Verſ. 18. Νυνὶ δὲ ὁ Θεὸς ἔθετο τὰ μέλη, ἓν ἕκαςον αὐτῶν ἐν τῷ σώματι καθὼς ἠθέλησεν) Singula corporis membra ſuo quæque loco, prout toti convenit, collocavit Numen Optimum, non minus pro arbitrio ſuo, quam ſapientiſſime. Spectat huc egregius *Claud. Galeni* liber *de uſu partium corporis humani*, de quo doctiſſimus *Fabricius* noſter in Biblioth. Græca, & in Syllabo Scriptorum, qui veritatem religionis Chriſtianæ adſtruxerunt, pag. 144. exponit; nec minus illorum lucubrationes, qui ex ſtructura nunc totius corporis humani, nunc unius alteriusve membri, Numinis exiſtentiam & ſapientiam demonſtrarunt. Horum quoque nubem producit idem *Fabricius* libri citati p. 292. ſqq.

Verſ. 21. Ὀυ δύναται) *Non decet, nec fas eſt.* Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 964.

Verſ. 22.23. Ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον, κ. τ. λ.) Lege *Jo. Henr. Urſini* Analecta Tom. II. p. 152. ſqq.

Verſ. 23. Τȣ́τοις τιμὴν περιτίθεμεν) Τιμὴν περιτιθέναι *ſignificat generatim* honorem exhibere, *hoc autem loco metonymice* veſte contegere, *ea corporis membra, quæ adſpectum eſſent deformem habitura atque turpem, qui eſt honor quidam.* Ita doctiſſimus *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 472. varia *Polybii* loca ex pag. 478. 572. &c. promens, in quibus verbum περιτιθέναι translate, v. c. βασίλειαν, ἀρχὴν, κράτος adhibetur. De veſtimentis proprie dicitur *Matth.* XXVII. 28. Eandem notionem huic loco verſio *Montenſis* Gallica tribuerat, ita reddens: *nous honorons même davantage* par nos vêtemens, *les parties du corps* &c. quam adverſus exceptiones tuetur *Arnaldus* in Defenſione illius verſionis pag. 227. Quod τιμὴν hic vocat Apoſtolus, id δασμὸν ſeu *debitum tributum* Cleanthes apud *Sextum* lib. IX. p. 572. appellaſſe videtur. Lege ibi *Fabricii* notas.

Καὶ τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν) Quo ſenſu membra quædam corporis ita appellentur, oſtendit *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. p. 163.

Verſ. 25. Ἵνα μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι) Vox σχίσμα hic proprie uſurpatur, ſicut σχίσις alias, quam *Suidas* per χώρισιν, *diviſionem, ſeparationem* inter-

interpretatur, quemadmodum *σχισμὴ* *Heſychio* eſt *διαχώριστις*. *M. Antoninus* VIII. 34. hominem, *τὸν μὴ θέλοντα τὸ συμβαῖνον* aut *ἀκοινώνητόν τι πράσσοντα* dicit *ἀποσχίζειν ἑαυτὸν*, *abſcindere ſeſe*, eumque comparat cum manu vel pede abſciſſo.

μεριμνῶσι τὰ μέλη) Codex MS. *Germanenſ.* legit *μεριμνᾷ τὰ μέλη*, forte ideo, quod poſterius magis Græcum & Atticum eſſe exiſtimaret. Sed vide tu *A. Blakwallum* in Claſſicis Sacris p. 270.

Verſ. 26. *Καὶ εἴτε πάσχει ἓν μέλος, συμπάσχει πάντα τὰ μέλη*) Ita *Themiſtius* Orat. XVII. p. 463. *Ὥσπερ οὖν ἐπὶ τῶν ἡμετέρων σωμάτων, κἂν τὸ τυχὸν μέρος πονῇ, παραπέμπει τῷ σώματι τὴν ἀλγηδόνα.* Quem locum cum ſimili *Senecæ* alio producit *Lamb. Bos* pag. 145. Obſervatt. Adde *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 698. Cl. *Dan. Wilhelmus Trillerus*, vir eruditiſſimus, in Notis ad h. l. MSS. hæc habet: Gnome eſt medica, cujus veritatem vel ipſa quotidiana confirmat experientia. Idem ſæpius in ſcriptis ſuis dixit *Hippocrates*, cujus hic inprimis locus e libro de Loc. in Hom. III. huc maxime ſpectat: *εἴ τις βούλεται τοῦ σώματος ἀπολαβὼν μέρος κακῶς ποιεῖν τὸ σμικρότατον, πᾶν τὸ σῶμα αἰσθήσεται τὴν πεῖσιν, ὁποίη ἄν τις ᾖ. διὰ τότε, ὅτι τοῦ σώματος τὸ σμικρότατον πάντα ἔχει ὅσαπερ καὶ τὸ μέγιστον. κ. τ. λ.* Simile crebro apud *Galenum* in libb. de Uſu partium & de adminiſtrat. anatomiæ, *Nemeſium* de Nat. hum. c. 24. pag. 204. *Theophilum Protoſpath.* de corporis humani fabrica, aliosque plures. Huc & Lucretius L. III. 154. *Conſentire animam totam per membra videmus.*

Verſ. 27. *καὶ μέλη ἐκ μέρους*) Dicuntur hæc de Corinthiorum cœtu, reſpectu aliorum totius Eccleſiæ Chriſtianæ, ea ætate vigentis. *Vulg.* legit *ἐκ μέλους*, quem ſecuti ſunt Latini quidam Doctores. Senſu fere nullo, ut mirer, Millium hanc lectionem approbare potuiſſe, quod facit in Prolegomenis §. 460. & 926. Animadvertit in eum *Whitbius* pag. 64. Examinis. Compara *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. IV. p. 116. ubi de Hierarchia Eccleſ. III. 14. 8. Phraſin eandem expreſſit *Seneca* p. 95. *Omne hoc, quod vides, quo divina & humana concluſa ſunt, unum eſt; membra ſumus corporis magni.* Confer *M. Antonini* VII. 13. Interim Stoicorum hominum verba ab illa impuritate ſenſus liberanda ſunt, quem ex placitis eorum ſecum ferunt.

Verſ. 28. *Καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, πρῶτον Ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, κ. τ. λ.*) His lucem affundunt ex noſtratibus *Adamus Rechenbergius* in diſſertat. de titulis & gradibus Eccleſiaſticis in primitiva Eccleſia, quæ in Exercitationibus ejus ad N. T. & Hiſt. Eccleſ. legitur pag. 357. *Abrah. Calovius* in Programmate Inaugurali anno 1675. edito, & in *Gab. Terne* Sylloge Diſſertatt. pag. 690. recuſo, & *Chriſtoph. Matth. Pfaffius* in Originibus Juris Eccleſiaſt. paſſim, v. c. pag. 60. 69. & 70. ex Anglis, *Henr. Dodwellus* de Jure Laicorum pag. 214. ſqq. ex Reformatis, *Claud. Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 409. *Guil. Saldenus* in Otiis pag. 456. *Herm. Witſius* in Miſcellaneis lib. I. cap. 21. §. 47. & copioſiſſime *Campeg. Vitringa* de vetere Synagoga

 paſſim,

paſſim, v. c. p. 505. ex Pontificiis denique *Dionyſ. Petavius* de Hierarchia Eccleſ. & in Diſſertationibus Eccleſiaſticis, in Tom. IV. Dogmatum Theologic. recuſis, ac *Salmaſio* potiſſimum de Fœnore Trapezitico oppoſitis.

καὶ ὓς μὲν ἔθετο) Τὸ ὓς *Æthiops* per *aurem* vertit, adeoque ὖς legit. Confer *Edmundi Caſtelli* Lexicon Heptaglotton p. 74. In eadem voce hallucinatus quoque eſt nuperus editor Novi Teſtam. Græco-Anglicani, quando τὸ ὓς per relativum *quos* reddidit, cum particula μὲν requirat, ut per *aliquos* convertatur. Recte itaque notatus eſt a *Leonh. Twells* in Parte I. Examinis Critici illius N. T. p. 113.

ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις) Mirum eſt, auctorem epiſtolarum II. de nova editione N. T. quam eo tempore moliebatur Celeb. *Rich. Bentlejus*, Londini 1721. 4. editarum, impetrare a ſe potuiſſe, ut binas has voces pro gloſſematibus haberet pag. 21. quæ ſcilicet primum ad explicandas δυνάμεις, quas alii per *auxilium* ἀντιλήψεις, alii per *imperium* ſeu κυβερνήσεις explicandas cenſuerint, in ora ſcripta, hinc vero in contextum ipſum relata ſint. Ut perpetuum Codicum conſenſum taceam, vel ea, quæ Interpretes de voce δυνάμεις monuerunt, efficiunt, ut illas ad hujus explicationem comparatas fuiſſe minime omnium vel ſomniantes credere poſſimus. Et vereor, ut, dum hæc ſcriberet, auctor ſerio rem egerit. Amplior & certior eſt de utriuſque vocis notione diſputatio. Quomodo Patres τὰς ἀντιλήψεις acceperint, oſtendit *Suicerus* Tom. I. Theſauri pag. 376. *Vulg.* Interpres per *opitulationes* reddidit, approbante *Joſ. Scaligero* in Epiſtolis v. 810. Græco-Barbarus ſimiliter per βοηθείας. *Xenophontis* hanc in rem locum, a *Victorino Strigelio* ſubindicatum, producit *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis pag. 229. Κυβερνήσεις inferunt *gubernationes*. Hanc poſteriorem vocem, quod ad præſens argumentum ſpectat, ita quidam acceperunt, ut in vetere Eccleſia Presbyteros Laicos, ſeu de plebe, fuiſſe pugnarent, quibus commiſſa ſit *Eccleſiæ* gubernatio, abſque poteſtate *docendi & exhortandi*. His autem occurrit recte *Vitringa* de vetere Synagoga Lib. II. cap. 3. pag. 506. totam cauſam ita proponens: *Officium Presbyterorum olim erat idem, iisdem inſigne honoribus, iisdemque gravatum oneribus, ſi illud in ſe conſideres. Ut tamen Deus ſuo Spiritu in Eccleſia prima varie operatus eſt, iisdem his Presbyteris varia diſtribuit dona. Hunc docendi dono inſtruxit, aliis impertivit adhortandi, conſolandi, diſputandi, ſanandi, virtutes edendi, & linguarum dotes; aliis rurſus contulit gratiam* κυβερνήσεως, *gubernationis, ad quam prudentia & conſilium requiruntur. Quisque Presbyterorum, imo & quodque membrum Eccleſiæ ſuas has dotes collocabat in commodum credentium totius Eccleſiæ.* Tandem poſt alia diſputata pag. 507. in *Theophylacti* acquieſcit ſententia, τὰς ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις ita interpretantis: τȣτέςι, τὸ ἀντέχεσθαι τῶν ἀσθενῶν, καὶ τὸ κυβερνᾷν, ἤτοι οἰκονομεῖν τὰ τῶν ἀδελφῶν. In eandem ſententiam diſſerit *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 409. *At*, inquiens, *cum idem Apoſtolus inter ea* χαρίσματα *Eccleſiæ nominat* ἀντιλήψεις *&* κυβερνήσεις *adjutoria &* gubernationes, *de illis Presbyteris ſive Epiſcopis intelle-*

tellexit, qui Eccleſiæ res procurabant, & diſpenſabant, atque etiam Sacramenta populo adminiſtrabant. Nec mirum, cum omnes ex Presbyterio ſeniores Epiſcopi tum vocarentur & eſſent, cujuscunque ordinis omnino forent, alios docendi tantum munus & prædicandi habuiſſe, aliis negotia eccleſiaſtica diſpenſanda, & Sacramenta adminiſtranda eſſe data. Jo. Lightfootus per ἀντιλήψεις intelligit *Apoſtolorum comites*, qui illis adjumento fuerint in baptiſandis credentibus, κυβερνήσεως autem vocem ex LXX. Interpretibus, qui Hebræum תחבולות per κυβέρνησιν convertere ſolent, (*Prov.* I. 16. XI. 14.) de *ſolertia*, quæ Hebræi illius notio eſt, accipit, atque adeo donum illud indicari cenſet, quod ad διάκρισιν πνευμάτων ante commemoratam pertineat, tanquam quæ ſine *ſolertia*, judiciique *acumine* ſuſcipi non poſſit. Suffragatur illi ex parte *Vitringa* l. c. quando p. 509. τὰς ἀντιλήψεις non de *diaconis*, ſeu *comitibus Apoſtolorum*, ſed de *Interpretibus peregrinarum linguarum*, κυβερνήσεως autem donum de facultate *Spiritus diſcernendi* interpretatur. Ceterum ex illa κυβερνήσει verbi divini Miniſtris imperium in Eccleſiam externum vindicari non poſſe, præter alios, evicit B. *Buddeus* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ p. 1756.

Verſ. 29. μὴ πάντες προφῆται;) Lege Rev. D. *Alberti Menonis Verportennii* Programma ſingulare Coburgi 1728. editum.

μὴ πάντες, δυνάμεις;) Hæc, ſublato interrogandi ſigno, cum ſequentibus conjungi vult *Henr. Stephanus* in diſſert. de Stylo N.T. Græco p. 27. collectionis Honertianæ, ut legamus: μὴ πάντες δυνάμεις, μὴ πάντες χαρίσματα ἔχουσιν ἰαμάτων; *num omnes facultatem habent miracula patrandi, aut ſanandi ægrotos?* Eum, quamvis non appellatum, ſecuti ſunt *Knatchbullus*, & *Hombergius* ad h. l. Refragatur autem hoc nexui orationis Paulinæ. Si enim comma hoc cum proxime præcedenti compararemus, patebit, Apoſtolum, ut ibi, ita & hic diverſa membra a ſe invicem diſtinguere, ut appareat, ſingulis ſua divino munere dona competere, quo ipſo efficitur, ut δυνάμεις & χαρίσματα ἰαμάτων, v. 28. ſeparata, per verbum ἔχουσι in unum hic compacta eſſe credere non poſſimus. Nihilominus cum *Stephano* facit *A. Blakwallus* in Claſſicis Sacris Anglice editis Tom. II. p. 138.

Scilicet, *non omnia omnes poſſe*, vetus eſt dictum. Vide inprimis *Homerum* Iliad. ν. v. 730. ſq.

Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήια ἔργα.
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδὴν, κ. τ. λ.

item Odyſſ. θ. v. 167. ſqq. nec non *Plutarchum* de animi tranquillit. p. 316. Οὐ πάντα πάντων ἐστὶ κ. τ. λ. Attulit hæc Cl. *D. W. Trillerus* in notis MSS.

Verſ. 31. Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα) *Sectamini vero dona potiora.* Ita *Heſychius* δίωκε, ζήλου. Eandem verbo huic notionem ex Scriptoribus externis, v. c. *Euripide* Hecuba v. 255. *Eunapio* in Prooem. p. 11. &c. vindicarunt *Jo. Alberti* & *Jac. Elsnerus* p. 350. & 118. Obſervationum.

καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι) *Claud. Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 344. hæc ita refingit: καὶ εἴτι καθ' ὑπερβολὴν ὅλον ὑμῖν δείκνυμι.

Ita enim, ſic pergit, *hæc verba legenda*, *partim ex vetuſtiſſimo codice Puteanæ Bibliothecæ*, *in quo ſcriptum eſt* ἔιτι, *non* ἔτι. *At* ὅλον *pro* ὁδὸν *certiſſima eſt conjectura*, *& minima conſtans mutatione*, *ex libris antiquitus exaratis*, *charactere*, *ut vocant*, *capitali*, *nullo inter lambda & delta diſcrimine*, *niſi lineæ*, *quæ in hac ſubtenditur* (Λ Δ) Æmulamini, *ait Apoſtolus*, chariſmata meliora, & ſi quid vobis totum eximium, & excellens, monſtro. Ὅλον καθ' ὑπερβολὴν, *totum excellens*. Ad hanc *Salmaſii* conjecturam puto reſpexiſſe *Curcellæum*, in Variis lectionibus τὸ ἔιτι, & ὅλον referentem, non autem ad codicem quendam manu exaratum, (qualem nec Salmaſius affert,) ceu *Millio* viſum eſt ad h. l. lectionem hanc alioquin merito repudianti. Eandem rectiſſime repulit *Dionyſ. Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. IV. p.202. in Diſſertationibus Eccleſiaſticis lib. II. c. X. §. 3. *Sed eſt*, inquit, *iſta frivola & inepta divinatio: quam cur cum vulgata & antiqua permutemus*, *cauſæ nihil eſt*. *Quid enim habet illa præter novitatis affectationem? ne hujus quidem ingenioſe ac ſolerter inventæ*, *ſed impeditæ; certe minime neceſſariæ: nedum*, *ut blandiens ſibi nominat*, *certiſſimæ conjecturæ*. - - - *Quis non meliorem ac ſimpliciorem eum eſſe ſenſum judicet*, *quem communis affert ac recepta* (lectio) *quam*, *qui ex nova illa verborum conformatione naſcitur?* Atque ita omnino res habet. Fateor, me non intelligere, quid tandem ſibi velit *totum illud excellens?* Si *Salmaſius*, vir alioquin præſtantiſſimus, in codice ullo τὸ ΟΛΟΝ ſcriptum inveniſſet, cogitare potius debebat, illud ex ΟΔΟΝ facile librarii lapſu natum eſſe. Et quæ phraſis illa: ὁδὸν δεικνύειν, Scriptoribus frequentior eſt? Expedita hæc ſunt, ſed obſcurius illud, quo τὸ, καθ' ὑπερβολὴν referri debeat. Plerique Interpretum ad viam pertinere cenſent, quæ *excellentior* dicatur. Ita *Chryſoſt.* & *Theophyl. Vulg. Hiſpan. Belga*, *Anglus*, & B. *Lutherus*. Atque hanc interpretationem recte tuetur Cl. *Elsnerus* p. 118. adducto loco *Rom.* VII. 13. καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς, *Diodori Siculi* lib. I. pag. 45. καθ' ὑπερβολὴν ἀνδρεῖος. Alii referunt ad verbum δεικνύειν, ut idem ſit, quod *ſufficienter*, *latiſſime*, *diligentiſſime*. Ita ſtatuit *Hombergius* p. 258. vel *excellentius*, ut *Petavius* l. c. quod præfererendum eſt illis, qui Apoſtolum *ex ſuperabundanti* id ſe facturum dicere exiſtimant. Deſerendi item ſunt, qui viam *ad excellentiam* hic innui contendunt, merito reprehenſi ab *Hombergio* l. c.

Comma totum, quod ad rem ipſam, illuſtratum lege ab *Henr. Klauſingio* in Programmate Inaugurali, Lipſ. 1724. & *Simone Ford* in diſſert. de ambitione ſacra *Oxonii* primum edita, & *Francofurti* 1673. 8. p. 99. Trigæ Diſſertationum Sacrarum recuſa. Idem ab initio capitis XIII. inconſulto avulſum eſſe perſuaſum ſibi habuit *Robertus Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 187. cum convenientius ſit, ut initium faciat tractationis de amore, tanquam via ad præſtantiora dona perveniendi, quam Apoſtolus in toto hoc capite perſequatur. In eandem ſententiam affert *Theodoretum* & *Photium*, qui priora verba ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα interrogative legerint hoc ſenſu: *ſectamini ne dona potiora? en viam vobis excellentiſſimam oſtendam.* Non crede-

dide-

diderim, interrogandi notam a particula δὲ, nedum a ſequenti: *καὶ ἔτι*, admitti. Neque adeo quicquam obſtare puto, quo minus comma hoc pro colophone habeamus tractationis de variis Chriſtianorum donis hactenus ſuſceptæ, quo ſimul tranſitus fiat ad præconium charitatis, tanquam viæ ad dona egregia, celebrandum. Interim & B. *Hülſemannus* apud Sandhagenium in Decade II. epiſtolarum Theologic. pag. 339. nihil referre cenſet, ſi initium capitis XIII. a verſu hoc fiat.

CAP. XIII.

VErſ. 1. Ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ, καὶ τῶν ἀγγέλων) De Angelorum linguis ad h. l. ſingularibus diſſertationibus commentati ſunt *Bechmannus* Jenæ 1661. *Siricius*, Witteberg. 1683. & *Mauritius Engel* ibid. 1698. Patrum de illis, atque adeo loquendi ratione Angelica, ſententias lege apud *Petavium* Tomo III. Dogmatum, p. 36. ſqq. ubi de Angelis lib. I. c. XII. & *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 35. Multi eorum per hyperbolen eas huc advocari ab Apoſtolo exiſtimant, quam tamen amolitur *Petavius* l. c. & Vener. *Val. Erneſt. Læſcherus* in Stromatibus pag. 38. quemadmodum & Cl. *Wolfburgius* in Obſſ. Sacris pag. 92. phraſin non prorſus exaggerativam ſeu hyperbolicam hic agnoſcit. Alia lege apud *Statium Ehrenbergerum* in Opuſculo de Sermone Angelorum, Helmſtad. 1693.8. & in *Thomæ Crenii* præfatione ad Analecta Philologico-Critico-Hiſtorica, qua totus hic verſus illuſtratur. Mihi optime ſententiam Apoſtoli expreſſiſſe videtur *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 145. *Si præditus eſſem maxima facundia & eloquentia, non ſolum hominum, ſed etiam, quæ humana major eſſet.* Ariſtides in Sacr. Serm. I. p. 480. ita: Ἀλλ' οὐδ' ἂν εἰ πᾶσαν ὑπερβαλοίμην τὴν ἐν ἀνθρώποις δύναμιν καὶ φωνήν. B. *Olearius* in Prælection. MSS. cum *Theophylacto*: *ſi quid loquerer, quod humanis linguis excellentius eſſe poſſit. Sic manna*, inquit, *vocatur panis angelorum, non quod angeli illo veſcantur, ſed, quod excellentius ſit alio panis genere.* Angelis ex h. l. & corpora & linguas proprie vindicari poſſe non ita pridem aſſeruit Cl. *Jo. Chriſtian. Lærs*, Profeſſor Duisburgenſis, in ſingulari diſſertatione de Angelorum corporibus 1719. Duisburgi habita, cui ſe recte oppoſuit *Steph. Vitus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe VI. p. 420. & quod ad hunc locum ſpeciatim p. 480.

γέγονα χαλκὸς ἠχῶν καὶ κύμβαλον ἀλαλάζον) Hæc ex antiquitate illuſtrantur a viris doctis, *Andr. Schotto* in Adagialibus Sacris Nov. Teſt. pag. 113. *Jo. Henr. Majo* in Obſervation. Sacris Tom. I. pag. 30. ed. II. & Tom. IV. pag. 35. ſq. (qui priore phraſi ad æra & lebetes oraculi Dodonæi reſpici, poſteriore vero id indicari putat, quod amore deſtitutus labia quidem moveat, ſed diſtinctum ſonum non edat) *Frid. Adolpho Lampio* in libris tribus de cymbalis veterum pag. 176. ſq. & in Exercitat. ad Pſ. XLV. pag. 61. *Jo. Clerico* in Arte Critica Parte II. Sect. I. c. VIII. §. 10. *Alex. Moro* pag. 128. Notarum, *Laur. Pignorio* de Servis p. 166. ubi cymbali ejuſmodi figura ære expreſſa exſtat, *Rich. Ellis*, Anglo, in com-

commentario de cymbalis, Fortuitis Sacris ſubjuncto pag. 316. ſqq. & 334. ſqq. & *Pet. Zornio* tum in Parte II. der Erörterung pag. 447. ſq. tum in commentatione ſingulari de uſu æreorum tripodum & cymbalorum in ſacris Græcorum, Kilonii primum an. 1715. edita & in Opuſculis Sacris pag. 111. ſqq. recuſa. *Philoſtratus* de Vita Apollonii lib. V. pag. 224. auctor eſt, Apollonium quondam Dioni, Philoſophia rhetorica utenti, occentaſſe: *αὐλῷ καὶ λύρᾳ μᾶλλον ἢ λόγῳ θέλγε. Tibia & lyra potius, quam oratione homines demulce.* *Sextus Empiricus* lib. VII. pag. 430. de illis, qui dubiis objectis non faciunt ſatis, ita: *πάνυ δ' εἰσὶν εὐήθεις, καὶ κενῶς μόνον πρὸς τὰς ἐκκειμένας ἀπορίας ἀντηχοῦσι. Sunt autem admodum ſtulti, ac ſimplices, & inanem edunt ſonitum adverſus expoſitas dubitationes.* De verbo *ἀλαλάζειν* erudite, ut ſolet, commentatur Illuſtris *Ezech. Spanhemius* ad Juliani Orationem I. pag. 233. ſq. qui & Paulinam hanc phraſin ex inconditis & terribilibus militum, maxime Barbarorum, ante prælium *ἀλαλαγμοῖς* explicare annititur, monens præterea, *Plutarchum* in vita Craſſi pag. 557. de Parthis dicere: *ῥόπτρα βυρσοπαγῆ καὶ κοῖλα περιτείναντες ἠχείοις χαλκοῖς ἅμα πολλαχόθεν ἐπιδουποῦσι* i. e. *tympana velut corio obducta & concava, reſonantibus æramentis intenta undiquaque ſimul pulſant.* Adde *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. pag. 76.

Verſ. 2. *Καὶ ἐὰν ἔχω προφητείαν, καὶ εἰδῶ τὰ μυστήρια πάντα, καὶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν, κ. τ. λ.*) Dignus eſt, qui legatur, *Rob. Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 187-192. Is per prophetiam intelligit donum veritates divinas aliis exponendi & alios ædificandi (v. infra XIV. 6.) Illæ veritates & doctrinæ vel abſtruſiores erant, vel vulgo magis cognitæ. Qui illas ediſſerebat, *μυστήρια εἰδέναι*, qui has, *γνῶσιν ἔχειν* hic dicitur. Quando eædem doctrinæ aſſenſum extorquent, naſcitur *fides*, quæ hic deſcribitur ab effectu extraordinario, &, judicio hominum, excellentiſſimo, nempe facultate montes transferendi.

Καὶ ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν) Vocem *πᾶσαν* omittit *Æthiops*, quam ex priore commatis hujus parte huc translatam credit *Millius* in Prolegomenis, recte repugnante *Whitbio* p. 64. Examinis. Manifeſtum eſt, Paulum addita hac voce *omnes* fidei *qualitates* & *effectus*, quos unquam edere apud hominem poſſit, hic efficaciter comprehendere voluiſſe, quemadmodum per *πᾶσαν γνῶσιν* omnes *cognitionis* gradus & partes indicat.

Ὥστε ὄρη μεθιστάνειν) Adagii vicem hæc phraſis obtinet. Lege *Jo. Vorſtium* de Adagiis N. T. cap. XI. & *Andr. Schotti* Adagalia N. T. pag. 173. Quærit hic, num ejusmodi montium translatio unquam a quoquam fidelium facta ſit. *Gregorium Neocæſarienſem* eam ad ædificandum templum præſtitiſſe, poſt *Gregorium Nyſſenum* teſtis eſt *Beda*, nec minus pauperem Chriſtianum ad fidei veritatem demonſtrandam eadem uſum eſſe, auctor eſt Monachus Franciſcanus in Itinerario ſuo an. 1253. Galliæ regi dedicato. Affert exempla illa *Rob. Gell* l. c. pag. 188. qui tamen ex phraſi Scripturæ V. & N. T. recepta montes hic ſpirituali ſenſu accipiendos eſſe contendit, provocans ad *Pſalm.* XXX. 8. XLVIII. 1. *Jeſ.* II. 2. 3. XI. 9. XL. 4. *Luc.* III. 4. 5. Speciatim per translationem illam montium

tium ablationem peccatorum per fidem *Act.* X. 43. intelligit. Mihi quidem per πίςιν *fides miraculoſa* æque hic intelligenda videtur, atque ſupra XII. 9. ſive illa unquam ita ſe in fidelibus exſeruerit, ſive exſeruiſſe ſe potuerit. Apoſtoli enim inſtitutum eſt, oſtendere, fidem talem, quæ etiam maxima, hominum judicio, præſtet, nihil eſſe, h. e. reſpectu hominis ea valentis, nihil veri commodi afferre, ſi charitate ſit deſtituta.

Οὐδέν εἰμι) *Nihil ſum*, i. e. nihil ago, nihil proficio, &, ut ſequenti verſu dicitur, nihil inde utilitatis capio, nulliusque pretii ſum. Sic *Socrates* apud *Arrianum* lib. IV. c. 8. Epictet. p. 491. εἰ μέ τις βλάψαι δύναται, ἐγὼ ὐδὲν ποιῶ· εἰ ἄλλον περιμένω, ἵνα με ὠφελήσῃ, ἐγὼ ὐδέν εἰμι. Commode hæc monet Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 472.

Verſ. 3. Ἵνα καυθήσωμαι) *Alex.* codex legit καυχήσωμαι, ut *glorier*, quod Latini quidam exhibent ab Hieronymo in *Jeſ.* LVIII. & *Galat.* V. approbatum. Enimvero phraſis ἐὰν τὸ σῶμά μυ παραδῶ, *ſi corpus meum tradidero*, omnino aliquid requirit, cui tradatur, nempe vel ferro, vel flammis &c. Nec gloriatio cadit in eum, qui perierit. Itaque, ut cetera taceam a *Millio* contra hoc librariorum vitium allata, recepta lectio tenenda eſt.

Verſ. 4. ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ) Amor lenis & patiens eſt. Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 293.

Ου περπερεύεται) Verbi hujus notionem & uſum ex veterum monimentis complures ediſſeruerunt. Inſpice ex noſtratibus *Balthaſ. Stolbergium* in Exercitatt. in N. T. p. 122. *Feſſelium* Tom. I. Adverſariorum Sacrorum pag. 385. *J. C. Dietericum* in Antiquitt. Bibl. N. T. p. 117. *Amelium* Tom. I. der Erörterung p. 101. Rev. *Georg. Raphelium* in Annotatt. Polybianis, pag. 473. *Jo. Albert. Fabricium* ad Sextum pag. 227. *Kirchmaierum* in Paralleliſmo dictionis N. T. & Polybianæ pag. 44. & *Jo. Albert. Bengelium* in notis ad Gregorii Neocæſarienſis ſeu Thaumaturgi Panegyricum ad Origenem p. 141. Ex Anglis *Andr. Dounæum* in notis ad Chryſoſtomi homiliam in h. l. editionis Savilianæ, *Th. Gatakerum* ad Antoninum pag. 188. a. & *Henr. Morum* in Operibus Theologicis Latinis p. 558. Ex Reformatis *Henr. Stephanum* in Appendice ad Theſaurum Græcæ Linguæ fol. 1652. *Iſaac. Caſaubonum* tum in præfatione ad diatribam in Dionem Chryſoſtomum, tum copioſe admodum in Caſaubonianis pag. 180. ſqq. ubi notæ meæ qualescunque pag. 346. conferri poterunt, *Jo. Druſium* in Obſervatt. lib. VII. c. 7. *Claud. Salmaſium* in Funere L. Helleniſt. p. 152. & 260. *Heinſium* in Exercitatt. *Paul. Colomeſium* in Obſſ. Sacr. p. 108. & *Suicerum* Tom. II. Theſauri pag. 696. Ex Pontificiis denique *Marc. Anton. Muretum* in Var. Lect. XIV. 7. Tomo II. Theſauri Critici p. 1120. & *Jo. Steph. Menochium* in Trattenimenti eruditi Parte II. p. 299. Ex horum plerisque abunde conſtabit, magnum *Salmaſium* verbum ipſum Ciliciſmi feſtinantius poſtulaſſe, idoneis Græciæ Scriptoribus frequentatum. Significationem ejus ex Ciceronis epiſt. 11. libri I. ad Atticum: *Ego autem ipſe, Dii boni, quomodo* ἐνεπερπερευσάμην *novo auditori Pompejo*, omnium optime expoſuiſſe mihi videtur Caſaubonus, quando p. 183. Caſauboni-

bonianorum ita ſcribit: *Enimvero ex ipſa verborum ſerie apparet, ἐμπερπερεύεσθαι Pompejo dixiſſe* Ciceronem *pro eo, quod erat* jactare ſe & oſtentare, *ac quaſi triumphum in animis & oculis Pompeji agere, eſtque ita dictum ἐμπερπερεύεσθαί τινι, ut dixit Theocritus, ἐνδιαθρύπτεσθαί τινι. --- Nam & Moſchopulus docet, περπερεύεσθαι apud recentiores Græcos id ſignificare, quod apud veteres κομψεύεσθαι, & alii nobiliſſimi veteres Grammaticorum exponunt μετὰ βλακείας ἐπαίρεσθαι, quod eſt ad oſtentationem alicujus rei, quam quis habeat, laude dignum dicere aliquid, aut facere. Omnino affine aliquid τῷ ἀλαζονεύεσθαι hæc vox ſignificat, affine, inquam, non idem. Nam ἀλαζὼν is proprie dicitur, qui falſa de ſe prædicat, πέρπερος vero, qui non falſa quidem ſibi tribuit, ſed quæ ſibi inſunt bona, ea nimis, ut ita dicam, in propatulo habet, & putide oſtentat. -- Sed & D. Paulus, qui περπερεύεσθαι & φυσιοῦσθαι conjungit, nonne ad hanc ipſam expoſitionem ſtabiliendam momenti aliquid afferre videtur? Nam quod aliquem fortaſſe moveat Latina origo, ut περπερεύεσθαι malit interpretari* perperam agere, *vereor, ut ſatis ſit firmum. Eſt enim ſimile, ut ſi quis vocem* alacris *Græce vertat ἄδακρυς.* In his tuto me acquieſcere poſſe exiſtimo. Neque exiſtimandum eſt, per περπερεύεσθαι idem dici, quod per φυσιοῦσθαι. Prius enim jactantiam infert, verbis proditam; poſterius autem faſtum & elationem animi.

φυσιοῦται) Vox ab athletis, aërem ſeu ſpiritum cohibentibus, deſumta nonnullis videtur. Lege *Amelium* l. c. p. 103.

Verſ. 5. Ὀυ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς) Virtutem hanc *M. Antoninus* lib. I. §. 16. κοινονοημοσύνην, h. e. *quando utilitati publicæ omnes cogitationes impenduntur.* Similia gentilium effata lege ibi in notis *Gatakeri* p. 31. b.

Ὀυ παροξύνεται) *non irritatur.* Lege *Suiceri* Theſaurum Tomo II. p. 603.

Ὀυ λογίζεται τὸ κακὸν) *non computat malum*, i. e. injuriam acceptam, ut ſcite interpretatur *Joſ. Mede* in Fragmentis Sacris, quæ exſtant Tom. X. Opuſcolorum Philologic. p. 258. Et ſic *Hombergius* p. 258. Parergorum: *Non reputat malum*, quod probat præcedens ὀ παροξύνεται. *Eſt enim λογίζεσθαι rationes inire, computare. Sic Rom.* IV. 3. ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. Confer *Zachar.* VIII. 17. apud τοὺς LXX. & Pſal. XXXII. 12. Ita quoque B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. *non ſtudet vindictæ.* Ceterum totum hoc comma illuſtratum dedit Cl. *Henr. Jac. van Bashuyſen* in diſſertatione ſingulari, Serveſtæ 1730.

Verſ. 7. Πάντα στέγει) *Cyprianus* ad Quirin. lib. III. cap. 3. & lib. de unit. Eccleſ. §. 12. vertit: *omnia diligit.* Vide *Millium* ad h. l. & in Prolegom. §. 711. item Rev. *Nathan. Marſchallum* in notis ad Opera genuina S. Cypriani Anglice edita pag. 105. qui lectionem hanc laudat, quod & ante ipſum fecit *Colomeſius* in Obſſ. Sacr. p. 155. Nec alienus videtur *Curcellæus*, inter Var. Lect. τὸ στέργει commemorans, & per, *boni conſulit*, convertens. At rectius culpat *Millius. Lamb. Bos* pag. 146. Exercitt. vertit: *commiſſa celat*, tum *Euripidis* loco apud Plutarchum de Garrulitate pag. 504. Ὀυκ ἂν δυναίμην μὴ στέγοντα πιμπλάναι, *Imple-*

plere te nequeo continentem ego nihil; uſus, tum adductus phraſi altera πάντα πιϛεύει, de qua mox. Ita *Colomeſius* l. c. accipi quoque voluit, ſi lectio recepta teneatur. Rectius tamen h. l. cum B. *Luthero* noſtro redditur: *ſuſtinet, tolerat.* Atque id mavult Cl. *Elsnerus* p. 119. cum eadem hæc ſignificatio locum obtineat ſupra IX. 12. & 1 *Theſſ.* III. 1. 5. Cum eodem tamen negare nolim, apud *Euripidem continendi*, i. e. ſervandi ſignificatum locum tueri. Sermo enim ibi eſt de *garrulo* tanquam ſermones aliorum etiam bonos & utiles non ſervante, ſed diffluere patiente.

πάντα πιϛεύει,) *omnia fidei alterius committit.* Ita reddi vult *Boſius* l. c. ad ea provocans, quæ Obſſ. Miſcell. ad 2 *Tim.* I. 12. dixerit. De eo videbimus ſuo loco. Hic quidem conſuetam *credendi* ſignificationem prætulerim. Totum comma illuſtrat Ven. *Val. Ern. Læſcherus* in Decimis Evangelicis Parte V. p. 82. ſq.

Verſ. 8. Ἡ ἀγάπη ὐδέποτε ἐκπίπτει) *non excidit*, i. e. conſtans eſt. Vide Patrum loca apud *Suicerum* Tomo I. pag. 21. Confer nos ſupra ad Rom. IX. 6. itemque *Hombergium* p. 259. profanorum Scriptorum locos afferentem, in quibus verbum ἐκπίπτειν vel cum, vel ſine genitivo, rem deſignante, occurrit. Sic *Plato* in Phæd. ἔκπεσον λόγυ ἀληθῦς καὶ βεβαίυ, *Ariſtoteles* autem Politic. lib. V. c. 3. Δημοσθένυς ἐκπεσόντος. Adde Anonymi Obſervationes Miſcellan. Tomo I. pag. 77.

εἴτε δὲ προφητεῖαι καταργηθήσονται) Sunt, qui hæc & ſequentia ita interpungunt: εἴτε δὲ προφητεῖαι, καταργηθήσονται· εἴτε γλῶσσαι, παύσονται. *Sive prophetiæ; (ſc. ſint) abolebuntur: ſive linguæ; ceſſabunt.* Vide *Millium* & *Curcellæum.* Senſus commodus eſt, ſed non melior aut accommodatior altero, ſi ex recepta interpunctione reddideris: *ſive etiam prophetiæ aboleantur, ſive linguæ ceſſent &c. charitas tamen nunquam excidet*, ſed manebit. Vide *Hombergium* l. c. & *Wolſburgium* pag. 92. ſqq. & 469. ubi ſimul toti huic commati lux affunditur.

Verſ. 9. & 10. explicat *Henr. Morus* in Operibus Latinis p. 235.

Verſ. 9. Ἐκ μέρυς) Cl. *Herm. Reiners* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. pag. 989. cum *Heinſio* idem eſſe vult, quod κατ' ἄνθρωπον, ſive ὡς ἐν ἀνθρώποις. Nihil ego cauſæ video, cur conſuetam phraſeos ſignificationem, ſecundum quam imperfectionem infert, deſeramus. Spectat huc D. *Valent. Velthemii* diſſertatio de ignorantia Theologorum laudabili, Jen. 1690. & *Simonis Epiſcopii* Reſponſio ad Quæſt. Theolog. VI. p. 5. Tom. I. Opp.

Verſ. 11. Ὅτε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλυν) Non dubium eſt, Paulum hic cognitionem rerum, quæ eſt in infante & adulto, comparare cum illa, quæ in Chriſtianis hinc in vita præſente eſt, hinc autem futura eſt in vita glorioſa. Subtiliora ergo ſunt *Clementis Alexandrini* in Pædagog. lib. I. cap. 6. cogitata, quando Paulum exiſtimat conditionem ſuam ſub lege in Judaiſmo, cum illa, quam per Evangelii cognitionem ut Chriſtianus ingreſſus ſit, comparare. Confer *Jac. Nilöe* Schriftuurliick Licht p. 15. ſq. & *Suiceri* Theſaur. II. p. 399. item

Cl. *Herm. Reiners* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 692. ſq. Eadem, qua Apoſtolus, comparatione utitur *Arrianus* lib. III. c. 24. p. 380. ὗτος ὐδέποτε παύσῃ παιδίον ὢν νήπιον; ὐκ οἶδ᾽ ὅτι ὁ τὰ παιδίυ ποιῶν ὅσῳ πρεσβύτερος, τοσύτῳ γελοιότερος; Compara *Fabricium* ad Sextum p. 28. *Raphelium* in Annotatt. Polybian. p. 473. & *Andream Schottum* in Adagialibus N. T. p. 113. ſq.

ὅτε δὲ γέγονα ἀνὴρ) Phraſi huic ſimilis eſt Cambyſis illa apud *Herodotum* lib. III. p. 183. ἐπεὰν ἐγὼ γένωμαι ἀνὴρ, obſervata *Raphelio* p. 476.

Verſ. 12. Βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι᾽ ἐσόπτρυ) Τὸ ἔσοπτρον veteres Interpretes quos ſciam, omnes de *ſpeculo* interpretati ſunt, quos & Cl. *Elsnerus* pag. 120. ſequi videtur. Hos vero recentiores multi recte deſeruerunt, in diverſa & ipſi abeuntes.

Quidam de *clathris*, ſive *cancellis* cogitarunt, quibus conclavia monialium in monaſteriis & mercatorum ædiculæ muniri conſueverunt. Contra hos lege Cl. *Schwarzium* loco mox citando.

Alii *tubum* ſeu teleſcopium intelligi voluerunt, difficile autem fuerit, oſtendere, teleſcopiorum origines in Apoſtoli ætatem cadere.

Plerique per *ſpecular*, vel *ſpeculare* interpretantur, quod viſum non reflectit, ut *ſpeculum*, *ſed quo lumen olim in cœnacula inferebatur*, *& ſol admittebatur in ædes*, *ut hodie per feneſtras vitreas fit*. Ejusmodi inſtrumentum veteres Græci dicebant ἔσοπτρον, hinc Gloſſæ Gr. Lat. ἔσοπτρον *ſpeculum* reddunt, & *ſpeculare*. Græci recentiores etiam σπεκλάριον vocant. Senſus itaque foret: *videmus nunc e loginquo*, *imperfecte*, *& obſcure*. *Qui enim per orbem vel quadrum e lapide pellucido*, *cornu &c. confectam*, *rem aliquam videt*, *non tam clare & liquido eam contemplari poteſt*, *quam ſi ipſe ſuo corpore ei adeſſet præſens.* Hæc eſt ſententia ſagaciſſimi *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 147. quæ ſe probavit *Herm. Reiners* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 989. ex noſtratibus vero *Amelio*, *Alethæo* Tomo II. p. 563. *Chriſtiano Schœtgenio* per Glaßſtein vertenti τὸ ἔσοπτρον, in notis ad ſcriptum vernaculum: Jüdiſches Zeugniß von der Wahrheit des allbereit gekommenen Meſſiæ pag. 12. & *Jo. Oldermanno*, Profeſſori quondam Gr. L. Helmſtadienſi, in diſſert. Philolog. de Specularibus veterum, an. 1719. edita. In hujus diſſertationis capite I. totum illud argumentum de feneſtris ſive ſpecularibus veterum ex antiquitate copioſiſſime excutitur, ſicut cap. II. *viſio per ſpecular*, quod ad Paulinum ſpeciatim locum attinet, illuſtratur. Vir doctus pag. 25. recte ſtatuit, phraſin hanc ex Judæorum ſcriptis eſſe explicandam, *qui ſæpiſſime cognitionem de rebus divinis viſionem per ſpecular appellent.* Ita in Maſſechet *Jevammoth* cap. IV. §. 13. *Gemariſtæ de differentia inter cognitionem Moſis & reliquorum Prophetarum agentes*, inquiunt: כל הנביאים נסתכלו באיספקלריא שאינה מאירה משה רבינו נסתכל באיספקלריא המאירה: *Omnes Prophetæ viderunt per ſpecular obſcurum*, *at Moſes doctor noſter*, *vidit per ſpecular lucidum*; fol. 49. pag. 2. Plures ejusmodi locos ibidem lege allatos, quales ex parte quoque produxit *Buxtor-*

torſius in Lexico Talmudico p. 171. *Voiſinius* ad *Raymundi Martini* Pugionem fidei pag. 124. & *Wagenſeilius* ad Paulinum hunc locum ſimul provocans, pag. 122. ad *Sota*. *Oldermannus* præterea obſervat, nec Judæorum doctores vocis hujus quippe peregrinæ, originem & ſignificatum recte cepiſſe, nec *Buxtorfium* & alios, per *ſpeculum* vertentes, feliciter adſecutos. Cl. *Jac. Elsnerum* eandem ſemitam video calcaſſe, Apoſtolum ad *Num.* XII. 6. 8. hic reſpexiſſe exiſtimantem. Ibi Deus ita de Moſe: פה אל פה אדבר בו במראת ולא בחירת *ore ad os* (i. e. ut idem vertit, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον) *loquor ei, in aſpectu & non ænigmatibus.* LXX. στόμα κατὰ στόμα λαλήσω αὐτῷ ἐν εἴδει, καὶ οὐ δι' αἰνιγμάτων. Similiter eruditiſſimus *Jo. Conr. Schwarzius* Tomo III. Monumentorum ingenii pag. 258. *Nihil*, inquit, *verius eſt & accommodatius, quam, ut Paulus ſpectaſſe putetur imagines illas, quas Deus oculis objecit eorum, quibus ſe ſingulari gratia inductus oſtendere quoquo modo ſtatuerat.* Et pag. 259. *Placuit igitur, & jure placuit veteribus jam Judæis nomen ſpecularium, cum de collocutionibus Dei & Moſis ceterorumque prophetarum exponebant. Quod vel ex Buxtorfii Lexico Talmudico conſtat; ubi vocabulum illud ex veteribus monumentis erutum explanatur. Quamobrem eandem illam ſignificationem nomini ἐσόπτρου vindicatam pervelim.* Monet denique, Pauli ætate *ſpeculariorum* uſum jam receptum fuiſſe, quod vel ex Senecæ, Paulo æqualis, ep. XC. pateat. Ceterum Gentiles quoque cognitionem Dei, qualis eſt in vita præſente, cum ea, quæ aliquando immineat, ſimili fere modo comparaſſe conſtat. Locum *Plutarchi* de Iſide & Oſiride fol. 382. Tom. II. Opp. attulit Cl. *Schelhornius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. p. 786. præter eum vero alios Cl. *Elsnerus* p. 121.

Ἐν αἰνίγματι) i. e. obſcure. Vide *Hombergium* pag. 260. *Æſchines* contra Cteſiphontem οὐ δι' αἰνιγμάτων, ἀλλ' ἐναργῶς γέγραπται. *Non obſcure, ſed clare ſcripta ſunt.* Multa de voce αἴνιγμα commentatur *Euſtathius* ad Odyſſ. ξ. 508.

Πρόσωπον πρὸς πρόσωπον) Phraſis videri poterat mere Hebraica, ſicut altera illa, στόμα πρὸς στόμα, quam οἱ LXX. ad exprimendum Hebraicum פה אל פה adhibent *Numer.* XII. 8. Compara *Jo. Vorſtii* Philolog. Sacram Parte II. pag. 262. *Platonis* tamen eſt in Sophiſt. pag. 152. A. τῷ δὲ λόγοις πρὸς λόγους τί τις ἄλλο εἴπῃ πλὴν ἀμφισβητητικόν; *Quæ autem verbis adverſus verba committitur, contentio eſt.* Et in Alcibiade I. pag. 36. D. Οὐκοῦν καλῶς ἔχει οὕτω νομίζειν, ἐμὲ καὶ σὲ προσομιλεῖν ἀλλήλοις, τοῖς λόγοις, χρωμένους τῇ ψυχῇ πρὸς τὴν ψυχήν. Debeo hæc loca Cl. *Schwarzio* ex Tom. II. Monumentorum Ingenii p. 75. *Andr. Schottus* in Adagialibus N. T. pag. 114. ita ad hæc verba: *Sumta eſt translatio a ſpeculis, quæ non rem ipſam, ſed ejus imaginem intuentibus objiciunt. Ac fortaſſis ad ea reſpexit Paulus, quæ Phyſici de phantaſia & intelligentia docent. Videtur enim non una ſed duplex eſſe translatio, una ſcilicet ſumta ab iis, quæ externis oculorum ſenſibus, altera ab iis, quæ ipſa intelligentiæ facultate uſurpantur.* Lege ibi cetera.

ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπιγνώσθην) Poſteriora hæc duplici modo ab Interpretibus convertuntur, vel; *prout cognitus ſum*, aut *fuero*: vel; *prout factus fuero cognoſcere*, i. e. facultatem cognoſcendi ampliorem fuero nactus. Prior explicatio arriſit, ut alios taceam, *Gatakero* de Stylo N. T. cap. IV. p. 50. poſterior vero *Theod. Bezæ* in Notis majoribus ad h. l. vertenti: *prout amplius edoctus fuero*; *Simoni Epiſcopio* Tomo I. Opp. p. 5. in Reſponſ. ad Quæſt. Theolog. VI. ex noſtratibus autem *Theoph. Alethæo* in der Erläuterung Tom. II. p. 569. & B. *Henr. Bened. Starckio* in Notis Selectis in loca dubia N. T. p. 118. Provocant illi ad Hebræorum loquendi morem, quo Græcum paſſivum pro tranſitivo in *Hophal* adhiberi conſuevit. Hic ſenſus ad ſcopum Apoſtoli accommodatior videtur. Idem enim eſt, ac ſi dicat: *tantum differt cognitio illa futura ab ea, quam in hac vita conſequimur, ut qualis, & quomodo ea futura ſit, quamque excellens ſit, non valeam adſequi, ſed experturus ſim, quando eam mihi concedet Deus. Eſt enim jam ſupra omnem capacitatem meam.* Ita *Epiſcopius* l. c. Accedit, quod non niſi cum temperamento dici poſſit, beatum quemvis Deum ita aliquando cogniturum eſſe, prout Deus ipſum cognoverit.

Totum hoc comma amplius perſequitur *Campeg. Vitringa* ſingulari diatriba, quæ cum commentario ejus Belgico in epiſt. ad Galat. & Titum Franequeræ 1728. 4. prodiit, pag. 1. ſqq. & D. *Jo. Albertus Krackewitz* in diſput. de Theologia ænigmatica, Gryphiſwald. 1722. De beatifica Dei viſione ad h. l. commentantur ex noſtratibus *Jo. Adamus Oſiander* Tubing. 1666. & *Chriſtianus Kortholtus* Kilon. 1686. ſingularibus diſſertationibus, itemque *Seb. Schmidius* de Imagine Dei pag. 277. quemadmodum Patrum de ea ſententias enarrat *Petavius* Tom. I. Dogmatum lib. VII. c. II. §. 8. & c. V-VII. Sed hæc quidem ad Theologorum ſubſellia pertinent.

Verſ. 13. Νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπὶς ἀγάπη) Pertinet huc concio Gallica *Jo. Barbeyraci* Amſtelod. 1686. 8. edita. Ex noſtratibus legantur diſſertationes *Henr. Mulleri*, Roſtoch. 1655. & *Seb. Schmidii*, quæ recuſa exſtat in Faſciculo Diſputatt. Theolog. Philolog. Argentor. 1676. 8. p. 1101. ſqq. *Schmidius* per πίστιν non fidem juſtificantem, ſed eam, quæ ſine ſuſpicione temeraria & mala alterius verbis credit, cujus etiam, ſicut & ſpei, mater ſit charitas. Sententiam hanc cum B. *Calovio* in Bibliis Illuſtratis in medio relinquimus, communiorem vocis πίστις ſignificatum eo modo, quem idem expoſuit, retineri etiam h. l. poſſe exiſtimantes. *Fidem, ſpem & charitatem* ſingulis Chriſtianis communes eſſe, atque adeo Eccleſiæ neceſſarias verſio Gallica Montenſis ad h. l. recte monuerat, oppoſitas *Malleti* exceptiones repellente *Arnaldo* in continuata illius verſionis defenſione p. 461.

CAP.

CAP. XIV.

TOtum fere hoc caput illuſtrat *Campeg. Vitringa* in commentationibus Belgicis ſuper loca quædam N. T. ſelectiora, quæ cum commentario ejus Belgico in Epiſt. ad Galatas & Titum Franequeræ 1728. 4. edito, prodierunt. Vide ibi pag. 17 - 38. ubi deinde uſque ad pag. 42. ex eodem capite de Statu Corinthiacæ Eccleſiæ tum interno tum externo, qui ad conventus publicos attinet, diſſeritur. Paraphraſin primorum 19. commatum leges apud *Bochartum* Tom. I. Operum p. 1035. ſqq.

Verſ. 1. Διώκετε τὴν ἀγάπην) De verbo διώκειν lege ad *Rom.* XII. 13. & *Suicerum* Tom. I. p. 931.

ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικὰ) *exercete dona ſpiritualia.* Ita verti hanc φράσιν vult *Lockius* in Commentario, collato cap. XII. 31. ut non nudum *ſtudium* aut *deſiderium* eorum inferatur. Vide, quæ ibi ſcripſimus.

Ἵνα προφητεύητε) Verbi hujus notionem tribus programmatibus excuſſit Rev. *Verpoortennius*, quorum tertium an. 1728. Coburgi editum enarratur in der fortgeſetzten Sammlung von Alten und Neuen Theologiſchen Sachen an. 1729. pag. 170. Adde B. *Caſp. Læſcheri* Programma ſingulare ad totum comma, quod recuſum exſtat in *Gabr. Terne* Sylloge I. Programmatum p. 701. Ex his inter cetera intelligetur, τὸ προφητεύειν de explicanda & applicanda Scriptura Sacra h. l. accipi debere, cum v. 3. ὁ προφητεύων is dicatur, qui ad erudiendos, excitandos & reficiendos ſolatio alios operam ſuam conferat. In omnia alia hic abiit *Anton. van Dalen* in Diſſertat. II. de origine & progreſſu idololatriæ & ſuperſtitionum, cap. II. & III. quibus adſtruere conatur, nec in hoc, nec in ullo alio utriuſque Fœderis loco prophetiam illis tribui doctoribus, qui tantum in conſiderandis & exponendis Scripturæ Sacræ oraculis verſentur. Ex V. T. vel unus locus *Exod.* VII. 1. ubi Aaron Moſis נביא, (in τοῖς LXX. προφήτης) a Deo conſtituitur, confutando *Dalenio* ſuffecerit. Ibi enim προφήτης non niſi de Interprete, quem Chaldæi מתורגמן appellant, accipi poteſt.

Verſ. 2. Ὁ γὰρ λαλῶν γλώσσῃ, κ. τ. λ.) Diverſas hujus commatis interpretationes Gallicas inter ſe, judicio ſuo interpoſito, comparat *Jo. Clericus* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. XI. Parte I. pag. 118. ſqq. Adde Obſervationes Miſcellaneas, vernacula lingua editas, Tom. III. pag. 87. Τὸ λαλεῖν γλώσσῃ idem eſſe, quod *peregrina lingua uti*, ipſa ſermonis ſeries evincit. *Euſtathius* quoque in Iliad. α. τὴν γλῶσσαν per ἀπεξενωμένην διάλεκτον, *linguam peregrinam*, interpretatur, quod *Colomeſius* in Obſſ. Sacris pag. 154. monuit. Adde *Richard. Simonem* de Verſionibus N. T. pag. 342. Cur *Lightfootus* & *Lockius* ad h. l. Hebræam ſpeciatim linguam, qua ſcilicet in ſacris prælectionibus uti olim conſueverint, indicari putent, cauſæ nihil video. Certe ad varias linguas reſpicitur, quarum facultas a Deo eo tempore dabatur illis, qui pro re nata ad inſtruendos alios adhibebantur. Hinc procul dubio factum eſt,

ut

ut codices nonnulli pro γλώσσῃ in plurium numero γλώσσαις exhiberent, quem ſenſum B. *Lutherus* quoque in verſione ſua recte expreſſit, quemadmodum Apoſtolus ipſe v. 5. λαλεῖν γλώσσαις adhibet. Itaque τὸ γλώσσῃ non putem ſupplendum per διαφέρω cum *Schœtgenio* ad *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 49. Contra *Lightfootum* curate diſputat *Vitringa*, loco in limine hujus capitis citato, p. 22. ubi deinde uſque ad p. 27. de dono linguarum, naſcenti Eccleſiæ conceſſo, ejuſque ratione & commodis diſſerit. Confer infra ad v. 13. ubi de alia *Mauſſaci* interpretatione non magis probanda dicetur.

Ὀυκ ἀνθρώποις λαλεῖ) nempe in commodum eorum, quod ſubintelligendum ſuadet v. 3. Sic Latini: *mihi nec ſeritur, nec metitur.*

Ὀυδεὶς γὰρ ἀκȣ́ει) *nemo enim intelligit.* Eo ſenſu verbum שמע, *audiit*, in V. T. paſſim adhibetur, v. c. *Geneſ.* XXIV. 23. & *Deuteron.* XXVIII. 49. obſervante *Knatchbullo* ad h. l. Cave tamen, ideo de Hebraiſmo cogites, cum idem ſignificatus nec externis Scriptoribus ſit inſuetus. Lege *Pfochenium* de Stylo Nov. Teſtam. §. 49. & quæ obſervata ſunt Vol. I. harum Curarum p. 452. & 905.

Ὁ δὲ προφητεύων ἀνθρώποις λαλεῖ) Inſpice *Eraſmi* Opera Tom. IX. pag. 1307. D.

Verſ. 5. Θέλω δὲ πάντας ὑμᾶς λαλεῖν γλώσσαις) *vellem, vos omnes linguis peregrinis loqui*, i. e. non invideo cuiquam hoc doni genus. Idem hujus phraſeos ſenſus occurrit ſupra VII. 7. & 32.

Verſ. 6. Ἐὰν μὴ ὑμῖν λαλήσω, ἢ ἐν ἀποκαλύψει, ἢ ἐν γνώσει, ἢ ἐν προφητείᾳ, ἢ ἐν διδαχῇ) *Coccejus* his verbis non quatuor, ſed duas tantum diverſas docendi inſtruendique alios rationes indicari contendens, ἀποκάλυψιν nempe & γνῶσιν, ad priorem refert προφητείαν, ad poſteriorem vero διδαχήν. Contra eum recte diſputat *Vitringa* in diatribis Belgicis, quæ cum commentario ejus Belgico in epiſt. ad Galatas prodierunt, pag. 27. ſqq. vel ideo, quod τὸ ἢ, particula diſtinctiva, ſingulis illis membris addita, eadem tanquam diſtincta a ſe invicem accipere jubeat. Hoc poſito, per ἀποκάλυψιν intelligit *revelationem extraordinariam*, homini vel per ſomnum, vel in ecſtaſi divinitus factam; per γνῶσιν, *eruditionem*, quæ linguarum, hiſtoriarum, antiquitatum &c. cognitione abſolvitur; per προφητείαν ampliorem *expoſitionem* conſiliorum, attributorum, operumque divini Numinis; per διδαχὴν denique *inſtitutionem* in capitibus doctrinæ Chriſtianæ præcipuis & fundamentalibus. B. *Olearius* in Prælectionibus MSS. ἀποκάλυψιν cum *Photio* accipit de *interpretatione* ſenſus verborum in alterius commodum, qui alioquin verba non intelligeret, facta; γνῶσιν, de doctrina ſublimiore, ejuſque accurata demonſtratione; προφητείαν de expoſitione oraculorum propheticorum Veteris Inſtrumenti; διδαχὴν denique de inſtitutione ordinaria quacunque. Hæc & mihi placere non diffiteor. Ἀποκάλυψις certe hic non tam ad Paulum, ea quippe a Deo inſtructum, quam ad audientem, cui illa revelatio non lingua peregrina aut obſcura, ſed lingua nota clare & perſpicue communicanda eſt, referri debet, quemadmodum

dum γνῶσις, προφητεία & διδαχὴ eundem ſcopum ſibi habet præfixum. Probo itaque Cl. *Hombergium* pag. 260. ita tradentem: *Sermo non eſt de revelatione a Deo, ſed de revelatione ab eo, qui lingua loquitur, facienda. Hoc quippe vult Apoſtolus:* Nihil prodero, niſi vobis loquar, vel ita, ut ſimul explicem, quæ dico, vel ἐν γνώσει, i. e. niſi loquar, quæ vos cognoſcatis, vel niſi prophetem, aut doceam. Hanc Apoſtoli mentem eſſe vel ex v. 13. & 27. intelligitur. Neque vero exiſtimandum eſt, dictionem Græcam huic interpretationi obeſſe. Nam τὸ ἐν hic idem mihi videtur eſſe, quod εἰς, in quantum illud *finem* ſeu *ſcopum* actionis inferre conſuevit. Idem eſt, ac ſi Paulus ſcripſiſſet: εἰς ἀποκάλυψιν, εἰς γνῶσιν &c. Non dicam, τὸ ב Hebræorum, cui ἐν Græcum reſpondet, frequenter ſignificare *ad*, vel *propter*. Propius ad inſtitutum facit, quod externi Græciæ Scriptores τὸ ἐν loco τοῦ εἰς adhibeant. Ita *Ælianus* Var. Hiſtor. IV. 18. Ὅτε κατῆλθε Πλάτων ἐν Σικελίᾳ κλητὸς, *cum Plato in Siciliam* (quaſi ſcriptum eſſet εἰς Σικελίαν) *veniret vocatus.* Attica ſcilicet eſt hæc loquendi ratio. Vide *Kuhnium* & *Perizonium*, Æliani Interpretes, & compara *Vigerium* de idiotiſmis cap. IX. Sect. 3. reg. 9. itemque Cl. *J. C. Schwarzii* notas ad Olearium de Stylo N. T. p. 31. Nec aliter *Lucas* XXIII. 42. capiendus eſt: μνήσθητί μου, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου i. e. εἰς τὴν βασιλείαν σου.

Verſ. 7. Ὅμως τὰ ἄψυχα φωνὴν διδόντα) Ὅμως hic per orationis ſeriem non poteſt ſignificare *tamen*, quod *Vulg.* refert, ſed denotat, vel *quin &*, quod *Eraſmo*, & *Schmidio* placuit; vel *atqui*, quod *Beza* habet. Idem expreſſit B. *Lutherus:* hält ſichs doch alſo in den Dingen die da lauten. Eodem ſenſu particula hæc occurrit *Galat.* III. 15. ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ. Hunc ſignificatum particulæ ſcriptores alias, mutato accentu, per ὁμῶς i. e. *ſimiliter*, ὁμοίως, exprimunt, quod vel ex Lexicographis conſtat. Hinc factum eſt, ut Cl. *Alberti*, perſpicuitatis cauſa & h. l. & *Gal.* III. 15. legere mallet ὁμῶς. Vide eum p. 351. Obſervatt. Sacrar. ubi præterea monet. Virum eruditum, jam fatis functum, legendum hic, ſi vel unus codex faveret, cenſuiſſe, ὁμοίως ex *Jac.* II. 25. cum librarii ex ὁμῶς, per compendium loco ὁμοίως ſcripto, facile vocem, quæ hodie in contextu exſtat, formare potuerint. Neutra conjectura opus eſſe exiſtimo, quamvis ſignificatio ipſa omnino locum tueatur.

φωνὴν διδόντα -- ἐὰν διαστολὴν τοῖς φθόγγοις μὴ δῷ) φωνὴν & φθόγγον non tantum variandæ orationis, ſed differentiæ ſignificandæ cauſa Paulus adhibuiſſe non inconcinne videtur Rev. *Raphelio* in Annotatt. Polybianis pag. 473. ſq. Ita quoque egit Epictetus apud *Arrianum* III. 6. pag. 290. cui φωνὴ eſt *ſonus* quivis, φθόγγος autem ſonus muſicus, ſive in vocum ſive in nervorum cantu. Adde, quæ in eandem ſententiam ibidem ex Theſauro Stephani voce φθόγγος & σύστημα T. I. p. 1796. afferuntur. Pertinet huc, quod *Philoſtratus* in Vita Apollonii lib. V. c. 21. p. 205. foramina ſonorum in tibiis φθόγγους appellat.

Ἔιτε ἀυλὸς, ἔιτε κιθάρα) De his aliisque inſtrumentis veterum Muſicis legi merentur *Ezech. Spanhemius* in Notis ad Callimachum p. 466. ſqq. & alii a Cel. *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria pag. 373. appellati. In ἀυλοῖς ediſſerendis multus eſt *Euſtathius* ad Iliad. σ'. pag. 1157. quemadmodum de σάλπιγγι v. 8. commentatur p. 1139.

Verſ. 8. Καὶ γὰρ ἐὰν ἄδηλον φωνὴν σάλπιγξ δῷ) Τὸ ἄδηλον per ἀδιανόητον in ſimili argumento exprimit *Polybius* p. 1556. οἱ μὲν ἀυληταὶ φυσῶντες ἀδιανόητα καὶ διαφέροντες τὺς ἀυλὺς, *tibicines inſana quadam ac temeraria tibiis canentes.* Significatur vero ſonus incertus, nec certæ rei ſignificandæ deſtinatus.

Ἐις πόλεμον) *ad prælium.* Sic *Apoc.* IX. 7. & 9. quemadmodum Græciæ & Latii Scriptores πόλεμον & *bellum* ad prælium indicandum adhibent. Locos hujusmodi promit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 475. ſqq. Cum etiam πόλεμος & πολεμεῖν de privatis litibus & rixis a Jacobo IV. 1. 2. uſurpentur: imo prava deſideria in homine ipſo στρατεύεσθαι itidem dicantur, τῦ πολέμυ vocem ad ludicra & palæſtrica certamina, in quibus tuba congreſſus ſignum dabatur, applicari hic poſſe exiſtimat *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris p. 81.

Verſ. 9. Ἐὰν μὴ ἔυσημον λόγον δῶτε) Ἔυσημος λόγος eſt, qui non modo in ſe, ſed audientibus etiam, eſt perſpicuus. Peregrinus itaque illis, qui eum ignorant, eſt ἄσημος. Vide hoc ex *Herodoto* lib. I. p. 40. probantem Rev. *Raphelium* in obſervationibus Herodoteis p. 476. qui eodem in loco monet, *Zoſimum* lib. II. p. 690. carmen perſpicuum ἔυσημον ἀοιδὴν appellare.

Ἔσεσθε γὰρ ἐις ἀέρα λαλῦντες) Τὸ γὰρ a νοθείας ſuſpicione contra Millium vindicat *Whitbius* in Examine p. 64. *Lucretius* lib. IV. 929. ſimiliter: -- *tu fac ne ventis verba profundam.* *Petron.* in Satyric. p. 793. *cum ventis litigo*: ubi vide *Wowerium* p. 427. Accepta hæc fero Cl. *Trilleri* Notis MSS. Suidas affert proverbium ἀνέμῳ διαλέγει. Confer *Zenobium* I. 39. & *Adrian. Schottum* in Adagialibus N. T. p. 115. Inutilem & infructuoſum ſermonem indicari Patres monuerunt apud *Suicerum* Tom. I. p. 107. Ita, qui operam perdunt, *Xenophonti* de adm. dom. p. 670. dicuntur ἀερομετρεῖν, ſicut pugiles, brachia & manus in ventum jactantes, ἀέρα λακτίζειν ait *Lucianus* Tom. II. p. 271. Compara *Cornelii Adami* Obſervatt. Theologico-Philolog. p. 449.

Verſ. 10. Τοσαῦτα, ἐι τύχοι, γένη φωνῶν ἐισι) *Linguarum* variarum *genera* Rev. *Raphelius* hic intelligit pag. 476. Annotatt. Polybianarum, nec ſine veterum Scriptorum, quæ affert, exemplis, qualia *Lamb. Bos* ἐμόψηφος etiam attulit in Exercitatt. pag. 149. & *Menagius* ad Diog. Laërt. VIII. 3. Malim ego vertere cum aliis per *genera vocum* ſeu *ſonorum*, ſive ab hominibus, ſive a brutis, ſive ab inſtrumentis muſicis editorum. Eos enim hoc loco Apoſtolus confert cum *linguis*, eo fine, ut appareat, ſermonem, quo ad alios utimur, non minus certi aliquid & clari prodere debere, quam ſoni alii quicunque, certo inſtituto prolati, id facere ſoleant.

καὶ

καὶ ὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον) Τὸ *αὐτῶν* (i. e. *φωνῶν*) codices quidam, & cum iis *Beza* omittunt, temere omnino, quod oſtendit *Eraſmus Schmidius* ad h. l. Vox *ἄφωνον* non tam *mutum* ſignificat, quam *ſono aliquid non deſignans.* Rectiſſime B. *Lutherus*: derſelbigen iſt doch keine undeutlich. Compara præter *Schmidium*, *Campeg. Vitringam* in diatriba belgica aliquoties citata p. 32. ubi contra Bezam itidem diſputatur. Adde *Picinellum* p. 699.

Verſ. 11. *Ἐὰν ὖν μὴ εἰδῶ τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς*) *Niſi igitur intellexero vim vocis*: Δύναμις infert *ſignificatum* vocis, quemadmodum apud *Syneſium* in Dione p. 40. dicendi facultatem denotat. *Lamb. Bos* l. c. *φωνὴν* hic iterum de *lingua* accipi vult, & hoc nomine voci *φωναῖς* v. 10. eandem notionem vindicat. Minus, ſi quid video, feliciter. Quamvis enim de *loquente* hic ſermo ſit, commode *ſonus* vel *vox* intelligi poteſt, quæ certo quodam & rem aliquam audienti indicante ſono effertur.

ἔσομαι τῷ λαλῦντι βάρβαρος) Barbari ſunt & habentur, qui diverſo ab aliis ſermonis genere utuntur, quo fit, ut nec ipſi alios intelligant, nec ab aliis intelligantur. Sic *Herodotus* lib. II. p. 172. *βαρβάρυς πάντας οἱ Αἰγύπτιοι καλέυσι τὺς μὴ σφι ὁμογλώσσυς.* Compara Rev. *Raphelii* Notas Herodoteas p. 476. Spectat huc illud *Plinii* VII. 1. Hiſtor. *tot gentium ſermones, tot linguæ, tanta loquendi varietas, ut externus alieno pene non ſit hominis vice.* Lege ſis præterea *Pfeiferi* Loca Exotica N. T. p. 500. Operum, doctiſſimi *Jo. Alb. Fabricii* notas ad Sextum Empiricum pag. 20. ſqq. & 461. &, quæ nos notavimus ad *Rom.* I. 14. Hic addam illud, quod Cl. *Jo. Joach. Schrœderus* in Diſſert. prævia Theſauri Armenici, vocem *βάρβαρος* Armenicæ eſſe putat originis, in qua lingua *ſermonem*, *ſonum*, ſeu *dialectum* ſignificet. B. *Lutherus* convertit: unteutſch, optime & eleganter, quod oſtendit B. *Dietericus a Staden* in Expoſitione vocum verſionis Bibliorum vernaculæ præcipuarum p. 686. De voce *βάρβαρος*, & gentibus, quæ barbaræ vocari conſueverint, conſulendus præterea fuerit *Jo. Steph. Menochius* in Trattenimenti eruditi Parte V. p. 67. ſqq.

ἐν ἐμοὶ βάρβαρος) Τὸ *ἐν* a Codd. nonnullis abeſt, quod tamen recte tuetur Millius. Conſtat alioquin, illud in Scriptoribus paſſim abundare. Exempla lege apud *Hombergium* in Parergis pag. 9. *Jo. Conr. Schwarzium* ad *Olearium* de Stylo Novi Teſtamenti pag. 32. & *Thomam Crenium* Parte VIII. Animadverſionum Hiſtorico-Philologic. cap. III. pag. 223. Hoc interim loco non eſt ſuperfluum. Idem enim eſt, quod *in me*, ut *Eraſmus Schmidius* vult, vel, *quod ad me*, cum, qui in lingua ſua ſatis intelligenter loquatur, illi ſaltem videatur barbarus, qui ſermonem ejus intelligendo non adſequitur. Atque in hoc ego acquieſcere malim, quam cum *Campeg. Vitringa* Tom. I. Obſſ. Sacr. cap. VIII. pag. 102. ſtatuere, idem eſſe, ac ſi Apoſtolus ſcripſerit: *videbitur ille mihi & ego ipſi balbutire. Exiſtimamus enim*, ita pergit, *quando alios loquentes non intelligimus, id pronunciationis ipſorum vitio adſcribendum eſſe.* Eundem

dem ſecutus eſt *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tomo I. pag. 765.

Verſ. 13. *προσευχέσθω, ἵνα διερμηνεύῃ*) Sunt, qui hæc eo ſenſu accipiunt: qui peregrina (publica) lingua utitur, *precatur*, nempe Deum, *ut ſimul interpretari poſſit*; vel homines alios, ut ſuo loco interpretationem ſuſcipiat. Mihi quidem Paulus videtur preces, in publico cœtu fieri ſolitas, hic in exemplum afferre eorum, quæ ibi agi ſoleant, & præcipere, ut is, qui peregrina lingua preces fecerit, easdem in vernacula, & a ceteris intelligenda, vel repetat, vel ſaltem in compendium referat. Confer ſupra XII. 30. Τὸ ἵνα itaque hic non eſt ἐκβατικὸν ſeu *finale*, ſed εἰδικὸν ſive *modale*. Abit ab his *Car. le Cene* in Projet pag. 675. & *Philip. Mauſſacus* in Diſſertat. Critica ad Harpocrationis Lexicon p. 348. ita hæc convertens: *qui barbare loquitur, oret, ut intelligi poſſit. Niſi enim*, ita pergit, *barbare & per gloſſas loqueretur, ad quid orare deberet, ex Apoſtoli præcepto, ut ejus verba percipi & intelligi poſſent?* Verbum διερμηνεύειν omnino id infert, quod non eſt in audiente, ſed quod alterius, interpretis ſcilicet opera, ad ipſum profertur. Nolim etiam cum eodem facere, quando γλῶσσαν de barbaris & externis vocabulis accipit, quibus quis in ſermone ſuo utatur. De hoc quid habendum ſit, ex ſuperioribus conſtabit.

Verſ. 14. *Ἐὰν γὰρ προσεύχωμαι γλώσσῃ, τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται, ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστι.*) Diverſas hujus commatis verſiones Gallicas affert & examinat *Jo. Clericus* in Biblioth. Vetere & Nova Tom. XI. Parte I. p. 119. ſqq. In ſenſum vero & hujus & ſequentis commatis curatius inquirunt *Sam. Bochartus* Tomo II. Operum p. 1034. & *Campeg. Vitringa* l. c. p. 32.

γλώσσῃ) Linguam pereginam quamcunque, quam, qui precatur, ſolus cum paucis forte aliis intelligat, hic indicari contextus ratio oſtendit, quamvis *Jac. Triglandius* in diſſ. de Karæis p. 173. ſuſpicetur, Paulum ad Karæos reſpexiſſe, qui lingua *Hebræa* in precibus uti conſueverint. Junge, quæ ad v. 2. dicta ſunt. Conſtat alias, Judæos quoque Rabbanitas in *Berachoth* cap. III. ſanxiſſe: לעולם אל ישאל אדם בלשון ארמית. *In æternum ne oret quisquam lingua Syriaca.* Rectius in libro חסידים §. 586. præcipitur, ut preces quisque in ea, quam intelligit, lingua diſcat, addita ratione: כי התפלה אינה אלא בהבנת הלב ואם הלב אינו יודע מה שיוצא מפיו מה מועיל לו: *Oratio non eſſe debet ſine intelligentia cordis: ſi enim cor ignoret id, quod ex ore egreditur, quid proderit ipſi?*

τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται, ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστι) Obſcurum h. l. eſt, quid per πνεῦμα, quid per νοῦν intelligatur. *Vitringa* l. c. per πνεῦμα *animam* hominis precantis intelligit, per ecſtaſin abreptam, & in tantum extra corpus poſitam, ut ſentiat quidem, quid apud ſe a Deo agatur, nihil autem adverſus alios, in quorum conſortio ſit, vel agat pro lubitu ſuo, vel in eorum commodum agere poſſit, rerum ſuarum ſatagens, & impulſui divino penitus relicta. In hanc ſententiam provocat ad *Apoc.* I. 10. ubi Joannes teſtatur, ſe γενέσθαι ἐν πνεῦ-

πνεύματι, & *Actor.* X. 10. ubi de Petro: *ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις*. Idem *τὸν νοῦν* interpretatur de *mente* ſeu *anima* hominis, in quantum ipſa libere cogitat, & aliis ſua ſenſa clare repræſentat. Pauli igitur hanc mentem eſſe ſtatuit: ſatius eſſe, ſi mens ſibi relicta ita precetur, ut cogitata ſua ad aliorum intelligentiam clare & libere in eorum commodum proferat, quam ſi per ecſtaſin abrepta ipſa tantum ſentiat, quid apud ſe agatur. Pro hac interpretatione ſtabilienda affert verbum הבין quod non ſolum ſignificat *intelligere*, ſed & *intelligendum dare*, *facere*, *ut quis intelligat*, *v. c. Nehemiæ* VIII. 9. quemadmodum obſervante *Cappello* pag. 71. Obſervatt. in N. T. Hebraicum תבינה non ſolum *intelligentiam*, quam quis pro ſe habeat, ſed & eam, in quam alium perducat, denotet. Monet præterea, Apoſtolum hic omnino ad *Jeſ.* XXXIII. 19. reſpexiſſe. Conſentientem ſibi maxima ex parte vir doctus habet *Grotium*, qui itidem *πνεῦμα de motu, qui eſt ab afflatu*, *νοῦν* vero *de mente, nihil bene a ſe excogitatum proferente*, interpretatur. Quod ad *πνεῦμα* attinet, velim hic conferri ea, quæ contra *Grotium* attulit B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis. Quod ad *νοῦν* aſſentior *Vitringæ*, ut per eum ſenſus ſermonis & *intelligentia* ad alium rite perlata indicetur. Hoc ante *Vitringam* & *Cappellum* egregie evictum dedit *Bochartus* l. c. Is *ſpiritu precari* recte ait idem eſſe, quod *precari ita, ut attendas ad verba, quæ ore proferuntur, ita, ut dum ore confiteris, corde credas*, Rom. X. 10. Hanc attentionem, ſeu animi facultatem, qua id præſtatur Tſophar *Jobi* XX. 3. vocat רוח מבינתי *ſpiritum intelligentiæ: Orare mente* ſeu *intelligentia*, *Bocharto* judice idem eſt, quod *orare ita, ut intelligaris. Intelligentiæ* itaque vocem active ſumit, & pro tranſitiva habet, *Evagrio* & *Beza* præeunte. Eam in rem affert vocem תבונה *Proverb.* V. 1. III. 13. *Jobi* XXXII. 11. obviam; item מבין, quod *intelligentem* innuit 1 *Chron.* XXVIII. 9. & *doctorem* quoque, qui alios inſtruit, 1 *Chron.* XXV. 7. 8. Hac ratione totum comma planum eſt & expeditum. Senſus eſt: qui peregrina lingua orat, conſcius ſibi eorum eſt, quæ ex animo in Dei gloriam profert, at non item ſic loquitur, ut fructus redundet in alios, quos in perceptionem verborum deduci oportebat. Pondus huic interpretationi accedit ex v. 19. Ceterum vox *νοῦ* de argumento & ſenſu ſermonis a profanis adhibetur. Teſtatum id fecit Rev. *Raphelius* aliquot *Polybii* & *Arriani* locis in Annotationibus ex utroque petitis, p. 477.

Verſ. 15. *Τί οὖν ἐστι; προσεύξομαι τῷ πνεύματι, προσεύξομαι δὲ καὶ τῷ νοΐ.*) Varias hujus commatis interpretationes Gallicas ſub examen revocat *Jo. Clericus* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. XI. Parte I. pag. 123. ſq. Ipſe ita convertit: *je prierai en mon eſprit, & je prierai auſſi, en ſorte qu'on entende ce que je dis.* Addit phraſin, *καὶ τῷ νοΐ* idem eſſe quod *ἐν τῷ νοΐ*, *in mente*, ſeu *εἰς τὸ νοεῖσθαι*, h. e. *ut ſenſus verborum perſpiciatur.* Idem ſibi voluerunt *Cappellus* & *Bochartus*, quos ante appellavimus, non ſolum ita cenſentes, ſed & tum ex contextu orationis Paulinæ, tum ex ſimilibus V. T. phraſibus demonſtrantes. Hos vero non inſpexiſſe videtur Clericus, cum ſe primum in hanc interpretationem incidiſſe exiſtimet. Fortaſſe itaque & in eo fallitur, quod

Lockium, in Commentario ad h. l. idem ſtatuentem, ſibi, in notis ad *Hammondum* pridem iſta profeſſo, hæc debere non obſcure ſuſpicatur & prodit in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 97. Compara hanc in rem anonymum Scriptorem Animadverſionum in libros quoſdam anglice editarum p. 147. quarum auctor eadem opera interpretationem hanc deſerens, ita potius Pauli verba παραφράζει: *precabor ex afflatu Spiritus Sancti, ſed non niſi in lingua vernacula, in qua intellectus meus negotioſus eſſe poteſt, ut rem, a Spiritu S. ſuggeſtam, idoneis & claris verbis exprimam.*

ψαλῶ τῷ πνεύματι) Cantica hic cum precibus conjunguntur, quod idem fit 1 *Reg.* VIII. 28. *ad audiendum cantationem & precationem*; ex quo loco Judæi in *Berachoth* fol. 6. 1. inepte arguunt, preces, quæ exaudiri debeant, non niſi in Synagogis, quippe in quibus canatur, fieri oportere.

Verſ. 16. Ἐπεὶ ἐὰν εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι, κ. τ. λ.) Mirum eſt *Henr. Dodwellum* in libro de Sacerdotio Laicorum cap. III. p. 173. hæc ad Euchariſtiæ celebrationem referre potuiſſe, cum orationis Paulinæ ſeries omnia alia ſuadeat. Adde ejuſdem diſſ. II. ad Irenæum §. 6. Vox πνεύματι in paucis Codd. deſideratur, ideoque νοθεύει, *Millii* judicio, contra quem lege *Whitbium* p. 64. Ea ſane opus eſt, ut intelligatur, Paulum hic iterum loqui de precibus lingua peregrina factis, de quarum ſenſu ſoli precanti conſtet. Id enim ſibi vult τὸ πνεύματι. Verbum εὐλογεῖν, & paulo poſt vox εὐχαριστία, de precibus adhibetur, ideo procul dubio, quod Judæi precationes ſuas & olim, & hodie ברכות *benedictiones* & *gratiarum actiones* appellare conſueverunt. Teſtis eſt vel tractatus Talmudicus *Berachoth*, ut hodiernos precum Judaicarum libros taceam. Compara *Rich. Simonis* Hiſtor. Critic. N. T. Tom. II. p. 12.

ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου) *Eraſm. Schmidius* vertit: *qui occupat locum privati*, & explicat, *qui ſedet in ſubſelliis privatorum.* Et ſic alii plerique egerunt, quorum nonnulli hinc etiam conficere conati ſunt, docentium & diſcentium ſubſellia in conventibus ſacris publicis a ſe invicem quod ad locum diſtincta fuiſſe. Fortaſſe idem ſibi voluit *Theodoretus* ad h. l. ἰδιώτην καλεῖ τὸν ἐν τῷ λαϊκῷ τάγματι τεταγμένον. Compara *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 1439. Ex recentioribus huc lege B. *Alberti Feldenii* Decadem Obſervationum Sacrarum ex Patribus Apoſtol. Obſ. IV. p. 6. Eam vero ſubſelliorum diſtinctionem ævi Apoſtolici ſimplicitas non videtur admittere, quæ nec in ipſa phraſi præſidium invenit. Hebræi מלא מקום *implere locum alicujus* eum dicunt, qui alterius *dignitatem* vel *conditionem* ſuſtinet & tuetur. Lege *Buxtorfium* in Lexico Talmudico p. 2001. & *Cartwrighti* Mellificium Hebr. qui uterque phraſin Paulinam cum illa comparant. Nec abhorrent ab illa Græci & Latini Scriptores, quorum loca attulit Cl. *Elsnerus* pag. 123. Hic ita vertit: *qui adſtat tanquam idiota, qui eſt idiota*, & *Hieroclem* profert ad aurea carmina p. 32. τοὺς μετὰ θεοὺς τοὺς ἀθανάτους τὴν ἐφεξῆς πληροῦντας χώραν appellantem, h. e. *eos qui proximum a Deis immortalibus locum implent.* Atque in hac ſententia perſiſtendum puto. Compara *Amelium* Tom. I. der Erörterung p. 248. in notis.

tis. Ἰδιώτην h. l. de *imperito*, quam *laico* aut *privato* accipere malim. Hanc enim vocis illius notionem alibi eſſe nemo negaverit. Lege *Suicerum* Tom. I. p. 1438. Hoc vero loco etiam obtinere vel ideo mihi perſuadeo, quod inter doctores ipſos naſcentis Eccleſiæ procul dubio erant, qui dono linguarum eſſent deſtituti. Hi itaque in tantum cum aliis erant *ἰδιῶται*. Hinc factum puto, ut recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani *ἰδιώτην* verteret per *hearer*, auditorem; in quem propterea præter rem, ſi quid video, animadvertit *Leonhard. Twells* in Examine illius verſionis critico, Anglice edito Tom. I. p. 154. Confer v. 24. ubi *ἄπιςος* & *ἰδιώτης incredulus* & imperitus conjunguntur inſtar auditorum. Confer nos ad Actor. IV. 13.

Πῶς ἐρεῖ τὸ ἀμὴν ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριςίᾳ;) Judæorum Magiſtri obſervant, Sacerdotem coram muliere, de adulterio ſuſpecta, formulam exſecrationis divinæ, huic negotio deſtinatam, lingua, quæ mulieri nota eſſet, recitare debuiſſe. Vide Maimonidem in *Hilcoth Sota* c III. §. 7. & *Moſen Cotſenſem* fol. 138. col. 4. Hujus moris rationem Paulina hac phraſi reddit R. *Iſmaël* in Siphri: שומעת כיצד היא אומרת אמן אמן *Si non intelligeret* (compellantem ſeſe Sacerdotem) *ecquomodo ſubjicere poſſet: Amen, Amen?* Lege plura apud *Wagenſeilium* ad Sota p. 378.

Judæorum cœtum, in ſacris extra templum conventibus, ſingulis Sacerdotis orationibus, vel benedictionem, vel maledictionem complectentibus, אמן ſubjicere, antiphonæ loco, conſueviſſe, inter multos obſervarunt *Rob. Sheringhamius* ad Joma cap. III. §. 8. *Buxtorfius* in Lexico Talmudico radice אמן. & *Jo. Saubertus* in Palæſtra p. 125. Idem uſu receptum fuit in cœtibus Chriſtianis. Auctor eſt *Juſtinus Martyr* in Apologia II. p. 161. Ὀυ προεςῶτος, συντελέσαντος τὰς εὐχὰς, καὶ τὴν εὐχαριςίαν. πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων, Ἀμήν. *Ubi ille, qui præeſt, preces & gratiarum actionem abſolvit, omnis populus, qui adeſt, fauſto omine acclamat: Amen.* Vide ad illum locum Interpretes, & *Suicerum* Tomo I. p. 229. In illo Juſtini loco velim notes τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριςίαν, quæ Paulinæ εὐλογίᾳ & εὐχαριςίᾳ reſpondent.

Verſ. 18. Ἐυχαριςῶ τῷ Θεῷ μȣ, παντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν) Verba hæc *Zach. Pearce*, Anglus, in Epiſtolis duabus de N. Teſt. cujus editionem tunc moliebatur *Rich. Bentlejus*, & de locis quibuſdam N. T. qui corrupti ipſi videntur, Londini 1721. 4. editis, verba hæc ita refingere auſus eſt, ut vocem *μᾶλλον* ex commate 18. expunctam in comma 19. ante voces *ἢ μυρίȣς λόγȣς* referret. *Neminem*, inquit, *bonum Scriptorem cenſeo voce μᾶλλον cum caſu genitivo in hoc ſenſu uſum eſſe: certe nullibi hanc loquendi formulam invenies aut in* LXX. *aut in N. T.* Apponemus hic, quæ eruditiſſimus amicus noſter *Jo. Henr. Majus* in *Vindiciis* conatui huic oppoſitis p. 16. monuit. *Reſolvenda ſunt*, inquit, *verba illa ad hunc modum: μᾶλλον ἢ πάντες ὑμεῖς γλώσσαις λαλῶν. Unde & S. Chryſoſtomus p. 390. & Oecumenius p. 473. expoſuerunt, πάντων, ὑμῶν πλέον, quæ ſententia per μᾶλλον cum ſecundo caſu hic effertur, optime profecto & ex conſuetudine Græcorum elegantiſſimorum, quod vel ex Stephani Theſauro L. Gr.*

To-

Tomo II. col. 775. *addiſcere potuiſſet Noſter, vel, ſi eo caret opere, ex Vigerii tractatu de idiotiſmis Græcæ dictionis, ubi cap.* 7. *Sect.* 8. *regula* 4. *hæc legas:* Jungitur etiam (μᾶλλον) eleganter cum genitivo παντὸς, ad exprimendum ſingularem aliquem exceſſum. Addidero his, verbis Apoſtolicis nec ſenſum nec ſtructuram conſtare, ſi, omiſſa voce μᾶλλον, legamus: πάντων ὑμῶν γλώσσαις λαλῶ. Unde enim pendebit genitivus πάντων ὑμῶν? Et numquid Apoſtolus id ſibi voluiſſe cenſendus eſt, quod omnium, qui inter Corinthios erant, linguas loqueretur? Ita quidem, ſed parum convenienter, Pauli verba accepit *Melchior Inchoferus* in hiſtor. Sacræ latinit. l. 5. c. 6. vel ex h. l. affirmans, Apoſtolum, Romæ agentem, Evangelium Latina lingua, qua etiam in literis, ad Senecam datis, uſus ſit, promulgaſſe. Unus denique ille Magdalen. Codex, & paucæ quædam verſiones, ad quas Vir doctus provocat, tot aliis & Codicibus, & verſionibus, iisque antiquiſſimis, fraudi eſſe non poſſunt.

Verſ. 19. Ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι) Per πέντε λόγους quinque חומשי ſive *libros* Pentateuchi innui Hieronymus ſibi perſuaſit in ep. ad Paulinum, obſervante *Joſ. Voiſinio* de lege Divina p. 371. Eum vero falſum fuiſſe in aprico eſt. Sicut enim μύριοι λόγοι ſunt verba *plurima*, quæ Latini *ſexcenta* dixerint, ita πέντε ſunt *pauciſſima*. Similiter *Ariſtophanes* in Nubib. τρία ῥήματα εἰπεῖν & in Ranis Act. V. Scen. III. in fin. δύ' ἔπη ἐρῶ μόνα, *Terentius* autem Phorm. Act. IV. Sc. III. v. 33. *Tria non commutabitis verba*, dixerunt. Affert hæc, itemque alia Cl. *Alberti* p. 352.

Διὰ τοῦ νοός μου) Nonnulli Codd. legunt τῷ νοΐ μου, ſenſu eodem, ſed non ſine interpolatione, quæ ex v. 15. nata videtur. Peſſime in Marcionis Codice lectum fuit διὰ τὸν νόμον, teſte *Epiphanio*, ſive ipſe ita interpolarit, ſive, quod veri ſit ſimilius, librariorum vitio irrepſerit. Lege hanc in rem fuſius differentes *Jo. Crojum* in Obſervatt. Sacr. c. XXVI. pag. 195. *Rich. Simonem* in Hiſtor. Crit. *Jo. Morinum* in Exercitatt. Biblicis lib. I. Exercit. II. pag. 35. & *Jo. Millium* ad h. l.

ἢ μυρίους λόγους ἐν γλώσσῃ) Si *Pearcium* l. c. audis, legendum fuerit, μᾶλλον ἢ μυρίους λόγους, ideo quod θέλω ἢ *pro* malo, *ne Græcum* quidem videatur. Illi vero rectiſſime iterum occurrit *Majus* l. c. p. 17. allato pervulgato illo Homeri Iliad. α. v. 117. apophthegmate:

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

& ſimili *Smyrnæi* lib. XII. v. 297. Scite etiam obſervat, particulam μᾶλλον in his & aliis locis omitti, quæ hic loci ἀπὸ κοινοῦ repeti poſſit ad exemplum verſionum quarundam, ad quas pro corruptela ſua Pearcius infeliciter provocat. Ellipſeos τοῦ μᾶλλον exempla exſtant apud *Lamb. Bos* de ellipſi, *Laur. Rameireſ. de Prado* in Pentecontarcho p. 184. & *Vechnerum* in Hellenolexia p. 79. Μυρίους λόγους *multos* eſſe oſtendit *Alberti* l. c.

Verſ. 20. Ἀλλὰ τῇ κακίᾳ νηπιάζετε, ταῖς δὲ φρεσὶ τέλειοι γίνεσθε) *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 349. ita hæc accipit: *ſapientia perfecti eſtote, &*

pueri

pueri malitia. Nam & adulta ætas ac matura optime dici poteſt ac dicitur perfecta. Adde, quod Græci ſæpe νηπίυς pro inſipientibus ponunt, quia νήπιοι tales. Patrum de utraque phraſi cogitata lege apud *Suicerum* Tomo II. Theſauri pag. 24. & 1259.

Verſ. 21. Ἐν τῷ νόμῳ γέγραπ]αι) *In lege* h. e. in codice ſacro. תורה enim, ſive *lex*, Hebræis pro tota Scriptura Sacra ſumitur, quod tralatitium eſt. Compara *Suicerum* Tom. II. p. 419. Illius tamen non meminerunt, qui *Deut.* XXVIII. 49. tanquam παράλληλον huc advocarunt. Quamvis enim ibi nonnihil Paulinis verbis ſimile exſtet, ad Jeſaiæ tamen cap. XXVIII. 11. 12. reſpectum habitum fuiſſe, conferenti patebit. Proficua hanc in rem poterit eſſe opera *Surenhuſii* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 543. ſq. & *Vitringæ* in commentario ad Jeſaiam Tom. II. pag. 113. item *Hackſpanii* in Notis Philologic. Part. I. ad h. l.

Ἐν ἑτερογλώσσοις) *Polybius* pag. 1438. ἀλλοφύλυς καὶ ἑτερογλώττυς conjungit.

Καὶ ὐδ᾽ ὕτως εἰσακύσονταί μυ) *ſed nec ſic obtemperabunt:* quo ſenſu eodem verbo *Herodotum* lib. IV. p. 303. uti *Raphelius* monuit pag. 477. notarum ex eo depromtarum.

Verſ. 24. Ἐλέγχεται ὑπὸ πάντων) *convinceretur*, ſcilicet, tum de cultus profani vanitate, tum de miſera animi conditione, tum de religionis Evangelicæ veritate.

Ἀνακρίνεται) Vide ſupra ad II. 15.

Verſ. 25. Καὶ ὕτω τὰ κρυπ]ὰ τῆς καρδίας αὐτῦ φανερὰ γίνεται) Duas priores voces Codices pauci & verſiones aliquot omittunt, quas propterea ex poſteriore hujus commatis parte huc translata exiſtimat *Millius*, obſervante *Whitbio* p. 64. Nemo hanc conjecturam admiſerit, qui perpendat, hac ratione orationem Paulinam ſuſpenſam quaſi teneri, & nec cum antecedentibus, nec cum ſequentibus connecti. Contra vero nexus manifeſtus eſt, ſi τὸ, καὶ ὕτω, repetita vice retineatur, cum in hoc commate duplex effectus commemoretur, ex ἐλέγχῳ & ἀνακρίσει antea commemoratis conſequens, nempe tum *manifeſtatio* cogitatorum animi *interior*, & adverſus hominem ipſum, de eorum pravitate, ante ignorata, convictum; tum exterior & non diſſimulata ad Deum *converſio.* Repetitio particularum, καὶ ὕτω, ſermoni δεινότητα conciliat. Pertinet huc B. *Jo. Fechtii* diſput. de manifeſtatione occultarum cordis cogitationum *Roſtoch.* 1708.

Καὶ ὕτω πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον --- ἀπαγγέλλων, ὅτι ὁ Θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐςι) Reſpexit tota hac phraſi Apoſtolus ad *Jeſ.* XLV. 14. quod appoſite hic monet *Millius*, *Vitringa* vero in commentario ad illum locum ediſſerit.

Verſ. 26. totum exponit *Lightfootus* in Operibus Anglicanis Tom. II. p. 1155-1162.

Τί ἐν ἐϛιν ἀδελφοί;) Reſpondet hæc phraſis pervulgato illi Talmudicorum מהו obſervante *Lightfooto* l. c. Senſus vero eſt: *quid igitur faciendum eſt? quomodo agi oportet* in eo caſu vel negotio, quod exponam? Huic quæſtioni in calce commatis ſubjicitur reſponſio: in omnibus ſpectandum eſſe audientium emolumentum. Eadem phraſeos hujus notio eſt ſupra v. 15. & *Actor.* XXI. 22.

Ἕκαϛος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει, διδαχὴν ἔχει) Alius veſtrum *hymno* inſtructus eſt, ex Spiritus S. impulſu decantando, alius quoddam *doctrinæ* ſalutaris momentum animo agitat. Non inconcinne *Lockius* ad h. l. τὸ ἔχει accipit pro, *paratus eſt*, ad decantandum hymnum, ad proponendam doctrinam, ita, ut moram ferre non poſſit, ſed alter alterum interpellet. Quod ut confuſioni occaſionem faciebat; ita apparet, quomodo ſequentia Pauli conſilia illi opponantur. Ex occaſione ψαλμȢ, hic commemorati, de Muſicæ in ſacris V. & N. T. uſu copioſe commentatur *Amelius* Parte I. **der Erörterung** p. 503. ſqq. & in Opuſculis Sacris, ſub genuino *Pet. Zornii* nomine editis p. 66. ſq. De Pſalmis, in Chriſtianorum cœtu decantatis, lege ex Patribus differentem *Suicerum* Tom. II. pag. 1568.

Verſ. 27. Εἴτε γλώσσῃ τὶς λαλεῖ, κατὰ δύο, ἢ τὸ πλεῖϛον τρεῖς) *Knatchbullus* poſt λαλεῖ, ſubintelligi vult ἔϛω, hoc ſenſu: *ſi quis loquitur lingua* (peregrina) *duabus, vel ad maximum tribus fiat.* Ad linguas igitur δύο vel τρεῖς refert, quibus unus uti eadem vice, non autem pluribus poſſit. Enimvero hæc non ad *linguas*, ſed ad loquentes, *duos* vel *tres* pertinere, vel ex v. 29. patet, ubi itidem duo, vel ſummum tres docere publice poſſe dicuntur. Particulam κατὰ diſtributionem inferre conſtat ex *Matth.* XXIV. 7. ἔσονται λιμοὶ, καὶ λοιμοὶ, καὶ σεισμοὶ κατὰ τόπȢς. Miror itaque, *Carolum le Cene* in Projet d'une nouvelle verſion p. 676. *Knatchbullum* ſequi potuiſſe.

Verſ. 29. Προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν, κ. τ. λ.) Ad hæc & ſequentia nonnulla commata legatur *Witſius* in Miſcellaneis lib. I. c. 21. §. 48. ſqq.

Καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν) Judicium hoc non ad Prophetas, ſeu doctores, qui adſint, ſolum, ſed & ad quemvis auditorem idoneum & peritum pertinere, contra *Sibrandum Lubbertum* oſtendit *Grotius* in Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ Pietate, Tomo III. Operum pag. 110. Adde p. 227. & confer *Neubourii* obſervationem in Biblioth. Bremenſi Claſſ. I. Faſcic. III. p. 256. Ita *Ariſtoteles* Rhetor. II. cap. 18. §. 3. ὃν δεῖ πεῖσαι, ἐτός ἐϛι κριτής. *Is, qui perſuaderi debet, judex eſt.*

Verſ. 30. Ἐὰν δὲ ἄλλῳ ἀποκαλυφθῇ καθημένῳ) *Sedere* hic idem eſſe, quod *occupare cathedram prophetantium*, vel docentium, contendit *Vitringa* in Archiſynagogo p. 305. idque ex veteris Synagogæ inſtitutis & ritibus oſtendere conatur. Conf. eundem de vetere Synagoga lib. II. c. 12. p. 600.

Verſ. 31. Ἵνα πάντες μανθάνωσι) ut omnes docentem percipiant, atque intelligant. Hanc verbi vim Rev. *Raphelius* ex *Xenophontis* Cyropædia lib. I. p. 8. in Annotatt. ex eo petitis, pag. 279. & ejus exemplo *Th. Hutchinſon* in nova libri

libri Xenophontei editione p.26. ſtabilſunt. Uterque in eandem cauſam utuntur idoneo *Ariſtotelis* loco Ethic. VI. 10. τὸ μανθάνειν, συνιέναι πολλάκις.

Verſ. 32. Καὶ πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται) Illuſtrata hæc lege a *Seb. Schmidio* in Myſterio Gratiæ divinæ p.526. *Hugone Grotio* Tomo III. Operum pag. 110. 227. & 234. *Anton. van Dalen* in diſſert. de vera & falſa prophetia, *Herman. Witſio* l. c. *Dodwello* Diſſert. II. ad Irenæum §. 16. & *Amelio* Tomo I. der Erörterung p. 662. ſqq. Interpretes plerique omnes interque eos noſtrates quoque, ita hæc accipiunt, quaſi Prophetæ & doctores ætatis Apoſtolicæ ea, quæ publice proponebant, aliorum doctorum & Prophetarum judicio ita permittere jubeantur, ut ſua deſerant, ſi ita res ferat. Lege in hanc ſententiam B. *Hunnium* & *Balduinum.* Si vero recogitemus, ſermonem hic eſſe de dono Prophetico, a Spiritu S. tum temporis uni præ alio ἀμέσως conceſſo, fieri non poteſt, ut quenquam illorum Chriſtianorum errori obnoxium, atque hoc nomine aliorum emendationi & cenſuræ ſubjectum fuiſſe credamus. Hinc *Coccejus* Tom. IV. p. 717. *Spiritus, qui operatur fidem, operatur etiam, ut loquamur in fide: fides autem non exſpectat hominum judicium, ſed contenta eſt revelatione Dei; ſi ſic eſſet, non eſſet apocalypſis.* Itaque alii rectius id ſibi Apoſtolum velle cenſent, quod homines, prophetandi dono inſtructi, ſpiritum ſeu donum illud in poteſtate ſua habeant, ut non, cœco quaſi impetu abrepti, ſine habita temporis & ordinis ratione, eo utantur. Ex quo ſimul conſequitur, Prophetas alios aliis ita etiam ſubjectos eſſe, ſeu ſubjicere ſe debere, ut non prius docendi & interpretandi munere publice fungantur, quam alter, in eo jam occupatus, dicendi fecerit finem. Hunc ſenſum ſcopus Apoſtoli omnino requirit, qui in eo eſt, ut ordinis rationem habendam, omnemque turbarum occaſionem ſolicite evitandam eſſe inculcet. Hinc v. 33. ſtatim ſubjicitur: ὀ γάρ ἐςιν ἀκαταςασίας ὁ Θεός. Iſtam interpretationem illi, quos in limine hujus commatis attuli, omnes, ſi *Dodwellum* exceperis, amplectuntur, quam præ ceteris confirmat *Vitringa* in diatriba, commentario Belgico in ep. ad Galat. & Titum præmiſſa, p. 35. ſq. Eandem ex noſtratibus ſuam fecerunt B. *Hülſemannus* in Prælectionibus MSS. quarum excerpta dedit *Sandhagenius* in Decade II. epiſtolarum Theologicarum pag. 345. & noviſſime Rev. *Guſtav. Georg. Zeltnerus* in notis ad verſionem Lutheri Biblicam editis p. 197. *Hülſemannus* ait, ſermonem hic eſſe *de facultate ſententiam ſuam tantiſper continendi, dum locus & tempus occaſionem præbeant eam proferendi.* Interim non inficior, locum hunc adhiberi hodie commode poſſe, ubi de Doctorum Eccleſiæ, qui errare omnino poſſunt, ſententiis, aliorum judicio ſubjiciendis, &, pro re nata, vel deſerendis, vel ſervandis agitur. Pro πνεύματα προφητῶν codices quidam & verſiones legunt πνεῦμα προφητῶν in numero ſingulari, forte ideo, ut Spiritus S. tanquam donorum illorum auctor, clarius innueretur, ad quem a nonnullis vox Θεὸς v. 33. reſpicere exiſtimatur. Ea vero mutatione non opus eſt, cum vox πνεύματα vel de donis a Spiritu S. profectis, vel de hominibus, qui illis inſtructi ſunt, rectius accipiatur, quod 1 *Joh.* IV. 1. fieri neceſſe eſt.

Verſ. 33. Ὀυ γάρ ἐςιν ἀκαταςασίας ὁ Θεὸς) *ἀκαταςασία ordinis turbationem*, ſeu *turbulentiam* infert. Vide *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. Tom. I. p. 69. De varietate lectionis, cui *Millius* applauſit, lege *Whitbii* Examen p. 65.

Verſ. 34. Αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν) Quomodo hoc cum cap. XI. 5. conciliari poſſit, ad illum locum oſtendimus.

ὀ γάρ ἐπιτέτραπται αὐταῖς λαλεῖν) Patet illud ex Judæorum inſtitutis, & uſu gentilium quoque fere perpetuo, qui feminas publice perorandi facultate interdicit. Judæorum hanc in rem præcepta afferunt *Campeg. Vitringa* in Archiſynagogo p. 39. & copioſius de vetere Synagoga lib. III. p. 724. & *Lud. Cappellus* in Spicilegio notarum in N. T. p. 69. Gentilium ſcrinia aperiunt *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 151. *Jo. Alberti* p. 253. & *Jac. Elsnerus* p. 124. Obſervatt. Sacrarum. Eccleſiæ Chriſtianæ exempla producunt B. *Jo. Andr. Schmidius* in diſſert. ſingulari de muliere in Eccleſia, & Rev. *Pfaffius* de Originibus Eccleſiaſticis p. 80. item *Suicerus* Tom. I. p. 808.

ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι) ſcilicet κελεύονται, *jubentur*, quod ellipſeos genus, ubi in poſteriori orationis membro, contrarium ejus verbi, quod in priori occurrit, ſubintelligi docet, locum quoque habet ſupra VII. 19. & 1 *Tim.* IV. 3. Compara *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 716. Ex uſu hujus canonis neglecto, puto, factum eſt, ut codices quidam, ſenſui conſulturi, exhibeant ὑποτασσέσθωσαν.

καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει) Mirum eſt, *Jo. Braunium* in Selectis Sacris p. 64. τὸν νόμον de *lege orali*, ſeu *Judæorum traditionibus* accepiſſe, ideo, quod nulla ſilentii mulierum in lege Moſis fiat mentio. Ex verbo enim ὑποτάσσεσθαι perſpicuum eſt, ad *Geneſ.* III. 16. reſpici. Recte hoc monuit Cl. *Elsnerus* p. 124. copioſius vero illuſtravit Cl. *Wokenius* in Moſe Harmonico p. 19. ſq.

Verſ. 36. Ἢ ἀφ' ὑμῶν ὁ λόγος τȣ̃ Θεȣ̃ ἐξῆλθεν, ἢ εἰς ὑμᾶς μόνȣς κατήντησεν) Ad *Jeſ.* II. 3. hic ab Apoſtolo reſpici *Coccejus* recte vidit, & ejus exemplo copioſius oſtendit *Vitringa* ad illum locum p. 69. *Jeſaias* ait: *ex Tſione egredietur lex, & verbum Jehovæ Hieroſolymis:* Itaque ſermo Dei non *eſt egreſſus* Corintho, Athenis, Roma &c. ſed Hieroſolymis. Nec ad ſolos Corinthios pervenit, ſed ad univerſum terrarum orbem.

Verſ. 37. Εἴ τις δοκεῖ προφήτης εἶναι) Poſſunt hæc, fateor, de *oſtentatione* doni prophetici, quam nonnulli in cœtu Corinthiorum præ ſe tulerint, accipi; malim tamen eo interpretari ſenſu, quo Paulus eandem phraſin ſupra de ſe adhibuit c. VII. 40.

πνευματικὸς) hominem indicat donis ſpiritualibus inſtructum. Confer *Suicerum* Tomo II. p. 783. Confer ſupra ad XII. 1.

ἐπιγινωσκέτω) pro exploratis hæc habeat, &, tanquam explorata, uſu exprimat. Prægnantia enim ſunt verba, quæ *ſcientiam* inferunt, apud Hebræos, & Sacros inprimis Scriptores.

Verſ.

Verſ. 38. Εἰ δέ τις ἀγνοεῖ) *Ignoratio* & hic affectum complectitur, ut, quæ quis ignorat, ea nec ſcire, multo minus, quæ ſcire poterat, & debebat, præſtare velit.

ἀγνοείτω) Codex unus alterve legit ἀγνοεῖται, quod Latini quidam Interpretes & Patres per *ignoratur*, vel *ignorabitur*, convertunt. Poſterius ipſe *Vulgatus* habet, qui propterea in Codice ſuo legiſſe *Millio* videtur ἀγνοείσθω. Interpolationem hanc ex eo quidem natam puto, quod durum nonnullis videretur, Paulum ejuſmodi hominem ignorantiæ relinquendum cenſuiſſe. At ſalva res eſt. Apoſtolus enim eum, qui rectiora edoceri non vult, genio ſuo, ſed & cum ſuo periculo, abundare permittit. Confer *Apoc.* XXII. 11. Aërem ferit itaque *Andr. Schottus* in Adagialibus N. T. p. 115 quando, *Vulgatum* ſecutus, id Paulum velle putat: *ignorabitur, i. e. improbabitur a Deo, dicente:* neſcio vos. Rectiora idem poſtea de phraſi hac proverbiali in genere tradit.

Verſ. 39. ζηλοῦτε τὸ προφητεύειν) Vide ad v. 1.

Verſ. 40. καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω) Lege huc *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 699.

CAP. XV.

INtegrum hoc caput commentando perſecutus eſt *Moſes Amyraldus*, cujus *Expoſitio* Gallice prodiit Carenton. 1659. 8.

Commata quatuor priora copioſe illuſtravit Rev. *Jo. Senſtius* in doctrina fundamentali de fide Salvifica ſancte tradita, a paradoxis autem novaturientium Theologorum aſſertionibus vindicata, Roſtoch. 1731. 8. Ad eandem pertinet D. *Jo. Balthaſ. Bernholdi*, Theologi Altorfini, diſputatio de ſaluberrima Evangelii doctrina, Altorf. 1725.

Verſ. 1. Τὸ εὐαγγέλιον, ὃ εὐηγγελισάμην ὑμῖν) Cave, cum S. *Chryſoſtomo, Oecumenio*, & aliis nonnullis Latinæ Eccleſiæ doctoribus, de S. Lucæ, tanquam perpetui φοιτητοῦ Pauli, Evangelio hic cogites. Reſpicit Paulus ad præconium Evangelii, quo ſe apud Corinthios perfunctum eſſe teſtatur ſupra cap. IV. 15. Confer ad *Rom.* II. 16.

Verſ. 2. τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν) i. e. ἐπὶ τίνι λόγῳ. Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi Græcæ linguæ, & ibi *Schœtgenium* p. 331.

εἰ κατέχετε) *ſiquidem memoria adhuc tenetis.* Nulla hic trajectio ſtatuenda, quaſi phraſis proxime cum τῷ, δι' οὗ καὶ σώζεσθε, conjungi debuiſſet, quod præter alios viſum eſt *Pſochenio* §. 94. de Stylo N. T. Lege *Hombergii* Parerga pag. 261.

ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῆ ἐπιστεύσατε) Phraſin hanc Græciæ puriori vindicat *Pſochenius* l. c. ex *Luciano*, cujus plura loca *Moſes Solanus* in diſſertat. de Stylo N. T. §. 63. apud *Rhenferdium*, in Syntagmate pag. 315. promit, quamvis fortaſſe nemo rem in dubium vocarit, quæ ſententia eſt *Gatakeri* pag. 238. de Stylo N. T.

εἰκῆ) *fruſtra*, ſine fructu finis fidei,quo excidunt veritatis deſertores. Fortaſſe & *oſcitantia* in examinandis & recipiendis veritatis & doctrinæ ſalutaris argumentis innuitur, quæ ſententia eſt *Frid. Wilh. Cleſſelii* in Bibliotheca Lubecenſi Tom. IV. p. 650. *Æliani* Var. Hiſt. IV. 1. phraſi εἰκῆ ζῆν hic utentis. Nuperus editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani vertit: *without ſufficient grounds*, quem tamen *Leonh. Twells* in Examine Critico Parte I. p. 123. ideo deſerendum putat, quod Apoſtolica ætate nemo idoneis fidem Evangelio habendi argumentis caruerit, & ille quoque *in vanum* credere poſſit, qui rerum argumentis ſe convictum ſentiat.

Verſ. 3-5. explicantur a B. *Godofr. Oleario* in Demonſtratione Apoſtolica Reſurrectionis Chriſti, Lipſiæ primum ſeorſim 1709. edita, & cum Obſervationibus ejus in Matthæum, p. 741. recuſa.

Verſ. 3. Παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις, ὃ καὶ παρέλαβον) Phraſin hanc explicavi ſupra XI. 23. Ἐν πρώτοις eſt *in præcipuis doctrinæ capitibus*, inter quæ cur doctrina de reſurrectione numeranda ſit, diligenter oſtendit *Olearius* l. c. p. 757. ſqq.

ὅτι Χριςὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν κατὰ τὰς γραφὰς) Spectatur hic inprimis *Jeſ.* LIII. 5. ubi Chriſtus dicitur מחולל מפשעינו Lege *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. II. p. 168.

Verſ. 4. Καὶ ὅτι ἐτάφη, καὶ ὅτι ἐγήγερται) Inſpiciendus eſt *Cappellus* in Operibus pag. 684. & *Alethæus* in der Erläuterung Tom. III. p. 405. Vox ἐγήγερται & *paſſivum* ſenſum admittit, ita, ut ſuſpicatus ab alio Chriſtus intelligatur, Deo Patre, nempe: & *reciprocum*, ut ſuſcitatus a ſe ipſo intelligatur. Poſterior hic, ut a Græcæ linguæ genio non eſt alienus; ita Sacris potiſſimum Scriptoribus, ex Hebræis ortis, familiariſſimus, quod poſt *Glaſſium* & alios monet B. *Olearius* l. c. p. 745. ſimulque Socinianorum φλυαρίας retundit.

τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ) Tertium diem reſurrectioni Chriſti in V. T. typis, ceremoniis & Prophetarum oraculis definitum eſſe, idem Olearius evictum dedit p. 766. ſqq.

Verſ. 5. Καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ) Per *Cepham* hic omnino Petrum Apoſtolum intelligendum eſſe contra *Jo. Harduinum* in Operibus Selectis pag. 480. evicit *Jac. Boileau* in ſingulari diſſertatione, de qua *Journal Literaire* Tom. I. p. 476. & *Jo. Marckius* in diſputat. de Chriſto a Cepha viſo, Lugd. Bat. 1718. edita, & in Sylloge diſſertationum in ſelecta loca N. T. Roterod. 1721. recuſa num. XX. p. 606. qui præterea oſtendit, Petrum, ceu nonnulli exiſtimant, non fuiſſe alterum diſcipulorum Emaunticorum, quibus Dominus apparuit. Compara Rev. *Salom. Deylingii* Obſervatt. Sacras Parte II. num. XLV.

εἶτα τοῖς δώδεκα) Nonnulli Codices & verſiones, item Patres Latini, hic legunt ἕνδεκα cum Vulgato, quem deſerendum recte cenſet *Arnaldus*, fruſtra cauſam ejus tuente *Richardo Simone*, in Obſervatt. novis pag. 366. ſqq. Interpretem hunc in codice ſuo itidem ἕνδεκα legiſſe ſuſpicato. Interpolator quidam

quidam vel ex *Marc.* XVI. 14. vel ideo, quod Judam e diſcipulorum Chriſti numero exceſſiſſe meminiſſet, hanc lectionem præferendam cenſuit, non recogitans, ſi quid mutandum eſſet, δέκα ſcribi debere, (confer *Bezam* apud Morinum in Exercitt. Biblicis p. 45.) cum & Thomas tunc reliquis diſcipulis non adeſſet. Rectius itaque ſtatuitur, Paulum omnino δώδεκα ſcripſiſſe, & Collegium Apoſtolicum, Duodecimvirorum nomine ex prima ſui origine communiter appellatum, ita inſigniendum cenſuiſſe. Lege ex noſtratibus *Glaſſii* Philolog. Sacr. p. 184. & *Dilherrum* in Farragine rituum ſacrorum lib. II. c. 20. item *Hombergium* p. 261. Petrum in prima Chriſti apparitione, Apoſtolis facta, abſuiſſe *Rutgerſius* Var. Lect. lib. I. c. 8. pag. 23. memoriæ vel calami vitio ſcripſit: *Thomam* dicere voluit.

Verſ. 6. Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ) Hanc apparitionem in monte Galilææ, quam *Matthæus* XXVIII. 16. ſqq. tangit, factam eſſe, oſtendit *Jo. Marckius* in Exercitat. Miſcell. diſp. VII.

Verſ. 7. Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ) Jacobum hunc a duobus Chriſti Apoſtolis ὁμωνύμοις tanquam tertium diſtingui vult *Harduinus* in Opp. Selectis l. c. confutatus a *Marckio* in laudata exercitatione p. 656. ſqq. Sylloges. Idem in hiſtoria Exaltationis Chriſti p. 85. ſqq. apparitionem, qua Dominus & *Petrum* & *Jacobum* dignatus eſt, fuſius exponit.

Verſ. 8. Ἔσχατον δὲ πάντων - ὤφθη κἀμοὶ) Diverſas Interpretum de hac viſione Paulina ſententias enarrandi & examinandi otium mihi fecit *Jo. Marckius* in Exercitat. XXI. earum, quæ in modo laudata Sylloge recuſæ exſtant, pag. 661 - 689. & in Hiſtoria Exaltationis Chriſti lib. I. cap. 16. Junge illi ex noſtratibus *Alethæum* in der Erläuterung Tom. IV. pag. 155. ſqq. Mihi quidem illorum præplacet ſententia, qui Paulum in itinere Damaſceno Chriſtum vel in nubibus, vel in terra, in reſuſcitato corpore oculis ſuis vere vidiſſe exiſtimant. Talem viderant Apoſtoli in univerſum, ſigillatim vero etiam *Petrus* & *Jacobus*, quibus dum Paulus hic ſe jungit, neceſſe eſt, ut illis etiam hac in parte penitus ſimilis credatur. Idem requirit ſcopus Apoſtoli. Hic enim id agebat, ut ex reſurrectione Chriſti, a ſe & aliis viſi, demonſtraret futuram corporum noſtrorum excitationem. Hujus vero reſurrectionis Chriſti factæ teſtis æque idoneus & æque αὐτόπτης eſſe non poterat Paulus, qualem tamen ſe hic ſiſtit, niſi oculis ipſius, æque ac illorum, Chriſtus viſus fuiſſet. Ita ex Pontificiis *Lorinus*, Interpres non unus ex multis, ad h. l. ex Reformatis vero *Herm. Witſius* in Meletematibus Leidenſibus, ex noſtratibus, ut plures taceam, *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, *Hülſemannus* apud Sandhagenium in Decade II. epiſtolarum Theologic. pag. 346. *Olearius* l. c. pag. 774. & *Alethæus* l. c. pag. 163. ſentiunt.

Ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι) Legendum hic nonnulli cenſuerunt ὡσπερεί τῳ, ut non ſit articulus præpoſitivus, ſed particula enclitica, Atticis ſcriptoribus recepta loco τινί. Ita ſtatuunt *Conr. Rittershuſius* in Variis Lectionibus l. c. & in Notis ad Porphyrii Vitam Pythagoræ pag. 14. item *Samuel Battierius* in Biblioth.

blioth. Bremenſi Claſſ. VI. pag. 99. & ex noſtratibus B. *Polycarpus Leyſerus* in diſſert. de noviter adornanda Novi Teſtamenti Græci editione pag. 12. *Battierius* ſe recipit ad Codicem MS. librorum Origenis contra Celſum, qui clare ita ſcriptum exhibeat ὡσπερεί τῳ, nec *credibile* putat, *Paulum ſe peculiariter* τὸ ἔκτρωμα *appellare voluiſſe*, addito ſcilicet articulo, qui emphaſin ſecum ferre ſoleat. Mihi quidem non tantum veri ſimile, ſed & certum videtur, Paulum hic efficaciter & cum emphaſi loqui voluiſſe. Id enim requirebat illa beneficii magnitudo, quod Chriſtus ſibi, infenſiſſimo antea hoſti, nec *digno, qui Apoſtolus appellaretur*, v. 9. ſingulari modo, qui nec aliis, itidem ad fidem perductis, contigerit, apparere in viſibili corpore voluerit. Et nonne vel ideo τὸ κἀμοὶ, *& mihi*, Paulus adhibet, cum ſimplex ἐμοὶ ſufficere potuiſſet? Quod ad Codicem illum MS. attinet, is quidem evincit, ſcribi ſic potuiſſe, re vera autem ſic ſcribi debere, vel ideo dubitandum eſt, quod iſte hujus particulæ uſus nullo Novi Fœderis exemplo probari poſſit. Locum igitur ſuum recepta adhuc lectio tueatur. Paulum ſe cum fœtu abortivo comparare, communis fere veterum & recentiorum Interpretum ſententia eſt. Illorum alii alias hujus comparationis rationes afferunt, recitatas a *Marckio* l. c. pag. 679. ſqq. De Patribus lege *Suicerum* Tomo I. pag. 1073. Ex recentioribus multi Paulum *abortivum* ſe, tanquam *ſupernumerarium* vocaſſe exiſtimant, quemadmodum *Suetonius* in Octavio cap. 35. Senatores quoſdam Romanos *abortivos* appellaſſe viſus eſt. Ita *Baronius*, *Lorinus*, *Cornel. a Lapide*, *Lacerda* in Adverſariis pag. 115. & fere *Andr. Schottus* in Adagialibus Nov. T. pag. 115. Compara *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 699. Idem amplexus eſt *Hammondus*, notatus ideo a *Clerico* in additionibus, & *Wolſburgio* in Obſervatt. Sacris pag. 187. *Indignitatem* ſuam & *impotentiam* ita innuere voluiſſe rectius alii cenſent, reſpectu inprimis ad v. 9. habito. Lege *Clericum* l. c. & *Amelium* Parte I. der Erläuterung pag. 205. Subitaneam Pauli converſionem, vel priſtini ſtatus deformitatem hoc ſimili innui exiſtimat *Roëllius* in commentario in principium epiſtolæ ad Epheſios p. 52. Confer *Vitringam* lib. III. Obſervatt. cap. III. p. 48. In omnia alia diſcedit *Marckius* l. c. pag. 688. ſqq. ita hæc verba convertenda opinatus: *ultimo autem omnium etiam mihi viſus eſt, tanquam abortione*, ut vox ἐκτρώματι quaſi in *ablativo* poſita, & modus viſionis Apoſtolici indicatus credatur. *Sic enim*, inquit, *ſignificaverit Apoſtolus, viſum ſibi eſſe Dominum, non tantum præter omnem exſpectationem, uti ſic abortus obvenit mulieribus gravidis; non tantum cum ſummo terrore, & externo periculo, quæ in Abortu præ partu opportuno ſolent obtinere frequenter; ſed & cum perditione ulteriorum conſiliorum hoſtilium in Chriſtum & Eccleſiam, præcipue Damaſcenam, quæ conceperat & geſtabat quaſi imprægnatus ſecum, donec per perſecutionem oportunam eadem quaſi pareret*, coll. *Jac.* I. 15. *Jeſ.* XXXIII. 11. &c. *& quæ per inexſpectatum & terrificum Domini viſum ita fuere turbata & irrita facta, uti terrificus conſpectus ſolet a mulieribus gravidis fœtum conceptum & geſtatum expellere per ſequentem proxime*

Abor-

Abortum, Paulo ipſo a moliminibus ſuis deſiſtere ſic prorſus compulſo. Addit denique p. 689. ſi conjectura uti liceret, dici poſſe, pro ὡσπερὶ ſcriptum olim fuiſſe ὥσπερ ἐν ἐκτρώματι. De conjectura hac, cui nec vir doctus ipſe multum tribuit, imo qua nec opus admodum eſſe cenſet, nihil dicam: cetera vero longius petita, & a ſequentibus Pauli verbis alieniora eſſe, nemo forte negaverit. Nec id ad liquidum perductum eſt, vocem ἔκτρωμα *abortionem*, ſeu *abortandi* actum Græcis inferre. Unus hanc in rem p. 678. affertur *Heſychius*, vocem hanc per παιδίον νεκρὸν ἄωρον i. e. *infantem mortuum immaturum*, & ἐκβολὴν γυναικὸς, *ejectionem uxoris*, convertens. *Henr. Stephanus*, in Theſauro gloſſam hanc excitans, monet quidem *his verbis ſignificari potius ipſam actionem abortandi*; ſed addit, *eam* ἐκτρωσμὸν *magis proprie dici*, & ἔκτρωσιν, *ut apud Ariſtotelem Hiſt. Animal. lib.* VII. καλῦνται δὲ ἐκρύσεις ἀι μέχρι τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν διαφθοραὶ, ἐκτρωσμοὶ δὲ ἀι μέχρι τῶν τετταράκοντα. Vides, *Stephanum* dubium fuiſſe, an Græci ea voce in hoc ſignificatu uſi ſint, qui actum illum alia exprimere conſueverint. Addiderim ego, dubium quoque eſſe, num *Heſychius* ipſe vocem ἐκβολὴ de *actu*, an de *re ejecta* accipi voluerit. Quicquid hujus erit, tutius in ea ſignificatione h. l. acquieſcimus, quam τοῖς LXX. *Jobi* III. 16. & *Eccleſ.* VI. 3. receptam fuiſſe nemo negaverit.

Verſ. 9. Ἐγὼ γάρ ἐιμι ὁ ἐλάχιςος τῶν Ἀποςόλων) Confer *Epheſ.* III. 8. Vocem ἐλάχιςος cum Hebræa צעיר, qua Judæi, ut alias, ita in literis ad modeſtiam & demiſſionem animi ſignificandam frequenter utuntur, comparat *Vitringa* Obſervat. Sacr. lib. III. cap. 3. p. 48. atque hanc appellationem adhibet, ut probet, Paulum per *Benjaminum parvum* הצעיר *Pſalmo* LXVIII. 28. indicari.

Verſ. 10. Χάριτι δὲ Θεῦ ἐιμι, ὅ ἐιμι κ. τ. λ.) Lege huc. *Dionyſ. Petavium* Tomo I. Dogmatum Theologic. lib. X. c. 20. ſ. 7. & cap. 17. §. 6. item Tomo III. de Opificio ſex dierum lib. IV. cap. 3. §. 8. De auxilio divino, morigeris præſenti, externorum Scriptorum aſſerta recitat *Gatakerus* ad Marc. Antoninum IX. 40. pag. 347. a. Vide etiam *Andreæ Schotti* Adagialia N. T. pag. 116.

Verſ. 12. Ἐι δὲ Χριςὸς κηρύσσεται, ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται) D. *Joh. Franc. Buddei* Programma, originem doctrinæ de reſurrectione ex hoc commate vindicans, in Meditationibus ejus Paſchalibus, Jenæ 1725. 4. a M. J. D. Leonhardo recuſis, exſtat pag. 102. ſqq. Adde D. *Frider. Ern. Meis* diſputat. ſingularem Siluſ. 1703. nec non B. *Godofr. Olearii* Programma Paſchale Lipſienſ. 1712. vulgatum, quo oſtenditur, præconium Evangelii cum δυνάμει & virtute divina factum h. l. innui.

Πῶς λέγυσί τινες ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνάςασις νεκρῶν ὐκ ἔςι.) Per hos falſum illum doctorem, cui hæc epiſtola inprimis oppoſita ſit, cum aſſeclis ſuis intelligi, perſuaſum eſt *Lockio* in commentario ad h. l. *Hymenæum* & *Philetum* ſpectari, qui non ſolum corporis excitationem, ſed & animam poſt hanc vitam

ſuperſtitem negaſſe ex contextu Paulino videntur *Vitringæ* Obſſ. Sacrar. lib. IV. cap. 9. §. 4. ſqq. qui inprimis comma 31. vult conferri. De aliis, craſſiſſimi erroris patronis, lege *Suicerum* Tom. I. pag. 319. Erraret multum, qui ex his conficeret, errantes hujus generis in cœtu Corinthiorum Chriſtiano toleratos fuiſſe. Nihil enim aliud hinc conſequitur, quam, quod tales Corinthi verſati ſint, quod ſapienter monet B. *Hülſemannus* in Decade II. epiſtolarum Theologic. p. 348.

Verſ. 13. Ει δὲ ἀνάςασις νεκρῶν ὐκ ἔςιν, ὐδὲ Χριςὸς ἐγήγερται) Inſpice Cappellorum Opera pag. 249. & *Guſſetii* Veſperas Groninganas pag. 60. ſqq. Etymologicum M. ἀνάςασιν explicat per τὴν ἄνω ςάσιν, ἤτοι ἔγερσιν, ita ut ἀνὰ ſignificet *ſurſum*. Rectius vero in voce ἀνάςασις τὸ ἀνὰ ſenſu τῦ *rurſum* accipi convenienter monet Cl. *Jo. Alberti* pag. 353. Obſſ. quemadmodum *Joannes Damaſcenus* de Orthod. fide lib. IV. c. 28. ἀνάςασιν ait eſſe δευτέραν τῦ πεπ]ωκότος ςάσιν.

Verſ. 14. Ει δὲ Χριςὸς ὐκ ἐγήγερται, κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν) Vox κήρυγμα, & hic & alias ſimpliciter poſita, Evangelii præconium infert. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 99.

Verſ. 15. Ευρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομάρτυρες τῦ Θεῦ) Verbo ἑυρίσκεσθαι eodem ſenſu utitur *Herodotus* lib. I. p. 19. ὡς, ει Φρονέοντα τὴν ἀληθηίην ἑυρηθείη. Sic & *Polybius* aliquoties. Ex utroque id obſervatum eſt Rev. *Raphelio*.

Ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν κατὰ τῦ Θεῦ) *quod teſtati ſumus de Deo.* Ita *Xenophon* Cyropæd. lib. I. pag. 6. ταῦτα μὲν δὴ κατὰ πάντων Περσῶν ἔχομεν λέγειν. *Hæc ſunt, quæ de Perſis omnibus dicere poſſumus.* Rectiſſime hunc locum huc retulit *Raphelius* in Annotatt. ex eo deſumtis pag. 230. & ejus, quamvis non appellati, exemplo *Th. Hutchinſon* in noviſſima Cyropædiæ Xenophonteæ editione p. 18.

Ειπερ ἄρα νεκροὶ ὐκ ἐγείρονται) Pauci codices, & Patres nonnulli hæc omittunt, ideoque explicandi cauſa poſtliminio addita cenſet poſt *Zegerum Millius* in Prolegom. §. 931. imo recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Londin. 1729. audacter omiſit. Non negant illi & ſenſum, & inprimis ſequentia Pauli verba: ει γὰρ νεκροὶ ὐκ ἐγείρονται, priora illa ſubintelligi jubere, & vel ſic tamen, dum in codicibus tantum non omnibus & verſionibus quoque exſtant, ex Pauli calamo fluxiſſe inficiantur. Quid eſt, ingenio abuti, ſi hoc non ſit? Vox νεκροὶ *cadavera* infert, etiam ex profanorum Græciæ Scriptorum uſu. Vide eruditiſſimum *Jo. Conr. Schvvarzium* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 70.

Verſ. 16. Ει γὰρ νεκροὶ ὐκ ἐγείρονται, ὐδὲ Χριςὸς ἐγήγερται) Ad hæc commentatus eſt D. *Jo. Philip. Treiberus* Jenæ 1700.

Verſ. 17. Ματαία ἡ πίςις ὑμῶν) De nexu doctrinæ de Reſurrectione Chriſti cum omnibus *fidei ſpeique* noſtræ partibus egregie ad h. l. diſſerit B. *Olearius* l. c. p. 760. Adde D. *Frider. Erneſti Meis* diſſertat. Siluſiæ 1711. editam.

Verſ.

Verſ. 19. Ει ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἠλπικότες ἐσμὲν ἐν Χριςῷ μόνον,) Octo diverſas Interpretum de egregii hujus oraculi ſenſu ſententias diligenter recenſet *Jo. Marckius* in Exercitatione Scripturaria XXII. Ex illis eam is recte ſeligit, quæ particulam μόνον non ad Chriſtum præciſe, nec ad ullam aliam hujus enunciationis vocem, ſed ad illam totam, referendam eſſe ſtatuit. Idem oſtenſum eſt ex noſtratibus a Cl. *Franc. Wokenio* in Pietate Critica Parte II. de Synchyſi pag. 130.

ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων ἐσμὲν) ἐλεεινότεροι, i. e. ἐλεεινότατοι, *miſerrimi*, ut *comparativus* pro *ſuperlativo* ponatur. Vide *Matth.* XI. 11. XIII. 32. &c. collatis *Feſſelii* Adverſariis Sacris Tom. I. p. 304. qui & de particula μόνον, quam ad voces ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ referri vult, commentatur. Ἐλεεινοὶ proprie dicuntur qui in miſerrima & fœdiſſima ſunt conditione, quorum aſpectu commoventur alii ad commiſerationem, ut Belg. *elendig*, quod ab hac voce ortum videtur. Hæc ſcite monet *Lamb. Bos* pag. 151. Exercitatt. & rem probat ex *Ariſtophanis* Ranis v. 262. itemque Gloſſis, in quibus ἐλεεινὸς, *miſer*, *miſerabilis*, *deteſtabilis*. D. *Franc. Atterbury*, Anglus, in concione funebri ſingulari, Anglice edita, ex h. l. affirmaverat, Pauli judicio impios, imo ipſas beſtias feliciores fore, abſque ſpe melioris vitæ ſi foret. Hanc vero ſententiam & verbis Pauli, (qui de calamitatibus Chriſtianorum illius ætatis ſpeciatim loquatur,) & rei ipſi, ac præſtantiæ virtutis pietatisque adverſari D. *Benjamin Hoadley* ſingulari epiſtola, ad *Atterburium* an. 1706. data, oſtendere inſtituit. Partes viciſſim ſuas tueri perrexit *Atterburius* in præfatione ad volumen concionum ſuarum, junctim editarum, cui *Hoadleius* alteram epiſtolam an. 1708. oppoſuit. Utraque recuſa in hujus *Tractatibus miſcellaneis*, Londini 1715. 8. editis num. III. & IV.

Verſ. 20. Νυνὶ δὲ Χριςὸς ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν, κ. τ. λ.) Illuſtrantur hæc a B. *Seb. Schmidio* in Faſciculo Diſputationum num. XX. p. 1131. ſqq. & in Myſterio Pietatis I. p. 598. 612. *Auguſto Varenio* in præfat. ad commentar. in Geneſin, & in Anonymi Programmate Paſchali Lipſ. 1684. edito, quod in *Gabr. Terne* Sylloge I. Programmatum p. 709. recuſum exſtat.

ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο) Verbum ἐγένετο codices pauci MSS. verſiones quædam & Patres omittunt. Idem itaque *Zegerus* & *Eraſmus* explicationis gratia poſtliminio additum eſſe cenſent, recenſque Novi Teſtamenti Græco-Anglicani editor, more ſuo, audacter expunxit. Quod ad ſenſum, nihil intereſt. Neque tamen ideo dubitandum, Apoſtolum ita ſcripſiſſe. Manifeſtum enim eſt, Paulum in toto hoc capite graviter admodum, efficaciter & perſpicue ſcribere voluiſſe. Ideo cumulat ſententias etiam ἀσυνδέτως. Sic v. 17. Εἰ δὲ Χριςὸς ἐκ ἐγήγερται, ματαία ἡ πίςις ὑμῶν, ἔτι ἐςὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν. Quidni credamus, & in hoc commate alterum prædicatum, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, priori deſtinato conſilio ad gravitatem ſermoni conciliandam junctum fuiſſe? Taceo, ἀπαρχὴν κεκοιμημένων, per appoſitionem quandam, verbo antecedenti, ἐγήγερται, minus commode reſpondere. Quid enim

enim τῇ ἀπαρχῇ cum reſurrectione, ſi verbum ipſum ſpectes? Quod ad phraſin ipſam attinet, nemini obſcurum eſſe poteſt, reſpici ea ad manipulum ſpicarum, tanquam primitias meſſis, elevandum a Sacerdote & ſanctificandum, ut deinceps comedere de fructibus Canaanis liceret, ex præcepto *Levit.* XXIII. 10. Chriſtus ſcilicet, Sacerdos noſter, ſe ipſum glorioſe reſuſcitatum elevat, atque in plenam meſſem bonorum reſurrectionis, h. e. bonorum ſpiritualis Canaanis, nos, filios reſurrectionis, dimittit: ſicque adeo primitiæ fit τῶν κεκοιμημένων, *eorum, qui obdormiſcunt*, quo elevato & ſanctificato per reſurrectionem, plena fruitio meſſis cœleſtis patriæ noſtræ ſubſequatur. Inſpice B. *Olearium* l. c. p. 769. ſqq. & *Starckium* in Notis Selectis p. 128. item *Jac. Guſſetium* in Commentariis Linguæ Hebraicæ radice בכר p. 127. & ראש litera l. 2. Patrum cogitata expromit *Svicerus* Tom. I. Theſauri p. 423.

Verſ. 21. Ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπȣ ὁ θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπȣ ἀνάςασις νεκρῶν) Explicat hæc una cum commate ſequenti *Grotius* Tomo III. Opp. p. 302. b. & 475. b.

Verſ. 22. Ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκȣσιν, ȣ̓́τω καὶ ἐν τῷ Χριςῷ πάντες ζωοποιηθήσονται) Hoc & ſequentia commata usque ad v. 29. ſingulari diſputatione perſecutus eſt ex noſtratibus *Guſtav. Georg. Zeltnerus* de Subjectione Jeſu Chriſti glorioſa *Altorf.* 1715. ex Reformatis autem *Jo. Jac. Lavaterus*, Theologus Tigurinus, in Diſſ. de cauſa reſurrectionis ad cœleſtem cum Chriſto gloriam, Tiguri 1722. 4. Quomodo *Henr. Dodvvellus* hoc quoque loco ad ornandam precariam ὑπόθεσιν, de naturali animæ mortalitate & interitu, abuſus ſit, patebit ex libro ejus Anglicano & diſcrimine inter animam & Spiritum, pag. 122. Ad totius pericopes ſenſum rectius & ſine offenſione perſpiciendum probe tenendum eſt, Paulum in ea non de reſurrectione mortuorum in genere, quam v. 12. ex reſurrectione Chriſti evicerat, ſed de ea tantum, quæ veris Chriſti aſſeclis ad vitam glorioſam imminet, loqui, quod, ut ex tota orationis ſerie, ita inprimis ex v. 23. apparet, ubi οἱ τȣ̃ Χριςȣ̃ commemorantur. Lege huc B. *Calovium* in Bibliis Illuſtrat. ad h. l. & ex ceteris copioſe *Jo. Lockium* in commentario.

Verſ. 23. Ἕκαςος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι) *ſuo quisque ordine*, a Deo reſurrectioni diverſarum claſſium conſtituto. Neque enim hic ad diverſos gloriæ cœleſtis gradus, quod cum Pontificiis nonnulli volunt, ſed ad *ordinem* tantum, in quo fideles reſurrecturi ſint, reſpici, & vox ipſa, & vocabula ἀπαρχὴ, εἶτα, ἔσχατος evincunt. Compara *Zeltneri* diſputationem citatam p. 6. ubi & Chiliaſtarum ſomnia diſpellit. Illi enim per τὸ ἔπειτα interpoſitum mille annorum intervallum indicari cenſent, quæ & *Joſephi Mede* ſententia eſt in Operibus Anglicanis p. 775. & p. 802. Scilicet vox τάγμα *aciem militarem* ordine diſpoſitam & in manipulos diſtinctam ex uſu Scriptorum infert. Vide *Valeſium* ad Euſebii Hiſtor. Eccleſiaſt. p. 249. a.

οἱ τȣ̃ Χριςȣ̃) Lege *Suicerum* Tom. II. p. 1552.

Ἐν

Ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ) *ſub adventum ejus*, viſibilem nempe ad judicium. Aliter vertit & accipit *Vulgatus*, quem tamen hic recte deſerit *Rich. Simon* in Hiſtria Critica verſionum N. T. p. 1149. Compara *Actor.* I. 11. 2. *Tim.* IV. 1. 8. *Tit.* II. 13. & vide *Millium* ad h. l.

Verſ. 24. *Εἶτα τὸ τέλος*) *Poſtea finis*, ſcilicet rerum omnium. Vide 1. *Pet.* V. 7. & 1. *Cor.* X. 11. Id quod ex Socinianis ipſis, finem hunc ad regnum Chriſti pertinere alias aſſeverantibus, *Slichtingius* agnovit: *Tum demum*, inquiens, *erit finis mundi, idque prolixe docet Petrus* 2. epiſt. III. 7. 10. 11. 12. 13.

Ὅταν τὴν βασιλείαν παραδῷ τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ) *ubi tradiderit regnum*, nempe mediatorium ſeu gratiæ, (quod eo uſque geſſit, & cui non ex Patris ſuaque ſententia finem imponet) una vero eos, quos ſubditos ſibi habuit, coram Patre dicens: *ἰδοὺ ἐγὼ καὶ τὰ παιδία, ἅ μοι δέδωκας.* Vide *Jeſ.* VIII. 18. & *Hebr.* II. 13. *Eſt igitur traditio οἰκονομικὴ, qua terminabit modum regni gratiæ, non ſubſtantiam regni*, & triumphatoria *hoſtium ſubactorum, ad eum modum, quo Titus Patri Veſpaſiano tradidit captivos Judæos*, & repræſentativa *civium liberatorum*, quæ verba ſunt acutiſſimi *Dannhaueri* noſtri in Hodoſophia Phœnomeno VIII. Plura in hanc ſententiam lege ex noſtratibus apud *Wolfg. Franzium* de interpretatione Scripturæ Sacræ p. 670. *Zach. Dorſcheum* in Theolog. Zachariana Parte II. Diſſ. VII. *Jo. Chriſtoph. Pfaffium* de fine œconomiæ Chriſti Tubingæ 1705. & 1713. *Caſp. Frider. Wolfburgium* in Obſervatt. p. 447. & 548. & *Henr. Bened. Starckium* in Notis Selectis p. 129. Ex Pontificiis apud *Dionyſ. Petavium* Tom. II. Dogmatum lib. III. de Trinitate c. V. pag. 149. contra Crellium diſputantem. Ex Reformatis *Cloppenburgium* Tom. I. Operum pag. 992. *Marckium* in Hiſtoria exaltationis Chriſti p. 128. & *Jac. Guſſetium* contra librum *Chiſſuk Emuna* Parte II. cap. 32. pag. 399. Patrum expoſitionem habes apud *Petavium* l. c. & *Suicerum* Tomo I. Theſauri p. 668. His Pauli verbis cum *Marcellus Ancyranus* olim abuteretur, illi Concilium II. Oecumenicum oppoſuit, & Symbolo Niceno inſeruit hæc verba: *οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος.* Vide *Beveregium* ad Synodicon p. 92.

Verſ. 25. *Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν, ἕως οὗ ἂν θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ*) Manifeſto hic reſpicitur ad Pſalm. CX. 1. שב לימיני עד אשית איביך הדום לרגליך Ex his locis ſecum invicem comparatis conſtat, τὸ *ſedere ad dextram* apud Pſalten idem eſſe, quod *βασιλεύειν* Paulinum. Conf. *Hebr.* I. 13. & adde *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. VI. c. 5. 69.

Verſ. 26. *Ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος*) Fuit, qui de *morte æterna* ſeu damnatione, adeoque abolitione peccati & Diaboli ſermonem eſſe contenderet. Cogitata hominis, quem *Leonh. Chriſtoph. Sturmium* fuiſſe non vane ſuſpicor, expoſita lege in Unſchuldigen Nachrichten, an. 1713. pag. 276. ſqq. Ibidem vero recte pag. 279. monetur, loqui Paulum de morte corporali, & quidem fidelium (de quorum tantum reſurrectione hic agitur) quorum, & in tantum capitis ipſorum, Chriſti, hoſtis ultimus appellatur, cum quo devicto tota

 cala-

calamitatum phalanx ſuperetur. Eadem a B. *Zachar Grapio* fuſius expoſita lege ibidem an. 1716. p. 125. ſq. Adde *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. II. p. 110. & inprimis *Seb. Schmidium* in Collegio Biblico II. p. 369. ſq.

Verſ. 27. Πάντα γὰρ ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, κ. τ. λ.) Davidicum illud eſt oraculum *Pſalm.* VIII. 7. cum quo allegationem Paulinam conferunt Cl. *Franc. Wokenius* in Harmonia Vet. & Novi Teſtamenti p. 270. ſq. & *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 547. Contra Socinianos hoc loco abutentes, lege Rev. *Zeltneri* hiſtoriam Crypto-Socinismi Altorfini p. 673. 696. 699. & 964. Nuper etiam *Jo. Clarkius* in Doctrina Scripturaria de Trinitate p. 87. hinc efficere conatus eſt, Chriſtum Patre inferiorem eſſe, contra quem legendus eſt *Guil. Lorimer* in *the plain explication of the firſt* 18. *verſes of the firſt chapter of the Goſpel, written by S. John* p. 38. ſq.

Verſ. 28. Ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα) Vocem υἱὸς pro irreptitia ex margine habet *Millius* in Prolegomenis §. 465. ideo, quod a Patribus nonnullis, inter quos tamen *Irenæum* V. 36. falſo refert, omittitur. Lege *Whitbium* p. 65. Examinis. Ad ſenſum commatis inveſtigandum conſulendi ſunt ex noſtratibus B. *Jo. Wolfgangus Jægerus* in Tractatu de fœdere gratiæ p. 182. ſqq. B. *Jo. Frid. Majerus* in diſſ. de ſubjectione filii Dei Gryphiswald. 1709. & *Zeltnerus* in diſſertat. aliquoties laudata; ex Reformatis *Jo. Weſſelius*, Theologus Leidenſis, in Diſſertationibus Sacris ad Selecta quædam Veteris & Novi Teſtam. loca diſſert. XIII. ex Pontificiis *Dionyſ. Petavius* Tomo V. Dogmatum lib. II. c. VIII. & lib. XII. c. XVIII. §. 13. Ex citatis diverſas Interpretum ſententias diligentiſſime enumerat & expendit Rev. *Zeltnerus* p. 28. ſqq. quem inprimis conferri velim. Mihi quidem ſemper ſe probavit illa acutiſſimi *Hulſemanni* noſtri a B. Sadhagenio, in Decade epiſtolarum Theologic. II. vernacule edita, p. 349. ſq. ita expoſita: *Chriſtus*, inquit, *Patri ſubjectus erit non ſimpliciter quod ad perſonam & munus ſuum, ſed eo reſpectu, quem cum maſſa, ut primitiæ, communem habet. Hic vero reſpectus continetur communione illa, quæ inter ipſum, ut caput, & inter fideles, ut membra, in regno gratiæ interceſſit, ceu patet ex verſibus* 13. 14. 16. 20. & 21. *ubi argumentum ex communibus corporis Chriſti & corporum, quæ excitanda ſunt, proprietatibus ducitur, quemadmodum v.* 17. & 18. *de communione inter Chriſtum & fideles agitur. Itaque ſubjectio Chriſti non longius extendenda eſt, quam illa inter caput & membra communio permittit. Jam vero divina & æterna Chriſti natura extra illam communionem poſita eſt. Cumque Apoſtolus poſt commemoratam hoc commate Chriſti ſubjectionem reſurrectionem iterum demonſtrare pergat, non dubium eſt, humanam Chriſti naturam hic ſpectari, quam ut* ἀπαρχὴ *cum maſſa eorum, qui excitandi ſunt, communem habet.* Hæc plerorumque ex noſtratibus Theologorum ſententia eſt, quamvis alio atque alio modo propoſita.

Sed nec ceteræ, nec illa ipſa, idoneæ viſæ ſunt doctiſſimo *Zeltnero*, quæ Socinianis tuto & valide opponerentur. Itaque ita rem inſtituit, ut omnis *ſubjecti-*

jectionis notio ſuo quidem judicio penitus exulet. Hoc conſilio τὸ ὑποτάσσεσθαι idem eſſe vult p. 48. quod, *ordine ſuo ſubſequi*, poſtquam alia jam certa τάξει, ſecundum certos, quos Paulus commemoravit, eventus locata fuerint. Hanc in rem varia ex linguis Græca & Latina affert, quæ vocibus τάξις, τάγμα & τάσσειν earumque compoſitis meri *ordinis* ſignificatum vindicare videntur. Tandem p. 54. omnia in compendium his verbis mittit: **Wann aber alles nach und nach, bis auf den letzten Feind wird Ihm unterworfen ſeyn; alsdann wird auch der Sohn ſelbſt in ſeine Ordnung treten, oder folgen, nemlich das Reich übergeben mit daraus folgender nunmehr ruhigen herrlichen Regierung über alle Auserwehlte, als ſein Erbtheil, und zwar dem, der vorher Ihm ordentlich alles untergeben hatte, daß führohin ſey GOtt unmittelbar und nicht mehr Chriſtus im Glauben, alles in allen.** In eandem ſententiam lege ejuſdem notas ad verſionem B. Lutheri Biblicam vernaculam p. 197. Si cetera omnia bene ſe haberent, nunquam, puto, effecerit vir doctus, ut τὸ ὑποτάσσεσθαι vel alibi, vel hoc loco *ordinem* tantum, vel *conſecutionem* ordine factam, innuere quiſquam exiſtimet. Quo enim ſenſu Paulus verbum ὑποτάσσειν v. 27. adhibuit ex Pſalmo VIII. qui hujus pericopes fundamentum eſt, eodem etiam hoc loco accepiſſe merito cenſetur. Jam vero τὸ ὑποτάσσειν apud Pſalten non meri *ordinis*, ſed hinc *ſubjectionis*, hinc *dominii*, notione occurrere, non video, qui negari cum veri ſpecie poſſit. Neceſſe itaque eſt, ut de humana Chriſti natura, quæ talem *ſubjectionem* ratione modo expoſita admittit, cogitetur. Nec obverti poteſt, hac ratione Chriſtum Patri jam ante ſubjectum fuiſſe. Recte enim *Hülſemannus* l. c. monuit, Scripturam Sacram ſæpe id dicere fieri, quod, etiamſi ante jam factum ſit, *ſingulari* quadam & *illuſtriore* ratione fiat.

Ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν) Horum verborum ſenſus ex conſummato & tradito Patri gratiæ regno ſeu œconomia præſenti æſtimari debet. Placet adſcribere B. *Godofr. Olearii* ex Prælectionibus ejus MSS. cogitata: *Regnum adminiſtrabitur nulla amplius obtinente œconomia perſonarum. Jam enim filio tradita ſunt omnia, ut peragat opus Dei in Eccleſia; Spiritui S. itidem certa munia in Eccleſia competunt: Deus Pater vero Judicis rationem obtinet: tunc vero iſta communis adminiſtratio, qua quidem diſtinctis perſonis diverſa tribuuntur, ceſſabit, habebimus SS. Trinitatis revelationem perfectiſſimam, & diſtinctam omnium perſonarum, non amplius ex diſtincta cujuslibet perſonæ in certis muniis* κατ' οἰκονομίαν *manifeſtatione hauriendam.* Hæc ſane ad ſcopum & contextum Apoſtolicum propius accedunt, quam illa, quæ redivivi noſtra ætate ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων, quam vocant, patroni ex his verbis exſculpere conantur, peccatum ſcilicet, damnationem & diabolos aliquando penitus abolendos eſſe, & tum Deum fore omnia in omnibus. Vide, quæ hujus ſententiæ patronis ſtrictim oppoſita ſunt in **Unſchuldigen Nachrichten**, an. 1713. pag. 279. & 1716. pag. 130. ſqq. Omitto, quæ alii nuperrime fuſius pro vindicando hoc loco attulerunt.

Quod

Quod ad φϱάσω attinet, externi quoque Græciæ & Latii Scriptores eum, penes quem ſumma eſt imperii, adeo, ut unus omnia poſſit, τὰ πάντα, ſive τὸ πᾶν eſſe dicunt. Sic *Polybius* lib. V. c. 26. p. 520. de Apelle Regis Philippi præfecto: τὸ δὲ ὅλον ἀυτοῖς ἦν καὶ τὸ πᾶν Ἀπελλῆς. Plura hujuſmodi ex *Herodoto* loca promit Rev. *Raphelius* in Annotationibus *Polybianis* p. 478. & inprimis Herodoteis p. 478. ſqq. qui præterea utroque in loco monet, τὸ ἐν πᾶσι in maſculino genere accipi debere, ut nempe ſummum Dei imperium, abolito omni principatu v. 24. omnibuſque ipſi ſubjectis, intelligatur. Deum ſpeciatim τὸ πᾶν vel τὰ πάντα eſſe, a Gentilibus dici, oſtenſum eſt a VV. CC. *Jo. Alberti* pag. 354. & *Jac. Elsnero* p. 126.

Verſ. 29. Ἐπεὶ) *Alioquin.* Adhibetur hæc particula ad confirmandam rem a conſequente falſo vel inconveniente, ni ita ſit. Firmat hoc *Raphelius* Polybii loco p. 416. & videri jubet *Rom.* XI. 6. & 1. *Cor.* VII. 14. Confer, quæ ſupra ad *Rom.* V. 10. allata ſunt.

Τί ποιήσȣσιν) Formula eſt dicendi, quæ maximam dubitationem non tantum, ſed & ingentem miſeriam innuit, calamitates & anguſtias ſummas. Ita Tecmeſſa apud *Sophoclem* Ajace v. 821. Οἴμοι τί δϱάσω; *Me miſeram quid agam?* Hunc & plures ejuſmodi locos affert Cl. *Jo. Alberti* pag. 355. Spectat huc illa hominis, ſpem ſalutis fere omnem abjicientis, quæſtio: τί ποιήσω; *Luc.* XVI. 4. Malim tamen hoc loco phraſin eo ſenſu accipere, quo eandem Paulus & Barnabas adhibuerunt, cum homines, victimas ſibi quaſi Diis oblaturos, ita alloquerentur: τί ταῦτα ποιεῖτε; *Actor.* XIV. 15. Res ſcilicet inconveniens, indigna & excitandæ admirationi idonea indicatur. Cl. *Elsnerus* p. 128. verti etiam poſſe putat ſimpliciter: *cur baptizantur?* τί καὶ βαπτίζονται; quod mox repetitur. Sic *Actor.* XXI. 13. dici ait: τί ποιεῖτε κλαίοντες; *cur fletis?* & *Marc.* XI. 5. τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον; Malim ego prius, quod ipſe attulit: *quid inceptant, qui baptizantur?* Sic enim ſententia ſimul de re, tanquam minus conveniente, ſubindicatur, quod in locis ab ipſo allatis itidem fieri perſpicuum eſt. Nec video alioquin, cur Paulus repeteret τὸ, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲϱ τῶν νεκϱῶν; ſi idem omnino antea dixiſſet.

Οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲϱ τῶν νεκϱῶν) Appellabo heic primum eos, qui data opera verbis his, inprimis vexatis, lucem affundere conati ſunt. Huc pertinent ex noſtratibus variorum diſſertationes ſingulares v. c. *Seb. Schmidii* in Faſciculo Diſpp. Theol. Philolog. p. 337. ſqq. & 459. ſqq. *Abrah. Calovii*, Witteb. 1684. *Jo. Tarnovii* in Exercitatt. Biblic. p. 645. *Jo. Sauberti* in Palæſtra Theolog. Philol. p. 196. *Chriſtiani Chemnitii* in Additamentis ad Geneſin, Jen. 1665. & Witteb. 1716. *Jac. Reichmanni* de necrobaptiſmo Witteb. 1652. *Aug. Buchneri* in Obſervatt. Sacr. Cl. *Maji* Tom. III. *Frid. Deutſchii* Regiom. 1698. *Henr. Mulleri* Roſtoch. 1665. *Dan. Grade*, Gryphiswald. (quæ duæ in Theſauro Theol. Philologico Diſputatt. ſuper V. & N. T. pag. 563. & 559. ſqq. recuſæ exſtant,) *Godofr. Olearii*, Lipſ. 1704. & *C. A. Heumanni* in Pœcile Tom. III. lib. I. pag. 105. ſqq. Alii noſtratium in eorundem illuſtrationem alibi incubuerunt,

ut

ut *Wolfg. Franzius* de Interpretat. Scripturæ p. 576. *Joh. Mich. Dilherrus* Tom. I. Diſſertatt. pag.470. *Jo. Bened. Carpzovius* diſp. II. de Vacca rufa pag. 90. & 151. *Conr. Rittershuſius* VIII. 14. *Caſp. Barthius* in Adverſariis Sacris lib. 44. cap. 2. *Jo. Andr. Boſius* in diſſert. de Clinicis veteris Eccleſiæ, cum Introductione ejus in Notitiam Scriptorum Eccleſiaſtic. Jenæ 1723. recuſa, *Zimmermannus* ad dictum Tertulliani *Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani*, p. 76. *Thomas Ittigius* in Selectis Capitibus Hiſt. Eccleſ. Sec. I. cap.V. §.34. *Chriſtianus Noldius* in Concordantiis Particul. Hebr. not. 1743. *Jo. Alb. Fabricius* in Bibliograph. Antiquaria p. 390. *Caſp. Frider. Wolfburgius* in Obſervatt. Sacr. p. 24. *Salom. Deylingius* in Obſervatt. Parte II. p.380. & in edit. II. p. 509. *Jo. Henr. Majus* Obſſ. Sacr.lib. II. p. 111. *C. M. Pfaffius* de Originibus Eccleſ. p.83. *Franc. Wokenius* in MeditationibusPrivatisTom. I. p. 117. *Theophilus Alethæus* in der Erläuterung Tom. II. p.389. Auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom.I. p.412. &Tom.III. pag.589. *Jo. Georg. Schelhornius* in Biblioth. Bremenſi l.c. p. 649. Anonymus in Unſchuldigen Nachrichten 1724. p. 775. & in Miſcell. Lipſienſibus Tom. XI. pag. 298. ſq. ubi *Marlorati* ſententia confutatur, quam *Eraſmus Schmidius* ad h. l. itidem amplexus eſt. *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis p. 130. *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica p. 578. 604. 606. & 1089. & *Jo. Wilhelmus von der Lith* in libro vernaculo: Steine des Anſtoßes Parte II. B. *Hectoris Godofredi Maſii*, Theologi quondam Hafnienſis, velitationem epiſtolicam cum *B. Botſacco* de baptiſmo ſuper mortuis MS. in ſcriniis *Severini Lintrupii*, τȣ̃ μακαρίτȣ, exſtitiſſe diſco ex Rev. *Bernh. Raupachii*, Collegæ mihi amiciſſimi, Oratione de ſtatu præſente rei ſacræ & literariæ in Dania, p. 52.

Ex *Reformatis* Doctoribus huc ſpectant *Joſ. Scaliger* in Epiſtolis p. 505. 508. & in Actis Literariis Schurzfleiſchianis p. 29. *Jo. Coccejus* Tom. VI. Operum in calce inter epiſtolas pag. 77. *Phil. Jo. Tilemannus de Schenck* Diſſ. inaugurali Franequ. 1667. *Bertramus* in Lucubrationibus Franckenthalenſibus c. VIII. p.118. Tomi I. Theſauri librorum Creniani, *Frid. Spanhemius* diſſ. ſingulari, Tomo III. Opp. p. 577. ſqq. *Jo. Cloppenburgius* Tom. I. Operum p. 659. & *Jo. Marckius* in Exercitatt. Juvenil. p.540. ſqq. *Gerh. Jo. Voſſius* Tom. VI. Opp. p. 402. *Alex. Morus* in notis ad h. l. p. 133. & in Axiomatibus Theologic. p.433. *Jo. Henr. Suicerus* in Theſauro Eccleſ. Tom. I. pag. 640. ſqq. ex Patribus commentatus, *Steph. de Brais* in diſſertat. ſubjuncta commentario in epiſt. ad Roman. pag. 258. ſq. *Jo. Lomeierus* de luſtrationibus veterum Gentilium p. 222. *Sam. Werenfelſius* in Sylloge diſſertationum Theolog. diſſ. XI. p. 451. *Sam. Bochartus*, ὁ πάνυ, Tom. II. Operum p. 1026. ſqq. *Anton. Klinglerus*, Theologus Tigurinus, in Dodecade Exercitatt. Academ. p.222. ſq. *Jo. Meyerus* in Fundamentis Theologiæ p. 1011. *Conr. Mel* in Antiquario, de quo Acta Erud. Lipſienſ. an. 1707. p. 398. *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 710. & 721. item in Diſſertat. ad *Jerem.* XXIII. 6. p.245. *Jo. Frider. Hombergius* in Parergis p. 261. cum quo facit *Sam. Battierius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 100. *Jo. Alberti* p.354. & *Jo. Venema* in diſſ. de natura hæreſeos, a Paulo hic oppugnata. *Theod. Haſæus* in

Diſſ. Philologico-Theolog. Bremenſ. 1725. *Jo. Creyghton* in Prolegomenis ad *Salom. van Till* commentar. Belgic. in hanc epiſtolam pag. 318. ſqq. *Jac. Nyloe* in Schriftuurlycke Aanmerkingen lib. II. cap. 6. & *Martin. Zeuſchner* in diſſ. Inaug. Francof. ad Viadr. 1706. *Jac. Bernardus* in Novis Reipubl. Literar. an. 1703. Tom. II. pag. 70. ſq. *Jo. Clerici* ſententiam commemorans, eandem ſibi quoque in mentem olim veniſſe, & diſſertatione ἀνεκδότῳ adſtructam a ſe eſſe profitetur.

Ex *Anglis* induſtriam ſuam huc retulerunt inquilinus eorum *Paulus Colomeſius* in Obſervationibus Sacris p. 33. *Norton. Knatchbullus* ad h. l. *Jo. Edvvardus* in diſquiſitione de difficilioribus quibusdam N.T. locis, de qua Acta Erudit. an. 1693. p. 52. exponunt, *Guil. Caveus* de Chriſtianiſmo primitivo Parte I. c. 10. *Henr. Dodwellus* in libro Anglicano de diſcrimine animæ & ſpiritus p. 127. de quo Unſchuldige Nachrichten an. 1707. pag. 646. *Edwardus Chandler* in Defenſione Chriſtianiſmi Anglice edita p. 274. *Wilh. Wall* in Hiſtoria Pædobaptiſmi Anglice edita p. 240. ſq. & in Notis Criticis ſuper N. T. p. 199. Perſuaſum is ſibi habet utroque in loco, reſpici ad morem hæreticorum quorundam, qui jam ea ætate ſuperſtites in locum eorum, qui ſine baptiſmo defuncti erant, baptiſari ſuos curarent, quod *Cerinthianos* & *Marcionitas* feciſſe veteres teſtentur. Poſteriori loco addit, pro βαπτιζόμενοι forte ponendum eſſe δαπανώμενοι, hoc ſenſu: quomodo tanti ſumtus impenduntur corporibus mortuis: *why are people at ſuch expences dead Bodies? Adrian. Beverlandus*, Angliæ inquilinus, in Otiis Oxonienſibus ἀνεκδότοις cap. VI. *Origenis* ſententiam adſtruens, per βαπτιζομένους eos intelligentis, qui ante lucem ſurgentes ad martyrum ſepulcra properabant, ut illuminarentur ſeu baptiſarentur, pro fide Chriſtiana morituri ad eorum exemplum, ſuper quorum tumulis baptiſarentur, & *Petrus Kingius* in Hiſtoria Symboli Apoſtol. p. 321. Noviſſime *Rich. Ellis*, Anglus, in Fortuitis Sacris, ἀνωνύμως editis, p. 137-170. copioſe in eam ſententiam, quæ & *Clerici* eſt, diſſerit, ut βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν idem ſit, quod *baptiſari in locum mortuorum*.

Ex *Pontificiis* legi poſſunt *Lud. de la Cerda* in Adverſariis p. 382. Anonymus Auctor Vitæ Pet. Abælardi Pariſ. 1720. gallice editæ, in ſingulari diſſertatione, qua eos confutat, qui naſcentis Eccleſiæ hanc fuiſſe cenſent, quod, qui pro defunctis baptiſari ſe paterentur, eorum animabus ſalutem conferrent. *Jo. Martianaus* in Eſſais d'une nouvelle verſion p. 343. *Mich. Manduit*, Presbyter Oratorii Pariſienſis, Interpres cetera non infelix, Tomo I. Analyſeos epiſtolarum Paulinarum p. 625-630. ſingularem diſſertationem ſubjecit, tandemque, recenſitis tribus diverſis ſententiis, ſuam ita format, ut *calamitates* intelligat, quas Apoſtoli in prædicando Evangelio ſubirent, quæ, niſi reſurrectio exſpectanda eſſet, vanæ erant futuræ. Opinionis ſuæ hæc affert præſidia, quod vox *baptiſmi* de adflictionibus ſoleat uſurpari, infideles autem & peccatores *mortui* in Scriptura vocentur. Apoſtolum addit metaphorica hac phraſi ex communi ſtilo N. T. uſum eſſe, in quo id, quod Jeſu Chriſto, aut fidelibus, aut Apoſtolis eve-

evenire debebat, ſimili modo ſoleat exprimi; videri vero etiam alluſiſſe ad morem Judæorum, quo viventes purificationem legalem loco mortui ſuſcipere ſolebant, ſi huic ea per mortem defungi non licuiſſet. Non omittendus hic eſt *Jo. Harduinus*, Ignatiani ordinis, in diſſertatione ſingulari, Operibus ejus Selectis f. 217. inſerta, cujus tamen ſententiam, quam ipſe poſtea in epiſtola ad Langemantelum ibidem f. 237. ingenioſam magis, quam veram ſibi videri profeſſus eſt, infregit Rev. *Deylingius* l. c. p. 394. ſqq.

Ex *Arminianis* huc ſpectat *Simon Epiſcopius* in Reſponſ. ad Quæſt. XXXV.

Addemus his denique *Annam Schurmanniam* in Opuſculis p. 97. ſq. cujus tamen interpretationem, (quæ baptiſmum illum pro mortuis ad labores & moleſtias pro *fidelibus*, qui hic ex erroneo adverſariorum judicio *mortui* vocentur, revocat) coactam, quamvis ingenio non deſtitutam recte judicant **Unſchuldige Nachrichten** an. 1726. p. 367.

Actum fere agerem, ſi omnes illorum ſententias vel percenſere, vel examini ſubjicere vellem. Opera hac perfuncti præ ceteris ſunt *Henr. Mullerus*, in laudata diſſertatione *ſeptendecim* omnino expoſitiones afferens, *Sam. Bochartus*, *Theod. Haſæus*, *Sal. Deylingius* & Cl. *Heumannus*, apud quem itidem *ſeptendecim* exſtant, ll. cc. Suffecerit nobis paucas, & quidem potiores, ſeligere, atque ex iis eam noſtram facere, quæ ceteris veri ſimilior videatur, quamvis parum abſit, quin cum *Alex. Moro* in Axiomatibus Theologicis p. 433. Paulinum hoc inter ἄλυτα reponamus, & cum *Lockio* ad h. l. non liquere profiteamur.

Antiquiſſima & communior fere eorum eſt ſententia, qui de *baptiſmo vicario* illorum, qui fatis ſine baptiſmo functi erant, cauſa ſuſcepto, cogitant, quem a *Wallio*, Anglo, itidem adſtructum eſſe ſupra monuimus. At veri non eſt ſimile, Paulum vanum & ſuperſtitioſum ritum ad gravem cauſam adſerendam advocare voluiſſe. Non puto ſufficere, ſi cum Ven. *Pfaffio*, p. 83. de Originibus Eccleſiaſt. reſpondeamus, Apoſtolum ritum illum non approbare, ſed in uſum tantum ſuum convertere. Taceo, exinde conſecuturum, (cum Paulus de re, ut notiſſima & pervulgata, loqui videatur,) quod opinio de baptiſmi vicarii utilitate in defunctos in Eccleſia illius ætatis invaluerit. Hoc vero falſum eſſe, oſtendit Anonymus Gallus ante laudatus, in diſſertatione ſingulari, vitæ *Petri Abælardi* inſerta.

Alii volunt, phraſin id velle, quod baptiſentur *iſtorum mortuorum gratia*, quos tot pro fide tormenta ſuſtinere & in Chriſto obdormire conſpicati, vel ideo religioni Chriſtianæ nomen profeſſi ſint. Ita ſtatuit *Spanhemius*, *Cloppenburgius*, & cum illis *Edwardus*, Anglus, ll. cc. Applauſerunt illis ex noſtratibus *Saubertus*, *Wokenius*, Auctor **des Hel-Opfers** ll. cc. & nuper admodum Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem Lutheri Biblicam, Altorf. 1730. editam, vertens: **Wenn ſie andere ſo beſtändig ſterben ſehen**, niſi malis, eodem judice: **wegen des bevorſtehenden Todes.** Lege contra eos Cl. *Elsnerum* pag. 177. ſeq. & in *Addendis*.

Nonnulli idem volunt eſſe, quod *baptiſari ſuper mortuorum*, inprimis martyrum, *ſepulcris*, quæ & B. *Lutheri* noſtri ſententia eſt, ſimpliciſſima illa quidem, nec a phraſi Græca aliena, ſed ideo non admodum probabilis, quod illa in cœmeteriis baptiſandi conſuetudo poſt Apoſtolicam ætatem demum recepta ſit, nec ob paucitatem martyrum eo tempore recipi & frequentari potuerit.

Quidam ad *fidem & ſpem reſurrectionis*, ante baptiſmum edi ſolitam, vel baptiſmo ipſo proditam, attendi cupiunt. Ita poſt *Chryſoſtomum* veterum nonnulli a *Suicero* Tom. I. p. 640. ex recentioribus vero inprimis Hammondus in notis. Huic ſe aliquando adſtipulatum eſſe profitetur etiam *Robertus Ellis* p. 163. Fortuitorum Sacrorum, quam deinceps deſeruiſſe ex ſequentibus conſtabit. Eam ſententiam non ita pridem ornare pluribus inſtituit Anonymus **in der fortgeſetzten Samlung von alten und neuen** Theologiſchen Sachen an. 1724. p. 775. ſqq. Provocat ille ad *Hammondum*, & B. *Hülſemanni* Prælectiones MSS. quas, applaudens illis, *Sandhagenius* attulerit in epiſtolis Theologicis (vide Decadem II. p. 352. & hic paulo poſt.) His accedit Anonymus in Actis Eruditorum Lipſienſ. Latin. Tom. IX. Supplementorum p. 392. qui idem vult eſſe, ac ſi ſcriptum ſit: ὑπὲρ τῆς πίστεως τῶν νεκρῶν. At non videtur fieri ſatis poſſe exceptionibus, quas in Hammondum fecit *Jo. Clericus*.

B. *Godofredus Olearius* in ſingulari diſſertatione ad h. l. Lipſ. 1704. evulgata §. 21. ſqq. ita interpretatur: *qui baptiſantur in nomine Chriſti, pro nobis mortui*. Per τοὺς νεκροὺς itaque unum *Chriſtum* intelligit, ex illo Scripturæ more ita appellatum, quo numerus pluralis adhibetur pro ſingulari, *Glaſſio* exemplis abunde firmante Philolog. Sacr. lib. III. Tract. I. Canone 27. Adſtipulatur illi præſtantiſſimus *J. Abert. Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria p. 390. ed. I. adducto auctore commentarii in epiſtolas Pauli, in Hieronymi operibus exſtantis, quo judice *baptiſari pro mortuis* idem eſt, quod Paulus *Rom.* VI. 3. dicit εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν. Eadem ſententia ut ſpecioſa eſt; ita arriſerat etiam ante *Alex. Moro* in notis ad h. l. *Andr. Riveto*, & *Spanhemio* l. c. ſed ita, ut poſtremus cum alia, cujus mentionem paulo ante fecimus, eam permutandam cenſeret. Recte mihi in eam Cl. *Heumannus* Tom. III. Pœciles p. 115. hæc videtur monuiſſe: *Primum*, inquit, *Chriſtus quidem paſſim dicitur mortuus* ὑπὲρ ἡμῶν, *ſed homines nunquam dicuntur baptiſati* ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ. *Nec afferri poteſt exemplum genuinum, quo* ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ *ſignificet* in nomine Chriſti. Omitto reliqua ſuo loco legenda.

Jo. Clericus in notis ad Hammondum, item ad verſionem N. T. Gallicam, tum noviſſime in Biblioth. Vetere & Nova Tom. XXVII. Parte II. p. 240. τὸ ὑπὲρ νεκρῶν idem eſſe vult, quod ἀντὶ νεκρῶν hoc ſenſu: *cur in mortuorum locum alii ſe baptiſari curant, ſi illi non reſurgunt? Jac. Bernardo* idem in mentem antea veniſſe paulo ante monuimus. Eandem ſententiam ſuam fecit *Rob. Ellis* in Fortuitis Sacris p. 152. Accipe verba: *Ad noſtram interpretationem jam redeundum eſt.* Ὑπὲρ τῶν νεκρῶν βατίζεσθαι *nihil aliud dixi eſſe, quam* baptizari in locum mortuorum. *Notanda eſt hic vis & uſus arti-*

ticu-

ticuli, cujus adjectio, ut recte ad locum monet Vir Summus Joſ. Scaliger, ἐμφατικὴ eſt & ὁριστική. Quinam ergo mortui iſti, quorum in locum baptizari dicuntur alii? non omnes intelligit mortuos, ſed eos tantum, qui ex hoc Corinthiaco ſociato fidelium cœtu, jam fato functi diſceſſerant; quos μακαρίους vulgo vocamus. Ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, noſtrorum loco, prout eorum aliquis moritur. Quorſum, inquit, propagatur inter nos baptiſmi ritus? Si mortui non reſurgunt, quid prodeſt perpetua illa baptiſatorum, quam ſedulo curamus, ſucceſſio? Quorſum demum, qui quotidie moriuntur, eorum in locum, ne genus interire patiamur, ſuffecti ſubinde alii. Non ovum ovo ſimilius eſt, quam illa *Elliſii* interpretatio iſti *Clerici.* Ipſis adeo verbis utitur, &, quod plus valet, ad eam firmandam in acie collocat Dionyſii Halicarnaſſenſis locum ex lib. VIII. p. 553. οὗτοι τὴν ἀρχὴν παραλαβόντες, ὑπὲρ τῶν ἀποθανόντων ἐν τῷ πρὸς Ἀντιάτας πολέμῳ στρατιωτῶν ἠξίουν ἑτέρους καταγράφειν, ἵνα τὸ ἐλλιπὲς ἀναπληρωθῇ τῶν λόχων. *Inito Magiſtratu Conſules petierunt, ut in eorum militum locum, qui in bello contra Antiates ceciderant, alii conſcriberentur, quo, quod deerat cohortibus, ſuppleretur.* Eundem vero locum huc, quem ſciam, primus Interpretum advocavit Clericus ad Hammondum, & eadem fere ratione, qua *Elliſius* utitur, accommodavit. Clericus ait: *Simili argumentatione probare poſſimus, militiam non eſſe ſine præmio: Si nulla eſſent præmia militiæ, cum tot milites quotidie occidantur, quid facerent illi, qui mortuis ſufficiuntur, & nomen militiæ dant, ut mortuorum locum obtineant? Elliſius* pag. 152. ita: *Quandam militiæ diſciplinam, ut mihi quidem videtur, reſpicit Apoſtolus, qua defunctorum in locum identidem ſubſtituuntur alii, ne totum tandem jaceat, ſenſim morte mutilatum corpus? Militanti Eccleſiæ, militibus Chriſtianis nihil ſane magis convenit.* Itaque parum abeſt, quin credam, illa cogitata Clerici, quamvis non appellati, erudito *Elliſio* lecta fuiſſe. Et ipſe *Clericus* non obſcure id innuit in Bibliotheca Vet. & Nova l. c. ubi Fortuita Sacra enarrat, ad Dionyſii Halicarn. locum provocat, & ſuas in Hammondum notas conferri jubet. Primus tamen, ne quid diſſimulem, *Franc. Vigerius* in egregio libro de præcipuis Græcæ dictionis idiotiſmis cap. IX. Sect. IX. pag. 542. edit. Argentorat. illum *Dionyſii* locum indicavit ad aſſerendum particulæ ὑπὲρ ſignificatum τοῦ ἀντι, *loco, vice*, vel *in locum.* Neque tamen is mentionem fecit loci hujus Paulini, tanquam ex illa notione interpretandi. Quicquid hujus erit, feſtinantius doctiſſimus *Heumannus* ſcripſit, (quod in argumento, tam diverſis interpretationibus obnoxio, uſu venit, & veniam jure quaſi quodam ſuo poſcit) quando illi Fortuitorum Sacrorum auctori *ſuam explicationem, in mentem veniſſe, minus vero bene defenſam eſſe, nec ita, ut lectoribus eam perſuadere poſſit*, pronunciat l. c. pag. 105. Cl. *Heumannum* a *Clerico* atque adeo *Elliſio* diſſentire, paulo poſt intelligetur, nec ipſe inficiabitur. Ex noſtratibus Clericum ſequitur Rev. *Deylingius* l. c. *Wokenius* in Meditatt. Tomo I. pag. 117. & *Wollius* in diſſertat. de vera fictaque emphaſi particularum in calce Tractatus de Eccleſia Phariſaica & Chriſtiana pag. 331. Noviſſime V. C. *Jo.*

 Creygh-

Creyghtonus in Prolegomenis ad *Salom. van Till* commentarium Belgicum in hanc epiſtolam Harlemi 1728. editis p. 325. ſqq. eandem interpretationem, ſine facta utriuſque mentione, loco autem *Dionyſii* ex Vigerio allato, amplexus eſt. Illi tantum tribuit *Elliſius* p. 165. ut eam ſolam veram putet. *Simplex eſt*, inquit, *quem expoſuimus loci ſenſus, nec minus ſcopo Apoſtoli, quam verbis ipſis congruens, quæ communi & maxime uſitata ſignificatione redduntur omnia. Nullus hic anticipatus, ut ita dicam, incertus nullus, fictus, & ad rem* (forte addendum *non*) *accommodatus veterum ritus. Nihil hic dubiæ traditionis. Nullæ coactæ & longius petitæ argumentationes. Nihil denique argutiarum, nullæ conjecturæ.* Neque tamen deeſt, quod eam, ſi non penitus deſtruat, ſaltem admodum incertam reddat. Nemo ſane tanquam in locum Chriſtiani mortui, uti cæſis militibus alii ſufficiuntur, ſed pro ſe quiſque baptiſatur; nec quiſquam in naſcente Eccleſia ideo ſe ſacris initiari fecit, ut occiſis ſuccederet, ſed ut ſuæ conſuleret ſaluti. Compara B. *Olearium* laudatæ diſſertationis §. 13.

Affinis huic ex parte, ſed veri ſimilior eorum eſt ſententia, qui τὸ ὑπὲρ, *ultra, præter, poſt*, ſignificare h. l. contendunt. Ita olim *Franc. Junius* verba ſic παραφράζων: *Quid ſi ſancti illi viri, qui hactenus obtinuerunt mortem, ſua exſpectatione & fide deluſi ſunt, qui ergo a ſuperſtitibus idem amplius agitur, cur ita adhuc pergitur in Eccleſia, & qui nunc vivunt, mortuos in eodem officio perſequuntur, ſi inania ſunt omnia? Hæc vocis* ὑπὲρ & ſuper *ſignificatio Græcis & Latinis auribus non inſolens, ſed de ea Grammatici viderint. Livius:* ſuper bellum annona premente, *i. e.* præter, & *ſexcenta alia.* B. *Olearius* §. 12. ſuæ diſſertat. tribuit hæc *Tremellio*, quæ tamen omnino *Junii* ſunt in notis ad h. l. prout exſtant in editione Hanovienſi 1596. fol. quamvis alia omnia ſe in Genevenſi 1617. fol. inveniſſe teſtetur Cl. *Heumannus* l. c. pag. 116. Idem, quamvis ſubdubie, placuit *Chriſtiano Becmanno* in Originibus Latinæ linguæ voce *ſuper* p. 1061. ex noſtratibus autem Theologis *Hülſemanno*. Accipe verba ejus ex Prælectionibus in librum Concordiæ pag. 481. *Verum convenientiſſima expoſitio eſt*, inquit, *ſi* τὸ ὑπὲρ *ad utrumque prædicamentum referatur, ad locum nempe ſepulchrorum, ubi confeſſores baptiſmum ſuſceperunt, & ad tempus ſimul, quod illi* poſt tot vita defunctos martyres, *aliosque Confeſſores, in eandem tamen fidem reſurrectionis baptiſati ſunt.* Illum τοῦ ὑπὲρ pro *poſt* ſignificatum ante monuerat locum habere *Epheſ.* III. 20. coll. cum 2 *Cor.* I. 17. Idem profeſſus eſt ὁ μακαρίτης in Prælectionibus MSS. ad h. l. teſte *Sandhagenio* in Decade II. Epp. Theolog. pag. 352. Hanc interpretationem adſtruit copioſius eruditiſſimus C. *A. Heumannus* l. c. p. 117. Oſtendit ille, allatis idoneis exemplis, particulas על *Hebræorum Geneſ.* XXVIII. 9. & *Ezech.* VII. 26. *ſuper* Latinorum, in locis a *Vorſtio* de Latinitate falſo ſuſpecta XXXII. pag. 230. & über *Germanicorum* Luc. XVI. 26. idem eſſe, quod *ultra, præter, poſt.* His poſitis pag. 119. hanc ſuperſtruit expoſitionem: *Cur ſuper* (i. e. præter, poſt, ultra,) *eos, qui jam mortui ſunt, alii quoque baptiſmum ſuſci-*

ſuſcipiunt, *&* *ita initiati religionem Chriſtianorum profitentur, ſi tamen nulla erit mortuorum reſurrectio, nec melioris vitæ præmium exſpectandum eſt?* Germanice: **was laſſen ſich über die, die ſchon geſtorben** (ſive, **die ſchon todt ſind**) **noch andere taufen?** Hunc ſenſum nexui orationis Paulinæ reſpondere idem commonſtrat p. 120.

Diſcedit ab his doctiſſimus *Jac. Elsnerus* p. 128. ſqq. Is ita vertit: *Nam quid faciunt*, *qui baptizantur*, aut, *cur baptizantur propter mortuos?* h. e. ut veniant, deſcendantque ad mortuos, ſintque mortui. Τὸ ὑπὲρ ait ſignificare *propter*, ad denotandam *cauſam finalem*, cujus gratia aliquid fiat. Vide *Rom.* XV. 8. & 2 *Cor.* I. 6. Quod vero τὸ, ὑπὲρ νεκρῶν idem ſit, atque, *ut veniant ad mortuos*, i. e. moriantur, ex phraſi Chriſti putat patere Joh. XI. 4. ubi ita de Lazaro: ἀυτη ἡ ἀσθένεια ὐκ ἐςι πρὸς θάνατον, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῆς δόξης τῦ Θεῦ *hæc infirmitas non eſt ad mortem* (ut moriatur) *ſed propter gloriam Dei*, ut ſcilicet, quod ſtatim additur, Deus glorificetur. Ex hoc conficit, πρὸς θάνατον idem eſſe, quod ὑπὲρ θανάτυ, ceu ex antitheſi appareat. *Venire* denique, ſeu *deſcendere ad mortuos* idem eſſe, quod *mori*, evincit ex *Ecclеſ.* IX. 3. & *Prov.* II. 18. Hæc denique ex ſerie ſermonis Apoſtolici ita explanat pag. 130. *Hoc* (verſu) *cauſam ſubjungit* (Apoſtolus) *quare, qui in Chriſtum credant, forent omnium miſerrimi: nempe, quod propterea tantum iis quidem periculoſiſſimis temporibus baptiſmum ſuſcepiſſe, & Chriſto nomina dediſſe viderentur, ut & periculis & præſentiſſimæ morti ſe exponerent: quod confirmat ſuo exemplo, qui quotidie mortis periculum adeat* v. 30. 31. Nemo negaverit, τὸ ὑπὲρ cauſam finalem interdum inferre, aut *ad mortuos abire* idem eſſe, quod *mori*. At τὸ βαπτίζεσθαι idem ſignificare, quod *baptiſari mortis gratia*, *ut deſcendas ad mortuos*, nondum puto evictum. Loco, quem attulit Vir doctus ex *Joh.* XI. 4. uſum etiam video *Eraſm. Schmidium* in notis ad h. l. *Ubi*, inquit, ὑπὲρ & πρὸς *quaſi* παραλλήλως *ponuntur. Quod & ſequentia declarant*, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ δἰ ἀυτῆς. Neque tamen ille *Schmidio*, aliam ſententiam tuenti, idoneus viſus eſt, ex quo Paulina phraſis illuſtraretur. Probandum, ſi quid video, erat, τὺς νεκρὺς ſeu mortuos, *pro morte* ipſa unquam uſurpari. Id enim ex eo non conſequitur, quod *venire* ſeu *deſcendere ad mortuos*, idem ſit, quod *mortem ſubire*. Nexus ſermonis Paulini pro hac ſententia non magis facit, quam pro illis aliorum, quas ipſe Elsnerus rejicit. Nam & hi eadem ratione ad illum nexum provocant. Taceo, dici non poſſe, quenquam Chriſtianorum baptiſmum ſuſcepiſſe, *ut moreretur*, ſed ideo, ut, ſi vel maxime, etiam religionis cauſa brevi ipſi obeundum fuerit, *animam ſervaret*.

Mihi quidem *Juniana*, quam penultimo loco attuli, ſententia olim veri viſa eſt ſimillima. Sed obſtat illi, quod τὸ ὑπὲρ, ubi *præter* denotat, cum accuſandi caſu conjungi ſoleat. Nec ullum ſe locum, ubi genitivo in hac notione jungatur, invenire adhuc potuiſſe, candide Cl. *Heumannus*, Junio tamen adſtipulans, l. c. pag. 122. fatetur. Attulit quidem huc B. *Hülſemannus* locum 2 *Corinth.* I. 6. ειτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, κ. τ. λ.

Ibi

Ibi vero τὸ ὑπὲρ cauſam finalem, ſeu *propter*, inferre ad illum locum oſtendemus. Eam igitur potius adoptavero ſententiam, quam *Frid. Spanhemius*, vir doctrina & judicio apprime valens, præ ceteris adſtruxit. Afferam verba ejus ex Tomo III. Operum pag. 615. *En igitur noſtra ſententia illi νεκροὶ,* mortui, ὑπὲρ ὧν, propter quos *dici quidam potuerunt baptiſmum ſuſcepiſſe; nempe Martyres complures, aliique etiam Sancti demortui, qui ſupplicia quævis, ipſam adeo mortem, ſeu violentam ex perſecutione, ſeu ex morbo naturalem, exceperunt animo forti & conſtanti, & hilari, in ſpem beatæ reſurrectionis, ſeu hac unica ſpe erecti & animati. Quam animi fortitudinem & conſtantiam in his νεκροῖς, qui videlicet ſic in Domino* obdormiverant, *dum multi oculis ſuis cernerent, & cum animo ſuo reputarent, nihil tale in Gentilibus ſuis obſervantes, inducebantur ea propter ad Chriſti fidem, & ad baptiſmi deſiderium.* In hac interpretatione nihil video, quod non cum vocum notione alias recepta, vel cum ſerie & ſcopo orationis Paulinæ, denique & cum ſtatu & conditione Eccleſiæ Chriſtianæ illa ætate conſentiat. Quæ quidem momenta Spanhemius ipſe l. c. copioſius ediſſeruit. Nihil præterea video illi ab eruditis objectum, cui fieri ſatis non poſſit. Sic Cl. *Elſnerus* pag. 128. id obvertit, *vocem νεκρὸς generalem eſſe, & quavis morte, naturali inprimis, defunctos* notare. At ipſe Vir doctus in Addendis ad h. l. candide fatetur, *rationem hanc leviorem* eſſe. Addidero, pace ejus, eandem Spanhemium prorſus non ferire, qui diſerte teſtatur, ſe per τὺς νεκρὺς, non tantum *martyres complures*, ſed & *alios Sanctos* hinc ex perſecutione, *violenta*, hinc ex morbo, *naturali* morte defunctos, intelligere. Parum quoque, ſi quid video, valet, *quod non accepimus, Chriſtianos naturæ debitum ſolventes, quamvis pie & alacriter morerentur reſurrectionis futuræ fiducia, adeo alios ad baptiſmum & Chriſtianam religionem invitaſſe.* Vide pag. 128. Deſunt, fateor, nobis enarrationes, commodi hujus, quod ex Chriſtianorum hilari obitu eo inprimis tempore ad alios emendandos pervenerit. At nonne pervenire facillime potuit, & num cum veri ſpecie dubitabimus, vere perveniſſe? Porro in Addendis urget, *duriorem* eſſe *interpretationem*, & *inſolentem ellipſin.* Neutrum hic videre mihi videor. Τὸ ὑπὲρ νεκρῶν eſt, *propter mortuos* h. e. *ex occaſione mortuorum.* Quæritur jam, quo modo *ex occaſione* mortuorum illorum fieri potuerit, ut alii Chriſti nomen *per baptiſmum* profiterentur. Nonne res ipſa reſpondere jubet, factum id eſſe ex inſigni animi fiducia, quæ ex moribundorum vultu, geſtibus & ſermonibus elucebat? Denique interpretationi illi fraudi non erit, ſi Apoſtolica ætate paucos fuiſſe martyres largiamur. Neque enim martyrum illorum tantum, ſed & reliquorum, *in Domino ſuaviter obdormiſcentium*, ratio hic habetur. Quicquid hujus erit, certiſſime mihi perſuaſum habeo, *Elſnerianam* interpretationem *Spanhemiana* illa viſum iri *duriorem.*

Ἐι ὅλως νεκροὶ ὐκ ἐγείρονται;) τὸ ὅλως eſt *in univerſum*, recte obſervante *Elliſio* in Fortuitis Sacris pag. 139. hoc ſenſu: *ſi in univerſum non reſurgunt*

gunt mortui; ſi nec reſurrecturi aliquando Chriſtiani, atque adeo nec Chriſtus reſurrexit, quorſum baptizantur?

Τί καὶ βαπτίζονται) Τὸ καὶ hic non eſſe ſuperfluum contra Budæum idem affirmat p. 140. ſicut nec apud *Xenophontem* p. 465. quem is eo fine adduxerat: ὅςις δὲ μηδετέροις ἀρέσκει, τȣτον, ὦ πρὸς τῶν θεῶν, τί ποτε καὶ καλέσαι χρή; Non æque probaverim alteram ejus obſervationem, quando hic phraſin τί βαπτίζονται imperſonaliter verti vult: *cur baptiſatur?* ex phraſi Lucæ XII. τὴν ψυχήν σȣ ἀπαιτȣσι. Rectius puto verbum hoc referetur ad antecedens βαπτιζόμενοι hoc ſenſu, *cur baptiſati vel præter illos mortuos baptiſantur?*

ὑπὲρ τῶν νεκρῶν) Codices pauci & Patres quidam legunt ὑπὲρ αὐτῶν, quod propterea mavult *Millius*, & recens editor Novi Teſtam. Græco-Anglicani p. 641. refragante *Whitbio* pag. 65. Communis lectio rectius retinetur, propter emphaſin, quam in voce νεκρῶν collocaſſe Apoſtolum vel ex præpoſito articulo τῶν apparet.

Verſ. 30. Τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν;) Hæc una cum ſequenti commate illuſtrat *Rob. Gell* in *Remains* ſeu Reliquiis Anglice editis Tomo II. p. 193. 194.

Verſ. 31. Καθ᾽ ἡμέραν ἀποθνήσκω) Lege Patrum expoſitiones apud *Suicerum* Tom. I. p. 445. & II. p. 313. Referunt illi vel ad *propoſitum* moriendi perpetuum, vel ad continuum mortis periculum. Adde *Picinellum* p. 699. Luminum Reflexorum, ex Patribus & profanis quibusdam Scriptoribus.

Νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν) *Lamb. Bos* ſubintelligit recte verbum μαρτύρομαι, *teſtor*. Vide eum de myſteriis ellipſeos Græcæ linguæ pag. 285. Codices nonnulli MSS. & editi, tum verſiones, *Vulg. Syr. Arabs*, Patres item complures, Græci & Latini, imo, ſi *Eſtium* audimus, Latini omnes, vetuſti Codd. & Tractatores Græci conſtanter, legunt ὑμετέραν καύχησιν. Nec dubium cenſet *Millius*, quin hæc ſit germana lectio, altera autem nata non quidem ex errore Scribarum, ſecundum *Zegerum*, aut ex ignorantia locutionis Apoſtolicæ, quod *Eſtius* vult; ſed ex ipſius phraſeos obſcuritate. Paulum ſcilicet eam innuere gloriationem, non qua ipſi Corinthii glorientur, ſed quam ipſe *de illis* habeat. Eadem lectio & ſignificatio placuit *Wilh. Wall* in Notis Criticis in N. T. pag. 200. ad 2 *Corinth.* VII. 13. ubi παράκλησις ὑμῶν idem ſit, quod, *ſolatium ex vobis perceptum.* Ex noſtratibus ſe probavit Rev. *Zeltnero* in gloſſa ad verſionem Lutheri Biblicam Altorf. 1730. editam, hoc ſenſu: *quam vere glorior de vobis in Chriſto. Rob. Gellius* l. c. rem in medio relinquit, ex utraque lectione, quam æque antiquam cenſet, commodum naſci ſenſum arbitratus. Si enim τὸ, ὑμετέραν legatur, innui gaudium Apoſtoli, quod vel ex *profectu* eorum capiat, vel *ex gloria*, quam ex ipſis exſpectet. Sin ἡμετέραν; Apoſtolum jurare per *gloriam*, qua ex converſione, ſuo miniſterio facta fruatur. Ad *profectum* Corinthiorum hic reſpici *Grotius* etiam monuit. Utram ſequaris lectionem, quod ad ſenſum, ut vides, nihil referet. Malim

 tamen

tamen perſiſtere in poſteriore *ἡμετέραν*, eamque ab Apoſtolo vel ideo profectam credere, quod addit *ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν.* Hæc enim phraſis, ſi quid video, innuit, eum non ſolum de Corinthiis gaviſum & gloriatum eſſe tanquam ſua ope converſis; ſed vel inprimis de Chriſto, tanquam reſurrectionis glorioſæ fundamento, & de calamitatibus patienter adhuc exantlatis, & inpoſterum in hac ſpe ſuperandis. Utrumque momentum conjungit Apoſtolus *Rom.* V. 2. 3. ubi de *gloriatione* in Chriſto loquitur. *Δι' οὗ (Ἰησοῦ Χριστοῦ) καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν Χάριν ταύτην, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν, καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. Οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσι.* Compara ibidem VIII. 37. ſqq.

Verſ. 32. *Εἰ κατὰ ἄνθρωπον*) *Scaliger* hic legi voluit *κατ' ἀνθρώπων*, reclamante omnium codicum fide, quam hic ſequendam recte judicat *Millius*. Idem tamen placuit *Colomeſio* Obſſ. Sacrar. p. 67. gallice hæc ita convertenda exiſtimanti: *ſi j'ay combattu contre des bêtes, combattant contre des hommes*, h. e. ſi cum beſtiis pugnavi, cum adverſus homines pugnam ſuſciperem. Tenenda eſt recepta lectio, atque ita interpretanda, ut *homo externus* cum *Calovio*, in Bibliis Illuſtratis ad h. l. vel *conſilia humana*, ex uſu phraſeos ejuſdem 1 *Corinth.* IX. 8. quem huc affert *Zeltnerus* in notis ad calcem verſionis Bibliorum vernaculæ pag. 198., vel *opinio hominum*, quibus viſus ſit Paulus *ἐπιθανάτιος*, quæ *W. Wallii* in notis Criticis ad h. l. pag. 200. ſententia eſt, intelligantur.

Ἐθηριομάχησα) De hac cum beſtiis pugna legendæ ex noſtratibus ſunt diſſertationes ſingulares *Jo. Kindleri*, Witteb. 1683. (in Theſauro Theologic. Philolog. recuſa,) *Caſp. Hagenii* ib. 1703. *Sever. Lintrupii*, Hafn. 1695. & *Jo. Georg. Urſini* Analecta II. p. 346. Rev. *Salom. Deylingii* in Obſervatt. Sacris Part. I. p. 177. & p. 306. ed. II. *Jo. Henr. Maji* Part. I. pag. 62. *Jo. Godofred. Lakemacheri* Obſſ. Philol. Parte II. p. 192. *Mart. Caſp. Wolfburgii* p. 276. Obſſ. *Jo. Mich. Dilherri* Part. I. pag. 262. & Anonymi Obſervatt. Miſcellan. vernaculæ Tom. I. pag. 5. ſqq. & 973. Ex Anglis inſpiciantur *Henr. Morus* in Myſter. Pietatis lib. I. cap. 6. *Dougtæus* in Analectis p. 119. nihil in utramque partem definiens, & *W. Wall* l. c. Ex Reformatis *Suicerus* Tom. I. p. 1399. & in repetitæ editionis ſupplementis, *Herm. Witſius* in Meletematibus Leidenſibus p. 123. ſqq. *Jo. Marckius* in Sylloge Diſſertatt. num. XXII. & *Jac. Elsnerus* in Obſſ. Sacris p. 131. Ex Pontificiis denique *Baronius* ad A. C. 55. *Tillemontius* in Vita Pauli, commentariis ejus Hiſt. Eccleſ. inſerta, ac noviſſime *Auguſt. Calmetus* in ſingulari diſſertat. commentario ad hanc epiſtolam addita, & in collectione diſſertationum ejus Biblicarum recuſa.

Plerique eorum, quos appellavi, in eo conſentiunt, Paulum non de certamine cum beſtiis, proprie ſic dictis, inſtar *beſtiarii* cujuſdam (de quo hominum genere legi huc poſſunt *Lydius* in Agoniſticis pag. 75. & *Bulengerus* de Venatione Circi c. 30.) ſuſcepto, ſed de eo loqui, quod cum *ferinis* hominibus ſuſceperit.

Sunt

Sunt tamen ex noſtratibus, qui poſt B. *Lutherum* priorem ſententiam amplectuntur, v. c. *Sonntagius* in diſp. de *Aſiarchis* & in diatriba Græca cap. 3. & noviſſime *J. C. Kochius* in Sammlung von Alten und Neuen 1723. pag. 1049. qui eandem ante profeſſus erat in Obſſ. Miſcellaneis ἀνωνύμως germanice editis l. c. Easdem partes ex Reformatis poſt *Hammondum* tuetur *Marckius* & *Elsnerus*. Veriſimilior mihi videtur poſterior, ex illis rationibus, quas *Majus* l. c. & *Deylingius* attulerunt, apud ipſos legendas.

τί μοι τὸ ὄφελος;) Sic *Arrianus* diſſertatt. lib. I. c. 4. καὶ τί σοι ὄφελος, iterumque p. 209. Compara *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 479.

φάγωμεν καὶ πίωμεν) Gentiles homines verba hæc inter potandum proclamanda curaſſe *Caſalius* in de Conviviis veterum auctor eſt Tom. IX. Antiquitt. Græcarum p. 133. Alia plenis calathis huc attulerunt *Andr. Schottus* Adagial. N. T. p. 116. *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 452. & Parte II. p. 52. item in Biblioth. Antiquario-Exegetica Tom. I. p. 503. nec non *Elsnerus* p. 132. Uterque horum ex *Lightfooto* in Harmonia Evangelica pag. 520. obſervant, Epicureos ejusmodi homines nec inter Judæos defuiſſe, quibus tamen οἱ חסידים ſe fortiter oppoſuerint. Dictum illud Λακωνικὴ καὶ ἀρχαία παροιμία vocatur in Codice quodam MS. cujus excerpta ſuggerit illuſtris *Montfauconius* in Diario Italico c. XV. p. 212.

αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν) αὔριον, *aliquando*, quo ſenſu occurrit in Authologia lib. II. p. 243. Sic Hebræi τὸ מחר *cras* uſurpant. Vide Hiſtor. Criticam Reipubl. literariæ, gallice editam, Tom. I. p. 224. Niſi malis vertere *brevi*, cum Grotio, & *Vitringa* in Jeſaiam p. 648. Confer de hac particula M. *Chriſtoph. Wolle* in diſſert. de particularum vera fictaque emphaſi p. 312. Tractatus de Eccleſia Phariſaica & Chriſt. p. 313.

Verſ. 33. φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαὶ) *Menandri* hoc eſſe dictum pridem ab eruditis obſervatum eſt. Exſtat hodie inter fragmenta ejus p. 78. *Euripidi* poſt Socratem Hiſtoricum tribui mavult *Colomeſ.* in Obſſ. Sacr. p. 27. Similia aliorum ex Gentilibus promſerunt *Andr. Schottus* Adagial. N. T. p. 116. *Gatakerus* in Cinno p. 10. *Alex. Morus* in notis, *Cornel. Adami* p. 317. ſqq. Obſerv. *Colomeſius* p. 27. *Jo. Alberti* p. 356. ſqq. & *Henr. Stephanus* in Diſſ. de Stylo N. T. p. 14. Ex noſtratibus autem *Jo. Michael Dilherrus* in Diſput. Philol. Tom. I. p. 277. *Conr. Rittershuſius* in Lection. Sacris p. 159. *Jo. Adam. Königius* in diſſ. qua tria Pauli dicta ex profanis petita illuſtrat, Witteb. 1678. & noviſſime Cl. *Seelenius* in commentatione de dictis Poëtarum in N. T. citatis, p. 7. Patrum ad hæc cogitata habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 472. & *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 669. Per ὁμιλίας hic non ad *colloquia* tantum, ſed & *conſortia* atque *congreſſus* quoscunque reſpici recte monet, & veterum locis evincit *Alberti* l. c.

Verſ. 34. Ἐκνήψατε δικαίως) Ἐκνήφειν illi dicuntur, qui ex ebrietate ad ſe redeunt. Vide τοὺς LXX. *Geneſ.* IX. 24. Ita *Plutarchus* apud Demoſth. p. 855. de Philippo: ἐκνήψας δὲ, quod ibi reſpondet antecedenti μεθύων. Improprie eſt *reſipiſcite*, quod Paulus ἀνανήφειν vocat 2 *Tim.* II. 26. Τὸ δικαίως idem eſt, quod *jure*, *merito*, ut apud *Arrianum* Expedit. Alex. V. c. 11. p. 210. σὺ δὲ δικαίως μένειν, *tu quidem merito tuo te loco contine.* Senſus fuerit: *æquum eſt, ut tandem reſipiſcatis.* Debeo hæc Cl. *Alberti* p. 358. Neque tamen improbanda eſt interpretatio, quam B. *Lutherus* expreſſit: wachet recht auf, i. e. evigilate *ſerio*, *plene*, *integre.* Eam tuetur *Eraſm. Schmidius* ad h. l.

καὶ μὴ ἁμαρτάνετε) Verti poteſt: *ne erretis*, nempe in articulo fidei de reſurrectione mortuorum. Hinc additur: ἀγνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινες ἔχουσι. Conf. *Matth.* XXII. 29. Propior itaque *errandi*, quam *peccandi* notio Apoſtoli ſcopo videtur, quæ & Græcis Scriptoribus, nominatim *Herodoto*, frequens eſt. Ita erudite Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 481. qui tamen ſapienter ſimul monet, alterum *peccandi* ſignificatum cum *Chryſoſtomo* teneri etiam h. l. poſſe, cum prior ille in N. T. non occurrat. *Errandi* notionem præfert B. *Olearius* in Prælection. MSS.

Verſ. 35. Ἀλλ᾽ ἐρεῖ τις· πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί;) Ad hoc & tria ſequentia commata legatur *Henr. Voglerus* de rebus naturalibus p. 361. ſqq. Ad noſtrum hoc ſpeciatim *Seb. Schmidius* de Imagine Dei p. 304. & Rev. *Zeltnerus* ad hiſtoriam Crypto-Sociniſmi Altorfini p. 1034.

Verſ. 36. Ἄφρον, σὺ ὃ σπείρεις, οὐ ζωοποιεῖται) Eodem ſimili ad explicandam & illuſtrandam mortuorum reſurrectionem utuntur etiam Patres. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 314. De eadem comparatione lege quoque *Zeltnerum* l. c. p. 814. & 1036. Reſponſionem Apoſtoli ad ποιότητα corporum excitandorum pertinere manifeſtum eſt, ex quo capite adverſariorum exceptionibus fieri ſatis poteſt. Vide *Humfr. Hody* de reſurrectione ejusdem corporis pag. 120. & *Jo. Gregorii* Obſervationes Sacras cap. 27.

Verſ. 38-54. Ὁ δὲ Θεὸς αὐτῷ δίδωσι σῶμα, κ. τ. λ.) Commentatur ad hæc Venerab. *Valent. Ern. Læſcherus* in Decimis Evangelicis Part. II. pag. 244. ſqq. De manu Dei, in formando ex ſemine hominis corpore, a Gentilibus quoque agnita & celebrata lege *Gatakerum* ad Antonini X. 26. p. 371.

Verſ. 39. Οὐ πᾶσα σὰρξ ἡ αὐτὴ σὰρξ -- ἄλλη δὲ ἰχθύων) Piſcium caro aliis carnibus opponi ſolet a Judæis, v. c. in *Cholin* cap. VIII. §. 1. obſervante ad h. l. *Jac. Cappello.* Vide etiam *Guſſetii* commentarios de Lingua Hebr. radice בשר B. Num ſanguis beſtiarum a ſanguine humano, æque ac caro, ſecerni certis indiciis poſſit, diſquirit *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 244.

Verſ. 40. καὶ σώματα ἐπουράνια, καὶ σώματα ἐπίγεια, κ. τ. λ.) Inſpice *Jac. Nyloe* Schriftuurlyck Licht p. 171.

Verſ. 41. Ἄλλη δόξα ἡλίου, καὶ ἄλλη δόξα σελήνης, κ. τ. λ.) Non agi hic, quod vulgo ſtatuitur, *de diverſitate graduum & partium eſſentialium in corporibus glorificatis*, *ſed de diverſitate qualitatum & ornamentorum corporis pro diver-*

diverſitate ſtatus viæ & ſtatus gloriæ, quod corporis etiam perfectio illic ſit futura major, quam hic fuit, exiſtimat B. *Jo. Hulſemannus* in vindiciis Scripturæ Sacræ p. 191. Viciſſim communiorem ſententiam alteram tuetur *Jo. Trellund* Theologus Danus, in Exercit. Biblica I. ſuper locis quibusdam Scripturæ claſſicis p. 25. ſq. Confer *Seb. Schmidium* de Imagine Dei p. 423. Juſtorum faciem in ſæculo futuro fore quaſi Solem, Lunam, firmamentum, ſtellas &c. ex *Siphri*, Judaico commentario, *Pocockium* ad Portam Moſis cap. 6. pag. 193. obſervaſſe monet *Elsnerus* p. 133. Adde *Midraſch Tillim* fol. 11. col. 3. ubi de ſeptem ordinibus & cœtibus juſtorum in paradiſo cœleſti eadem ratione exponitur. Lege locum illuſtratum ab *Eiſenmengero* in Judaiſmo detecto Tom. II. pag. 305. ſeq. Spectat huc etiam B. *Jo. Meiſneri* aſtroſophia myſtica, Witteb. 1676.

Verſ. 42-50. Οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν, κ. τ. λ.) *Trilleri* de his commatibus cogitata, in der Unterſuchung etlicher Oerter Neues Teſtaments prodita, p. 321. ſq. examinat *Schœnlandius* in Vindiciis illi oppoſitis p. 296. ſqq. & *Pfeiferus* in diſputat. ſingulari p. 35.

Verſ. 44. Σπείρεται σῶμα ψυχικὸν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικὸν) Dixit ad hæc *Dan. Cramerus* in de ſublimi corporis ſpiritualis myſterio, Mülhuſ. 1601. Quæ de corpore ψυχικῷ & πνευματικῷ Patres ſtatuerint, ea leges, ſi placet, apud *Suicerum* Theſauri Tom. II. p. 782. 1583. 1589. Placent, quæ ad utriusque diſcrimen intelligendum affert *Vitringa* lib. III. Obſervatt. Sacrar. p. 166. *Corpus ψυχικὸν tale eſt, quod eo modo movetur, alitur, conſervatur, quo cetera animalium viventium corpora, quodque cauſa eſt, in anima variarum mutationum & paſſionum. Corpus πνευματικὸν ejusmodi eſt corpus, quod totum comparatum eſt ad ſpirituales & intellectuales operationes noſtræ mentis, occupatæ a Spiritu Sancto, recipiendum & exſequendum, neque eo modo ſuſtentatum, quo corpora animantium viventium nunc ſuſtentantur, neque ejus generis commotiones in animum inducens (paſſiones vocant) quales noſtra ciere ſolent corpora.* Compara ex noſtratibus *Joh. Henr. Urſinum* in Analectis II. pag. 319. ſq. & *Seb. Schmidium* de Imagine Dei p. 422. nec omitte *Jo. Vorſtium* lib. III. Diſſertatt. p. 769. Ceterum ex mutatis illis corporum reſuſcitandorum qualitatibus non conſequitur, non idem quod ad ſubſtantiam corpus reſurrecturum. Contrarium ex doctrinis Gentilium ſaniorum, veterum Judæorum, & naſcentis Chriſtianorum Eccleſiæ data opera oſtendit *Humfred. Hody* in libro anglicano, ſub titulo: *Reſurrection of the ſame body aſſerted*, Lond. 1694. 8. digno, qui Germanice vel Latine converſus exſtaret. Adde *Winch. Holesvvorth* Defence of the ſame body, de qua exponunt Memoriæ literariæ Trevoltinæ anni 1727. p. 2113. Omitto, quæ contra recentem *Thomæ Burnetii* librum de Statu mortuorum & reſurgentium Latine Londini, ſi titulo fides, 1726. 8. primum edito, hinc ibidem 1727. tum *Latine*, ſed auctius, & *Anglice* cum animadverſionibus *Earburii* recuſo, hinc ab Anglis, hinc a noſtratibus pro eadem ſententia ſunt diſputata. Ex illis huc in univerſum pertinent *Theophilus Spizelius* in Conſideratione Corporis Glorioſi §. 1-20. *Georg. Calixtus*, de immortalitate animæ & reſurrectione

ne carnis, Helmſtad. 1649.4. *Godofred. Olearius* in diſſert.ad Hoſ. XIII. 14. §.27. ſqq. ubi contra *Arthur Bury* in Naked Goſpel, *Boylium* item & *Connorium* diſputatur, quem poſtremum confutatum etiam ſiſtit Vener. *Erneſtus Salom. Cypriani* in Selectis Programmat. Progr. XI. ut *Sam. Chriſtiani Teuberi* commentationem de reſurrectione hujus carnis, Magdeb. 1708. 4. editam, taceam.Hoc, itemque alia hujus generis momenta, tanquam ad inſtitutum noſtrum non admodum pertinentia, Theologorum ſcholis relinquimus.

ἐςὶ σῶμα ψυχικὸν καὶ ἔςι σῶμα πνευματικόν) Cum hæc ab uno alterove Codice abſint, Scholiaſtæ additamentum temere videntur *Millio* in Prolegomenis §. 988. contra quem leges *Whitbii* Examen p. 65.

Verſ. 45. Οὕτω καὶ γέγραπται· ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, κ.τ.λ.) De phraſibus hujus commatis conſulendus eſt *Jo. Vorſtius* in Philolog. Sacra Parte II. p. 212. & *Hackspanius* in Miſcellaneis p. 21. Vocem ἄνθρωπος, quæ & in Codd. quibusdam, teſte *Eſtio*, deeſt, *Eraſmus* ab Interprete quodam additam cenſet, quemadmodum viciſſim Ἀδὰμ expungendam putat *Faber Stapulenſis*. Rectius utramque retineri judicat *Lud. Cappellus* in Spicilegio notarum in N. T. p. 96. nec *Eraſmum* audiendum ait *Millius*, alioquin in has partes proclivior. Sic v. 47. ὁ δεύτερος ἄνθρωπος & ὁ Κύριος, τῷ Ἀδὰμ ſcilicet oppoſitus, eadem ratione conjunguntur. Comparant hæc Pauli verba cum *Geneſ.* II. 7. *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 549. & *Wokenius* in Moſe Harmonico p. 13.

ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν) Chriſtum, Dominum noſtrum, hic innui vel ex v. 47. patet. Is vero hic ἔσχατος & v. 47. δεύτερος appellatur reſpectu Adami, τοῦ πρώτου. Cum ab Hebræis frequentiſſime אדם הקדמון, *primum hominem* appellari, tralatitium eſt. Itaque Chriſtus ex oppoſito appellari ab iis poterat אדם השני. Pro hac vero phraſi in Judæorum ſcriptis inveneris אדם אחר, *homo alter*. Locum ejuſmodi ex *Abrah. Seba* Faſciculo myrrhæ ſeu commentario in Legem fol. 81. 4. recitat *Jac. Rhenferdius* in Obſervationum Selectarum ad loca Hebræa N. T. Parte III. p. 2. Opponitur ibi *homo primus*, a Deo creatus, & deinde alienatus, τῷ אדם אחר ſeu *homini alteri* Tabernaculi Moſaici, nempe Aaroni. Verba hæc ſunt: *Et propterea quæcunque in Opere creationis ſcripta ſunt, illis ſimilia ſcripta ſunt in Opere Tabernaculi. Atque id omne indicio diei ſexti, quo creatus eſt* אדם הראשון *& quoque alienatus. In Tabernaculo vero propius admovetur* אדם אחר homo alter, *ſimilis illi, & hic eſt Aharon, quemadmodum ſcriptum eſt Exodi* XXVIII. 1. *Tu vero propius adduc ad te Aharonem fratrem tuum.* Confer ibid. f. 82. 2. Recte monet *Rhenferdius*, de Aarone hoc dici, tanquam Pontifice Maximo, adducendo ad Deum, imo vero alios quoque ad Deum adducturo, totum vero hoc in plena emphaſi de antitypo demum verum eſſe, Sacerdote Meſſia, qui cum ipſe ad Deum appropinquarit, tum alios quoque in ipſum credentes ad Deum adducat *Jer.* XXX. 21. *Rom.* V. 1. Talem præterea *Sacerdotem*

dotem cœleſtem & *Summum* הכהנא רבא עליאה Judæos agnoviſſe idem ex *Menachemo Recanatenſi* probat in comment. ad Legem f. 112. 1.

Quo ſenſu Chriſtus reſpectu Adami, εἰς ψυχὴν ζῶσαν facti, dicatur factus εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν, diſquirit *Jac. Gaillardus* in Specimine quæſtionum in N.T. de Filio hominis. Sententiæ hæc eſt ſumma: ut Adamum, in animam viventem h. e. in vitam animalem, cretum antevertit; ſic Chriſtum ultimum eſſe hominem, ex quo omnes cœleſtes homines oriundi ſint, quia nullus homo, cui Spiritu vivifico regeniti homines vitam ſpiritualem debere unquam poſſint, Chriſtum ſit excepturus. Probat hæc Cl. *Erdvvin. Herm. Polemann*, in Exercitat. Programmat. XV. p. 13. Malim tamen oppoſitionem hanc cum Theologis noſtratibus ita accipere, ut, quemadmodum per communicatum a Deo vitæ ſpiraculum homo primus factus eſt in animam viventem, vita animæ cum corpore vere communicata; ita Chriſtus ſeu ſecundus Adamus per Filii Dei ἐπίληψιν, & naturæ divinæ communicationem factus ſit in Spiritum vivificantem, vita ſpirituali & δυνάμει ζωοποιητικῇ, vere ac realiter humanæ Chriſti naturæ communicata, ut inde ea vere ſit vivifica, & cauſa vitæ æternæ ac glorioſæ nobis ſit ſecundus homo, ſecundum v. 22. Lege huc omnino B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis, & *Zeltnerum* in notis ad B. Lutheri verſionem Biblicam p. 198. itemque ad Hiſtoriam Crypto-Sociniſmi Altorfini p. 628. 663. & 664. Comma hoc illuſtravit etiam Cl. *Henr. Jac. Baashuyſenius* in diſſert. epiſtol. de reliquiis Adami primi in ſecundo, Serveſtæ 1723. quæ nunc non eſt ad manus.

Verſ. 47. Ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς, χοϊκός) *Arnaldus* verſionem Gallic. Montenſem ab exceptionibus *Malleti* tuetur in *Defenſione* Gallice edita pag. 364. ſq. Similis eſt *Philonis* phraſis pag. 31. Operum: ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ὁ γηγενής, quod obſervavit Cl. *Alberti* in Muſeo Bremenſi I. 1. pag. 119. Idem in Obſſ. Sacr. pag. 358. ex Euſebio Præpar. Evangelic. I. 1. c. 10. in Deorum Phœniciorum genealogia Adamum ut γήϊνον αὐτόχθονα commemorat, eamque in rem *Bocharti* Geograph. Sacr. pag. 706. conferri jubet. Accuratam hic fieri alluſionem ad vocem אדם & עפר *Guſſetius* monet in commentariis de Lingua Hebræa ſub utraque radice, ad priorem per ἐκ γῆς, ad poſteriorem per χοϊκός. Poſteriore loco p. 626. ait: *Locutio illa monet, non modo hominis corpus ex terra factum, ſed & factum non magna aliqua mutatione, illud a terra diverſum efficiente; cum terræ natura in eo remaneat: quo reduci debet & illud epitheton* χοϊκός. De homine χοϊκῷ Patrum cogitata lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 353. Vel ex hac corporis Adami deſcriptione patet, errare eos, qui cum *Poireto*, *Bourignonia* & aliis corpori Adami, primum condito, ſplendorem Solis æmulum tribuunt. Acceſſit illis Anonymus auctor Obſervationis VI. Tomi VIII. Obſervationum Selectarum Halenſium, p. 150. ſqq. Contra eum calamum ſtrinxerunt D. *Brandan. Henr. Gebhardi* in diſſertat. de maxilla Simſonæa & corpore Adami lucido, Gryphiswald. 1707. item D. *Jo. Fechtius* in diſput. Theolog. de glorioſiſſime lucente Adami corpore, Roſtoch. 1706. quibus jungendum fuerit B. *Jo. Wolſg. Jægeri* Syſtema Dogmatico-Polemicum lib. I. p. 172. ſq. Non novum eſt hoc

hoc ſomnium, & in Judæorum fortaſſe cerebro natum. Vide *Buxtorfii* notas ad librum Coſri Parte I. §. 94. ex R. *Schem Tov* Sepher Haëmunoth fol. 68. col. 1. *Quando creatus fuit Adamus*, inquit is, *non creatus fuit ſecundum formam & diſpoſitionem ordinariam* (corporum) *ſed* בריאה רכה עד מאד וזכה קרוב לגבירה רוחנית *creatura ſubtiliſſima & puriſſima proxime accedens ad corpus ſpiritaale.* Confer librum *Avodath hakkodeſch* cap. XXXIII. fol. 49. ubi Adamus totus רוחני *Spiritualis* fuiſſe traditur, calcaneus autem ipſum Solem, quanto magis facies ejus, obſcuraſſe dicitur. Compara *Eiſenmengeri* Judaiſmum detectum, vernacula lingua editum, Parte I. p. 368. Omnia alia tradit Paulus, quando v. 46. *τῷ ψυχικῷ* opponit *τὸ πνευματικὸν*, ſeu *ſpirituale.*

῾Ο κύριος) Deeſt in paucis Codd. verſionibus item & Patribus: itaque a Marcione, generationem Chriſti hoc modo ſublaturo, in contextum illatum eſſe teſtatur *Tertullianus* lib. V. c. 10. contra Marcionem, & Auctor dialogi contra Marcionitas Sect. V. p. 151. quod poſt *Morinum* lib. I. Exercitatt. Biblic. p. 35. *Millius* ad h. l. obſervavit, ibidem conſentiens, in Prolegomenis autem §. 325. & 1319. ex Catholicorum libris huc immature infartum exiſtimans. Compara *Whitbii* Examen p. 65. & 93. Propterea & recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextu prorſus omiſit. Viciſſim *γνήσιον* eſſe & Apoſtolicum oſtenderunt ex noſtratibus *Glaſſius* in Philologia Sacra lib. I. Tract. II. p. 176. *Calovius* in Critico Sacro p. 467. *Chriſtoph. Helvicus* in Vindicatione locorum Scripturæ Sacræ p. 104. Faſcic. III. Exercitationum Philologico-Hiſtoric. a Crenio recuſarum, & *Jo. Adamus Scherzerus* in Anti-Bellarmino p. 103.

᾿Εξ ὐρανῦ) Phraſis hujus notionem eruit, & a Socinianorum *Φλυαρίαις* vindicat *Mart. Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tomo I. pag. 79. In *Vulg.* & Latinis quibusdam Patribus poſt voces: *de cœlo*, additum legitur *cœleſtis.* Additamentum hoc procul dubio ab eo profectum eſt, qui exiſtimaret, antecedenti phraſi, *de terra*, *terrenus*; reſpondere alteram illam debere. Codices Græci adhuc viſi, ſi *Bœrnerianum* Græc. Lat. a *Kuſtero* ad h. l. allatum, exceperis, repugnat.

Nolo hic profligare eorum ſententiam, qui *præexiſtentiam animæ Chriſti*, ut *Eduard Fowlerus* in libro Anglicano: *diſcourſe of the deſcent of the man Chriſt Jeſus*; vel *corpus Chriſti ex cœlo allatum*, etiam ex h. l. adſtruere conati ſunt. Adeo enim utrumque ſomnium ab aliis diſpulſum, veritati cœleſti, alias clariſſime revelatæ, repugnat, ut mirum ſit, id ſe vigilantibus probare unquam potuiſſe. Contra eum, qui ex eodem hoc loco duo hominum genera, terrenorum alterum, alterum cœleſtium, non tam condidit, quam finxit, lege *Dionyſ. Petavium* de Opificio ſex dierum lib. I. cap. 4. Tom. III. Dogmatum Theologic. pag. 129.

Verſ. 49. *Καὶ καθὼς ἐφορέσαμεν τὴν εἰκόνα τῦ χοϊκῦ*) Inſpice *Seb. Schmidium* de Imagine Dei pag. 201. ſqq. & 349. & B. *Lütkenii* Colleg. Biblic. p. 291. Verbum *φορεῖν* non tantum de rebus, quæ extra nos ſunt, v. c. de veſtibus, &c.

ſed

ſed etiam, quæ in ipſo corpore inſunt, dici ex *Herodoti* lib. III. p. 229. C. ubi de Indis, τὸ χρῶμα φορέουσι ὅμοιον πάντες καὶ παραπλήσιον Αἰθίοψι, probat Rev. *Raphelius* in Annotatt. ex eo petitis p. 483.

φορέσομεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου) Multi codices Gr. verſiones item, & inter has *Vulg.*, Patrum item Græcorum & Latinorum multi, legunt φορέσωμεν, *portemus*. Receptam lectionem vindicarunt ex noſtratibus *Glaſſius* in Philolog. Sacr. pag. 177. & Rev. *Pfaffius* in Diſſertat. de Variant. Lection. N. T. pag. 225. ex ceteris *Millius* ad h. l. Alteram illam *Tertullianus* lib. V. c. 10. contra Marcionem ipſi huic Marcioni acceptam refert, cumque eo *Colomeſius* pag. 27. Obſſ. Sacr. Ex recentioribus Cl. *Sam. Battierius*, Profeſſor Lauſanenſis, *nullus dubitat*, legendum eſſe φορέσωμεν. Vide Biblioth. Bremenſem Claſſ. VI. pag. 102. In præſidium is advocat codicem MS. librorum Origenis contra Celſum, τὸ φορέσωμεν, per ω bis exhibentem. Idem προτροπὴν ſeu adhortationem Paulinam hic putat contineri, qualis etiam v. 50. exſtet. Alioquin enim fieri facile potuiſſet, ut quis ſecurior redditus, & de imagine Chriſti, in ſe etiam nunc formanda, minus ſolicitus, vel ſic cœleſtis Adami imaginem aliquando portandam ex reſurrectione exſpectaret. In eandem ſententiam pronunciat *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 700. At, qui ſeriem ſermonis Paulini vel obiter inſpexerit, omnia alia ſentiet. Verſatur Apoſtolus in ediſſerenda corporum, *ad gloriam* aliquando excitandorum, quippe *in Chriſto* hic defunctorum, conditione glorioſa. Vide v. 23. Eam ut hoc certiorem animis faceret, verbis utitur in *præſenti* tempore collocatis. Hinc v. 43. σπείρεται ἐν ἀτιμίᾳ, ἐγείρεται ἐν δόξῃ &c. Ἔστι σῶμα ψυχικὸν, καὶ ἔστι σῶμα πνευματικόν. v. 44. Denique hoc commate *futurum* tempus φορέσομεν adhibet, ideo, quod anteceſſerat præteritum ἐφορέσαμεν. Sicut enim per hoc ad *præteritum* vitæ tempus reſpectus infertur; ita neceſſe erat, ut *futuri* mentio diſertior fieret. Admonitione illa, quam Vir doctus hic videre ſibi videtur, opus non erat, cum ex ſuperiori v. 23. conſtare cuique poſſet, in quod hominum genus hoc beneficium cadat. Imo nec v. 50. ad ejusmodi exhortationem referendus eſt, quod mox videbimus. Ceterum τὸ φορέσωμεν non ex conſilio aut fraude *Marcionis*, ſed ex oſcitantia primum librariorum, τὸ O cum Ω permutantium, quam *Millius* recte accuſat, poſtea vero ex eorum judicio natam puto, qui commodum illi ſenſum vindicari poſſe ſibi perſuaſerunt. In ipſis numis antiquiſſimis τὸ O pro Ω conſpici Illuſtris *Spanhemius* pridem monuit in egregio opere de uſu & præſtantia Numiſmatum p. 73. edit. II. in 4.

Verſ. 50. Τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοὶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται) Comma hoc illuſtrant ex noſtratibus *Wolfg. Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacr. p. 580. & *Seb. Schmidius* de Imagine Dei p. 257. ex Reformatis autem *Jo. Cloppenburgius* Tom. I. p. 980. Variæ vocum σὰρξ & αἷμα, ſeorſim poſitarum, in ſacris literis ſignificationes ſunt, quas diligentiſſime nuper expoſuit M. *Erneſtus Frider. Neubauer* in commentatione Philolog. *de phraſi Novi Fœderis* Caro & Sanguis, *contra Chriſtian. Melodium*, Halæ 1729.

4. capite I. Idem vero cap. II. ſignificatum vocum illarum conjunctarum rectiſſime evolvit. Exemplum phraſeos, atque adeo & ſignificatum fruſtra ab externis Græciæ Scriptoribus exſpectaveris. Mere enim Hebraica eſt & Judæorum Myſticis frequentatiſſima. Recte id monuit *Alex. Morus* ad h. l. pag. 135. Notarum, qui eam inter formulas Judaicas, ſed in diviniorem ac cœleſtem ſenſum a Paulo traductas, numerat. Adde, quæ nos diximus ad *Matth.* XVI. 17. Loca Rabbinorum varia affert Cl. *Neubauer* l. c. pag. 19. ex iisque pag. 21. recte conficit, *ea phraſi, reſpectu ad Deum habito, uti ſolere patres Talmudicos, ut hominum miſera conditio Deo, Spiritui ſimpliciſſimo ac puriſſimo, ab omni carne & miſeria humana remoto, ejusque perfectionibus ſummis opponatur.* Confer B. *Glaſſii* Philolog. Sacr. lib. V. Tract. I. c. 17. His poſitis, conſtat, per σάρκα & αἷμα hic humanam naturam, qualis in hac vita eſt, & in quantum corpus ejus non alimentis ſolum indiget, ſed & interitui obnoxium eſt, denotari, facta ſimul oppoſitione ad excellentiorem, ſpiritualem & incorruptibilem conditionem, qua idem corpus aliquando ſit induendum. Hoc patet vel ex φθορᾷ, quam ſecuturam eſſe ἀφθαρσίαν teſtatur Apoſtolus. Senſum hunc ex veteribus agnovit *Theodoretus* ad h. l. Σάρκα καὶ αἷμα τὴν θνητὴν φύσιν καλεῖ. ἀδύνατον δὲ ταύτην ἔτι θνητὴν οὖσαν τῆς ἐπουρανίου βασιλείας τυχεῖν. Adde *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 937. Nihil agit *Steph. Vitus*, quando in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 482. *non carnis ſubſtantiam, ſed præjudicia & concupiſcentias ex carne* hic intelligi contendit. Nunquam id vel ex phraſi ipſa, vel ex Apoſtoli ſcopo, vel ex ſequenti phraſi φθορὰ & ἀφθαρσία effecerit. Socinianis, qui h. l. phraſi illa vehementer abutuntur, ſatisfecit idem *Neubauer* p. 26. ſqq. & Rev. *G. G. Zeltnerus* in Hiſtoria Crypto-Sociniſmi Altorfini p. 622-626.

Verſ. 51. Ἰδοὺ, μυστήριον ὑμῖν λέγω· Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, κ. τ. λ.) Ad hoc & ſequentia aliquot commata conferantur *Philip. Mullerus* de immutatione ſuperſtitum in fine mundi, Jenæ 1683. & D. *Frid. Ern. Meis* de morte, Schleuſingæ 1702. *Jo. Guil. Baierus* in Analyſi & Vindiciis Locorum Scripturæ S. Parte I. p. 157. ſq. & *Spenerus* in Reſponſis Theolog. Germanicis Tom. I. p. 229. ſq. ex Anglis vero *Henr. Morus* in Operibus Theologicis Latinis p. 371. & *Jo. Pearſonius* ad Symbolum Apoſtolicum p. 533. & 535.

Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα) Magna hic eſt Codicum varietas, quam ediſſerunt *Eraſmus* Tom. IX. Operum p. 218. *Jo. Morinus* in Exercitatt. Biblicis de Hebr. Græcique textus ſinceritate p. 37. ſq. *Salmaſius* de Transſubſtantiatione p. 216. ſq. Volumen VI. Bibliorum Polyglottorum Londinenſ. inter lectionum varietates ad h. l. & ſtudioſiſſime *Millius*. Receptæ lectionis γνησιότητα tuentur *Alex. Morus* in Cauſa Dei pag. 114. & *Millius* ad h. l. atque hic poſterior inprimis ex eo, quod illa ad amuſſim congruat iis, quæ cum v. 51. & 52. hujus capitis, tum alibi 1 *Theſſ.* IV. 15. tradit Paulus, haud ſcilicet morituros omnes, ſed reſiduos fore aliquos in adventu Chriſti. Conferatur idem in Prolegomenis §. 554. 619. 1320. & 1366.

Pau-

Paulum ſe hic non numerare inter eos, qui vivi aliquando ſuperfuturi ſint, oſtendit *Jo. Marckius* in Exercitatt. Exegeticis p. 627. ſq.

Verſ. 52. Ἐν ἀτόμῳ) Lege *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 571.

ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι) Σάλπιγξ hic ex ſtilo Prophetico ſignificat ſigna, quibus Judex comitatus ad judicium veniet, i. e. cum ſigna apparebunt judicii jam celebrandi. Ita in Apocalypſi ſiſtuntur ſeptem tubæ, per quas promulgantur certa judicia divina. Reſpectus habetur ad mores & ritus V. T. ubi tubis indicebantur vel judicia, vel conventus alii ſolemnes. Ita B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l.

σαλπίσει γὰρ) Vulg. *canet enim.* Rectius verteris: *clanget.* Hoc enim de *tubis*, illud de *tibiis* ex Scriptorum Latinorum uſu dicitur. Confer *Maſſoni* Hiſtor. Criticam reipublicæ literar. gall. editam Tom. XIV. pag. 33. ſq. & Cl. *Chriſtoph. Wolle* in commentatione de Parentheſi Sacra p. 45.

Verſ. 53. Δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν) Phraſis Hebræis receptiſſima eſt. Vide *Jobi* VIII. 22. & XXIX. 14. Neque tamen Græcis inſueta, v. c. *Homero* Il. ά. v. 149. Ὠ μοι ἀναιδείην ἐπιειμένε. Vide *Pſochenium* de linguæ Græcæ N. T. puritate §. 118. *Jo. Lockius* poſt *Jo. Crellium*, in commentario ſuo τὸ φθαρτὸν & θνητὸν *hominem corruptibilem* & *mortalem* ſignificare, non autem ad σῶμα, ſeu corpus referri vult, quemadmodum v. 46. πνευματικὸν in neutro genere de *Chriſto*, & ψυχικὸν de *Adamo* adhibeatur. At nimis clarum eſt, de *corpore* hic æque ſermonem eſſe atque v. 44. ubi dicitur: σπείρεται σῶμα ψυχικὸν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν. Hinc rectiſſime & *Clericus* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 98. & Anonymus Anglus in *Remarks on ſome books* p. 148. ſq. hanc interpretationem auctoribus ſuis relinquendam cenſuerunt. Corpus, novis & glorioſis qualitatibus induendum, hic intelligendum eſſe, etiam Patres ſtatuerunt, de quibus *Suicerus* Tom. II. p. 1211.

Verſ. 54. Ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν) Hæc ex præcedenti commate huc translata eſſe ſuſpicatur *Millius*, recte refragante *Whitbio* p. 65. Examinis.

τότε γενήσεται ὁ λόγος γεγραμμένος) Reſpicitur hic ad *Jeſ.* XXV. 8. cum quo Paulinam allegationem, a verſione τῶν LXX. abeuntem, comparant *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 550. *Vitringa* in commentario ad Jeſaiam Tom. II. p. 46. & ex noſtratibus *Alethæus* Tom. II. p. 366. der Erläuterung.

Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος) Οἱ LXX. Prophetæ verba ita reddunt: κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας. Humani igitur aliquid paſſus eſt *Colomeſius* p. 157. Obſſ. Sacr. quando Apoſtolum verſionem τῶν LXX. hic adhibuiſſe ſcribit. *Theodotion* accedit propius: κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος, & *Aquila*: καταποντίσει θάνατον εἰς νῖκος. Phraſis εἰς νῖκος idem eſt, quod, *in perpetuum.* נצח enim ſeu *victoria*, recte poſt alios obſervante *Vitringa* l. c., *notat proprie rei alicujus aut temporis* perpetuitatem, *ſive* perennationem, *ſi ſic loqui liceat; cujus cauſa cum ſit* vis & vigor *in re*, *adſcribit ſibi ſignificationem* vigoris. Vis *autem* & vigor *cum in bellis præſtare ſoleant* victoriam: *hanc quoque notationem*

ſibi vindicat, quæ præcipue recepta eſt Chaldæis. Primus itaque & ſimplex ſenſus Prophetæ, Mortem abſorptum iri in perpetuum, h. e. *quod Symmachus*, perfecte *abolitum iri, ut plane evaneſcat, & nullus ejus effectus amplius ſuperſit.* Lege in eandem ſententiam *Jac. Guſſetii* commentarios L. Hebr. p. 527. *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 305. & Rev. *Salom. Deylingium* Part. III. Obſſ. Sacr. p. 273. item *Hackſpanium* in Miſcell. p. 356. Hinc factum eſt, ut tum *οἱ* LXX. tum alii Interpretes dictionem Prophetæ לנצח paſſim alibi expreſſerint per *εἰς τέλος*. v. c. Pſ. IX. 19. CIII. 3. &c. De reliquis, ad ſenſum hujus commatis pertinentibus, lege *Seb. Schmidium* de Imagine Dei p. 408. & in Collegio Biblico II. p. 373. Quæ Judæus in *Chiſſuk Emuna* adverſus hanc allegationem loci Jeſaiæ, & Hoſeæ, c. 55. excepit, ea diluit *Guſſetius* in Confutatione libri illius Parte II. c. 87. p. 437. Oraculum hoc non ad reſurrectionem Chriſti, ſed eam, quæ futura eſt, hominum, referri debere, oſtendit *Trillerus* in der Unterſuchung etlicher Oerter der Heil. Schriſt Parte II. p. 127. ſqq.

Verſ. 55. *Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος;*) Petita hæc ſunt ex Hoſeæ XIII. 14. non autem ex *Jeſaia*, quod traditur in Evangelio Nicodemi §. 21. Tomo I. Codicis Apocryphi N. T. a Cl. *Fabricio* editi p. 283. procul dubio ex eo, quod proxime ante hoc comma locus Jeſaiæ erat allatus. Illuſtrat locum hunc egregie B. *Godofr. Olearius* in diſſert. Inaugurali de redemtione ab inferno & liberatione a morte, ad Hoſeæ locum Lipſiæ 1701. habita & ibidem 1707. recuſa. Ibi p. 12. ſqq. diligenter oſtenditur, verſionem Paulinam, a Græca hic iterum ex parte aliqua abeuntem, cum contextu inprimis Hebræo egregie conſentire. Miror, *Millium* hic non obſervaſſe, quod inter Variantes Lectiones N. T. Tomo VI. Bibliorum Polyglottorum Londinenſium monetur, in Codice MS. *Lincoln.* & *Claromontano* item in varietatibus *Veleſianis* voces *κέντρον* & *νῖκος* ita eſſe permutatas, ut hæc priorem, altera poſteriorem locum obtineat. Eundem ordinem ſecuta quoque eſt verſio Æthiopica, ita reddens: *ubi igitur mortis victoria? ubi igitur mortis ſtimulus?* Atque ita quoque expreſſit *Beza*: *Ποῦ σου, θάνατε, τὸ νῖκος; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ κέντρον;* Compara notas ejus, & junge omnino laudatam *Olearii* diſſertationem p. 14. ubi contra *Bezam, Jac. Cappellum, Druſium* & *Grotium* oſtendit, a Paulo, memoriæ lapſu, non immutatum eſſe ordinem, cum, quod illi ſtatuunt, LXX. Interpretum verſionem h. l. non exprimere voluerit, ipſe vero hic ordo Hebræo contextui omnino reſpondeat. Poſtremum hoc etiam ante oſtenderat *Pocockius* ad Portam Moſis p. 69. Lege ad h. l. præterea *Rich. Kidderum* in Demonſtrat. Meſſiæ Parte II. p. 251. ſqq. *Pet. Zornium* in Opuſculis Sacris Tom. I. p. 12. ſqq. *Guſſetium* in radice שאל lit. M. & *Petavium* de Opificio hominis IV. 8. 3. Tomo III. Dogmatum Theologicorum. *Ἐπινίκιον* illud exponit etiam *Jo. Arrowſmith* in Tacticis Sacris p. 291. ſqq.

Verſ. 56. *Τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία*) Similiter R. *Bechai* in *Kad Hakkemach* cavere ſibi jubet *a figmento malo*, i. e. peccato originali, tanquam quod ſit כח המות *potentia mortis*, qui idem, ex ſententia R. *Simeon ben*

La-

Lakiſch dixerat, *figmentum hominis invaleſcere contra eum omni die, & quærere, ut eum occidat.* Vide *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. III. p. 137. ſq. Compara phraſin *Hebr.* II. 14. τὸ κράτος τοῦ θανάτου.

Δύναμις τῆς ἁμαρτίας ὁ νόμος) Patrum interpretationem habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 423.

Verſ. 57. Τῷ δὲ Θεῷ χάρις, τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος) *Paulus loquitur de ea victoria, cujus v.* 54. & 55. *meminit, quæ in extremo demum die plene deportabitur, cum mors, tanquam extremus hoſtis, deleta fuerit, mortuis reſuſcitatis. Hinc* τὸ νῖκος διδόναι *non incommode accipi poteſt pro*, victoriam certo polliceri. Ita Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 483. in quam ſententiam ante dixerat in Annotatt. Xenophonteis p. 231. *Xenophon* phraſi hanc notionem tribuit Cyropæd. lib. III. pag. 65. Ἄνδρες οἱ μὲν θεοὶ, ὡς οἵ τε μάντεις φασὶ, καὶ ἐμοὶ συνδοκεῖ, μάχην τ᾽ ἔσεσθαι προαγγέλλουσι, καὶ νίκην διδόασι, καὶ σωτηρίαν προυπισχνοῦνται ἐν τοῖς ἱεροῖς. Sic *Herodotus* lib. II. p. 154. διδόναι pro *polliceri, offerre*, adhibet, διαπέμποντα ἐς πάσας τὰς πόλις, ἐπαγγέλλεσθαι ἄδειάν τε διδόντα. Addit Vir doctus pag. 484. l. c. *nos frui quidem hac victoria jam nunc ex parte, ſed plene perfecteque eam nobis obtingere, quando Chriſtus etiam corpora noſtra, a morte liberata, ad vitam immortalem traduxerit.* Rectiſſime hæc obſervata eſſe, non dubito.

Διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν) B. *Lutherus:* **durch unſern HErren.** Qua occaſione B. *Dietericus a Staden* in Explicatione vocum Germanicarum verſionis Biblicæ pag. 164. ed. II. obſervat, particulam **durch** ex genio veteris linguæ Teutonicæ non ſolum inferre, *per* quem, ſed & *propter quem* aliquid fiat.

Verſ. 58. Ὥστε ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ, κ. τ. λ.) Illuſtre hoc epiphonema ad initium capitis XVI. referri vult *A. Blackwall* in *Sacred Claſſicks* Vol. II. pag. 130. tanquam h. l. poſitum, vim ejus & eloquentiam infringat. Quod quid ſibi velit, fateor me non intelligere. Manifeſtum meo quidem judicio eſt, S. Paulum hoc ipſo epiphonemate colophonem toti, in qua fuerat, tractationi imponere, & nunc ad longe aliud argumentum divertere.

Ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι) Phraſes ſunt athleticæ, *gradum locumque tenendum* eſſe ſignificantes. His ideo uſum eſſe Paulum ſuſpicatur *Lydius* in Agoniſticis Sacris p. 32. quod *Iſthmia* apud Corinthios, harum phraſium vel ideo gnaros, celebrata fuerint. Vocem ἑδραῖος exponit etiam *Jo. Pearſonius* ad Ignatii epiſtolas p. 27. *Cyrillus* in Lexico: Ἑδραῖοι, σταθεροὶ, ἀσάλευτοι, στερεοί. *Heſychius:* Ἑδραῖοι, σταθεροὶ, ἀσάλευτοι.

Περισσεύοντες ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ Κυρίου) Bonorum operum ſtudium heic commendari Patres obſervant apud *Suicerum* Tomo I. p. 1207.

CAP. XVI.

VErſ. 1. Περὶ δὲ τῆς λογίας) i. e. συλλογῆς, *collecta*, ut interpretatur *Chryſoſt.* ad h. l. & cum eo *Theophyl. Oecumenius*, *Theodoretus*, imo & *Suidas*, ad Chryſoſt. & Paulinum hunc locum provocans. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 247. At *Vitringa* in de vetere Synagoga lib. III. Parte I. cap. 13. pag. 813. intelligere mavult *rationes pecuniarias*, ſive ſupputationes, quo ſenſu λόγος in epiſtola ad Philippenſes adhibeatur. Cauſam hujus interpretationis mox ex ipſo audiemus. Εὐλογίαν legi vult *Dounæus* ad Chryſoſt. p. 341. quæ vox hoc ſenſu occurrit 2 *Cor.* IX. 5. At conjecturam illam unanimis Codicum conſenſus eludit, nec inſolens eſt, ſimplex pro compoſito collocari. λέγω & *lego* Latinis & Græcis pro συλλέγειν & *colligere* poni, tralatitium eſt.

τῆς εἰς τὰς ἁγίους) Per hos Chriſtianos inprimis ex Judæis, in terra Sancta & ſpeciatim Hieroſolymis verſantes, intelligi non dubium eſt. Paulus ipſe *Rom.* XV. 26. τὰς πτωχὰς τῶν ἁγίων τῶν ἐν Ἱερουσαλὴμ commemorat. Cur vero illi præ ceteris cum inopia conflictati ſint, oſtendit *Jac. Rhenferdius*, in diſſ. de fictis Judæorum & Judaizantium hæreſibus, cujus cogitata in compendium miſit Cl. *Pet. Zornius* Tom. I. Opuſculorum Sacrorum p. 643. ſqq. Idem hanc *paupertatem* effeciſſe putat, ut non ab *Ebione*, ſed ab *inopia* אביונים i. e. *pauperes* appellarentur: id quod ſuo loco nunc quidem relinquimus. Quæ Judæorum fuerit in colligendis & diſtribuendis eleemoſynis ratio, tradit *Vitringa* l. c. p. 814. Rev. *Jo. Gottlob Carpzovius* in ſingulari diſſert. de eleemoſynis Hebræorum, Lipſiæ 1728. & M. *Dan. Gottfried Wernerus* in diſſertationibus de hoc argumento Jenæ 1725. editis, de quibus legantur Jeniſche Monathliche Nachrichten an. 1726. p. 417.

Verſ. 2. Κατὰ μίαν σαββάτων) Diem hebdomadæ primum, quem Dominicum appellamus, hic intelligi inter omnes conſtat. Confer dicta ad *Act.* XX. 7. Cod. *Wechel.* idem h. l. diſerte exprimit, addendo vocem κυριακὴν, quam ex ſcholiis Græcorum natam eſſe recte affirmat *Millius*, *Jo. Pearſono* eam fere ipſi Paulo ex h. l. tribuente ad epiſtolas *Ignatii* pag. 43. *S. Joannes*, inquit, *primo* κυριακὴν *vocavit*, *ſecundus* Ignatius: *vel fortaſſe primo* S. Paulus. Cum interpretatione ipſa conſentiunt Patres apud *Suicerum* Tom. II. pag. 917. Ex recentioribus lege *Altingii* Opera Tom. V. ubi de Sabbato pag. 88. *Cappellorum* Opera Critica pag. 283. & 285. & *Jo. Ludov. de la Cerda* in Adverſariis p. 113. & 379. ubi etiam de *collecta*, eo die fieri ſolita, diſſerit, & *Franc. Riberam* de Feſtis lib. V. c. 16. conſuli jubet. Reclamare hic *Th. Mortonum* in ſuo ad hanc epiſtolam commentario teſtatur, & locum hunc ampliorem diſquiſitionem poſcere ſtatuit *Th. Gatakerus* in Cinno lib. II. c. 2. p. 167. Ceterum hinc ad inſtitutionem diei Dominici, ad cultum divinum obeundum, argumentum duci poſſe negat *Franc. Burmannus* in Apologia de moralitate Sabbati

bati c. IV. p. 91. ſqq. In contrarias partes leges, qui de hoc argumento tum alias, tum in Belgio commentati ſunt, ſpeciatim *Altingium* l. c.

Ἕκαςος ὑμῶν παρ' ἑαυτῷ τιθέτω) *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthumorum pag. 761. b. vertit: *quisque veſtrûm in ſacculo ſuo reponat, ut ad communem theſaurum afferat.* Itaque collectam hanc, pro cujusque arbitrio domi ſeorſum factam, in communi cœtu die Dominico in uſum pauperum inſtitutam eſſe exiſtimat. Compara eundem Tomo VII. Operum in *Parallelia Sententiarum de Sabbato*, ubi inſtituti hujus rationem ex eo repetit, quod, cum eo tempore Sabbati celebratio etiam inter Chriſtianos vigeret, eo autem pecuniam tractare aut colligere Judæis religio fuerit, Chriſtiani quoque rem in poſterum diem differre juberentur. Amplectitur poſterius *Vitringa* l. c. pag. 812., *Philonis* in lib. de Legat. ad Cajum auctoritate ductus, qui Auguſtum Imp. laudat, quod diſtributiones pecuniæ & frumenti menſtruas Judaicas, ſiquidem in Sabbatum eæ inciderent, ob dictam cauſam in poſterum diem differri juſſerit. Et vel ipſa hac de cauſa a Coccejo diſſentit, in eo, quod pecuniam illam ipſo die Dominico in commune collatam exiſtimat, quam quemque apud ſe tantum in cumulum quendam collegiſſe eo die ipſe opinatur. Atque hæc ratio eſt, cur, quod ante monuimus, τὴν λογίαν non de *collecta*, ſed *rationibus pecuniariis* interpretandam cenſuerit. Interpretem *Syrum* pro ſe habet Vir doctus, ita hæc vertentem: *in domo ſua ſeponat.* Mihi quidem nec Paulus ſuperſtitionis Judaicæ rationem habuiſſe videtur, nec dubitandum etiam, quin die Dominico quisque Chriſtianorum pro facultate ſua certam pecuniæ ſummam pauperibus deſtinatam ſymbolarum inſtar contulerit. Alioquin enim non perſpicio, qui impleri potuerit conſilium Pauli, cavendum eſſe ſcribentis, ne, ubi venerit, ſymbolæ colligerentur. Non obſtat phraſis παρ' ἑαυτῷ *apud ſe.* Hæc enim vel ita accipi poteſt, ut ſummam illam quisque *ſecum* apportet, vel *judicio & voluntate ſua*, quæ *Julii Cæſaris* de Bello Gallico lib. V. cap. 37. dictio eſt, decernat, quam in rem plura vide a M. *Dan. Godofredo Wernero* in diſp. de fiſco & paropſide pauperum, ex Hebræis & Græcis Scriptoribus allata. Ceterum ejusmodi collectas a Judæis ipſo Sabbati die factas eſſe vix æque facile probaverit *Steph. le Moyne*, quam quidem affirmavit in notis ad Varia Sacra pag. 74. Id ex Judæorum ſcriptis conſtat, eleemoſynas veſpera, Sabbato prævia, & colligi & diſtribui inter pauperes conſueviſſe, ut eo ſcilicet lætius & tranquillius defungi poſſent. Lege *Maimonidem* in *Mattenoth Anijim* cap. IX. §. 1.

Ὅ, τι ἂν εὐοδῶται) Plerique Interpretes hoc ita accipiunt, ut quisque *pro facultate ſua* & commodo aliis largiri moneatur. Cum iis ſentit *Car. le Cene in Projet d'une nouvelle verſion* pag. 611. Atque id quoque voluiſſe videtur Syrus vertens: *id quod venit in manus ſuas.* Alii vero ſucceſſum operæ, a Deo illa hebdomada conceſſum, reſpici exiſtimant, ſecundum quem plus minusve dare aliquis poſſit. Ita Auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom. III. pag. 593. & Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. nachdem ihm etwan ein Glück beſche-

beſcheret iſt. Pugna hic fere nulla eſt, cum alterum alterum ſupponat. Malim tamen prius. Idem enim hoc loco dicitur, quod *Act.* XI. 29. *καθὼς ηὐπορεῖτό τις*, & 2 *Cor.* VIII. 12. *καθὸ ἐὰν ἔχῃ τις.*

Verſ. 3. *Οὓς ἐὰν δοκιμάσητε δι' ἐπιστολῶν, τούτους πέμψω ἀπενεγκεῖν*) Ita quidem editiones tantum non omnes ſi Norimbergenſem *Eraſmi Schmidii* an. 1658. exceperis, hæc verba interpuncta exhibent. Senſus vero requirit, ut poſt *δοκιμάσητε*, comma ponatur, & phraſis *δι' ἐπιστολῶν* referatur ad ſequentia. Ita egerunt olim *Syrus*, *Arabs*, *Æthiops* in verſionibus. Ita quoque interpretatus eſt *Chryſoſtomus.* Imo *Theophylactus* hanc interpunctionem diſerte ad h. l. commendavit. Applauſit illis recte *Beza*, *Grotius*, *Knatchbullus*, *Lockius*, & *Clericus.* Illi vertunt: *quoscunque probaveritis*, *illos mittam cum epiſtolis*, ſcilicet commendatitiis. Id poſtulant *περικείμενα.* Paulus hæc ſcribens Epheſi verſabatur, Corinthios paulo poſt ſalutaturus. Hic itaque paratas eſſe vult ſymbolas, ut ſtatim ſub adventum ſuum ad pauperes exteros mitti poſſent per legatos, quorum fidem, quemadmodum Corinthiorum liberalitatem, ipſe Paulus per literas commendaturus, & ſic totum negotium provecturus erat. Hos autem nuncios Corinthii ipſi ex cœtu ſuo ſeligere & Paulo ſiſtere debebant. Sic omnia ſibi conſtant. Contra vero non apparet, quid Corinthiorum literis opus hic fuerit. Ad Paulum certe dari non debebant, in anteceſſum, cujus adventum exſpectare jubebantur: nec ad pauperes Hieroſolymitanos, quibus de legatorum fide vel ex ipſa miſſione & aſportatis ſymbolis conſtare poterat. Unum e medio tollendum eſt, quod *Millium* inprimis video objeciſſe, phraſin nempe, *δι' ἐπιστολῶν πέμψω vix Græcam* videri. At dubio huic *Grotius* jam occurrit, obſervans, *brevem eſſe locutionem*, quæ hoc ſibi velit: *Mittam per literas*, *i. e. mittens per literas eos commendabo*, *teſtimonio meo eos proſequar.* Præterea *τὸ δι' ἐπιστολῶν* idem hic eſt, quod *ἐν* vel *σὺν ἐπιστολαῖς.* Hanc notionem præpoſitio *διὰ*, Genitivo juncta, habet 1 *Tim.* II. 15. *διὰ τῆς τεκνογονίας*, ad quem locum vide quæ inpoſterum ſcribentur, & quæ ibi ab *Eraſmo Schmidio* allata ſunt. Phraſis, *οὓς ἂν δοκιμάσητε*, id ſibi vult: *quoscunque probatos judicaveritis.* Hoc ſenſu ea uſus eſt *Arrianus* in Diſſert. Epictet. p. 462. *οἷους χαρακτῆρας καὶ ἐπὶ τῶν νομισμάτων ζητοῦντες, ἂν μὲν εὕρωμεν, δοκιμάζομεν· ἂν δὲ μὴ εὕρωμεν, ῥιπτοῦμεν.*

Τὴν χάριν ὑμῶν) *beneficium*, eleemoſynis his præſtitum. Reſpondet *χάρις* voci Hebraicæ חסד, quam *οἱ* LXX. per *χάριν* expreſſerunt *Eſther.* II. 9. *καὶ εὗρε χάριν ἐνώπιον αὐτοῦ.* Notionem vocis חסד diligenter exponit *Maimonides* in More Nevochim Part. III. cap. 53. his verbis: שמשו בו בהפלגת גמילות הטוב יותר נידוע שגמילות הטוב בלל שני ענינים האחד מהם לגמול טוב מי שאין לו חוק עליך כלל· והשני להטוב למי שראוי יותר ממה שהיה ראוי. i. e. *Uti ſolent* (voce חסד) *ut ſignificent ſummam beneficentiam. Conſtat vero, beneficentiam duo complecti, primum quidem beneficium in eum, qui nihil a te jure ſuo poſcere poteſt; deinde beneficium in illum, qui eo quidem dignus eſt, ſed non tanto.* Addit idem, Prophetas

phetas plerumque illam hac voce benignitatem denotare, quæ in eum confertur, cui nihil plane debetur. Manifeſtum hinc eſt, חסד de eleemoſynis rectiſſime dici poſſe. Hunc ſignificatum exhibent verba Salomonis *Prov.* XIX. 24. תאות אדם חסדו וטוב רש מאיש כזב: Quod οἱ LXX. ita exprimunt: *καρπὸς ἀνδρὶ ἐλεημοσύνη· κρείσσων δὲ πτωχὸς δίκαιος, ἢ πλούσιος ψεύστης.* Omitto Magiſtrorum Judaicorum ſcripta, in quibus frequentiſſime גמילות חסדים h. e. *collatio eleemoſynarum* celebratur. Compara, ſi placet, *Buxtorfii* Lexicon Talmudicum p. 447. *Campeg. Vitringam* lib. III. de Synagoga vetere Part. I. c. 12. p. 794. ſqq. & M. *Dan. Godofr. Werneri* Exercitat. de Eleemoſynarum nomine p. 23. ſqq.

Verſ. 7. Ἐὰν ὁ Κύριος ἐπιτρέπῃ) De formula hac lege *Rittershuſium* pag. 5. Lectionum Sacrarum.

Verſ. 8. Ἕως τῆς Πεντηκοστῆς) Lege *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 667.

Verſ. 9. Θύρα γάρ μοι ἀνέῳγε) Codex quidam MS. legit ἤνοικται, alius ἀνεῳγμένη. *Theophyl.* vero & *Oecumenius* ἀνέῳκται exhibent. Cave, putes, Paulum alio modo, quam quem recepta lectio ſiſtit, ſcripſiſſe. Cetera vel interpretamentum, vel immaturam mutationem exhibent. *Phrynichus*, fateor, ἀνέῳγε pro ἀνέῳκται per ſolœciſmum dici pronunciat. Sed temere; cum, qui Attice ſcripſiſſe exiſtimati ſint, eodem modo ſint locuti, quod rectiſſime magnus *Salmaſius* monuit de Transſubſtantiatione p. 104. *Phrynicho* rectius præcipit *Thomas Magiſter*, in libello de Vocibus Atticis, de quo forte aliquando bene mereri conabimur, pag. 12. *ἀνέῳγεν, ἐπὶ μὲν παρατατικοῦ, ἀντὶ τοῦ ἤνοιγεν - ἐπὶ δὲ μέσου παρακειμένου τὸ ἀνέῳγεν, ἀντὶ τοῦ ἠνεῴχθη.* Quod affirmat, id locis Scriptorum non inficiandis, caſtigato ſimul *Phrynicho*, adſtruit. Talia produxerunt etiam ex recentioribus *Grævius* ad Luciani Solœciſtam pag. 753. & Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* ad Olearium de Stylo Nov. T. pag. 289. Quod ad ſenſum phraſeos ſpectat, in propatulo eſt, amplam occaſionem prædicandi Evangelium, Paulo oblatam, ſignificari. Ita jam olim Patres acceperunt, quos affert *Suicerus* Tom. I. pag. 1415. Exempla ex profanis Scriptoribus multa promunt *Lamb. Bos* pag. 152. Exercitatt. Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis, & Cl. *Elsnerus* pag. 134. qui *fores* Latinis, & פתח *oſtium* Hebræis pro *occaſione* adhiberi oſtendit. Conf. *Andr. Schotti* Adagialia N. T. pag. 118. qui huc refert Latinorum phraſin, *feneſtram* vel *fores aperire*. Accommodatiſſimus videtur *Plutarchi* locus adverſus Colotem Tom. II. fol. 1108. a Cl. *Schelhornio* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. pag. 876. obſervatus. *Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ καθάπερ ὁ Λυδὸς ἐφ' αὑτὸν ἀνοίγειν οὐ θύραν μίαν, ἀλλὰ ταῖς πλείσταις τῶν ἀποριῶν καὶ μεγίσταις περιβάλλειν τὸν Ἐπίκουρον.* Ex quo loco præterea intelligitur, proverbialem fuiſſe dicendi rationem. Idem de Iſide & Oſiride pag. 360. *μεγάλας τῷ ἀθέῳ λεῷ κλισιάδας ἀνοίγοντας* memorat. Per *θύραν* illam *aures* illorum, qui Evangelium Chriſti annunciatum admiſerint, intelligit Cl. *Battierius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. pag. 104. Has enim eſſe, per quas tanquam per portam ingrediatur fides in Chriſtum. *Rom.* X. 17. Conf. *Apocal.* III. 3. &

Actor. XIV. 27. Ad oſtia circi, quæ ſubito & æqualiter aperiebantur ruituris in certamen, alludi perſuadet ſibi *Lydius* in Agoniſticis Sacris p. 99. & cum eo *Amelius* Part. I. der Erörterung p. 87.

Μεγάλη καὶ ἐνεργὴς) Ἐναργὴς hic legere malunt *Beza*, *Grotius* & *Battierius* in Biblioth. Bremenſi l. c. nec minus *Clericus* in verſione Gallica N. T. Ita quoque legiſſe videtur *Vulg.* quando vertit *evidens.* At recte *Millius* in recepta lectione, quam omnes omnino codices Græci exhibent, perſiſtit. Quamvis enim vox ἐνεργὴς ad θύραν, proprio ſenſu acceptam, non quadret, egregie tamen ſignificatui, qui hic obtinet, metaphorico, *occaſioni* ſcilicet, reſpondet, quæ ſic non *ampliſſima* ſolum ſed & *cum fructu* conjuncta eſſe indicatur, multis ſcilicet ad præconium Evangelii & *audiendum* & *admittendum* concurrentibus.

Verſ. 10. Βλέπετε, ἵνα ἀφόβως γένηται πρὸς ὑμᾶς) Pro ἀφόβως *Claudius Sarravius* in Epiſtolis p. 163. edit. Ultrajectinæ in 4. legi vult ἀφειδῶς, hoc ſenſu: *Providete, ſi Timotheus ad vos venerit, ut liberaliter excipiatur.* Id eſt: *ſolicite curate, ut ſit liberaliter apud vos. Ejus difficultatibus ita providete, ut nihil ei deſit. Nihil a vobis habui, gratis docui.* 2 *Corinth. XI.* 7. 8. 9. *Eum vero volo laute haberi.* Nullam ego quicquam mutandi cauſam invenio. Paulus vult, ut Timotheus *ſine metu* h. e. *tuto ſit*, ſicut *Beza* & *Eraſmus Schmidius* convertunt, apud Corinthios. Talis non erat Paulus apud Epheſios, apud quos erant πολλοὶ ἀντικείμενοι. Atque hi ipſi videntur occaſionem Paulo feciſſe hanc exhortationem inculcandi, inprimis, cum eſſent inter Corinthios, qui Paulo, atque adeo & Timotheo, γνησίῳ ejus diſcipulo, minus faverent. Lectio Sarraviana vix Græca eſt. Ἀφειδῶς εἶναι ex ratione linguæ Græcæ, in qua adverbium nominis adjectivi, ipſius nominis loco, verbo εἶναι vel γίνεσθαι jungitur, idem fuerit, quod ἀφειδῆ γίνεσθαι. Hoc vero Latine dixeris, non, *liberaliter excipi*, aut *haberi*, ſed *liberalem ſe præſtare*, *liberaliter ſe gerere.* Hunc autem ſignificatum nec contextus patitur, nec *Sarravius* ipſe admiſerit. Ponamus vero, alteram illam ſignificationem locum habere poſſe, num credibile eſt, Paulum exhortaturum fuiſſe Corinthios, ut *large*, & *laute* quæ ἀφειδίας notio eſt, Timotheum exciperent? Alia erant, quæ quærebant Apoſtoli. Recte itaque hanc conjecturam averſatus eſt *Amelius* Part. II. p. 425. ſqq. Recte etiam deſerendam cenſuit Cl. *D. W. Trillerus* in Notis MSS. Idem tamen, ſi quid mutandum ſit, legi potius vult ἄφοβος, ut ſpectet ad τὸ, Τιμόθεος, hoc ſenſu: videte, ut animo læto & ab omni metu libero ad vos accedat Timotheus; vel etiam ſubſtitui: φόβος, τὸ Α a præcedenti Α finali τοῦ ἵνΑ abſorpto, ut crebro fieri ſolet. Senſum putat eſſe concinnum: *quando vero venerit Timotheus, videte, ut timor & reverentia ejus apud vos ſit, h. e. ut eum reverenter habeatis;* qui & v. 11. confirmetur: μή τις οὖν αὐτὸν ἐξουθενήσῃ. Interim Vir doctus largitur, nihil his opus eſſe. Perſpiciebat enim, Græce idem eſſe, ſive ἀφόβως ſcripſeris, ſive ἄφοβος. Præterea dubito, an Græce dici poſſit, φόβος γένηται πρὸς ὑμᾶς, pro *reverenter eum habete.*

Τὸ

Τὸ γὰρ ἔργον Κυρίȣ ἐργάζεται, ὡς ϰ̀ ἐγώ.) Ἔργον Κυρίȣ eſt *prædicatio Evangelii.* Vide Patres apud *Suicerum* Tom. I. p. 1207.

Verſ. 12. Περὶ δὲ Ἀπολλὼ τȣ̃ ἀδελφȣ̃) Codices quidam hic addunt: δηλῶ vel γνωρίζω ὑμῖν, interpretamenti ſcilicet loco, quod recte judicat *Eſtius.* At ſenſus ſibi ſine his conſtat, ſi vertas: *Quod ad Apollo attinet, multum eum ſum cohortatus.* Ita ſupra VIII. 1. Περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων, οἴδαμεν, κ. τ. λ. Ex hoc commate, ut & ſequentibus 17. 18. Millius conjecturam fecit in Prolegomenis II. c. 2. veniſſe a Corinthiis literas ad Paulum per *Apollo, Stephanam, Fortunatum* & *Achaicum.* Eam vero hinc adſtrui non poſſe evincit *Jac. Lenfant* in Bibliotheca Selecta Clerici Tom. XXI. Part. I. pag. 99. Majore veri ſpecie *Tillemontius* in Memoriis Hiſt. Eccleſ. Tom. I. pag. 270. ſuſpicatur, Apollo, Corintho, forte propter diſſenſiones ibi ingraveſcentes relicta, ad Paulum divertiſſe.

Verſ. 13. ϛήκετε ἐν τῇ πίϛει) Phraſin hanc illuſtrat *Frider. Spanhemius* Tomo II. Operum p. 927.

Verſ. 15. Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, οἴδατε τὴν οἰκίαν) Verba οἴδατε uſque ad illa: ἔταξαν ἑαυτȣ̀ς, per parentheſin a reliquis ſeparari vult Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* in commentatione egregia de Solœciſmis Diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 8. ut ſcilicet verba prima: παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, cum v. 16. ἵνα ϰ̀ ὑμεῖς ὑποτάσσησθε rectius cohæreant. Mihi quidem illa opus eſſe non videtur, modo verbum οἴδατε recte accipiatur. Id enim non *indicandi,* ſed *imperandi* ſignificatum hic tuetur. Non verterim: *noſtis,* ſed, *agnoſcite,* i. e. *honorate, ſuſpicite familiam Stephanæ.* Conſtat, verba, *ſcientiam* inferentia, prægnantia & emphatica eſſe in linguis omnibus, ſpeciatim vero *Hebræa,* in qua verbum ידע frequentiſſime de cognitione, cum affectu & cultu conjuncta, adhibetur. Illi vero τὸ εἰδέναι & γινώσκειν apud Græcos reſpondet. Lege huc Cl. *Stephani Soucieti* Recueil de diſſertations Critiques p. 430. ſqq. qui p. 434. hanc loci noſtri interpretationem amplexus eſt. Apoſtolus familiam Stephanæ in pretio haberi vult ob egregia illius in Eccleſiam merita. Expoſitionem firmat verbum ἐπιγινώσκετε v. 18. i. e. *agnoſcite, magni facite.* Hoc modo verbum παρακαλῶ commodiſſime jungitur adhortationi ipſi: οἴδατε τὴν οἰκίαν. Ita loqui amat Paulus, v. c. 1 *Cor.* IV. 16. παρακαλῶ ȣ̃ν ὑμᾶς, μιμηταί μȣ γίνεσθε. Proinde nec neceſſe eſt, ut verba παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς referamus ad v. 16. quod *Clericum* & *Beauſobrium* in verſionibus ſuis N. T. Gallicis feciſſe video.

Στεφανᾶ) Vide ſupra ad I. 16. De forma nominis ad *Rom.* XVI. 14.

ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας) Vide ad *Rom.* XVI. 5.

ϰ̀ εἰς διακονίαν τοῖς ἁγίοις ἔταξαν ἑαυτȣ̀ς) *in miniſterium Sanctûs ſe addixerunt,* ut *Beza* recte vertit. Eadem phraſi aliquoties utitur *Xenophon* p. 542. & 590. & alii, quorum loca lege apud *Raphelium* & *Elsnerum.* Prior eorum commode obſervat, Dativum ἁγίοις non ad verbum ἔταξαν, ſed ad nomen διακονίαν referendum, cum nomina interdum caſum verborum ſuorum ad-

adſciſcant. Poſterior monet, διακονίαν de inopia Sanctorum, opibus ſublevanda, eſſe accipiendam. Conf. 2 *Cor.* IX. 1. 13.

Verſ. 17. Φουρτουνάτου καὶ Ἀχαϊκοῦ) Vide ad v. 12. *Fortunati* in epiſtola Clementis Romani ad Corinthios mentio fit inter eos, qui eam perferunt. Hunc cum Fortunato Pauli eundem ſtatuit *Henr. Dodwellus* in Additionibus ad Pearſoni opera poſthuma pag. 221. & poſt eum *Guil. Wakæus* ad epiſtolas Patrum Apoſtolicorum genuinas, Anglice Londini 1693. editas. Uterque ex eo conjiciunt, Fortunatum a Corinthiis Romam miſſum, ut Paulum de Eccleſiæ ſuæ ſtatu certiorem faceret; Paulo autem interim e vivis per Neronem ſublato, Clementem, Eccleſiæ Romanæ nomine, Corinthiis hac epiſtola reſpondiſſe. Confer Acta Eruditorum Lipſienſia Latina Tom. II. Supplementorum p. 504. Veriſimilis hæc conjectura videtur B. *Ittigio* in Diſſertat. de Patribus Apoſtolicis, Bibliothecæ PP. Apoſtolicorum præmiſſa p. 241.

Verſ. 18. Ἀνέπαυσαν γὰρ τὸ ἐμὸν πνεῦμα) Ἀναπαύειν infert *animi refectionem*, variis calamitatibus, periculis & inopia depreſſi. Vide *Pearſoni* Vindicias Ignatianas Parte II. & *Amelium* Part. I. p. 110.

ἐπιγινώσκετε οὖν τοὺς τοιούτους) de verbi hujus efficacia lege *Eraſmum Schmidium* ad 2 *Cor.* XII. 13. Hoc loco omnino amorem, ſtudium & cultum infert. Alias etiam *ſalutationem*, quæ tamen hic locum non habet, ſignificare oſtendit *Henr. Valeſius* ad Euſebium p. 68. & 220.

Verſ. 19. Ἀσπάζονται ὑμᾶς Ἀκύλας καὶ Πρίσκιλλα) Vide ad *Act.* XVIII. 2. & 18.

σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ) Vide ſupra ad *Rom.* XVI. 5.

Verſ. 20. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ) Diximus de hac phraſi ad *Rom.* XVI. 16. Ad h. l. *Lamb. Bos* p. 152. obſervat, *Heliodorum* X. 27. & *Lucianum* in Pſeudomant. p. 771. dicere ἀσπάζεσθαι φιλήματι. Adde *Amelium* Parte I. p. 48. ſqq. Cl. *D. W. Trillerus* in notis MSS. ita: τὸ ἐν h. l. & aliis plurimis παρέλκειν putat *Pet. Moll* in Obſervatt. ad *Longi* Paſtoralia lib. II. p. 47. Mihi vero non videtur ſuperfluum, ſed potius emphaticum.

Verſ. 22. Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα, μαρὰν ἀθά) Hoc comma, & inprimis ultima ejus verba commentando perſecuti ſunt, ex noſtratibus, *Jo. Rennerus*, & *Elias Weihenmaierus* ſingularibus diſſertationibus, quæ recuſæ exſtant in Theſauro Theol. Philol. Tom. II. p. 582. & 578. His acceſſit *Henr. Matthæi de Broke* Schediaſma de Anathemate Paulino Jenæ, 4. ſine anno. Præter hos legantur *Jo. Mich. Dilherrus* Tom. I. Diſſertationum pag. 309. *Laur. Fabricius* in Reliquiis Syris apud Crenium p. 304. Analectorum, *Pfeiferus* in Locis Exoticis N. T. p. 501. Operum, *Cheitomæus* de Vocibus Græco-Barbaris, *Amelius* Tomo II. der Erörterung pag. 462. & 503. *Theophilus Alethæus* Tom. II. der Erläuterung p. 22. ſqq. *Jo. Reinhardus Rus* in diſput. de Uſu Linguæ Syriacæ in N. T. pag. 56. ſqq. Rev. *Jo. Henr. Michaelis* in Diſput. de textu Græco N. T. pag. 33. ſqq. & auctores des Freywilligen Heb-Opfers Tom. III. pag. 592. Ex Pontificiis *Pet. Poſſinus* in Spicileg. p. 12. *Jo. Ludov.*

Ludov. de la Cerda in Adverſariis p. 118. & *Angelus Caninius* in locis N. T. Hebr. c. 6. Ex Reformatis *Alex. Morus* in Notis pag. 135. *Suicerus* Tomo I. Theſauri p. 268. & 604. *Sam. Bochartus* Tom. II. Opp. p. 665. & copioſe p 1038. *Herm. Witſius* in Miſcellaneis Tom. II. pag. 65. & *Jo. Marckius* in Sylloge Diſſertationum, Exercit. XXIII. Ex Anglis *Gatakerus* in Cinno p. 83. *Jo. Seldenus* de Jure Naturæ & Gentium p. 544. & *Jo. Lightfootus* tum in ſingulari diſſertatione, tum in Harmonia N. T. Tomo I. Opp. p. 305.

Ει τις ȣ̓ φιλεῖ) Per *λιτότητα* hoc ita dici, ut ſenſus ſit, *qui Chriſtum odit, & averſatur*, exiſtimat *Gatakerus* & cum eo *Amelius* l. c. *Alex. Morus* l. c. idem eſſe vult *τὸ φιλεῖν*, quod adorare, phraſi ex Pſalmo II. petita, & ex ritu, quo veteres manum oſculari, eamque adverſus illum, quem adorabant, protendere ſolebant. *Hoſ.* XIII. 2. & *Jobi* XXX. 26. Hunc morem ex Gentium quoque monumentis teſtatum fecerunt complures, ab *Amelio* Tom. II. p. 464. in notis laudati. Scilicet antecedit hic *φίλημα ἅγιον*, cui Paulus opponit, *Mori* judicio, *τὸ φιλεῖν τὸν Κυρίον*.

Μαρὰν ἀθὰ) B. *Lutherus* in verſione expreſſit *Maharam mota*, Hebr. מחרם מותא i. e. *maledictus ad mortem*. Sequuntur eum & *Danica*, & *Anglica* verſio vetus, obſervante *Seldeno* l. c. p. 564. Eſt autem omnino phraſis Syriaca, quæ ſignificat: *Dominus venit*. Ea reſpicitur ad adventum Domini, cum judicio univerſali conjunctum, quem Paulus h. l. impios exſpectare & timere jubet.

Πρὸς Κορινθίȣς ἐγράφη πρώτη ἀπὸ Φιλίππων διὰ Στεφανᾶ, κ. τ. λ.) Subleſta eſt hujus Subſcriptionis fides, tanquam ab Apoſtolo ipſo non profectæ. Ideo nonnulli Codices, eique antiquiſſimi & optimæ notæ, prorſus omittunt. Alii quædam ejus non habent, v. c. nomina eorum, per quos miſſa hic dicitur. Alii mutant nonnulla, inter quæ hoc præcipuum eſt, quando pro *Philippis* nomen *Epheſi* collocatur. Ita habet Codex *Seidelianus* & *Coptica* verſio. *Philippis* certe mitti non potuit, cum Paulus in Macedoniam ſe inpoſterum profecturum, *Epheſi* autem, ubi ſcilicet hæc ſcribebat, adhuc commoraturum teſtetur v. 5. & 8. Omitto cetera, quæ ab alio, nominatim *Millio* ad h. l. & in Prolegomenis §. 11. tum vero M. *Jo. Chriſtiano Herzogio* in Diſput. de Subſcriptionibus Paulinis §. 12. ſunt obſervata. Ceterum *τὸ ἐγράφη* h. l. æque ac in ſubſcriptione epiſtolæ ad Romanos de *miſſione* epiſtolæ ſcriptæ accipiendum eſt, quo ſenſu *Polybium* V. 38. *γράψαντα ἐπιςολὴν* dicere monuit Cl. *Georg. Guil. Kirchmaierus* in Parallelismo dictionis N. T. & Polybii pag. 46.

IN II. EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

HÆc epiſtola eodem, quo prior illa, nempe A. C. LVII. paucis menſibus interjectis, ſcripta plerisque videtur, nominatim *Jo. Pearſonio*, in Annalibus Paulinis, *Jo. Millio* in Prolegomenis ad N. T. §. 12. *Jo. Clerico*, *Jo. Lockio*, & ex noſtratibus, ut plures taceam, præſtantiſſimo *Jo. Alberto Fabricio* in Biblioth. Græca Vol. IV. p. 154. Iisdem Cl. *Jo. Chriſtoph. Harenbergius* calculum ſuum adjecerat in Biblioth. Bremenſi Claſſe VI. p. 630. ſqq. re vero amplius expenſa, tempus ſcriptionis in A. C. LV. referendum judicat ibidem Claſſe VII. p. 889. ſqq. Impeditior eſt hæc diſputatio, quam ut in eam h. l. ingredi poſſimus. B. *Sandhagenius* integrum inter ſcriptionem hujus & prioris epiſtolæ biennium interjectum eſſe ſtatuit. Nobis in receptiore ſententia acquieſcere placet. Comparetur interim *Guil. Cave* in Vita Pauli Sect. V. num. I.

Præcipuum Pauli inſtitutum eſt, ut Corinthiis, ad frugem reverſis, ſuum teſtetur affectum, & ſalutarem doctrinam tuendam efficaciter commendet. Ita ſtatuit *Lutherus*, & cum eo *Aug. Herm. Franckius* in Introductione ad lectionem Scripturæ Sacræ §. 15. *Lockius* in commentario obſervat, Apoſtolum ex ſpe præclara, de Corinthiis, Tito interprete, concepta, majori παῤῥησίᾳ in prædicandis ſuis in Eccleſiam meritis uti, contra vero eosdem a ſtudio, quo in falſum aliquem doctorem antea ferebantur, avocare.

Interpretes ab illis videbis laudatos, quos in limine ad epiſtolam priorem excitavimus.

CAP. I.

VErſ. 1. Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς) Timotheus itaque Paulo, hæc ſcribenti, aderat, ſive inde a prioris ſcriptione perpetuo ipſius lateri hæſerit, ſive, quod nonnullis ex 1 *Cor.* IV. 17. & *Act.* XIX. 22. recte veri viſum eſt ſimile, Corintho, quo miſſus erat ab Apoſtolo, fuerit reverſus. *Fratris* eum nomine appellat, forte ideo, quæ *Lockii* conjectura eſt, ut eo majorem ipſi, viro juveni, apud Corinthios auctoritatem conciliaret.

τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαΐᾳ) *Victorinus Strigelius* in ὑπομνήμασι ad h. l. *Peloponneſum* per *Achaiam* intelligit, loco *Polybii* lib. II. c. 38. adductus. Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 480.

Verſ. 2. πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ) Hæc, ab *Ambroſio* & *Pelag.* omiſſa, ex aliis epiſtolis hic irrepſiſſe perperam ſuſpicatur *Millius* in Prolegomenis §. 469. recte repugnante *Whitbio* p. 65. Videntur illi quidem hæc omiſiſſe,

ſiſſe, tanquam formulam, per ſe ſatis notam. Et nonne vel ſequens comma, ubi idem elogium repetitur, Paulo id ſatis vindicat?

Verſ. 3. Ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν) Hebr. אבי רחמים, *pater miſericordiarum*, quo ſenſu Deus Pater appellatur, ſive, quod ſit pater *ſumme miſericors*, ſive, quod omnis *miſericordiæ fons* ſit & *auctor*. Lege *Hackſpanii* Syllogen Diſputt. Theologic. & Philolog. p. 380.

Καὶ Θεὸς πάσης παρακλήσεως) Talem ſe Pater præſtat, dum fundamentum παρακλήσεως in Jeſu Chriſto ponit, dum illum, ut mediatorem, παράκλητον nobis conſtituit, & Spiritum Sanctum ut παράκλητον, qui meritum Chriſti nobis applicat, largitur. Hæc ſunt cogitata B. *Godofr. Olearii* in Prælection. MSS.

Verſ. 4. Ὁ παρακαλῶν ἡμᾶς ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει) Vocem πάσῃ hic expungi vult auctor Anglus epiſtolarum binarum, de editione N. T. quam celeberr. *Bentlejus* olim molitus eſt, Lond. 1721. editarum, p. 22. Rationem audaciſſimæ conjecturæ hanc affert leviſſimam, quod & illi conſolandi ſint, *qui ex una ſola parte ſint miſerabiles*. Neque enim hoc negat phraſis illa, ſed potius efficaciter infert, quod, quæcunque demum calamitas incumbat, aut quantacunque ſit, ſive unica, ſive ex pluribus quaſi conflata, talis tamen non ſit, cui ſolatium divinum afferri non poſſit. Id vero ſuo Apoſtolus exemplo didicerat, quod profitetur v. 8. Sic infra VII. 4. ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν & 1 *Theſſ.* III. 7. Hoc fine idem Deum appellaverat πατέρα οἰκτιρμῶν in plurium numero, tanquam qui ſufficeret ſolatium cuique calamitati levandæ idoneum. Taceo, Paulum, qui de ſe nominatim loquitur, non uni ſed pluribus anguſtiis expoſitum fuiſſe.

Verſ. 6. Εἴτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, καὶ σωτηρίας --- εἴτε παρακαλούμεθα -- καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν) Plerique Interpretes hæc ita accipiunt, ut verbis εἴτε δὲ θλιβόμεθα, εἴτε παρακαλούμεθα, inſtar protaſeos, reſpondeant ſequentia: ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, inſtar apodoſeos, per ellipſin juvandæ, hoc ſenſu: *ſive affligimur; pro veſtri conſolatione* affligimur &c. Alii vero malunt priora illa uſque ad verba: καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν, pro protaſi habere, ad quam loco apodoſeos ultima iſta verba ſpectent. Senſus ſic foret: *Sive premimur, ſive conſolationem percipimus propter veſtri conſolationem; ſpes noſtra firma eſt de vobis.* Ita *Vulgatus*, & ex recentioribus *Hombergius* in Parergis p. 265. ante vero illum *Jac. Lydius* in Florum Sparſione ad Paſſionem Jeſu Chriſti p. 52. qui hoc fine τὸ καὶ hic non pro conjunctione copulativa *&* haberi vult, ſed pro particula, quam Latine per *vel ſic* expreſſeris. Vide eum plura hanc in rem, allatis locis ſimilibus, promentem. Non diffiteor, & mihi hæc placere. De varietatibus Codicum in hoc commate lege *Millium*, nullam earum rationem habendam eſſe recte cenſentem.

Verſ. 7. Εἰδότες) Scribendum hic videri poterat εἰδότων, eo quod ſic phraſi ἐλπὶς ἡμῶν, proxime antecedenti, rectius reſpondeat. Cave tamen, quicquam mutes, aut σολοικόν τι hic occurrere exiſtimes. Nam & caſtiſſimi Græciæ Scriptores hanc ſtructuram non ſunt averſati. Exempla lege in *Eraſmi*

Schmi-

Schmidii notis ad *Matth.* X. 14. *Raphelii* Annotationibus Herodoteis p. 485. & *Jo. Conr. Schwarzii* commentatione de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 87. Hic vero p. 88. ſtructuræ etiam ita conſuli poſſe cenſet, ſi verba καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν per parentheſeos notam a reliquis ſeparentur, id quod Grotio quoque video placuiſſe. Si eam, quam amplexus modo ſum, commatis 6. interpretationem teneamus, parentheſis illa locum habere non poteſt. Nec vel eam, vel veterum loca, τὸ σολοικοφανὲς amolitura, advocare neceſſe fuerit, cum τὸ εἰδότες ad verba præcipua θλιβόμεθα & παρακαλούμεθα, ſalva ſtructura Grammatica, referri queat.

Verſ. 8. Ου γὰρ θέλομεν ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, ὑπερ τῆς θλίψεως) Vide, quæ ſcripſimus ad *Actor.* XIX. 23.

Καθ' ὑπερβολὴν ἐβαρήθημεν ὑπὲρ δύναμιν) Emphaticam hanc dictionem ab hyperboles vitioſæ ſuſpicione liberat *A. Blackwall* in Sacred Claſſicks Vol. II. pag. 62. allatis ſimilibus *Ciceronis* ep. I. 8. pag. 16. edit. Græviànæ & *Valerii Maximi* IV. 8. locis. *Proni ſtudii certius indicium eſt, ſupra vires niti, quam viribus ex facili uti: alter enim, quod poteſt, præſtat; alter etiam plus, quam poteſt.*

Ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν) Accipe *Jac. Lydii* verba ex Agoniſticis ejus Sacris p. 84. *Ἐξαπορεῖσθαι eſt prorſus animo concidere, & ſpem omnem abjicere.* Conf. infra IV. 8.

Verſ. 9. Ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς) Ἀλλὰ eſt *imo, quod plus valet.* Vide nos ad *Joh.* XVI. 2. Alteram phraſin pleniorem habes ſupra *Rom.* VIII. 23. ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς, de qua lege *Pet. Zornii* Bibliothec. Antiquario-Exegeticam p. 1146.

Τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν) *Hombergius* pag. 266. Parergorum verti vult per *ſententiam*, qua *vitam ſibi* Apoſtolus *abjudicarit.* Provocat ad *Ariſtotelem* Politicorum p. 676. ἀποκρίνοντα αὐτὸν τῆς νίκης eum dicentem, qui ſibi ipſi vitam abjudicarit. At ille locus advocari huc forte poterat, ſi Paulus ἀπόκριμα τῆς ζωῆς ſcripſiſſet. Rectius *Knatchbullus* de *ſententia mortis*, quam ſibi ipſi, in maximis ſcilicet vitæ periculis conſtituto, dixerit. Ita *Heſychius* ἀπόκριμα per κατάκριμα, & ψῆφον interpretatur. Conſentiunt Patres apud *Suicerum* Tom. I. p. 455. & Interpres Græco-Barbarus, qui habet ἀπόφασιν θανάτου. Longius abit *Dan. Heinſius* in Exercitatt. Sacris pag. 420. de occulto Spiritus S. reſponſo cogitans, quo confirmatus ſit Paulus, *fore, ne moreretur, licet mors ante oculos jam eſſet, quale* ἀπόκριμα *Actor.* XXVII. 24. accepiſſe dicatur. Jungit ſe illi *Carol. le Cene* in Projet d'une nouvelle verſion p. 611. ita vertens: *mais nous avions eu nous mêmes une caution de mort.* Fraudi illis fuiſſe videtur particula ἀλλὰ, quam pro *adverſativa* habuerunt, cum *exaggerandi* potius notionem h. l. præ ſe ferat. Reſponſum illud divinum de vita tuenda admitti non poteſt ex eo, quod Paulus ſpem vitæ omnem ſe abjeciſſe v. 8. & in Deo omnem collocaſſe v. 9. teſtatur. *Martianæus* in Eſſais pag. 346. rem acu tetigit hanc

hanc interpretationem afferens: *nous ſommes vûs menacéz de la mort de tous cotez, lorsque nous avons reflechis ſur notre état.*

Verſ. 10. Ὅς ἐκ τηλικούτου θανάτου ἐῤῥύσατο ἡμᾶς) *qui ex tanto mortis periculo nos eripuit.* Hoc enim ſenſu θάνατος etiam externis Scriptoribus uſurpatur. Ita *Lucianus* Pſeudomant. p. 774. ἐῤῥύσατο τοῦ θανάτου τὸν ἄνθρωπον, & alii, quorum loca affert Cl. *Alberti* p. 358.

Καὶ ῥύεται) Deeſt nonnullis Codicibus, ideoque pro ſcholio habetur a *Millio*, recte diſſentiente *Whitbio* p. 65. Apoſtolus, ſingularem ſuam fiduciam in Deum teſtaturus, nullam temporis notam omittendam cenſuit, ut non dicam, ipſum alibi profiteri, ſe *quotidie mori*, & κινδυνεύειν πᾶσαν ὥραν 1. *Cor.* XV. 30. 31.

Verſ. 11. Ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν) Phraſis ἐκ πολλῶν προσώπων vix ſine ratione Hebraiſmi habita explicari poteſt. Apud Hebræos ſcilicet vox פנים nunc *reſpectum*, nunc *perſonam* denotat. Priorem ſignificatum locum hic habere cenſent *Grotius* & *Hammondus*, ut ſic *beneficium pluribus reſpectibus*, ſeu in diverſos fines & commoda collatum innuatur. Idem viſum eſt *Reizio* in verſione ſua, *Hedingero* item & *Zeltnero* in notis ad verſionem Lutheri Germanicam. Alii *perſonas* indicari putant, ut idem ſit, quod a *multis*, Hebraice מפני רבים Ita B. *Lutherus* noſter, *Clericus* item & *Starckius* in Notis Selectis p. 132. quem inprimis conſuli velim. Recte enim cum eo totam ſententiam ita expreſſeris: *ut a multis beneficium, nobis collatum, multis gratiis pro nobis agnoſcatur.* Ex quo intelligitur, τὸ διὰ πολλῶν non ad homines gratias agentes, ſed ad gratias, quæ agantur, voce in verbo εὐχαριστηθῇ latente, referendum eſſe. Sic *Hebr.* XIII. 22. διὰ βραχέων idem eſt, quod *paucis* verbis. Vocem πρόσωπον pro *perſona*, quam Latini *nomen* dicunt, *Euſebius* adhibuit in Hiſt. Eccleſ. lib. III. cap. 38. καὶ τοῦ Κλήμεντος ἐν τῇ ἀνωμολογουμένῃ (ἐπιστολῇ) παρὰ πᾶσιν, ἣν ἐκ προσώπου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας τῇ Κορινθίων διετυπώσατο. Conf. idem lib. IV. c. 15. Loca hæc debeo Rev. *Raphelio* in Semicenturia Annotationum, quæ Annotationibus ejus Herodoteis denuo ſubjuncta eſt, p. 695. Spectat quoque huc locus *Joſephi* Antiquitt. XVII. 73. pag. 803. κἂν τῷ προσώπῳ δυστυχεῖν ᾤετο, *& in hoc homine, hac perſona a ſe induto, infelix ſibi eſſe videbatur.* Eum ad præſentis loci illuſtrationem affert eruditiſſimus *Jo. Conradus Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 70.

Verſ. 12. Τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως ἡμῶν) De commodis tranquillæ conſcientiæ profani Scriptores multa, quorum nonnulla leges apud Picinellum pag. 700. Luminum Reflex.

Ἐν ἁπλότητι) *in ſinceritate.* Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 436. qui & de εἰλικρινεία p. 1029. ex Patribus commentatur.

Οὐκ ἐν σοφίᾳ σαρκικῇ) Vide *Eraſmum* Tomo IX. Operum p. 1458. C. & *Suicerum* Tom. II. p. 987.

Verſ. 13. Ἀλλ' ἢ ἃ ἀναγινώσκετε, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε) *Wilh. Wall*, eruditus Anglus, in Notis Criticis in N. T. pag. 208. legendum fere ſuſpicatur: ἀλλ' ἢ ἃ

 ἀνα-

ἀναγινώσκοντες ἐπιγινώσκετε. h. e. *niſi ea, quæ, ubi legeritis, facile probaveritis.* At deſeritur ab omnibus codicibus, in quibus tamen aliæ exſtant varietates, ſed tales, quæ nec hanc fulciunt, nec vel ſpeciem veritatis habent. Et receptæ lectioni ſenſus omnino conſtat, modo verbum *ἀναγινώσκετε* recte accipiatur. Id enim ad *lectionem Scripturæ Sacræ* ſpeciatim eſt referendum. De ea vero *τὸ ἀναγινώσκειν* ſimpliciter dici, conſtat ex *Matth.* XII. 3. XXI. 42. &c. Conf. infra III. 15. Senſus eſt: *Nihil ſcribimus vobis, quod non legatis,* vel legere poſſitis, in ſcriptis ſcilicet Moſis & Prophetarum, quorum oraculis omnia mea ſunt conformia. Lege, quæ Paulus profitetur *Act.* XXVI. 22. Rectiſſime hoc obſervavit Cl. *Oederus* in Miſcellaneis Lipſienſ. Tom. XII. p. 123. Ita demum conſtat, cur hoc ipſum Paulus afferat ad teſtandam ſinceritatem & integritatem Deo placentem. Contra vero diluta vel ſaltem in phraſi non latentia mihi videntur, quæ alii afferunt, v. c. Paulum hoc ſibi velle, ſe nihil aliud ſcribere ab ipſis legendum, quam quod vere & ex animo ſentiat. Non magis probem eos, qui *τὸ ἀναγινώσκειν* non de *lectione*, ſed *cognitione* ſeu *agnitione* interpretandum putant. *Heſychius*, fateor, *τὸ ἀνέγνω* explicat per *ἐπέγνω*, nec deſunt *Homeri* & *Ariſtophanis* loca, quæ hanc ſignificationem tuentur. Attulit ea Cl. *Jo. Alberti* in Periculo Critico p. 61. ſed prudenter ibidem monuit, ad hunc locum adhiberi hanc notionem non poſſe, quam nunquam in N. T. & vix apud alios proſæ Scriptores inveneris. Addiderim, ſi vel maxime inveniatur, hinc tamen eam vel ideo exſulare debere, quod alioquin *τὸ ἐπιγινώσκειν*, a Paulo additum, ſuperfluum foret. Hoc enim *agnitionem* ejuſmodi infert ut *Actor.* XII. 14.

Verſ. 15. *Καὶ ταύτῃ τῇ πεποιθήσει ἐβουλόμην πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν πρότερον*) Id ſcilicet promiſerat Paulus Corinthiis ſupra XVI. 5. ita tamen, ut prius in Macedoniam iter deſtinaret, quod, ne pugnare cum v. 16. exiſtimetur, tenendum eſt, videri Paulum Corinthiis reditum ſuum ab Epheſiis, ante profectionem in Macedoniam, ore præſentem promiſiſſe, deinde vero, mutato certis de cauſis conſilio, alteram illam viam elegiſſe.

Ἵνα δευτέραν χάριν ἔχητε) *gratiam* hanc, ſeu *beneficium alterum* plerique Interpretes de Paulo accipiunt, qui Corinthios ſecundo ſuo adventu recreaturus erat. Alii de gratia Dei, ipſis hoc modo conceſſa, interpretantur, interque eos *Zeltnerus* in notis ad h. l. Malim ego prius, cum Paulus in eo ſit, ut ſuum in eos ſtudium & prolixam voluntatem teſtatam faciat. Interim per ſe patet, divinam gratiam & Pauli beneficium in hoc negotio conjuncta fuiſſe.

Verſ. 17. *Ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ;*) Pertinent hæc ad objectionem, quam Paulus ſibi ipſe facit, ex mente ſcilicet eorum, qui animi quandam levitatem hic videre ſibi videbantur. Codex *Bezæ* & *Vulg.* ſimpliciter hic legunt *τὸ ναὶ, καὶ τὸ οὒ* ſine geminatione, ex interpolatione, inde nata, quod apud *Matthæum* & *Jacobum τὸ ναὶ, ναὶ* & *τὸ οὒ, οὒ* firmum propoſitum aliquid præſtandi innuit. Quæ ſignificatio cum in hunc locum non cadat, mutationem hanc ſuſcipere immature quidam ſtatuerunt. Diſſentiunt Codices ceteri omnes, &

ver-

verſiones, inter quas *Vulgata* genuina, teſte Millio, olim aliter, ac hodie, habuit, quemadmodum & *Grotius* humani aliquid paſſus eſt, quando Syrum pro ſimplici lectione τȣ̃ ναὶ & τȣ̃ ȣ̉, a ſe approbata, affert. Senſus eſt: *num præterea levitatis poſtulari poſſum, quaſi talis ſim, qui nunc ajat, nunc neget*: **daß ich bald Ja, bald Nein ſagen ſolte.** Ejusmodi homines, teſte *Feſto*, dicuntur *nauci*, ex Græcis ναὶ & ȣ̉χὶ, quod commode obſervavit *Grotius*. Phraſin hanc Judæorum quoque Magiſtris receptam fuiſſe, apparet ex *Bava Mezia* f.48.2. ubi R. Joſe fil. R. Judæ quæſiviſſe fertur: quorſum ita notanter dicendum fuerit *Levit*. XIX. 36. הין *Hin juſtitiæ*, & annon *Hin* jam comprehenderetur ſub genere *Epha juſtitiæ? Scilicet* (ita reſpondetur) *id ideo factum eſt, quaſi diceret tibi, quod vocula* הן *affirmantis aliquid*, ſive etiam, ita eſt, *ſi eam eloquaris, ſit juſtitia. Hoc eſt, cum dicis* etiam, *vel* non, *præſta verba tua, & juſtifica ea. Dixit Abai*: *Hoc ipſum eſt, quod nemo debeat loqui unum ore, & alterum corde.* Indicavit locum hunc B. *Balthaſar Scheidius* in Præteritis Præteritorum ἀνεκδότοις, quorum ſpecimen habes in Biblioth. Lubecenſi Vol. II. p. 182. Apoſtoli mentem nervoſe mihi expreſſiſſe *Millius* videtur his verbis: *Quod deſtinatum ad vos iter diſtulerim ultra, quam promiſiſſem, an idcirco me aliud tunc pollicitum putatis, quam haberem in animo? aut, cum hoc ſancte ſerioque primum apud animum ſtatuerim, mutatum (quomodo fere rationes hominum carnalium) conſilium meum commodi privati cauſa: ita ut aliud atque aliud, prout e re fuerit, agitem; jam in hanc ſententiam ferar, mox, ſiquidem interſit, in aliam eamque plane contrariam.*

Verſ. 18. Πιςὸς δὲ ὁ Θεὸς) Vide *Sviceri* Theſaurum Tom. II. p. 740.

Verſ. 19. Ὁ γὰρ τȣ̃ Θεȣ̃ υἱὸς Ἰησȣ̃ς Χριςὸς, ὁ ἐν ὑμῖν δι' ἡμῶν κηρυχθεὶς) Candorem ſuum, quem in vita & moribus probarit, Apoſtolus ex fide & integritate, cum qua in præconio Evangelii verſatus ſit, demonſtrat, variis argumentis & indiciis allatis.

Σιλȣανȣ̃) *Grotius* in Appendice ad commentat. de Anti-Chriſto, Tom. III. Operum p. 478. ita: *Silvanus iſte idem eſt, qui Silas, levi flexu, ut Saulus, Paulus. Ita ſentiunt Hieronymus, & noſtro ævo Beza*, 1. *Theſſal*. V. 19. *Silas autem ille ex primis Chriſtianis fuit, Actor. XV.* 22. 1. *Pet. V.* 12. *Pauli fere ſemper comes* 2. *Cor. I.* 19. *Aut, ut credibile eſt, in epiſtolis deſcribendis ejus adjutor: nam aliena manu ſcriptas epiſtolas Paulus mittere ſolebat.* Lege in eandem ſententiam *Lud.Cappelli* Spicilegium pag. 97. & *Matth. Hilleri* Onomaſticon p.680. Nomen origine Hebræum viſum eſt perperam Hieronymo in Epiſt. ad Damaſum, *quando Silam* ait, *Collegam Pauli, lingua Hebræa Apoſtolum dici.* Cogitavit procul dubio doctor optimus de Hebræo שלח *miſit*, aut שלוח *miſſus.* At non magis rem acu tetigit, quam *Franc. Burmannus* Parte II. Exercitatt. p. 161. *Silam*, quaſi *Tertium* ex Hebræo שלוש dictum opinatus. Nomen *Silas* omnino Græcum eſt, per terminationem latina civitate donatum, ſicut *Amplias* eſt Ampliatus *Rom.* XVI. 8. ubi vide, quæ ſcripſimus. Frequens inter veteres eſt nomen. Ita *Ammianus* XXVIII. 4. p.531. *Silvani lavacrum*

commemorat. Lege ibi *Valeſium.* Epiſcopum hujus nominis Gazenſem Eccleſiaſtica antiquitas non ignorat. Vide *Valeſium* ad Euſebium p. 182. b. *Wetſteinius* de pronunciatione Græcæ linguæ p. 168. miratur, τὸ υ in ſcriptione Σιλϐαιȣ cum ι permutari, cum a voce ὕλη deſcendat. At recte ita ſcribitur, quemadmodum non *ſylvam*, ſed *ſilvam* ſcribere omnem antiquitatem *Aldus Manutius* in Orthographiæ ratione teſtatur.

Verſ. 20. Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεȣ̃) ſcilicet εἰσὶ, *quæ Dei exſtant promiſſiones.* Eandem ellipſin poſt vocem ὅσος obſervavit Rev. *Raphelius* in *Herodoto* lib. II. p. 101. ὅσα δὲ ἀνθρωπήια πρήγματα.

ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν) i. e. *mera & ſolida ſunt veritas absque fuci aut mendacii mixtura, quippe in ipſo certum & ampliſſimum conſequuta implementum, cui prudentes omnes adſtipulari convenit.* Ita *Vitringa* in commentario ad Jeſaiæ LXV. 16. Tom. II. p. 910. Confer *Pfeiferi* Loca exotica N. T. p. 502. Operum, *Guſſetii* commentarios Linguæ Hebrææ rad. אמן p. 76. M. *Chriſtoph. Wollii* commentationem de Parentheſi Sacra p. 76. & *Svicerum* Tom. I. Theſauri p. 228.

Verſ. 21. Ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς Θεός) ſcilicet ἐςὶ, pro Θεὸς βεβαιοῖ ἡμᾶς, ut infra V. 5. Ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τȣ̃το Θεός. Vide Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 485. qui nonnullis Herodoti exemplis oſtendit, iſtam verbi periphraſin per participium frequentem eſſe.

καὶ χρίσας ἡμᾶς Θεός) Hanc fidelium unctionem exponit *Jo. Marckius* in Exercitt. Textualibus num. XL. p. 392. & *Svicerus* Tom. II. Theſauri pag. 1534.

Verſ. 22. Ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς) Pertinent ad horum illuſtrationem notæ, quibus *victimæ, milites, ſervi* olim ſignari conſueverunt. Lege, quæ huc affert *Jo. Chriſtoph. Wendlerus* in Prodromo Biblioth. Biblicæ p. 241.

καὶ δȣ̀ς τὸν ἀῤῥαβῶνα τȣ̃ Πνεύματος) De Spiritu S. ut pignore fidelium, Patrum cogitata habes apud *Svicerum* Tom. I. Theſauri pag. 512. & *Petavium* de Trinitate VIII. 4. 6. ſqq. Tom. II. Dogmatum Theologic. p. 459.

Verſ. 23. Ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλȣ̃μαι ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχήν) *Deum teſtem advoco in animam meam* h. e. malum meum, ſi ſcilicet aliter res habeat. Voces ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν perſpicuum faciunt, quo ſenſu phraſis prior hic adhibeatur, quæ alias etiam de implorata Dei fide ſeu auxilio promiſſo adhiberi ſolet. Sic *Polybius* p. 874. ὑμεῖς δὲ τότε τȣ̀ς Θεȣ̀ς ἐπικαλέσεσθε μάρτυρας ὅτ' ἂν μήτε τῶν θεῶν βȣ́λησαι, μήτε τῶν ἀνθρώπων ἔτι δύνηται βοηθεῖν ὑμῖν μηδείς. Vide *Raphelium* p. 480. Annotatt. Polybianarum. Τὸ ἐπὶ commode hic per *contra* verti poteſt, quod alias ſignificare ſolet. Vide quæ ſcripſimus Vol. I. p. 54.

CAPVT

CAP. II.

VErſ. 1. Ἔκρινα δὲ ἐμαυτῷ τοῦτο) *Conſtitutum apud animum habebam*, non leviter aut obiter, & incerto, ſed deliberato prorſus conſilio. Conf. 1. *Cor.* II. 2. & *Tit.* III. 12. ex Parergis Hombergii p. 266. Loquitur Apoſtolus de priſtino ſuo propoſito, non ſtatim Epheſo Corinthum, ſed ex Macedonia demum, proficiſcendi, ut occaſionem ſcilicet nanciſcerentur ad frugem redeundi, atque adeo animadverſionem Pauli graviorem amoliendi. τὸ μὴ πάλιν ἐλθεῖν ἐν λύπῃ πρὸς ὑμᾶς, *non iterum cum triſtitia* (ex prava ſcilicet Corinthiorum conditione animo concepta, qualem in ſuperiore epiſtola teſtatus erat,) *ad vos venire*. Non putem, ſermonem eſſe de *triſtitia*, qua Paulus, ubi citius veniſſet, ex officio affecturus erat Corinthios prave affectos, ſed de eo animi mœrore, quem ipſe erat precepturus. Hinc v. 3. ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην ἔχω. Ceterum mœror Paulinus conjunctus erat futurus cum Corinthiorum illo, quo tendit phraſis v. 2. Ἐι γὰρ ἐγὼ λυπῶ ὑμᾶς. In alia abiit B. *Starckius* in Notis Selectis pag. 132. poſt *Eraſm. Schmidium*. Patet hinc, Paulum non leviter, ſed circumſpectis rationibus omnibus, in omni illa profectionis ſuæ cauſa eſſe verſatum. *Martianæum* a mente Pauli aberraſſe puto, quando hæc ita παραφράζει: *J' ay donc pris en moi même la reſolution, de ne plus vous écrire ſur des matieres, qui vous cauſent de la triſteſſe*. Nempe τὸ ἐλθεῖν ſenſu metaphorico ad ſcriptionem literarum refert, quod tamen orationis Paulinæ nexum prorſus diſſolveret.

Verſ. 2. Ἐι γὰρ ἐγὼ λυπῶ ὑμᾶς) Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem Lutheri vernaculam p. 199. ita hæc accipi vult: **wenn ich euch anders betrüben kan**, *ſi fieri poteſt, ut vos triſtitia afficiam*. Ita quoque olim *Er. Schmidius*. Rectius inſiſtimus verbis, prout jacent, hoc ſenſu: *Si enim vos triſtitia affecero*, nempe leviter, temere & inconſulto.

Verſ. 4. Ἐι δέ τις λελύπηκεν, οὐκ ἐμὲ λελύπηκεν, ἀλλ' ἀπὸ μέρους, ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ, πάντας ὑμᾶς) Duas hic video interpungendi rationes, quarum altera verbum ἐπιβαρῶ per comma a vocibus πάντας ὑμᾶς diſtinguit, altera, diſtinctione omiſſa, conjungit. Priorem ſecuti ſunt *Beza*, *Eraſmus Schmidius*, & *Steph. Curcellæus* in editionibus ſuis; poſteriorem pleræque ceterarum. Priores *Syrum* & *Arabem* præeuntes ſibi habent, quemadmodum a ſenſu vocum egregie fulciuntur. Hunc enim ita expreſſerim: *Si quis vero triſtitiam attulit, non mihi attulit, ſed ex parte, ut ne* (illum) *aggravem, vobis omnibus*. Teſtatur Apoſtolus, non ſe tantum, ſed & omnes in cœtu Corinthiorum triſtitia ex inceſtuoſi hominis ſcelere affectos eſſe, cujus culpam non aggravaturus aliqua eos triſtitia affectos dicit. Inſignis Paulini animi æquitas ex eo elucet, qui non tantum Corinthios, in priore epiſtola graviter & ex merito objurgatos, ſed & ipſum inceſtuoſum hominem, ad frugem quippe poſtliminio reverſum, leniter tractat. Ad inceſtuoſum illum hic reſpici v. 6. Ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ, evincit. Hanc interpretationem ex noſtratibus amplexus eſt B. *Calovius* in

in Bibliis Illuſtratis, ex ceteris autem *Hombergius* in Parergis p. 266. In altera expoſitione, quæ τὸ ἐπιβαρῶ cum πάντας ὑμᾶς conjungit, nihil eſt, quod reſpondeat phraſi ȣ̓κ ἐμέ.

Verſ. 6. Ἱκανὸν τῷ τοιȣ́τῳ) ſcilicet χρῆμα. Vide *Lamb. Bos* p. 226. de Ellipſi Græcæ linguæ. Ὁ τοιȣ͂τος eſt inceſtuoſus, de quo 1. *Cor.* V. cujus nomini ita Paulus parcit, ut nec ſcelus commemoret.

ἡ ἐπιτιμία ἄυτη) Scriptor quidam Karæus eam hebraice תוכחרת ברבים appellat. Vide *Triglandii* diſſertationem de Karæis p. 166.

τῶν πλειόνων) *Interpretes plerique* plures *interpretantur. Auguſtinus* multos *vertit, contra Parmenianum epiſt. lib. III. c. 2. Mihi videtur deſignari* τὸ Πρεσβυτέριον. *Joſephus lib.* I. *de Eſſenis:* τοῖς δὲ Πρεσβυτέροις ὑπακȣ́ειν καὶ τοῖς πλείοσιν ἐν καλῷ τίθενται. *Horum videtur fieri mentio in Canonibus antiquis, qui vocantur Apoſtolorum, cap.* XIV. *Inquirendum, an iidem ſint Actorum ultimo* v. 27. *Confirmari hoc videtur ex* v. 17. *ejusdem capitis.* Ita *Robertus Valeſius* in Epiſtolis Caſaubonianis, ab Almeloveenio editis, p. 670. Similiter *Grotius* ad h. l. de *caſtigatione illa accipit, quæ a Presbyterio fieri ſolcat more Judaico*, cum pœnæ Canonicæ vocentur ἐπιτιμίαι & ἐπιτίμια. Non video equidem, quomodo Presbyterium illud per πλείονας indicari potuerit, quod omnino ex *paucis* conſtabat. Rectius reſpicitur hic ad Eccleſiam Corinthiorum, quæ, ut ex pluribus conſtabat, ita in hominem illum recte animadverterat. *Joſephi* locus non probat, quod vir doctus voluit. Ibi enim τοῖς πρεσβυτέροις adjunguntur οἱ πλείονες; non vero illi per hos explicantur.

Verſ. 8. Διὸ παρακαλῶ ὑμᾶς κυρῶσαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην) *Ideo adhortor vos, ut amorem erga ipſum decernatis*, ut publico conſenſu ejus conciliatio rata ſit. Hanc enim vim habet vox κυρῶσαι apud *Herodotum* inprimis, cui τὸ κυρωθὲν & βεβȣλευμένον & δεδογμένον ſunt ἰσοδυναμȣ͂ντα lib. VIII. p. 546. Planum hoc fecit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 486. ſqq. qui recte hinc conficit, Paulum non clanculum tantum eum, qui communi decreto ex Eccleſia ejectus fuerat, ſed totius cœtus conſenſu, recipi & communi amore excipi voluiſſe. Adde ejusdem Annotationes Polybianas p. 481. Δείνωσιν verbi κυρȣ͂ν agnovit h. l. B. *Starkius* in Notis Selectis p. 133. ſed neque ſic ſatis eſt aſſecutus, quando hoc tantum innui cenſet, Corinthiorum in τὸν δεῖνα *charitatem pondus & auctoritatem habere debere.* Idem antea *Erasmus* in Paraphraſi ſtatuerat.

Verſ. 9. Εἰς τȣ͂το γὰρ καὶ ἔγραψα, ἵνα γνῶ) Interpretes omnes hæc ad priorem Pauli epiſtolam c. V. ſpectare cenſent; ſicut ſpeciatim Grotius τὸ ἔγραψα per ἐγραψάμην, *ſcripſeram*, interpretatur. Non inconvenienter illi quidem. Neque tamen errare mihi videor, ſi de præſente epiſtola hæc intelligam. Scribebat enim Paulus in emendati hominis gratiam, quem nunc quidem publica auctoritate non minus in Eccleſiam recipi, quam olim ex ea expelli, volebat. Dicto fuerant audientes Corinthii, atque nunc Paulus etiam in hoc momento obedientiæ eorum experimentum capere volebat.

Hoc

Hoc innuere mihi videtur phraſi illa: εἰ εἰς πάντα ὑπήκοοί ἐςε h. e. *ita intelligam, num ad omnia, quorum vobis auctor ſum, præſtanda parati ſitis.* Ne quis vero exiſtimet, aliena hæc eſſe a forma verbi ἔγραψα, legi velim, quæ ſupra ad 1. ep. V. 9. & 11. obſervata ſunt.

Verſ. 10. Δι' ὑμᾶς) ſcilicet κεχάρισμαι, *condonavi.* Vide *Raphelii* Semicenturiam Annotationum in N. T. in calce Annotatt. ex Herodoto, recuſam pag. 696.

Ἐν προσώπῳ Χριςȣ̃) *Chriſti loco,* **an Chriſti ſtatt**, ut B. *Lutherus* rectiſſime. Ita olim *Vulg. Vatablus*, *Eraſmus*, *Caſtalio*, & cum illis *Car. le Cene* in Projet d' une nouvelle Verſion p. 612. Paulus hic æque ad Chriſtum, cujus præconem & legatum agat, provocat, atque 1. *Cor.* V. 4. ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ hominem facinoroſum Satanæ tradebat. Ita accipit phraſin *Leonh. Tvvells* in Examine Critico N. T. Græco Anglicani, (ubi hæc ita ſunt converſa: *as Chriſt is vvitneſs*, cujus teſtis eſt Chriſtus) Part. I. p. 154.

Ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τȣ̃ Σατανᾶ) *Heinſius* in Exercitatt. Sacris ita hæc converterat: *ne Satanas violenter nos expugnet, ne victoriam de nobis reportet.* Recte hoc diſplicuit *Salmaſio* de Fœnore Trapezitico p. 171. *Nam & qui dolo,* inquit, *præripuerit hoſti ſua* πλεονεκτήματα, *non minus eum* πλεονεκτεῖν *dici poteſt. Et ita ſolet Satanas nos* πλεονεκτεῖν, *non vi ac violentia, ſed fraude ac dolo. Unde &* μεθοδεῖαι *diaboli apud Paulum in epiſt. ad Epheſ.* VI. Adde p. 183. ubi præter hæc obſervat, *expoſitioni illi repugnare, quod ſequitur:* ȣ̓ γὰρ ἀυτȣ̃ τὰ νοήματα ἀγνοȣ̃μεν. Non enim ejus cogitationes ignoramus. *Quæ* νοήματα *ad fraudem & circumventionem potius referenda ſunt, quam ad vim ac violentiam.* In eandem ſententiam pronunciat *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis p. 233. ſqq. quibus junges loca ab *Elsnero* allata pag. 136. Confer Patrum loca apud *Svicerum* Tomo II. p. 746.

Verſ. 11. Τὰ γὰρ ἀυτȣ̃ νοήματα ȣ̓κ ἀγνοȣ̃μεν) Elegans hic eſt παρονομασία, qua alias Paulum delectari aliquoties monuimus. Νοήματα hic ſunt *artes & inſidiæ callidæ*, id quod multis veterum locis evictum dederunt *Steph. Vitus* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. II. p. 438. ſqq. & Cl. *Jac. Elsnerus* in Obſſ. p. 137. *Chryſoſtomus* egregie per τὸ ποικίλον, τὸ δολερὸν, τὸ κακομήχανον, τὸ κακȣ̃ργον, τὸ ἐπὶ προσχήματι ἐυλαβείας ἐπηρεαςικὸν explicat.

Verſ. 13. Ἐξῆλθον εἰς Μακεδονίαν) i. e. exceſſi Troade, & profectus ſum in Macedoniam. Verbum unum poſitum eſt pro duobus. Plene legitur *Job.* IV. 43. Confer *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 235.

Verſ. 14. Τῷ δὲ Θεῷ χάρις τῷ πάντοτε θριαμβέυοντι ἡμᾶς ἐν τῷ Χριςῷ) Plerique τὸ θριαμβέυειν convertunt per *triumphum largiri*, ex Hebraiſmo, quemadmodum οἱ LXX. τὸ βασιλέυειν βασιλέα pro *conſtituere Regem* adhibent 1. Sam. IX. 22. & 2. *Regg.* III. 27. Lege inprimis *Gatakerum* de Stylo N. T. p. 50. Alii vero idem eſſe malunt, quod *in triumpho circumducere.* Id vero primario quidem de hoſtibus victis & deportatis tropæis dici conſuevit, quo

ſenſu

ſenſu Chriſtus dicitur θριαμβεῦσαι τὰς ἐξȣσίας *Coloſſ.* II. 14. Solebant vero *liberi & cognati* a victoribus in curru triumphali tanquam triumphi participes, duci Utroque ſenſu etiam hic Paulus & Apoſtoli reliqui a Deo ſive ut captivi Chriſti, & in miniſterio ſuo victores, ſive ut amici & domeſtici Chriſti, tanquam in triumpho ducti & gloriæ pleni repræſentari videntur. Ita ſtatuere video *Hier. Simonem Alphenium* in commentario belgico ad h. l. & poſt eum Cl. *Jac. Elsnerum* in Obſſ. Sacr. pag. 138. Et valde fallor, aut huc etiam reſpexit *Chryſoſtomus* in h. l. Καὶ γὰρ ἐνταῦθά ἐσμεν λαμπροὶ ἐκ τȣ́των καὶ περιφανεῖς· τοσȣ̃τον τοίνυν ἀπέχομεν τȣ̃ θρηνεῖν, ὅτι καὶ θρίαμβον τὸ πρᾶγμα καλȣ̃μεν, καὶ ἐγκαλλωπιζόμεθα τοῖς γινομένοις. Διὸ καὶ ἔλεγε, τῷ δὲ Θεῷ χάριςτῷ πάντοτε ἡμᾶς θριαμβεύοντι, τȣτέςι, τῷ πᾶσι ποιȣ̃ντι περιφανεῖς· - - διὸ ȣ̓κ εἶπε, τῷ καταδήλȣς ποιȣ̃ντι, ἀλλά, τῷ θριαμβεύοντι. δεικνὺς, ὅτι καὶ διωγμοὶ ἤτοι τρόπαια συνεχῆ κατὰ τȣ̃ διαβόλȣ πανταχȣ̃ τῆς γῆς ἀνιςῶσιν. Vides, Chryſoſtomo τὸ θριαμβεύειν idem eſſe, quod conſpicuum & illuſtrem facere omnibus, & quidem quaſi in triumpho, in quo tropæa oſtentari ſolebant ab hoſtibus reportata. Clarius idem exprimit *Theodoretus*: τῇ δὲ κἀκεῖσε περιάγει, δήλȣς ἡμᾶς ἅπασιν ἀποφαίνων. *Nos huc & illuc circumducit, omnibus faciens manifeſtos. Oecumenius* habet: τῷ φανερȣ̃ντι ἡμᾶς καὶ καταδήλȣς ποιȣ̃ντι.

Καὶ τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως ἀυτȣ̃ φανερȣ̃ντι) Et his verbis ad triumphos alludi putat *Alphenius* l.c. ideo quod illi *ſuffitu* ſuavibusque odoribus decorari conſueverint. Probat id Cl. *Elsnerus* l. c. Plutarchi loco ex Æmilio p. 272. teſtantis, plateas & ædes ſacras inprimis in his ſolemnibus θυμιαμάτων πλήρεις fuiſſe. *Hic odor*, quod idem addit, *hoſtibus devictis* erat ὀσμὴ θανάτȣ εἰς θάνατον, *quia poſtquam ducti in triumpho eſſent, morte afficiebantur, cum populo amico eſſet partæ vindicatæque ſalutis, vitæque argumentum, atque ita* ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωήν. Sat opportune hæc quidem admonentur. Mihi tamen hæc phraſis ex tabulis & ritibus V. T. rectius illuſtrari videtur, qua opera eos video eſſe defunctos, quos ad comma ſequens laudabo.

Verſ. 15. 16. Ὅτι Χριςȣ̃ εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις κ. τ. λ.) Spectant huc ex noſtratibus B. *Jo. Franc. Buddei* diſſertatio de fragrantia Chriſti Jenæ 1712. & *Mart. Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. pag. 265. ex ceteris *Ludov. Cappelli* Spicilegium p. 98 - 101. *Witſius* Tom. II. Miſcellan. Sacr. p. 45. *Cornel. Adami* Exercitatt. Exegetic. pag. 561. ſqq. & *Lamb. Bos* Exercitatt. Philolog. p. 153.

Verſ. 16. Οἷς μὲν ὀσμὴ θανάτȣ εἰς θάνατον) Phraſis Hebræis recepta, quam ex illorum ſcriptis illuſtrat *Cappellus* l. c. & *Balth. Scheidius* in Biblioth. Lubecenſi, Vol. II. p. 183.

Καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός;) In hac lectione Codd. Græci omnes, verſiones item, & Interpretes (ſi *Pelagium* & *Sedulium* excipias) conſentiunt. Una *Vulgata*, & paucæ Latinæ, aliæque eam ſequentes, vertunt: *& ad hæc quis tam idoneus*? Itaque *Vulgatus* viſus eſt in Græco ſuo addita particula

ȣ̃τως

ὄυτως *tam* legiſſe: τίς πρὸς ταῦτα ἱκανός; *Eraſmus* quidem prudenter ſuſpicatus eſt, particulam *tam* ex eo natam eſſe, quod ſcriptum olim fuerit *quiſnam: Eſtius* autem, quamvis Pontificius, eam abeſſe debere judicat. Viciſſim non defuerunt, qui eam non ex errore, ſed particula ὄυτως, tanquam in contextu olim obvia, profectam, & Paulo poſtliminio reſtituendam eſſe exiſtimarunt. In his ſunt *Jo. Millius*, majori, quam fas erat, opera in ea adſtruenda verſatus, in Prolegom. §. 469. & *Richard. Ellis*, Anglus, in Fortuitis Sacris ἀνωνύμως editis pag. 170. ſqq. Iisdem uterque argumentis utuntur, quamvis *Elliſius* pag. 471. teſtetur, *ſe, cum primum hæc conſideraret, neſciiſſe profecto*, Millium de iis diſſeruiſſe. Horum forte vel auctoritate, vel argumentis adduci ſe paſſus eſt recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, ut τὸ ὄυτως in contextum Græcum infartum in verſione quoque exprimeret: *and who is ſo ſufficient for ſuch a commiſſion?* Quæ audacia hoc major eſt, quod nec indicium additamenti hujus vel in ora libri, vel in varietatibus lectionum fecerit, ceu alias facere conſuevit. Adeo ipſi facinus ſuum præclarum & per ſe laudandum videbatur. Nec minor fuit *Millii* fiducia, ita §. 472. pronunciantis: *Et omnino recte ſe habebat exemplar Vulgati hoc loco, reclamantibus licet omnibus libris poſteriorum temporum.* Audiamus viri mentem: *D. Paulus*, inquit §. 471. *qui hic & in ſqq. capp.* III. IV. V. VI. *& parte* VII. *totus fere eſt in explicanda miniſterii Evangel. dignitate, cum aliis de cauſis, tum præſertim occaſione Pſeud-Apoſtolorum quorundam, qui munus hoc ſacrilege occupaſſent, ac* transformaſſent ſe in Apoſtolos Chriſti; *cum initio expoſuiſſet, quam mirifice ſibi ſuisque ſucceſſerit fidei prædicatio, mox ſubjungit exſultabundus:* Et ad hæc quis tam idoneus? *h. e. ad propagandam quidem ubique hanc fidem, quis (ad retundendam Pſeud-Apoſtolorum inſolentiam hoc dicere cogor) quis, inquam, ita, favente Dei gratia, comparatus, atque nos, qui ad hoc officium a Chriſto ipſo ordinati fuimus, illudque conſecuti ſumus, ut in illo defungendo fideles inveniremur. Neque enim adulteramus nos verbum Dei* &c. Interpretationis hujus ſuæ has affert cauſas, quod Paulus nec de ſe, nec de reliquis Apoſtolis ſimpliciter, &, ſine habito ad alios reſpectu, quærere potuerit: *quis ad hæc idoneus?* cum & effecta præconii Apoſtolici prædicaſſet, & ſe ceterosque *idoneos N. T. miniſtros* eſſe cap. II. 6. pronunciet. Abſurdum omnino fore, ſi, his poſitis, in epiphonema ejusmodi erumperet. Non alia, nec graviora habet *Elliſius* l. c. qui inprimis τὸ γὰρ v. 17. urget, cujus rationem & nexum cum præcedentibus, ſine adhibita & ad Pſeud-Apoſtolos relata particula ὄυτως, oſtendi poſſe inficiatur. Reſpondit Millio ſtrictim & breviter *Whitbius* p. 65. Examinis, eumque *abſurdam* Vulgati *lectionem meris ſomniis & vitilitigationibus* adſtruere ait conatum eſſe. Reſpondit etiam copioſius *Leonh. Twels* in Examine Critico N. T. Græco-Anglicani Parte I. pag. 20-22. Obſervat is, illud *tam* Vulgati ex proxime antecedente voce *vitam* natum ſibi videri, cujus pars altera, in librarii oſcitantis animo adhuc hærens, in alienum locum irrepſerit. *Eraſmi* conjecturam ante allatam, nemo, credo, non prætulerit.

Neque enim video, cur Interpres non æque *quiſnam*, quam *quis* ſcripſiſſe, credi poſſit. Sic autem natales particulæ *tam* minus ſunt obſcuri, quam ſi ex voce *vitam* repetantur. Rectius illud monetur, quod Paulus his verbis: *quis ad hæc idoneus?* nec ſibi nec aliis Apoſtolis τὴν ἱκανότητα ſimpliciter abjudicet, ſed reſpectu ad ſuas hominum vires habito, id quod vel ex v. 6. pateat, quo Deum ſe pares & idoneos tanto muneri ſuſtinendo feciſſe affirmet. Addit idem, τὸ γὰρ v. 17. non efficere, ut credamus, in hoc commate rationem reddi verborum proxime antecedentium: *quis ad hæc idoneus?* Hoc enim epiphonema habendum potius eſſe pro *parentheſi*, a qua ſequentia non pendeant. Imo vero in commate 17. rationem potius reddi eorum, quæ 15. & 16. traduntur, quod ſcilicet munus Apoſtolicum aliis quidem ſalutare, aliis minus tale ſit. Quicquid autem hujus fuerit, ſe vel ſic tamen de divino beneplacito certos eſſe, quippe qui non ad aliorum (nempe Pſeud-Apoſtolorum) exemplum verbum Dei Evangelicum humanis artibus & commentis corrumpant. Denique ſubjungit: ſi quidem Paulus his verbis ſe ceteroſque Apoſtolos cum Pſeud-Apoſtolis comparare voluiſſet, eum non fuiſſe ſcripturum τίς, ſed τίνες, imo etiam voces, ὡς ἡμεῖς, quas illi quidem ſubintelligi volunt, diſerte expreſſurum. Hunc enim eſſe Scripturæ morem. Ita divinus Pſaltes Pſ. LXXVI. 16. comparationem veri & ſummi Dei cum Gentilium deaſtris inſtituens, non quærit ſimpliciter: *quis Deus tam magnus?* ſed addit: *quam Deus noſter?* Interpretes Græci: τίς θεὸς μέγας ὡς θεὸς ἡμῶν; Cumque hic nec particula ὕτως exſtet, quæ ſenſus cauſa addi poterat, occaſio naſcitur cogitandi, Apoſtolum, ſiquidem ea, quæ *Millius* & ceteri volunt, dicendo repræſentare voluiſſet, ſine particula ὕτως ſcripturum fuiſſe: πρὸς ταῦτα τίνες ἱκανοὶ, ὡς ἡμεῖς; His omnibus, per ſe luculentis & cauſæ conficiendæ idoneis, hoc unum addidero. Si S. Apoſtolus ita, ut illi quidem cenſent, ſcripſit, cogitavit aliquid, quod nec ipſi, puto, unquam admiſerint. Ex eorum enim ſententia Pſeud-Apoſtoli non *ita* idonei Evangelio prædicando dicuntur *atque* Chriſti nuncii genuini. Ergone *ex parte* ſaltem & *aliquomodo* pares erant huic negotio? Miror, quod non, particula illa neglecta, ſtatuerint, Paulum ita ſcripſiſſe: πρὸς ταῦτα τίς ἱκανὸς, εἰ μὴ ἡμεῖς. At enim tuenda ipſis videbatur Vulgati auctoritas, quam tamen, puto, non habuiſſent, ſi genuinum ejus exemplum ad nos perveniſſet. Hæc copioſius ediſſerenda ſtatui, ut vel hoc exemplo conſtaret, quam parum tutum ſit, conjecturis aut verſionibus in emendanda recepta Græci contextus lectione indulgere. Triumviris illis, quos attuli, ſententia hæc ſua ita perſuaſa fuit, ut nihil ea verius eſſe putarent. Et nihil tamen, ſi quid video, falſius eadem eſſe poteſt. Ceterum phraſin ἱκανὸν εἶναι πρός τι *Polybio* & *Arriano* receptam eſſe, aliquot locis evincit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 482.

Verſ. 17. Ὀυ γάρ ἐσμεν ὡς οἱ πολλοὶ, καπηλεύοντες, κ. τ. λ.) Verba hæc concione Anglicana ſingulari illuſtravit doctiſſimus *Richardus Bentlejus*, Londini primum 1716. 8. edita, & Brunſwigæ 1717. una cum excerptis ex

Jo.

Jo. Commins, Miniſtri Scoti, annotationibus, illi oppoſitis, Germanice recuſa. Vide Unſchuldige Nachrichten an. 1717. pag. 131. ſqq. Ad eadem Rev. *Chriſtian. Frider. Bœrnerus*, Theologus Lipſienſis, Programma Inaugurale Lipſ. 1723. retulit. Adde his *Coccejum* Tom. VI. Operum in calce, inter epiſtolas p. 67. & *Amelium* Parte I. der Erörterung p. 547.

ὡς οἱ πολλοὶ) Codices nonnulli legunt *οἱ λοιποὶ*, *ceteri*, quos approbat *Millius*, alterum vero *πολλοὶ*, pro ſcholio marginali, quo *τὸ λοιποὶ*, tanquam jactantius viſum, emolliendum aliquis putarit, habendum judicat. Vide eum in Prolegomenis §. 989. & 1316. Secutus eum eſt recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, adeo, ut *τὸ λοιποὶ* in textum ipſum receperit. *Millio* recte ſe oppoſuit *Whitbius* p. 65. Examinis. Paulinam phraſin eſſe vel ex eo intelligitur, quod eadem *Philip.* III. 18. utitur, ubi de Pſeud-Apoſtolis æque ac h. l. ſermo eſt. *Πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσιν, οὓς πολλάκις ἔλεγον ὑμῖν -- τοὺς ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ.* Preſſius tamen, quam fas erat, vocem hanc urſit doctiſſimus *Bentlejus*, quando per *τοὺς πολλοὺς maximam hominum partem*, & hodie ſpeciatim *Pontificios* doctores intelligi debere cenſet. Obviam tamen illi itum eſt a *Comminio*, Scoto, & Anglo, anonymo auctore duarum epiſtolarum, de nova Novi Teſtam. editione, quam idem olim moliebatur, Lond. 1721. editarum p. 13. Ex noſtratibus autem Cl. *Chriſtoph. Wollius* in Commentatione de Eccleſia Phariſaica & Chriſtiana p. 77. & ſubjuncta illi diſſertatione de vera fictaque emphaſi particularum p. 319.

καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ) Verbum *καπηλεύειν* ex Scriptoribus profanis copioſe illuſtrarunt ex noſtratibus *Dilherrus* Tomo I. Diſſertatt. pag. 287. *Chriſtoph. Sonntagius* in Spicilegio Obſervationum in ſex *ἅπαξ λεγόμενα* p. 9. *Schwarzius* ad Olearium de Stylo N.T. p. 211. *Amelius* item & *Bœrnerus* ll. cc. ac denique *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 489. Ex ceteris vero *Andr. Schottus* in Adagialibus N. T. pag. 118. ſqq. Anonymus auctor Poſitionum miſcellarum pro Salmaſii obſervationibus ad Jus Atticum pag. 73. & 94. *Suicerus* Tom. II. pag. 42. & in Supplementis repetitæ editionis. *Lamb. Bos* Exercitatt. pag. 154. *Jo. Alberti* pag. 359. Obſervatt. & noviſſime *Rich. Ellis* in Fortuitis Sacris pag. 173-178. Translata vox eſt a *cauponibus*, & *propolis* qui & *lucri cauſa* ſua vendunt, &, ut majus lucrum capiant, merces ſuas *doloſe corrumpere* conſueverunt. Hinc plerique vertunt *cauponantes*, reſpectu ad prius illud potiſſimum habito, alii vero, Vulgati exemplo, *adulterantes*. Poſterius hoc B. *Lutherus* expreſſit per fälſchen, atque hoc alteri illi præferri cupit *Elliſius* l. c. pag. 176. niſi utrumque conjungi malis. Atque ita agit *Chryſoſtomus*, cujus verba accipe: *Τοῦτό ἐστι καπηλεῦσαι, ὅταν τις νοθεύῃ τὸν οἶνον, ὅταν τις χρημάτων πωλῇ, ὅπερ δωρεὰν ἔδει δοῦναι· ἐνταῦθα γὰρ καὶ εἰς χρήματα αὐτοὺς σκώπτειν μοι δοκεῖ, καὶ αἰνίττεσθαι πάλιν, ὅτι τὰ αὐτῶν ἀναμιγνύουσι τοῖς θείοις.* Vides, præſtantiſſimum doctorem & *adulterationis*, & *lucri* facere mentionem, illam vero priori loco ponere. Atque eo præcipue Paulum reſpexiſſe non dubium eſt, cum, quod hic *καπηλεύειν* appellat, id infra

IV. 2. δολῦν τὸν λόγον τῦ Θεῦ i. e. *vitiare, adulterare verbum Dei* dicat, quemadmodum & hic ἐξ εἰλικρινείας λαλεῖν opponit τῷ καπηλεύειν. Utramque notionem optime per *cauponantes* exprimi exiſtimem. Cauponum enim utplurimum eſt, & *adulterare* ſua, & *lucrum* majus, quam fas eſt, *captare.* Senſum omnino aſſecutus eſt doctiſſimus *Buernerus* l. c. p. 5. *Apoſtolus*, inquit, *cauponantes verbum Dei dicit eos, qui haud puram atque ſinceram verbi Dei doctrinam, ſed adulteratam eam, humanique ingenii commentis & præjudicatis opinionibus, inveteratisque erroribus mixtam, ſpecioſis vero rationibus fucatam, & tantum non omnem ad ſordidum quæſtum faciendum comparatam, tradunt.* Idem p. 6. recte arbitratur,, τὺς πολλὺς deſignare hic *doctores ἰυδαΐζοντας inprimis, tum etiam ſecularis philoſophiæ placitis imbutos addictosque.* Quod ipſum præferendum eſt conjecturæ *Amelianæ*, orationes & Sophiſtas Græcorum, quales Corinthi inprimis verſati fuerint, omnia ſua quæſtus cauſa perorantes, indicari contendenti.

ἐξ εἰλικρινείας -- λαλῦμεν) Ita *Clemens Alex.* τὴν τῶν λόγων εἰλικρίνειαν appellat. *Sinceritas* autem & *ſimplicitas* innuitur, ut ſupra I. 12. Sic *Strabo* lib. II. τὺς ἁπλὺς κ̀ ὐ καπηλικὺς, *ſimplices minimeque fraudulentos* jungit. Confer Fortuita Sacra p. 172.

C A P. III.

VErſ. 1. Ἀρχόμεθα πάλιν ἑαυτὺς συνιςάνειν;) *Iterumne nos ipſos vobis commendabimus*, aut, laudabimus? Reſpicitur ad epiſtolam ſuperiorem, in qua de ſe & aliis ex merito præclare erat locutus.

εἰ μὴ χρήζομεν, ὥς τινες,) Nonnulli Codices pro εἰ legunt ἢ, atque hoc etiam ab *Eraſmo Schmidio* in ſua N. T. editione video expreſſum, & in verſione redditum: *aut num?* quemadmodum & B. Lutherus vertit: oder. Communiſſima lectio εἰ μὴ proba eſt, & per interrogationem, quam ſæpe alias infert, convertenda: *nonne?* Interrogatio vero eſt ironica, quæ reſponſionem negantem ſecum fert. Tacite vero ſimul caſtigantur & illi ex Pſeud-Apoſtolis, qui literis commendatitiis adjuti Corinthiorum favorem aucupati erant, & Corinthii ipſi, qui faciliores ſe illis capi & duci permiſerant.

συςατικῶν ἐπιςολῶν) De literis commendatitiis, quibus Apoſtoli vel Eccleſiæ etiam in primis Chriſtianiſmi natalibus proſequi & comitari ſuos ſolebant, hoc magis, quod deceptioni & fraudibus ampla tunc dabatur occaſio, ex antiquitate Eccleſiaſtica diſſerunt præter *Ferrarium* & *Priorium* in libris ſingularibus de *epiſtolis Eccleſiaſticis* & *Canonicis*, *Jo. Dougtæus* in Analectis Sacris N. T. p. 120. *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris p. 108. & *Suicerus* Tom. II. p. 1194. ex noſtratibus vero *Jo. Henr. Hedingerus* in Vale Haſſiaco, ſive brevi diſquiſitione de literis commendatitiis, Gieſſ. 1699. *Andr. Mullerus* de literarum ſyſtaticarum commerciis, Stadæ, & *Chriſtianus Hagerup* in aliquot diſſertationibus de eodem argumento, Hafn. 1717. 1720. editis. At totum comma diſſerit *Hoornbeckius* in Veteribus & Novis lib. II. p. 551. ſq.

Verſ.

Verſ. 2. Ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν ὑμεῖς ἐστε, ἐγγεγραμμένη ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν) B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ita: *Optimi Codices legunt ὑμῶν, quod ſenſum magis reddit expeditum. Sic enim magis reſpondent verba* v. 3. *ubi ait Apoſtolus, quod ipſi Corinthii ſint epiſtola. Accedit, quod eodem verſu illa epiſtola dicatur ἐγγεγραμμένη. Interea forte lectio ἡμῶν commode poteſt exponi, ut epiſtola dicatur ſcripta per memoriam & affectum Apoſtoli, quo intime affectus eam circumferat Apoſtolus, & loco commentationis ſuæ ubique exhibeat.* Poſterior lectio æque ac interpretatio locum omnino tuetur, prior vero nulla veri ſpecie ſe commendat, nec ſenſum commodum gignit. Primo enim tantum abeſt, ut *optimi codices τὸ ὑμῶν legant*, ut unus tantum *Colbertinus* Millio occurrerit, in quo, præter verſionem Æthiopicam, exſtet. Deinde idem illud, quod Apoſtolus ipſos Corinthios *epiſtolam* appellat, argumento eſt, de animis non Corinthiorum, ſed Pauli & Timothei ſermonem eſſe. Qui enim, quæſo, dici poteſt, Corinthios animis *ſuis* eſſe inſcriptos? Nonne vero iidem commodiſſime poſſunt dici in animis Apoſtoli & Timothei inſtar epiſtolarum hærere, & circumferri, omnibusque, ut res ferebat, inſtar commendationis quaſi oſtentari, vel legendas & cognoſcendas repræſentari? Scilicet ita res habet. Corinthii ad Chriſtum vere converſi erant epiſtola, ſalutari Apoſtoli miniſterio adaptata. Eam animo ſervabat, intimeque ſibi commendatam habebat Apoſtolus, tanquam talem, quæ argumento & teſtimonio tum virtutis Evangelicæ doctrinæ, tum fidei ſuæ & dexteritatis apud alios inſervire poſſet. Eadem phraſi repetita vice ita utitur Apoſtolus infra VII. 3. ut ad h. l. reſpiciat: προείρηκα γάρ, ὅτι ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν ὑμεῖς ἐστε εἰς τὸ συναποθανεῖν καὶ συζῆν. Atque nec ibi ulla occurrit codicum varietas. Conf. *Philip.* I. 7.

Verſ. 3. Φανερούμενοι, ὅτι ἐστὲ ἐπιστολὴ Χριστοῦ διακονηθεῖσα ὑφ' ἡμῶν, ἐγγεγραμμένη οὐ μέλανι, ἀλλὰ πνεύματι Θεοῦ ζῶντος) Hæc brevibus ita illuſtrantur a *Vitringa* lib. VI. Obſerv. Sacr. c. 18. §. 9. p. 464. *Corinthiorum animos Paulus ut tabulas conſiderat, per ſuum miniſterium præparatas aptatasque, quibus Chriſtus, per potentem Spiritus S. operationem, voluntatem ſuam Legemque Novi Fœderis inſculpſerat. Manifeſta alluſione ad τὸ μεμφόμενον τῆς παλαιᾶς διαθήκης, quo lex tabulis inſculpta lapideis ejusdem legis ſculpturam in hominum mentibus excluſit.* Conferatur idem lib. III. cap. 1. p. 480. & *Amelius* in der Erörterung Parte II. pag. 640. itemque in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. p. 823. quam ſub genuino *Petri Zornii* nomine edidit.

Ἐγγεγραμμένη οὐ μέλανι) ſcilicet χρώματι: vide *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 239. Romani olim leges rubro colore deſcribebant, non atro: vide *Antonii Borremanſii* Var. Lect. c. IV. pag. 20. Hebræi autem atramento utebantur, cujus conditionem expoſuit præter alios *Schickardus* de Jure Regio Hebræorum cap. II.

Οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις) Vide, quæ huc affert *Henr. Dodwellus* in diſſert. *de tabulis cœli*, quæ in Spicilegio Patrum Grabiano legitur, §. 1. illuſtrata amplius

 a Cl.

a Cl. *Zornio* in Bibl. Antiquario-Exeget. p. 820. ſqq. Nec omitte eruditiſſimum *Fabricium* noſtrum Tom. I. Codicis Apocryphi N. T. p. 316.

ἀλλ' ἐν πλαξὶ καρδίας) Sic δέλτας φρενὸς dixit *Æſchylus* Prometh. vinct. 788. & alibi, & γράφειν ἐν φρεσὶ ſæpius Græci. Conf. *Clerici* Artem Criticam Part. II. Sect. I. c. 4. & *Pet. Victorii* Var. Lect. IX. 13. Hæc habet Cl. *D. E. Trillerus* in Notis MSS.

Verſ. 4-9. Πεποίθησιν δὲ τοιαύτην ἔχομεν, κ. τ. λ.) Conſtituunt hæc ſectionem epiſtolicam, quæ quotannis cœtui pro concione in templis exponi ſolet, quo nomine lucem illis affudit Cl. *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. p. 121. ſqq.

Verſ. 5. 6. Οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν, κ. τ. λ.) Vide B. *Seb. Schmidii* Tract. de Imagine Dei p. 280. ſqq. & Collegium Biblicum II. p. 198. ſq. itemque *Frider. Adolphi Lampe* concionem inauguralem in calce Partis I. tractatus vernaculi de myſterio Fœderis gratiæ p. 754. ſqq.

Verſ. 5. ἀφ' ἑαυτῶν λογίσασθαί τι) *a nobis ipſis*, i. e. ex noſtris viribus. Sic *Herodotus* lib. V. p. 360. ἡ δὲ Πυθίη ἀπό σφεων μὲν αὐτέων οὐκ ἔφη αὐτοῖσιν εἶναι τίσιν. *Pythia autem negabat, eos per ſeſe poſſe ulciſci.*

ὡς ἐξ ἑαυτῶν) Particula ὡς limitative accipitur pro, *ut* ſive *quatenus*, & majoris evidentiæ cauſa priori illi, ἀφ' ἑαυτῶν jungitur. Eodem ſenſu *Polybius* p. 850. ὥστε πάντας τοὺς ὑποταττομένους ἐξ αὐτῶν ἐπί τε ταύτην κατενεχθῆναι τὴν διάληψιν καὶ τὴν ὀνομασίαν. Vide Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 490. & Polybianas p. 482. Malim equidem τὸ, ἀφ' ἑαυτῶν ad *voluntatem* & *conſilium* proprium aliquid inchoandi, τὸ, ἐξ ἑαυτῶν vero ad *vires* & *facultatem* idem perficiendi referre, quemadmodum Paulus τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν in rebus ſpiritualibus ad Deum refert *Philip.* II. 13.

ἐκ τοῦ Θεοῦ) i. e. ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, quo ſenſu τῷ ἐκ utitur *Arrianus* aliquoties. Vide Raphelium l. c. p. 483. Adde Vol. I. harum Curarum p. 16. 20. Notandum hic eſt in nonnullis B. Lutheri editionibus, poſt fata ejus editis, v. c. Jenenſi an. 1584. & antea Witteberg. 1546. ita legi: nicht, daß wir tüchtig ſind, von uns ſelber Rath zu finden; pro quo ὁ μακαρίτης ipſe reddiderat: Nicht, daß wir tüchtig ſind von uns ſelber etwas zu gedencken. Hanc vero mutationem in gratiam Synergiſtarum factam eſſe obſervatum eſt ab aliis. Vide ſpeciatim *Polyc. Lyſerum* in Unſchuldigen Nachrichten 1723. p. 169. Adde an. 1717. p. 627. Ab abuſu hominum profanorum comma integrum vindicat *Spenerus* in Vindiciis dictorum Scripturæ Sacræ abuſui ejusmodi obnoxiorum p. 317. Primario hoc omne de Apoſtolis accipiendum, non minus vere tamen de viribus hominis naturalibus idem judicandum eſſe oſtendit *Wolfg. Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ p. 571. De argumento ipſo, quod hic tractatur, lege Patres apud *Petavium* Tom. III. Dogmatum Theolog. de Opificio hominis IV. 9. 8. p. 257.

Verſ. 6. & ſequentibus lucem affudit *Vitringa* in calce commentarii ſui Belgici in epp. ad Galatas & Titum p. 43. ſqq.

Verſ.

Verſ. 6. Ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης) De verbo *ἱκανόω* lege Cl. *Tob. Eckhardi* Technicam Sacram p. 130.

Οὐ γράμματος ἀλλὰ Πνεύματος, τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ Πνεῦμα ζωοποιεῖ) Phraſin hanc egregie illuſtravit B. *J. Henr. Barthius*, Theologus quondam Argentoratenſis, in diſput. ſingulari de litera occidente & Spiritu vivificante, Argentor. 1711. Evicit ille idoneis argumentis, per *γράμμα legem* intelligi, tum qua *materiale*, h. e. ipſam legis ſcriptionem in tabulis lapideis expreſſam, ut & mandata divina, eadem comprehenſa; tum, & quidem inprimis, qua *effectum*: per *πνεῦμα* autem *Evangelium*, reſpectu tum auctoris, qui eſt *Spiritus S.* tum *effectus*, quia per doctrinam Evangelii Spiritus S. ejusque gratia confertur, vita item & juſtitia communicatur, nec ſine ea Spiritus S. ordinarie operatur. Atque ita Interpretes noſtrates, quos ſciam, omnes ſtatuunt, niſi quod nonnulli, inter quos & B. *Schomerus* eſt, *τὸ πνεῦμα* per *Spiritum S.* ipſum interpretantur. Quod ad vocem *γράμμα* attinet, ſunt, qui eam ſimpliciter per *legem* convertendam cenſent. Nam & externi Scriptores hanc ſignificationem ei tribuunt, nominatim *Iſocrates* in Areopag. p. 288. edit. Wolf. *δεῖ τοὺς εὖ πολιτευομένους οὐ τὰς στοὰς ἐμπιμπλάναι γραμμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον. Decet prudentes Magiſtratus, non porticus implere legibus, ſed efficere, ut cives animis inſitum habeant juſtitiæ ſtudium. Ariſtophani* in Ἐκκλησιαζούσαις v. 1042. *νόμος* & *γράμματα εἰρηκότα* ſunt *ἰσοδυναμοῦντα*. Ad quem locum legi poteſt *Tanaqu. Faber*, ſimiles *Ariſtotelis* afferens. Vide huc Cl. *Jo. Georg. Schelhornium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe IV. p. 778. & *Frid. Guil. Cleſſelium* in Biblioth. Lubec. Vol. IV. p. 657. Fortaſſe & huc pertinent *ἱερὰ γράμματα Babylonis* & *Meroes*, de quibus Democritum commentatum eſſe teſtatur Diogenes Laërtius IX. 49. Patrum loca huc pertinentia lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 780.

Verſ. 7. Ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις) *lapidibus inſculpta*, ut vertit *Eraſm. Schmidius* accommodate ad lapides, quibus inſculpi & incidi magis, quam *inſcribi* literæ conſueverunt. B. Lutherus: in die Steine gebildet. Ita Ariſtoteles, ſeu quisquis auctor eſt libri, de mundo teſtatur, Phidiam clypeo Minervæ a ſe picto *τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐντυπώσασθαι.*

Ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι) *ut non potuerint intueri*, nempe contra & recta, cum primum ad eos venit Moſes, quin præſtringerentur eorum oculi. Ita *Alex. Morus* in Notis pag. 136. ſq. apud quem plura lege. De efficacia & ellipſi, quæ eſt in verbo *ἀτενίζω*, diximus Vol. I. pag. 1007. & 1052. *Clemens Romanus* in epiſt. ad Corinthios *ἀντοφθαλμεῖν* appellat.

Διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ) *δόξα* illa per קרן exprimitur *Exod.* XXXIV. quo hæc reſpiciunt. Quæ vox cum & *cornu* & *radios* ſive ſplendorem ſignificet, factum eſt, ut faciem Moſis cornutam & pictores & ſculptores in nummis effingerent perperam. Lege in hanc cauſam plures a B. *Schudtio* in Compendio Hiſt. Judaicæ cap. IX. p. 91. eruditiſſimo *Fabricio* noſtro in Codice Pſeudepigrapho V. T. pag. 866. & Cl. *Pet. Zornio* in Bibliotheca Antiquario-

Exe-

Exegetica p. 117. ſqq. citatos, inprimis vero B. *Jo. Bened. Carpzovii* Schediaſma de nummis Moſen cornutum exhibentibus, quæ in Diſputatt. ejus Academicis recuſa exſtat. Mireris, *Wachterum* de Spinoſiſmo Judaico p. 41. fabulam hanc probare potuiſſe. Radios, ex vultu Moſis emiſſos, per δόξαν indicari, idem *Carpzovius*, & Interpretes ad Exodi l. c. oſtenderunt. Rem vero ipſa Pauli interpretatio conficit, a qua abire non debebat *Herm. Hardtius* in Ephemeridibus Philolog. p. 136. ſqq. de calore & rubore vultus Moſaici non ſine levitate quadam interpretatus. *Hic igitur devotionis ardor*, inquit, *ut totum corpus corripuit, & Spiritus incendit; ita & præcipue vultum inflammavit, ut inter preces frons, oculi & os arderent ac radiarent, ſicque cutis faciei inſtar ignis ſuo rubore & calore reluceret.* Itane vero credi poteſt, faciem Moſis rubore adeo incaluiſſe, ut adſpectum ejus ferre non poſſent intuentes? Taceo alia, quæ rectiſſime illi obverterunt B. *Caſp. Calværius* in Gloria Moſis p. 103. ſqq. & Rev. *Sal. Deylingius* Parte III. Obſſ. Sacr. Obſ. 8. Judæorum Magiſtri Moſis faciem Solis inſtar ſplenduiſſe tradunt apud *Gaulminum* ad libr. de vita & morte Moſis, & *Pocockium* ad Portam Moſis p. 193. quod a Cl. *Elsnero* obſervatum eſt p. 139. qui in ſequentibus oſtendit, Muhamedanos doctori ſuo, Gentiles autem Philoſophis & Heroibus ſuis vultus ejusmodi coruſcantes tribuiſſe.

Totum hoc comma una cum ſequentibus nonnullis illuſtravit *Jo. Chriſtoph. Bielefeld* in diſput. de glorioſo legis miniſterio, Gieſſæ 1696. & *Herman. Venema* in Diſſertatt. Sacris lib. I. Conf. Bibliothecam Belgicam Gall. editam 1731. Aug. p. 128.

Verſ. 8. ἡ διακονία τοῦ Πνεύματος) *miniſterium Spiritus.* Vide Patres apud *Suicerum* Tom. I. p. 861.

Verſ. 10. Καὶ γὰρ οὐδὲ δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον ἐν τούτῳ τῷ μέρει, ἕνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης) *Beza* recte: *Etenim, quod glorificatum fuit, ne glorificatum quidem fuit, hac in parte, id eſt, quod ad ſuperantem gloriam attinet.* Τὸ ἕνεκεν τῆς δόξης Latine dixeris *reſpectu gloriæ*. Hunc ſenſum illi particulæ tribuunt *Herodotus*, *Polybius*, *Arrianus*, *Xenophon*, quorum locos plena manu promit *Raphelius* in Annotationibus ex illis petitis p. 490. 483. & 235. Unum recitabimus ex *Xenophonte* Memorabil. lib. 4. p. 632. Φῶς εἰ μὴ εἴχομεν, ὅμοιοι τοῖς τυφλοῖς ἂν ἦμεν, ἕνεκά γε τῶν ἡμετέρων ὀφθαλμῶν. *Lucem niſi habeamus, ad oculos ſane quod attinet, cæcis eſſemus conſimiles.* De re ipſa lege *Petavium* Tom. IV. Dogmat. Theolog. ubi de Hierarch. Eccleſ. III. 9. §. 13.

Verſ. 11. Εἰ γὰρ τὸ καταργούμενον διὰ δόξης) Hæc uſque ad v. 14. exponit *Seb. Schmidius* de Imagine Dei p. 276. Confer *Amelii* Erörterung Parte II. p. 718. ſqq. & *Witſii* Miſcellanea lib. II. diſſ. I. p. 438. ſq.

Πολλῇ παῤῥησίᾳ χρώμεθα) παῤῥησίαν alii de *fiducia*, alii de *evidentia verborum* interpretantur. Ita *Beza* & *Suicerus*, qui Patres nonnullos conſentientes affert Tom. II. p. 605.

Verſ. 13. Καὶ οὐ καθάπερ Μωσῆς ἐτίθει κάλυμμα ἐπὶ τὸ πρόσωπον ἑαυτοῦ) Comparat hæc cum *Exodi* XXXIV. 33. Cl. *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico

co p. 126. ſqq. exponit autem fuſius *Alethæus* Tomo II. der Erläuterung pag. 352. Verba Pauli aliter accipi non poſſunt, quam quod Moſes, dum ad Iſraelitas loqueretur, faciem velarit. Nec erat, cur *Alex. Morus* ad h. l. p. 137. Judæis fidem haberet, qui id, repugnante hiſtoria Moſaica, perperam a Chriſtianis ex Paulo dici aſſeveraverant. Ipſe itaque putat, Apoſtolum hoc tantum innuere, *Moſen, a Deo venientem retecta facie, poſtquam verba fecerat e ſuperiore loco, ut eſt apud Joſephum, ubi poſtmodum cum populo æquis locis verſabatur, faciem obtexiſſe, ne cornua illa magnificentia, ut Kimchi vocat, populus contratendens oculos, inſpectaret.* Qui hiſtoriæ Moſaicæ ſeriem inſpexerit, non dubitabit, Moſen, etiam dum peroraret, faciem obtexiſſe. Et niſi id inde conſtaret, Pauli auctoritas nobis, ut ita factum eſſe crederemus, perſuadere debebat. Ipſe enim ſe & ceteros Apoſtolos, ut Evangelii præcones, opponit Moſi, Legis Doctori. Sic innuit ſe retecta facie, h.e. clare & perſpicue divinas Evangelii veritates proponere. Itaque Moſen velata facie ad populum Judaicum locutum fuiſſe neceſſe eſt: alioquin præcipuum momentum inſtitutæ comparationis deeſſet.

πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι) Phraſis eſt elliptica, quæ plenior reddenda eſt. Verti poteſt: *eo quod non poſſent intendere oculos*, repetito ex v. 7. verbo δύνασθαι, quod poſt *Cameronem* cenſet *Jac. Cappellus* v. 13. Vel rectius ita: *ut indicaretur, eos non poſſe intueri.* Sic *Luc.* XVIII. I. ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴν αὐτοῖς, πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι. *Dixit eis parabolam, eo fine, ut oſtenderet, ſemper eſſe orandum.* Quo ſenſu locum illum recte expreſſit *Caſtalio.* Simile indicium in alia datæ legis circumſtantia obſervavit *Maimonides* in More Nevochim lib. III. c. 9. *Lex data eſt*, inquit, *die nubilo, ad ſignificandum velum, quod oculis noſtris adimit proſpectum veri.* Abſit interim, ut exiſtimemus, id innui, quod Moſes data opera obſcure ad Judæos locutus ſit, ut ne perſpicerent myſteria in doctrina ſua latentia. Ita fere ſentit *Witſius* in Miſcellan. Sacris lib. II. diſſ. I. §. 74. idemque clarius profeſſus eſt *Lockius* in commentario, in quem propterea recte animadvertit *Jo. Clericus* in Biblioth. Selecta Tom. XIII. p. 100. ſq. Inſtituta Moſaica ſatis clare tradebantur, ſed per ſe ita comparata erant, ut umbram tantum futurorum bonorum repræſentarent, quæ diſſipanda erant, ubi lux eorum effulſiſſet. Hanc umbram tamen perſpicere etiam poterant Judæi omnes, niſi multi eorum in cortice literæ hærere, & omnia alia, quam Chriſtum, ſectari maluiſſent. Compara *Alethæi* Erläuterung Tom. II. p. 420.

Εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου) *In finem illius, quod erat abolendum*, h. e. in Chriſtum, finem legis. *Rom.* X. 4. Pro voce τέλος, quam Codices Græci tantum non omnes, ſi *Alexandrinum* & pauciſſimos alios exceperis, exhibent, *Vulg.* expreſſit πρόσωπον, *faciem*, Moſis ſcilicet. Eam lectionem antiquæ Vulgati Interpretis ab Hieronymo ſubſtitutam eſſe, tradit *Rich. Simon* in Hiſtor. Critica verſionum N. T. p. 474. & fere tueri videtur. Nec inconveniens judicata eſt *Alex. Moro* ad h. l. p. 138. Rectius ex ſcholio marginali, cui v. 7. occaſionem fecerit, natam arbitratur *Millius.* Erat ſcilicet, qui mentem Pauli hic non aſſequeretur, quam patere putabat, ſi de facie ipſius Moſis id acciperet.

Verſ. 14. Ἀλλ' ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν κ. τ. λ.) Confer ad hæc *Alethæum* Tom. II. pag. 417. ſqq. & Cl. *Jo. Godofr. Lakemacherum* in Obſervatt. Philolog. Parte III. p. 209. ſqq. De induratione Judæorum aliorumque iis ſimilium Theologi præcipiunt, in quorum meſſem falcem nunc non mittemus. Lege interim *Alethæum* Tom. I. p. 253. ſq. & 347. ſqq.

Ἄχρι γὰρ τῆς σήμερον τὸ αὐτὸ κάλυμμα ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης μένει) His verbis primario quidem Judæis perſpicientia veri ſenſus oraculorum V. T. denegatur, quod patet inprimis ex phraſi v. 15. κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται, ſimul tamen alluditur ad velamen illud, quo etiam illa ætate tegi ſolebant, quoties vel lectioni S. Codicis, vel precibus in Synagogis vacabant. Subtiliora ſunt *Alex. Mori* cogitata, quando p. 137. per κάλυμμα ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς διαθήκης, & κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν duplex velum ſubinnui putat, per prius nempe velum, quo liber legis involvi ſolebat, per poſterius vero id, quod ſuo quisque capiti geſtabat impoſitum. Conſtat, velamen illud, caput tegens, Judæis appellari טלית, *Tallis*, cujus conditionem paucis, ſed ſatis, deſcribit Cl. *Lakemacherus* l. c. qui & in eo eſt, ut evincat ritum hunc capitis in ſacris velandi a Romanis ad Judæos profectum eſſe. Confer de hoc argumento *Jo. Melchioris* Opera Tomo II. p. 630. ſqq. & *Werenfelſii* diſſertatt. de velamine Moſis Baſileæ ventilatas.

Verſ. 15. Τὸ κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται) velamen hoc cordibus eorum incumbit, ita ut moleſtiam ſentire poſſint, ſi velint, vel ſaltem a perſpicientia & uſu luminis ſua culpa prohibeantur. Hæc enim eſt vis vocis ἐπὶ cum accuſandi caſu junctæ. Ita *Homerus* Iliad. λ' v. 576. Tityum humi proſtratum deſcribens, inquit: ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα. Confer M. *Jo. Chriſt. Herzogii* diſput. de proprio ſignificatu particulæ Græcæ ἐπὶ p. 7. *Jac. Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebr. p. 429. hæc illuſtrari poſſe putat ex *Deuter.* XI. 18. ושמתם את דברי אלה על לבבכם *& ponetis hæc verba mea ſuper cor veſtrum*, ut ſic *præceptorum carnalium eorumque, auctoritate Moſis fultorum, contextura, cor affectusque eorum occupans, occæcare dicatur Judæos, ne videant Chriſtum.*

Verſ. 16. Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα) In hoc commate illuſtrando multus & induſtrius eſt *Lud. Cappellus* in Spicilegio p. 101-103.

Verſ. 17. Ὁ δὲ Κύριος τὸ Πνεῦμά ἐστιν) Diſputatum hic eſt, quis per Spiritum illum intelligatur, & alii quidem *vim divinam*, cum Grotio, alii *naturam Chriſti divinam*, alii vero *Spiritum S.*, & hunc quidem noſtratium Theologorum plerique, indicari cenſent. In primam illam ſententiam ornandam incubuit *Sam. Clarkius* in *Reply to the objections of Robert Nelſon* p. 192. ſqq. ſenſum ita παραφράζων: *Dominus vero eſt, qui vivificat, a quo omnis illuminatio dependeat, tanquam a Domino, qui ſit Spiritus legis.* Huc etiam tendit *Jacob. Nyloe* in Schriftuurlyck Licht p. 17. ſeqq. Ab eadem non alienus exiſtimandus eſt Rev. *Zeltnerus*, quando in Notis ad verſionem B. Lutheri Biblic. pag. 199. ſenſum ita repræ-

repræſentat: *Chriſtus vero eſt Spiritus, qui ipſe efficit & operatur vitam, juſtitiam, pacem & gaudium in Spiritu S.* Pauci quidem *Evangelium* intelligi volunt ex v. 6. τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. De Spiritu S. τὸ Πνεῦμα interpretandum eſſe diligenter oſtendere conatur Rev. *Jo. Andreas Walterus* in diſſertat. ſingulari de Κυρίῳ Πνεύματι Lipſ. 1723. quam conſuli velim. Prope accedit *Lud. Cappellus* in Spicilegio p. 103. qui v. 17. cum 6. conjungi vult, hoc ſenſu: *Dominus* (i. e. Jeſus Chriſtus) *eſt Spiritus ille*, i. e. ſubminiſtrat Spiritum illum, & per eum ſolum habetur Spiritus, non per legem. Id ego pro inſtituti mei ratione obſervandum h. l. puto, quod *Wilh. Wall* in Notis Criticis ſuper N. T. p. 210. exiſtimet, ſententiam hanc ita eſſe invertendam τὸ δὲ Πνεῦμά ἐστιν, ὁ Κύριος, *Spiritus vero eſt Dominus*, hoc ſenſu: *ubi populus ad Dominum fuerit converſus, velum illud auferetur. Jam Spiritus eſt Dominus: quando igitur ad Spiritum convertetur, velum removebitur.* Hanc interpretationem a nexu argumentationis Paulinæ requiri exiſtimat, quod me non pervidere candide profiteor. Multo minus probanda eſt illa *Graveroli*, Presbyteri quondam Eccleſiæ Anglicanæ, conjectura, quam in *Jo. Clerici* Bibliotheca Univerſali Tomo IX. p. 203. ſq. allatam video. Contendit is pag. 207. ita legendum eſſe: οὗ δὲ Κύριος, τὸ Πνεῦμά ἐστιν· οὗ δὲ τὸ Πνεῦμα Κυρίου, ἐκεῖ ἐλευθερία. *Ubi Dominus, ibi & Spiritus eſt; ubi vero Spiritus Domini, ibi & libertas.* In præſidium ſententiæ ſuæ duo inprimis affert. Primum quidem, quod nulla interpretatio ab aliis adhuc approbata commoda ſit, & calculo digna. Alterum vero, quod in MSS. Codd. nonnunquam τὸ O ſimplex loco OΥ ſcriptum inveniatur. Eam in rem conſuli vult *Joſ. Scaligerum* in Lectionibus Auſonianis lib. I. c. 19. *Voſſium* in Ariſtarcho lib. I. c. 13. & *Salmaſium* notis ad Conſecrat. templi in Agon. Herod. Attic. pag. 37. & in Addend. p. 217. item de Transſubſtantiat. contra Grotium p. 31. Poterant his addi Celeb. *Montfauconius* in Palæographia Græca pag. 131. & Cl. *Michael Roſſal* in Tentamento Critico p. 15. Quod ad prius attinet, legi velim Interpretes, & ſponſor fuero, neminem facile ullam earum, quæ ab aliis profectæ ſunt, interpretationem cum hac permutaturum eſſe. Quod ad alterum, Paulus οὗ pro ὁ ſcripſiſſe exiſtimari non poteſt. Nullus eorum Codicum, quos circumſpecta eruditorum induſtria in medium attulit, ſuffragatur. Ipſa quoque Pauli propoſitio conjecturam hanc proſternit. Si enim ſcribere voluiſſet: οὗ δὲ Κύριος, ſcripturus procul dubio erat, ἐκεῖ τὸ Πνεῦμά ἐστι, quemadmodum in poſteriori membro legimus: οὗ δὲ Πνεῦμα Κυρίου, ἐκεῖ ἐλευθερία. Sic *Matth.* XVIII. 20. Οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν. Non poteſt obverti *Rom.* V. 20. οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις. Nam vocem ἐκεῖ ibi in altero membro omiſſam, ſubintelligendam eſſe, verbum ὑπερεπερίσσευσε haud obſcure innuit, quippe quod ſe refert ad antecedens ἐπλεόνασε, atque adeo idem ſubjectum digito quaſi oſtendit. Hoc vero loco ſi legamus: οὗ δὲ Κύριος deſideratur *prædicatum*, certo indicio, non eſſe hic plenam propoſitionem, ſed vocem Κύριος ad ſequens τὸ Πνεῦμά ἐστιν tanquam ad prædicatum pertinere. Num denique credi poteſt, dormitaſſe librarios in uni-

verſum omnes in priore illo, quod ſupponitur, ȣ non exprimendo, qui poſterius illud ȣ unanimi conſenſione expreſſerint. Crediderim potius, viro docto hanc conjecturam tantum ex illo poſteriori ȣ ſubnatam eſſe, & vel ideo non admittendam.

Ὁυ δὲ τὸ Πνεῦμα τȣ̃ Κυρίȣ) Vocem Κυρίȣ ex commate ſequenti huc irrepſiſſe opinatur *Millius*, contra quem lege *Whitbium* p. 66.

Ἐκεῖ ἐλευθερία) Vide *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. III. de Opificio ſex dierum lib. IV. c. 7. §. 3. p. 250.

Verſ. 18. Ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν τȣ̃ Κυρίȣ κατοπτριζόμενοι, κ. τ. λ.) Legantur ex noſtratibus B. *Gottlieb Wernsdorfius* in diſſert. de metamorphoſi Chriſtiana, Witteberg. 1706. *Theophil. Alethæus* in der Erläuterung Tom. I. p. 42. ſq. *Aug. Herm. Franckius* in Obſervationibus ad loca quædam Scripturæ Sac. vernaculis p. 125. ſq. & *G. G. Zeltnerus* in Hiſtoria Crypto-Sociniſmi Altorfini p. 592. Ex Reformatis autem *Jo. Coccejus* Tomo VI. Opp. in calce, ubi epiſtolæ exſtant p. 67. *Alex. Morus* in Notis p. 139. *Hombergius* in Parergis, *Lamb. Bos* in Exercitt. p. 155. *Jac. Elsnerus* p. 141. & *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Tom. I. p. 119.

Ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ) Reſpicitur hic vel ad velum Moſaicum, quo Judæorum, non converſorum, corda tecta eſſe dicuntur v. 15. quodque a converſis ad Chriſtum removetur, v. 16. vel ad Moſen ipſum, quem velo remoto in Sanctuarium ingreſſum, cum Deo collocutum, & ab eodem colluſtratum eſſe, ex *Exodi* XXXIII. 34. conſtat. Liceat hic afferre, contrarii exempli inſtar, quod *Plutarchus* in vita Numæ Tom. I. Vitarum editionis nuperæ Londinenſis p. 138. teſtatum reliquit, quod princeps augurum, auſpicia captaturus, Numam, dextra capiti ejus impoſita, ἐγκεκαλυμμένῳ προσώπῳ, ſeu *capite velato*, verſus meridiem ſtiterit in monte Tarpejo. Propius huc pertinet, quod Cl. *Elsnerus* ex Raſchi in *Numer.* XXIII. 23. obſervat, Judæos in ſæculo futuro *ſine velo* Deum viſuros, & verum Legis ſenſum perſpecturos eſſe.

Τὴν δόξαν Κυρίȣ κατοπτριζόμενοι) *Alex. Morus* cum aliis nonnullis vertit: *excipientes tanquam totidem ſpecula.* Rectius agunt, qui ita interpretantur: *gloriam Domini tanquam in ſpeculo* (quod eſt verbum Evangelii) *intuentes.* Ita *Beza*, *Eraſmus Schmidius* & alii plerique. Iis præivit Interpres *Syrus.* Germanice dixeris: **wir ſchauen des HErrn Klarheit als in einem Spiegel,** quemadmodum B. Lutherus noſter primum in verſione ſua expreſſit, idque B. *Wernsdorfius* p. 20. diſſertationis citatæ tenendum eſſe merito judicat. Hanc verbi Græci κατοπτρίζεσθαι notionem eſſe tot exemplis a *Boſio*, *Elsnero*, *Hombergio* & *Alberti* ll. cc. commonſtratum eſt, ut dubitandi cauſam nullam ſupereſſe exiſtimem. Eandem ſignificationem ex recentioribus noſtratibus amplexi ſunt B. *Henr. Pippingius* in Sermone Funebri Borniano & *Alethæus* l. c. Appoſitus inprimis locus eſt *Artemidori* II. 7. κατοπτρίζεσθαι δὲ καὶ ὁρᾶν τὴν ἑαυτȣ̃ εἰκόνα ὁμοίαν ἐν κατόπτρῳ. Phraſin quod ad rem præſentem illuſtrant *Ariſtides* in Panathen.

then. pag. 342. *ὥσπερ ἐν κατόπτρῳ τοῖς λόγοις ἐμβλέποντας* & *Themiſtius* in Orat. XVI. p. 410. *Ἔγωγε, ὦ βασιλεῦ, φημὶ δεῖν τὸν λόγον ἐκεῖνον προτίθεσθαι, ὥσπερ κάτοπτρον ἑκάστης ἡμέρας, εἰς ὃν ἀποβλέπον καὶ ἀτενίζων οὐ τὰς κόμας εὐπρεπέστερον διαθήσειν, ἀλλὰ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν.* Quemadmodum itaque ſpeculum lumen reflectit, ut v. c. radii Solis, in ſpeculum incidentes, oculos intuentis ſpeculum fortiter feriant; ita fieri non poteſt, quin is, qui in verbum Evangelicum, gloria Chriſti plenum, intentis oculis intueatur, illo gratiæ ſplendore & ipſe coruſcet, & aliis plenum ſe eſſe commonſtret. Hinc illa *μεταμόρφωσις εἰς τὴν αὐτὴν εἰκόνα.*

ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν) Poſteriores duas voces ex interpretamento marginali natas ſuſpicatur *W. Wall* in Notis Criticis ſuper N. T. p. 210. invitis Codicibus omnibus, nec minori audacia, quam qua uſus eſt idem in phraſi Paulina *ἐκ πίστεως εἰς πίστιν Rom.* I. 17. decurtanda & enervanda.

καθάπερ ἀπὸ Κυρίου Πνεύματος) *tanquam a Domino, Spiritu*, ſeu, *qui eſt Spiritus.* Ita malim vertere, quam cum aliis: *tanquam a Spiritu Domini.* Κύριος & Πνεῦμα per appoſitionem hic conjunguntur, & reſpicitur ad v. 17. *ὁ δὲ Κύριος τὸ Πνεῦμά ἐστιν.* Si poſterius voluiſſet Paulus, ſcripturus erat *ἀπὸ Πνεύματος Κυρίου*, qua ſtructura utitur v. 17. Confer *Calovium* in Bibliis Illuſtratis & *Franckium* l. c. Ita quoque ſententiam contextus Græci exhibet verſio B. Lutheri vernacula ex ed. Stadenſi an. 1690.

CAP. IV.

VErſ. 1. 2. *Διὰ τοῦτο ἔχοντες τὴν διακονίαν ταύτην, κ. τ. λ.*) Utrique commati lucem affundit Rev. *Balthaſar Mentzerus* in epiſtola Paſtorali prima ad doctores eccleſiaſticos Principatus Calenbergenſis, Hamburgi 1728. 4. germanice edita.

οὐκ ἐκκακοῦμεν) Vide dicta ad *Luc.* XVIII. 1. & confer *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 1047.

Verſ. 2. *Ἀλλ' ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, κ. τ. λ.*) Spectat huc *Jo. Melchioris* Oratio de veritatis ad conſcientiam demonſtratione, quæ exſtat in Operibus ejus Tom. II. p. 544.

ἀπειπάμεθα) *averſamur, repudiamus.* Verbi hujus, ſemel tantum in Novo Fœdere obvii, notionem Herodoti aliquot exemplis illuſtrat Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 491.

τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης) *occulta dedecoris*, i. e. dedecora occulta. Alluditur ad ſacra Gentilium, in quibus multa ſolicite occultari ſolebant, nec niſi *τοῖς μεμυημένοις* aut *ἐπόπταις* dari inſpicienda, qua de re alias diximus. Confer hic *Alex. Morum* pag. 141. *Veritas*, inquit, *lucem non timet. Idem hic Apoſtolus;* Non me pudet Evangelii, *quod in urbe prædicare non dubitem in iſta luce. Sed in rebus humanis nulla ſine arcano majeſtas, & major e longin-*

ginquo reverentia. Myſteria gentium latebras quærunt, Chriſtianorum impune produntur.

μηδὲ δολȣ͂ντες τὸν λόγον τȣ͂ Θεȣ͂) Vide ad cap.II.17. ubi de verbo καπηλέυειν. Adde *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 508. & 591.

ἀλλὰ τῇ Φανερώσει τῆς ἀληθείας) *Itaque veritas Evangelica non repugnat veritati, animo noſtro cum ipſa* Φύσει *implantatæ, ſed hoc præprimis, quod veritates, natura nobis cognitæ de Deo & homine, per verbum Evangelii valde excitentur & illuſtrentur, ita ut mens, bene attendens ad ſe ipſam, pronam ſe debeat ſiſtere ad illi veritati adſtipulandum, vel ſaltem, illam veritatem reverenter & libenter audiendam.* Ita *Vitringa* lib. III. Obſervatt. Sacr. pag. 175. qui tamen in ſequentibus non negat, revelari in Evangelio veritates, rationi a priori non obvias, quemadmodum etiam certum eſt, ejusdem veritatis perſpicientiam, plenamque de ea perſuaſionem non viribus naturalibus, ſed lumini gratiæque cœleſti, deberi.

συνιςῶντες ἑαυτȣ̀ς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων) *commendantes nos ipſos manifeſtatione veritatis ad quamcunque conſcientiam hominum.* Hunc eſſe & ordinem & ſenſum hujus phraſeos Apoſtolicæ oſtendit *Lamb. Bos* p. 157. contra illos Interpretes, qui τὸ συνιςῶντε ςἑαυτȣ̀ς immediate referunt ad voces πρὸς πᾶσαν συνείδησιν τῶν ἀνθρώπων, quæ tamen ad Φανέρωσιν τῆς ἀληθείας, tanquam conſcientiæ cujusque hominis approbandæ, propius ſpectent.

Verſ. 3-10. Ἐι δέ ἐςὶ κεκαλυμμένον τὸ ἐυαγγέλιον ἡμῶν, κ. τ. λ.) Commatibus his illuſtrandis diligentem operam impendit Rev. *Moshemius* in Cogitationibus in loca N. T. ſelecta p. 141-202.

Verſ. 3. ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις ἐςὶ κεκαλυμμένον) Comparanda hic eſt *Frid. Rappolti* diſſertatio de Excœcatione impiorum, Lipſiæ 1672. qua commata 3. & 4. explicantur. Ὁι ἀπολλύμενοι, ſeu *exitio obnoxii*, hic Interpretibus adhuc, quos ſciam, omnibus iidem viſi ſunt cum τοῖς ἀπίςοις v. 4. Cum vero ſic ratio non appareat, cur hi ab illis diſtinguantur, ac præterea ſeries orationis impedite fluere videatur, Rev. *Moshemio* l. c. pag. 146. conſultum viſum eſt, τȣ̀ς ἀπολλυμένȣς a τοῖς ἀπίςοις ita diſtinguere, ut per illos intelligantur *doctores improbi, qui Pauli doctrinam & munus contumeliis lacerabant, nec, ut cæremoniæ a Moſe præſcriptæ, abrogarentur, ferebant; per hos autem Judæi Græcique, quibus nondum doctrinæ cœleſtis veritas illuxerat*, quod ipſum doctoribus illis infelicibus ex parte acceptum ferri debeat. Erudite hæc & prudenter quidem afferuntur, neque tamen vim ſententiæ Apoſtolicæ exhaurire mihi videntur. Apoſtolus eadem voce ἀπολλυμένοις alias utitur, nempe ſupra 1 *Cor.* I. 18. 2 *Cor.* II. 15. & 2 *Theſſal.* II. 10. In locis vero his omnibus generatim illi opponuntur τοῖς σωζομένοις, & τοῖς τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας ȣ̓ δεξαμένοις εἰς τὸ σωθῆναι ἀυτȣ́ς. Itaque non videtur fieri poſſe, ut hos ἀπολλυμένȣς de doctoribus falſis ſpeciatim accipiamus. Præterea Paulo h. l. non tam res eſt cum Pſeud-Apoſtolis, quam cum Judæis penitus incredulis, qui excœcati ſint,

ſint, & *κάλυμμα* Moſaicum circumferant. Vide cap. III. 14. 15. 16. Jam vero Pſeud-Apoſtoli ex parte Evangelicam veritatem amplexi erant, quamvis eam inſtitutis Moſaicis contaminarent. Denique alia ratione difficultati ſermonis Apoſtolici conſuli poteſt, quod mox videbimus.

Verſ. 4. Ἐν ὄις ὁ Θεὸς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ) Ἐν ὄις Rev. *Moshemius* verti vult: *per quos*, nempe τȣ̀ς ἀπολλυμένȣς, ſeu *falſos*, quos innui putat, *doctores*, quorum ſcilicet opera fiat, ut increduli non convertantur. Particula ἐν omnino hanc ſignificationem patitur, quam nos ipſi illi exemplis Sacrorum & externorum Scriptorum vindicavimus Vol. I. p. 237. & 686. Hic tamen locum non tuetur, cum ſatis clara & expedita ſit Pauli oratio, ſi vertamus cum B. Luthero *apud quos*, bey welchen. Hoc ſignificatu pollet τὸ ἐν in antecedente phraſi ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. Tota ſcililicet hæc dictio Hebraiſmi veſtigium habet. Ἐν ὄις ὁ Θεὸς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ ἐτύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίςων, idem eſt, ac ſi ſcripſiſſet: ἐν ὄις ἀπίςοις ὁ Θεὸς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ ἐτύφλωσε τὰ νοήματα *in quibus, nempe infidelibus, Deus hujus ſæculi mentes occœcavit.* Itaque vox ἄπιςοι explicat antecedentem ἀπολλυμένοις, & incredulitatem inſtar cauſæ perniciei æternæ indicat. Tota ſtructuræ hujus ratio Sacris Scriptoribus V. & N. T. frequens eſt, qua loco pronominis relativi ipſum antecedens vel ejus συνώνυμον repetitur. Vide v. c. *Geneſ.* IV. 23. ubi *Lamech* uxores ſuas vocat *uxores Lamechi*, quas vocare ſimpliciter poterat *ſuas*. Adde 1 *Sam.* III. 21. Sic 1 *Cor.* I. 8. Chriſtus, cujus v. 7. facta erat mentio, *confirmaturus* dicitur ſuos *uſque ad finem*, *in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti*, i. e. ſui.

Ὁ Θεὸς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ) Sunt ex veteribus, qui vocem Θεὸς, a ſequentibus per ὑποςιγμὴν ſeparant, atque has, nempe τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ ad τȣ̀ς ἀπίςȣς per *metatheſin* referendas cenſent, ut *Deus infideles hujus ſæculi occœcaſſe* dicatur. Ita *Irenæus*, *Origenes*, *Tertullianus*, *Chryſoſt. Theodoretus* & *Theophylactus*, a *Millio*, *Wetſtenio* in notis ad Origenis Dialog. contra Marcionitas pag. 48. ſqq. & *Suicero* Tom. I. p. 144. laudati, quorum poſtremus merito miratur, doctores illos ad confutandos Ebionitas & alios ipſis ſimiles in hanc ſententiam deſcendere potuiſſe. Adſtipulatur illis *Knatchbullus* p. 88. Sed rectius ὁ Θεὸς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ de diabolo accipitur, quem Chriſtus ſimiliter ἄρχοντα τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ *Joh.* XII. 31. Paulus vero *Epheſ.* VI. 12. κοσμοκράτορα appellat. Compara *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. p. 201. ſqq. Huic vero etiam Judæos excœcationem hominum tribuiſſe ex *Eiſenmengeri* Judaiſmo detecto Part. I. pag. 820. commode obſervavit Cl. *Elsnerus* pag. 144. Hi enim *Sammaëlem*, dæmonum principem, ex eo ajunt appellatum eſſe, שמסמא האדם ומעוותו מהדרך הנכונה *quia excœcat hominem, & a recta via abducit.*

Ἐτύφλωσε τὰ νοήματα) Ita Epictetus apud *Arrianum* p. 75. hominem ἀποτετυφλωμένον τὴν διάνοιαν commemorat. Ejusmodi hominem καταμύοντα τῷ νοερῷ ὄμματι vocat *Antoninus* IV. 29. ubi lege, ſis, *Gatakerum.*

Ἀυγά-

Ἀυγάσαι ἀυτοῖς τὸν φωτισμὸν τȣ̃ ἐυαγγελίȣ τῆς δόξης τȣ̃ Χριςȣ̃) Illuſtrantur hæc nonnihil a *Guſſetio* Diſputat. III. ſuper epiſt. ad Hebræos, in calce Refutationis libri *Chiſſuk Emuna* p. 475.

Ὅς ἐςιν ἐικὼν τȣ̃ Θεȣ̃) De Chriſto, imagine Dei, legendus eſt *Sebaſt. Schmidius* in Tract. egregio de imagine Dei p. 60. & 90. & *Mich. Waltherus* in Quadragena Miſcell. Theologicorum p. 643. Patrum cogitata lege in *Suiceri* Theſauro Tom. I. p. 1028. & 1370. cujus confer Supplementa ad h. l. Ceterum *Hierocles* in Fragmentis, cum comment. in aurea carmina p. 290. Cantabrigiæ editis, Parentes vocat ἐικόνας τȣ̃ Θεȣ̃.

Verſ. 6. Ὅτι ὁ Θεὸς, ὁ ἐιπὼν ἐκ σκότȣς φῶς λάμψαι, κ. τ. λ.) Inſpicienda inprimis eſt B. *Gottlieb Wernsdorfii* diſp. de illuminatione cordium, Witteb. 1714. & ad eam examinanda altera *Jo. Mich. Langii* de illuminatione fidelium ſalutari, Altorf. 1700. Nec minus conferri poterit *Theophil. Alethæus* Tom. II. pag. 288. Placent Rev. *Moshemii* cogitata pag. 153. ſummam ſenſumque horum verborum ita repræſentantia: *Deum Paulum ex reliquorum hominum colluvie evocatum tantæ dignitatis compotem feciſſe, ut ex eo multi diſcerent alii, JESUM filium eſſe Dei, qui mandata divina detulerit ad homines, & æqualis cum eo gloriæ ſit. Hanc autem rem vocibus effert ex ſimilitudine illa hauſtis, quam præcedenti capite attulerat, MOSIS nimirum, cujus facies ſplendebat. Ex hoc ſcilicet ſplendore vultus Judæi colligebant, Moſen cum Deo collocutum, ejusque miniſtrum & legatum eſſe, qui divina ipſis præcepta denunciaret. Pari ratione lux illa, in Paulo & reliquis Apoſtolis fulgens, populis argumento debebat eſſe, JESUM Servatorem eſſe omnium mortalium, Deique Filium, cujus voluntati repugnare nefas ſit. Præter hæc peculiarem Paulo rationem fuiſſe ſuſpicor, quare ſcripſerit, gloriam Dei in facie CHRISTI ſplendere, ut nimirum, MOSIS legi & cærimoniis vim nunc omnem eſſe ademtam obligandi, tacite doceret. Frequentius enim, ac par erat, ad illam MOSIS gloriam reſpiciebant Judæi, quos tecte redarguit Paulus, dicens, non amplius in facie Moſis gloriam Dei fulgere, ſed jam unice in CHRISTI facie, ſive in religione Chriſtiana, quærendam eſſe.*

Τῆς δόξης τȣ̃ Θεȣ̃) *Clarom.* & alii quidam item verſ. *Vulg.* & *Æthiop.* tum *Tertull.* ita hoc repræſentant, ac ſi ſcriptum a Paulo eſſet, τῆς δόξης ἀυτȣ̃, nec Millius dubitat, τȣ̃ Θεȣ̃ ex interpretamento marginali eſſe natum, in Prolegom. §. 296. quemadmodum & recens editor N. T. Græco-Anglicani vocem ἀυτȣ̃ in ipſum adeo contextum recepit. Præcipiti ſane conſilio, quod recte improbat *Whitbius* p. 66. Examinis. Ἡ δόξα reſpicit hic τὸν Θεὸν, τὸν ἐιπόντα ἐκ σκότȣς φῶς λάμψαι, & τὸν Θεὸν, cujus Chriſtus dicitur *imago*, v. 4. Hujus vero nomen, nempe Θεȣ̃, hic repetitur, non ſolum δεινότητος cauſa, ſed & ex conſueta Hebræis loquendi ratione, qui loco pronominis relativi ipſum antecedens repetunt. Vide ad v. 4.

Verſ. 7. Ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τȣ̃τον) Per theſaurum illum rectiſſime intelligitur *prædicatio Evangelii*, Apoſtolis credita, atque adeo illuminatio cordium,

dium, quæ fit per hanc prædicationem. Vide *Suicerum* Tomo I. p. 1402. conſentientes Patrum expoſitiones afferentem. Confer *Epheſ.* III. 8.

Ἐν ὀςρακίνοις σκεύεσιν) *in vaſibus teſtaceis.* Per ea *corpora* Apoſtolorum, multis malis obnoxia, intelligi, ex veteribus voluerunt *Chryſoſt. Theophylactus* & *Theodoretus*, quorum locos affert *Suicerus* Tom. II. pag. 970. ex recentioribus vero *Grotius* ad h. l. *Gatakerus* ad Antoninum pag. 289. b. *Andr. Schottus* in Adagial. Nov. Teſtam. pag. 119. & ad Adagia Diogeniani pag. 228. *Mosheimius* l. c. pag. 155. & *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 85. Nec negari poteſt, Platonicos inprimis Scriptores corpora cum σκεύεσιν ὀςρακίνοις comparaſſe, quod recte *Grotius* monuit. Confer *Steph. le Moyne* in notis ad Var. Sacra pag. 628. ſqq. qui & ipſe h. l. ita accipit. Cum vero miniſterii illius Apoſtolici δεκτικὸν non corpus vel ſolum vel primario, ſed vel inprimis animus eorum ſit, neceſſe eſt, ut ſtatuamus, Apoſtolum per σκεύη naturam ſuam ex corpore & anima conſtantem indicare, in quantum corpus fragilitati, animus vero variis imbecillitatibus, ærumnis & vexationibus obnoxia ſunt. Hunc ſenſum poſtulat, quæ ſtatim ſequitur, *calamitatum* commemoratio. Neque enim illæ corpus tantum & externam conditionem, ſed inprimis animos feriebant. Conſtat vero, etiam Sacros & externos Scriptores vocem σκεῦος ad totum hominem deſignandum adhibere. Vide, quæ diximus Vol. I. pag. 1144. Imo iidem *animum* ſpeciatim σκεῦος vel ἀγγεῖον appellant. Lege *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tomo I. pag. 405. Quæritur proxime, cur Apoſtolus hac potiſſimum comparatione utatur. *Steph. le Moyne* l. c. duas affert conjecturas, ita expreſſas: *Oppoſitione*, inquit, *ad ταμιεῖα & arcas, quæ opes & theſauros flagellant, & in quibus potentiorum divitiæ reconderentur, quæ ſunt vulgo ferreæ, & variis peſſulis ſeris & vinculis munitæ, ut furum & graſſatorum manibus & ictibus poſſint facilius reſiſtere. Vel forſan Apoſtolus, qui de luce Evangelii mentionem mox ingeſſerat, alludit ad lampadas Gideonis, quæ in lagenis teſtaceis erant reconditæ, quibus concuſſis & fractis lampades ſubito fulgore ſuo attonitos Midianitas fugarunt, victoriamque, ſine miraculo non exſpectandam, Gedeoni pepererunt.* Rectius, puto, Paulus reſpicere creditur ad vaſa fictilia, quorum in ſacris uſum apud Judæos frequentem fuiſſe ex *Levit.* VI. 28. XIV. 5. 50. & *Numer.* V. 17. conſtat. Nec Romanos ab illorum uſu in ſacris abhorruiſſe oſtendit *Smetius* in Antiquitatt. Neomagenſibus p. 156. Hinc *Doughtæus* de Calicibus Euchariſticis: *Ego*, inquit, *puto attendi vaſa illa ſacra fictilia, quibus Deo libatum novimus, quod nec Corinthios ex Gentiliſmo oriundos latere poterat: quæ enim illis ſacra ferebantur, omni cura & ſolicitudine, ne vel perirent, vel effunderentur, ſervabantur.* Amplius hæc ornat Cl. *Pet. Zornius* in Biblioth. Antiquario-Exegetica pag. 110. in notis, & in der Erörterung Part. I. pag. 86. ſub *Amelii* nomine edita. Compara B. *Theod. Daſſovium*, ex antiquitatibus Judaicis huc differentem, in diſſert. I. de emphaſi vocum Sacrarum. Scopus Apoſtolici ſermonis hic eſt, ut hinc naturalis imbecillitas præconum Evangelicorum, eorundemque apud homines contemtus; hinc

Ffff virtus

virtus divina, in eodem præconio per ipſos illuſtri modo conſpicua, a quocunque intelligeretur. *Jac. Guſſetius* in Commentar. Linguæ Hebr. p. 344. b. φράσιν Paulinam non inepte comparat cum *Jerem.* XV. 19. atque hinc argumentum θεοπνευςίας duci poſſe oſtendit.

Ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τȢ Θεȣ̃, κ̀ μὴ ἐξ ἡμῶν) *Curcellæus* hic monet, *eſſe, qui putent legendum:* ᾖ ἐκ τȢ Θεȣ̃. Procul dubio ex eo, quod ſtatim ſequitur, κ̀ μὴ ἐξ ἡμῶν. Cave vero, exiſtimes, ullum Codicem ita legere, vel Interpretem veterem ullum, ac ſi ita legiſſet, conjiciendi cauſam præbere. Itaque conjecturam vel *Curcellæi* ipſius, vel cujuscunque alius habes. Paulus certe non aliter ſcripſit, qui etiam amplius aliquid hac phraſi: ᾖ τȢ Θεȣ̃, indicat, quam ſi ſcripſiſſet: ᾖ ἐκ τȢ Θεȣ̃. In priore enim, quod Grotius rectiſſime monuit, τὸ ᾖ idem eſt, quod *appareat, intelligatur, conſpicua ſit*, quod plus valet, quam ſi dicatur *eſſe ex Deo.* Hoc enim præſtruitur, ſi etiam ab hominibus ipſis talis eſſe intelligatur. Jam vero hoc erat Dei conſilium, ut perſpicerent omnes, præconium Evangelii divinum eſſe opus, quod perſiſteret, etiamſi præcones ejus & imbecillitatibus & vexationibus humanis non ſolum obnoxii eſſent, ſed & ex parte injuriis hominum ſuccumberent. Sic Evangelium δύναμις τȢ Θεȣ̃ vocatur *Rom.* I. 16. Confer 1 *Cor.* II. 5. & hic infra VI. 7. & XII. 9. Quomodo vero illa *Dei potentia* ſe in hoc momento prodat & in oculos incurrat, oſtendit *Vitringa* in Obſervatt. Sacris lib. II. cap. VIII. p. 141.

Ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως) Sic infra XII. 9. *Polybius* frequenter ὑπερβολὴν nunc προθυμίας ſeu *alacritatis*, nunc μεγαλοψυχίας, *magnitudinis animi*, nunc ἀθεσίας, *perfidiæ* &c. commemorat. Vide Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybianas pag. 484. ſqq.

Verſ. 8. Ἐν παντὶ θλιβόμενοι,) *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 61. & in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 756. in notis, ad *inopiam* & *paupertatem* τὸ θλίβεσθαι vult referri, provocans ad *Jac.* I. 27. & Patres Apoſtolicos, quos hanc notionem verbo illi tribuiſſe *Pearſonius* in notis ad Ignatii epiſtolas pag. 17. oſtenderit. Non negaverim, ab his id interdum fieri. Jacobum autem l. c. ubi jubet ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανȣ̀ς κ̀ χήρας ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν, aliquid amplius innuere, vel ipſa illa τῶν ὀρφανῶν καὶ χηρῶν commemoratio evincit. Orphani enim & viduæ non paupertati ſolum, ſed & aliis injuriis & calamitatibus, inopia non minoribus, patent, quas proinde voce θλίψις comprehendi nemo negaverit. Nec ullus ex Sacris literis locus afferetur, in quo vel θλίβεσθαι vel θλίψις ad inopiam tantum ſpectet. Imo, ſi talis daretur, hoc certe loco iſta ſignificatio foret anguſtior. Apoſtolus enim ait: ἐν παντὶ θλιβόμενοι, h. e. ſubintellecto vel τόπῳ, vel χρόνῳ, vel χρήματι, *undiquaque*, *continuo*, aut *variis modis.* Quis vero dixerit, Apoſtolos ſemper cum egeſtate conflictatos eſſe, qui interdum apud eos Chriſtianos verſabantur, qui rebus eorum proſpicere & volebant & poterant, id quod Pauli inprimis exemplum

plum commonſtrat, *Philip.* IV. 10. ſqq. Itaque rectius variæ, quæ Apoſtolis incumbere ſolebant, calamitates intelliguntur.

ἀλλ' ὐ ϛενοχωρέμενοι) Verbum ϛενοχωρεῖν & ϛενοχωρεῖσθαι de eo proprie dicitur, qui in *anguſto ſpatio verſatur.* Ita Comicus apud *Athenæum* lib. XIII. ὃς ὐ δυνάμενος τότε παρελθεῖν ῥαδίως, ἀλλὰ ϛενοχωρῶν. Hinc transfertur ad eum, qui *animi ſentit anguſtias.* Atque hæc phraſeos h. l. notio eſt. Germanice dixeris: wir werden nicht in die Enge getrieben, vel, ut rectiſſime B. *Lutherus*, wir ängſten uns nicht. Omnes enim illæ, quantumvis magnæ & variæ calamitates, efficere non poterant, ut Apoſtoli animum deſponderent, & animo hinc inde fluctuantes ſpem omnem abjicerent. Confer hic *Eraſmum Schmidium*, & infra ad VI. 12. Si τὸ θλίβεσθαι de athletis in ſtadio certatim currentibus, & ſe invicem, ut res ferebat, comprimentibus, unquam a veteribus adhibitum legiſſem, vix eram dubitaturus, Apoſtolum ad eos reſpicere, cum in ſequentibus ad athletica ejusmodi certamina reſpectus habeatur. Conſtat alioquin, *Marc.* III. 9. τὸ θλίβειν uſurpari de cœtu hominum, aliquem comprimente, vel opprimente.

ἀπορέμενοι, ἀλλ' ὐκ ἐξαπορέμενοι) Hæc ita vertit & illuſtrat *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris c. XXIV. p. 84. Hæſitantes, at non prorſus hærentes. *Ἀπορεῖσθαι enim eſt, neſcire modum ex difficultate aliqua ſe expediendi, atque adeo perplexe hæſitare. Quod ex illo* Xenophontis *loco perſpicuum eſt* Ἑλλην. ϛ' *de obſidione Corcyræ ſic ſcribentis:* Ἐπεὶ δὲ οἱ Κερκυραῖοι ἐκ μὲν τῆς γῆς ὐδὲν ἐλάμβανον, διὰ τὸ κρατεῖσθαι κατὰ γῆν, κατὰ θάλασσαν δὲ ὐδὲν εἰσήγετο αὐτοῖς, διὰ τὸ ναυκρατεῖσθαι, ἐν πολλῇ ἀπορίᾳ ἦσαν. *At vero* ἐξαπορεῖσθαι *eſt prorſus animo concidere & ſpem omnem abjicere, quomodo in eadem epiſtola c.* 1. *comm.* 8. *uſurpatur a Paulo:* ὥϛε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς ϗ τῦ ζῆν, *adeo ut prorſus conſilii inopes eſſemus, etiam quod ad vitam. Itaque* ἀπορέμενοι perſequentes, ἐξαπορέμενοι, relicti *ab Apoſtolo vocantur: uti & comm.* 9. *illi* διωκόμενοι, *iſti* ἐγκαταλειπόμενοι *dicuntur.* Illum *Xenophontis* locum adhibuit etiam *Victorinus Strigelius.* Nec dubitem ego in generali illa *anxietatis* notione perſiſtere, quam & Patres quidam apud *Suicerum* Tom. I. p. 469. tenent. Sic Scholiaſtes *Thucydidis* ad lib. II. c. 19. ἀπορίαν per ἀδυναμίαν interpretatur, & *Heſychius* ἀπόροις per ἀμηχάνοις. *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 558. iterum hic de egeſtate Pauli cogitari poſſe cenſet, quamvis nec ſignificatum modo expoſitum averſetur. Ἀπόρυς *egenos* dici oſtendit *Joſ. Nerius* lib. II. Analectorum c. 2. & *Heſychius*, *Suicero* judice Tomo I. p. 470. ad h. l. reſpexit, quando τὺς ἀπορυμένυς per πενομένυς interpretatur. Anguſtiorem vero eam notionem non minus in hac voce eſſe, quam in antecedente θλιβόμενοι, mihi perſuaſiſſimum eſt, & perſuaſurum me puto aliis, qui hic gradationem quandam in enarranda Apoſtolorum adflicta conditione perſpexerint. Compara *Henr. Stephanum* de Stylo N. T. p. 6. in Syntagmate Honertiano Scriptorum de Stylo N. T. Conferri etiam poſſunt, qui de ἀπόροις Dialecticorum & Sophiſtarum præceperunt, ab *Amelio* p. 558. laudati.

Verſ. 9. *Διωκόμενοι, ἀλλ᾽ οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι*) Phraſes hæ ſunt athleticæ, de quibus ita *Lydius* l. c. p. 83. *Utrumque λείπεσθαι*, relinqui, *&* *διώκειν*, perſequi, *curſorum eſt: ſed illud dicitur de jam victis & animo ac corpore pariter deficientibus; hoc vero de graviter laborantibus & defatigatis, nondum tamen animum deſpondentibus, quin imo antagoniſtam antevertere conantibus.* Τὸ λείπεσθαι de iis uſurpari, qui ab adverſario ſuperantur, & poſt tergum ejus relinquuntur, idem probat p. 84. ſqq. tum aliorum Scriptorum locis, tum inprimis illo *Harpocrationis* in Lexico X. Oratorum; Ἀπολελοιπότες, *ἀντὶ τοῦ νενικηκότες. ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν δρομέων· οἱ γὰρ νικῶντες ἀπολείπουσι τοὺς ἡττημένους.* Sic *Iſocrates* in Encomio Evagoræ: *καὶ γὰρ ἐκεῖνοι παρακελεύονται τῶν δρομέων οὐ τοῖς ἀπολελειμμένοις, ἀλλὰ τοῖς περὶ τῆς νίκης ἀγωνιζομένοις.* Covenientius tamen, ſi quid video, fuerit, utramque phraſin a bello ſeu certamine militari deſumtam putare. In illo enim *διώκεσθαι* dicuntur, qui pro hoſtibus habentur, *ἐγκαταλείπεσθαι* autem illi, qui vel a duce, vel a civibus aut ſociis ſuis in ipſo belli diſcrimine deſeruntur, aut in hoſtium poteſtate relinquuntur. Monuit hoc, & aliquot *Polybii* locis probavit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 485. Is enim cum p. 462. Euripidem, ducem Eleorum, fuga ſe proripientem, commemoraſſet, addit: *τὸ λοιπὸν πλῆθος τῶν Ἠλείων ἐγκαταλελειμμένον ὑπὸ τοῦ προεστῶτος, καὶ γεγονὸς ἐκπλαγὲς ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι, κατὰ πορείαν ἔμεινε διαπορούμενον, τί δεῖ ποιεῖν καὶ ποῖ τρέπεσθαι.*

καταβαλλόμενοι, ἀλλ᾽ οὐκ ἀπολλύμενοι) Ad luctam hic alludi jam obſervavit *Camerarius*, copioſius autem adſeruit *Lydius* l. c. pag. 87. ſqq. Καταβάλλειν enim is dicebatur, qui adverſarium in terram proſterneret. Ita *Plutarchus* Sympoſ. lib. II. Quæſt. 4. ex Soſiclis mente: *ἡ γὰρ πάλη μοὶ δοκεῖ τὸ παλαίειν, ὅπερ ἐστὶ δὶ ἀπάτης καὶ δόλου καταβάλλειν.* Illuſtris eſt *Chryſoſtomi* locus Serm. XXII. in cap. VI. epiſt. ad Epheſios: *Ἂν παλαίοντες ἐξέλθωμεν, νενικήκαμεν· οὐ γὰρ ὡς τῶν ἀθλητῶν, οὕτως καὶ ἐνταῦθα· ἐκεῖ μὲν ἐὰν μὴ καταβάλῃς, οὐ νενίκηκας· ἂν μὴ καταβληθῇς, κατέβαλες εἰκότως.* Plura hujus notionis exempla profert illuſtris *Ezech. Spanhemius* in notis ad Juliani Orationes pag. 262. Apoſtolus id ſibi vult, fieri interdum, ut in lucta cum calamitatibus vel proſternantur, vel ſaltem proſtrati & dejecti, exitioque proximi, aut obnoxii videantur; ſed eluctari ſe tamen, &, viribus animiſque ſumtis, victores evadere, nec inſtar proſtratorum penitus ſuccumbere. Egregius prorſus hic Pauli locus eſt, & qui cum quavis exterorum oratorum eloquentia certare poſſit. Habes hic *παρονομασίας* elegantiſſimæ in phraſi *ἀπορούμενοι ἀλλ᾽ οὐκ ἐξαπορούμενοι* exemplum. Alluditur ad præſentiſſima & graviſſima hinc pericula, hinc conatus, quorum in curſu, lucta & certaminibus bellicis veſtigia exſtant. Denique gradatio, præſtantiſſimis quibuſque dicendi artificibus recepta, occurrit. Primum enim varii generis calamitates per *θλίβεσθαι*, deinde animus conſilii inops, vel ſaltem incertus, per *ἀπορεῖσθαι*, tum vehementior adverſarii, adflictiſſimis imminentis, impreſſio, denique conſertio manuum, mortem minitans, commemorantur; his vero omnibus ea ad latus pronuntur, quæ divini Numi-

Numinis, inſtar ducis, & Soſpitatoris, ἀπὸ μηχανῆς, opem præſentiſſimam repræſentant.

Verſ. 10. & 11. Πάντοτε τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, κ. τ. λ.) In utrumque comma commentatur Rev. *Mosheimius* in concionibus vernaculis Parte I. p. 1. ſqq. in Diſput. de Demonſtratione vitæ Jeſu ex morte Apoſtolorum, Helmſtad. 1724. & in Cogitationibus ſuper loca ſelecta N. T. p. 158. ſqq. diligenter oſtendens, Apoſtolum in eo eſſe, ut probet, omnes illas Apoſtolorum calamitates præconio Evangelico adeo præjudicio & fraudi non eſſe, ut potius CHRISTUM & vivere, & præconibus ſuis opem ferre demonſtrent. Confer Annales Academiæ Juliæ Semeſtri VIII. p. 203. ſq.

Νέκρωσις τοῦ Κυρίου hic *mortem Domini* infert, quam v. 11. & 12. clarius θάνατον appellat. Sic *Irenæus* lib. III. c. 20. p. 246. eandem *Domini mortem* νέκρωσιν vocat, quam ſignificationem in Onirocriticis Aſtrampſychi occurrere ex *Gatakero* ad Antoninum lib. VII. §. 11. inter reliqua opportune obſervavit *Mosheimius* l. c. p. 163. Nec aliter intellexit *Chryſoſtomus* ad h. l. Τί ἐστιν, inquit, ἡ νέκρωσις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, ἣν περιέφερον; οἱ θάνατοι οἱ καθημερινοί, δι᾽ ὧν καὶ ἡ ἀνάστασις ἐδείκνυτο. *Quid eſt mortificatio Domini Jeſu, quam circumferebant? Quotidianæ mortes, per quas etiam reſurrectio commonſtrabatur.* Ex quibus verbis una intelligitur, νέκρωσιν illam ſeu *mortem* inferre molem calamitatum, mortis nunciarum, quas Chriſti nomine doctrinæque ejusque cauſa perferebant Apoſtoli. Hinc v. 11. εἰς θάνατον παραδιδόμεθα διὰ Ἰησοῦν. Fortaſſe tamen *mors Chriſti* ſpeciatim ideo huc advocatur, ut mortis genus, quo Servator noſter obiit, i. e. *crux* innuatur. Hæc elegans eſt *Mosheimii* conjectura, quam amplius ornat p. 167. ſqq. varia afferens momenta, quæ collationem vitæ antiquorum Chriſti diſcipulorum cum conditione cruciariorum in aprico collocent.

Verſ. 11. Εἰς θάνατον παραδιδόμεθα) Ita prorſus *Herodotus* ducem Phocenſes, hoſtium incurſioni obnoxios, alloquentem inducit lib. IX. p. 591. ὦ Φωκέες, πρόδηλα γάρ, ὅτι ἡμέας οὗτοι οἱ ἄνθρωποι μέλλουσι προόπτῳ θανάτῳ δώσειν, ubi alii codices legunt παραδώσειν. Vide *Raphelii* Annotatt. Herodot. p. 491.

Ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ φανερωθῇ ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ ἡμῶν) Interpretes hæc plerumque vel de vita ſpirituali, quæ ſe beneficio gratiæ, per Chriſtum partæ, in credentibus exſerit, vel de vita glorioſa, inpoſterum a Chriſto exſpectanda, accipiunt. At Rev. *Mosheimius* l. c. p. 179. ita hæc παραφράζει: *Deus idcirco ut nos excruciemur, permittit, ut alii ſentiant, JESUM, ad quem nos adducere ſtudemus homines, non interiiſſe, quum in cruce moreretur, ſed in vitam rediiſſe, & in cœlis vivere.* Huic interpretationi ex ſerie ſermonis Apoſtolici inſignem veri ſpeciem conciliat Vir doctiſſimus p. 180. ſqq. quem ipſum legi velim. Eandem video etiam *Ægid. Hunnio*, Interpreti ex noſtratibus eximio, & πολλῶν ἄλλων ἀνταξίῳ, placuiſſe. *Vitam*, inquit, *Jeſu in corpore ſuo manifeſtam fieri dicit, quod tum paſſive intelligi poteſt de ipſa vita, qua Jeſus vivit, quæque propalam ex eo agnoſcitur, quod ſuos ſemper regit, vivificat, & ex ſummis difficultati-*

tatibus liberat: tum etiam active, illæ perpetuæ liberationes Pauli, aut conſervationes poſſunt dici vita Jeſu, ſeu quædam ejus efficacia, quia ipſe eas effecit, & denique ipſe in eis vivit ac viget. Hæc adeo non diſplicuerunt *Calovio* in Bibliis Illuſtratis, ut cum ſuperioribus de virtute Dei v. 7. magis convenire exiſtimaverit.

Mihi quidem ita rationes inſtituendæ videntur, ut Paulus v. 10. & 11. iisdem fere phraſibus uſus, non tamen prorſus idem dicere voluiſſe exiſtimetur. Verſ. 10. per νέκρωσιν Jeſu graviſſimas quasque calamitates, quæ Domino usque ad mortem ipſam incubuerunt, & Apoſtolis quoque ejus exemplo incumbebant, intellexerim, quibus ferendis, imo etiam ſuperandis, cum pares ſe demonſtrarent Apoſtoli, Chriſti, Domini ſui, ut *viventis* & *potentis*, veſtigia circumferebant, & aliorum oculis oſtentabant. Hinc v. 11. putem ſermonem eſſe de *morte* ipſa, quam, ut Dominus olim pro ſuis, ſic ipſi ob Chriſti nomen & doctrinam aliquando ſubituri erant, atque ita in *glorioſam* cum Domino vitam transferendi. Itaque v. 10. de *vita* Chriſti ipſius & virtute in Apoſtolis conſpicua, verſu vero 11. de vita *æterna* poſt reſurrectionem certiſſime cum Chriſto, tanquam auctore ejus & datore, obtinenda, ſermonem eſſe exiſtimo. Ita ut ſentiam, adduci me video, quod v. 10. τὸ σῶμα commemoratur, variis ſcilicet calamitatibus obnoxium, & per ſe fragile, nec ad impetus vel ſuſtinendos vel depellendos aptum; quemadmodum v. 11. σὰρξ θνητὴ corpus indicat tum mortale, tum morti jam traditum, atque adeo immortalitati propius factum. Duplicem itaque ſpem conjungit Apoſtolus, alteram, cujus fructum ex vita Chriſti in calamitatibus ſuis quotidie capiant, nempe opem divinam; alteram cœleſtis gloriæ, quam poſt hanc vitam in ſe implendam eſſe certiſſime augurabantur. Niſi *manifeſtatio vitæ Jeſu* v. 11. hoc ſenſu accipiatur, non video, quæ ratio reddi poſſit, cur Paulus v. 14. ſqq. tractationem de futura mortuorum excitatione per Chriſtum, eamque ſequente beatitate, adgrediatur. Cauſa vero hæc in promtu eſt, ſi glorioſam *vitam*, quam Chriſtus ſuis impertietur, antea commemoratam credamus. Illam enim excitationem corporum antecedere neceſſe eſt, ſi ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ *vita*, & cum ea conjuncta immortalitas, manifeſtari debet.

Verſ. 12. Ὥστε ὁ μὲν θάνατος ἐν ἡμῖν ἐνεργεῖται, ἡ δὲ ζωὴ ἐν ὑμῖν) Hæc ita παραφράζει Rev. *Moshemius* p. 180. *Nos igitur, quibus crucis onus impoſitum eſt, aliquo modo experimur mortis ejus atrocitatem, quam pro nobis in cruce JESUS ſuſtinuit: vos vero, qui ex noſtris percipitis doloribus, JESUM vivere, ſummam inde conſolationem in animis ſentitis, quoniam id vos condocefacit, veſtris etiam corporibus vitam aliquando reſtitutum iri. Atque ita ſuo modo vitam talem vivitis, qualem JESUS vixit ex ſepulchro rediens.* Crediderim, etiam ſine poſtremis his verbis priora mentem Pauli ſatis exhaurire. Senſus fuerit: quemadmodum nos Apoſtoli, varias & continuas calamitates perferentes, *mortem* Chriſti guſtamus; ita vos viciſſim, illis ærumnis non æque ac nos obnoxii, vitam Chriſti efficacem in vos deprehenditis, tanquam a Deo per

præ-

præconium noſtrum Evangelicum, fide receptum, regenerati εἰς ἐλπίδα ζῶσαν in ſpem *vivam*, ſeu *vitæ æternæ*, in Chriſto per reſurrectionem ejus, ex qua proinde & ipſe vivat, fundatam. Novi eſſe, qui verbum ἐνεργεῖται non *activo*, ſed *paſſivo* ſenſu ſumendum eſſe contendant. Inter hos eſt *Grotius*, & Cl. *Gerh. Outhovius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 472. ita vertens: *itaque mors quidem in nobis fit, producitur*, aut *exercetur*, *vita vero in vobis*. At nihil video cauſæ, cur a communiore verbi ſignificatione activa recedamus. Eam poſtulant antecedentia, in quibus Paulus *mortem Chriſti*, tanquam per calamitates in Apoſtolos graſſantem & dominantem, ſicut *vitam Chriſti* in iisdem, præſtito auxilio, operoſam repræſentavit.

Verſ. 13. Ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα) Reſpiciunt hæc *Pſalm.* CXVI. 10. האמנתי כי אדבר quam ſententiam iisdem, quibus Paulus utitur, verbis expreſſerunt οἱ LXX. Nonnullis τὸ כי non per διὸ, ſed per ὅτι *quia*, viſum eſt interpretandum, quibus ab aliis commonſtratum eſt, τὸ כי etiam alias, v. c. 1 *Sam.* I. 25. XXVII. 1. &c. idem eſſe, quod *propterea*. Lege præter *Noldium* in Concordantiis Particularum Hebraicarum, Pſalmorum Interpretes, & eos, qui allegationem Paulinam cum dicto Pſaltæ contulerunt, nominatim *Hackſpanium* in Sylloge Diſputationum p. 605. præſtantiſſimum *Jo. Grammium* in Diſp. II. de veteris Teſtam. verſionis Græcæ allegatione in Novo p. 43. & Cl. *Franc. Wokenium* in Harmonia V. & N. Teſtamenti p. 371. ſq. Impeditiora mihi videntur, quæ hic attulit *Jac. Guſſetius* in commentariis Linguæ Hebrææ p. 379.

Verſ. 15. Ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα, διὰ τῶν πλειόνων, κ. τ. λ.) Vide ſupra ad I. 11.

Verſ. 16. Ἀλλ᾽ εἰ καὶ ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος διαφθείρεται, ἀλλ᾽ ὁ ἔσωθεν ἀνακαινοῦται) ὁ ἔξω ἄνθρωπος, *externus homo dicitur corpus, exteriorque vitæ ſtatus & conditio, ut ſatis ipſe Paulus declarat ſupra* v. 8. 9. 10. mortificationem Domini Jeſu in corpore circumferentes. *Corrumpitur ergo externus homo, quando vel corpori adverſa accidunt, verbera, carceres, morbi, exilium, vel aliis calamitatibus rerum noſtrarum ſtatus affligitur.* Ita rectiſſime & ſenſui Paulino convenienter Rev. *Raphelius* in Annott. Herodoteis p. 492. Adde fortgeſetzte Sammlung von Alten und Neuen Theologiſchen Sachen an. 1729. pag. 501. Ita prorſus *Theophylactus* ad h. l. ὁ μὲν ἔξω ἄνθρωπος, τουτέστι, τὸ σῶμα, φθείρεται· πῶς; μαστιζόμενος, ἐλαυνόμενος. *Externus quidem homo, i. e. corpus corrumpitur, quomodo? dum flagris cæditur, dum agitatur.* In eandem ſententiam accipi etiam poſſunt verba *Vitringæ* in Obſſ. Sacris lib. II. p. 132. ὁ ἔξω ἄνθρωπος *eſt homo, in quantum corpus eſt, & corporis motibus obtemperat*, ὁ ἔσωθεν ἄνθρωπος *eſt homo, in quantum mens eſt, a Spiritu Dei acta & recta. Hi duo ſibi ſunt oppoſiti. Quicquid alteri decedit, id alteri accedit. Quanto magis corpus alitur, ſive ejus habetur* πρόνοια, *cura*, εἰς ἐπιθυμίαν, *ad concupiſcentiam*, (*Rom.* XIII. 14.) *tanto magis mentem irritat & obruit.* Cavendum tamen hic eſt, ne *hominem exteriorem*, cum *homine vetere*, *interiorem* autem cum *novo* confundamus, quod Theologi & cordati Interpretes ad h. l. ſapienter obſervant.

Διαφθεί-

Διαφθείρεται) Verbum hoc de corporis vitio, v. c. *ſurditate* ab *Herodoto* lib. I. pag. 15. adhiberi monuit *Raphelius* l. c. Is enim de ſurdo Crœſi filio ait: ὅτι διέφθαρτο· ἦν γὰρ δὴ κωφὸς, quemadmodum eundem p. 17. διεφθαρμένον τὴν ἀκοὴν appellat.

Ἀλλ' ὁ ἔσωθεν) Ἀλλὰ particulæ εἰ reſpondens, ſignificat *tamen*, ut infra XIII. 4. & *Coloſſ.* II. 5. Sic & *Herodotum* loqui, idem *Raphelius* commonſtravit. *Interior* homo, vi oppoſitorum, ſignificat *animam*, tanquam ἐ βλεπομένην, ſeu ſenſibus hominum non expoſitam, v. 18. *Theophylactus* l. c. ὁ δὲ ἔσω, τυτέςι, τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ ἀνακαινῦται· πῶς; ἀγαθὰς ἐλπίδας ἔχυσα, καὶ παῤῥησιαζομένη, ὡς διὰ τὸν Θεὸν πάχυσα καὶ χαίρυσα. *Internus vero, i. e. ſpiritus & anima, renovatur: quomodo? cum bene ſperat, & confidenter agit, utpote propter Deum patiens & gaudens.*

ἡμέρα καὶ ἡμέρα) Hebraiſmi veſtigia in hac phraſi oſtendit *Jo. Vorſtius* in Philologia Sacra Parte I. p. 251. & II. p. 252.

Verſ. 17. Τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως, κ. τ. λ.) Verba hæc illuſtrat *Alethæus* Tom. IX. der Erläuterung pag. 223. & D. *Frider. Ern. Meis* in expoſitione orthodoxa v. 17. & 18. Siluſiæ 1701. Τὸ παραυτίκα idem, quod alias dicitur, ἐν τῷ παρόντι, ſeu, ut *Vulg.* vertit, in *præſenti*, denotare variis *Xenophontis* locis oſtendit *Raphelius* p. 237. Annotatt. Xenophontearum, quibus aliorum aliquot addit *Elsnerus* pag. 145. *Xenophon* lib. I. pag. 19. commemorat τὰς τῶν παραυτίκα ἡδονῶν ἀπεχομένας, ὐχ ἵνα μηδέποτε εὐφρανθῶσι, ἀλλ' ὅπως διὰ ταύτην τὴν ἐγκράτειαν πολλαπλάσια εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον εὐφραίνωνται. Neque tamen propterea puto reprehendendos, qui *momentaneam* vel *illico prætereuntem afflictionem* hic expreſſerunt, ad quos B. Lutherus quoque pertinet, per Zeitlich interpretatus. Omne enim præſentis temporis ſpatium vix momenti rationem habet, ſi cum infinita illa æternitate conferatur, quod recte monuit *Raphelius* l. c. Et valde fallor, aut πρόσκαιρον illud, quod Codices nonnulli poſt παραυτίκα exhibent, & cum voce ἐλαφρὸν conjungunt, ex interpretamento, idem inferente, natum eſt.

Καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν) Eſſe, qui adverbium negandi hic præponi velint, ὐ καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, teſtatur *Curcellæus* ad h. l. Conjectores ex ingenio tales fuiſſe neceſſe eſt, quales ad v. 7. idem produxit. Nullus enim codex, nulla verſio, hujus lectionis veſtigium exhibet. Neque vero ea conjectura opus eſt, cum receptæ lectioni ſenſus ſuus conſtet. Eſt enim periphraſis ſuperlativi, quem expreſſeris per ὑπερβολικωτάτως αἰώνιον. Ita vero amat loqui Paulus. Sic cap. III. 18. ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, & *Rom.* I. 17. ἐκ πίςεως εἰς πίςιν. *Jac. Guſſetius* in Commentar. Linguæ Hebrææ p. 452. phraſin hanc recte confert cum Hebraica במאד מאד *Exodi* I. 7. *quaſi diceret* Paulus: *utere verbis, quæ oratori loquenti* καθ' ὑπερβολὴν *ſolennia ſunt, deinde, iſta hyperbole poſitivi gradus loco ſumta, aſcendat oratio ſupra eam, quantum figura hyperbole ſupra res vulgares efferri ſolet; poſtea tamen dictis tuis vix æquabis id, quod proprie & ſine figura de beatorum in cœlo ſtatu dici deberet, ſi verba non deficerent.*

cerent. Cave etiam, putes, quod conjector ille Curcellæi cogitaſſe videtur, phraſin hanc quaſi inſtar oppoſiti ad præcedens ἐλαφρὸν pertinere. Quomodo enim S. Paulus vel cogitaret, præſenti calamitati ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν tribui a quoquam poſſe, quam ipſe modo ἐλαφρόν τι dixerat? Videre potius hic mihi videor illuſtre orationis ὕψος, & talem dicendi ſublimitatem, ſublimi illi & cogitatione nunquam aſſequendæ gloriæ accommodatam, quam præſtantiſſimus quisque dicendi artifex admiretur. Attende, quæſo, ad phraſin ſequentem:

Αἰώνιον βάρος δόξης) Conſtat, vocem Hebræam כבוד proprie quidem *pondus* & *gravitatem*, translate vero *dignitatem*, *gloriam* & *honorem* ſignificare. Dubitanti fidem rei fecerit *Vitringa* Obſſ. Sacr. lib. III. p. 357. ſeq. Jam Hebræo כבוד reſpondet Græcum βάρος. Utramque hic Paulus elegantiſſime & efficaciſſime conjunxit, αἰώνιον βάρος δόξης commemorans, quemadmodum *Trebellius Pollio* cap. IV. *nobilitatis pondus* appellat.

Verſ. 18. Μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα, κ. τ. λ.) Lege ex Patribus huc commentantem *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 701. & 1404. & *Eraſmi* Opera Tom. III. p. 556. B. Qui ex h. l. efficere voluerunt, nullum eſſe ſtatum animarum poſt hanc vitam, niſi æternum illum, adeoque nullum prorſus ante reſurrectionem, iis dextre occurrit *Lud. Cappellus* in Operibus p. 256.

CAP. V.

VErſus 1-4. illuſtrat *Seb. Schmidius* in Tract. de Imagine Dei p. 256. & *Campeg. Vitringa* in Expoſitione variorum locorum N.T. quæ cum comment. ejus Belgico in epiſt. ad Galatas & Titum prodiit, p. 157. ſqq. Adde *Henr. Morum* in Operibus Latinis p. 63. ſqq.

Verſ. 1. Οἴδαμεν γὰρ, ὅτι ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, κ. τ. λ.) Commati huic lucem accendunt *Jo. Marckius* in Exercitatt. Miſcellaneis pag. 340. ſqq. *Herm. Erdwinus Polemannus* in Exercitat. Programmat. XIII. p. 18. ſq. *Lud. Cappellus* in Operibus p. 255. & M. *Adamus Zahn* in Actis Eruditorum Lipſ. Latinis Tom. VIII. Supplementorum p. 119.

Οἰκία τοῦ σκήνους) idem eſt, quod οἰκία σκηνώδης, *domus tabernaculo*, ſeu, tugurio *ſimilis*. Adjectivo enim uti hic nolebat, nec fere poterat, Apoſtolus, cum adjectivum aliud ἐπίγειος antecederet. Ceterum *corpus* hominis hic intelligi per ſe patet. Illud vero σκηνή, σκῆνος, σκήνωμα ab externis Græciæ Scriptoribus appellari ſolere a multis eſt oſtenſum. Vide *Jo. Arndii* Miſcellanea Sacra p. 129. *Jo. Henr. Majum* Obſervatt. Sacr. lib. IV. pag. 50. ſq. *Jo. Doughtæum* in Analectis ad h. l. p. 122. *Thom. Gatakerum* ad Antonin. pag. 420. *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 512. & p. 631. ſqq. *Jac. Lydium* de Re militari pag. 181. *Dan. Wilh. Trillerum* in Specimine Hippocratico p. *Jac. Elsnerum* p. 145. & *Jo. Alberti* pag. 360. Obſervatt. Hic poſtremus ſpeciatim ex Clemente Alexandrino Strom. lib. V. p. 593. obſervaverat, *Platonem* corpus γήινον σκῆνος, ut auctorem libri Sapient. IX. 15. γεῶδες σκῆνος appellaſſe, ideoque Paulum phra-

ſibus ex philoſophia Platonica deſumtis h. l. uſum eſſe profeſſus erat. Quod cum animadverſione dignum videretur auctori anonymo in Actis Erudit. Lipſ. Latinis Tom. IX. Supplementorum p. 13. cauſam ſuam idem egit in præfat.ad Periculum Criticum. Interim Hebræis eandem loquendi rationem receptam fuiſſe, vel allatus ille libri *Sapientiæ* locus oſtendit. Nec alienus eſt Jobi alter c. IV. 19. ubi homines שוכני בתי חמר, *habitatores ædium e luto* conſtantium appellantur. Hinc factum eſt, ut *Guil. Worthus* ad Tatiani Oration. §. 58. Platonicos hujus phraſeos uſum a Judæis mutuum accepiſſe affirmaret. Ex Græcis *Nicandrum* in Theriacis corpus vocaſſe σκῆνος, obſervatum eſt *Bocharto* Parte II. Hierozoici p. 503. *Longinus* περὶ ὕψυς ſect. 32. n. 5. ἀνθρώπινον σκῆνος memorat, ubi *Tanaqu. Fabri* notas legi velim. *Lucretium* quoque ex Latinis Lib. V. v. 138. *vas* pro *corpore* dixiſſe monet hic Cl. *Alberti.* Id vero magis reſpondet Græcorum σκεῦος, quo Scriptores etiam in hoc ſignificatu uſos eſſe ſupra ad IV. 6. monuimus. *Origenes* more ſuo πλατωνίζων lib. VII. contra Celſum p. 353. per σκῆνος intelligit *ſubtile corpus*, quo anima ante nativitatem in his terris fuerit instructa. Lege contra ipſum *Cudworthi* animadverſiones in Syſtemate Intellectuali p. 818.

Καταλυθῇ) Καταλύειν τὰς σκηνὰς eſt *detendere tentoria*, e contrario ἀναςῆσαι τὰς σκηνὰς eſt eadem iterum *tendere* atque *figere*,apud *Polybium* lib. VI.c.38. p. 674. quod indicavit *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 486. Sic *Anacreon* Od. IV. Ὀλίγη δὲ κεισόμεθα κόνις, ὀςέων λυθέντων & Od. XIV. de Cupidine jaculo ipſum vulnerante, ut pene moreretur:

Μέσος δὲ καρδίης μευ
Ἔδυνε κ̀ μ' ἔλυσε.

Habet hæc Cl. *D. W. Trillerus* in Notis MSS.

Οἰκοδομὴν ἐκ Θεȣ̃ ἔχομεν) Τὸ ἐκ idem eſt, quod ὑ. Sic *Herodotus* lib. I. p. 15. ἔλαβε ἐκ Θεῶν νέμεσις μεγάλη Κροῖσον. Lege alia apud *Raphelium* in Annotatt. Herodoteis p. 493.

Quod ad rem, quæ hoc commate traditur, attinet, diſputatum eſt ab Interpretibus, utrum hic tantum de *corporibus* beatorum mentio ſit, quæ per mortem deponantur, poſt reſurrectionem aliquando cum aliis nobilioribus permutanda; an vero de conditione animarum beatarum, in quam ſtatim ab exceſſu ex corpore in æternis illis & glorioſis ſedibus, a Deo paratis, ſint transferendæ. Priores partes *Sociniani* & *Grotius* quoque tuentur; poſteriores noſtrates omnes, & ex ceteris plerique. Et recte quidem, cum ex antecedentibus manifeſtum ſit, Paulum & ſe & alios ſui ſimiles excitare ad bene, etiam inter medias hujus ſæculi calamitates, ſperandum, ideo quod certi eſſe poſſint de meliore rerum ſuarum ſtatu poſt hanc vitam obtinendo. Is vero talis non erat futurus, ſi animæ in Domino defunctæ ab exceſſu nihil quicquam ſentirent, ſed corporis reſtitutionem exſpectare deberent. Idem clarius intelligitur ex v. 8. ubi Paulus teſtatur, flagrare ſe deſiderio *exulandi* ex corpore, & *commorandi* apud Dominum. Hoc deſiderium præſtruit omnino certiſſimam ſpem,fore, ut ani-

animabus, ubi ex corpore fragili & ærumnoſo exceſſerint, apud Deum bene ſit, fructum ſcilicet æterni habitaculi capientibus. Sententiam hanc ab exceptionibus Socinianorum egregie, ut noſtrates taceam, vindicavit *Vitringa* in Expoſitione illa difficiliorum Scripturæ S. locorum in limine capitis hujus laudata, p. 161. ſq.

Verſ. 2. *Καὶ γὰρ ἐν τȣ́τῳ ςενάζομεν*) *Ἐν τȣ́τῳ* nonnulli Interpretes referunt ad *σκῆνος* antecedens, ſeu *corpus*, in quo animæ adhuc verſentur, calamitatibus atque adeo gemitibus & ſuſpiriis obnoxiæ. Ita *Starckius* in Notis Selectis p. 133. & *Zeltnerus* in calce verſ. Bibliorum Germanicæ p. 200. Alii verti volunt per *interim*. Inter hos eſt *Henr. Stephanus* de Stylo N. T. p. 25. Syntagmatis Honertiani, & Tom. V. Theſauri Critici Gruteriani in Supplementis p. 80. Alii denique idem eſſe volunt *ἐν τȣ́τῳ* quod Hebræorum בזה, i. e. *διὰ τȣ̃το*, *propterea*. Hoc placuit B. *Godofr. Oleario* in Prælectionibus MSS. Atque hoc ipſum mihi præ ceteris arridet, ut ſcilicet phraſis *ἐν τȣ́τῳ*, referatur ad verbum *οἴδαμεν*, ſeu notitiam ſtatus beatioris certiſſimam, quæ efficiat, ut illius deſiderio vehementiſſimo ferantur. Ad *σκῆνος* phraſis vix poteſt referri, cum Paulus ſcripſerit *οἰκίαν τȣ̃ σκήνȣς*, atque adeo, habito hoc reſpectu ſcripturus fuiſſet *ἐν ταύτῃ*.

τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ ȣ̓ρανȣ̃) Hoc eſt, vel *ex cælo*, i. e. *a Deo* ut v. 1. & ut *Matth.* XX. 25. baptiſmus Joannis *ex cælo*, i. e. a Deo fuiſſe dicitur: vel *cæleſte*, pro *ἐν τοῖς ȣ̓ρανοῖς*, ut idem v. 1. exſtat. Ita recte interpretatur phraſin Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 238. eadem opera aliquot *Herodoti* locis oſtendens, *τὸ ἐκ* ſæpe pro *ἐν* uſurpari. Conferantur ejusdem Annotationes Herodoteæ p. 493. Scilicet domicilium, ſeu futura corporum & animorum noſtrorum gloria & Deum habet auctorem, & in beatis ſedibus eſt exſpectanda. Itaque per *οἰκητήριον* non *corpus*, a terreſtri hoc prorſus diverſum, & poſt reſurrectionem beatis parandum, quod Sociniani ſomniant, ſed *glorioſus* potius corporis aliquando excitandi & animæ ſtatus, qualis cœli inquilinos decet, intelligendus venit. Inprimis vero ad animam hic reſpectus habetur, cum, quod modo oſtenſum eſt, ſermo hic ſit de illis, qui ex hujus vitæ ærumnis per mortem evocantur, & glorioſam corporum ſuſcitationem longo tempore antevertunt.

ἐπενδυσάμενοι) Ad hoc verbum inprimis provocant Sociniani, ſententiam ſuam de corpore aliquando, poſt reſurrectionem, longe alio donando, adſtructuri, cum corpus, non autem domicilium *indui* dici poſſit. At non intelligunt, ſua ſe cædere vineta. Si enim corpus *ſuperindui* dicatur, quod phraſis proprie vult, neceſſe eſt, ut alterum corpus, *terreſtre* ſcilicet, adhuc ſuperſit, cui ſcilicet alterum *ſuperinduatur*. Hoc vero nemo Socinianorum, corpus animale penitus abolendum eſſe fingentium, unquam admiſerit. Ex adverſo Paulina hæc phraſis egregie huc accommodata eſt, ſi de glorioſo *animæ*, & ſuo tempore *corporis*, ſtatu ſermonem eſſe dicamus. Hic enim dici poteſt *ſuperindui*, tanquam acceſſio, utriusque conditionem egregie amplificans & ornans.

 Nec

Nec obverti poteſt, *domicilium* non poſſe dici *indui*, quod tantum in veſtem cadat. Frequens enim eſt Sacris Scriptoribus, ut diverſis phraſibus eandem rem nunc fuſius exprimant, nunc ſubinnuant. Ita Paulus *Epheſ.* II. 19. 20. fideles vocat nunc *συμπολίτας τῶν ἁγίων*, nunc *οἰκείȣς τȣ̃ Θεȣ̃*, nunc *ἐποικοδομηθέντας ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποςόλων ϗ προφητῶν*. Conf. 1 *Pet.* II. 1. ſqq. Eadem ratione de *οἰκοδομῇ Θεȣ̃* ſeu *habitaculo cœleſti* loquitur, & per additum verbum *ἐπενδύσαϑαι* illud inſtar *veſtis* alicujus repræſentat. Comparationis momenta nemo deſideraverit, qui hæc recogitet. Veſte tegimur; & domicilium vocatur *tectum:* in veſte ſumus, vivimus & operamur; ſimiliter vero in domicilio: veſtis adverſus injurias aëris & tempeſtatum nos munit; idem de domo dixeris. Hæc fuſius expoſita lege a *Vitringa* l. c. p. 172. ſq. Ceterum corpus cum veſte comparari a Scriptoribus ſolere, conſtat. Lege inter ceteros *Lampii* Exercitt. ad Pſalm. XLV. pag. 292. Sic auctor commentarii in *Pirke Avoth* ſub titulo מדרש שמואל p. 217. b. hominem appellat מלובש בחומר *veſtitum materia* ſeu *corpore*. Confer infra ad v. 3.

Verſ. 3. *Ειγε ϗ ἐνδυσάμενοι*) Codex *Claromont*. Gr. Lat. legit *ἐκδυσάμενοι*. Atque hanc lectionem *Tertullianus* lib. I. de Reſurrect. cap. 41. & lib. V. contra Marcion. cap. 12. præterque eum alii pauci, a *Millio* allati, amplectuntur. Imo *Chryſoſtomus* ejusdem varietatis mentionem fecit, in communiori tamen illa acquieſcens. Hinc factum eſt, ut recens Editor N. T. Græco-Anglicani τὸ *ἐκδυσάμενοι* in contextum receperit; *Wilh. Wall* vero in Notis Criticis p. 212. nihil quidem definierit, utramque lectionem commode explicari poſſe ratus, ſed vel ſic tamen in hanc ipſam *ἐκδυσάμενοι* approbandam propendens. Ex noſtratibus Rev. C. *M. Pfaffius* in Diſſertat. de Var. Lection. N. T. p. 225. eandem eſt amplexus. Pro ea inprimis propugnat *Millius*, adeo, *ut*, *quæ alteri lectioni affīcta ſint interpretamenta, pleraque abſurda, omnia dura, coacta & incongrua*, pronunciet. Viciſſim nihil ejusmodi eſſe putat in interpretatione, quam ita promit: *QUANQUAM EXUTI SI SUMUS, Deoque ita viſum fuerit, ut corpore hoc exſpoliemur per mortem, glorioſa nihilominus futura eſt conditio noſtra,* non nudi reperiemur; habituri nempe domicilium, *non minus factum, æternum in cœlis. In votis tamen uſque, ſi quidem id voluerit Deus, haud exui quidem, quanquam & exutos maneat glorioſa habitatio in cœlis; ſed immediate abſque interventu mortis ac doloris, ſuperindui immortalitate.* At habuit ille ſibi repugnantem *Whitbium* in Examine p. 66. qui *claram & perſpicuam* hanc ait eſſe interpretationem: *in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui, ſiquidem eo tempore induti inveniamur immortali corpore, & non nudi, ſicut alii, qui veſtitu carebunt.* Et recte omnino judicavit *Whitbius*, quando receptam tot codicibus & verſionibus lectionem tenendam cenſuit. Ex ea duplicem ſenſum video naſci, ab Interpretibus erutum. Neuter autem vel *abſurdi* aliquid, vel *duri*, complectitur. Alterum ita expreſſeris: *quamvis, etiam induti, non nudi inveniemur.* Sententia hæc fuerit: ſi vel maxime corpore veſtiti fuerimus, Domino ſcil. in extremo die nos ad ſe vocante, non tamen nudi, i.e. glorioſa illa ani-

animorum & corporum conditione deſtituti erimus. Scilicet τὸ εὑρεθησόμεθα tum ad vocem ἐνδυσάμενοι, tum ad ſequentem γυμνοὶ pertinet. Particulam vero εἴγε idem eſſe quod *quamvis*, τὸ καὶ, quod hic intenſivum eſt, evincit, ut taceam, eandem illi ſignificationem alias conſtare. Jam vide, quomodo hæc cum ſerie Apoſtolici ſermonis cohæreant. Paulus v. 1. docuerat, fore, ut, depoſito corporis tabernaculo, in domicilium cœleſte transferamur, glorioſiſſimo ſtatu quod ad animam & corpus aliquando veſtiendi. Jam cogitare aliquis poterat beneficium hoc in illos tantum cadere, qui per mortem corpore terreſtri ſint privati, ceteros autem, qui eo adhuc ſint induti, idem, ſine facta ulla immutatione, retenturos eſſe. Hanc opinionem amoliturus ſapienter contrarium affirmat, atque id brevibus tradit, quod ſupra cap. XV. 51. ſqq. diligenter inculcaverat. Pertinet huc, quod *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 160. obſervat, Platonicos eos, quorum animi adhuc juncti ſunt corporibus, ἐνδυσαμένους, tanquam veſte tectos, vocare; contra autem γυμνοὺς dicere, quorum animi corporibus ſint nudati. Sic *Plutarchus*, ex Platonis Gorgia ſub finem, in Conſolatione ad Apollonium pag. 121. ἀμπεχόμενοι γὰρ οἱ κρινόμενοι κρίνονται, ζῶντες γὰρ κρίνονται & paulo poſt: γυμνοὺς κριτέον ἁπάντων τούτων, τεθνεῶτας γὰρ δεῖ κρίνεσθαι. Confer ſupra ad v. 2. & *Gatakerum* ad Antoninum X. 1. p. 351.

Alter Paulinæ hujus phraſeos ſenſus, nec ipſe incommodus, & multis veterum & recentiorum probatus, hic eſt: *Si tamen* (ſcilicet in morte) *etiam veſtiti* (nempe fide & gratia Dei) *& non nudi* (ſeu fide & gratia Dei deſtituti) *inveniamur*, aut fuerimus. Ita inter ceteros *Vitringa* hæc accipit l. c. pag. 176. Senſus, fateor, eſt commodus, neque tamen, ſi quid video, æque ac prior ille, probabilis. Τὸ καὶ enim Paulinum hoc modo fere eſt ſuperfluum, deinde aliud καὶ ante voces οὐ γυμνοὶ inſeritur, denique vox ἐνδυσάμενοι ad alia omnia ſic refertur, quam de quibus antecedens ἐπενδύσασθαι adhibitum erat, ad quod tamen Paulus omnino hic reſpexiſſe videtur. De ſcholio his verbis in editione Bibliorum Lutheri vernaculorum Jenenſi an. 1594. in Majoriſmi gratiam addito lege Unſchuldige Nachrichten an. 1723. p. 166.

Sunt, qui comma hoc *optative* accipi, & quaſi per parentheſin antecedentibus adponi exiſtiment. Inter hos eſt *Knatchbullus* & *Hombergius* in Parergis. Prior p. 89. ita vertit: In hoc enim domicilio ingemiſcimus habitationem noſtram, quæ ex cœlo eſt, *ſuperindui cupientes* (*Utinam etiam induti, non nudi, reperiamur!*) *Nam, qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati*, &c. Non alienus eſt ex noſtratibus *G. G. Zeltnerus* in calce verſionis Bibliorum vernaculæ p. 200. ita vertens: ſo daß wir (mit dem Leib) angezogen blieben, und nicht bloß (durch den Tod zuvor ausgezogen) erfunden würden (ſeyn möchten, nach der Hebräiſchen Art zu reden.) Sed & hæc expoſitio τὸ καὶ enervat, & particulæ εἴγε eam ſignificationem tribuit, quam nunquam alias obtinet, quemadmodum ideo *Knatchbullus* τὸ γε hic *vacare* opinatur.

Ceterum ex his verbis conficere voluit *Grotius*, & poſt eum *Lockius* ad h. l. Paulum incertum fuiſſe, an non dies extremus ſe adhuc ſuperſtitem & corpore indutum ſit inventurus. Fruſtra vero hæc ita cogitari, tum alia Pauli oracula, futuram ætatem reſpicientia, tum inprimis id, quod 2 *Theſſalonic.* II. 13. exſtat, evincit. Quo nomine in Lockium etiam animadvertit Anonymus auctor libri Anglicani: *Remarks on ſome books* pag. 151. ſqq. Recte is obſervat, Paulum, plurium numero utentem, homines & tunc viventes, & inpoſterum victuros, atque adeo ſe ipſum includere, ideo quod nemini hominum de die judicii vel brevi, vel longe poſt imminente, unquam conſtet. Hunc vero etiam eſſe Pauli morem, ut de aliis potius, quam de ſe ipſo loquens, ſe eorum numero involvat. Eundem præterea mortem ſuam exſpectaſſe ex 2 *Tim.* IV. 6. & de futuris in hac vita ſæculis certum fuiſſe ex *Epheſ.* II. 4-7. apparet.

ἑυρεθησόμεθα) Idem verbum *de vitæ exitu* ab Epicteto pag. 286. uſurpari monet Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 487. Is enim, de morte ſua cogitans, optat, ut ſub eam in optimis quibusque conſiliis & inſtitutis, Deo placentibus, inveniatur. Ταῦτα ἐπιτηδεύων, inquit, θέλω ἑυρεθῆναι, ἵν' ἐιπεῖν δύνωμαι τῷ Θεῷ, μήτι παρέβην σȣ τὰς ἐντολάς;

Verſ. 4. Καὶ γὰρ οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει ϛενάζομεν βαρȣ́μενοι· ἐφ' ᾧ ȣ̓ θέλομεν ἐκδύσαϛθαι, ἀλλ' ἐπενδύσαϛθαι) Pro ἐφ' ᾧ multi Codices MSS. legunt ἐπειδὴ, quod & editiones non minus multæ, v. c. Argentoratenſis Bœcleri, Norimbergenſis *Eraſmi Schmidii*, *Stephani* item & cum eo *Millii* &c. exhibent. Viciſſim noſtrum illud ἐφ' ᾧ habent editiones *Bezæ*, *Curcellæi*, &c. Pro eo pugnat recte *Beza*, tanquam ſummo conſenſu in vetuſtis codicibus, & Græcis etiam ſcholiis ſcripto. Nec Millius improbat, τὸ ἐπειδὴ pro explicatione marginali habens, qua uſus etiam eſt *Oecumenius*: ἐφ' ᾧ, ἀντὶ τȣ̃ ἐπειδή. Nec mihi hujus γνησιότης in dubium vocanda videtur. Frequentior hæc φράσις Paulo eſt, quam ulli Scriptorum Sacrorum. Vide v. c. *Rom.* V. 12. VI. 21. & *Philip.* III. 12. IV. 10. Obſcurior vero ejus eſt ſignificatio, quod ex iis patet, quæ ad *Rom.* V. 12. commentati ſumus. *Beza* h. l. idem eſſe vult, quod ἐν ᾧ *in quo*, ſubintellecto antecedenti σκήνει, hoc ſenſu: *In quo tabernaculo quamdiu ſumus, non cupimus eo exui, ſed ſuperindui, i. e. non tædet nos vitæ ipſius, ſed futuræ deſiderio ardemus.* Non attulit is ullum interpretationis ſuæ præſidium. Tale autem ut ad Rom. V. 12. taceam ubi τὸ ἐφ' ᾧ permulti per *in quo* interpretantur, invenire mihi videor in *Rom.* VI. 21. ἐφ' ὅις νῦν ἐπαισχύνεϛθε, *quorum vos nunc pudet.* Senſus eſt: talia erant opera veſtra, in quibus ſi nunc eſſetis, non ſine pudore verſaturi eratis. Nihil obſtare video, cur hanc expoſitionem non amplectar. Alioquin enim videri poterat Paulus, de calamitatibus hujus vitæ graviter conqueſtus, ipſius vitæ tædio captus eſſe, quam tamen ſuſpicionem a ſe diligenter amolitur *Philip.* I. 23. ſqq.

Qui τὸ ἐφ' ᾧ per *quoniam*, vel *propterea*, convertunt, illi quidem Apoſtoli mentem ita accipiunt, ac ſi in votis habuiſſet, ut ad exemplum Henochi & Eliæ,

& Eliæ, ſine morte naturali, in beatiorem & cœleſtem conditionem transferantur. Vix ego Paulo tribuerim deſiderium rei, quam extra ordinem & ſingulari divino conſilio contigiſſe, nemini autem ejusdem ſpem alicubi factam eſſe, noverat. Taceo, idem hoc votum ſuſpicionem movere potuiſſe, ac ſi Paulus & alii fideles, quorum perſonam hic repræſentat, naturalis mortis timore capti eſſent. Ab ea vero adeo ſibi non metuebat, ut in eam, ſi alia non obſtarent, deſiderio ferretur. Hinc *Philip.* I. 21. Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, Χριςός· καὶ τὸ ἀποθανεῖν, κέρδος. Et v. 23. τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριςῷ εἶναι. Imo, quod plus valet, hæc cogitata v. 8. elidit. Paulus ait: Θαῤῥοῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον. Videsne, Paulum hic, ſiquidem Deo ita fuerit viſum, emigrationem ex corpore, animæ ſcilicet, per mortem naturalem ſeparatæ, optare? Quomodo vero hoc ſtare poterat cum antecedentibus, ſi crederemus, Apoſtolum maluiſſe cum corpore in cœlum transferri ſine intercedente morte naturali? Idem hoc comma confirmat interpretationem noſtram etiam alia ratione. Paulus v. 4. negaverat, ſe, præ vitæ tædio, velle exui corpore, ſed id tantum optare, ut, quandocunque Deo viſum fuerit, cœleſtis gloriæ & immortalitatis particeps evadat. Jam vero comm. 8. etiam profitetur, ſi res ſuo ſtaret arbitrio, malle quidem, non vitæ præſentis ſatietate, ſed futuræ deſiderio, mortem ſubire.

Quod ſi tamen τὸ *in quo*, ad σκῆνος, ſeu tabernaculum relatum, minus placeat, nihil obſtat, quo minus vertas, *propter quod*, reſpectu ſcilicet habito ad proxime antecedens ςενάζομεν βαρούμενοι. Senſus fuerit: quoad in corpore ſumus, calamitatibus obruti ingemiſcimus: ideoque non quidem mori illico, ſed, quamprimum Dei nutu fieri poteſt, cœleſti gloria donari cupimus &c. Τὸ ἐφ᾽ ᾧ hunc ſignificatum habet, *Philip.* III. 12. & apud externos Scriptores, quod evicit Cl. *Elsnerus* ad *Rom.* V. 12. Hanc ſignificationem huic loco tribuit etiam *Vitringa* l. c. pag. 178. qui tamen in eo ſubtilior mihi videtur, quod τὸ ἐκδύσασθαι non de *corpore* exuendo, ſed de egregiis *fidei* & *gratiæ* donis, quibus anima ornata nunc ſit, auferendis intelligi velit, hoc ſenſu: propterea cupimus, ut non una cum corpore egregiis illis donis ſpoliemur, quibus anima in cœlum transferenda inſtructa eſſe debet; ſed ut corpore depoſito, & veſte gratiæ ſarti tectique, gloriæ habitu induamur. Scilicet Vir doctus v. 3. τὸ ἐνδυσάμενοι eodem ſenſu acceperat, ideoque neceſſe putabat, ut ad eundem etiam hoc verſu reſpectus haberetur. Cum vero oſtendiſſe mihi videar, Paulum v. 3. id ſibi non velle, facile intelligitur, idem nec heic admitti poſſe.

Verſ. 5. Ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο) *Qui vero nos paravit, aut idoneos reddidit*, dum nempe nos ad immortalitatem vocavit & regeneravit. Ita malim hæc vertere, quam per *condidit*. De iis enim ſermo eſt, qui Spiritum S. acceperunt, & qui ſunt in fide v. 7. Eodem verbo Paulus Rom. XV. 18. utitur, de iis, quæ Chriſtus per ſe ſit operatus: ὧν οὐ κατειργάσα-

γάσατο Χριςὸς δι᾽ ἐμȣ̃. Video *Plutarchum* in vita M. Craſſi Tom. III. Vitarum parallelarum edit. Londinenſis pag. 255. Craſſum prædicare, tanquam δεινότατον πάντας ἀνθρώπȣς κατεργάσαϑαι κολακεία i. e. ut Interpres vertit, *ad omnes homines aſſentationibus ſubigendos peritiſſimum.* Non autem crediderim, quod *Bryano*, editori, perſuaſum fuit in Notis pag. 564. eam ſignificationem h. l. obtinere.

Ὁ καὶ δȣ̀ς ἡμῖν τὸν ἀῤῥαβῶνα) Vocem ἀῤῥαβὼν explanant Patres apud *Suicerum* Tomo I. pag. 512. *Cheitomæus* de Vocibus Græco-Barbaris, & Cl. *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exeget. p. 323. De ea ad *Epheſ.* I. 23. plura a nobis afferentur.

Verſ. 6. Θαῤῥȣ̃ντες ȣ̃ν πάντοτε ϗ εἰδότες) *Bono itaque animo ſumus, & ſcimus.* Ita recte *Eraſmus*, & B. *Lutherus* noſter: **wir ſind aber getroſt allezeit, und wiſſen.** Participium ſcilicet hic pro verbo præſenti poſitum eſt, non tam ex Hebraiſmo, ceu *Eraſmo* viſum eſt, quam ex frequenti & externis quoque Scriptoribus recepta ellipſi verbi ἐσμέν. Θαῤῥȣ̃ντές ἐσμεν idem eſt, quod ϑαῤῥȣ̃μεν. Sic infra v. 12. ἀφορμὴν διδόντες ſc. ἐσμὲν pro δίδομεν, & *Hebr.* XII. 15. ἐπισκοπȣ̃ντες, μήτις ὑςερῶν ſcil. ᾖ ἀπὸ τῆς χάριτος τȣ̃ Θεȣ̃.

Ἐνδημȣ̃ντες ἐν τῷ σώματι ἐκδημȣ̃μεν ἀπὸ τȣ̃ Κυρίȣ) Vide *Ludov. Cappelli* Opera pag. 255. & *Adami Zahnii* obſervationem in Actis Erudit. Lipſienſ. Lat. Tom. VIII. Supplementorum pag. 116. Quod ad phraſin attinet, affinis eſt, qua in eodem argumento utitur *M. Antoninus* II. 17. ὁ βίος πόλεμος, καὶ ξένȣ ἐπιδημία, *vita militia eſt, & hoſpitis in peregrino mora.* Ita *Seneca* in Excerptis: *Morieris: peregrinatio eſt vita: multum cum deambulaveris, domum redeundum eſt.* Deos Gentilium alias ἐπιδημεῖν & ἀποδημεῖν dictos eſſe, ex Scholiaſte *Callimachi* ad hymnum Apollinis, initio, obſervavit Cl. *Oederus* in Syntagmate p. 742. Patrum loca de verbo ἐκδημεῖν habes apud *Suicerum* Tom. I. p. 1045.

Verſ. 7. Διὰ πίςεως γὰρ περιπατȣ̃μεν, ȣ̓ διὰ εἴδȣς) Parentheſi hæc includuntur in plerisque editionibus. In nonnullis vero, v. c. *Bezæ* & *Eraſmi Schmidii* parentheſis continuatur uſque ad finem v. 8. Rectiſſime, ſi quid video, præeunte etiam *Jo. Erico Oſtermanno* in Poſitionum Græcum textum N. T. concernentium Diſp. III. §. 12. *In fide incedere*, eſt *in fide vivere* & verſari. Phraſis hæc *Dodwello* diſſ. VI. ad Irenæum §. 9. p. 438. & ejus exemplo *Amelio* Parte I. **der Erörterung** pag. 142. oppoſita videtur Pythagoreis & Platonicis, qui cenſebant, vita ἀναχωρητικῇ & ϑεωρητικῇ mentem ita defæcari poſſe, ut Deum etiam in hac vita νῷ μόνῳ καταληπτὸν poſſent apprehendere, & nudas rerum ideas contemplari, quam ἐπιςήμην appellabant. Malim phraſin totam ex uſu & ſenſu Biblico accipere, per quem vita in fide conjunctionem cum Deo & fruitionem cœleſtium bonorum infert, in quantum oppoſita eſt viſioni divini Numinis cum pleniſſima beatitate conjunctæ.

Verſ.

Verſ. 8. Μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τȣ̃ σώματος) Phraſin de exceſſu animæ ex corpore ſeu morte adhibitam illuſtrat *Ritmeierus* in diſſert. de nomenclaturis mortis emphaticis §. 4.

Verſ. 9. Διὸ ϗ φιλοτιμȣ́μεθα) *Beza* & *Oſtermannus* ll. cc. participia v. 7. θαῤῥȣ̃ντες ϗ ἐπιδημȣ̃ντες pendere volunt a verbo φιλοτιμȣ́μεθα, quod admitti poſſet, niſi ipſum illud verbum prævium ſibi haberet, τὸ, διὸ καὶ. Id enim argumento eſt, ſententiam v. 7. propoſitam plenam eſſe, & fundamenti loco inſervire aſſerto, quod nunc v. 9. ſequitur. Noverant ſcilicet Apoſtolus & fideles, ſe, quoad corporis eſſent inquilini, cœleſtis patriæ, ad quam adſpirabant, nondum eſſe cives. Itaque omnem adhibebant operam, ut Deo etiam in hac vita placerent, ut aliquando æternum placere poſſent.

Εὐάρεςοι αὐτῷ εἶναι) *Dominum* hic κατ' ἐξοχὴν dici αὐτὸν, *illum*, ſicut Deus in Sacro quoque codice Hebræo הוא & magnæ auctoritatis viri a Latinis & Græcis Scriptoribus Αὐτοὶ vel *Illi* vocentur, exiſtimat M. *Chriſtoph. Wolle* in diſſert. de vera fictaque particularum emphaſi in calce Tract. de Eccleſia Phariſaica & Chriſtiana p. 315. Non putem, emphaſin illam locum hic habere, cum vox Κύριος v. 7. & 8. ad quam αὐτὸς refertur, proxime anteceſſerit.

Verſ. 10. Τȣ̀ς γὰρ πάντας ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ ἔμπροσθεν τȣ̃ βήματος τȣ̃ Χριςȣ̃, κ. τ. λ.) Conſule *Frider. Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. p. 759. 761. & 775. edit. Genev. in 4. & *Eraſmum* Tom. IX. Opp. p. 1526.

Τὰ διὰ τȣ̃ σώματος) Codices quidam habent τὰ ἴδια, pro, τὰ διὰ, quam lectionem præter *Vulg.* Syrus, Arabs & Æthiops itemque Patres nonnulli, ex recentioribus vero *Grotius* & *Millius*, in Proleg. §. 473. atque hujus exemplo recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, approbant. Perperam vero id fieri agnovit ex Anglis *Whitbius* pag. 66. Examinis. Ex noſtratibus lectionem hanc Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis pag. 239. *ab iis natam* recte *ſuſpicatur, qui, cum hanc loquendi formam non agnoſcerent, locum, quem emendare volebant, depravarint.* Eadem phraſi aliquoties uſus eſt *Xenophon*, quando Memorabil. I. pag. 576. τὰς διὰ τȣ̃ σώματος ἡδονὰς h. e. *voluptates, quæ corpore percipiuntur*, commemorat. Accommodatus hic inprimis eſt *Æliani* locus Hiſt. Animal. lib. V. cap. 26. a Cl. *Elsnero* pag. 147. allatus, ubi τὰ διὰ τȣ̃ σώματος πραττόμενα ea dicuntur, *quæ in corpore fiunt.* Hoc prorſus modo phraſin ſuppleri voluit *Camerarius*, ut ſcriptum cenſeretur: τὰ διὰ τȣ̃ σώματος γενόμενα, ἤγȣν πεπραγμένα. Conf. *Eraſm. Schmidium.* Rectiſſime Lutherus: Bey Leibes Leben. Non aſſentior Rev. *Zeltnero*, in calce verſionis German. ita interpretanti: was ihm am Leibe wiederfahren ſoll. Repugnat hoc ſenſui phraſeos, apud externos Scriptores obvio. Imo Paulus ipſe phraſi proxime ſequenti, πρὸς ἃ ἔπραξε, ſatis indicavit, τὸ πράττεσθαι ad priorem quoque referendum eſſe, quemadmodum πράγματα ipſa in ἀγαθὰ καὶ κακὰ diſtinxit. Itaque τὸ ἔπραξε non tam repetitur, quam ſuo loco perſpicuitatis cauſa ponitur. Ad evitandam, quam putabat, ejuſdem rei repetitionem B. *Godofredus Olearius* in Prælection. MSS. verti poſſe cenſet: ea, quæ ad

corpus pertinent vel reſtituendum, vel ignominia afficiendum. At ſi hoc Paulus voluiſſet, ſcripturus erat: *τὰ πρὸς τὸ σῶμα.*

Πρὸς ἃ ἔπραξεν) *congruenter ad ea, quæ fecerit*, ut *Beza* vertit, & Plutarchi quodam loco vertendum eſſe probavit. Similiter Herodotum & Polybium locutum eſſe, oſtendit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 494. & Polybianis ad Rom. VIII. 18.

Quod ad argumentum ipſum attinet, recte ex h. l. evicerunt noſtrates contra Socinianos & alios, idem aliquando corpus ſurrecturum eſſe. Idoneus quoque in hanc rem viſus eſt *Eduardo Stillingfleeto* in Epiſtola ſecunda adverſus *Jo. Lockium* edita, qui nec argumentis ejus in Reſponſione illi oppoſita ſatisfecit. Lege Nouvelles de la République des lettres an. 1699. Tom. II. pag. 485. ſqq. Adde Rev. *Zeltneri* Hiſtoriam Crypto-Sociniſmi Altorfini ad epiſtolas Ruari pag. 167. & 172. ſqq. Spectat huc parabola Judaica in *Sanhedrin* fol. 91. 1. quam *Coccejus* in Excerptis Gemaricis c. XI. §. 5. & *Scheidius* in Biblioth. Lubecenſi Vol. II. p. 187. ſqq. Latine recitarunt.

Verſ. 11. Εἰδότες ἒν τὸν φόβον τῦ κυρίυ, κ. τ. λ.) Pertinet huc D. *Jo. Caſp. Haferungii*, Theologi Wittebergenſis, Programma Inaugurale de *πεισμονῇ*, ſive Suaſione in tradendis Chriſtianæ doctrinæ capitibus Witteb. 1726. de quo conferri poteſt **fortgeſetzte Sammlung von Alten und Neuen Theologiſchen Sachen** an. 1726. p. 346. ſqq. *Τὸν φόβον τῦ κυρίυ Chryſoſt.* & *Theophyl.* de φοβερῷ δικαςηρίῳ ſcite explicant, reſpectu habito ad *βῆμα τῦ Χριςῦ* v. 10. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 1452.

Πείθομεν τὺς ἀνθρώπυς) B. Lutherus **fahren wir ſchon mit den Leuten**, ut Wittebergenſis habet editio, pro quo recentiores pleræque exhibent: **fahren wir ſchön mit den Leuten.** Vide *Stadenii* Expoſitionem vocum Germanicarum præcipuarum verſionis Lutheri pag. 562. ſqq. ubi oſtendit vernaculum illud **Schonfahren** idem eſſe, ac **verfahren mit verſchonen**, h. e. *parcere hominibus, nec duris verbis aut minis adigere.* Atque hanc B. Lutheri mentem fuiſſe ex ſubjecta ejus gloſſa apparet. *Beza* & *Eraſm. Schmidius* vertunt: *homines ad fidem adducimus.* Rev. *Raphelius* in Semicenturia Annotatt. Philolog. Annotationibus Herodoteis p. 696. denuo ſubjuncta, *τὸ πείθειν* idem hic eſſe vult, quod *falſa perſuadere*, aut *decipere*, ſenſumque non enunciativum, ſed interrogativum arbitratur, ut mens Pauli hæc ſit: *Cum ergo ſciamus, nos coram tremendo illo Domini judicio olim eſſe ſiſtendos, num poſſibile eſt, nos in animum inducere, ut* hominibus falſa perſuadeamus, *eosque* decipiamus? Hujus enim fraudulentiæ Paulum inſimulatum ab aliis fuiſſe ſuſpicatur, quam a ſe amoliturus ſinceritatem ſuam cap. IV. 2. & hic iterum commendet, mox autem ad Deum provocet. Non negaverim equidem, *τὸ πεῖσαι* verbum eſſe *μέσον*, & nunc de *veris* nunc de *falſis* rationibus, quibus aliquis utitur, adhiberi. Vir doctiſſimus pro priori uſu *Actor.* XIII. 43. XVIII. 4. XIX. 8. &c. pro poſteriori *Matth.* XXVII. 20. XXVIII. 14. &c. affert, monetque, *Euſebium* Hiſtor. Eccleſ. lib. VI. cap. 41. & alibi *πείθειν* & *ἀπατᾷν* tanquam ſynonyma ponere. Nolim

lim tamen novam interpunctionem, cujus nulla verſio aut interpretatio veterum veſtigium exhibet, invehere. Ea autem ſublata ipſa quoque expoſitio corruit. Malim in B. Lutheri interpretatione acquieſcere, quam Vir doctus *Platonis* quodam loco firmat. Vel, ſi minus id placeat, τὸ πείθομεν idem hic fuerit, quod *perſuadere conamur, annitimur.* Simplex enim verbum, quod *actum* infert, ſæpe pro *conatu* accipi tralatitium eſt, & pervulgatum. Ita v. 12. συνιϛάνομεν idem eſt, quod συνιϛάνειν θέλομεν. Confer III. 1. Sic omnia hujus commatis egregiè cohærent. Paulus ſe ſiſtit perpetuo memorem judicii divini, a ſe & aliis hominibus exſpectandi. Hoc ipſo ſe ait permoveri, ut talem ſe præſtet in munere perficiendo hominibus, qualis videri aliquando & conſpici a Deo judice velit. Neque tamen Deo id jam obſcurum eſſe teſtatur, cum nec dubitet, pro tali ſe haberi ab ipſis Corinthiis, qui conſcientiæ, ſatis hoc edoctæ, rationem habeant. Non diſplicet etiam Cl. *Elsneri* expoſitio p. 173. Obſſ. *Scientes igitur, Dominum timendum, ita nobis conciliamus homines, ut Deo manifeſti ſimus.*

Verſ. 13. Ἔιτε γὰρ ἐξέϛημεν, Θεῷ) Verbum ἐξέϛημεν ad ecſtaſes Paulinas, de quibus infra, referri volunt *Vatablus, Eraſmus, Heinſius, Grotius*, & eorum exemplo *Car. le Cene* in Projet d'une nouvelle Verſion p. 528. Cum vero non appareat, cur Paulus eas huc advocare voluerit, quando proxime ante integritatem ſuam, ab aliis in dubium vocatam, prædicat, nexui ſermonis Paulini convenientius agunt, qui *inſaniam* illam, qualis nonnullis videbatur, de zelo ſingulari, quem in munere ſuo adhibere ſolebat, & quem Corinthii ipſi experti didicerant, interpretandam cenſent. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. ita: *Apoſtoli mens eſt, etiam in iis, quæ a ſenſu communi maxime recedunt, & eſſe videri poterant ejus, qui ecſtaſin paſſus fuerit, quod Apoſtolo objiciebatur, in illis etiam, quæ extraordinaria ratione a communi ſenſu & judicio recedunt; patere tamen, ſe unice Deum reſpicere, & ejus gloriam, cujus miniſterium & virtutem in eo mirabilem extollat.*

σωφρονȣμεν) *ſobrie agimus.* Confer *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 1226. B. *Olearius* l. c. ita: *Si quid agamus, quod homines etiam approbant, quod videtur ſenſibus & eorum judicio eſſe conveniens.* Ceterum τὸ ἐξέϛημεν poſt vocem Θεῷ, & τὸ σωφρονȣμεν, poſt ὑμῖν, repeti ſenſus jubet, quod & fecit *Coptus* Wilkinſii.

Verſ. 14. 15. Ἡ γὰρ ἀγάπη τȣ Χριϛȣ συνέχει ἡμᾶς, κ. τ. λ.) De morte Chriſti ſatisfactoria ex h. l. commentatus olim eſt D. *Jo. Scharfius* Witteberg. 1650. nec ita pridem diligentius D. *Sam. Chriſtian. Teuberus* in Harmonia Satisfactionis Chriſti & Sanctimoniæ Chriſtiadum Halæ Magdeburg. 1715. 4. ubi Socinianorum exceptionibus data opera occurritur. Lege Unſchuldige Nachrichten an. 1715. pag. 990. ſqq. Nec omitte Rev. *Zeltnerum* in Hiſtoria Sociniſmi Theologorum Altorfinorum pag. 989. *Cloppenburgium* Tom. I. Operum pag. 876. & *Petavium* Tom. VI. Dogmatum Theologic. de Incarnat. XIII. 3. §. 4. pag. 160.

συνέχει ἡμᾶς) *conſtringit nos*, Beza. *Continet nos* Vulg. Atque hoc ſenſu accipit *Jac. Lydius* in Syntagmate Sacro de Re Militari p. 7. ut ſcilicet *charitas Chriſti* inſtar ſigilli repræſentetur, ſub quo Chriſtiani militantes & colligantur & *contineantur*, ne diſperſi divagentur. His Apoſtoli verbis idem ait nihil elegantius & ad rem aptius dici potuiſſe. Addit, Varronem in Satyris de vino dicere, *hoc coagulum convivia continere*, ne ſcilicet convivæ facile dilabantur.

Verſ. 15. ὅτι εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον.) Τὸ εἰ obelo configendum cenſet *Millius* in Prolegomenis §. 741., ideo, quod in aliquot Codd. non exſtet, ejusque ratio in nonnullis veterum commentariis non ſit habita. Adſtruit illud viciſſim *Eſtius*, & *Whitbius* p. 66. Examinis. Librarios, mire interdum oſcitantes, fefellit, puto, proximum εἷς, & effecit, ut prius εἰ omitterent.

Verſ. 16. Ὥστε ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα, κ. τ. λ.) Verbis his lucem affundunt ex Reformatis *Jo. Cloppenburgius* Tomo I. Operum p. 78. *Heideggerus* Hiſtor. Patriarcharum Part. II. p. 245. *Jo. Braunius* in Select. Sacris lib. I. p. 69. & *Jo. Marckius* in Exercit. Exegetic. XXXVIII. pag. 638. ſqq. ex noſtratibus autem B. *Martin. Chladenius* ſingulari diſſertat. de cognitione Chriſti ſecundum carnem. Vitemb. 1711. *Amelius* Parte II. der Erörterung p. 726. & 352. & Cl. M. *Chriſtoph. Wollius* in diſſ. de uſu & abuſu Synagogæ veteris in interpretatione Novi Teſtamenti, repetitæ librorum Vitringæ de vetere Synagoga editioni præmiſſa, Sect. II. Reg. I. Adde ex Anglis *Henr. Morum* p. 238. Operum, & ex Socinianis *Mart. Ruarum* in epiſtolis p. 341. Plerique eorum oſtendunt *cognitionem Chriſti ſecundum carnem* eam hic dici, quæ apud Judæos fuerit, externa tantum in cultu divino ſpectantes, & a Meſſia ſæcularia quædam beneficia exſpectantes, opponi vero cognitioni illi, quam doctrina Evangelii ſpiritualis gignat & præſcribat.

Verſ. 17. Ὥστε εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις, κ. τ. λ.) Conferendi huc ſunt ex noſtratibus *Wollius* l. c. *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 590-617. & B. *Godofr. Olearius* in Obſervatt. ad Matthæum p. 540. ex Anglis *Robert. Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 195-232. & ex Reformatis *Pet. du Boſc* Parte I. concionum, gallice editarum p. 345. ſqq. & *Sam. Werenfelſius* in Sermone Gallico de mutatione hominis, quando fit Chriſtianus, Baſil. 1713. 8. Verba hæc vel *imperative*, ſubintellecto ἤτω, vel *aſſertive*, ſubintellecto ἐστὶ, converti poſſunt, ut ſenſus ſit hinc: *eſto, ſit nova creatura*; hinc, *eſt nova creatura*. Patrum cogitata de phraſibus hic obviis lege, ſodes, apud *Suicerum* Tomo I. p. 523. & II. p. 150. 177. ſqq.

τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν· ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα) Alludi hic ad Jeſ. XLIII. 19. inter ceteros monuit *Jac. Cappellus*. Agitur ibi a Vate divino de gentium ad Chriſtum converſione. Lege ibi *Vitringam*. Τὰ πάντα non eſſe Apoſtoli opinatur *Millius*, in quem animadvertit *Whitbius* p. 66.

Verſ.

Verſ. 18. Τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, τοῦ καταλλάξοντος ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ) Copioſe in hæc verba commentatus eſt *Steph. Charnock* in commentatione de Deo, tanquam auctore reconciliationis, quæ exſtat Tomo II. Operum ejus p. 241 - 384.

Τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ) Ita paſſim Stoici, ſed ſenſu impuriore. Sic M. *Antoninus* II. 3. πάντα ἐκεῖθεν ῥεῖ. Compara ibi notas *Gatakeri* p. 53. b. & 304. b. & 433. a.

καὶ δόντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς) Phraſin hanc a Patribus explicatam lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 1149.

Verſ. 19. Ὡς ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ) Τὸ ὡς unus *Stephani* codex, a Millio allatus, omittit: unde neſcio, qui B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. id deleri velit, tanquam in optimis Codicibus, (quorum unus tantum adhuc ſe obtulit) omiſſum. Addit, τὸ ὅτι eſſe explicativum, adeoque abundare τὸ ὡς; vel, ſi minus hoc placeat, ὡς verti debere *igitur:* ſic autem deeſſe τὸ ἀποδοτικόν. E contra Beza τὸ ὅτι pro gloſſemate habet, quod ex albo in contextum irrepſerit. Cave, alterutri conjecturæ locum relinquas. *Tuetur receptam lectionem & codicum conſentientium auctoritas, & harum particularum uſus apud Græcos Scriptores.* Id non obſervavit ſolum, ſed & idoneis *Xenophontis* & aliorum locis firmavit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 240. Sic enim *Xenophon* Hiſt. Græc. lib. III. p. 381. εἰπὼν τῷ Φάρακι, ὡς ὅτι ὀκνοίη, *poſtquam dixiſſet Pharaci nempe, quod vereretur.* Omitto alios locos, in quibus τὸ ὡς eam declarandi & explanandi vim habet, quam Latini per *nimirum, nempe*, exprimunt. Explanatur enim, quæ ſit illa καταλλαγὴ, de qua loquitur, nempe Deum fuiſſe in Chriſto reconciliantem ſibi mundum, quemadmodum *Camerarius* olim monuit. Sic infra XI. 21. κατ᾽ ἀτιμίαν λέγω· ὡς ὅτι ἡμεῖς ἠσθενήσαμεν, & 2 *Theſſal.* II. 2. Itaque nec τὸ ὡς per *ſicut* vertendum eſt, cujus ἀπόδοσις in phraſi καὶ θέμενος ſit quærenda, hoc ſenſu: *ſicuti, quia Deus in Chriſto erat* &c. *ita & in nobis poſuit ſermonem conciliationis.* Ita rationes inſtituit *Hombergius* in Parergis p. 268. repugnante particulæ hujus uſu. Ad totum comma lege *Jo. Cothmanni* diſput. de reconciliatione hominis cum Deo, Roſtoch. 1643. & aliam D. *Bernh. Sandenii* Regiom. 1675.

Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ) Quæritur hic, utrum vox Θεὸς de divina Chriſti, τοῦ λόγου, natura, humanæ in opere redemtionis perſonaliter unita, an vero de Deo Patre, cum Chriſto θεανθρώπῳ eſſentialiter conjuncto, intelligi debeat? Prius illud noſtrates Theologi, quos ſciam, omnes amplexi ſunt. Poſterius vero propugnandum ſuſcepit *Jo. Trellundius*, Theologus Hafnienſis, in Exercitat. Biblica II. Sect. II. Hafniæ 1721. Cumque eidem *theſes* quædam, manu exaratæ, opponerentur, *Juſta*, quam vocat, *Defenſione* cauſæ ſuæ inſiſtere conſultum putavit. Eam vero Anonymus depulit edito *Examine Sententiæ D. Jo. Trellundii de vero ſenſu verborum* 2 *Cor.* V. 19. quod an. 1721. 4. ſine loci indicio, ſed, ni fallor, Hamburgi lucem aſpexit. In hoc Examine *theſes* MSS. modo commemoratæ ſub titulo: *Retorſio orthodoxa detorti dicti* 2 *Cor.* V. 19. p. 5. ſqq. excuſæ

 ex-

exſtant, earumque veritas ab exceptionibus Trellundianis, itidem inſertis, vindicatur. Controverſiæ hujus ſtrictim meminerunt eruditi auctores **der Sammlung von Alten und Neuen Theologiſchen Sachen** an. 1722. p. 918.

κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ) Vocis *κόσμος* ſignificatum anguſtioribus finibus Reformatorum nonnulli hic coërcent, qui de Gentilibus, tanquam Judæorum genti oppoſitis, accipiunt. Inter hos ſunt *Jac. Altingius* in Heptadis V. diſſertationum Theolog. Sexta, Tomo V. Opp. p. 142. ſqq. & ejus veſtigiis inſiſtens *Camp. Vitringa* lib. V. Obſſ. Sacr. cap. III. p. 34. Latius eam patere, & univerſum hominum genus complecti, vel ex eo patet, quod Apoſtolus, qui v. 20. ad præconium ſuum Evangelicum provocat, præconem egerat inter Corinthios, & alias, non ſolum adverſus Gentiles, ſed & Judæos. Taceo locum *Joh.* III. 16. ubi turpiter ſe omnino dant, qui *τὸν κόσμον* ad omnia alia, quam genus hominum univerſum referre conantur. Vim verbi *καταλλάσσειν* poſt *Jo. Coccejum* in præfat. ad Excerpta *Sanhedrin* & *Maccoth* alii expoſuerunt, laudati ab *Amelio* Parte II. **der Erörterung** p. 839. qui & ipſe conſuli poteſt.

μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς) Nova quadam ratione hæc verba doctiſſimus *Wilh. Erneſtus Trillerus* explicanda ſuſcepit in obſervatione per literas mecum communicata. En tibi eam! *Nullus, inquit, quod ſciam Interpretum (præfiſcine dictum eſto!) inſignem hujus loci emphaſin aſſecutus in verſione ſua videtur. Ita enim hoc comma omnino erat interpretandum:* Deus -- noſtra delicta nobis non imputavit; ſed calculum ſeu rationem ſuæ reconciliationis nobis poſuit, *h. e. ſed contra ſuam reconciliationem, ceu ſummam ad nos pertinentem, nobis adjecit. Noſtra lingua felicius exprimit:* **Er hat unſere Sünden abgeſchrieben, hingegen ſeine Verſöhnung auf unſere Rechnung geſchrieben.** Sive: **er hat unſere Sünden uns abgerechnet, und uns hingegen ſeine Verſöhnung zugerechnet.** *Metaphora enim ducta a trapezitis & fœneratoribus, quod ex vocibus καταλλάσσειν, καταλλαγὴ, λογίζεσθαι clare patet, quæ omnes ad mercium permutationem & calculi ſive liquidi conſtitutionem pertinent. Inprimis vero phraſis λόγον θέμενος perſpicue id docet: θέσθαι enim λόγον eſt,* rationem inire, calculumque ponere, *quomodo & Latini, v. c. Terentius, Cicero, alii loquuntur, adeo, ut mirum proinde ſit, nemini Interpretum hoc in mentem veniſſe, cum tamen obvium valde ſit, & ex* Ariſtophane, Polybio, Plutarcho, *aliisque conſtet, λόγον τίθεσθαι eſſe* rationem inire, & calculum conſtituere. *Comparatur ergo hic Deus trapezitæ, ſive creditori, qui, quod rarum auditu, ſuis debitoribus debita ſua remittit, & pro ſolutis habet, ſed & adeo ipſam ſuam, per ſe partam, pecuniam ipſis liberaliſſime & benigniſſime largitur. Quod ceterum particulam καὶ per adverſativam SED, ἀλλὰ, in verſione expreſſimus, neminem morari debet, cum id jampridem a Grotio, Gatakero, Elsnero, Hammondo, Noldio & aliis obſervatum ſit; quod hæc particula in N. T. ſit πολύσημος, & more Hebræorum ſæpius pro* ſed, *aut,* verum *ſumatur.*

Erudite hæc, fateor, obſervantur, ſed novam illam phraſeos: *θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς* ad liquidum non deducunt. Eam enim de conſtituta

ſtituta & *collata* Apoſtolis *Evangelii*, tanquam *de conciliato nobiscum Deo* nuncii, *prædicatione* omnino accipiendam eſſe varia argumenta evincunt. Primum negari non poteſt, verſum 19. ad explicationem v. 18. pertinere, quod vel ex particulis *ὡς ὅτι*, *nempe quod*, apparet. Quemadmodum itaque priora hujus commatis verba: Θεὸς ἦν ἐν Χριςῷ κ. τ. λ. ſpectant ad priora verſus 18. τὰ δὲ πάντα ἐκ τȣ͂ Θεȣ͂ τȣ͂ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Ἰησȣ͂ Χριςȣ͂; ita poſtrema v. 19. καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, non poſſunt non reſpondere extremis v. 18. ϗ δόντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς. Jam vero per διακονίαν τῆς καταλλαγῆς omnino intelligi debet *miniſterium* annunciandæ *reconciliationis*, cum Deo factæ, itaque nec λόγος τῆς καταλλαγῆς alio ſenſu accipi poteſt. Idem poſtulat v. 20. ubi Paulus efficaciter illo præconio reconciliationis defungitur, dicens: καταλλάγητε τῷ Θεῷ, reſpectu ſcilicet habito ad muneris ſui rationem, quod ſibi impoſitum eſſe affirmaverat. Accedit, Scriptoribus Sacris receptum eſſe, ut doctrinam de morte Chriſti, tanquam expiatoria & conciliatoria, conjungant cum beneficio divino præconii Evangelici, de ea ad homines perferendi. Ita Paulus *Epheſ.* IV. cum *captivatam* per mortem, & triumphatam per reſurrectionem *captivitatem*, Spiritusque Sancti donationem v. 8. commemoraſſet, v. 11. inſtitutionem miniſterii Evangelici ſubjungit. Quid quod Dominus ipſe *Luc.* XXIV. 46. 47. hæc momenta conjungit: ȣ̔́τως ἔδει παθεῖν τὸν Χριςὸν, ϗ ἀναςῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτȣ͂ μετάνοιαν ϗ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ex his omnibus tandem conficitur, τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς denotare *ſermonem reconciliationis*, vel verba *de conciliatione* facta teſtantia. Hunc ſermonem Deus dicitur θέμενος in Apoſtolis, phraſi illi ſimili, qua Deus ad Moſen reſpectu Aaronis utitur *Exod.* IV. 15. ודברא אליו ושמת את הדברים בפיו: quod οἱ LXX. vertunt: καὶ ἐρεῖς πρὸς αὐτὸν, ϗ δώσεις τὰ ῥήματά μȣ εἰς τὸ ςόμα αὐτȣ͂, ϗ ἐγὼ ἀνοίξω τὸ ςόμα σȣ ϗ τὸ ςόμα αὐτȣ͂. Itaque verbum שמת per δώσεις exprimunt, quod alias frequenter per τιθέναι vel θέσθαι interpretantur. Vide v. c. *Geneſ.* II. 8. IV. 14. &c. Cave etiam, putes, voces ἐν ἡμῖν ad homines cum Deo reconciliatos, & ad conciliationem illam, fide recipiendam, adducendos referri debere. Reſpiciunt enim illæ Paulum & reliquos Evangelii miniſtros, quibus Deus hanc provinciam prædicandi Evangelii crediderit. Τὸ, ἐν ἡμῖν, opponitur αὐτοῖς, per quos ut homines, ad *mundum* alioquin pertinentes, ſed ad Deum per Chriſtum deducendi, intelliguntur; ita τὸ ἐν ἡμῖν ad ſe & alios ſibi ſimiles refert Apoſtolus, tanquam Dei ad homines illos nuncios. Taceo, dici, præeunte Scriptura, non poſſe, quod καταλλαγὴ hominibus *imputetur*. Hac enim phraſi de *fide*, qua *reconciliatio* illa recipitur, Scriptores divini utuntur.

Pro loci hujus genuino ſenſu, a Socinianorum calumnia vindicando, nonnulla attulit Rev. *Zeltnerus* in Hiſtoria Crypto-Socinifmi Altorfini p. 842. & 1062. ſq.

Verſ. 20. Ὑπὲρ Χριςȣ͂ ȣ̓͂ν πρεσβεύομεν) *Ambroſiaſter* legit Οὐ ὑπερ πρεσβεύομεν. Atque hoc rectum putat *Millius* in Prolegomenis §. 474. *Adpoſitum*, inquit,

inquit, *erat poſtea ad marginem* Χριϛȣ. *Unde in Codd. aliquot* Ὀυ ὑπὲρ Χριϛȣ; *tandem vero* ȣ *mutato in* ȣ̃ν *valebat in omnibus*: ὑπὲρ Χριϛȣ ȣ̃ν πρεσβεύομεν. *Licet certe illud* ȣ̃ ὑπερ, *quod omnino genuinum cenſeo, non referatur ad Chriſtum, ſed ad* λόγον τῆς καταλλαγῆς, *ſeu Evangelium*, ὑπὲρ ȣ̃ *alibi Apoſtolus ait ſe* πρεσβεύειν ἐν ἁλύσει *Epheſ.* VI. 20. Quot ambagibus, quæſo te, Vir doctus utitur, ut adſerat lectionem procul dubio falſam! Ὑπὲρ χριϛȣ enim hic legendum eſſe, vel ſequens, δεόμεθα ὑπὲρ Χριϛȣ, evincit. Cum enim ſe & reliquos Apoſtolos, *Chriſti legatos*, a Deo ipſo conſtitutos, profeſſus eſſet, inſtar legati ejusmodi munere hoc ſtatim defungitur *loco* & *nomine* Chriſti. Ad novam illam lectionem ſtabiliendam non ſufficit locus ex *Epheſ.* VI. 20. Hic enim nihil amplius probat, quam quod Apoſtolus ita ſcribere potuerit: at vere ſcripſiſſe ut credamus, ea, quæ attulimus, non permittunt. Præterea particulam ȣ̃ν poſtulat nexus ſermonis, ita hic conformatus, ut appareat, Apoſtolum vocationi divinæ, ante commemoratæ, ſuperſtruere munus ſuum, quo cum aliis fungebatur.

Verſ. 21. Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησε) In hæc verba ſingularibus diſputationibus commentati ſunt ex noſtratibus *Phil. Ludov. Hennekenius* de veritate juſtitiæ noſtræ imputativæ Witteb. 1687. & *Joach. Juſtus Breithaupt* in Syncriſi Adami primi & ſecundi, Francof. ad Viadrum 1694. ex Reformatis autem *Theod. Zwingerus* de myſterio reconciliationis noſtræ cum Deo, Baſil. 1634.

Μὴ γνόντα ἁμαρτίαν) *qui experiundo non cognovit peccatum*, ſicut Herodotus ſimili phraſi lib. IV. p. 294. Amazonas dixit μὴ γινώσκειν τὰ πλοῖα, *navigandi imperitas eſſe*. Vide *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 495.

Ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησε) Triplex apud Patres occurrit interpretatio. Alii enim τὴν ἁμαρτίαν de *carne* accipiunt, quam Chriſtus aſſumſit, alii per *peccatorem*, alii denique per *victimam pro peccato* interpretantur. Lege *Suicerum* Tomo I. p. 204. ſq. Poſtremi illi recte egiſſe cenſendi ſunt. Reſpicitur enim ad Hebr. חטאת quod ſacrificium pro peccato inferre nemo negat. Conf. *Carol. le Cene* Projet d'une nouvelle Verſion p. 532. & *Jo. Vorſtii* Philol. Sacr. Parte I. pag. 196. Neque tamen propterea redarguenda eſt B. *Lutheri* verſio: **für uns zur Sünde gemacht**, quod fieri video ab *Amelio* Parte I. p. 178. Emphaſin enim ſermonis Paulini non rectius aſſequi ſe poſſe putabat, inprimis cum vox δικαιοσύνη, in abſtracto itidem poſita, τῇ ἁμαρτίᾳ reſponderet. Compara *Herm. Witſii* Miſcellanea Tom. II. in Irenico p. 765. ubi de eo diſquirit, cur Dominus *peccatum* quidem, ſed nunquam *peccator* appelletur. Adde *Grotium* de Satisfact. Chriſti p. 16. ſq. & 96. Tom. III. Opp. p. 301.

Ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη Θεȣ̃) Ita ſubſtantivum pro adjectivo ponit *Herodotus* lib. I. p. 14. ȣ̃τω ὦν πᾶς ἐϛι ἄνθρωπος συμφορή.

CAPUT VI.

VErſ. 1-10. Συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν, κ. τ. λ.) Illuſtrantur a Cl. *Franc. Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. p. 119. ſqq. *M. Antoninus* VI. 42. ſimiliter dicit: πάντες εἰς ἓν ἀποτέλεσμα συνεργοῦμεν.

Verſ. 2. Λέγει γάρ· καιρῷ δεκτῷ ἐπήκουσά σου) Cum Jeſaiæ XLIX. 8. hæc confert *Vitringa* in Commentario ad Jeſaiam.

Ἰδοὺ νῦν καιρὸς -- ἰδοὺ νῦν) Simili anaphora *Herodotus*, obſervante *Raphelio*, utitur lib. V. pag. 330. νῦν ἂν εἴη ὁ χρησμὸς ἐπιτελεύμενος ἡμῖν, νῦν ἡμέτερον τὸ ἔργον, qualem ex *Polybio* p. 1055. idem affert p. 487. Καιρὸς εὐπρόσδεκτος eſt *tempus Novi Teſtamenti*. Vide Patres apud *Svicerum* Tom. II. pag. 19. Argumentum ipſum excutitur in Programmate Natalitio Jenenſi anno 1729. de tempore beneplaciti divini in Chriſti nativitate ſignato, & a *Jo. Fechtio* in Diſputat. de termino gratiæ divinæ, Roſtoch. 1699.

Verſ. 3-11. Μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προσκοπὴν κ. τ. λ.) Commata hæc diligenter illuſtrantur a *Godofredo Jüngſtio*, Profeſſore quondam Theologo Bremenſi, in Exercitationibus quinque de Miniſterio Gratiæ Miniſtrorumque ſub Novo Teſtamento vera indole, Bremæ 1717-1723. editis.

Διδόντες προσκοπὴν) Lege *Svicerum* Tomo I. p. 493. & II. p. 969.

Verſ. 4. Ἀλλ' ἐν παντὶ συνιστῶντες ἑαυτοὺς ὡς Θεοῦ διάκονοι) Scribere Apoſtolus etiam poterat, ὡς Θεοῦ διακόνους. Sed convenientiſſime Græcæ Linguæ rationibus ſcripſit, ut legimus. Exempla hujus ſtructuræ ex profanis Scriptoribus attulit Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis pag. 98. ſq.

Ἐν ὑπομονῇ πολλῇ) Hoc ita capiendum eſt, ut patientia tanquam virtus commendari intelligatur, quam Apoſtolus cum aliis in variis objectis, uſque ad finem v. 5. enumeratis, nempe in *calamitatibus, neceſſitatibus* &c. probarit: quemadmodum v. 6. ſq. aliæ virtutes recitantur, quarum ſe ſtudioſum præſtiterit.

Ἐν ἀνάγκαις) *in neceſſitatibus*, qualis v. c. eſt *egeſtas*, ſeu, *inopia*. Hoc enim ſenſu vocem non a τοῖς LXX. aut Poëtis ſolum, quos *Pſochenius* de Stylo N. T. §. 110. attulit, ſed & a ſolutæ orationis Scriptoribus adhiberi oſtendit *Elsnerus* p. 148. qui & *Salmaſium* ad Solinum p. 764. videri jubet. *Plutarchum* monet is in Solone p. 85. ταῖς τῶν πενήτων ἀνάγκαις ἐνεχόμενον, *pauperum neceſſitatibus* (i. e. egeſtati) *implicatum* dicere.

Verſ. 5. Ἐν ἀγρυπνίαις, ἐν νηστείαις) *Vigiliæ* & *jejunia* inter athletarum exercitia a veteribus memorantur. In his itaque inſtar athletæ peritiſſimi & ſubacti Apoſtolum ſe hic ſiſtere exiſtimat *Jac. Lydius* in Agnoſticis Sacris p. 22.

Verſ. 7. Διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν) Quæ illa ſint *juſtitiæ arma dextra & ſiniſtra*, ex Patrum ſententia leges apud *Svicerum*

 Tom.

Tom. II. p. 497. Non dubitem cum *Jac. Cappello* in Obſervatt. reſpici ad arma *offenſiva & defenſiva. Offenſiva quippe, puta gladius, haſta, telum, dextra vibrantur; defenſiva vero, puta, clypeus, parma, ſiniſtra tenentur.* Applaudit illi etiam *Jac. Lydius* de Re militari p. 43. Nec aliter ſentit Cl. *Jo. Albertus Bengelius* in Notis ad Chryſoſtomi libros de Sacerdotio p.464. ubi *gladius & ſcutum* a Chryſoſtomo commemorantur. *Gladius*, inquit, *pertinet ad externa prælia; ſcutum ad ſuos muniendos. Utroque tota ſignificatur panoplia, ut nec* feriamur, & ut feriamus. *Hæc ſunt arma juſtitiæ* dextra & ſiniſtra. *Nam gladium dextra manu pugnator vibrans offendit hoſtem, ac ferit; ſiniſtra clypeum tenens ſe defendit. Virgilius:* Nec clypeo juvenis ſubſiſtere tantum Nec dextra valet.

Verſ. 10. Ὡς πτωχοὶ, πολλοὺς δὲ πλουτίζοντες) Spectat huc dictum R. *Abai* in Gemara Nedarim f. 40. 1. *Recipimus, non eſſe pauperem, niſi in ſcientia. In Occidente ſeu terra Iſrael dixerunt: In quo ſcientia eſt, is eſt, ut ille, in quo omnia ſunt. In quo illa deeſt, quid eſt in eo?*

Ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες) Similiter in *Berachoth.* f. 17. 2. aliquis fertur dixiſſe: *Quotidie filia vocis exit ex monte Horeb, & dicit: omnes, quotquot ſunt in toto mundo, aluntur propter Chaninam, filium meum. Chaninæ autem, filio meo ſufficit, ſi habeat cabum, ſeu parvam menſuram arboris ſiliquæ in ſingulas hebdomades.* Utrumque locum obſervavit *Balthaſ. Scheidius.* Vide Bibliothec. Lubecenſ. Vol. II. pag. 189. ſq. Abdolonymus apud *Curtium* IV. 1. 25. *nihil habenti nihil defuit.* Confer. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 496. *Marc. Antoninus* X. 1. quemque in ſtatu præſente vult acquieſcere, & præſentibus quibusque oblectari & perſuaſum eſſe, ὅτι πάντα πάρεστι, πάντα εὖ ἔχει, καὶ παρὰ θεῶν πάρεστι. Propius huc facit, quod, obſervante Cl. *D. W. Trillero*, Crates habet in collect. Epiſt. Aldin. Part. II. f. 300. b. καὶ ἔχοντες μηδὲν, πάντα ἔχομεν. Alia hujus generis habes apud *Andr. Schottum* in Adagial. N. T. pag. 120.

Verſ. 11. Τὸ στόμα ἡμῶν ἀνέῳγε πρὸς ὑμᾶς) Phraſin illuſtrat *Vorſtius* Philol. Sacr. Part. II. p. 230. & *Ludov. Cappellus* in Operibus p. 13.

ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται) Cor noſtrum dilatatum eſt, amore ſcilicet in vos, & gaudio ex vobis.

Verſ. 12. Οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν. στενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν) Et imperative & indicative hæc converti poſſe, rectius autem propter nexum indicative verti, monuit *Eraſmus Schmidius*, inprimis cum τὸ οὐ magis ἀρνητικὸν quam ἀπαγορευτικὸν ſit ἐπίῤῥημα. Si Apoſtolus dicere voluiſſet: *ne ſitis anguſti in nobis;* ſcripturus erat: μὴ στενοχωρεῖσθε. Itaque hoc ſibi potius vult: non habitatis anguſte in nobis: ihr habt vielen Platz in unſern Hertzen; ihr wohnet räumlich. Hoc ſenſu acceperunt veteres, quos affert *Camerarius.* Atque hanc notionem omnino admittit verbum στενοχωρεῖσθαι. Vide, quæ ſcripſimus ſupra ad IV. 8. & adde *Hombergium* p. 268. Sequuntur hanc interpretationem ex recentioribus idem *Hombergius*, & noſtratium nonnulli, v. c. *Starckius* in Notis Selectis

lectis p. 134. & *Zeltnerus* in notis verſioni Bibliorum vernaculæ ſubjectis p. 200. Iidem ſequentia:

στενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν) ita interpretantur: *vos vero in viſceribus veſtris* (i. e. inter vos) *anguſti eſtis erga nos*, h. e. affectus veſter tenuis eſt in nos. Senſus utique commodus eſt. Malim tamen ſequi B. *Lutherum*, ita vertentem: Unſerthalben dürft ihr euch nicht ängſten: daß ihr euch aber ängſtet, das thut ihr aus Hertzlicher Meinung. Niſi quod convenientius indicativo ſenſu, ob rationem paulo ante allatam, accipiantur. Sententia hæc fuerit: *vos non angimini a nobis, ſed ex veſtro in me amore angimini a vobis.* Hanc ſententiam adſtruxit Cl. *Elsnerus* p. 148. ſq. Maximum illud præſidium in eo poſitum eſt, quod verbum στενοχωρεῖσθε & vox στενοχωρία non alio niſi *angoris* ſenſu accipiatur. Vide *Rom.* II. 9. VIII. 35. 2. *Cor.* VI. 4. 8. & XII. 7. Ex altera illa interpretatione conſequeretur, Apoſtolum hic de exiguo Corinthiorum in ſe amore conqueri. Illa vero querela conciliari non poteſt, cum prædicatione illorum in ſe amoris, qua defungitur infra cap. VII. 7. ubi Titum ait ſibi nunciaſſe Corinthiorum ἐπιπόθησιν, ὀδυρμὸν & ζῆλον pro ſe. Hujus igitur amoris ſui pleniſſimum fructum eos capere vult, ſi & ipſi ad ſuum exemplum, omni animi mœrore excuſſo, lætentur.

Verſ. 13. Τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν ὡς τέκνοις λέγω. πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς.) Duplici modo hæc converti poſſunt. Vel ita: *eandem autem compenſationem ego ut filiis præcipio. Dilatamini etiam vos.* Vel ſic: *per compenſationem vero (ut filiis loquor) & vos dilatemini.* Prius placuit *Eraſmo Schmidio*, poſterius vero potius expreſſit Lutherus: Ich rede mit euch als mit Kindern, daß ihr euch alſo gegen mir ſtellet, und ſeyd auch getroſt. Atque hoc ipſe malim. Ita vero phraſis τὴν δὲ ἀντιμισθίαν ſupplenda eſt per præpoſitionem κατὰ, quam ſæpe omitti *Lamb. Bos* multis exemplis probavit in egregio de myſterio ellipſeos Græcæ linguæ libello. Porro phraſis ὡς τέκνοις λέγω, quaſi παρενθετικῶς poſita accipi debet. Confer hic *Knatchbullum* & *Grotium.* Ita ſenſus in aprico eſt. Cupit Apoſtolus, ut par utrinque ſit lætitia apud ipſum & Corinthios, quæ *rependat* quaſi priſtinum animi mœrorem, quo utrique affecti erant, Paulus nempe ex inceſtuoſi hominis ſcelere & diſſenſionibus Corinthiorum: Corinthii vero ex epiſtola Pauli priore, gravioribus in eos animadverſionibus reſperſa. Confer infra VII. 8. & 11. Verbum vero πλατύνεσθαι de ampla & inſigni animi lætitia adhiberi vel ex Pſ. IV. 1. patet: εἰσήκουσάς μου ἐν θλίψει ἐπλάτυνάς με.

Verſ. 14. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις) *Ne ſitis jugo juncti cum infidelibus*, ad alteram ſcilicet ejus partem trahendam, ut recte habet *Eraſmus Schmidius*. Reſpectus enim habetur ad *Lev.* XIX. 19. τὰ κτήνη σου οὐ κατοχεύσεις ἑτεροζύγῳ, ubi *Ald.* habet ἑτέρῳ ζυγῷ. Conf. *Deut.* XXII. 10. & in rem ipſam lege *Bochartum* in Hierozoico Part. I. lib. 2. c. 27. Communio igitur prohibetur cum infidelibus, in quantum ſunt infideles, & fidei oppoſitæ fraudi eſſe poſſunt.

 Tria

Tria vero potiſſimum momenta, judice Cl. *Wolfburgio* p. 239. Obſervatt. Sacr. caveri jubentur, nempe copula carnalis in conjugio, utilitas propria, & ſpecies quæque externa. Convenientius hæc dicuntur, quam quæ in phraſeos hujus illuſtrationem attulit *Marc. Meibomius* in de Fabrica triremium libro, Amſtelod. an. 1671. edito, & Tomo XII. Antiquitt. Romanarum pag. 570. ſq. inſerto. Vertit is p. 37. *nolite velut remiges, qui impari remigio navem in alteram partem convertere ſtudent, conſcendere cum infidelibus. Aptiſſima quidem*, ita pergit, *mea opinione, verbi hujus translatione uſus* (*Apoſtolus*) *ut ſuis Corinthiis communionem vitæ cum infidelibus interdiceret. Tria autem hoc verbum* ἑτεροζυγεῖν *includit, primum ſeſſionem in tranſtris, neque enim proprie contendere cum aliquo quis poteſt, niſi prope ſit. Deinde actionem remigandi, ſicut etiam ex verbo* ὁμοζυγεῖν *apparet; denique contrarium ſtudium, quod altera compoſiti verbi pars* ἕτερον *ſuggerit. Manifeſtum porro ex iis, quæ dicentur, fiet, verbum* ἑτεροζυγεῖν *includere conſeſſum apud alium remigem, ut eodem verbo hortari videatur, ne fidelis, cum velut in uno tranſtri extremo ſedentem videt infidelem, in altero ejuſdem tranſtri extremo ſe collocet, ut frivolis ac contentioſis ſermonibus, tanquam remis inter ſe contendant.* Reliqua lege apud Cl. *Pet. Zornium* in Biblioth. Antiquario-Exegetica Tom. I. p. 385. ſqq. Nemo, credo, negaverit, latius patere & phraſeos ſenſum, & Apoſtoli mentem; propiorem quoque eſſe reſpectum ad ἑτεροζυγεῖν, Moſaicis inſtitutis prohibitum, ad quæ Apoſtolum etiam alias in præceptis tradendis alludere ex 1. *Cor.* IX. 9. 10. conſtat. Itaque recte hanc interpretationem deferendam in Prælect. MSS. cenſuit B. *Godofr. Olearius*, in altera illa *Bocharti* acquieſcens, eo ſenſu, ut lex Moſaica, tanquam ſymbolica, per quam Judæi agerent vitam ἄμικτον, in cujus commercium gentiles non venirent, ad Chriſtianos translata exiſtimetur.

Quæ contra *Hammondum*, qui vertit: *in alteram partem inclinare*, *Clericus*, a *Bocharto* etiam ex parte diſſentiens, in Animadverſionibus ſuis monuit, ea apud ipſum legi velim.

Nec audiendus omnino eſt *Jo. Spencerus* lib. II. c. 19. de Legibus Hebræorum ritualibus, ad *Zabiorum* quendam morem Moſaico inſtituto reſpici exiſtimans, in quem nonnulla dixit *Zornius* l. c.

Conjugium jugo illo, quod prohibetur, comprehendi recte obſervat Hombergius p. 269. Parergorum, *Theocritum* afferens, qui ἄζυγον κόρην *virginem innuptam* dixit.

Patrum ſententias lege apud *Svicerum* Tomo I. pag. 1218. Ex illis prope ad Apoſtoli mentem accedit *Theodoretus* in h. l. Μὴ μιμήσησθε, inquit, τοὺς ἑτέρως ἐννεύοντας βόας, καὶ τὸν ζυγὸν κλίνοντας, τὴν τῶν ἀπίστων ἀπάτην τῆς ἡμετέρας προτιμῶντας διδασκαλίας. *Ne imitemini boves qui alio deflectunt, & jugum inclinant, incredulorum fraudem noſtræ doctrinæ præferentes.* Longius vero abiiſſe exiſtimandus eſt *Photius* epiſt. CLIV. pag. 209. Οὐ δεῖ ὑμᾶς ὡς οἰκείοις καὶ ἑταίροις ἑαυτοὺς τοῖς ἀπίστοις συζευγνῦσαι, καὶ τὴν αὐτὴν τῆς ἀσεβείας αὐλα-

ἄυλακα τέμνειν. Non oportet vos quaſi familiaribus & ſodalibus copulari cum infidelibus, & eundem patefacere ſalcum. Itaque legi poſſe putavit ἑταιροζυγῦντας, quod ideo moneo, quia hujus conjecturæ nullam a *Millio*, alias id facere ſolito, mentionem factam eſſe video. Illi vero nihil tribuendum eſſe, tum ipſius verbi, nuſquam alias obvii, novitas, tum allata in ſuperioribus expoſitio evincit. Nec ipſe Photius, aliam quippe, receptæ lectioni conformem, afferens, illam penitus approbavit.

Τὸ ἑτεροζυγεῖν *Budæus*, & poſt eum *Grotius*, pro ὁμοζυγεῖν accepit, approbante *Rich. Simonio* de verſionibus N. T. p. 452.

Τίς δὲ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος;) De voce κοινωνία lege Patres apud *Svicerum* Tom. II. pag. 125. Σκότος vero de impiis idololatrarum ſacris, a Spiritu tenebrarum profectis, quemadmodum φῶς de religione Evangelica, tanquam luce a Spiritu S. accenſa, recte accipit *Mart. Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. II. lib. VII. cap. 2. §. 16. pag. 138. Similes, quales hic exſtant, externorum Scriptorum interrogationes affert *Picinellus* in Luminibus Reflexis. Affines vero his oppoſitiones *Andr. Schottus* in Adagial. N. T. pag. 121. & *Delrio* Tom. II. Adag. p. 524. promit. Τὸ δὲ hic poſitum eſſe pro ἢ, ſicut paulo poſt v. 15. ἢ τις μερὶς, obſervat Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 496. ſimilibus Herodoti exemplis adductis.

Verſ. 15. Τίς δὲ συμφώνησις Χριςῷ πρὸς Βελίαλ;) Sic Epictetus apud *Arrianum* proverbii loco affert: χύτρα καὶ πέτρα ὀ συμφωνεῖ, obſervante eodem *Raphelio* p. 487. Annotationum Polybianarum.

Βελίαλ;) Codices multi hic legunt Βελίαρ, quod & *Stephanus* & *Millius* in ſuis editionibus exhibent. *Hieronymus* eandem lectionem corrupte exſtare obſervavit. Et vel ſic tamen Græci Patres præcipui eam adoptarunt, indicante *Svicero* Tomo I. pag. 678. Interim genuina ſcriptura omnino eſt Βελίαλ ex Hebr. בליעל *Judic.* XX. 13. quod οἱ LXX. ibi per ὑιὺς παρανόμων exprimunt, quamvis *Alex.* & *Ald.* ibi legant τὺς ὑιὺς Βελίαλ. *Gregor. Nazianz.* in Carminibus aliquoties habet Βελίας, ceu *Hæſchelius*, vir inſignis, obſervavit ad Origenem contra Celſum pag. 305. edit. Cantabrig. qui & ipſe Βέλιαρ legit. *Beliam* pro *Belialem* quoque dixit de corona militis p. 422. Veram vocis originem & ſignificationem oſtenderunt *Druſius* in Commentario priore ad Voces Hebraicas pag. 32. & poſteriore, pag. 207. *Cheitomæus* de vocibus Græco-Barbaris ſuo loco, & *Aug. Pfeiferus* in Locis Hebraic. & Exoticis N. T. pag. 503. Operum Criticorum. Per *Belialem* in Scriptura S. *Bacchum* intelligi fruſtra ſibi perſuaſit *Ramireſius* in Spicileg. Tract. I. cap. 7. pag. 17. *Andr. Schottus* Hebræis *Belial* idem, quod Græcis *nequam* eſſe tradit in Adagialibus Nov. Teſtam. pag. 122.

Ἢ τίς μερὶς πιςῷ μετὰ ἀπίςυ;) Inſpice *Druſii* Miſcellanea Centur. I. c. 14. & *Jo. Henr. Urſini* Analecta Tom. I. p. 125. ſqq.

Verſ. 16. Τίς δὲ συγκατάθεσις ναῷ Θεοῦ μετὰ τῶν εἰδώλων;) Συγκατάθεσις *conſenſionem*, & συγκατατίθημι *conſentire* apud LXX. infert, ut *Exod.* XXIII. 1. & apud profanos Scriptores, Dionyſ. Halicarn. lib. II. p. 736. *Polybium* lib. IV. p. 398. & alios, quorum loca promit Cl. *Elsnerus* p. 149. ſqq.

Καθὼς εἶπεν ὁ Θεὸς) Quæ ſequuntur, alii ex uno, alii ex pluribus V. T. locis deſumta putant. Lege *Jac. Altingium* Tom. IV. Operum p. 122-130. *Guil. Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 554. ſqq & ex noſtratibus Cl. *Franc. Wokenium* in Moſe Harmonico pag. 140. ſqq. Hic poſtremus unum Levitici XXVI. 11. 12. locum ſufficere exiſtimat. *Vitringa* lib. I. Obſervatt. Sacr. c. XI. p. 150. recte tradit, de Domino noſtro Jeſu Chriſto hæc dici ex vi & nexu commatis 15. Argumentum de inhabitatione Dei gratioſa ex h. l. ſingulari diſſertat. perſequitur *Jo. Georg. Dorſcheus*, quæ exſtat in Pentadecade Diſſertt. ejus Theolog. p. 583. ſqq. & nuper Lipſ. 1730. recuſa eſt.

Verſ. 17. Διὸ ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν, κ. τ. λ.) Locum hunc cum *Jeſ.* LII. 13. tanquam hinc petitum, ſcite comparat *Vitringa* in commentario ad Jeſaiam Tom. II. p. 652. Διὸ, quapropter, inquit, *eſt ipſius Pauli, rationem ex h. l. petitam cum præpoſitione ſua connectentis.* Ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν *reſpondet his Jeſaiæ:* Egredimini ex medio ejus. *Apoſtolus ſpecialem ſententiam in generalem convertens ſcripſit* αὐτῶν, eorum, *absque ullo vitio.* Καὶ ἀφορίσθητε *reſpicit duas notiones Jeſaiæ* סורו ſeparamini (*ut nos quoque vertimus*,) & הברו, *quod* οἱ LXX. *quoque reddiderunt*, ἀφορίσθητε, *quam ſignificationem a voce ſuſtineri in loco docui. Eſtque hæc ratio, quare Apoſtolus vocem hanc ſubjunxerit* τῷ, ἐξέλθετε, *quæ ſequitur notionem* סורו *apud Jeſaiam: ut nos moneret, ſe una hac voce utramque, priorem & poſteriorem, complecti.* Λέγει Κύριος, *non habetur in his verbis Jeſaiæ, ſed repetitum eſt a Paulo ex.* v. 5. נאם יהוה dictum Domini. *Chorus Propheticus hic explicat mandatum Filii Dei.* Καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε. Et immundum ne attingite; *eſt Jeſaiamum ipſum.* Κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς. Et ego ſuſcipiam vos, *h. e. ego ſuſcipiam vos in defenſionem meam, ſub alas meas; reſpondet ultimis.* Quia Jehova nos antecedit, & Deus Iſraelis cogit agmen veſtrum: *quæ Apoſtolus compendio & vera paraphraſi ſenſum reddens, non ſectatus verba, expreſſit.*

CAPUT VII.

Verſ. 1. Ταύτας οὖν ἔχοντες τὰς ἐπαγγελίας, κ. τ. λ.) Comma hoc per nexum ſermonis Apoſtolici male a ſuperiori capite, cui colophonem potius imponere debebat, ſeparatum eſſe noſtratium quidam recte monuerunt. Ex illis lege Rev. *Chriſtoph. Matthæum Pfaffium* in Diſſert. Critica de genuinis librorum N. T. lectionibus cap. IX. p. 180. Idem ſtatuit *A. Blackwall* in Sacred Claſſicks Tomo II. pag. 129. Scilicet *Jeſaiæ* & *Jeremiæ* locus

v. 17. 18. allatus, ampliſſimam continet promiſſionem, ex qua Apoſtolus conſectarii inſtar deducit admonitionem generalem ad ſanctimoniæ ſtudium, quemadmodum v. 2. ſqq. in omnia alia divertit. Recentiſſimi Interpretes N. T. Galli, *Beauſobre* & *Lenfant*, caput antecedens hoc commate claudunt.

Καθαρίσωμεν ἑαυτὺς) De verbo hoc lege Biblioth. Bremenſem Claſſ. IV. pag. 1020.

Ἀπὸ παντὸς μολυσμῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος) Inquinamenta corporis & animæ hic intelligi debere clarum eſſe poterat, etiamſi non demonſtraſſet *Jo. Vorſtius* in Philologia Sacra Parte I. cap. 4. pag. 127. Nec ſcio, quid in mentem venerit Cl. *Sam. Battierio*, in Biblioth. Bremenſi Claſſe VIII. pag. 949. affirmanti, *Scripturam Sacram nullum noſſe aliud, quam carnis inquinamentum.* Non recogitavit Vir doctus, ut alia taceam, ab Apoſtolo 1. *Corinth.* VIII. 7. τὴν συνείδησιν ἀσθενῆ μολύνεσθαι, *conſcientiam infirmiorem inquinari*, dici. Conſcientiam vero non ad corpus, ſed ad animam referet. Itaque *anima* etiam Scripturæ ſtylo dicitur *inquinari.* Ruit igitur ſimul nova, quam huic aſſerto ſuperſtruit, & *expoſitio*, & *interpunctio.* Per σάρκα ſcilicet vult intelligi *antiquum hominem.* Hanc vero notionem, quamvis alias receptam, nihil cauſæ eſt, cur h. l. invehamus. Nec felicior eſt, quando interpunctionem ita vult inſtitui, ac ſi Apoſtolus ſcripſiſſet: καθαρίσωμεν ἑαυτὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμῦ σαρκὸς, καὶ πνεύματος ἐπιτελῦντες ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ Θεῦ. *Mundemus nos ipſos ab omni inquinamento carnis, etiam ſpiritus perficientes ſanctitatem in amore Dei.* Sic enim ſtructura ſermonis Apoſtolici turbatur. Hoc ſi voluiſſet Apoſtolus, ſcripturus erat: καὶ πνεύματος ἐπιτελῶμεν ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ Θεῦ. Jam vero ſcripſit ἐπιτελῦντες. Nec ſufficit, τὸ καὶ conſueta copulandi ſignificatione privare, & per *etiam* vertere, cum rarior ſignificatus non ſit adoptandus, quando communior teneri poteſt. Nec unquam in N. T. ἁγιωσύνην τῦ πνεύματος commemoratam invenio. Sanctimonia hominis Chriſtiani ſimpliciter vocatur ἁγιωσύνη 1. *Theſſal.* III. 13. habito ſcilicet ad *corpus* & *animum* reſpectu, quemadmodum jubemur δοξάζειν τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι καὶ ἐν τῷ πνεύματι ἡμῶν 1. *Cor.* VI. 20.

Rectius agunt, qui generali Pauli admonitione ſpeciatim per μολυσμὸν σαρκὸς *fornicationem*, per μολυσμὸν πνεύματος autem idololatriam notari cenſent. Accipe hanc in rem Rev. *Pfaffii* verba l. c. *Duplex eſt*, inquit, *uti facile apparet, peccatum, quod Apoſtolus heic vitandum eſſe dicit Corinthiis, dum eos monet, ne jugum trahant cum infidelibus*, μολυσμὸς σαρκὸς καὶ πνεύματος. *Prior impuritas per* fornicationem *explicatur a Paulo in loco parallelo* 1. *Corinth.* VI. 15. 16. 19. *ubi ex eodem argumento, quia nempe Corinthii, ut Sancti ſint, templum Dei & Spiritus S. heic* 2. *Cor.* VI. 16. *etiam allato, eos a fornicatione dehortatur. Poſterior* idololatriam *deſignat. Conf.* 2. *Cor.* VI. 16. *Unde & idola* ἀλισγήματα *impuritates nominat Apoſtolus* Jacobus *Actor.* XV. 20. 29. *in quo loco itidem parallelo* ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων *ſignificant* μολυσμὸν πνεύματος, *fornicatio autem eſusque ſuffocati & ſanguinis* μολυσμὸν σαρκός. Idem de

de horum verborum ſenſu *Jo. Erneſtum Grabium* cogitaſſe, memini ex ſermonibus, quos olim mecum, in Anglia tunc verſante, inſtituebat. De voce ἁγιωσύνη lege Patres apud *Svicerum* Tom. I. pag. 63. *Theophylactus* per eam recte πᾶσαν ἁπλῶς τὴν ἐν βίῳ καθαρότητα intelligit. Totum comma illuſtrat Rev. *Chriſtianus Maſecovius* in ſingulari diſſertatione Regiomonti 1713. habita & 1731. recuſa.

Verſ. 2. Ὀυδένα ἐφθείραμεν) *Chryſoſtomus* explicat per ἠπατήσαμεν, *decepimus.* Eſt nimirum φθείρειν, ſive *corrumpere, aliquem in malas partes, vel in perverſam ſententiam ſuam adducere.* Sic *Polybius* p. 395. & 421. φθείρειν adhibet de iis, qui Achæorum ſocios blanditiis & ſimulatione pacis avertere & alienare tentabant. B. *Godofr. Olearius* in Prælection. MSS. mavult explicare ex *Thucydide*, qui ad exemplum aliorum Scriptorum Atticorum φθείρειν πράγματα eum dicat, qui *ſtatum rerum labefactet.*

Ὀυδένα ἐπλεονεκτήσαμεν) *Theodoretus* & *Theophylactus* ad amoliendum quæſtus & turpis lucri, tanquam in præconio Evangelico quæſiti, ſtudium dici hæc arbitrantur. Vide *Svicerum* Tom. II. p. 747. & adde, quæ ſcripſimus ſupra ad cap. II. 10.

Verſ. 5. Ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι) ſcil. ἦμεν, vel γεγόναμεν. Conf. ad cap. V. 12. & adde *Jo. Erici Oſtermanni* Poſitiones Græcum textum N. T. concernentes Diſp. III. §. 6. qui recte monet, & locis quibusdam firmat, phraſin non eſſe hebraizantem, ſed optimis Græciæ Scriptoribus receptam.

Verſ. 6. Ἀλλ' ὁ παρακαλῶν τὺς ταπεινὺς) Ταπεινὺς de *miſeris* accipit B. *Olearius* in Prælection. MSS. ex Hebraiſmo, per quem עני non *humilem* ſolum, ſed & *miſerum* infert. Miſeria quoque & modeſtia ſolent eſſe conjunctæ.

Verſ. 8. Ὀυ μεταμέλομαι, ἐι καὶ μετεμελόμην) *Non me pœnitet, etiamſi pœnituerit.* Ita recte *Beza*, & *Eraſmus Schmidius.* Pœnituerat ſcilicet Paulum epiſtolæ ſuperioris acerbius ſcriptæ, cum ſcilicet adhuc dubius eſſet, quem illa fructum apud Corinthios habitura eſſet. Jam autem omnis pœnitudo animo penitus exceſſerat, cum tam felicem ſortita eſſet eventum. Vel ultima hæc phraſis ita quoque accipi poteſt: *etiamſi pœnitudo aliqua me inceſſerit*, ut indicetur, Paulum, qua hominem, vel etiam, qua doctorem, lenem alioquin & mitem, pœnitere ſcriptionis acerbioris cœpiſſe, inprimis, cum videret, Corinthios quosdam bonos & cordatos in triſtitiæ ſocietatem veniſſe; ſed animum ſtatim, reſpectu ad munus & ſcopum ſuum habito, revocaſſe. Alterutrum horum malim amplecti, quam cum Rev. *Zeltnero* in calce verſionis Bibliorum Germanicæ pag. 201. ita interpretari: Gewißlich, wann ich euch auch betrübet hätte in dem (vorigen) Brief, ſo reuets mich (doch) nicht. Ja wann es mich auch reuete (denn ich mercke) daß euch jenes Schreiben, ſolte es auch nur eine Stunde (kurtze Zeit) geweſen ſeyn; (wircklich) betrübet hat. Apparet hinc, virum doctiſſimum verba illa, ἐι καὶ μετεμελόμην, immediate cum illis conjungere: ὅτι ἡ ἐπιστολὴ ἐκείνη ἐλύπησεν, & propterea verba, βλέπω γὰρ, parentheſi

theſi includere. Durius vero hoc eſt, cum facile pateat, phraſin, *βλέπω γὰρ*, omnino cum iſtis, *ὅτι ἡ ἐπιστολὴ* &c. tanquam rem, quam perſpiciat, conjungendam eſſe. Taceo, Paulum non pœnitere potuiſſe triſtitiæ & pœnitudinis, ad frugèm apud Corinthios in priore epiſtola excitatæ. Hic enim literarum ipſius ſcopus erat. At pœnitere eum, hominis more, poterat ex parte ſeveritatis, qua erat uſus, cum forte recogitaret, ſe alio & leniori modo idem apud Corinthios obtinere potuiſſe.

Βλέπω γὰρ, ὅτι ἡ ἐπιστολὴ ἐκείνη, εἰ καὶ πρὸς ὥραν, ἐλύπησεν ὑμᾶς) *Video enim, epiſtolam illam, quamvis ad breve tempus, triſtitia vos affeciſſe.* B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. orationem putat eſſe *ἀσύνδετον* & *ἀναποδοτικήν*. Sequi enim debere: *ἐμοὶ μὲν χαρᾶς ἐγένετο αἰτία.* Abrumpi itaque orationem, & ad primam perſonam fieri tranſitum: *Νῦν χαίρω* Mihi quidem optime omnia cohærere videntur, ſi priora eo, quem oſtendimus, ſenſu, ſatis plano nec impedito, accipiamus. Qemadmodum enim Apoſtolus prima perſona uſus erat: *βλέπω γὰρ*, ita nunc eadem pergere poterat: *νῦν χαίρω* h. e. Jam quidem, omni pœnitudine, quæ me inceſſebat, penitus liberatus ſum, adeo, ut hoc magis gaudeam, cum vos non ſolum ad frugem reverſos, ſed & bono in me animo eſſe, intellexerim.

Εἰ καὶ πρὸς ὥραν) *ὥρα* hic *modicum tempus*, quale v. c. *hora* conficit, denotat, ut *Galat.* II. 5. *Philem.* v. 15. & 1. *Theſſal.* II. 17. *πρὸς καιρὸν ὥρας.* Quæ loca ut recte huc advocavit *Grotius*, ita eundem non puto audiendum, quando Apoſtolum ait *vocem ὥρας magis Latino quam Græco ſignificatu ſumſiſſe, cum Græcia vetus anni tempeſtates & rerum occaſiones hoc vocabulo expreſſerit. Xenophon* certe ad veterem Græciam pertinet. Is vero lib. IV. Memorabil. *horarum* nomen pro diei & noctis partibus adhibet: *οὐκοῦν καὶ ἐπειδὴ ὁ μὲν ἥλιος φωτεινὸς ὢν τάς τε ὥρας τῆς ἡμέρας ἡμῖν καὶ τἄλλα πάντα σαφηνίζει· ἡ δὲ νὺξ, διὰ τὸ σκοτεινὴ εἶναι, ἀσαφεστέρα ἐστὶν, ἄστρα ἐν τῇ νυκτὶ ἀνεφάνησαν, ἃ ἡμῖν τὰς ὥρας τῆς νυκτὸς ἀναφαίνει.* Confer *Ægid. Menagii* notas ad Diogenem Laërtium II. 1. & quæ ſcripſi olim ad Tom. IV. Anecdotorum Græcorum p. 102.

Verſ. 9. Ἐλυπήθητε γὰρ κατὰ Θεὸν) *triſtitia affecti eſtis ſecundum Deum*, h. e. *præcipiente, adjuvante*, & *probante* Deo. Hanc enim vim præpoſitio *κατὰ* habet, ut nunc conſilium, nunc præceptum, nunc opem & beneplacitum alicujus, tanquam auctoris ſuaſoriſque, inferat. Ita Evangelium *κατὰ Ματθαῖον*, i. e. *auctore, ſcriptore Matthæo.* Vide, quæ diximus Vol. I. pag. 3. Omnia hæc egregie complexus eſt B. *Lutherus*, per Göttlich interpretatus. Hoc malim, quam cum Rev. *Zeltnero* l. c. explicare *ad exemplum Dei*, qui ſcelera ejusmodi averſetur, aut *propter Deum*, cujus ſcilicet honor & gloria in hoc negotio verſetur. Prius illud video etiam placuiſſe B. *Treunero* in Primitiis Auguſtanis pag. 10. triſtitiam innui exiſtimanti, *quæ imitetur triſtitiam, quam Deus ex peccatis noſtris concipit.* Eandem probabilem fecit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 489. ad 1. *Pet.* I. 1. 15. *Galat.* IV. 28. & *Rom.*

 XV. 5.

XV. 5. itemque locos quoſdam *Arriani* provocans, in quibus τὸ κατὰ vim comparandi habeat. B. *Godofr. Olearius* ad phraſin propius acceſſit, quando voluntatem Dei, tanquam triſtitiæ illius normam, & ordinem ſalutis, voluntati divinæ conformem, hic indicari exiſtimat. Ita Græci κατ' ἐμὲ dicunt, ubi judicium aut voluntatem ſuam exprimere volunt. Cl. *Elsnerus* pag. 150. largitur, triſtitiam intelligi poſſe *divino beneficio* (v. *Actor.* XI. 18.) excitatam, quemadmodum *Lucianus* Hermotimo pag. 519. dicat: ἐγὼ δὲ κατὰ Θεὸν εἱλόμην· ϰ̀ ἐ μεταμέλει μοι τῆς αἱρέσεως. *Ego divino beneficio elegi, neque me pœnitet electionis.* Præſtare tamen putat, ſi exponatur *triſtitia Deo grata*, aut, *ſecundum Dei voluntatem vera*, ſicut *Rom.* VIII. 27. Spiritus S. κατὰ τὸν Θεὸν ἐντυγχάνειν ὑπὲρ τῶν ἁγίων dicitur. Mihi quidem optimum videtur, phraſi emphaticæ κατὰ Θεὸν illam amplitudinem relinquere, quam initio expreſſi. Si tamen ſpeciale aliquod momentum eligendum fuerit, quod Paulus præ ceteris ſpectaſſe videatur, malim *inſtinctum* ſeu *impulſum* divinum intelligere cum *Budæo* pag. 1366. Commentar. Eam ſententiam magnam probabilitatem habere concedit præſtantiſſimus *Raphelius* l. c. pag. 489. modo hic ſignificatus veterum locis ſatis firmari poſſet. Huc vero allatus ab Elsnero Luciani locus omnino pertinet. Placet eum curatius inſpicere. Legitur is Tomo I. Operum Luciani edit. Amſtelod. 1687. pag. 519. (pro qua apud Elsnerum, operarum vitio, legis pag. 549.) Ibi Hermotimus ad Lucianum ita: ἐγὼ δὲ κατὰ θεὸν εἱλόμην, καὶ ἐ μεταμέλει μοὶ τῆς αἱρέσεως· ἱκανὸν δὲ τῦτο πρὸς γῦν ἐμέ. Interpres ita reddidit: *Ego vero DEI DUCTU delectum habui, neque me pœnitet electionis: & hoc mihi ſatis eſt.* In ſuperioribus Hermotimus expoſuerat Luciano, quomodo & qua via in Stoicam, quam tunc ſectabatur, philoſophandi rationem pervenerit, & inter cetera profeſſus erat, ſe nunc etiam, ſine conſulto Numine, ſuum in hac cauſa judicium ſecutum eſſe. Ita pag. 515. inquit: ἐδὲ ἠρόμην περί γε τύτων τὸν Θεόν. *Deum de his rebus non interrogavi.* Hic Lucianus ſtatim ſalſe reſpondet: πότερον ἐκ ἄξιον θείας συμβελίας ἡγέμενος αὐτὸ, ἢ ἱκανὸς ὤν αὐτὸς εἶναι ἑλέσθαι τὸ βέλτιον κατὰ σαυτὸν, ἄνευ τῦ Θεῦ. *Utrum hanc rem divina conſultatione indignam ducebas, an vero ipſe tibi videbare ſatis idoneus ad eligendum* per te, *quod erat optimum*, nullo conſulto Numine? Affirmat Hermotimus ᾤμην γάρ. *Ita mihi videbar.* Hinc idem Hermotimus nunc multitudinem aſſeclarum unius præ altera ſectæ, nunc alia ad eligendam ſectam meliorem adhibuiſſe profeſſus, ſed ſemper in anguſtias a Luciano redactus, tandem pag. 519. teſtatur, ſe κατὰ θεὸν ἑλέσθαι, h. e. *auctore & duce Deo*, quem antea ſcilicet negaverat ſe conſuluiſſe, optionem feciſſe. Vides hic omnino, quod κατὰ θεὸν & καθ' ἑαυτὸν eo ſenſu ſibi opponantur, ut alterum *divinum*, alterum *humanum* inſtinctum inferat. Eodem ſenſu Lucianus ibidem operam ſe ait daturum, ὅπως ἂν οἷός τε ὦ κατ' ἐμαυτὸν ἐξευρεῖν τὴν ἀκριβῆ περὶ τύτων κρίσιν, *ut* per me *poſſim adinvenire exactam judicandi rationem.* Sic & Græci alias eum agere dicunt καθ' ἑαυτὸν, qui ſua voluntate, ſuo jumento utitur. Afferam, quæ *Henr. Stephanus* Tom. II. The-

Theſauri, vere talis, pag. 88. produxit. Κατὰ, inquit, *pro* Per, *eo ſenſu, quo dicitur aliquis*, Per ſe aliquid facere. *Demoſth. ad Philip. epiſt.* ἐν μὲν προσθήκης μέρει ῥοπὴν ἔχει τινὰ καὶ χρῆσιν, αὐτὴ δὲ καθ' αὑτὴν ἀσθενὴς ἐστι. *Sic apud* Xenoph. *Hellen.* 1. αὐτοὶ καθ' αὑτοὺς, & μετὰ τῶν ἄλλων *opponuntur. Quomodo* Homerus *ante illos eſt locutus Iliados* β'—κατὰ σφέας γὰρ μαχέσονται *i. e.* καθ' ἑαυτοὺς διακεκριμένοι, *inquit* Euſtath. *Sic apud* Cæſarem: per ſe aliquid poſſe; & *apud* Livium: per ſe ſolos exercebat. Retulerim huc alium *Homeri* locum ab eodem Stephano pag. 89. ex Iliad. ά obſervatum καὶ μαχόμην κατ' ἐμαυτὸν (vel ut alii, κατ' ἔμ' αὐτὸν) quod ex vett. interpretati ſunt, κατὰ τὴν ἐμαυτοῦ δύναμιν, *pro meis viribus*. Hic ſenſus ſcopo Apoſtolico maxime accommodatus videtur. Ita enim intelligere poterant Corinthii, Apoſtolum non humano aliquo conſilio triſtitiam in animis eorum excitaſſe, ſed tali, quod Deum deceret, quodque Deus ipſe, triſtitiam illam in ipſis fovens, & ad quæſitum pœnitentiæ finem provehens, proſperum eſſe juſſerit.

Verſ. 10. Ἡ γὰρ κατὰ Θεὸν λύπη, κ. τ. λ.) Patrum expoſitiones affert *Suicerus* Tom. II. p. 279. Lege ex noſtratibus B. *Julii Franc. Lütkenii* Collegium Biblicum pag. 454. ex ceteris *Spanhemium* in Dubiis Evangelicis Part. III. pag. 14-16. & *Gatakerum* in Adverſariis p. 316. Sunt, qui Apoſtolum ad Salomonis Eccleſiaſten VII. 4. reſpexiſſe volunt. Sed vide, quæ hanc in rem diſſeruit Cl. *Franc. Wokenius* in Harmonia V. & N. T. p. 393.

σωτηρίαν ἀμεταμέλητον) Phraſin hanc excuſſit *Gatakerus* l. c. cujus commentationem in ſummam refert *Suicerus* Tom. I. p. 223.

ἡ δὲ τοῦ κόσμου λύπη) *mundi triſtitia*, eſt talis quæ ex cauſis ſæcularibus oritur. Ita *Chryſoſtomus* accipit. Ἐὰν λυπηθῇς διὰ χρήματα, διὰ δόξαν, διὰ τὸν ἀπελθόντα, & *Baſilius* in Regulis brevioribus, Interrogat. CXCII. ὅταν τι ἀνθρώπινον, καὶ τοῦ κόσμου ἄξιον ᾖ τὸ λυποῦν. Hoc ipſo firmatur expoſitio τῆς λύπης κατὰ Θεὸν modo allata. Quemadmodum enim triſtitia prior ex mundo ejusque rebus oritur, ita poſterior hæc Deum habet auctorem.

Verſ. 11. ἀλλὰ ἀπολογίαν, ἀλλὰ ἀγανάκτησιν) Τὸ ἀλλὰ non adverſandi ſed intendendi ſignificatum h. l. habet, idemque eſt, quod *imo*. Vide *Joh.* XVI. 2. & quæ ibi ſcripſi.

ἐν τούτῳ τῷ πράγματι) *in hoc negotio, in hoc facinore*. Hanc enim notionem hujus vocis eſſe conſtat. Fortaſſe tamen ſpeciatim *inceſtus* ita appellatur, quem ſuperioribus querelis & animadverſionibus occaſionem feciſſe itidem patet. Ita ſtatuit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis pag. 241 adducto *Xenophontis* loco ex Cyropæd. lib. VI. p. 122. ubi Cyrus ad Araſpam: καὶ σοὶ δὲ τούτου τοῦ πράγματος ἐγὼ αἴτιός εἰμι. Aut valde fallor, aut & illo loco generalis vocis πρᾶγμα ſignificatio obtinet, quam & hic teneri malim. Confer, quæ infra ad 1. *Theſſal.* IV. 6. dicentur, ubi τὸ πρᾶγμα nonnullis ad res venereas itidem ſpectare videtur. *Dan. Wilh. Trillerus*, vir doctiſſimus phraſin hanc generatim ad res venereas refert in Notis MSS. ad h. l. Accipe verba ejus. Eorum, inquit, ſententiæ ægre accedere poſſum, qui hoc πράγματι

τι cum antecedenti ἐν παντὶ conſtruere volunt: nimium enim a ſe divulſa ſunt illa, arctius alioquin combinanda; nec ullum ego novi exemplum ejuſmodi, ut ſic loquar, dislocationis. Putem ergo potius, ἐν πράγματι abſolute poſitum eſſe, & verecunde pro *re venerea* ſumi hic debere, ut ſæpius apud bonos auctores ſolet. Πρᾶξαι enim, unde πρᾶγμα, de *exercitio venereo* apud Atticos inprimis uſurpari, teſtatur *Pollux* in Onomaſt. lib. V. cap. 15. Segm. 93. p. 529. διαπρήσσειν habet *Hippocrates* II. Prædict. VIII. & idem *Pollux*. Πράττειν *Ælian.* de Animal. IV. 8. & *Theocritus* Idyll. II. 143. ubi vid. Schol. τελεῖν γάμον, ἀφροδίτην, κυθήρην, φιλοτήσια ἔργα. Idem Idyll. XVII. 131. Anacr. Od. XXIII. *Æſchyl.* in Eumenid. Agamemn. & alibi. *Homer.* Od. λ. 245. ποιεῖσθαι quoque in Paſtoral. lib. II. & III. *Longus.* Sic & Hebræi verbo עלל, *fecit*, *operatus eſt*, in obnupto ſenſu uti ſolent. Vide *Jud.* XIX. 25. ubi eſt יתעללו *perfecerunt*; ut & altero verbo עשה, *fecit, egit.* Vid. Gen. XIX. 8. 2. *Sam.* XIII. 42. Conf. *Grotium* in h. l. pag. 136. Opp. Tom. I. Latini denique *facere*, *peragere*, *perficere* hoc ſenſu dicere conſueverunt, ut ex *Plauto*, *Suetonio*, *Martiale*, *Petronio* & *Apulejo* ſatis conſtat. Sic *res* & *opus* ipſis idem eſt, ac ipſe actus venereus, quomodo πρᾶγμα & ἔργον apud Græcos. Sic ἐν τῷ ἔργῳ εἶναι *Lucianus* dixit in Dial. Deor. XVII. pag. 108. Tom. I. & ἔργον ita ſæpius apud Homerum ſumitur. Plura de hac re in medium adferre tædet. Legat, qui plura cupit, *Tan. Fabrum* ad *Lucret.* IV. 1029. *Iſ. Voſſium* ad Catull. pag. 338. Caſaub. ad Svetonii Neronem pag. 531. Spanhem. ad Callimach. pag. 57. Pet. Moll ad Longi Paſtoral. lib. II. pag. 37. 48. & lib. III. pag. 79. Erhard. in Symbol. ad Petron. pag. 648. plura autem in edit. Burman. Sed hæc ſufficiant Vult igitur S. Apoſtolus, ut Corinthii ante omnia ſint caſti & ſancti in rebus laſcivis & venereis, quippe quibus maxime & ad intemperantiam & ad exceſſum uſque dediti erant, ut ex binis his epiſtolis ubertim conſtat, & aliunde notum eſt. Maximum enim meretricum & pathicorum Corinthi fuiſſe proventum, teſtatur *Ariſtoph.* in Pluto, ubi Scholiaſtes legi meretur, & *Athenæus* l. XIII. item *Lucian.* in dial. meretric. Notat quoque inſuper *Strabo* lib. VIII. pag. 433. celeberrimum apud Corinthios fuiſſe ἀφροδίτης ἱερὸν, Veneremque ibi maximo ſtudio & contentione fuiſſe cultam. Hæc *Trillerus*. Mihi quidem non dubium eſt, phraſin ἐν τῷ πράγματι idem eſſe, quod ἐν τέτῳ πράγματι, *in illo negotio*, quod ſcilicet inter Corinthios actum erat, & quod inprimis occaſionem dederat ſcriptioni ſuperioris epiſtolæ, & reſipiſcentiæ hoc commate commemoratæ. Neque Paulus verbo συνεςήσατε hic cohortatur Corinthios ad hoc vel illud præſtandum, ſed laudat potius ex re hac in parte bene geſta. Id enim ſibi vult τὸ, συνεςήσατε, *probaſtis*, *demonſtraſtis vos re ipſa puros.* Abſit interim, ut τὸ πρᾶγμα cum *Lockio* ad ſtudium illud referamus, quo Corinthii antea in falſum aliquem doctorem ferebantur. Vult nempe, Paulum eos laudare, & ab omni culpa immunes nunc pronunciare, quod, relicto illo falſo doctore, ſe unice conſectandum & audiendum cenſuerint. Sane non unus erat, qui res Corinthiorum doctrinæ novitate turbabat. Itaque

nec

nec unus poterat appellari *ἀδικήσας*, de quo v. 12. niſi is de homine inceſtuoſo accipiatur, ob quem Corinthii potiſſimum in animadverſionem Pauli incurrerant.

Verſ. 12. *οὐχ εἵνεκεν τοῦ ἀδικήσαντος, οὐδὲ εἵνεκεν τοῦ ἀδικηθέντος*) Poſterius hoc *Dan. Heinſius* tanquam a neutro *ἀδικηθὲν* de *crimine admiſſo* accipit. Recte vero monuit *Lamb. Bos* p. 160. Exercitatt. parum commode opponi *perſonam* & *factum*: commodius autem duas perſonas, *τὸν ἀδικήσαντα* & *τὸν ἀδικηθέντα*. Hi pariter, quod idem monet, opponuntur a Solone apud *Plutarchum* Conv. VII. Sapient. p. 154. *Δοκεῖ μοι πόλις ἄριστα πράττειν, καὶ μάλιστα σώζειν δημοκρατίαν, ἐν ᾗ τὸν ἀδικήσαντα τοῦ ἀδικηθέντος οὐδὲν ἧττον οἱ μὴ ἀδικηθέντες προβάλλονται καὶ κολάζουσιν.* Idem per *ἀδικήσαντα* recte intelligit filium, qui cum noverca rem habuerat; per *ἀδικηθέντα* vero patrem illius filii. Placuit hoc, ut alios taceam, ex noſtratibus *Eraſmo Schmidio*, qui ex hac ipſa phraſi conſequi putat, patrem illum adhuc ſuperſtitem fuiſſe. Cum autem hoc ipſum aliunde ex ſuperiori epiſtola non conſtet, imo phraſis *ἔχειν* c. V. 1. aliquid amplius, quam adulterium commiſſum, inferat, alii patrem pro defuncto rectius habent, in cujus torum filius temere ſucceſſerit. Itaque *ὁ ἀδικηθεὶς* vel Paulus, vel optimus quisque ex Corinthiis, rei indignitate perculſus, habebitur.

ἀλλ' εἵνεκεν τοῦ φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ἡμῶν τὴν ὑπὲρ ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς) *ſed ut manifeſtum fieret apud vos ſtudium illud noſtrum pro vobis.* Ita plerique Codd. MSS. & editi habent: nonnulli vero legunt *τὴν σπουδὴν ὑμῶν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν.* Sic *Stephanus* & *Millius*. Quidam etiam omittunt *πρὸς ὑμᾶς*, quod nec Grotius admittendum cenſet. Quam nos exhibuimus lectionem, eam probam eſſe, & contextui convenientiſſimam, non dubito. Accipe in eandem ſententiam *Millii* verba: *Πρὸς ὑμᾶς rejiciendum cenſet* Zegerus, *ceu cui ipſe reclamet ſermonis tenor* (nempe in lectione illa *τὴν σπουδὴν ὑμῶν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν.*) *Ego quidem hac ipſa de cauſa (maxime cum eam exhibeant Codd. Græci fere omnes, & antiquiſſimi Clar. & Ger.) retinendam duxerim: nec enim fingi ſolent lectiones in ſpeciem abſurdæ. Quanquam ſi priore loco legas (quomodo fere Codd.) ἡμῶν τὴν ὑπὲρ ὑμῶν, hoc ipſum πρὸς ὑμᾶς adeo non reclamat tenori Apoſtolici ſermonis, ut eidem ſumme congruat.* Adſtipulatur *Whitbius* in Examine p. 66. ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius* & B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis.

Verſ. 15. *Καὶ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς ἐστιν*) i. e. *περισσότερά εἰσι.* Adverbia enim verbis *γίνομαι* & *εἰμὶ* juncta pro adjectivis ſæpe ponuntur. Vide, quæ ſcripſi ad *Matth.* I. 18. Vol. I. p. 15.

CAPUT VIII.

VErſ. 1-4. illuſtrat *Balthaſ. Stolbergius* de Solœciſmis N. T. p. 39. ſqq.

Verſ. 1. *Γνωρίζομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοὶ, τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ, τὴν δεδομένην ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Μακεδονίας*) Sunt, qui *τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ* per *beneficentiam ingentem* convertunt, & de ſymbolis, in Macedonia collatis in uſum reliquorum Chriſtianorum, interpretantur, ex Hebraiſmo ſcilicet, in quo Dei *nomen*, rei alicui additum, magnitudinem ejus interdum exprimere exiſtimatur. Ita ſentiunt *Knatchbullus, Hombergius, Car. le Cene* in Conamine novæ verſionis p. 677. & recens Editor N. T. Græco-Anglicani. Sed ut taceam, ipſum illum Hebraiſmum, de quo alibi, nondum extra dubium poſitum eſſe, hic certe is locum habere non poteſt. Phraſis, *χάρις τοῦ Θεοῦ*, frequentiſſima eſt in Novi Fœderis tabulis, nec unquam aliter, quam de gratia Dei, hominibus præſtita, accipitur. Atque ea hic quoque, tanquam in Macedonicas Eccleſias exuberans, prædicatur, quod non ſolum ad Chriſtum efficaciter vocatæ eſſent, ſed & Deo promtæ redditæ ad amorem in pauperes fidei ſocios largiter demonſtrandum. Nec ſufficit, quod urgeri ſolet, *χάριν* v. 4. 6. & 7. collectam illam liberalem denotare. Quemadmodum enim id non ex voce ipſa, ſed ex additis potius conſtat; ita hic tum ex voce *Θεοῦ*, tum ex reliquis phraſibus intelligitur, hoc commate de gratia Dei, in Macedonicis Eccleſiis conſpicua, ſermonem eſſe. Ita cap. VIII. 16. Deus dicitur *διδοὺς τὴν αὐτὴν σπουδὴν ἐν τῇ καρδίᾳ Τίτου*, ſicut hic prædicatur *χάρις Θεοῦ δεδομένη ἐν ταῖς ἐκκλησίαις*.

Verſ. 2. *καὶ ἡ κατὰ βάθους πτωχεία*) *profundiſſima inopia.* Vide, quæ de vocibus *βάθος* & *βαθὺς*, copiam rei cujuſque inferentibus, diximus ad *Rom.* XI. 33. De cauſis illius paupertatis Chriſtianorum in Palæſtina lege *Stolberg.* l. c.

τῆς ἁπλότητος αὐτῶν) Conf. ad *Rom.* XII. 8.

Verſ. 3. *ὅτι κατὰ δύναμιν (μαρτυρῶ) καὶ ὑπὲρ δύναμιν αὐθαίρετοι*) *Σολοικοφανὴς* hæc oratio viſa eſt *Bezæ*, & ita tollenda, ut, expuncto *ὅτι* pro *αὐθαίρετοι* legatur *αὐθαιρέτων*; quod ab antecedente *αὐτῶν* pendeat. Rectius alii, *Vulg. Eraſmus*, *Schmidius*, *Grotius* & inprimis *Stolbergius* l. c. p. 45. poſt *αὐθαίρετος* ſubintelligunt *ἐγένοντο*, quod ſæpe omitti præſtantiſſimorum Scriptorum exemplis evictum eſt. Sed & alia ratione ſtructuræ huic conſuli poſſe, ſi verba, inde a v. 3. fluentia, ad verbum *ἔδωκαν* referantur, ſcite obſervavit præſtantiſſimus *Jo. Conrad. Schvvarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 120. Senſum ita exprimit: *Quod pro facultatibus (ita teſtor) & ſupra facultates voluntarii cum multa cohortatione nos rogantes, ut collectas a ſe pecunias ſanctis Palæſtinæ communiter perferendas ſuſciperemus, neque ita, ut ſperaveramus, ſemet ipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.* Id eſt, *non tantum dederunt, quantum exſpectaveram, ſed omnem ſuam pecuniam, omnes ſuas facultates iis impertiti ſunt.* Idem addit v. 4. deſiderari *καὶ*, ſicuti Epheſ. I. 18. De voce *αὐθαίρετοι* lege *Suicerum* Tom. I. p. 573.

Verſ.

Verſ. 4. *Μετὰ πολλῆς παρακλήσεως*) *cum multis precibus* ſeu enixe. Vide *Svicerum* Tom. II. p. 581.

Τὴν χάριν) *beneficentiam* illam, ſeu collectam: vide ſupra ad 1. *Corinth.* XVI. 3.

Καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονιας τῆς εἰς τὺς ἁγίυς) *& communicationem miniſterii*, (i. e. ſubminiſtrationis) *quod fit in ſanctos*, vel, *quod ſanctis exhibetis.* Ita *Jac. Rhenferdius* in Diſſertat. II. de X. Otioſis, cap. I. §. 49. *Ut*, ita pergit, *ἡ κοινωνία τῆς διακονίας non officium Pauli, eleemoſynas Hieroſolymam deferentis, deſignet, uti Beza pariter contendit; ſed ipſas Eccleſiarum Macedonicarum eleemoſynas, quæ alibi quoque κοινωνία vocantur, uti cap.* IX. 13. *Hebr.* XIII. 16. *Similiter vero διακονία eleemoſynas notat, hujus epiſtolæ cap.* IX. 1. Non dubito hæc amplecti. Verterim germanice: **die gemeinſchaftliche Steuer zum Beſten der Heiligen.** Ex Patribus *Theodoretus* & *Theophylactus* h.l. & alias recte τὴν διακονίαν per ἐπιχορηγίαν τῶν χρημάτων interpretantur. Quomodo iidem τὴν κοινωνίαν huc adplicent, diſces ex *Svicero* Tom. II. p. 126.

Δέξασθαι ἡμᾶς) Codd. MSS. complures, ex verſionibus vero *Vulg. Syr. Arab.* & *Æthiop.* ex Patribus Latinis Ambroſ. & Auguſtinus, ex Græcis autem *Chryſoſt.* & *Theodoret.* duo hæc verba omittunt, duo vero poſtremi in commentariis attingunt. *Theophylactus* in ſupplementum ſententiæ ἀναδέξασθαι ἡμᾶς addendum eſſe monet. Hinc *Millius* ad h. l. & in Prolegomenis §. 883. ea ex ſcholiis Græcorum deſumta eſſe non dubitat: imo recens editor N. T. Græco-Anglicani ex contextu expunxit, quamvis in verſione expreſſit his verbis: *earneſtly intreating me to take the gift.* Mirum ſane eſt, ea a Paulo non ſcripta ſtatui potuiſſe, ſine quibus manca tota foret oratio. Nihil enim eſſet, ad quod referretur vox δεόμενος, nihil, ad quod ſpectarent ſequentia: τὴν χάριν ϗ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας. Facilius illa a librariis omiſſa, quam a Paulo non ſcripta, credi poſſunt. Impeditior enim nonnihil & diductior Pauli h. l. dictio eſt, quæ forte illis fraudi fuit, cum ſenſum non ſtatim aſſequerentur.

Verſ. 5. Ἑαυτὺς ἔδωκαν πρῶτον τῷ Κυρίῳ ϗ ἡμῖν) Ita & *Herodotus* loquitur de iis, qui ſe vel Deo in ſervitium, vel hominibus tradunt. Vide lib. II. p. 147. ubi is, qui in Herculis templum confugiat, dicitur ἑαυτὸν διδὺς τῷ θεῷ. Vide plura apud Rev. *Raphelium* p. 496.

Verſ. 7. Ἀλλ' ὥσπερ ἐν παντὶ περισσεύετε) Τὸ ἀλλὰ hic eſt *itaque*, & ſimul exhortandi vim habet. Exemplis veterum id probavit *Devarius* de Particulis p. 3. quæ nonnullis Herodoti locis auxit *Raphelius* l. c. Accipe unum ex lib. I. p. 5. ἀλλὰ κεῖνόν γε δεῖ ἀπόλλυσθαι. *Itaque illum interire opus eſt.*

Ἵνα ϗ ἐν ταύτῃ τῇ χάριτι περισσεύητε) Intelligi hic debet *videte*, vel, *operam date*, ut *Epheſ.* V. v. ult. *Xenophontem* ita loqui oſtendit idem *Raphelius* ad Epheſ. l. c. in Annotatt. Xenophonteis, & Herodotum, in Herodoteis pag. 499. Senſus eſt. Itaque, quemadmodum in omnibus aliis rebus, v. c. *fide, ſermone*, *cognitione* &c. ceteris antecellitis, ita operam date, ut & in hac beneficentia reliquos ſuperetis. Hæc clariſſima mihi videntur nec opus eſt, ut orationem

tionem Paulinam ſupplemento alio inſtruamus. Id ſcilicet neceſſe putavit Rev. *Zeltnerus* in calce verſionis Bibliorum Germanicæ pag. 201. ita hæc interpretatus: **So thut es auch in dieſer Liebe (oder Liebes-Geſchencke) welche vor euch gegen uns (jetzt oder in dieſem Fall) kan (ſtattlich) erwieſen werden, auf daß ihr auch in dieſem (Probſtück der) Gnade (vor andern) einen Vorzug haben möget.** Itaque vir doctus verba Græca: *καὶ τῇ ἐξ ὑμῶν ἐν ἡμῖν ἀγάπῃ* referri vult ad *ἀπόδοσιν*, quæ reſpondeat antecedenti *ὥσπερ*. Id autem non eſt conſentaneum. Τὸ *καὶ* enim ſæpius hic repetitum poſtulat, ut verba omnia, quæ ab initio hujus commatis uſque ad *ἵνα καὶ* leguntur, ſecum invicem conjungantur, &, quemadmodum fides & ſermo, cognitio item & ſtudium; ita etiam amor ipſorum in Paulum accipiantur ut virtutes, quas Apoſtolus in Corinthiis conſpicuas agnoſcat & prædicet. Hoc modo nec neceſſe eſt, ut *ἀγάπην* de *dono*, ex amore profecto, *χάριν* autem de *documento gratiæ*, ſcilicet divinæ, per quam ita agant Corinthii, interpretemur. Χάριν enim hanc omnino de beneficentia, antea in Macedonibus laudata, accipi debere vel ex v. 4. intelligitur. Ceterum vix opus eſt, ut moneatur, phraſin: *τῇ ἐξ ὑμῶν ἐν ἡμῖν ἀγάπῃ* idem eſſe, ac ſi ſcriptum ſit: *τῇ ἐξ ὑμῶν εἰς ἡμᾶς ἀγάπῃ*. Conſtat enim, dictiones has *ἐν ἡμῖν* & *εἰς ἡμᾶς* inter ſe permutari. Interim Paulus illum Corinthiorum in ſe amorem h. l. ideo prædicat, ut intelligerent, ſe gratum facturos Paulo, & novum amoris argumentum daturos, ſi liberales ſe in hoc negotio præſtarent.

Verſ. 8. Τὸ *τῆς ἡμετέρας ἀγάπης γνήσιον*) Ita *Curcellæus* exhibet. At rectius legitur *ὑμετέρας*, quia de Corinthiorum amore in Apoſtolum explorando ſermo eſt. Hæc lectio in Codd. MSS. & editis ita recepta eſt, ut *Millius* pro altera illa unum tantum codicem afferre potuerit.

Verſ. 9. Γινώσκετε *γὰρ τὴν χάριν τȣ͂ Κυρίȣ ὑμῶν Ἰησȣ͂ Χριςȣ͂, κ. τ. λ.*) Explicantur hæc a B. *Jo. Georg. Neumanno* in Programmatibus Academic. pag. 16. ſqq. ubi de paupertate Chriſti, & ærario Apoſtolorum; item in Programmate quodam Regiomontano an. 1723. edito. Per *χάριν τȣ͂ Κυρίȣ beneficentiam* Chriſti innui poſt *Grotium* putat *Lockius*, quia reſpectus hic habeatur ad liberalitatem, quam Corinthii in pauperes fidei ſocios, Chriſti exemplo in nos, demonſtrare debebant. Latius autem *Φράσιν* hanc æque ac v. 1. *χᾶρις τȣ͂ Θεȣ͂* patere, ex iis, quæ ibi diximus, nemo, credo, cum ratione dubitaverit.

Verſ. 11. Ἐκ *τȣ͂ ἔχειν*) *ex eo, quod habetis*, ſeu pro modo facultatum, ut rectiſſime exponit *Eraſm. Schmidius*. Idem alias dicitur per *τὰ ἐνόντα*. Confer *Svicerum* Tom. II. p. 1120. Adde v. 12.

Verſ. 12. Ἐι *γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται*) Ita *Polybius* pag. 467. *προκεῖσθαι γὰρ ἀυτῷ τὰ δυνατὰ χαρίζεσθαι, καὶ μηδὲν ἐλλείπειν προθυμίας. Propoſitum enim ſibi eſſe, quibus poſſet cunque modis illis gratificari, & ad declarandum ſuum ſtudium nihil reliqui facere.* Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybianas pag. 492.

Verſ. 12. Καθὸ *ἐὰν ἔχῃ τις -- ὐ καθὸ ὐκ ἔχει*) Τὸ *τὶς*, tanquam in Codd. nonnullis non obvium, omitti vult Millius, qui & poſtremum illud, *ὐ καθὸ ὐκ*

ἔχει

ἔχει, quod *Æthiops* neglexit, ex interpretamento natum putat. Vide tu *Whitbium* p. 66.

Verſ. 13. Ἀλλ᾽ ἐξ ἰσότητος) Non intelligitur *æqualitas profeſſionum*, ſed ea, quæ Jacobi ſimul & *Polybii* verbis dici poſſit ἡ περὶ τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος ἰσότης, & τὸ ἴσον ἔχειν τῆς ἐφημέρου τροφῆς Jac. II. 15. 16. ut ditiores ſuppeditent pauperibus, quæ ad victum & cultum ſunt neceſſaria, ne hi rebus omnibus egeant, illi circumfluant & abundent; ſed ut hac in parte ſint æquales, quod omnibus ex æquo ſuppetat, unde vitam ſuſtentent. Ita recte *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 493. ubi lege plura.

Τὸ ὑμῶν περίσσευμα) **euer Uberfluß**, ut B. Lutherus vertit, de qua voce lege *Stadenii* Expoſitionem præcipuarum vocum verſionis Bibl. Germanicæ ſuo loco.

Verſ. 15. Καθὼς γέγραπται) Conferunt hæc cum *Exod.* XVI. 18. *Surenhuſius* ἐν Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 560. *Cappellus* in Operibus p. 16. Cl. *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico p. 106. ſq. & *Jac. Guſſetius* in Confutat. libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. p. 336. *Surenhuſius* in verbis Moſis & Apoſtoli comparandis operoſior eſt; ceteri vero oſtendunt, illud de manna inſtitutum non ideo hic allatum eſſe, quaſi id huc reſpexerit, aut probationis loco inſervire debeat, ſed exemplum tantum præſtare debere, in quod Corinthios jam reſpicere, idque imitando exprimere fas ſit.

Verſ. 18. Συνεπέμψαμεν δὲ μετ᾽ αὐτοῦ τὸν ἀδελφὸν, οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν) Comma hoc a reliquis per parentheſin, cui editiones adhuc receptæ v. 19. includunt, ſeparari vult doctiſſimus *Jo. Conr. Schvvarzius* Tomo I. Monumentorum ingenii pag. 89. Accipe conſilii ejus rationes. *Adhuc*, inquit, *verſum decimum nonum a vigeſimo per uncos quoſdam ſepararunt editores Nov. Teſtamenti. Sed id factum eſt, reclamante Grammaticorum arte conſtruendi, reclamante perſonarum numero, reclamante conſilio & mente Pauli. Conſtructio reclamat, nam* χειροτονηθεὶς συνέκδημος *v. 19. nec verbum* ἐστὶ *ſubintelligit commode, & cum* ἐξῆλθε *v. 17. eleganter conſpirat. Numerus hominum repugnat: nam diſtinctio vulgaris duos modo innuere videtur. Sed ſi duo modo fuiſſent ad Corinthios a Paulo miſſi: Paulus v. 22. non potuiſſet dicere* συνεπέμψαμεν δὲ αὐτοῖς. *Mens Pauli refragatur, quia v. 23. diſerte a Tito hominem ſecernit* αὐθαίρετον, *qui vel ipſo Tito poſſet plus confidere gratia Corinthiorum, & pro illo conſilia Pauli perſequi, & acrius adjuvare. Quid enim apud bonos cives bonus civis non valeat? Civis quidem Corinthius tertius ille fuiſſe videtur.* His difficultatibus medicinam afferri idem ſtatuit p. 90. ſi v. 18. per παρένθεσιν a reliquis ſejungatur, & ſic inde a v. 16. uſque ad v. 24. hæc naſcatur ſententia: V. 16. *Deo gratias ago, qui ſtudium hoc pro vobis animo Titi indidit. V. 17. Cohortationi quidem libenter paruit: diligentior autem quum eſſet: ſua voluntate ad vos excurrit. V. 18. (Cum eo autem miſimus fratrem, cujus (magna) laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.) V. 19. Neque hic ſolum, ſed etiam delectus ſuffragiis ab eccleſiis noſter comes cum pecunia a nobis ad*

Dei gloriam & veſtrum ſtudium (incendendum) collata. V. 20. Qui quidem cavent hoc, ne quis nos reprehendat ob doni a vobis collecti ubertatem. V. 21. Et præclare nobis provident non modo apud Deum, ſed etiam apud homines. V. 22. Neque vero remorari voluimus & ab iſtis diſtinere fratrem veſtrum, cujus multis in rebus ſæpe cognovimus probitatem: nunc autem multo majorem ex fiducia, quam in vobis ponit. V. 23. Sive is igitur pro Tito, (exiit tam libenter) ſocius meus eſt, & in vos adjutor: ſive fratres (illi univerſi) pro nobis; eccleſiarum ſunt legati & Chriſto honeſti. Quamobrem quicquid de amore veſtro & mea de vobis gloriatione eis oſtendi, id omne in eos declarate, & in conſpectu eccleſiarum. Monet denique p. 91. non obſtare his, quod in fine epiſtolæ Titus modo & Lucas memorentur, per quos epiſtola miſſa ſit. *Hos enim fortaſſe unos fuiſſe, qui literas Pauli perferrent: quum Corinthius ille popularis nullam dum ejus rei partem cepiſſet, & modeſtia victus tantam gloriam repudiaſſet. Satis etiam in ipſis his verbis elucere, Titum & Lucam conjunctim excurriſſe ad Corinthios: tertium comitem, popularem videlicet Corinthium, conſilio Pauli & duorum iſtorum quaſi ſuperveniſſe, & ſerius pene acceſſiſſe.* Copioſius hæc exponenda cenſui, tum quod liber egregius, quamvis non ita pridem editus, in manibus paucorum, neſcio cujus culpa, verſatur, tum quod ſententia ipſa digna eſt, cujus habeatur ratio. Simile quid ex parte ſuboluiſſe videtur *Knatchbullus*, cujus animadverſiones comparari velim.

Verſ. 19. χειροτονηθεὶς) quid ſit h. l. lege apud *Jo. Saubertum* pag. 208. Operum Poſthumorum. Conf. nos ad *Act.* XIV. 23.

Συνέκδημος ἡμῶν) In nonnullis exemplaribus legi ὑμῶν obſervat Cl. *Schwarzius* l. c. p. 92. Ego nullum tale vidi, nec vel *Curcellæus* vel *Millius* ullius faciunt mentionem. Suſpicatur præterea, συνέκδημον Græcis nonnunquam idem valuiſſe ac *popularem*, h. e. hominem, qui ejuſdem populi ſit, ſed peregre vitam degat: quæ quidem ſignificatio ſatis accommodata ſit cum ad mentem Pauli, tum ad rationem inveniendam, cur Paulus eum hominem apud Corinthios tantum valere confidat. Nam apud bonos notos plus poſſe, quam ignotos ac peregrinos, quorum fides ſi non ſuſpecta, at ſaltem incerta ſit ac dubia.

Σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν) *cum hac beneficentia, quæ adminiſtratur a nobis.* Scilicet τὸ διακονεῖν dicitur de eleemoſynis, ſive illæ a fidelibus liberaliter *ſubminiſtrentur*, ſive *adminiſtrentur* ab Apoſtolis. Vide *Hebr.* VI. 10. Confer *Jac. Rhenferdii* Diſſert. II. de decem Otioſis Synagogæ §. 48. pag. 159.

Τὴν προθυμίαν ὑμῶν) *promtitudinem animi veſtram.* Ita recte convertit *Eraſmus Schmidius*, quamvis in contextu Græco operarum, puto, vitio, certe non ex *Schmidii* ſententia, exprimatur ἡμῶν. Idem in variis MSS. Codd. occurrit, ſed perperam: unde nec *Millius* approbavit.

Verſ. 20. ἐν τῇ ἁδρότητι ταύτῃ) Vide *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. p. 47.

Verſ.

Verſ. 22. *πεποιθήσει πολλῇ τῇ εἰς ὑμᾶς)* *πεποίθησιν* ex ſignificatu *confidentiæ & ſecuritatis* pro *θάρσος* idiotico N. T. ſtilo dici cenſuit *Olearius* de Stilo N. T. p. 285. Monet ibi Cl. *Schvvarzius* in notis, manaſſe hoc nomen ex 4. Regum XVIII. 20.

Verſ. 23. *Εἴτε ὑπὲρ Τίτου, κοινωνὸς ἐμὸς)* Waltonus Solœciſmum hic dici ſtatuit. Amovit illius ſuſpicionem Cl. *Schvvarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 100. Poſtquam enim illa, quæ paulo ante fuſius ſunt expoſita, breviter ſubinnuiſſet, ita rationes inſtituit: *Verſus* 18. *parentheſi intercipiendus, non* 19. *ut vulgo per errorem fit. Nam illud αὐτοῖς v.* 22. *ſatis oſtendit, tres fuiſſe perſonas. Jam pergit Paulus v.* 23. Sive hic tertius popularis veſter & propter civitatis veſtræ communitatem confidentior ipſo Tito exiit, ſocius meus eſt, & adjutor ſtudii mei erga vos: ſive univerſi, ut fratres noſtri, legati cœtuum ſunt, & gloria Chriſti. Conferri quoque jubet *Knatchbullum.* Addit præterea, Atticos, ut in principiis ſententiarum, ita in clauſulis quoque conſtructionis Grammaticæ rationem parum habere. Quod ut antea exemplis probaverat, ita unum ibi *Æliani* locum ex Hiſt. Animal. X. 13. affert, apprime huc pertinentem.

ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν) legati Eccleſiarum. Apoſtoli enim nomen latius hic ſumitur, quod alias etiam fieri obſervavimus ad *Rom.* XVI. 7. *Vitringa* de vetere Synagoga lib. III. Part. II. c. 3. p. 913. Hebraice ait dici poſſe שליחי צבורים ſi צבור in phraſi uſurparetur; alias שליחי קהלות *Nec tamen,* ita pergit, *auſim aſſerere, Paulum hac phraſi id voluiſſe dicere, quod ordinarii eſſent Eccleſiarum Miniſtri, earumque in fundendis precibus publicis ad Deum legati. Potius hic videtur eſſe ſenſus loci, quod ab Eccleſiis aliis ad Corinthios eſſent delegati, ut curam haberent collectæ, Hieroſolymam deferendæ.* Conferri præter hæc vult Philip. II. 25. Legatur etiam ad hoc comma M. *Erdmann Rudolphus Fiſcherus de θεοδρόμοις* Eccleſiæ veteris p. 129. ſq. & *Petavius* Tom. IV. Dogmatum Theologic. ubi de Hierarchia Eccleſ. II. 2. §. 11.

Verſ. 24. *εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν) erga Eccleſias.* Ita Rev. *Raphelius* in Semicenturia Annotatt. Philolog. in calce Annotationum Herodotearum recuſa, p. 698. allato *Euſebii* ex Hiſt. Eccleſ. lib. 7. c. 30. ſimili loco: *διαχαράξαντες ἐπιστολὴν εἰς πρόσωπον τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου, exarantes epiſtolam ad Romanorum Epiſcopum.* Conf. lib. II. de vita Conſtantini M. c. 45. in f. Alii vertunt: *in conſpectu Eccleſiarum.* Hebræi dicerent: לפני הקהלות.

CAPUT IX.

VErſ. 1. *περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας*) Vide nos ad cap. VIII. 4.

Verſ. 3. *ἵνα μὴ τὸ καύχημα ἡμῶν κενωθῇ*) Lege *Svicerum* Tom. II. p. 87.

ἐν τῷ μέρει τούτῳ) *in hac parte.* Ita frequentiſſime *Polybius* v.c. p. 1426. *τὴν πίστιν ἐν τούτῳ τῷ μέρει διαφυλάττειν.* Lege alia loca apud *Raphelium* p. 494.

Verſ. 4. *ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως*) Pauci quidam codices & verſiones quoque vocem *τῆς καυχήσεως* omittunt, improbante *Millio* in notis ad contextum, probante vero viciſſim & ex cap. XI. 17. huc translatam exiſtimante eodem in Prolegomenis §. 475. Eum ita ſecure ſecutus eſt recens editor N. T. Græco-Anglicani, ut ex contextu ſuo expungeret. Perperam vero id factum eſſe, vel ex eo patet, quod nullus alioquin, iſta omiſſa, vocis *ὑπόστασις* ſenſus ſit. Hinc ipſe ille Interpres in verſione Anglicana ita exprimit, ac ſi *τῆς καυχήσεως* legiſſet: *for having had ſo little ground to boaſt of you.* Eam ſane verſionem ex phraſi: *ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ* nunquam elicuiſſet, abſque altera illa ſi fuiſſet. Cur igitur repudiabimus vocem, quæ ad ſenſum prorſus eſt neceſſaria? Cur phraſin mutilabimus, qua Paulum infra c. XI. 17. alia etiam occaſione uſum novimus? Nec obverti poteſt, alteram illam ex hoc loco mutuam eſſe ſumtam a librariis. Ibi enim non ad præſens, ſed ad aliud argumentum phraſis eadem adhibetur. Taceo, vocem *ὑπόστασις*, ubi eo, quem hic omnino obtinet, ſignificatu occurrit, ſemper additum habere nomen aliud, rem eam exprimens, cujus eſt *ὑπόστασις*. Vide infra *Hebr.* XI. 1. Notionem illius optime mihi adſequutus videtur *Eraſmus Schmidius* ad h. l. vertens: *in tam firma fiducia hoc gloriationis noſtræ de vobis.* Idem monet, *Polybium* ea uti de Coclite, pro animi imperterrita conſiſtentia, quæ nullis periculis cedere novit. Confer *Svicerum* Tom. II. p. 1398. Abeunt nonnihil *Knatchbullus* p. 199. & *Lud. Cappellus* in Spicilegio p. 114. uterque vertentes per firmam *exſpectationem*, metaphora, ut *Cappellus* quidem cenſet, a venatoribus ducta, qui feram dicuntur *ὑφιστάναι*, cum eam conſtanter exſpectant & irruentem fortiter excipiunt. Alieniorem a ſcopo hanc notionem eſſe, vel inde patet, quod Cappellus eandem hanc phraſin 2. Cor. XI. 17. aliter vertendam putet, ut ſcilicet firmam & certam gloriationem, quæ non vano, futili vel falſo nitatur argumento, inferat, idemque ſit, ac ſi ſcripſerit Apoſtolus *καύχησιν ὑφισταμένην.*

Verſ. 5. *τὴν προκατηγγελμένην εὐλογίαν ὑμῶν*) Codices aliquot MSS. & verſiones, interque eos *Vulg.* legerunt *προεπηγγελμένην*, *ante promiſſam*, & ſic B. Lutherus quoque **zuvor verheiſſenen**. Ita etiam legi vult *Wilh. Wall* in Notis Criticis ad N. T. p. 672. Quod ad ſenſum nihil refert. Fieri enim poteſt, ut Corinthii Paulo ſpem colligendæ pro pauperibus pecuniæ fecerint vel per literas, vel per Titum. Promtum enim ad hoc negotium jam fuiſſe patet ex v. 2. Malim tamen perſiſtere in altera illa lectione, tanquam plurium Codicum auctori-

ctoritate confirmata, & quidem in eodem ſenſu, ut indicetur, Corinthios *denunciari* ſibi jam *ante*, quam hæc ſcriberet, curaſſe ſuam animi promtitudinem. Id malim, quam, cum *Grotio*, προκατηγγελμένην idem eſſe putare, quo προειρημένην, *ante dictam*. Τὸ προκαταγγέλλειν enim aliquid amplius infert, quam nudam alicujus rei commemorationem. Fortaſſe etiam ita recte acceperis, ſi Paulum credas, id indicare voluiſſe, quod ipſe pauperibus in Palæſtina imminentem Corinthiorum liberalitatem jam nunciarit. Sunt qui cap. XVI. 1. reſpici volunt, in quo Paulus collectam inſtituendam denunciarit. De voce εὐλογία lege *Vorſtii* Philologiam Sacram, p. 165. & nos ſupra ad XVI. 1. *Grotius* eam reſpondere vult Hebraicæ ברכה *benedictio*. Admitti hoc poſſet, ſiquidem conſtaret, Judæorum Magiſtros eleemoſynarum ſymbolas eo nomine appellaſſe. Ejus vero exemplum fruſtra, ni fallor, quæſiveris. Saltem Cl. *Wernerus* in Exercitatt. de eleemoſynarum nominibus diligenter ſcripta nihil hujuſmodi affert. Itaque malim εὐλογίαν pro ſimplici λογία, quæ 1. *Cor.* XVI. 1. exſtat poſitam eſſe, eo tamen fine, ut ad *liberalem* quandam *collectionem*, quod *Knatchbulius* monuit, ſimul reſpiciatur. Hoc ſenſu *Eraſmus* per *bonam collationem* vertit. Significatus ducitur ex Græco λέγω, συλλέγω, *colligo*. *Phavorinus:* εὐλογία, πληθυσμὸς ἀγαθῶν ἐξ ἐκουσιότητος διδόμενος.

Ὡς εὐλογίαν) Hic Apoſtolus alludere mihi videtur ad Hebræum ברכה *benedictio*, ut intelligatur, collectam illam lubente & liberali animo inſtituendam eſſe ſine murmuratione, quam benedictio aliis facienda excludit.

Verſ. 6. Τοῦτο δὲ) ſcil. λέγω, quod verbum ſæpe a Scriptoribus omitti oſtendit Lamb. Bos de Ellipſi Græc. L.

Ὁ σπείρων ἐπ' εὐλογίαις, ἐπ' εὐλογίαις καὶ θερίσει) de fructu ex largis eleemoſynis capiendo vide Patres apud *Suicerum* Tom. I. pag. 1085. & externorum Scriptorum loca apud *Picinellum* p. 703. De phraſi ipſa ut proverbiali exponit *Andr. Schottus* in Adagialibus N. T. p. 122. Confer præterea *Petavium* Tom. I. Dogmat. Theologic. ubi de Prædeſtinat. X. 2. 3.

Verſ. 7. Ἕκαστος καθὼς προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ) B. *Lutherus:* **ein jeglicher nach ſeinem Willkühr**, de qua ultima voce lege *Stadenii* expoſitionem vocum Biblicarum præcipuarum ſuo loco. De phraſi Græca adi Cl. *Elsnerum* p. 151.

Μὴ ἐκ λύπης) i. e. *animo non invito*. B. Lutherus: **nicht mit Unwillen.** Ita Athenienſes, Lacedæmonum liberalitate oblata uti nolentes, dicebant, ſe nolle illos οὐδὲν λυπέειν, i. e. *moleſtos eſſe*, apud *Herodotum* lib. VIII. pag. 583. Vide *Raphelium*.

Ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός) Huc ſpectat præceptum Schammai in *Pirke Avoth.* Recipe quemque hominem cum aſpectu vultus ſereni, &c. Confer Biblioth. Lubecenſ. Vol. II. p. 191. *Polybius* p. 1160. obſervante *Raphelio*, dicit διδόναι μετὰ μεγάλης χαρᾶς. Lege alia apud *Picinellum* p. 703. & inprimis apud *Andr. Schottum* in Adagialibus N. T. p. 122.

Verſ. 8. Δυνατὸς δὲ ὁ Θεὸς πᾶσαν χάριν περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς) Vocem χάριν hic iterum ſpecialiter de *beneficentia*, ſeu *liberalitate*, quam Apoſtolus commendaverat Corinthiis, accipit *Lockius*, hoc ipſo Pauli mentem non exhauriens. Frequentior vocis πᾶς in uno hoc commate repetitio poſtulat, ut de omnigenis gratiæ divinæ donis ſermonem hic eſſe cenſeamus. Ea agnoverat & prædicaverat Paulus in Corinthiis VIII. 7. *fidem* puta, *ſermonem*, *cognitionem* &c. atque horum continuam largitionem eoſdem a Deo hic ſperare jubet. Et num, quæſo te, liberalior eleemoſynarum erogatio efficere poterat, ut illi omni bono opere fœcundiſſimi eſſent, quem finem hic Paulus pleniſſimæ gratiæ conſtituit? Et vel ſic tamen *Zachar. Pierce* in duabus epiſtolis de nova editione Novi Teſtamenti, quam doctiſſimus *Rich. Bentlejus* olim molitus eſt, p. 22. eandem ſententiam adoptavit.

περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς) Τὸ περισσεῦσαι tranſitive hic ſumendum eſt, ut idem ſit, quod ποιῆσαι περισσεῦσαι, *facere ut abundet*, ut 1. *Theſſal.* III. 13.

πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες) *omnem ſufficientiam habentes*, ſeu id habentes, quod vobis ſufficiat, & quo contenti ſitis. Hæc eſt vocis notio, de qua pluribus *Svicerus* Tom. I. pag. 576. Et hoc voluit B. Lutherus: **daß ihr volle Gnüge habet.** Senſus eſt: **daß ihr völlig zufrieden ſeyd.** *Lockius* reddidit *fulneſs of plenty*, *plenitudinem abundantiæ*, ſeu, ut interpretor, copiam divitiarum. Abſit autem, ut credamus, Paulum Corinthiis quibuſque ampliſſimarum divitiarum ſpem feciſſe. Αὐτάρκειαν potius; inſigne Dei donum, & pietatis fructum, de quo alias 1. *Tim.* VI. 6. ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετὰ αὐταρκείας, illis precatur. Dandamis apud *Palladium* de Brachmanibus pag. 28. μηδενὸς πένητος θέλε ἔχειν, καὶ πάντα ἐστὶ σά, καὶ οὐδενὸς δεήσῃ. Alia lege apud *Picinellum* p. 703. Convenienter *Chryſoſt.* ad h. l. οὐ πλοῦτον εὔχεται, οὐδὲ περισσείαν, ἀλλὰ πᾶσαν αὐτάρκειαν.

περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν) *abundetis ad omne opus bonum*, i. e. omnem virtutem præſtandam. Vocem ἔργον Cl. *Pierce* in epiſtolis modo citatis abeſſe vult, reclamantibus & codicibus omnibus, & verſionibus, & ipſo denique contextu. Opinatur enim, ſermonem eſſe non de moralibus, ſed fortunæ bonis ſive divitiis. Aliter vero judicandum eſſe ex dictis, puto, conſtat.

Καθὼς γέγραπται) Locum hunc cum *Pſalmo* CXII. 9. comparat *Guil. Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 562. ſqq. ex noſtratibus autem doctiſſimus *Jo. Grammius* in Diſp. III. de allegatione verſionis Græcæ V. T. in Novo p. 44. & *Franc. Wokenius* in Harmonia Vet. & Novi Teſtam. p. 370.

ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα) Sunt, qui τὴν δικαιοσύνην hic ſpeciatim de *miſericordia*, ſeu *beneficentia* intelligi volunt. Ita olim *Theophylactus*, ex recentioribus vero *Nortonius Knatchbullus*, *Lockius*, alii. Accipe in eandem ſententiam *Campegii Vitringæ* verba ex lib. III. Parte I. cap. 12. pag. 793. de vetere Synagoga. *Quid evidentius*, inquit, *quam actum illum diſpergendi* (*liberaliter erogandi egenis*, *etiam ignotis*) *& pauperibus dandi*, *hic vocari*

Juſti-

Juſtitiam, *quæ* in perpetuum *dicitur* permanſura, *h. e. cujus actionis piæ fructus in omnem æternitatem ſit duraturus? Verum non* actus *tantum ipſe, quo quis pauperi opitulatur, at ipſum quoque* donum *illud*, (*ipſum illud æquitatis ſignum*) *quod illo actu in pauperem confertur, inde μετωνυμικῶς dictum eſt* צדקה, *atque inde apud Græcos ἐλεημοσύνη.* Lege ibidem plura, quibus tradit inter cetera, Judæos hunc vocis ſignificatum ſuperſtruxiſſe inprimis *Danielis* IV. 24. Adde *Vorſtii* Philolog. Sacr. Parte I. p. 45. & quæ nos diximus ad *Matthæi* VI. 1. Quam frequenter vox צדקה *juſtitia* in Judæorum ſcriptis de eleemoſynis uſurpetur, oſtendit Cl. M. *Dan. Godofr. Werner* in Exercitat. de eleemoſynarum nomine §. 9. 14. & 15. Viciſſim alii *Juſtitiæ* notionem generalem hic cenſent retinendam, cujus pars ſit *beneficentia* illa, ut ſic ſimul reſpiciatur ad *omne opus bonum*, de quo v. 8. quemadmodum & Pſaltes l. c. ab operibus bonis generatim commemoratis tranſit ad beneficentiam ſpeciatim laudandam. Vide huc Cl. *Herman. Reiners* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 406. Sic & B. *Calovius* noſter in Bibliis illuſtratis hæc dici ait *reſpectu juſtitiæ inchoatæ, ad quam etiam beneficentia pertineat, quod ejus memoria maneat, tum apud homines, tum apud Deum, qui remuneretur eandem, ex gratia, non in hoc tantum, ſed etiam in futuro ſæculo.* Mihi quidem id certum videtur, Apoſtolum hic liberalitatem in egenos potiſſimum reſpexiſſe.

Verſ. 10. ὁ *δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, κ. τ. λ.*) Comma hoc ex diverſis Prophetarum oraculis, nempe *Jeſ.* LV. 10. *Deuter.* XXVIII. 12. & *Hoſeæ* X. 12. conflatum exiſtimat *Guil. Surenhuſius* l. c. p. 564. Cum vero illis in locis de omnibus aliis argumentis ſermo ſit, non alia hic convenientia ſtatuenda videtur, quam quod Paulus, divini Spiritus ductu, phraſibus Propheticis, ad rem præſentem accommodatis, uſus ſit.

Verbum *ἐπιχορηγεῖν*, pro quo Scriptores, v. c. *Polybius* pag. 306. *χορηγεῖν* interdum adhibere ſolent, hic emphaticum eſt, &, cum ſimplex *ſuppeditare* ſignificet, ex compoſita forma acceſſionem ad iſtam ſuppeditationem infert, ut Paulus hoc voto ſimul complectatur argumentum ſpei, quod Deus, qui tot bona ipſis largiatur, unde in aliis quoque poſſint eſſe liberales, multo magis ea, quibus ipſi ad vitam tuendam indigeant, ſit ſuppeditaturus. Ita Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 495. Ceterum parum abeſt, quin exiſtimem, hæc verba *ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγῆσαι*, ut vulgo interpunguntur; ita potius a ſe invicem eſſe ſeparanda, ut, diſtinctionis nota poſt vocem *βρῶσιν* poſita, *τὸ χορηγῆσαι* ad ſequentia referatur, hoc ſenſu: Qui autem ſuppeditat ſemen ſeminanti, & panem in cibum, idem ſuppeditet, & multiplicet ſementem veſtram. Rationes ita ſentiendi has habeo. *Jeſaiæ* LV. 10. cujus phraſi hic uſum eſſe Apoſtolum monuimus, hæc legis: ונתן זרע לזרע ולחם לאכל, *& dedit ſemen ſeminanti, & panem in eſcam.* Græci Interpretes ita: *καὶ δῷ σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν.* Vides, Paulum eadem prorſus loquendi ratione hic uti, niſi quod verbo *διδόναι*, ſynonymum *ἐπιχορηγεῖν* ſubſtituit. Sicut

cut vero Jeſaias verbo נתן *dabit*, utrumque ſubjungit, nempe *σπέρμα* & *ἄρτον εἰς βρῶσιν*, ita nec hic alterum a voce *ἐπιχορηγῶν* ſeparandum videtur. Præterea in voto Paulino, & ratione ſtructuræ Grammaticæ, & majoris efficaciæ cauſa, rectius *τὸ χορηγήσαι* jungitur ſequentibus *καὶ πληθύναι - καὶ αὐξήσαι.* Sic enim ubertas gratiæ & beneficentiæ divinæ in Corinthios probanda, ſignificantius exprimitur. Solent autem divini Scriptores cumulare verba, ubi gratiæ divinæ documenta ampliſſima adprecantur. Ita *Petrus* 1. V. 10. *ὁ δὲ Θεὸς πάσης χάριτος -- ὀλίγον παθόντας, αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς, στηρίξαι, σθενώσαι, θεμελιώσαι.* Obiter hic obſervabis, S. Petrum eandem Optativi formam adhibere, qua Paulus h l. utitur. Porro, ſi hanc interpunctionem amplectamur, egregie ſibi & optimo ſenſu reſpondent duo momenta, hinc in priori commatis membro, hinc in poſteriori commemorata. *ὁ σπόρος* reſpicit *τὸ σπέρμα*, *τὰ γεννήματα* vero *τὴν βρῶσιν.* Convenientiſſime ſane. Quemadmodum enim *liberalitas* (*σπόρος*) Corinthiorum orta erat ex ſemine (*σπέρματι*) h. e. bonis & divitiis ipſis a Deo liberaliter conceſſis, ita *γεννήματα δικαιοσύνης* erant *βρῶσις* i. e. fructus Spirituales virtutum, quos hac ratione etiam in proprium commodum ferebant. Hinc vero etiam ſimul intelligitur, Paulum ipſo hoc voto & *ſæcularia*, & *ſpiritualia* dona Corinthiis a Deo precari, illa quidem per *χορήγησιν τοῦ σπόρου*, hæc vero per *αὔξησιν τῶν γεννημάτων τῆς δικαιοσύνης.* Acceſſio *ſementis* non fieri poterat ſine acceſſione *ſeminis*, h. e. pecuniæ, qua inſtructus eſſe debet, qui liberalem ſe cupit præſtare in alios. Vult itaque Paulus, ut Deus facultates eorum pro beneplacito conſervet, imo augeat. Vult vero etiam, ut eos excitet, ad liberalitatem ſuam, & ſimiles juſtitiæ partes copioſe exercendas.

Ne quis putet, novam hanc eſſe ſententiam, adeoque vel hoc nomine deſerendam, audiat *Chryſoſtomum* ad h. l. verba hæc eodem modo conjungentem & interpretantem. *Χορηγήσαι γάρ φησι, καὶ πληθῆναι τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσαι τὰ γεννήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν, Πάλιν κἀνταῦθα τὴν δαψίλειαν αἰνίττεται ἀνυπόπτως (τὸ γὰρ πληθύναι καὶ αὐξήσαι, τοῦτό ἐστιν ἐνδεικνυμένου) ὅμως δὲ καὶ τῶν ἀναγκαίων πλέον οὐδὲν ἀφίησιν ἐπιζητεῖν, ἄρτον εἰπὼν εἰς βρῶσιν -- Καὶ ἐνταῦθα, ὁ ἐπιχορηγῶν ἄρτον εἰς βρῶσιν, πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν, τουτέστι τὸν πνευματικόν.* Vides, Chryſoſtomum verba *ἄρτον εἰς βρῶσιν*, ad *ἐπιχορηγῶν*, referre. Ex recentioribus eandem interpungendi rationem ſecutus eſt *Jo. Clericus* in interpretatione Gallica: *Que celui, qui fournit de quoi ſemer à ceux qui ſement*, & qui leur donne *du pain pour manger, vous fourniſſe, & vous multiplie votre ſemence, & augmente les fruits de votre juſtice.* Eadem placuit *Surenhuſio* l. c. p. 564. verba hæc itidem, ſed ſine additis cauſis, conjungenti, & noviſſime Cl. *Sam. Battierio* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VIII. p. 951. qui tamen in eo, puto, fallitur, quod Paulinum hoc votum ad *ſpiritualia* tantum pertinere exiſtimet. Ut enim taceam in *τῷ πληθύνειν τὸν σπόρον*, ceu monitum eſt, comprehendi largitionem *ſeminis*, quo ad ſementem faciendam opus eſt, non erraverim, ſi antecedens *χορηγήσαι* referam

feram ad antecedens σπέρμα & βρῶσιν, hoc ſenſu, ut Paulus optet, velit Deus ipſis neceſſaria ad victum ſuppeditare, eadem vero hoc fine augere, (πληθύνειν) ut ſimul ad liberalitatem & juſtitiæ fructus edendos excitentur. Fuſius hæc exponenda putavi, quoniam ad perſpiciendam ſermonis Apoſtolici δεινότητα & elegantiam apprime facere mihi videntur. *Chryſoſtomus*, hæc verba interpretaturus, ita orditur: Μάλιϛα ἄν τις ἐκ τέτε θαυμάσειε τὴν Παύλε σύνεσιν.

Vocem σπέρμα metaphorice etiam alias de *cauſa* & *occaſione* a Græcis & Latinis Scriptoribus dici, oſtendit *Gatakerus* ad Marc. Antonini IV. 36.

χορηγήσαι, καὶ πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσαι) *Millius* in Prolegom. §. 921. mavult cum Codd. aliquot legere χορηγήσει, καὶ πληθυνεῖ, καὶ αὐξήσει, ut verba ſingula futuri forma poſita exiſtimentur. At ſenſus utrinque idem eſt. In recepta & communi punctatione verba referunt formam Aoriſti primi Optativi Activi, non autem, quod Millius exiſtimaſſe videtur, formam Infinitivi Aoriſti primi activi. Sic enim ſcribi debuiſſet, χορηγῆσαι, πληθῦναι, αὐξῆσαι, quod Grammaticorum filiis perſpectum eſt. Quod ſi autem eam Optativi formam teneas, ſenſus utrinque idem eſt. Paulus ſcilicet ex noſtra forma optat Corinthiis largam Dei benedictionem, ex altera vero illa Futuri ſperare eos jubet.

Verſ. 11. Ἐν παντὶ πλετιζόμενοι) Σολοικοφανὲς, quod nonnulli hic intempeſtive videre ſibi viſi ſunt, eruditi pridem amoverunt, triplici modo uſi. Alii enim τὸ πλετιζόμενοι referunt ad phraſin, περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, quæ claudit v. 8. Alii ex Hebraiſmo, ſubintellecto verbo ἐϛὲ, explicant. Alii Atticum dicendi genus hic occurrere exiſtimant, quos noviſſime ſequitur *Battierius* l. c. De ſingulis his expoſuit *Stolbergius* in Exercitatt. Græc. Ling. de Solœciſmis & Barbariſmis N. T. falſo tributis p. 78. ſqq. Hic vero ipſe recte primam amplectitur ſententiam, quæ & a pleriſque N. T. editionibus, commata 9. & 10. ab octavo & undecimo per parentheſin ſejungentibus, ſtabilitur. Nec cauſam video, cur eam cum B. *Adamo Rechenbergio* in Exercitationibus in N. T. pag. 11. averſemur, cum frequentia illius exempla in epiſtolis Paulinis exſtent. Compara *Knatchbullum* & *Hombergium* ad h. l. itemque M. *Chriſtoph. Wollium* in Commentatione de Parentheſi Sacra p. 137.

Verſ. 12. Ὅτι ἡ διακονία τῆς λειτεργίας ταύτης) *ſubminiſtratio collationis hujus*, ut recte *Eraſmus Schmidius*. Conf. ad VIII. 19. λειτεργία beneficentiam in pauperes infert. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 220.

Διὰ πολλῶν ἐυχαριςιῶν τῷ Θεῷ) Simili ſtructura utitur Epictetus apud Arrianum p. 30. ἐγκλήματα τῷ Θεῷ *accuſationes adverſus Deum* appellans. *Ambroſiaſter* hic legit ἐν τῷ Θεῷ, quod rectum putat *Millius* in Prolegomenis, aliter judicaturus, ſi de Græca illa loquendi ratione cogitaſſet.

Verſ. 13. Διὰ τῆς δοκιμῆς τῆς διακονίας ταύτης δοξάζοντες τὸν Θεὸν) Τὸ δοξάζοντες non reſpondet antecedentibus διὰ πολλῶν ἐυχαριςιῶν, ratione ſtructuræ.

ſturæ. Itaque alii verbum ſubſtantivum εἰσὶ cum Chryſoſtomo intelligunt, qui interpretatur δοξάζουσι γάρ. Ita ſentit *Stolbergius* l. c. p. 83. Alii hoc æque ac antecedens πλουτιζόμενοι pendere putant ex verbo περισσεύητε v. 8. Alii denique nihil referre putant, quo tandem referatur, cum hic participiorum uſus abſolutus præſtantiſſimis Græciæ Scriptoribus ſit familiaris. Ita Cl. *Schwarzius* in commentatione de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 88. *Quanquam*, inquit, *revera non pertineat participium* (hoc) *ad nomen ἁγίων, ſed ſecretum ſit a cetera oratione, ut participia ſæpe ſolent, quum per ſe quaſi quandam ſententiæ integritatem ſignant.* Hoc malim.

Ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας ὑμῶν εἰς τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ) *ob ſubjectionem veſtram, conteſtatam in Evangelium Chriſti.* Ita rectiſſime *Eraſmus Schmidius*, quem omnino vide. *Herman. Alex. Roëllius* in commentar. in principium epiſtolæ ad Epheſios pag. 313. vertit *obedientiam adſtipulationis in Evangelium Chriſti*, ideo, quod Græci conventionem & pactum, quod inter duos pluresve ſit, certis conditionibus, ὁμολογίαν appellare ſoleant. Prius illud ſimplicius & planius eſt, nec minus Græcæ linguæ conveniens, quod *Schmidius* evicit.

Verſ. 14. Καὶ αὐτῶν δεήσει ὑπὲρ ὑμῶν) Qui v. 13. per parentheſin intercipiunt, quod a *Curcellæo* video factum, illi non habent, quo hæc referant. Pertinent enim ad phraſin, δοξάζοντες τὸν Θεὸν ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ ὑμῶν v. 13. Senſus eſt, glorificare homines Deum, tum ob ſubjectionem Corinthiorum, in Evangelium teſtatam, tum ob preces, quæ pro ipſis fiant ad Deum.

CAPUT X.

VErſ. 1. Διὰ τῆς πρᾳότητος καὶ ἐπιεικείας τοῦ Χριστοῦ) *per clementiam & æquitatem*, ſeu, lenitatem *Chriſti.* Utrumque a Scriptoribus conjungi ſolet. *Plutarchus* in Sertorio pag. 581. ὥστε τὸν Σερτώριον ἐκ τῆς προτέρας ἐπιεικείας καὶ πρᾳότητος μεταβαλόντα. *Julianus* Orat. I. pag. 44. ἀλλά τινων ἐπιεικῶν καὶ πρᾴων ἀνδρῶν. Hæc, itemque alia lege apud *Lamb. Bos* p. 161. Exercitatt.

Κατὰ πρόσωπον) *ſecundum faciem*, i. e. coram. *Polybius* lib. 5. ἐπεὶ παρῆσαν οἱ βασιλεῖς ἀμφότεροι κατὰ πρόσωπον. Confer alia apud *Raphelium* p. 496.

Ταπεινὸς ἐν ὑμῖν) ſcilicet εἰμί. Dicuntur vero hæc ex calumniantium & adverſantium Paulo ſententia, ſecundum veteres Interpretes, ſpeciatim *Chryſoſtomum.* Conf. infra v. 10.

Ἀπὼν δὲ θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς) audacia utor, ſeu ſeverus & audax ſum erga vos, ſcil. in literis. Vide *Lamb. Bos* l. c. Idem eſt, quod τολμῆσαι v. 2.

Verſ. 2. Δέομαι δὲ) *Precor inquam.* Reſpicit hoc antecedens παρακαλῶ v. 1. Jam enim illud ſignificatur nominatim, ob quod ſe παρακαλεῖν Corinthios Paulus dixerat.

Τὸ

τὸ μὴ παρὼν θαῤῥῆσαι) i. e. videte, ne præſens uti debeam ſeveritate: eadem ellipſi, cujus exemplum exſtat ſupra VIII. 4. Chryſoſt. intelligit: μή με ἀναγκάσωσι.

τῇ πεποιθήσει) *ex ea auctoritate*, ſeu δυνάμει, ut exponit Chryſoſtomus. Id malim, quam cum Grotio de fiducia accipere, quam in Deum habeat Paulus, fore, ut deſideria ſua impleantur.

ᾗ λογίζομαι τολμῆσαι) *qua cogito audacter uti.* Sic Chryſoſtomus accepit. Καὶ οὐκ εἶπεν, inquit, ᾗ παρεσκεύασμαι, ἀλλ' ᾗ λογίζομαι· οὔπω μὲν γὰρ τοῦτο ἔκρινα, αὐτοὶ δέ μοι τὴν αἰτίαν παρέχουσιν, ἀλλ' οὐδὲ οὕτω βούλομαι. Alii, ut *Eraſm. Schmidius*, vertunt, *exiſtimor*, & propterea verba hæc parentheſi includunt. Rectius autem conjuncta cum ſequentibus hoc ſenſu convertuntur: *qua cogito audacter agere in quosdam*, *qui exiſtimant* &c. Vide poſt *Grotium*, *Lamb. Bos* p. 162. Exercitatt. qui obſervat verbum hoc plerumque ſenſu activo uſurpari, ut mox in hoc verſu λογιζομένους, & v. 7. λογιζέσθω. Conf. *Rom.* II. 3. & infra XI. 5. *Eraſm. Schmidius* pro ſua interpretatione provocat ad *Gal.* III. 6. καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. Ibi vero τὸ λογίζεσθαι eſt *imputari*, quæ ſignificatio, quamvis paſſim obvia, prorſus ab h. l. aliena eſt.

ὡς κατὰ σάρκα περιπατοῦντας) *quaſi ſecundum carnem ambulantes*, h. e. more hominum ſæcularium, & affectibus pravis indulgentium, agentes. Tales autem ſunt hypocritæ, & ſimulatores, coram ſcilicet optima quæque minantes, abſentes vero omnia alia tentantes, & lenitatem cum acerbitate permutantes. Talis vero falſo videbatur nonnullis Paulus. *Theodoretus* longius abit, quando idem putat eſſe, quod κατὰ τὸν νόμον πολιτεύεσθαι. Nec felicior eſt *Suicerus* Tom. II. p. 679. qui per *infirmum eſſe*, & *parum poſſe efficere* explicat.

Verſ. 3. στρατευόμεθα) *militamus*, i. e. munere noſtro fungimur. De munere enim Apoſtolico hic ſermo eſt, in quo Paulus Timotheum eſſe volebat καλὸν στρατιώτην Ἰησοῦ Χριστοῦ 2. Tim. 2. 3. Confer *Suicerum* Tom. II. p. 1041.

Verſ. 4. & 5. explicantur a M. *Daniele Mullero* in diſſertat. de militia Apoſtolica, Lipſ. 1657. & 1700. & Celeb. *Val. Ern. Læſchero* in Decimis Evangelicis Part. III. p. 34.

Verſ. 4. Τὰ γὰρ ὅπλα — οὐ σαρκικά) Vide Patres apud *Suicerum* Tomo II. pad. 497.

ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ) *Jo. Vorſtius* in Philologia Sacra Parte I. pag. 325. vertit *potentiſſima*, ex Hebraiſmo ſcilicet, per quem, nonnullorum judicio, nomen Dei, alteri voci additum, *magnum*, *eximium* & *illuſtre* aliquid inferre videtur. Videtur, inquam: totam enim hanc obſervationem dubiam adhuc eſſe tum alias, tum ad VIII. 1. monuimus. Hic certe illi non eſt innitendum. Δυνατὰ τῷ Θεῷ dicuntur arma *divinitus*, (ſive *ex Deo*, *per Deum*) *valentia*, ut recte *Beza* & *Eraſm. Schmidius* convertunt. Indicatur enim per *arma* verbum Dei, *per quod Spiritus S. efficaciſſime operatur adeoque Deus ipſe*

eſt, *qui per ea fortiter operatur.* Ita rem exponit *Glaſſius* in Grammat. Sacra pag. 68. Lege in eandem ſententiam Cl. *Polemannum* Exercitat. Pragrammatica VI. pag. 10. & M. *Chriſtoph. Wollium* in diſſ. de uſu & abuſu αὐξήσεως nominum divinorum ſacræ Sect. II. ad can. III. item de Parentheſi Sacra p. 168. Dubium ſe hic præſtat *Colomeſius* pag. 162. Obſſ. Sacr. Verti enim vult *divinement*, vel *très puiſſantes.* Prius omnino præſtat. Rectiſſime *Theophylactus* ad hanc phraſin: τȣτέςιν, ὁ Θεὸς αὐτὰ δυνατὰ κατεσκεύασεν· ἡ γὰρ τȣ͂ Θεȣ͂ ἰσχὺς διὰ τȣ́των μάλιςα φαίνεται, κἀκεῖνός ἐςιν ὁ πολεμῶν, καὶ εἰ ἡμεῖς αὐτὰ περικείμεθα, *hoc eſt*, *Deus potentia fecit. Dei namque robur per hæc maxime apparet*, *ac ille eſt*, *qui operatur*, *& bellum gerit*, *etiamſi nos illis induamus.* Nec deſunt in Græcis Scriptoribus hujus phraſeos exempla. Luculentum eſt, quod ex *Herodoto* attulit Rev. *Raphelius* pag. 500. Is enim de donariis a Crœſo dedicatis lib. I. p. 42. ait: τὰ δ' ἐν Βραγχίδῃσι ἀναθήματα Κροίσῳ ἴσα τε ςαθμὸν καὶ ὁμοῖα τοῖσι ἐν Δελφοῖσι. *Quæ apud Branchidas a Crœſo dedicata fuerunt*, *pondere æqualia erant iis*, *quæ ſunt Delphis.*

πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων) Recte his verbis claudunt & parentheſin & totum comma quartum editiones pleræque, nominatim *Curcellæi* & *Millii*, quando aliæ, v. c. *Eraſmi Schmidii*, *Bœcleri* item & *Pritii*, vel omiſſa, vel retenta etiam παρενθέσεως nota, addunt λογισμȣ̀ς καθαιρȣ͂ντες. Has enim ad comma 5. pertinere vel ex particula καὶ intelligitur, quæ ſequentia πᾶν ὕψωμα &c. cum voce ἐπαιρȣ͂ντες omnino conjungere exiſtimanda eſt, niſi orationem Pauli hiulcam facere velimus. ὀχυρώματα ſunt loca excelſa, munita & firma, ut arces & caſtella, ad quæ confugere ſolent homines, ut ſint tutiores. Quod docet & firmat *Lamb. Bos* p. 163. Exercitt. Eandem phraſin habes 1. *Maccab.* V. 65. & *Proverb.* XXI. 22.

Verſ. 5. Λογισμȣ̀ς καθαιρȣ͂ντες, καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως Θεȣ͂, κ. τ. λ.) Spectant huc diſſertationes ſingulares, altera B. *Jo. Henr. Maji* de ratione in rebus fidei ſuo modo & cœca & oculata, Gieſſæ 1695. altera Rev. D. *Chriſtian Frid. Bœrneri* de impedimentis doctrinæ Evangelicæ, Lipſiæ 1722. Nec minus *Fridem. Bechmanni* de affectato rationis dominio captivato & Rev. *Jo. Joach. Weidneri* de limitibus in Theologia definiendis, Roſtoch. 1721.

λογισμȣ̀ς καθαιρȣ͂ντες) *Bezæ* & aliis nonnullis vox καθαιρȣ͂ντες ad antecedentes ὀχυρωμάτων pertinere, adeoque pro καθαιρȣ́ντων poſita, & ſic ex Hebraiſmo exponenda viſa eſt. Perperam ſane. Referri enim debet ad verbum ςρατευόμεθα v. 3. & totum comma quartum per parentheſin, quam etiam in pleriſque editionibus obſerves, eſt intercipiendum. Paulus enim, cum τȣ͂ ςρατεύεσθαι mentionem feciſſet, more ſuo, perſpicuitatis cauſa, illius ςρατείας, tanquam πνευματικῆς, arma ſpiritualia ſive divina commemoranda cenſuit. Pro καθαιρȣ͂ντες *Heinſius* prave legi voluit καθαιρόντες, & vertit, *cogitationes purgantes.* Nullus ſuffragatur, qui adhuc viſus eſt, codex: repugnat vero etiam ſeries

ſeries ſermonis. Quid enim propius eſt, quam ut poſt *καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων* commemoretur, quid per *ὀχυρώματα deſtruenda* intelligi debeat? Τὸ *καθαιρεῖν* vero vel *καθελεῖν* ſenſu militari adhiberi idoneis veterum locis evicerunt *Lamb. Bos* l. c. Cl. *Elsnerus* p. 152. Rev. *Bœrnerus* in Diſput. citata p. 20. & noviſſime *A. Blackvvall* in Sacred Claſſicks Tom. II. p. 227.

Αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ) *B. Lutherus* recte vertit: **und nehmen gefangen alle Vernunfft unter den Gehorſam Chriſti.** Inepte vero *τὸ νόημα* per *rationem* hic converti viſum eſt tum *Socinianis*, tum etiam Reformatis doctoribus. Ex illis lege *Mart. Ruari* epiſtolas p. 167. 168. & 179. edit. Zeltnerianæ in Hiſtoria Crypto-Socinisſmi Altorfini, ex his vero noviſſime *Steph. Vitum* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe II. pag. 433. ſqq. Ruaro ſatisfecit *Zeltnerus* l. c. *Vito* autem laudatus *Bœrnerus* in Appendice Elenctica in calce diſſertationis ſuæ, *Vito* nominatim oppoſita, p. 59. ſqq. Cl. *Elsnerus* priorum veſtigiis inſiſtens pag. 152. ita: *Non eſt ſenſus, ut vulgo putant, nefas eſſe credentibus, uti ratione conſiderata & evidenti in rebus fidei, ſed repreſſa, quicquid contrarium doceat, mente atque oculis clauſis interpretationum monſtra admittere & pie credere.* Si his verbis noſtratium Theologorum, quod non vane ſuſpicor, ſententiam pungere voluit, vel ignorat eorum mentem, vel male interpretatur. Omnia alia ex iis intelliget, quos jam attulimus, quibus jungi poteſt B. *Jo. Fechtii* Examen Theologiæ Indifferentiſticæ p. 223. ſqq. Quæ de verbo *αἰχμαλωτίζεσθαι* in mitiorem ſenſum interpretando ibidem poſt alios monuit vir doctus, ea Cl. *Vito*, & ipſi *κατ᾽ ἐξοχὴν* Reformato, in aliis diſplicuerunt l. c. p. 441. Adponam tamen hic, quæ eidem Rev. *Bœrnerus* pro vindicanda genuina verbi notione l. c. pag. 60. oppoſuit. *Improbat*, inquit, *noſtrates, cum in exprimenda voce αἰχμαλωτίζειν verbo* captivare *utuntur, quando dicit:* Nunquam non illud, tanquam Paulinum, de ratione captivanda (NB. Barbara enim vox barbare ſentientibus optime convenit) opponunt. *Sed nos nec barbare ita ſentimus, nec barbare loquimur. Rectiſſime enim vox αἰχμαλωτίζειν redditur per τὸ* captivare; *nam vi derivationis & uſus, prout ſupra §. XII. Sect. II. oſtendimus, tam in profanis Scriptoribus, quam in Sacris, proprie notat, adhibitis telis, cuſpide & mucrone aliquem prehendere, & improprie de quacunque captura, quæ cum violentia quadam conjuncta eſt, adhibetur. Hoc ſignificatu occurrit* Luc. XXI. 24. & Rom. VI. 23. *ubi ejuſmodi capturam denotat, qua v. g. hoſtis aliquis militem armatum & reſiſtentem, aut venator aliquis feras beſtias capit. Quo ſenſu etiam LXX. Interpretes variis in locis verbo hoc utuntur, v. g. Eſ. XLIX. 25. & Ezech. XII. 3. Sic etiam adhibetur 1. Maccab. XVIII. 10. XV. 40. Neque omnino in textu noſtro hic ſignificatus videtur eſſe deſerendus, prout ſupra §. cit. demonſtravimus, cum optime ille congruat objecto, νοήματι nimirum hominum carnali, quod ſe effert contra cognitionem Dei, nec ſe ſponte ſua capi, ante Chriſto ſubmitti patitur, niſi cruenta, ut ita dicam h. e. ingente pugna, eo adigatur, nec non cum effectu iſto, qui ab Apoſtolis fuit obtentus contra illos, qui ſua culpa ſe ſuaviter trahi recuſabant Jo. VI. 44.*

Cl. *Elsnerus* ad mitiorem ſenſum verbo αἰχμαλωτίζειν vindicandum, ſecundum quem idem tantum ſit, quod *teſtimoniis & argumentis convincere*, Chryſoſtomi verba adducit: οὐ λόγοις πολεμοῦμεν, φησι, ἀλλ' ἔργοις πρὸς λόγους, οὐκ ἐν σοφίᾳ σαρκικῇ, ἀλλ' ἐν πνεύματι πραότητος καὶ δυνάμεως. Sed vereor, ut hæc efficiant id, quod vir doctus vult. Ipſe forte aliud vidiſſet, ſi proxime antecedentia vel inſpicere, vel afferre voluiſſet. Τὸ γὰρ τῆς αἰχμαλωσίας ὄνομα δύο δηλοῖ· καὶ τὸ ἐκπεσεῖν ἐλευθερίας, καὶ τὸ κατὰ κράτος ἁλῶναι ὥστε μὴ ἀναστῆναι πάλιν. κατὰ τοῦτο οὖν τὸ δεύτερον αὐτὴν ἐξελάβετο ὥσπερ ὅταν λέγῃ. ἄλλας ἐκκλησίας ἐσύλησα, οὐ τὸ λάθρα λαβεῖν λέγει, ἀλλὰ τὸ γυμνῶσαι καὶ πάντα λαβεῖν. Itaque Chryſoſt. τὸ αἰχμαλωτί. idem hic eſſe vult, quod κατὰ κράτος ἁλῶναι, ὥστε μὴ ἀναστῆναι i. e. *vi capi, ut ſurgere non poſſis*. Imo nec ipſa illa, quibus inprimis nititur, virum doctum juvant. Illis enim Chryſoſt. adeo non negat, *vi* quadam uti Apoſtolum, ut potius δύναμιν cum πραότητι conjungat, quemadmodum ἔργα τοῖς λόγοις jungit.

Locum hunc Pontificiorum, qui eum ad palliandam imo ornandam *fidem carbonariam*, ſeu rerum divinarum ignorationem, detorquent, calumniis vindicatam lege in **Unſchuldigen Nachrichten** an. 1722. p. 955.

Verſ. 6. Καὶ ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες) Sic *Polybius* pag. 169. obſervante *Raphelio* εἶχον ἐν ἑτοίμῳ *parati erant*.

ἐκδικῆσαι πᾶσαν παρακοὴν) Scite hæc confert *Jac. Guſſetius* in Refutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. c. 35. §. 116. cum *Zachar.* IX. 14. ubi *ſagittæ & procellæ* in militia ſpirituali, mentio fit. *Nec omittendum*, inquit, *videtur*, *ſagittæ & procellæ myſtice quoque reſpondere vindictam paratam, qua Paulus ſe munitum profitetur, quoque ſubito in Ananiam, Elymam, filium inceſtum irruit: ut nempe iſta nota corporea quemadmodum & aliquot aliis indiciis externis, Evangelium, tanquam digito, commonſtraretur rudioribus.* Hæc ſcilicet ſunt illa ἔργα, quæ Paulum verbis addidiſſe monuit ante Chryſoſtomus. Notari hoc velim ab illis, qui τὸ αἰχμαλωτίζειν, leniori ſenſu, per *convincere* interpretantur.

Verſ. 7. Τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε;) *Epictetus τὰ κατὰ πρόσωπον vocat ea, quæ cujuſque perſonæ ſunt propria, eique inſtituto, quod ſibi quiſque ſequendum in vita propoſuit.* Ita Rev. *Raphelius* in Annotat. Polybian. p. 469. provocans ad lib. I. cap. 2. p. 9. & p. 13. ἐπύθετό τις· πόθεν οὖν αἰσθησόμεθα τοῦ κατὰ πρόσωπον ἕκαστος; *Interrogabat quiſpiam, unde ergo ſuam quiſque perſonam intelligemus?* Latini dicunt *perſonam*. Senſus igitur fuerit: *Perſonam reſpicitis? atque naturam tum meam, tum Pſeud-Apoſtolorum, minasque meas propterea ſpernitis, quod natura ſim timidior, quodque præſentia corporis ſit infirma, & ſermo contemtus, uti vobis ſuggerunt pſeudo-apoſtoli? Qui velim hoc cogitent, non minus me, quam ipſos, eſſe Chriſti Apoſtolum, quin imo majorem mihi conceſſam a Domino poteſtatem ulciſcendi omnem inobedientiam, ad ædificationem tamen, non ad deſtructionem veſtri.* Mihi quidem τὰ κατὰ πρόσωπον ea videntur eſſe, quæ

in

in conſpectum veniunt, quæ externe præferuntur. Idem Paulus ſupra ἐν προσώπῳ dixit V. 12. Τοὺς ἐν προσώπῳ καυχωμένους, καὶ οὐ καρδίᾳ. Paulina phraſis reſpondet illi Servatoris *Joh.* VII. 24. Μὴ κρίνετε κατ᾽ ὄψιν. Τὸ βλέπειν enim & κρίνειν ſibi ſunt affinia. Senſus fuerit: *judicatiſne ex iis, quæ in conſpectum cadunt?* quæ in oculos tantum incurrunt, non autem, ex iis, quæ inprimis hic ſunt ſpectanda? Hinc ſequenti commate reſpectu Pſeudapoſtolorum, ad hos enim illa puto ſpectare, ex cap. XI. 13. ubi μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους χριστοῦ vocantur) ait: Εἰ τις πέποιθεν ἑαυτῷ χριστοῦ εἶναι h. e. ſi quis ſingulari animi ſui confidentia præfert, ſe eſſe Chriſti, ſcilicet miniſtrum. Externam hanc gloriationem reſpectu illorum non magis ſpectari vult ad judicium ferendum, quam, reſpectu ſui, externum corporis & ſermonis habitum, quo in præjudicium muneris & dignitatis Apoſtolicæ utebantur adverſantes, v. 10.

Verſ. 8. οὐκ αἰσχυνθήσομαι) *non pudeſiam*, i e. quod *Lockius* hic obſervat, veritas mihi conſtaret. Facere hoc poſſem ex vero, nec haberem, cur me gloriationis ejuſmodi puderet. De modeſtia eorum, qui merita ſua & virtutes tacent, attulit hic ex profanis quædam *Picinellus* p. 703. De toto commate lege *Petavium* Tom. IV. Dogmatum Theol. ubi de Hierarchia Eccleſ. III. 9. 3.

Verſ. 10. ὅτι αἱ μὲν ἐπιστολαί, φησι, βαρεῖαι καὶ ἰσχυραί) Verba hæc diligenter illuſtrantur a M. *Jo. Chriſtoph. Gubitio* in ſingulari diſſertat. de τῷ βαρεῖ καὶ ἰσχυρῷ Paulino, præſide doctiſſimo *Jo. Guil. Bergero* habita Wittebergæ 1721. in qua utramque dictionis virtutem βαρύτητα ſcilet & ἰσχυρότητα epiſtolis Paulinis vindicat, tum allatis exemplis, tum ad præſcriptum *Hermogenis*, qui in libro de formis orationis inter formas illas etiam βαρύτητα & δεινότητα numerat.

Αἱ μὲν ἐπιστολαὶ) Hinc Cl. *Jo. Ens* in Bibliotheca Sacra pag. 49. ſqq. conficere conatur, a Paulo plures, quam habemus, epiſtolas exaratas eſſe, cum in plurium numero hic commemorentur in hac, quam nondum tunc legerant, epiſtola. Rectius vero hac ipſa phraſi indicari videtur calumniantium genius, quibus ſolemne & volupe eſt, ad exaggerandum rei indignitatem & levitatem, quam putant, ita loqui, & ex uno documento indicium facere de ceteris. Nonne vero etiam *epiſtolæ* de una dici poſſunt, ſicut *literæ* eodem ſenſu uſurpantur?

φησὶ) Ita editiones, quas vidi omnes, & MSS. quoque codices, a *Millio* conſulti, qui nullum varietatis exemplum ex illis producit. *Vulg.* vero habet *inquiunt*, & *Syrus* quoque, ac ſi legerint φασὶ. Prior tamen lectio procul dubio genuina eſt, & argumentum præbet, unum præcipue ex Pauli adverſariis ſe reprehenſorem illius hac in parte præbuiſſe.

ἡ δὲ παρουσία τοῦ σώματος) *Curcellæus* inter varietates affert παῤῥησίαν, neſcio quo auctore. *Millius* ex Codd. ſuis nihil tale producit. Interim & *Grotius* ita legit & interpretatus eſt: *vultus & geſtus nihil habet magnificum.* Fortaſſe itaque Curcellæus Grotium tantum eſt ſecutus, niſi etiam conjecturam quandam attulit, quod interdum ab eo fieri alibi monuimus. Cave tamen lectionem

nem hanc in dubium voces. Παρȣσίαν Paulus vel ſuam vel aliorum paſſim alibi memorat. Vide 1. *Cor.* XVI. 17. *Philip.* I. 26. & II. 12. Dubito etiam, an Græce dicatur παῤῥησία σώματος.

Ἀσθενὴς) *Corpore non valde ſpectabilem fuiſſe* Paulum, hoc ipſo innui, *Witſius* exiſtimat in Meletematibus Leidenſibus p. 220. additque a *Chryſoſtomo* alicubi vocari ἄνθρωπον τρίπηχυν, *hominem tricubitalem*, quemadmodum *Nicephorus Calliſtus* lib. II. cap. 37. μικρὸν καὶ συνεσαλμένον τὸ τȣ̃ σώματος μέγεθος fuiſſe teſtetur. Hæc itemque alia allata etiam vide a M. *Gubitio* in diſſertatione de præſentia Pauli famam ipſius minuente, Witteb. 1721. qui ſtaturam Pauli in medio relinquit. Confer *Tillemontium* in Memoriis Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Tom. II. pag. 700.

Καὶ ὁ λόγος ἐξȣθενημένος) *& ſermo ejus eſt contemtus.* Referunt hæc alii ad vocis externæ ſonum ſeu pronunciationem, alii ad ſermonis & dicendi habitum. Inter priores ſunt ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius* & *Jo. Schulzius* in Florum Sparſione ad loca quædam in re literaria controverſa, quem ſequitur *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris Tomo I. p. 345. ubi de Pauli eloquentia exteriore commentatur, & inter cetera ait, *denotari vocem nihili, nauci, flocci*, φωνὴν ἄφωνον, *quæ nihil externi ſplendoris, aut nativæ vel excultæ in pronunciando bonitatis habuerit.* Urget in eam ſententiam λόγȣ literis conſignati, & viva, cum Paulus coram eſſet, voce expreſſi collationem. Viciſſim *Grotius* de oratione hæc accipit, quæ non fuerit inflata rore Achaico. M. *Gubitius* l. c. p. 14. ad docendi methodum refert. *Non igitur ſtilum*, inquit, *ſed docendi methodum illi exprobrant, quam negant eſſe Apoſtolicam, auctoritate, Apoſtolo digna, præditam, ſed dejectam, humilem, & per hoc contemtam, utpote in qua nulla loquentis ſeveritas adpareat, quæ non referat eam auctoritatem, qua tonent, & fulminent epiſtolæ.* Malim poſterius amplecti, cum vocis exilitas, ſiquidem eam carpere voluit adverſarius, infirma corporis præſentia comprehenſa fuerit. Fateor etiam, me adhuc fruſtra quæſiviſſe exemplum Græci Scriptoris, quo λόγος de vocis *ſono* aut *pronunciatione* dicatur. Ipſe *Schmidius*, quando diverſas illius ſignificationes, more ſuo, erudite & diligenter ſuppeditat ad *Joh.* I. 1. inter eas §. XI. *robur prolati ſermonis*, die Ausſprache, refert, ſed præter hunc locum nullum alium promit. Græci, φωνῆς virtutes, & vitia indicaturi, dicunt hinc βαρύφωνον, γλυκύφωνον, εὔφωνον, ἡδύφωνον, hinc λεπτόφωνον, μικρόφωνον &c.

Verſ. 11. ὅτι οἷοί ἐσμεν τῷ λόγῳ δι᾽ ἐπιςολῶν ἀπόντες) Voces δι᾽ ἐπιςολῶν *interpolantis manus veſtigio habere videntur*, *Zachariæ Pierce* in duabus epiſtolis de nova editione Novi Teſtamenti, quam olim meditabatur *Rich. Bentlejus* p. 23. Abeſſe itaque eas vult, & pronunciat ſine die & conſule, repugnantibus etiam omnibus MSS. Adeſſe vero eas oportet, ut ſic reſpectus inſeratur ad literas v. 10. commemoratas. Eſt hic præterea ea dicendi figura, quam Græci προσδιασάφησιν appellant, quaque Paulus *Rom.* II. 28. ἡ ἐν τῷ φανερῷ ἐν σαρκὶ uſus eſt. Vide, quæ ibi diximus.

Verſ.

Verſ. 12. Οὐ γὰρ τολμῶμεν ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι ἑαυτοὺς τισι τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων) Præclare de his verbis & ex merito judicat *Heur. Stephanus* de Stilo N. T. p. 5. Syntagmatis Honertiani. *Hoc tam eleganter*, inquit, *& tam proprie dictum eſt, ut nihil ſupra. Sed quæ Latina verba invenientur, quibus hæc cum aliqua itidem paronomaſia exprimantur? (niſi potius paromoeoſis appellanda eſt hæc in verbis ſimilitudo) Vix equidem inventum iri arbitror: neque certe interpretum verba quicquam tale habent. Ego autem nullum loco illi interpretationem adſcripſi, cum ne mihi quidem duo verba, quæ itidem paromœoa efficerent, in mentem venirent. Videndum tamen, an hac periphraſi adumbrare ſaltem potuerim. Non autem audemus in numerum illum nos inferre, aut cum illis CONFERRE. Beza* maluit Ciceronis ex lib. V. Ep. ad Famil. phraſi uti, qua *adjungere vel conjungere*, eodem fere ſenſu, dixit. Τὸ ἐγκρίνειν idem eſſe, quod *annumerare, adjungere, catalogo & numero inſerere*, ex *Ariſtide* in Romam p. 381. *Heliodoro* lib. III. p. 150. & *Plutarcho* de Pædagog. p. 11. oſtendit Cl. *Elsnerus* p. 154. Ἐγκρίνεσθαι etiam ii dicuntur, qui nomen ſuum dant alicui cœtui. Vide *Scaligerum* ad Euſebium p. 418. Quid ἐγκριθῆναι & ἐκκριθῆναι ſit in certaminibus, oſtendit *Joach. Kühnius* ad Diogenem Laërtium VIII. 47. p. 535. Præſtantiſſimus *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 499. vertere mavult, *præferre aut conferre.* Utrumque enim verbum eodem ſenſu reperiri putat apud *Polybium* lib. IX. cap 2. pag. 753. *Hæc igitur tum propter iſta ſunt omiſſa, tum propter alia plura.* ὁ δὲ πραγματικὸς τρόπος ΕΝΕΚΡΙΘΗ, *illud contra hiſtoriæ genus, quo res geſtæ explicantur, idcirca probavimus*, ſive prælatum eſt alteri iſti hiſtoriæ generi, quo gentium atque urbium origines exponuntur. Lege ibi plura.

Ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς οὐ συνιοῦσιν) Duo hæc interpretandi modi exſtant. Alii enim ad Paulum ipſum, alii ad adverſarios ejus hæc referunt. Utriuſque interpretationis mentionem fecit *Chryſoſtomus*, idemque poſteriorem præferre videtur. Prior tamen ſententia recentioribus quibuſdam placuit, nominatim *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 165. ſqq. Is enim cum operoſe probare eſſet conatus, τὸ μετρεῖν ἑαυτὸν ἐν ἑαυτῷ idem eſſe, quod *intra conditionem & fortunam ſuam ſe continere, ſe ex ſuis facultatibus & dotibus æſtimare, non plus ſibi arrogare, quam fas eſt*, quod ipſum in laude ſit ponendum, tandem p. 170. ita verba accipit, quaſi Paulus dicat: *nos noſmet nobis ipſis metimur, noſque ipſos comparamus nobis ipſis, non ſapientibus.* Ex quo ſimul intelligitur, virum doctiſſimum vocem συνιοῦσιν non pro tertia plurali præſentis temporis, i. e. *intelligunt*, ſed pro dativo plurali participii præſentis, i. e. *intelligentibus, ſapientibus* ex *Rom.* III. 11. aut σοφοῖς καὶ συνετοῖς, ut *Luc.* X. 21. habere. Eandem interpretationem adoptavit Cl. *Hombergius*, adeo, *ut extra controverſiam poſitam eſſe debere* cenſeat pag. 270. Parergorum, quamvis idem profiteatur, quo tendat illud οὐ συνιοῦσιν, ſe non συνιέναι. Atque eadem hæc vox iſti expoſitioni omnino obſtat, quod oſtendit Cl. *Elsnerus* p. 155. qui & recte monet, phraſin μετρεῖν ἑαυτὸν, erudite quidem a *Boſio* per *metiri ſe ſuo modulo* explicatam eſſe, neque tamen comparari poſſe cum illa: μετρεῖν ἑαυτὸν ἐν

ἑαυτῷ. Adſtipulatur tamen *Boſio* Cl. *Pet. Zornius* in Biblioth. Antiquario-Exeget. Tom. I. p. 1142. ſeqq.

Alii rectius hæc retulerunt ad Pauli adverſarios. Inter hos plerique ſunt Interpretes, nominatim *Beza*, *Grotius*, *Hammondus*, *Clericus*, *Beauſobrius*, *Lockius*, (qui poſtremus τῇ ὑποθέσει δουλεύων, de uno illo, quem putat, Pauli adverſario id accipit,) *Cornel. Adami* in Obſervationibus pag. 433. & *Jac. Elsnerus* pag. 155. Ex noſtratibus præter B. *Lutherum*, huc, ut alios taceam, pertinent *Eraſmus Schmidius* & *Frid. Balduinus*, cujus hæc habe verba: *Nobis ea poteſtas data non eſt, jactandi noſtra dona aut labores, quemadmodum alii faciunt, Pſeudo-Apoſtoli nimirum, qui tantum ſuos admirantur labores, quos ſatis prædicare neſciunt, quique magni videntur, dum intra ſuam decempedam tantum relinquuntur: ſi vero ad alios non minus ſerio laborantes conferrentur; facile omnis ipſorum jactantia evaneſceret. Jam vero ipſis propria opinio eſt regula ſuarum virtutum.* Atque in his totus ego acquieſco. Ad confirmandam hanc expoſitionem Cl. *Elsnerus* hæc affert: Μετρεῖν ἑαυτὸν ἐν ἑαυτῷ *nihil aliud* eſt, *quam* ἑαυτὸν συνιστάνειν, καυχᾶσθαι. *A talibus ſe diſtinguit Apoſtolus, qui ſe metiebatur potius* μέτρῳ, *quod acceperat a Deo*, κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος, οὗ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεὸς v. 13. atque gloriabatur in Domino, non in ſe ipſo, v. 17. Subjungit denique iſta: *Quare potius cum pleriſque expoſuerim hæc verba de hominibus glorioſis ſecundum* v. 10. *quos hic notat Apoſtolus, atque ita verterim:* Sed illi dum ſe ſemet ipſis metiantur, comparentque ſe cum ſibimet ipſis, non ſapiunt. *Nam in tali* καυχήσει *eſt* ἀφροσύνη, *cap.* X. 1. *atque tales erant* ἄφρονες. *Ibid.* v. 16-19

Phraſis, οὐ συνιοῦσιν, commode etiam referri poteſt ad participia μετροῦντες καὶ συγκρίνοντες, ita quidem, ut pro infinitivis μετρεῖν καὶ συγκρίνειν poſita exiſtimentur, hoc ſenſu, *non intelligunt ſe metiri*, aut, *quod metiantur ſeſe ſe ipſis* &c. Ita inſtituit rem *Eraſmus Schmidius* & *Theod. Beza.* Conſtat enim, verba γνωριστικὰ, ſeu notitiam inferentia, cum participiis conſtructa, conjunctivum vel infinitivum frequenter indicare. Sic *Hebr.* XIII. 2. διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους, h. e. ἔλαθον ξενίσαι. Eodem modo Pſeudo-*Phalaris* ep. 1. οὐκ ἀγνοῶ εὐαγγελιζόμενος i. e. εὐαγγελίζεσθαι. Ingentis vero ſtultitiæ argumentum eſt, virtutis & boni omnis menſuram ex ſe ipſo capere, omniumque aliorum ſuperbe oblivisci. Interpretationi huic præſidium ex eo accedit, quod verbum συνιέναι in N. T. fere perpetuo non in univerſum inferat *ſapere*, ſed potius rem ſignificet, quam quis *intelligat*, *percipiat* & *ſentiat*. Vide v. c. *Matth.* XIII. 13. 14. 15. & inprimis v. 51. *Luc.* II. 50. XVIII. 34. XXIV. 45. *Actor.* VII. 25. Eodem ſenſu vocem accepit *Chryſoſtomus*, quamvis is pro participio plurali habeat. Καὶ μὴ συνιοῦσιν, inquit, τουτέστι, μὴ αἰσθανομένοις, πῶς εἰσι καταγέλαστοι τοιαῦτα ἀλαζονευόμενοι. Senſus, ſi quid video, eſt optimus. Apoſtolus ait: *nos non audemus nos inferre, vel conferre cum iis, qui ſe ipſos commendant: at illi quidem non perſpiciunt, quod ipſi ſeſe ſe ipſis metiantur*, nulla ſcilicet alterius cujuſque habita ratione. Singulare ſcilicet eſt modeſtiæ Pauli argu-

argumentum, qui ſe non comparare quidem cum aliis volebat, cum illi viciſſim, ſua tantum merita reſpicientes, omnibus ſe præferendos eſſe non dubitarent. Eodem modo hæc Gallice convertit *Jo. Clericus: & qui ne prennent pas garde, qu'ils ſe meſurent en eux memes, & qu'ils ſe comparent avec eux mémes.* Hac ratione nullo opus eſt orationis ſupplemento, quo uſos eſſe video egregios alioquin Interpretes Gallos, *Beauſobrium* & *Lenſantium:* ita convertentes: *ils ne ſçavent ce qu'ils ſont.*

Ex his apparet, luxari & corrumpi ſenſum verborum, ſi quidem cum *Millio* verba, ὀ συνιᾶσιν, inducere velimus, & procul eſſe jubeamus. Ita enim, exemplo *Vulgati* & *Claromontani* Codicis Græco-Latini adductus, pronunciat in Prolegomenis §. 476. *Græci, quibus Apoſtoli iſta paulo præruptiora viſa ſunt, ſumtis* ἀυτοὶ, ἑαυτȣ̀ς, ἑαυτοῖς *in tertia perſona, ſuppleverunt orationem iſtam per marginale ſcholion,* ὀ συνιᾶσιν, *quod irrepſit mox in contextum libri.* Mireris merito, verſionem unam & Codicem Gr. unum *Claromontanum,* qui paſſim factæ interpolationis veſtigia exhibet, tot aliis præferri a *Millio* potuiſſe, nec dubites, *Eſtium* non minus, quam *Whitbium* in Examine p. 34. *Ambroſiaſtrum,* ad quem Millius itidem provocat, ſua ſibi habere recte juſſiſſe. Si enim vel maxime largiamur *Millio*, verba illa: ἀλλὰ ἀυτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτȣ̀ς μετρȣ̃ντες ϗ συγκρίνοντες ἑαυτȣ̀ς ἑαυτοῖς, non ad glorioſulos illos thraſones, ſed ad ipſum Apoſtolum, quod putat, referenda eſſe, vel ſic tamen particula ἀλλὰ verbum aliquod requirit, a quo ſequentia pendeant, niſi mancam & hiulcam reddere velis Pauli orationem.

In phraſi: ἀυτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτȣ̀ς μετρȣ̃ντες elegantiſſimum obſerves πολύπτωτον. Ejuſmodi eſt illud *Sophoclis* in Ajace Flagellifero: πόνος πόνῳ πόνον, ad quem locum vide ſis *Balthaſ. Stolbergii* notas p. 203. qui ſimile affert *Euripidis* de Nomadibus, omnia clamore miſcentibus: ȣ̓δεὶς ȣ̓δενὸς ȣ̓δὲν ἀκȣ́ει, *Haud quiſquam cujuſquam quicquam audit.*

Verſ. 13. Ἡμεῖς δὲ ȣ̓χὶ εἰς τὰ ἄμετρα καυχησόμεθα) *Nos vero nequaquam ſupra demenſum gloriabimur.* Ita commode *Eraſmus Schmidius*, *Lockius* eodem, ni fallor, ſenſu τὰ ἄμετρα de *rebus non commiſſis*, i. e. ad Apoſtoli provinciam non ſpectantibus, interpretatur, cujus ſententiæ rationem mox intelligemus.

ἀλλὰ κατὰ τὸ μέτρον τȣ̃ κανόνος, ȣ̃ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεὸς μέτρȣ, ἐφικέσθαι ἄχρι καὶ ὑμῶν.) In his verbis illuſtrandis occupatus fuit Cl. *Georg. Lud. Oederus* in *commentatione de voce κανὼν*, qua, inſtar Programmatis, orationes in natalem B. Lutheri habendas Onoldi 1730. indixit. Ibi p. 3. primo loco monetur, *originem vocis ab Hebraica lingua ejuſque voce* קנה *quæ* cannam, *ſive* arundinem, &, *cum ob ſimilitudinem, tum quia canna ſæpe materiam præbuit,* calamum menſorium, *item* ſcapum in ſtatera *ſignificat, petendam eſſe, atque adeo errare videri, qui proprium ac primam adeo vocabuli κανὼν ſignificationem* amuſſim *ajunt eſſe, ſive* regulam, *ex quo factum denique ſit, ut regulis omnibus vox* Canon *tribueretur.* Priorem illum ſignificatum poſtquam ex veterum Scri-

 pto-

ptorum, v. c. *Homeri* Iliad. ϑ' v. 193. & ψ'. v. 763. ejuſque Scholiaſte, tum vero ex *Judith* XIII. 6. adſtructum iverat, non negat p. 4. vocem κανὼν jam Clementis ætate (vid. ep. ad Corinth. §. 41.) in tropicum uſum flexam eſſe, ita tamen, *ut ad certa loca, in quibus quiſque ſuo munere decenter fungi debeat, reſpiciatur.* Atque hunc ſignificatum deinde adferere & vindicare conatur locis illis omnibus, in quibus S. Paulus ea voce uſus eſt, puta h. l. item *Philip.* III. 16. & *Gal.* VI. 16. Noſtrum hunc locum ita accipiendum eſſe p. 5. profitetur, his omnino verbis: *Verſu* 13. *negat Apoſtolus, ſe gloriaturum* εἰς τὰ ἄμετρα: *nam etſi Apoſtolos non oportuit in certis quibusdam Eccleſiis hærere, viciſſim tamen nec totus Orbis ſingulis attributus eſt, ſed Spiritus S. haud obſcuro impulſu (vide Actor XIII. 2.) unus huic, alter alteri Genti Præco Evangelii contigit. Itaque Paulus, qui ſecum habitare didicerat, non is fuit, qui Eccleſias omnes vel a ſe fundatas eſſe, vel fundari oportere putaret, ſed ſecundum deſignatum ſibi a Deo ſpatium decurreret, aliorum non curioſus, niſi quantum precibus interdum & colligenda ſtipe, & aliis, quibus potuit, officiis Eccleſias ejusdem quidem fidei, ſed a ſe non conditas, juvit, certe, quicquid alibi bene geſtum eſſet, cum voluptate vidit, ac audivit, ceterum ad ſe non magis, quam ad reliquos pios attinere arbitratus eſt.* Itaque per κανόνα vir doctus illum *terrarum tractum* & hic & alibi intelligit, qui munere ejus Apoſtolico a Summo Numine ſit *definitus.* Affert idem in ſententiæ ſuæ præſidium hæc *Eraſmi Schmidii* ad h. l. verba: *Quaſi dicat: non gloriabimur* εἰς τὰ ἄμετρα, *extra demenſum meum, quaſi qui nunquam ad vos mea prædicatione Evangelii pervenerim, & ita falſo glorier; quum vos ipſi ſciatis, me prædicatione Evangelii apud vos, alios præveniſſe, & ita non gloriari in laboribus aliorum, qui ante me fundamenta Eccleſiaſtica apud vos jecerint, quæ ego ipſe Dei gratia jeci, falce mea minime in meſſem alienam immiſſa. Nam non veſter tantum tractus, ſed &* τὰ ὑπερέκεινα *v.* 16. *loca ulteriora, mihi & prædicationi meæ a Deo admenſa ſunt. Ideoque, quod v.* 15. *dixit,* οὐκ ἐν ἀλλοτρίοις κόποις, *hoc v.* 16. *effert:* οὐκ ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι, εἰς τὰ ἕτοιμα καυχήσαϑαι. *Per* οὐκ ἀλλότριον κανόνα *intelligens tractum, ſuæ prædicationi divinitus aſſignatum, non alteri peculiariter attributum.*

Recte egiſſe puto Cl. *Oederum*, quando vocem κανὼν ab Hebr. קנה *Kane* quod una tantum vice *Job.* XXXI. 22. per קנה *Kana* exprimitur, repetit. Longius enim abeunt, qui cum *Scaligero* cap. 95. de L. Lat. eumque ſequente *Chriſtiano Becmanno* de Originibus L. Lat. pag. 924. ab אנך derivant. Quamvis enim & hæc vox *Amoſi* VII. 7. 8. *perpendiculum* ſignificet, nec literarum transpoſitio in originibus vocum inſueta ſit; e longinquo tamen non neceſſe eſt peti, quod ante pedes ſitum eſt. Si jam hanc vocis originem pro explorata habeamus, eadem opera intelligemus, principem τοῦ κανὼν ſignificationem *menſuram*, ſeu *regulam* eſſe. Recte *Gerh. Jo. Voſſius* in Etymologico L. Latinæ p. 120. Canon, κανὼν, *quod a* קנה Kaneh. *quod LXX. Interpretes fere* κάλαμον *reddunt, interdum* καλαμίσκον. *A quo Hebræo eſt Latinum* canna, *ut ſuperius diximus. Nec obſcura eſt ratio, cur* canoni *a* canna *nomen ſit. Nam*

canna

canna recta eſt, eoque antiquitus obtinuit, ut ea eſſet recti menſura. Scio improbari hanc ſententiam doctiſſimo Arnoldo Pontaco, apparatu in Euſebii Chronicon. Sed juvat hanc ſententiam, quod κανὼν interdum ſignificat κάλαμον μύτων, calamum, *circa quem fila involvunt textores: prout ad Iliad. ψ. interpretatur auctor brevium ſcholiorum. - - Κατὰ μεταφορὰν autem vox hæc translata ad leges, quibus aliquid præſcribitur. Quomodo S. Scriptura eſt* canon *fidei & vitæ.* Ex his apparet, vel ratione originis ipſius in voce *κανὼν* rectius pro re nata de *menſura* aliqua, quam de *tractu regionis* per ſe cogitari. Neque video, locos a Cl. *Oedero* allatos pro ſententia ejus facere. In illis enim nunc linguam bilancis, nunc filum textorium infert, utrinque vero tale quid, quod ad *normam* propius, quam ad *demenſum ſpatium*, accedit. Interim non negaverim, Apoſtolum hic ad *locos* reſpicere, in quibus ipſe vel primus prædicaverat Evangelium, vel inpoſterum prædicaturus erat. Id vero non ex ipſius vocis *κανὼν* ſignificatu vel primario, vel proprio, ſed ex tota ſermonis Apoſtolici ſerie, inprimis vero phraſi illa v. 16. *εἰς τὰ ὑπερέκεινα* conſequitur. Accedit his, quod ipſa vox *μέτρον* alteram illam *κανόνα* ex parte explicet. Placent *Bezæ* in hanc rem cogitata: *Quum μέτρον & κανὼν ſæpe pro eodem accipiantur, nempe pro ipſo menſorio inſtrumento, hic unum ab altero diſtinguitur neceſſario. Μέτρον igitur hoc priore loco dicitur modus, ſive quantitas rei admenſæ, κανὼν autem illud ipſum, quod alicui admenſum eſt: quo ſenſu meminit ſui, i. e. velut ad regulam ſibi admenſi territorii, cui alienum, i. e. aliis attributum, opponit.* Quamvis igitur Cl. *Oederi* interpretatio locum hic tueatur, non tamen id ex origine vocis, ut putat, conſequitur, tantum abeſt, ut illa ſignificatio perpetuo & ubique obtineat. Vide, quæ infra ad *Gal.* VI. 16. a nobis dicentur. Ceterum de variis τȢ *κανὼν* ſignificatibus, apud Sacros, Eccleſiaſticos & profanos Scriptores obviis, legi velim Rev. *Jo. Frickii* commentationem de Cura Eccleſiæ veteris circa canonem Scripturæ Sacræ cap. I. §. 15. ſqq. Cl. *Chriſtiani Iſelii* diſſertat. de Canone N. T. *Suiceri* Theſaurum Eccleſiaſt. Tom. II. p. 37. ſq. & *Valeſii* notas ad Euſebii IV. 23. & VII. 30. p. 156. a. *Henr. Hammondum* hic de *alba linea*, qua in agonibus Græcorum, & potiſſimum Corinthiorum, unicuique curſori ſtadium ſit diviſum, quam *canonem* appellare conſueverint, loco maxime alieno cogitaſſe, Cl. *Oedero* largior, quamvis non ignorem, Cl. *Adami* in Obſervatt. Theologico-Philologicis p. 435. Hammondi veſtigiis inſiſtendum ſtatuiſſe.

Verſ. 14. *Οὐ γὰρ, ὡς μὴ ἐφικνȢ́μενοι εἰς ὑμᾶς, ὑπερεκτείνομεν ἑαυτȢ̀ς*) Verbum *ὑπερεκτείνειν* ex re curſoria veterum explicandum putat *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris pag. 82. advocato in præſidium loco *Philip.* III. 14. Nec alienus eſt Cl. *Adami* l. c. pag. 435. quamvis idem exiſtimet, *τὸ μετρεῖν* & *ὑπερεκτείνειν* ad dimenſionem corporum, cum ſtatuis ab Hellanodicis factam, & extenſionem ab athletis factam, ut magis proceri viderentur, referri poſſe. Neutram conjecturam, minime vero omnium poſteriorem illam probare ſe cuiquam poſſe exiſtimem.

Verſ. 16. οὐκ ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι εἰς τὰ ἕτοιμα καυχήσασθαι) *non ut in aliis tributa menſura de præparatis gloriemur.* Ita recte poſt *Bezam* convertit *Schmidius* noſter: Εἰς τὰ ἕτοιμα eſt, *ob præparata ab aliis.* Τὸ εἰς ſæpe Attice pro ἐν poni, idem *Schmidius* paſſim in notis ad N. T. obſervavit, teſte indice. Frequentiſſime vero id in ejuſmodi argumento, quod hic agitur, fieri phraſes Græcæ ἐπαινεῖν εἰς δικαιοσύνην, λοιδορεῖν εἰς κακίαν &c. evincunt. Ἕτοιμα hic ſunt regiones ab aliis præparatæ, & quaſi excultæ Evangelii prædicatione, ad ferendum fructum, quod *Beza* recte monuit. Idem Paulus alia phraſi, ἐπ' ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομεῖν dixit *Rom.* XV. 20.

Verſ. 18. Οὐ γὰρ ὁ ἑαυτὸν συνιστῶν, ἐκεῖνός ἐστι δόκιμος) Et hic ad certamina veterum reſpici contendit *Cornel. Adami* l. c. p. 435. nominatim, ad laudationem publicam eorum, qui certamine Muſico vicerant. *Illis enim, qui alios proclamarent victores, alio præcone opus erat, ne ſua voce ipſi ſe victores eſſe, proclamarent.*

CAPUT XI.

VErſ. 1. ὄφελον ἠνείχεσθέ μου μικρόν τι τῆς ἀφροσύνης) Ita *Curcellæus* hæc verba exhibet poſt *Bezam*, quando plerique alii & MSS. & editi codices legunt τῇ ἀφροσύνῃ, adeo ut *Millius* quinque tantum afferre potuerit libros manu exaratos pro altero illo τῆς ἀφροσύνης. Senſus utrinque idem eſt: malim tamen τῇ ἀφροσύνῃ, ſubintellecto ἐν vel ἐπί. Verbum ἀνέχεσθαι varie Sriptoribus adhibetur. Nunc enim caſum *perſonæ*, de qua ſermo eſt, junctum ſibi habet, nunc ſine eo occurrit. Si prius; genitivum adſciſcit. Vide *Matth.* XVII. 17. *Act.* XVIII. 14. 2. *Cor.* XI. 19. &c. Vbi vero caſus rei adparet, nunc genitivum, nunc accuſativum obſervaveris. Genitivus exſtat 2. *Tim.* IV. 4. ἔσται γὰρ καιρὸς, ὅταν τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας οὐκ ἀνέξονται. Nec aliter *Hebr.* XIII. 22. Accuſativus frequentior eſt apud externos Scriptores. Sic *Homerus* Iliad. σ. v. 430. Τόσσα δ' ἐνὶ φρεσὶν ᾗσιν ἀνέχετο κήδεα λυγρά. *Ariſtophanes* in Nubibus: κατὰ πολλὰ ἀνέχεσθαι. Interim fruſtra adhuc quæſivi exemplum phraſeos, in qua perſonæ & rei caſus junctim occurrat. Rei enim caſum, ſi ille perſonæ anteceſſerit, per participium, pronomini junctum, exprimere amant Scriptores. Sic *Syneſius:* ἀνέξῃ γάρ που μικρὸν ὑποβαρβαρίζοντος, & *Demoſthenes:* ἀνέχεσθέ δέ μου τὰ περὶ τούτων φιλοσοφοῦντος. Locum alterum *Henr. Stephanus*, alterum *Budæus* ſuggerunt. Paulus hic *perſonæ* caſum per *genitivum*, *rei* autem per *dativum* exprimit. Neque putem, ſtare poſſe eundem *rei* & *perſonæ* caſum, quod fieret, ſi cum Codice Boerneriano legeremus μικρὸν τῆς ἀφροσύνης μου, niſi illud μικρὸν ad vocem ἀφροσύνης, inſtar adjectivi pro ſubſtantivo poſitum, referre velis, ut ſenſus ſit: *utinam nonnihil inſipientiæ meæ toleraretis!* Rectius vero agunt, qui τὸ μικρόν τι ad ἀνέχεσθαι relatum per *paulum*, *pauliſper* interpretantur. Vide huc *Bezam*, *Schmidium*, & *Alethæum* in der Erläuterung Tomo III. pag. 262.

Hac

Hac loquendi forma in excuſanda liberiore & invidiæ alioquin obnoxia oratione *Polybius* etiam utitur pag. 791. Ἐρῶ γὰρ τὸ φαινόμενον, ἄνδρες· ὑμεῖς δ' ἀνέχεσθε. *Dicam equidem, quod ſentio, viri Lacedæmonii, vos dicentem feretis.* Et iterum pag. 873. ῥηθήσεται γὰρ τὸ δοκοῦν μετὰ παῤῥησίας· ὑμεῖς δ' ἂν εὐφρονῆτε, μεθ' ἡσυχίας ἀνέξεσθε. *Dicam enim libere, quod ſentio; vos, ſi ſapitis, orationem meam æquis animis accipietis.* Conf. Rev. *Raphelii* Annotationes Polybianas pag. 501. Quo ſenſu Paulus hic ἀφροσύνην ſibi tribuat, ad v. 16. dicemus.

Ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου) Τὸ, ἀνέχεσθε alii *imperative*, ut *Vulg. Beza*, & *Alethæus* l. c; *indicative* alii, ut B. *Lutherus*, *Eraſmus Schmidius* &c. accipiunt. Senſus utrinque idem eſt. Malim tamen poſterius. In eo enim argumentum eſt fiduciæ, quam in Corinthiis poſitam ſe habere Apoſtolus aliquoties in hac epiſtola teſtatur. Eundem ſignificatum adſtruunt *Polybii* loca, modo allata.

Verſ. 2. Ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ ζήλῳ) *Zelotypus ſum erga vos divino zelo*, ut *Eraſmus Schmidius* vertit, qui ſimul divinum de *grandi* vel *excellenti* interpretatur. Malim *divinum* dici, ideo, quod a divino Numine ſit excitatus, & in Dei honorem unice feratur. Alia erat zeli ratio, quo falſi doctores in Corinthios non minus, quam in Galatas, ardebant, *vehemente* illo quidem, ſed non divino. De his Apoſtolus ad *Galat.* IV. 17. Ζηλοῦσιν ὑμᾶς οὐ καλῶς, ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσι, ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε. Nec idem in Chriſti gloriam tendebat, cum eo ſpectaret, ut abducerentur ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς Χριστόν.

ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ) Scriptores ἁρμόζειν & ἁρμόζεσθαι dicunt Patrem filiam deſpondentem. Sic *Euripides* in Electra v. 24. *Domi Electram tenebat Ægiſtus*, οὐδ' ἥρμοζε νυμφίῳ τινι, *nec ſponſo alicui deſpondebat.* Sponſi quoque dicebantur ἁρμόζεσθαι, ſponſam ſibi matrimonio jungentes. Sic *Plutarchus* Alexandro pag. 665. de Philippo, Olympiadem ducente, τὸν γάμον ἁρμόσαι dixit. Obſervavit hæc doctiſſimus *Elsnerus* pag. 156. atque ex iis conficit, Apoſtolum ſe comparare cum Parente, qui deſpondeat Eccleſiam Corinthiam, tanquam filiam ſuam, ſicut Corinthios τέκνα ſua cap. VI. 13. ſqq. γονέα, *ſe parentem* cap. XII. 14. appellet; vel etiam manus ſibi tribuere *Legati deſponſationum*, שליח קדושין, per quem deſponderi ſolebant virgines apud Judæos. Eodem ſenſu Judæi Moſen שלוח ſeu *legatum* vocant, quod ejus interventu Iſraelem ſibi deſpondiſſet Deus, quam in rem conferri jubet *Relandum* in Antiquitatibus Hebr. Parte I. cap. X. §. 11. quemadmodum ritum hunc deſponſandi expoſuerit *Buxtorfius* de Sponſalibus & divortiis §. 51. 52. Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 500. locis Herodoti nonnullis lib. V. pag. 347. VI. pag. 404. & IX. pag. 630. conficere ſibi poſſe videtur, τὸ ἁρμόσασθαι de *ſponſalibus* tantum dici, diſtingui enim a *nuptiis.* Hinc efficit, Paulum comparare Eccleſiam ſponſæ, Chriſtum ſponſo. Conciliatores harum nuptiarum eſſe verbi miniſtros. Tempus conſummandi matrimonii non eſſe hujus

jus, ſed alterius ſeculi. Recte hæc dici perſuaſiſſimum mihi ex argumento, de quo agitur, habeo, quamvis ἁρμόσαι de nuptiis etiam alias dicatur. Ita enim *Plutarchum* ἁρμόσαι τὸν γάμον dixiſſe, ex *Elsnero* modo admonitum eſt. Sunt, qui ſpiritualem illam nuptiarum ſolemnitatem & domiductionem ſponſæ ad fruſtra, ut puto, ſperatum ex Apocalypſi millennium referunt. Inter hos eſt *Vitringa* in commentario ad Apocalypſin pag. 197. & *Amelius* **in der Erörterung** Tom. II. pag. 122. qui poſterior minus, credo, opportune τὸ ἁρμόζεσθαι adhiberi h. l. opinatur, reſpectu habito ad Magiſtratus, qui apud Lacedæmonios olim teſte *Cragio* in libris de Republ. Laconum ἁρμόσυνοι appellati ſunt ex eo, quod curam habuerint virginum, ut non ſolum bene & caſte educarentur, ſed & feliciter elocarentur.

Παρθένον ἁγνὴν) Virginem ἁγνὴν *Herodiano* lib. I. cap. 11. & *Philoſtrato* Vit. Apollonii pag. 284. appellari, παραςῆσαι autem γυναῖκα τῷ γαμῦντι ab *Artemidoro* lib. II. pag. 100. dici monuit Cl. *Elsnerus* l. c. Quod ad rem ipſam ſpectat, comparanda fuerit B. *Jo. Andreæ Schmidii* diſſertatio ſingularis de Eccleſia virgine, Helmſtadii 1697. edita, & Jenæ 1713. recuſa, qua Paulinus hic locus & *Hegeſippi* verba apud Euſebium Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. IV. cap. 22. illuſtrantur. Hegeſippus enim de Eccleſia Hieroſolymitana ait: διὰ τῦτε ἐκάλυν τὴν ἐκκλησίαν παρθένον· ὔπω γὰρ ἔφθαρτο ἀκοαῖς ματαίαις. Ἄρχεται δὲ ὁ Θέβυθις, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι ἐπίσκοπον, ὑποφθείρειν. Idem lib. III. cap. 32. de Eccleſia Apoſtolica dixerat, quod παρθένος καθαρὰ ϗ ἀδιάφθορος ἔμεινε, ἐν ἀδήλῳ πυ σκότει φωλευόντων εἰσετὶ τότε, εἰ καί τινες ὑπῆρχον, παραφθείρειν ἐπιχειρύντων τὸν ὑγιῆ κανόνα τῦ σωτηρίυ κηρύγματος, *inſtar cujuſdam virginis integra atque incorrupta permanſerit, adhuc in obſcuro deliteſcentibus, quicunque rectam prædicationis Evangelicæ regulam depravare niterentur.* De utroque hoc loco commentatur etiam *Cornel. Adami* in Obſervatt. Theologico Philolog. pag. 153. ſqq.

Verſ. 3. Φοβῦμαι δὲ, μήπως ὡς ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν ἐν τῇ πανυργίᾳ αὐτῦ) Commati huic lucem fœnerantur B. *Gottlieb Wernsdorfius* in diſſertat. de Simplicitate in Chriſto, Vitembergæ 1711. & B. *Mart. Chladenius* in alia de fide ſimplici inſcripta, ibid. 1714. item M. *Berth. Auguſtus Frommann* de metu Pauli, Lipſ. 1722. & *Alethæus* **in der Erläuterung** Tom. III. p. 213. ſqq.

Ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησε) Ex hoc loco & Patres & recentioris ætatis Theologi recte effecerunt, Satanam ſerpente ut inſtrumento ſeductionis humani generis Parentum uſum eſſe. Patrum loca habes apud *Suicerum* Tomo II. pag. 536. Hebræi, more ſuo, idem allegorica quadam ratione tradiderunt. Magiſtri enim eorum, teſte *Maimonide* in More Nevochim Parte II. cap. 30. docuerunt, ſerpentem, cameli ſtaturam referentem, habuiſſe ſeſſorem, qui deceperit Evam, eum vero fuiſſe Sammaelem, quo nomine Satanas eminenter appelletur. Plura in hanc ſententiam Judæorum loca producit *Jo. Andreas Eiſenmengerus* in Judaiſmo detecto Tom. I. p. 822. 827. 831. ex quibus etiam intelli-

telligetur, eundem ſerpentis nunc *antiqui*, nunc *ſimplicis* & *recti*, nunc autem *obliqui* nomine appellari.

Ἐξηπάτηκεν) Verbum ἐξαπατᾶν palæſtricum eſſe, & de callidis luctatorum artibus in adverſantes uſurpari, teſtis eſt Ariſtophanis Scholiaſtes ad Ranas v. 1451. Τὸ δὲ ἐξηπάτηκεν, inquit, εἶπεν ἐκ μεταφορᾶς τῶν παλαιςῶν· ἐκεῖνοι γὰρ ἀπατῶντες τὰς ἀντιπάλας νικῶσιν. Similiter *Xenophon* Cyropæd. I. 40. ὥσπερ καὶ ἐν πάλῃ φασὶ τὰς Ἕλληνας διδάσκειν ἐξαπατᾶν. Compara *Pet. Zornii* Bibliothecam Antiquario-Exegeticam Tom. I. p. 892.

Οὕτω φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν) Vide, quæ obſervata ſunt ad cap. X. 5. atque hinc æſtima Cl. *Stephani Viti* de hoc loco cogitata, quæ exſtant in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. II. p. 436.

Ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν Χριςὸν) Pro voce ἁπλότητος *Claritanus* pag. 236. *Ambroſius*, *Auguſtinus* & *Gaudentius* habent *caſtitatem*, ex quo veri eſt ſimile, eos ἁγνότητος legiſſe in Græco, vel legendum cenſuiſſe, niſi ex interpretamento natam eſſe vocem cum Millio arbitreris. *Agit enim*, inquit, *de ſimplicitate virginali. Nimirum appoſitum a Studioſo quopiam* ἁγνότητος *per modum gloſſematis in ora libri tranſtulerant mox librarii, ut fere fit, in contextum, extruſa genuina lectione, in nonnullis admodum vetuſtis exemplaribus. In aliis poſtea adjunctum eſt ſcholion veræ lectioni;* ἁγνότητος καὶ τῆς ἁπλότητος. *Sic* Clar. Græc. Lat. Ger. Græc. Lat. Colb. 7. *neſcio*, *an &* Æthiops. *Epiphan.* κατὰ ὀφιτῶν §. 8. *ac Latini aliqui ante tempora* Auguſtini. Hactenus *Millius*. Accedit his Codex Bœrnerianus, qui legit: ἀπὸ τῆς ἁπλότητος καὶ ἁγνότητος, teſtante & pro genuina Apoſtoli ſcriptura agnoſcente *Ludolpho Kuſtero* pag. 6. præfationis, repetitæ Novi Teſtamenti Milliani editioni præmiſſæ. *Vox* ἁπλότης, inquit, *tam clara eſt & plana, ut interpretamento minime indigeat, ſaltem non eſt obſcurior altera illa* ἁγνότης. *Ne dicam* τὸ ἁγνότης *eſſe diverſum quid ab* ἁπλότης, *cujus proinde interpretamentum eſſe nequit. Porro* ἁπλότης *opponitur hic* τῇ πανȣργίᾳ, *quod præcedit;* ἁγνότης *autem addit Apoſtolus, quia verſu præcedente dixerat,* παρθένον ἁγνὴν, &c. Interpretamentum vel ſcholion occaſionem huic lectioni feciſſe, ipſe mihi non magis perſuaderi patior, quam adducor, ut utramque vocem ἁγνότητος & ἁπλότητος a Paulo profectam eſſe credam. Qui enim repeteret Apoſtolus ἁγνότητα, quam verſu proxime antecedente commemoraverat? Alteram illam vocem, ἁπλότητα, Paulinam eſſe, dubitari non poteſt. Hanc enim ut oppoſitam requirit ἡ πανȣργία, & firmat uſus ejuſdem Apoſtolo admodum familiaris. Vide v. c. 2. *Corinth.* I. 12. VIII. 2. IX. 11. & 18. tum vero *Epheſ.* VI. 5. & *Coloſſ.* III. 22. Ἁγνότητα itaque, qua ſemel tantum alias Paulus utitur 2. *Corinth.* VI. 6. exulare merito jubemus, tanquam nihil huc facientem, & ex oſcitantia librarii natam, cui antecedens vox ἁγνὴ, in memoria hærens, fraudi fuiſſe videtur, atque adeo effeciſſe, ut ἁγνότητα, ſcriberet, quam, tanquam ſenſu non deſtitutam, alii deinceps retinendam cenſuerunt. Per ἁπλότητα *ſimplicitas* illa ſpeciatim denotatur, quæ doctrinam Evangelicam intemeratam

conſervat & tuetur. Hinc *Theophylactus*: μὴ μετενεχθῆτε ἀπὸ τῆς ἁπλῆς πίστεως εἰς τὴν τῶν ἔξω δεινότητα. Hæc itaque ſimplicitas *in Chriſtum* unice fertur, quod Apoſtolus innuit phraſi: τῆς εἰς τὸν Χριστὸν, quod vel propterea nolim cum *Beza* accipere pro ἐν Χριστῷ. Propius ad mentem Pauli accedit *Eraſmus* & *Schmidius*, qui vertunt: *quæ erat erga Chriſtum*, reſpectu ſcilicet habito ad priſtinam Corinthiorum integritatem, a qua nunc abituri videbantur. Inſpice *Lockium* ad h. l. qui oſtendit, non minus heic, quam ad *Galat.* I. 6-12. & IV. 9-11. animadverti in mixturam legis & Evangelii, quæ doctrinam Evangelicam, Corinthiis a Paulo propoſitam, tum temporis interpolabat, & inpoſterum interpolatura videbatur.

Εἰ μὲν γὰρ ὁ ἐρχόμενος) *Lockius*, more ſuo, hic indicari contendit unum illum falſum doctorem, qui Apoſtolicæ doctrinæ adverſarium ſe inter Corinthios præſtiterit. Enimvero articulus ὁ idem h. l. eſt, quod τις, *aliquis*, conſueta Scriptoribus loquendi ratione. Vide, quæ obſervavimus Volum. I. pag. 422. Ita Pſeudo-Phalaris epiſt. 122. ad Athenienſes: πέποιθα δὲ μήθ' ὑμῶν τῷ, μήτε τῶν ἄλλων Ἑλλήνων. Confer *Ægid. Menagii* notas ad Diogenem Laërtium p. 230. b.

Ἐρχόμενος vero hic is dicitur, qui ſuo arbitrio ſuisque auſpiciis in docendi provinciam involet, & ea tradat, quæ ſuo magis ingenio, quam veritati cœleſti reſpondeant. Hoc ſenſu Dominus *Joh.* X. 8. ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, ait.

Καλῶς ἠνείχεσθε) Verba hæc alii ironice & in opprobrium Corinthiorum, tanquam huc illuc ſe vertentium, alii in laudem & cum approbatione dici arbitrantur. Inter priores numerantur *Knatchbullus*, *Colomeſius*, *Jac. Cappellus* in Obſervatt. & *Carol. le Cene* in Projet d'une nouvelle verſion pag. 472. At poſteriorum partes amplectuntur Interpretes plerique alii, & inter hos B. *Lutherus* noſter, vertens: ſo vertrüget ihrs billig, & *Hombergius* pag. 271. Parergorum: *pulchre toleraretis.* Atque hæc recte & ſcopo Apoſtolico convenienter dici exiſtimo. Senſus eſt: ſi quis alius rectius prædicaret Chriſtum, quam quidem a ſe factum ſit, aut Corinthii ex præconio illo præſtantiora Spiritus dona accepiſſent, quam quibus ante fuerint inſtructi, recte & præclare eos acturos, ſi talia nunciantem ferrent, & admitterent. Jam vero longe aliter novam illam doctrinam, cui nonnulli inhiabant, comparatam eſſe rei ipſius conſcientia Corinthiis erat oſtenſura. Ab utrisque abit *Nervetus*, Medicus, cujus in h. l. obſervatio exſtat in *Continuation des Memoires de literature & d'Hiſtoire, Tom. III. Part. I. p.* 177. Summam illius exhibent Ephemerides Literariæ Pariſienſes an. 1727. menſe Septembr. pag. 99. ſq. ed. Belgicæ. Is *Vulgatum* Interpretem, per, *recte pateremini* hæc convertentem, ita accipit, ut Gallice exprimi debeat: *vous le ſouffririez fort bien*, aut, *vous le pourriez ſouffrir.* Itaque, quod addit, Græcum, καλῶς, & Latinum *recte* idem eſſe cenſet, quod ἴσως, Gallice, *peut-être*, *vraiſemblablement*, i. e. *fortaſſe*, non autem *avec raiſon.* Merito deſideraveris idonea Scriptorum loca, quibus hic ſignificatus hinc Græcorum

rum καλῶς, hinc Latinorum *recte* vindicetur. Alioquin, ut cetera omittam, dubitaveris, utrum Nervetus vel Apoſtoli mentem, vel *Vulgati* interpretationem recte ſit adſequutus.

Verſ. 5. Λογίζομαι γὰρ μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλων) Illud γὰρ, cum proxime antecedentibus non admodum cohærens, præſtruit aliquid ex ipſo argumento ſupplendum, v. c. *Longe aliter res habet*; vel; *id autem fieri non poteſt. Certiſſime enim perſuaſum mihi habeo, me nullo modo inferiorem eſſe ſummis Apoſtolis.* Per hos alii intelligi volunt tres Apoſtolos κατ' ἐξοχὴν tales, *Petrum, Jacobum* & *Johannem*, τοὺς δοκοῦντας στύλους εἶναι, *Gal.* II. 9. alii vero Pſeudo-Doctores, qui tales videri volebant, & nimium ſibi tribuebant. Horum partes amplectuntur ex Pontificiis *Rich. Simon* in notis ad verſionem Gallicam N. T. & ex noſtratibus *Alethæus* Tom. III. der Erläuterung pag. 246. ſqq. Malim tamen ſequi priores, non ſine reſpectu ad falſos illos doctores ſimul habito. His enim præferre ſe jure poterat Paulus, cui nihil deerat eorum, quæ *Petri*, *Jacobi* & *Joannis* auctoritatem apud omnes extra dubium collocabant. De illis excellentium Apoſtolorum prærogativis, quatenus in Paulum quoque cadebant, diſſerit *Witſius* in Meletematibus Leidenſibus p. 32.

Οἱ ὑπὲρ λίαν Ἀπόστολοι ſunt Apoſtoli præſtantiſſimi. Adverbia enim, inter articulum & nomen poſita, adjectivorum locum tuentur. Vide *Lamb. Bos* Exercitatt. ad *Actor.* VIII. 42. εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, & Cl. *Jo. Alberti* Periculum Criticum p. 44. Solet præterea Paulus præpoſitione ὑπὲρ in compoſitis frequenter uti, & novas fere ac efficaces phraſes formare. Sic ſupra X. 16. ὑπερέκεινα, & *Epheſ.* III. 20. 1. *Theſſal.* III. 10. & V. 13. ὑπερεκπερισσοῦ.

Verſ. 6. Εἰ δὲ καὶ — ἀλλὰ) Sic τὸ ἀλλὰ, *tamen*, τῷ εἰ ſubjungit etiam *Herodotus* lib. II. p. 177. εἰ γὰρ πρότερον ἦεν δημότης, ἀλλ' ἐν τῷ παρεόντι εἶναι αὐτέων βασιλεύς. Confer *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 502. qui conferri jubet *Devarium* de Particulis Græc. L. p. 11.

ἰδιώτης τῷ λόγῳ) Conſtat, quantopere hoc loco ad deterendam & in ſuſpicionem vitiorum vocandam Pauli orationem Græcam abuſi ſint veterum nonnulli, recentiorum autem plures. Inter illos ſunt *Hieronymus* & *Chryſoſtomus*, in quos propterea *Alex. Morus* animadvertit pag. 142. Ex his appellabo tantum *Salmaſium* de Lingua Helleniſtica pag. 88. ſqq. *Jo. Clericum* in ſupplementis ad Hammondum h. l. & *Eliam Benedictum*, de quo in Prolegomenis in epiſt. ad Romanos. *Salmaſio* occurrit ex noſtratibus *Rechenbergius* in Exercitationibus pag. 1. ſqq. *Clerico* Cl. *Elsnerus* p. 157. *Benedicto* autem *Taco Haio van den Honert* in diſſert. de Stylo N. T. Græco pag. 256. ſqq. Calumniam ipſam diverſa ratione depulſam eſſe video. Quidam enim ex ſententia adverſariorum hæc a Paulo ajunt afferri, quorum calumnia Corinthiis ignota eſſe non poterat. Ita rationes inſtituit *Morus* & *Honertus* l. c. Si vero ex mente Pauli hæc ita dici arbitremur, nonnulli hic τὸν λόγον opponi

tacite ταῖς ἐπιςολαῖς (Conf. 2. *Cor.* X. 10.) exiſtimant, *cum nemo quidem in ſcriptis Pauli tanquam idioticum & nimis indoctum aliquid reprehenderit, ſed in eloquentia corporis & in orando, quia ἡ παῤῥησία τῦ σώματος ἀσθενὴς, ϗ ὁ λόγος ἐξυθενημένος fuerit.* Hoc eidem *Moro* placet l. c. Non diſcedit *Honertus* p. 258. Addit vero præterea, p. 260. ipſos Pauli adverſarios hac ſua criminatione Apoſtolo nihil aliud impingere voluiſſe, quam quod ipſe ſe conſueta docendi ratione ceteris Apoſtolis inferiorem eſſe demonſtret. Sententiam eorum his verbis repræſentat: *Quod Paulus ceteris Apoſtolis æqualis non ſit, patet ex ipſius docendi methodo. Reliqui Apoſtoli docent, tanquam qui auctoritatem nacti ſunt a Deo & ab ejus Spiritu. Paulus vero docet, tanquam qui auctoritatem a Deo non eſt nactus; utitur methodo docendi, quali uti ſolent, qui ſunt ἰδιῶται, h. e. qui nulla publica auctoritate pollent. Notum eſt,* ita pergit ex ſua ſententia *Honertus Græce doctis, ἰδιώτην dici Græcis, qui auctoritate publica inſtructus non eſt. Græci ſoliti fuerunt, ipſos Nobiles, quibus imperium erat deſtinatum, antequam illud capeſſerent, & dum adhuc* privatam *agebant vitam ἰδιώτας appellare.* In hanc cauſam affert *Æliani* Var. Hiſt. I. 29. IV. 5. & *Demoſthen.* Philipp. II. p. 60. Placent hæc ex noſtratibus *Alethæo* l. c. p. 250. *Starckio* in Notis Selectis p. 135. nec non *Amelio* in der Erörterung Tom. II. p. 89. ſqq. & Tom. I. p. 87. Pertinet huc, quod ἰδιῶται, etiam *cives* appellentur, τοῖς ξένοις ſive *peregrinis* oppoſiti. Vide *Ariſtophanis* Ranas v. 460. & ibi *Spanhemium*. *Longinus* περὶ ὕψυς §. 34. ἰδιώτας dicit τὺς τῦ ἰδίυ γένυς ἀθλητάς.

Mihi ſententiæ phraſeos intelligendæ optime conſuluiſſe videntur, qui de ſermonis habitu & indole eam accipiunt, ſed ita, ut affectatæ aliorum loquacitati opponatur. *Similis eſt Xenophontis locus* (legis verba Rev. *Raphelii* in Annotatt. Xenophoteis pag. 242.) *qui item ſe idiotam profitetur; non ſane, quod nulla in ipſo fuerit dicendi facultas aut elegantia, quam omnes tantam tamque mellifluam agnoſcunt, ut apis Attica ſit appellatus; ſed, quod non fuerit ventoſa iſta loquacitas, ut vocat Petronius, Sophiſtarum, qui levibus atque inanibus ſonis ludibria quædam excitando efficiebant, ut corpus orationis enervaretur & caderet; cum ipſius contra pudica, ut ita dicam, oratio non eſſet maculoſa, nec turgida, ſed naturali pulchritudine exſurgeret.* Accipe locum ex lib. de Venatione pag. 787. Ἐγὼ δὲ Ἰδιώτης μέν εἰμι - - Ἴσως ὖν τοῖς μὲν ὀνόμασιν ὐ σεσοφισμένως λέγω (ὐδὲ γὰρ ζητῶ τῦτο) ὧν δὲ δέονται εἰς ἀρετὴν οἱ καλῶς πεπαιδευμένοι ὀρθῶς ἐγνωσμένα ζητῶ λέγειν. Ὀνόματα μὲν γὰρ ὐκ ἂν παιδεύσειαν, γνῶμαι δὲ, εἰ καλῶς ἔχοιεν. *Equidem vulgaris homo ſum. - - Itaque verbis forſitan non eleganter (nam hæc non affecto) ſed recta cupio dicere præcepta, quibus ad virtutem bene educati juvenes utantur. Neque enim verba, ſed ſententiæ, ſi honeſtæ fuerint, vitam inſtituunt.* His *Raphelius* iſta ſubjungit: *Ut ergo Philoſophus noſter inanem verborum ſtrepitum libenter concedens Sophiſtis ſibi philoſophandi ſcientiam virtutumque diſciplinam vindicat: ita Apoſtolus, qui longiſſime aberat a Pſeudo-Apoſtolorum puerili*

rili

rili affectandæ eloquentiæ ſtudio, 1. *Corinth.* II. 1. *facile patiebatur, ſe vinci orationis fucoſæ artificio; rerum interim cognitionem ita ſibi aſſumens, ut ſe vel excellentiſſimis Apoſtolis æquaret.* Videatur idem in præfatione ad Annotatt. Herodoteas §. 7. ſq.

Hæc mihi præ ceteris probari non diffiteor. Paulus enim h. l. ſuum loquentis ſermonem alteri ſcribentis oppoſuiſſe, exiſtimari vix poteſt, cum ipſe hic τὸν λόγον opponat τῇ γνώσει, quæ ſane & loquenti coram & ſcribenti adeoque abſenti aderat. Compara, quæ in eandem ſententiam attulit Cl. *Elsnerus* pag. 158. qui inter cetera monet, apud *Sextum Empiricum* adv. Grammat. lib. I. cap. 3. pag. 230. eos, qui vulgari ſtilo, nulla arte exculto, utantur, ἰδιώτας appellari.

Proxime ad hos accedit Cl. *Jo. Chriſtoph. Harenbergius* in Bibliotheca Lubecenſi Vol. VIII. p. 612. ſqq. qui ἰδιώτην τῷ λόγῳ non *dicendi rudem, ſed illum, qui publicas oratorum Rhetorumque conſuetudines vitet*, indicare exiſtimat. Scilicet apud Græcos ἰδιῶται illis paſſim opponuntur, qui in publico munere verſantur, & ἰδιωτεύειν illi dicuntur, qui in privata vivendi ſorte acquieſcunt. Hinc p. 615. judicat, Paulum *munus ſuum publicum ejusque dignitatem debite adſtruere laboraſſe, ratione diſciplinæ cæleſtis, mortalium animo inſtillandæ, ita tamen, ut elocutionem non publici oratoris, ſed magiſtri, ſtilum planum, privato convenientem, ſimplicem, & meteoris vacuum ſibi tribueret.* Verba itaque Pauli ita παραφράζει: *Quamvis autem publicum oratorem non ago nec in modum oratorum, qui publice retulerunt facundiæ gloriam præmiumve, exiſtimationem inanem colligere laboro, & hac de cauſa, fini longe meliori intentus, ſimplicem ac nativam præfero orationem, divina majeſtate & veritate intrinſecus efficaci dignam, lenociniis contra & fuco vacuam; inde tamen minime ſequitur, me, ratione cognitionis ac diſciplinæ ſaluberrimæ, a perſonæ publicæ muneribus abeſſe: quin potius in omni loco erga ſingulos inter vos publicum obtutum & certamen ſubivimus.* Simile quid cogitaſſe video Cl. *Jo. Conradum Schvvarzium* in commentatione de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis pag. 43. *Nam ἰδιῶται*, inquit, *a Græcis ſæpe dicuntur ii, qui in civitatibus non ſunt magiſtratus. Magiſtratuum autem potiſſimum erat eloquentiſſime ſuadere vel diſſuadere. Atqui multi cives non ſunt magiſtratus, qui tamen idcirco vitioſe nec ſcribunt, nec loquuntur. Adde Ariſtotelem c. 22. de ſtilo idiotico, ad quem Stolbergius quoque provocat p.* 55. Colophonem dictis imponat *Alex. Mori* p. 143. epicriſis: *Non eſt ἰδιώτης τῷ λόγῳ, vel qui ſimplici & recta, non exculta & elaborata oratione utitur, licet ſapientia, ſcientiaque polleat; vel, qui nihil reconditum, nihil niſi vulgare, notum, familiare, pro concione ad populum affert, licet in ſcriptis cum vi & gravitate ſublimem doctrinam & γνῶσιν oſtendat.*

Ceterum de voce ἰδιώτης ex veterum uſu lege plura apud *Dougtæum* in Analectis N. T. Excurſu XLVII. & *Salmaſium* de Helleniſtica L. p. 260. ſq.

ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει) Vocem hanc bono quoque ſenſu accipi, ut ex ſacris literis alias conſtat; ita oſtenderunt quoque *Thomaſius* in Originibus Philoſophicis p. 39. & *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 598.

ἀλλ' ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς) Confer ſupra 2. *Cor.* V. 11. Cl. *Harenbergius* l. c. p. 617. hinc conficit: *Ita Paulus ſeſe, quatenus publicus*, φανερὸς, *erat doctor, ſibi ipſe opponit, quatenus erat remotus a publica oratorum, conſuetudine & norma, adeoque hoc quidem nomine inſtar privati.* Lege præterea ad v. 5. & 6. *Vrban. Chevræum* in Operibus miſcellaneis, gallice editis pag. 640.

Verſ. 7. ἐμαυτὸν ταπεινῶν, ἵνα ὑμεῖς ὑψωθῆτε) *Vulg.* & alii Interpretes reddunt; *me ipſum humilians, ut vos exaltemini.* Diſplicuit hoc *Nerveto*, Medico Gallo, ideo, quod hic ſenſus non conveniat cum ſequentibus, ubi Paulus probationis loco affert gratuitam Evangelii prædicationem a ſe ſuſceptam. Mavult itaque vertere: *ut vos ſublevemini*, per helleniſmum quendam. Enm vero natum putat ex Hebræo נשא, quod non *exaltandi* ſolum, ſed & *ſublevandi* notionem habeat. Fieri itaque facile potuiſſe, ut Helleniſtæ verbo ὑψοῦν, quod alias Hebræo נשא reſpondet, utramque hanc ſignificationem tribuerent. Vide Ephemerides Literarias Pariſ. an. 1727. Septembr. pag. 101. ed. Belgicæ. At fallitur procul dubio. In LXX. Interpretibus nusquam verbum ὑψοῦν vel ὑψωθῆναι de *ſublevatione* ejuſmodi, qualem hic vult, accipitur, quod tamen factum credi poſſet, ſi Helleniſtis hæc notio recepta fuiſſet. Imo iidem Græci Interpretes, ubi Hebr. נשא eo ſignificatu, de quo hic agitur, occurrit, alia voce Græca uſi ſunt, nempe vel ἀντιλαμβάνεσθαι vel ſimplici λαμβάνειν. Vide 1. *Regg.* IV. 11. & *Eſr.* I. 4. A conſueta *exaltandi* notione cur hic abeamus, cauſæ nihil eſt. Neque enim Paulus exaltationem Corinthiorum quærit in gratuito Evangelii præconio, ſed in eo, quod per præconium illud quærebat, h. e. in *elevatione per fidem ad Deum.* Sic & ταπείνωσις Pauli non abſolvebatur penuria, cui ſe libens ſubjiciebat, ſed aliis quoque capitibus, quæ ipſe comprehendit ſupra X. 1. dicens: ὃς κατὰ πρόσωπον μὲν ταπεινὸς ἐν ὑμῖν. Recte hic *Chryſoſtomus* τὸ, ταπεινῶν ἐμαυτὸν explicat per ἐν ξενοχωρίᾳ διήγαγον, & paulo poſt addit: Καὶ πῶς ὑψοῦντο οὗτοι, τούτου ὄντος ἐν ξενοχωρίᾳ; μᾶλλον ᾠκοδομοῦντο, καὶ οὐκ ἐσκανδαλίζοντο.

ὅτι δωρεὰν τὸ τοῦ Θεοῦ εὐαγγέλιον εὐηγγελισάμην ὑμῖν;) Lege huc Virringam de vetere Synagoga lib. III. Part. I. c. 18. p. 884. & *Amelium* Tom II. der Erörterung p. 118. ſqq.

Verſ 8. Ἄλλας ἐκκλησίας ἐσύλησα) *Alias Eccleſias ſpoliavi.* Hyperbolice hæc dici plerique cum *Glaſſio* in Rhetorica Sacra exiſtimant. At Celeb. *Val. Erneſtus Læſcherus* in Stromatibus, p. 38. obvertit, non abſolute hoc dici, ſed per objectionem & conſecutionem, hoc ſenſu: Si Corinthii ceteris Chriſti cœtibus beneficium acceptum non penſarent, tum ex ipſorum culpa ſtipendium, quod a ceteris acceperit, ſpolium futurum, vel aliquid Eccleſiis iſtis ereptum iri. Addit etiam, verba Pauli omnino per interrogationis modum legenda

da & accipienda eſſe. Interrogandi quidem notam hic locum habere poſſe vix exiſtimem. Quemadmodum enim illam non patitur poſterior hujus commatis pars, ita nec prior, cum qua hæc per τὸ ϰ̀ proxime conjungitur. Interim vero hæc in pudorem Corinthiorum dicta ſunt, & propterea Apoſtolus verbo graviori uſus videtur, ut eo vehementius illi percellerentur. Sic *Chryſoſtomus* ad hoc verbum: ἐνταῦθα λοιπὸν ὀνειδιστικῶς. Idem vero paulo poſt: ϰ̀ οὐκ εἶπεν, ἔλαβον, ἀλλὰ, ἐσύλησα· τουτέστιν ἐγύμνωσα, ϰ̀ πένητας αὐτοὺς ἐποίησα. Forte tamen, ſi quidem mitius interpretandum ſit verbum, dici poterat, τὸ συλᾶν Græcis olim eadem ratione uſurpatum fuiſſe, qua Germani hodie dicimus: **er hat ſich deſſen ſelbſt beraubet**, vel, **ich habe ihn deſſen beraubt**. Ceterum Philippenſes ſolos hic intelligi ex *Philip.* IV. 15. conficit *Lud. Cappellus* in Spicilegio pag. 104.

Λαβὼν ὀψώνιον) Vide ad 1. *Cor.* IX. 7.

Καὶ ὑστερηθεὶς) Omittit *Syrus*, ideoque ex Scholio ad marginem olim poſito, & ex v. 9. τὸ γὰρ ὑστέρημά μου primum nato, profectum putat *Millius* in Prolegomenis §. 1254. Eo autem omnino æque ad ſenſum opus eſt, hoc commate, quam quidem ſequente.

Οὐ κατενάρκησα οὐδενὸς) In hoc verbo illuſtrando diligens inprimis eſt *Stolbergius* in Exercitatt. Græcæ L. p. 119. *Eſt*, inquit, καταναρκᾶν *inſtar membri torpidi & inertis incumbere, gravare ac premere. Idcirco* Heſychius: ἐνάρκησα, ἐβάρυνα, gravavi, moleſtus fui, & Plutarchus *torporem a piſce inſpiratum* βαρύτητα ναρκώδη, gravitatem torpidam, *appellavit*, de ſolertia animi pag. 978. *Neque negligenda eſt in verbo hoc compoſito præpoſitio* κατὰ, *quæ ſæpe alteri aliquid adverſum, incommodum aut contrarium deſignat. Bene Vulgatus:* nemini oneroſus fui. Vere hæc ita dici tum ex aliis, ab ipſo allatis, tum ex v. 9. apparet, ubi Paulus ſe vocat ἀβαρῆ, ſicut 1. *Theſſal.* I. 9. negat ſe ἐπιβαρῆσαί τινα. Adde cetera, ibidem contra *Bezam* & *Heinſium* diſputata. Cum *Stolbergio* ſentit *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis N. T. voce: καταναρκάω. Præpoſitio κατὰ verbo juncta hic pertinere videtur ad vocem οὐδενὸς, inſtar objecti, reſpectu cujus obtorpuiſſe atque adeo illi moleſtus fuiſſe poterat. Lege de eodem verbo *Jo. Baptiſt. Cotelerium* ad Tom. II. Monumentorum Eccleſ. Græc. p. 653.

Ἀβαρῆ) Vide omnino *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates N. T. pag. 8. Pertinet huc illud Maimonidæ in *Jad chaſaka*, Tractatu *Mattenoth Anijim* cap. X. §. 19. *Quicunque opus habet, ut accipiat, quin potius affligit ſe ipſum, & tempora ſibi dura facit, & vitam degit miſeram, ut ſic* non ſit oneri Eccleſiæ (שלא יטריח על הצבור) *non morietur ex ſenectute, donec poſſit nutrire alios ex facultatibus ſuis.*

Ἐτήρησα ϰ̀ τηρήσω) *Æthiops* τὸ, ϰ̀ τηρήσω omiſit, quo nomine id ex v. 12. ὃ δὲ ποιῶ, ϰ̀ ποιήσω, forſan huc illatum putat *Millius* in Prolegom. §. 1216. Parum quidem convenienter. Neceſſe enim putabat Apoſtolus, ut adderet, ſe

nec

nec inpoſterum aliter inter ipſos, quos iterum viſurus erat, acturum, ne forte putarent, hæc ideo afferri, ut alios aliquando in ipſum ſe præſtarent.

Verſ. 10. ὅτι ἡ καύχησις αὕτη ἐ φραγήσεται εἰς ἐμὲ) Ita & Codd. MSS. & editiones pleræque. At *Rob. Stephanus*, eumque ſecuti *Plantinus* & *Millius*, quamvis depravationem agnoſcens, & origines ejus oſtendens, exhibent σφραγίσεται, mirante merito *Ludolpho Kuſtero* in præfat. ad novam N. T. Milliani editionem p. 6. Tueri quidem hanc lectionem conatur *Jac. Cappellus* in Obſervationibus p. 78. ſed vel ſic tamen alteram præfert. *Videlicet*, inquit, *σφραγίζω ſignificat idem propemodum, quod φράττω. Nam quod obſignatur, id occluditur, ut* Cant. IV. 42. ſcaturigo concluſa, fons obſignatus, *pro eodem ſumuntur. Tamen prior lectio φραγήσεται melior videtur altera. Alioquin dicendum fuerat potius σφραγισθήσεται, quam σφραγίσεται.*

Verſ. 12. Ἵνα ἐκκόψω τὴν ἀφορμὴν) Lege *Svicerum* Tom. I. p. 605.

Verſ. 13. Οἱ γὰρ τοιῦτοι ψευδαπόστολοι ἐργάται δόλιοι, μετασχηματιζόμενοι, κ. τ. λ.) Poſt vocem δόλιοι, στιγμὴ ponenda & verbum εἰσὶ ſubintelligendum eſt, hoc ſenſu: *Tales enim pſeudo-apoſtoli operarii doloſi ſunt, transfigurantes ſe.* Ita rectiſſime & interpunxit, & expoſuit *Eraſmus Schmidius*, poſt quem, ita agendum eſſe, contra Bezam oſtendit *Jo. Ericus Oſtermannus* in Diſp. III. de contextu Græco N. T. §. 7.

Verſ. 14. Αὐτὸς γὰρ ὁ Σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός) Conſule *Abrah. Calovii* Collationem Pſeudapoſtolorum & Calvinianorum Witteb. 1675. it. *Jo. Joach. Zentgravii*, *Jo. Schmidii* & *Jo. Kahleri* diſputationes de transfiguratione Satanæ in angelum lucis, illam Argentorati 1696. iſtam Lipſ. 1705. hanc Rinthelii 1713. habitas, nec non Rev. *Jo. Chriſtoph. Kochium* in Obſervatt. Miſcellan. Tom. II. pag. 558. Μετασχηματίζεσθαι eſt *aliam formam* aut *veſtitum induere.* Ita *Diodorus Siculus* lib. II. p. 92. μετασχηματισθῆναι τὸν τῦ σώματος τύπον εἰς ἰχθὺν dixit, quem locum cum ſimilibus aliis affert Cl. *Elsnerus* p. 160. Idem oſtendit, Paganos de dæmonibus ſuis perhibuiſſe, quod varias formas ſubire, inprimis vero Deorum & Angelorum formam & nomina ſibi imponere ſoleant, quo nomine *Porphirius* in ep. ad Ambonem, & περὶ ἀποχῆς lib. II. §. 39. commemorat γένος παντίμορφόν τε καὶ πολύτροπον, ὑποκρινόμενον καὶ Θεὺς καὶ δαίμονας καὶ ψυχὰς τεθνηκότων, *genus multiforme & varium, quod modo Deos ſimulat, modo Dæmonas, modo animos defunctorum.* De ejuſmodi dæmonum variis apparitionibus ex mente veterum Philoſophorum diligenter commentatur *Radulphus Cudvvorthus* in Syſtemate intellectuali univerſi lib. I. c. I. §. 19. ſqq. & alias. De callido illo Satanæ μετασχηματισμῷ lege Patrum libros apud Svicerum Tom. I. p. 852.

Verſ. 15. Οὐ μέγα ἐν) i. e. ἐ θαυμαστὸν, ut v. 14. Sic *Arrianus* Diſſert. Epictet. lib. II. c. 19. p. 218. καὶ ἐνταῦθα μὲν ὐδὲν μέγα τῆς ἱστορίας κρατεῖν. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 501.

Ὧν τὸ τέλος) i. e. μισθὸς, *merces*, *præmium.* Vide hic *Eraſm. Schmidium.*

Verſ.

Verſ. 16. *πάλιν λέγω, μήτις μὲ δόξῃ ἄφρονα εἶναι.*) Videntur hæc pugnare cum commate primo hujus capitis, ubi Apoſtolus diſerte ſibi tribuit *ἀφροσύνην*, quam hic amolitur, ſeque pro inſipiente haberi non cupit. Itaque *Mich. Mauduit*, Oratorii Pariſienſis quondam Presbyter, in Analyſi Epiſtolarum S. Pauli, gallice edita, Tom. I. Diſſert. VI. pag. 632. ſq. relatis aliorum ſententiis, conciliationem ita inſtituit, ut phraſin: *πάλιν λέγω*, ita convertat: *je me retracte, je dis maintenant tout le contraire*, i. e. *muto ſententiam, omnia alia nunc dico.* Sic Apoſtolus v. 1. ex Corinthiorum tantum, quibus *ἄφρων* videri poterat, ſententia, hic vero ex ſua loqui cenſendus erit. Id vero facere poterat nunc, cum de Pſeud-apoſtolis loqui vellet, vane & præter rem gloriantibus, & laudes captantibus, quas ipſe Paulus jure ſuo poterat exſpectare. Non exiſtimem, vel hanc conciliandi rationem optimam, vel in univerſum conciliatione opus eſſe. Non nego, *τὸ πάλιν* nonnunquam id Græcis denotare, quod in contrariam partem vel agitur, vel dicitur. Vide *Joh.* XVI. 28. *ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον.* Sic *Homerus* Iliad. *ι.* v. 56. *οὐδὲ πάλιν ἐρέει. Neque contradicet.* Conf. *Eraſmi Schmidii* notas ad *Joh.* XII. 22. At hic ſignificatus in Sacrorum Auctorum ſcriptis, & inprimis Pauli, qui hac particula frequenter utitur, rariſſimus eſt. Ipſe, quem modo dixi, *Schmidius*, quando in congerendis diverſis illius ſignificationibus diligentiſſimum ſe præſtat, duos tantum locos ex Paulinis epiſtolis produxit, nempe *Galat.* V. 3. & *Hebr.* V. 12. Sed utrinque dubium eſſe, an recte ita ſenſerit, ad locos illos oſtendemus. Nolim itaque ſignificatum frequentiſſimum cum altero, rarius obvio, etiam h. l. permutari. Paulus omnino reſpicit ad v. 1. & idem hic dicit, quod ibi dixerat. Dixerat autem de *ἀφροσύνῃ*, ea ſcilicet, quam ſibi non ſolum tributuri erant Corinthii, ſed tribuere etiam alii poterant, quibus & occaſio & modus, & finis gloriationis Paulinæ non ſatis eſſent perſpecta. Si quis enim ſine juſta cauſa & quaſi coactus, aut ſine rei fundamento, aut in vanam meritorum ſuorum oſtentationem laudesque ſuas excurrerit, ille merito ſuo pro vano atque adeo inſipiente habetur. Jam vero omnia alia in Paulo conſpiciebantur. Occaſio gloriandi illi dabatur a Pſeud-apoſtolis, non ſolum ſua ſuperciliose, ſed & cum præjudicio & fraude famæ Paulinæ, imo cum detrimento Corinthiorum venditantibus: v. 18. Illi nimium, Paulus non niſi id, quod ex vero dicere poterat, ſibi tribuebat. Conf. XII. 6. Illi ſuam tantum gloriam, (*κατὰ σάρκα* v. 18.) ſpectabant. Paulus vero id agebat, ut auctoritas muneris ſui Apoſtolici, &, qui hinc exſpectari poterat, fructus aliena oſtentatione non interverteretur aut deprimeretur. Qui hæc vel non noverant, vel, ſi noſſent, non perpendebant, illi inſipientiæ poſtulare Paulum poterant. Hoc autem cavere ſapienter vult Paulus, ideoque, ad ſuperiora rediturus, monet primo loco, ne quis *præceps* in ſuſpicionem vanitatis aut inſipientiæ ſe vocet, vel, ſi quidem id facere velit, ſaltem ſe toleret, atque idem ſibi integrum eſſe permittat, quod aliis non neget. Sic omnia ſibi puto conſtare.

Κἂν ὡς ἄφρονα δέξασθέ με) *Tanquam inſipientem recipite me*, i. e. tolerate, patienter audite. Sic Demetrius apud *Plutarchum* de Oracul. defectu pag. 412. verba facturus, quæ non omnes æquis animis audituros putabat: δέξασθε ἡμᾶς ἔφη - - καὶ ὅπως οὐ συνάξετε τὰς ὀφρῦς, σκοπεῖτε, *accipite nos, inquit, & ne ſupercilia contrabatis, videte.* Ita Cl. *Elſnerus* p. 162.

Verſ. 17. ὃ λαλῶ, οὐ λαλῶ κατὰ Κύριον) Quomodo hæc intelligenda ſint, oſtendit B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis.

Ἐν ταύτῃ τῇ ὑποςάσει τῆς καυχήσεως) Vide ſupra IX. 4. & adde exemplum ſignificatus illius, qui hic voci ὑπόςασις conſtat, in dicto quodam, quod Chriſti diſcipulis olim tributum fuit, apud diligentiſſimum *Fabricium* noſtrum in Codice Apocrypho N. T. Tom. I. p. 325.

Verſ. 18. Ἐπεὶ πολλοὶ καυχῶνται κατὰ σάρκα) Hic Paulus ſe ſatis diſtinguit a vanis illis thraſonibus, quando ſimpliciter, ſine illo additamento, κατὰ σάρκα, ait, κἀγὼ καυχήσομαι. Τὸ κατὰ σάρκα, tum modum, tum finem, tum etiam res ipſas, ſcilicet externas, de quibus illi gloriari ſolebant, infert. Poſtremum illud inprimis hic ſpectandum cenſent *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, & *Theophylactus*, quorum locos leges apud *Suicerum* Tom. II. p. 938. ſq. Quomodo interim Paulus, ſalva modeſtia, merita ſua tum hic tum alias prædicare potuerit, oſtendit *Jo. Steph. Menochius* in Trattenimenti eruditi Tomo I. p. 497. ſeq.

Verſ. 19. & ſequentes illuſtrant *Jo. Henr. Urſinus* in Meletematibus lib. II. pag. 307. ſeqq. & Cl. *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Part. I. pag. 108. ſeqq.

Verſ. 19. Ἡδέως γὰρ ἀνέχεσθε τῶν ἀφρόνων, φρόνιμοι ὄντες.) *Andr. Doumæus* in Prælectionibus ſuis in Demoſthenis Philippicam de Pace p. 78. ita hæc explicat: *Quis non videt, graviſſimam eſſe* εἰρωνείαν καὶ πολλῆς γέμειν βαρύτητος; *magis quam ſuperior locus prioris Epiſtolæ, quem citavimus. Eſt autem tale prorſus quale illud Demoſthenis:* εἴτε τις βούλεται νομίσαι μανίαν· μανία γὰρ ἴσως ἐςὶ τὸ ὑπὲρ δύναμίν τι ποιεῖν. *Hermogen.* πάνυ γὰρ βαρέως ἐνταῦθα τὴν φιλοτιμίαν ἑαυτοῦ μανίαν ὠνόμασε, *quum ſua ſponte, non juſſus choragi munus ſubiit: ſicuti Paulus* ἀφροσύνην τὴν ἑαυτοῦ καύχησιν, τὸ καυχᾶσθαι γάρ ἐςι φιλοτιμεῖσθαι.

Verſ. 20. Ἔιτις ὑμᾶς καταδουλοῖ) *ſi quis vos in ſervitutem redigit.* Sic *Diodorus* lib. I. pag. 61. τοὺς μὲν φονεύοντες, τοὺς δὲ καταδουλούμενοι τῶν καταπλεόντων, *nave appellentes vel morte, vel ſervitute multabant.* Vide Cl. *Elſnerum* pag. 163.

Ἔι τις λαμβάνει) Plerique hæc accipiunt de *rapina* ſeu *furto*. Inter hos eſt *Colomeſius* in Obſſ. Sacr. pag. 75. Et conſtat quidem verbo hæc ſignificatio alias. Vide *Apocal.* III. 11. & VI. 4. & *Mimantem* διαλέξει II. pag. 712. Opuſculorum Mythologic. Thomæ Galei. Neque tamen huic loco ſatis accommodata eſt, quemadmodum nec aliæ aliorum interpretationes ſufficere videntur. Eas diligenter attulit *Gatakerus* in Adverſariis Sacr. cap. XXVII. & ex eo

Sui-

Svicerus Tom. II. p. 209. ſq. & Cl. *Pet. Zornius* in Biblioth. Antiquario Exeget. Tom. I. p. 257. ſq. *Gatakerus* ſequitur *Andr. Dounæum*, qui vertit: *quæſtum facit.* Vide eum ad Chryſoſtomum in h. l. & in Prælectionibus ad Demoſthenis Philippicam p. 79. Eandem interpretationem amplectitur, & variis veterum locis firmat Cl. *Elsnerus* p. 163. Germani ſimiliter de homine largitionum & quæſtus cupido: **er nimmt.** Convenienter hæc omnino dicuntur, & locum facile tuentur. Prætulerim tamen eam, quam idem *Elsnerus* p. 164. affert, interpretationem, ut τὸ λαμβάνειν indicet *obnoxium ſibi aliquem facere.* Sic infra Paulus XII. 16. δόλῳ ὑμᾶς ἔλαβον. Ita ut ſentiam, eo inprimis adducor, quod ad phraſin εἴτις λαμβάνει, intelligenda & ἀπὸ κοινȣ̃ repetenda videatur ὑμᾶς, hac ſermonis ſtructura, εἴτις ὑμᾶς καταδȣλοῖ, εἴτις (ὑμᾶς) κατεσθίει, εἴτις (ὑμᾶς) λαμβάνει, εἴτις (καθ᾽ ὑμῶν) ἐπαίρεται, εἴτις ὑμᾶς εἰς πρόσωπον δέρει. Si hoc ponamus, illa *quæſtum faciendi* notio exulabit. Neque enim veteres dixerunt λαμβάνειν τινὰ, pro *quæſtum* ex aliquo *captare*, vel *facere.* Contra ab Auctoribus λαμβάνεσθαι dicitur, qui circumvenitur, & reti alterius quaſi capitur, arbitrio ipſius penitus relictus. Lege, quæ hanc in rem attulit *Joſ. Nerius* in Analectis, Tom. IV. Miſcellan. Italic. Rob. Gaudentii p. 587. Accipere *dicitur etiam*, inquit, *qui circumſcribit*, & accipi *qui circumſcribitur*, *l.* 7. §. *non ſolum D. de min. Ita & Græcis uſurpatum λαβεῖν. Sophocles Philoctet.* λέγω ἐγὼ δόλῳ Φιλοκτήτην λαβεῖν, dico tibi, dolo Philocteten eſſe circumveniendum Arrian. *diſſert. Epictet. lib. IV. c. ult.* ȣ̃τω καὶ ὑπὸ τῶν ςρατιωτῶν ἐν Ῥώμῃ οἱ προπετεῖς λαμβάνονται, hoc etiam modo Romæ a militibus capiuntur loquaces. *Ita ego quandoque opinabar, exponi poſſe verba illa ad* 2. *Cor.* XI. 20. εἴτις λαμβάνει. *Vetus Interpres*, ſi quis accipit. *Nihil melius*, & *video*, *id ipſum* Ambroſio *placere. Nam ad ea verba ita ſcribit:* accipere eſt, aliquem dolo capere, ideoque ſignificat, hos capi doloſis Magiſtris, & ferri, quo non expedit. *Sed plerique Interpretes referunt potius τὸ λαμβάνειν ad munera*, & *ad ea*, *quæ dentur*, *aut pendantur*, & *ſane*, *licet hac expoſitio difficilem ſenſum habere videatur*, *eam tamen defendere poſſumus*, *alia hujus verbi explicata notione.* Vide reliqua. Adde, quæ pro eadem hac interpretatione affert ex noſtratibus *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis. p. 135. inter cetera obſervans, Germanice hoc dici: **ſo euch jemand einnimmt.** Vnum hoc poterat obverti, quod τὸ λαμβάνειν hoc modo antecedenti καταδȣλȣ̃ν comprehendatur. Aliter vero puto ſtatuendum. Illud enim *dolo* fit, hoc vero *vi.* Imo οἱ καταδȣλωθέντες fraude etiam *duci* poſſunt ad id libenter faciendum, quod etiam coacti ægre & difficulter facerent. Si hoc non placeat, eodem jure dici poteſt, τὸ λαμβάνειν, ſi per *quæſtum facere*, interpreteris, τῷ κατεσθίειν etiam involvi.

εἴτις ὑμᾶς εἰς πρόσωπον δέρει) Nonnulli Codd. MSS. & editiones aliquot pro δέρει legunt δαίρει. Sed nihil eſt mutandum. Vide quæ ſcripſi ad *Marc.* XII. 3. & ſupra 1. *Cor.* IX. 26. Simili phraſi utitur Cilix ille apud *Philoſtratum* in Vita Apollonii VII. 23. pag. 303. ubi de eo, qui τȣ̀ς ἄρχοντας, οἳ εἰς τὰ ἔθνη Φοιτῶσι, μόνον ȣ̓κ ἐπὶ κόῤῥης παίει. Lege in notas B. *Godofr. Olearii*, obſer-

vantis, *κόῤῥην παίειν* proprie eſſe *caput* & *maxillas ferire*, hic autem proverbialiter uſurpari de illis, qui contemtim & ſervorum inſtar habentur, quos colaphis tundimus. *Steph. le Moyne* in Notis ad varia Sacra p. 555. ita *παραφράζει*: *Si quis vos habeat tanquam viles ſervos, vel tanquam mimos, qui in theatro ſolebant etiam ridiculi talibus plagis & colaphis eſſe obnoxii.*

Ad totum hoc comma, *μετὰ βαρύτητος* expreſſum, *Andr. Dounæus* l. c. p. 79. ſcite accommodat ſequens *Hermogenis* præceptum: *μάλιςα μὲν βαρὺς ὁ λόγος γίνεται, εἰ παρατιθείη τις τοὺς οὐδὲν τῇ μικρᾷ εὐεργετήσαντας, ἢ καὶ τοὐναντίον ἠδικηκότας, εἶτα τυχόντας, ὧν αὐτὸς οὐκ ἠξιώθη.*

Verſ. 21. *Κατὰ ἀτιμίαν λέγω*) *Mich. Mauduit* ad v. 16. laudatus, in Analyſi epiſtolarum Pauli in calce voluminis I. Diſſ. VII. pag. 636. relatis & confutatis aliorum ſententiis, ironice hæc a Paulo in Pſeud-Apoſtolos dici exiſtimat, hoc ſenſu: vos toleratis illos, qui vobis dominantur indigne: itaque tolerare me facilius poteſtis, qui tantum laudes meas vobis recito. Libenter illis in hoc ero inferior, ut ad eorum exemplum poteſtate mea non abutar, quamvis in ceteris illis nihil præcipuum relinquam.

Verſ. 22. *Ἑβραῖοί εἰσι; κἀγώ.*) Forma hac plurali unum falſum doctorem inter Corinthios hic, ut alias, peti exiſtimat *Lockius*, quia Paulus alias etiam de ſe in plurium numero loqui conſueverit. Non putem, id locum habere poſſe per comma 20. ubi ipſa illa diverſa prædicata ſatis clare indicare videntur, plurium Pſeudapoſtolorum mores & genium, variis modis in Corinthios proditum, depingi.

σπέρμα Ἀβραάμ εἰσι;) *Σπέρμα poſteros* infert non ex Hebraiſmo, ſed ex uſu externorum quoque Scriptorum. Vide *Pſochenium* de Linguæ Græc. N. T. puritate §. 109. & *Jo. Vorſtii* Philolog. Part. I. p. 66.

Verſ. 23. *παραφρονῶν λέγω*) Verbo *παραφρονεῖν*, quod in N. T. *ἅπαξ λεγόμενον* eſt, Attici paſſim utuntur. Vide Cl. *Elsnerum* p. 164. qui & videri jubet *Ezech. Spanhemium* ad Ariſtophanis Plutum initio. Adde *Lamb. Bos*, de eodem verbo ad eundem *Ariſtophanis* locum diligenter in Animadverſionibus ad Scriptores Græcos p. 1. ſqq. differentem, & ſpeciatim monentem; idem eſſe, quod, *ſapere præter*, vel, *aliter quam decet*, *h. e. deſipere.*

ὑπὲρ ἐγώ) *Amelotus* in verſione ſua Gallica expreſſit: *je le ſuis auſſi.* Et ego ſum. Innititur is lectioni Veleſianæ *καὶ ἐγώ*, quam alteri receptæ præferri cupit. Vide contra eum *Rich. Simonii* Hiſtoriam Criticam verſionum N. T. p. 376. Et repudianda ſane eſt hæc lectio, quam forte ideo Millius prorſus non recitavit. Apparet enim, Paulum gradationem quaſi quandam inſtituere, cumque antea ratione *gentis* & *religionis* ſe cum Pſeudapoſtolis illis ſimpliciter comparaſſet, nunc prærogativam ſibi quandam reſpectu *miniſterii* tribuere, quo & diligentior illis, & ærumnis plenior, fuerit functus. *Τὸ ὑπὲρ* elliptice hic dici volunt *Lamb. Bos* & *Elsnerus*, ut ſub intelligatur *ἐκείνους* vel *αὐτοὺς præſtantior illis.* Firmat id poſterior loco *Luciani* in Navigio Tomo I. p. 606. ubi Timolaus optat,

ſe

ſe εἶναι ὑπὲρ τὸν Ὑάκινθον. Satis hæc convenienter dicuntur. Exiſtimem tamen, τὸ ὑπὲρ abſolute hic poſitum, rectius pro adverbio haberi, hoc ſenſu: *excellentius ego ſum*, ſcilicet miniſter Chriſti. Ich bins mehr als ſie. Ita accepit *Eraſmus Schmidius*, vir Græce doctiſſimus. Ita & *Svidas* reſpectu ad h. l. habito, quem recte reſtituit *Boſius* l. c. legens: Ὑπὲρ, πλέον· καὶ ὁ Ἀπόστολος, ὑπὲρ ἐγὼ, ἀντὶ τοῦ πλέον ἐγώ. Nec aliter *Heſychius*: Ὑπὲρ, πρόθεσις, πολὺ, πλέον, λίαν. Ubi *Sopingius* in hoc Pauli loco legi vult ὑπερέχω. Sed ut ipſe dubium ſe profitetur; ita non facile quenquam adſentientem ſibi invenerit. Ut vero τὸ ὑπὲρ pro adverbio intendendi habeam, eo inprimis adducor, quod, quemadmodum antecedens κἀγὼ ſimpliciter comparationem tantum infert; ita hic quoque τὸ ὑπὲρ ἐγὼ, ſimpliciter præcellentia indicatur. Accedit, præcellentiæ illius generatim ſic ſignatæ, capita deinde per adverbia comparationis περισσοτέρως itidem exprimi. Idem eſt quod ſupra efficacius dixit: ὑπὲρ λίαν. Scripſeram hæc, cum vidi Cl. *Jo. Alberti* pag. 360. ſeq. idem ſentire. Idem ſenſit *Caſtalio* vertens: *magis ego*, & *Jac. Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebrææ p. 49. a. nec minus *Clericus* & *Beauſobrius* in verſionibus ſuis Gallicis. Sed hæc quidem tanti non ſunt.

ἐν φυλακαῖς περισσοτέρως) Paulus ſepties in vinculis fuiſſe teſtatur Clemens Romanus ep. I. ad Corinth. §. 5. Adde *Thomæ Ittigii* Selecta Capita Hiſt. Eccl. Sec. I. p. 469.

Verſ. 24. Ὑπὸ Ἰουδαίων πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν ἔλαβον) De *flagellatione* Judæorum in univerſum præcipiunt Magiſtri in Codice Talmudico *Maccoth* Tomo IV. Corporis Miſchnici Surenhuſiani, ad quem lege Interpretes, nominatim *Coccejum*. Ex Chriſtianis inſpice Interpretes, ad *Deut.* XXV. 3. tum vero *Buxtorfium* in ep. Dedicator. libri de Abbreviaturis & in Synagoga Judaica cap. 20. *Jo. Henr. Hottingerum* de uſu Scriptorum Hebr. in N. T. p. 403. ſq. Syntagmatis Rhenferdiani de Stilo N. T. (qui rationes diminuti ex quadraginta unius ictus, quas Judæi tradere ſolent, in *Grammaticas*, *Cabbaliſticas* & *Logicas* diſtinguit,) *Jo. Seldenum* de Succeſſione in Bona defunctorum p. 11. & *Campeg. Vitringam* in Archi Synagogo c. XVI. Ex noſtratibus conſule *Wilh. Schickhardum* de Jure Reg. Hebr. p. 144. *Matthiam Zimmermannum* in Analectis p. 407. *J. C. Wagenſeilium* ad Sota p. 1181. *Ægid. Strauchium* de ritu flagellandi apud Judæos. Vitemb. 1668. & *Jo. Jac. Seyppelium* de ritu flagellandi apud Romanos, ibid. 1668. Ex Pontificiis denique *Jo. Morinum* de Sacramento Pœnitentiæ p. 231. Hunc ſpeciatim locum ex Hebræorum ritibus expoſuerunt *Jo. Mich. Dilherrus* in Farragine rituum ſacrorum lib. II. p. 18. *Jo. Hilpertus* de Judæorum flagellandi ritibus, Helmſtad. 1652. & noviſſime Cl. *Jac. Henr. van Bashuyſen* in Diſputat. de flagellatione Pauli, Serveſtæ 1720. Adde *Theophil. Alethæum*, Tom. IV. pag. 405. ſqq. *Amelium* Parte II. pag. 62. præſtantiſſimum *Jo. Alb. Fabricium* in Bibliographia Antiquaria p. 500. edit. I. & ad Codicem Apocryphum N. T. Tom. I. p. 248. item Biblioth. Lubecenſ. Vol. II. p. 192.

παρὰ μίαν ἔλαβον) ſcilicet *πληγάς*. Ita plene *Xenophon* Cyropæd. lib. I. p. 10. *ἐπὶ μιᾷ ποτε δίκῃ πληγὰς ἔλαβον*. Vide Rev. Raphelii Annotatt. Xenophonteas p. 245. & *Lamb. Boſiuu* de Ellipſi p. 156. Itaque audiendus non eſt *Eraſm. Schmidius*, Interpres alioquin dexterrimus, quando ſubintelligere mavult *ἡμέραν*, eo ſenſu, ut Paulus quinquies alternis diebus quadraginta plagis, nulla plane remiſſa, cæſus crudeliſſime dicatur. Conſtat quidem eruditis, phraſin *παρὰ μίαν*, *δύο*, *τρεῖς* &c. nunc omiſſa, nunc addita voce *ἡμέρα*, ea ſignificatione Scriptoribus adhiberi, quod Rev. *Raphelius* aliquot *Polybii* & *Arriani* locis extra dubium collocavit in Annotatt. Polybianis p. 502. At idem vir doctiſſimus alteram, quam diximus, interpretationem recte præfert, cum, quod tot verberibus, intra tam paucos dies, & repetita quidem vice, ferendis Paulus par non fuiſſe videatur, tum, quod illum plagas diminuendi morem Judæis jam Joſephi ætate receptum fuiſſe ex Joſephi Antiquitatt. IV. c. 8. conſtet. Vide tu ad illum locum *Jo. Bapt. Ottium* Tom. I. edit. Havercampianæ pag. 315. Judæos etiamnum eundem 39. plagarum numerum in caſtigandis ſontibus adhibere, ſuo didicit exemplo *Vriel Acoſta*, qui diſceſſum a Judæis ſuum, acceptis totidem plagis, ſe luiſſe teſtatur in Vita ſua, quam *Limborchius* Colloquio cum erudito Judæo ſubjunxit, p. 350. Eandem phraſin, in argumento quamvis diſſimili, R. *Elias*, Scriptor Karæus, uſurpavit in *Addereth Eliiahu*, libro rariſſimo. Verba attulit *Jac. Triglandius* in Diſſertat. de Karæis p. 131. Doctores Kabbaliſticos ait præcipere, שהמבעיר והמכבה אחרת מארבעים אבות מלאכות פחות אחרת, *quod ſi quis accendat vel exſtinguat lampadas, faciat unam ex matricibus operum, quadraginta minus una.*

Verſ. 25. *Τρὶς ἐῤῥαβδίσθην, κ. τ. λ.*) De his momentis abunde præcipiunt Vitæ Paulinæ Scriptores.

ἅπαξ ἐλιθάσθην) Hinc patet, *τὸ λιθάζειν* non ſemper cum vitæ jactura fuiſſe conjunctum, quo ſenſu etiam Hebraicum סקל uſurpari oſtendit *Jac. Guſſetius*, in Commentariis L. Hebr. p. 777.

νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα) Per *τὸν βυθὸν* plerique Interpretes, veteres & recentiores, *mare* intelligunt, ſive in *profundo illo* exſtiterit Paulus, ſive fluctibus hinc inde in medio mari jactatus fuerit. Vide huc *Chryſoſtomi* & *Theodoreti* interpretationes apud *Svicerum* Tomo I. p. 718. Aliorum Patrum alias expoſitiones lege ibidem, & in *Eraſmi Schmidii* notis ad h. l. Atque hic quidem nihil interim definiens, de *carcere* accipi & de eo ſpeciatim intelligi poſſe exiſtimat, in quem Paulus cum Sila Philippis conjectus fuiſſe traditur *Actor* XVI. 24. Eandem ſententiam ſine dubitatione amplexus eſt *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 20. ſqq. quam & contra *Sam. Baſnagium* in Annalibus Politico-Eccleſiaſticis Tom. I. p. 675. adſtruere conatur ibidem p. 464. ſq. Accedit his partibus *A. A. Pagenſtecherus* in Diſſert. I. de Vſu Juris Romani in rebus Theolog. & Philolog. qui per *βυθὸν* tenebroſum aliquem carcerem, vel

præ-

præſentiſſimum vitæ periculum indicari opinatur. Urgent illi inprimis vocem βυθὸς non ſolum de *mari*, ſed & de aliis rebus profundioribus a Scriptoribus adhiberi. Ita *Lycophron*, quem affert *Schmidius*, v. 197. βυθὸν *fundum ollæ* appellat, qui locus propius huc facit, quam βάραθρον, quo nomine quendam Atheninſium carcerem inſignitum fuiſſe ex *Valeſio* ad Harpocrationem *Amelius* monet. Obvertitur præterea, ſi ita, ut fieri ſolet, res hæc capiatur, adeo illuſtre fore miraculum, ut ſilentio a Luca in Actis, in quibus tamen nihil ejusmodi occurrat, involutum eſſe credi non poſſit. At ſic etiam naufragii triplicis mentio fieri debebat, quod tamen non factum eſt, cum illud *Actor.* XXVII. tanquam poſt ſcriptam hanc epiſtolam exantlatum, huc non pertineat. Omitto alia, quæ novæ illi interpretationi oppoſita ſunt a M. *Chriſtiano Gottlieb Fiſchero* in diſput. Philolog. ſuper *Luc.* XVI. 21. & hunc locum in obſervationes Amelianas ſcripta, Regiomonti 1712. Mihi nullum eſt dubium, de maximo maris periculo hic agi. Id ſuadet proprius vocis ſignificatus: poſcit etiam *naufragium* proxime ante commemoratum. Nec refert, in profundo maris hæſiſſe Paulum, an fluctibus in medio mari jactatum exiſtimes. Si prius amplectaris, æque ſe potentem & providum Deus erga Apoſtolum præſtitit, ac in lapidatione, quam cum morte conjunctam fore non tam ſperabant adverſarii, quam certi erant *Actor.* XIV. 19. Poſterius tamen placuit Interpreti *Syro*, qui ita hæc vertit, ut Paulus *ſine nave in mari ſe fuiſſe* profiteatur. Adde *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. p. 192.

Τὸ ποιεῖν idem h. l. eſſe, quod *commorari*, patet. Alia exempla hujus notionis lege apud *Er. Schmidium* ad *Luc.* XI. 42. num. VI.

Verſ. 26. Κινδύνοις ποταμῶν, κ. τ. λ.) Elegantiſſimæ hujus anaphoræ exemplum ex *Arriani* Diſſertt. Epictet. lib. I. c. 25. affert Raphelius in Annotatt. Polybian. p. 503. Duo priora periculorum momenta *Ovidius* Triſtium lib. V. Eleg. 3. conjunxit, ita canens: *Multa prius pelago, multaque paſſus humo.*

Verſ. 28. Χωρὶς τῶν παρεκτὸς) ſcil. γενομένων. B. Lutherus: ohne was ſich ſonſt zuträget. Plerique Interpretes ita: præter ea, quæ extrinſecus ſunt, qui quidem τὰ παρεκτὸς cum τοῖς ἔξω vel ἔξωθεν confundunt. Rectius *Chryſoſtomus* per τὰ παραλειφθέντα, *quæ prætermittuntur*, quæ non enumerantur, interpretatur. Latini dicerent: *ut cetera omittam.* Τὸ παρεκτὸς exceptivam eſſe particulam patet ex *Matth.* V. 32. & *Actor.* XXVIII. 29. Confer *Ludov. Cappelli* Spicilegium pag. 105. qui tamen idem hic vult eſſe, quod χωρὶς τούτων *Theophraſti* in Characteribus Ethicis περὶ μεμψιμοιρίας, *præter ea, quæ ego enumeravi.* Et ſane particula χωρὶς modo iis additur, quæ prætereuntur, modo iis, quæ antecedentibus ſubnectuntur. Exempla utriuſque uſus habes apud Rev. *Raphelium* in Annotatt. Polybian. pag. 503. Malim ego prius, cum procul dubio plura commemorare potuiſſet Paulus, quam quorum fecerat mentionem.

ἢ ἐπι-

ἡ ἐπισύστασις μου) vox hæc ex verbo *ἐπισυνίσταμαι*, *coëo*, infert *coitionem.* Ea vero vel turbulenta eſt, & ſeditioſa, vel amica. Prioris exemplum exſtat *Actor.* XXIV. 12. cujusmodi plura habes apud *Lamb. Bos* in Animadverſionibus ad Scriptores Græcos p. 117. Poſterior vero notio hic tenenda eſt, ut ſcilicet frequens & quotidiana compellatio innuatur. *Lutherus* egregie, & ad vocem ipſam accommodate: **daß ich täglich werde angelauffen.** *Theophylactus* quidem *τὸν κατὰ συστάσεως γινόμενον δῆμον* intelligit. *At cum σύστασις generaliori ſenſu pro cœtu & conventu uſurpetur, eo tutius etiam ἐπισύστασις de eadem coitione & ſodalitio, & quidem frequentiori & proximiori vi præpoſ. ἐπὶ capi poteſt: cœtus enim hominum, nihil ſiniſtri molientium, Xenophonti dicitur* (*Hipparch.*) *σύστασις ἀνθρώπων. Sic & Polluci καπήλων σύστασις eſt αὐτῶν συνάθροισμα,* **zuſammenkunfft der Krämer.** *Eſt quoque congreſſus & colloquium, ſine ſeditionis nota, ut notatur apud Plutarchum Themiſtocle: τῷ Θεμιστοκλεῖ τὴν πρὸς βασιλέα ἔντευξιν καὶ σύστασιν γενέσθαι. Quomodo & h. l. intelligi poteſt, quando Paulus ſtudioſe excepit, atque in contubernium admiſit quosvis ſe compellantes & conſulentes.* Hæc erudite commentatur *J. C. Dietericus* in Antiquitat. Biblicis N. T. pag. 321. & æque ut puto, vere. Turbulenta & periculoſa coitio Paulo *quotidie* intentata dici non poteſt: familiaris vero & amica *incurſio* (quam Germani **überlauffen** dicimus) cum temporis diſpendio, & animi turbatione conjuncta vel a commemorata mox *μεριμνα τῶν ἐκκλησιῶν* ſtabilitur.

Verſ. 29. *Καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι*) *Chryſoſtomus* & cum eo alii Patres per *ὑπερβολὴν τῆς ὀδύνης*, *vehementiam doloris* interpretantur. Vide *Svicerum* Tomo II. p. 896. De verbo hoc lege plura in *Gatakeri* Adverſariis cap. XLIV. & apud *Picinellum* ex Latinis Auctoribus differentem p. 703.

Verſ. 31. *ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας*) Elogium hoc de Patre hic non *δοξολογικῶς*, ſed *adſertive*, & congruenter ad illud Judæis ſolemne, הקדוש ברוך הוא affertur. Conf. Rev. *G. G. Zeltnerum* in Hiſtor. Crypto-Sociniſmi Altorf. pag. 901. qui hoc loco ad illuſtrandum parallelum & huic prorſus ſimilem *Rom.* IX. 5. ubi eadem formula de Chriſto, Domino noſtro, adhibetur, & a Socinianorum ſtrophis vindicandum utitur.

Verſ. 32. *Ἐν Δαμασκῷ ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως ἐφρούρει τὴν Δαμασκηνῶν πόλιν*) Difficillima explicatu hæc verba ſunt, cum conſtet, Syriam Damaſcenam per Pompeium M., finito Mithridatico bello, in Romanorum poteſtatem fuiſſe redactam, neque aliunde intelligatur, Arabas, fugatis Romanis, Damaſcum cepiſſe. Attulit huc nonnulla *Chriſtoph. Cellarius* Diſſertat. VII. Academica, qui cum aliis cenſet, eundem hic Aretam innui, de quo Joſephus lib. XVI. Antt. cap. 16. & 17. Hæc vero conjectura veri non videtur ſimilis Cl. *Guilielmo Jameſon*, Prælectori quondam Hiſtoriarum in Univerſitate Glasguenſi. Accipe verba ejus ex Spicilegiis Antiquitatum Ægypti atque ei vicinarum gentium, Glasguæ 1720. 8. editis, pag. 150. *Non valde probabile eſt*, inquit, *eſſe eundem Aretam; non omnibus expenſis deprehendetur,*

Are-

Aretas ante plures annos ante C. N. uſurpaſſe regnum. Et Paulus converſus eſt, ut probat πολυμαθέστατος *Spanhemius F. in Diſſertat. de æra Converſionis Paulinæ, ultimo anno Caligulæ; quod temporis intervallum conficit ad minimum ultra* 40. *annos. Adde his annos, quos regnavit Aretas ante Salvatorem natum, & fatebere, nequaquam probabile eſſe, tantum temporis Aretam regnaſſe. Deinde is Aretas, cujus præfectus Paulum capturus erat, omnium conſenſu idem eſt, qui Herodis Antipæ ultimo anno Tiberii copias fuderat: ſaltem negari non debet. Et proinde non potuit, ut Cellarius ſupponit, cum Romanorum conſenſu imperitaſſe Damaſco. Denique vir doctus, neſcio quo modo, ſe fefellit: nam de Auguſto concedente Damaſcum Aretæ, ne vel* γρῦ *habet Flavius. Conſule capita ab illo citata.* Non magis eidem placent, quæ Interpretes ad hæc Pauli verba ex *Juſtini* Dialogo cum Tryphone pag. 305. & *Tertulliano* lib. III. adverſ. Marcionem cap. 13. afferunt. *Sed hæc*, inquit, *quæ Juſtinus & Tertullianus dicunt, etiamſi vera eſſent, ut revera ſunt falſa;* (petita enim illa putat ex falſa interpretatione commatis 8. capitis VII. Jeſaiæ) *difficultatem minime ſolvunt.* Propterea alia via rem aggreditur p. 152. *Aretas*, inquit, *propter repudiatam filiam Herodis uxorem, hoſtis ei evaſit, atque, orto inter eos bello, Herodis copias internecione delevit, ut ſcribit Joſephus lib.* XVIII. cap. 7. Hæc Herodes per literas Tiberio ſignificat. Ille vero, indigne ferens Aretæ audaciam, ſcribit Vitellio, ut ei bellum inferat, aut & vivum captum abducat, aut occiſi caput ad ſe mittat. *Strenue ſeſe ad bellum parabat Vitellius, & cum exercitu ſatis inſtructo profectus eſt ad invadendum Araba. Sed dum Hieroſolymis in itinere aliquandiu hæſit, acceptis literis de obitu Tiberii, revocatas ex itinere copias in hyberna dimiſit. Atque ita Arabs liberatus eſt bello admodum formidabili. Quum igitur Aretas obiiſſe Tiberium didiciſſet, ut opinor, recenti elatus victoria in Syriam irruit ex improviſo, & cepit Damaſcum, quam impoſito præſidio aliquandiu tenuit. Stolidus namque & vecors erat ſucceſſor Tiberii Caligula, qui, ut ſcribit* Svetonius, *in vita ejus, cap.* 43. militiam reſque bellicas ſemel attigit, neque ex deſtinato. *Similia habet* Dio Caſſius lib. LIX. ἐλθὼν δὲ ἐκεῖνος τῶν πολεμίων οὐδένα ἐκάκωσεν &c. Obverti poterat Hiſtoricorum & *Joſephi* ſilentium. Sed reſpondet pag. 153. id mirum videri non debere, cum Hiſtorici rerum Romanarum, de caſibus Imperii minus ſoliciti, in enarrandis virtutibus aut vitiis Imperatorum occupati tantum fuerint, ſicut nec ingentis cladis, quam Herodes Antipas, Romano Imperio ſubditus, acceperit, meminerint. Joſephum vero ait eas tantum res, quæ ad Judæos ſpectent, deſcripſiſſe. Hæc ex libro, rarius in oris noſtris obvio, huc tranſcribere pluribus conſultum duxi, ut eruditis naſcatur occaſio de hoc argumento amplius cogitandi, qua quidem opera nobis jam defungi non licet. B. *Godof. Olearius* in Notis MSS. ita: Ἐθνάρχης mihi videtur fuiſſe Magiſtratus indigenarum, qui ſecundum leges Syrorum, Syros, αὐτονομίαν habentes, judicaret. Alias enim non amplius Reges habebat Syria. Forte igitur optimum, ut Ἀρέτα ſit nomen ἐθνάρχου ipſius Principis indigenarum, & per

βασιλέα Imperator Romanus intelligatur. Ita *Olearius*. At conjecturæ huïc obſtat, quod ἐθνάρχης ille in caſu recto non Ἀρέτα, ſed Ἀρέτας, ad exemplum Joſephi & aliorum Scriptorum vocari debuerit; quodque præterea vox βασιλεὺς in Sacris literis nunquam de Imperatore Romanorum adhibeatur, qui Καῖσαρ potius appelletur. Lege interim de Areta commentatores Joſephi, & *Chriſtian. Noldium* in Hiſtoria Idumæa, quæ recuſa exſtat in *Thomæ Crenii* Faſce IV. Exercitationum, p. 430. 575. ſqq. De nomine Ἀρέτας, non Ἀρετᾶς in recto caſu efferendo, vide contra Camerarium ad h. l. *Er. Schmidium*; alia vero apud *Aug. Pfeiferum*, in Locis Hebr. & Exotic. N. T. p. 503. Opp. Critic.

Ἐθνάρχου nomen Hyrcano, & Archelao, Herodis filio, a Romanis datum, idemque ſub C Politianis Imperatoribus retentum fuiſſe oſtendit *Ezech. Spanhemius* de Uſu & præſtantia Numiſmatum p. 447. edit. in 4.

Verſ. 33. Ἐν σαργάνῃ ἐχαλάσθην) Σαργάνην eſſe κόφινον monet *Caſaubonus* in Caſaubonianis p. 75. & ſimilem hiſtoriam legi ait apud Cedrenum p. 545. & Zonaram III. 166. Adde *Gatakeri* Opera Critica p. 29.

Καὶ ἐξέφυγον τὰς χεῖρας αὐτοῦ) *Polybius* lib. IV. p. 1424. οὐ μὴν ἀλλ' ἐὰν καὶ τὰς τούτων διαφυγώσει χεῖρας, τάς γε δὴ τῶν παρασπονδηθέντων οὐ ῥαδίως ἐκφυγγανοῦσιν.

CAPUT XII.

VErſ. I. Καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι) Codd. aliquot MSS. legunt pro δὴ verbum δεῖ, & nonnulli eorum ad abſolvendam ſententiam τῷ καυχᾶσθαι præmittunt εἰ, hoc ſenſu: *ſi gloriari fas eſt, mihi tamen non expedit.* Facile apparet, τὸ δεῖ illud ex errore librarii, τὸ δὴ per affinem alteri illi in pronunciando ſonum in δεῖ commutantis, ortum eſſe. Quod cum per ſe obvium ſenſum fundere nonnullis videretur, illi id non ſolum retinuerunt, ſed conſultum etiam textui putarunt, ſi τὸ εἰ præfigeretur, aut τὸ, μοι, poſtremum in μὲν mutaretur. Conf. *Millium* ad h. l. Et vel ſic tamen corrupta hæc lectio probabilior viſa eſt *Jo. Lockio* in commentar. ad h. l. Provocat ille ad v. 30. capitis XI. Εἰ καυχᾶσθαι δεῖ, τὰ τῆς ἀσθενείας μου καυχήσομαι. At ipſa hæc vocum ſtructura longe alia eſt, quam quæ in noſtro commate obſervatur. In illa enim ἀπόδοσις egregie reſpondet προτάσει, in hac vero non item. Hinc neceſſe fuit, ut *Lockius* προτάσει, quam hic fingit per admiſſum εἰ, conſuleret ſupplemento quodam: *ſi gloriari debeo* veſtri cauſa, *mihi quidem non expedit.* Intelligenti non obſcurum eſt, orationem, qualis nunc plerorumque Codicum auctoritate exſtat, longe expeditius fluere. Τὸ δὴ idem hic eſt, quod *ſane, omnino*, quod Lutherus per ja recte expreſſit. Ita vero & *Herodotum* lib. I. pag. 53. loqui, oſtendit Rev. *Raphelius* p. 502.

Ἐλεύσομαι γὰρ εἰς ὀπτασίας) *veniam enim ad viſiones.* Τὸ εἰς vel ἐν ab *Herodoto* pro *ad* poni, nec minus ἔρχομαι eodem, quo hic, ſenſu adhiberi, oſten-

oſtendit idem p. 503. Ita p. 192. ὡς ἐς τὸν οἶνον ἀπίκετο, *cum ad ſermonem de vino pervenit:* & p. 115. ἔρχομαι δὲ περὶ Αἰγύπτȣ μηκυνέων τὸν λόγον.

Verſ. 2. Οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριςῷ πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων) Quomodo hi 14. anni computandi ſint, & quo proinde anno hæc viſio Paulo ſit oblata, diligenter diſquirit Cl. *Jo. Chriſtoph. Harenbergius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VII. p. 886. ſqq. Adde *Herm. Witſium* in Meletematibus Leidenſ. p. 28. ſqq. & 42. ſqq. tum vero *Sam. Basnagium* adverſus Baronium pag. 696. *Jo. Pearſonum* in Annalibus Paulinis p. 6. & *Tillemontium* in Vita Pauli, Memoriis Hiſtoriæ Eccleſiaſt. inſerta, cap. IX. Plerique eam in A. C. XLIV. *Harenbergius* autem l. c. in XXXVII. referunt.

εἴτε ἐν σώματι, ȣ̓κ οἶδα, εἴτε ἐκτὸς τȣ̃ σώματος, ȣ̓κ οἶδα) Vide huc inter ceteros poſtea afferendos Rev. *Zeltnerum* ad epiſtolas *Ruari* nuper cum ejus hiſtoria Crypto-Socinismi Altorfini editas p. 594.

ὁ Θεὸς οἶδεν) Lege *Andr. Schotti* Adagialia N. T. p. 124.

ἁρπαγέντα τὸν τοιȣ̃τον) Τὸν τοιȣ̃τον pleonaſmo, Hebræis recepto, addi affirmat *Beza* ad h. l. Ejuſmodi vero exempla fere innumera apud *Herodotum* dari, v. c. l. V. p. 341. & pag. 344. obſervat *Raphelius* pag. 503. De raptu hoc Paulino & παρακειμένοις illius, hic commemoratis, legantur ſingulares diſſertationes noſtratium. *Jo. Olearii & Seb. Kirchmaieri*, utraque in Theſauro Theolog. Philologico Diſputatt. recuſa Tom. II. pag. 587. & 596. tum vero *Jo. Adami Oſiandri*, Tubing. 1662. *Henr. Wilh. Hervvarti*, Martisburgi 1671. itemque *Wagenſeilium* ad Sota pag. 126. *Val. Henr. Voglerum* de rebus naturalibus pag. 353. ſqq. & Cl. *Jo. Chriſtoph. Harenbergium* Claſſ. VI. pag. 611. ſqq. Ex Reformatis Doctoribus huc faciunt *G. J. Voſſius* Tomo V. Operum pag. 30. b. *Gotthardus Heideggerus* in Recreationibus Sacris Parte II. pag. 43-126. *Herman. Witſius* in Miſcellaneis lib. IV. pag. 24. ſqq. & in Meletematibus Leidenſibus pag. 28. noviſſime autem *Jo. Marckius* in diſputat. Lugd. Batav. 1711. edita & in Sylloge Diſſertationum Roterod. 1721. num. XXIV. recuſa. Ex Pontificiis denique *Jo. Steph. Menochius* in Trattenimenti eruditi Parte IV. pag. 519.

ἕως τρίτȣ ȣ̓ρανȣ̃) De tertio hoc cœlo Patrum ſententias lege apud *Suicerum* Tom. II. pag. 521. Adde illis *Anaſtaſii* Sinaitæ locum in Caſaubonianis pag. 77. a me nonnihil illuſtratum pag. 286. Undecim de illo ſententias collegit *David Herlicius* in calce librorum II. de Academiis totius mundi, Gryphiſw. 1592. Exſtaſeos ejuſmodi exempla ex Talmude afferuntur a B. *Scheidio*, in Biblioth. Lubecenſ. Vol. II. pag. 197. Alia de aliis recitat Cl. *Elsnerus* pag. 165. Vide etiam Rev. *Henr. Scharbau* Obſervatt. Sacras p. 98. Pungere hunc Pauli locum pleriſque videtur auctor Philopatridis, qui Luciano ſolet tribui, p. 133. edit. curatiſſimæ Cl. Geſneri, quem ibi vide.

καὶ ἤκȣσεν ἄῤῥητα ῥήματα) Pertinet huc ſingularis diſſertatio B. *Jo. Fechtii* de verbis Pauli ineffabilibus, Roſtoch. 1706. Τὸ ἄῤῥητον triplici potiſſimum differentia uſurpatur, ut denotet 1) id, quod dictum non eſt, 2) quod

non debet dici, ſive id leges prohibeant, ſive pudor. 3) quod dici non poteſt. Singulas has notiones idoneis partim *Herodoti*, partim aliorum, locis firmat Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 504. ſqq. In iisdem evolvendis curate quoque verſatur *Vitringa* lib. III. Obſſ. Sacrarum cap. 20. p. 283. Ipſe quidem cum *Camerone* exiſtimat, indicari hic dicta non *ineffabilia* quidem in ſe, ſed talia, *quæ nec dicta* ſint hactenus, nec ulli *homini ſint enarranda.* Sic & Cl. *Elsnerus* pag. 166. de illis accipit, quæ dicere nefas, ut, quæ ſequuntur, ἃ ὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, pro interpretatione τῶν ἀῤῥήτων habeantur. Viciſſim *Jo. Marckius* in Diſputatione laudata exiſtimat, *Vitringam* l. c. (hunc enim procul dubio per auctorem Obſervationum Sacrarum intelligit) verbi hujus vim & ſignificatum non exhauſiſſe. Ex noſtratibus quoque plerique, nominatim *Calovius* in Bibl. Illuſtratis, contra Cameronem diſputans, & *Raphelius* l. c. de iis accipiunt, quæ ediſſeri non poſſunt. Atque hunc ſignificatum & ipſe tenere malim. Notio enim hæc voci omnino conſtat. *Heſychius* ἄῤῥητον reddidit per ἀπόῤῥητον, ἀπόῤῥητοι vero eidem ſunt ἄφραστοι, ῥηθῆναι μὴ δυνάμενοι, & ἀπόῤῥητα, ἀνεκλάλητα. Sic & *Moſchopulo* τὸ ἄῤῥητον eſt τὸ μὴ δυνατὸν ῥηθῆναι. Vide Cl. *Jo. Alberti* p. 310. Obſſ. Sacr. Τό ἄῤῥητον idem hic eſt, quod ἀλάλητον, Rom. VIII. 26. ubi vide ſcripta; vel ἀνεκλάλητον Petri 1. ep. I. 8.

Tertium ſignificatum, nempe quo *indicta*, & *inaudita* infert, hic præferri & ad Sacra Gentilium Eleuſinia &c. reſpici vult Cl. *Harenbergius* l. c. p. 626.

ἃ ὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλεῖν) Τὸ ἐξὸν proprie dicunt Græci, quod per leges aut mores licet, aut quicquid quibuscunque ex rationibus permiſſum eſt, licet ſemper non ſit noſtrarum virium. Neque tamen hæc ſignificatio perpetua eſt, ceu pluribus *Xenophontis* locis oſtendit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis pag. 246. ſqq. qui tandem pag. 250. Apoſtoli ſententiam ita exprimit: *Non licet, non datum hoc eſt a Deo homini, qui, utcunque ſit in aliis rebus eloquens, in cœleſtibus certe balbus, vel potius infans & mutus eſt.* Nec ipſe dubito, *impotentiam* hominis, atque adeo ipſius Pauli, in quantum homo erat, hic innui, per quam non *licebat* eloqui, quæ audiviſſet. Conf. *Jo. Buxtorfii* Catalecta p. 236. In alia hic abit Cl. *Harenbergius*, qui l. c. p. 624. ex iis, quæ ante fuſius commentatus erat, hanc denique totius commatis paraphraſin nectit: *Singulari me Deus dignatus eſt revelatione, quatuordecim abhinc annis, quippe quem, naturali animi corporiſque ſtatu dimotum, interno implevit afflatu, clariſſima & maxime ſublimi revelatione me docens, primarium Apoſtolum & Chriſtianum, gentium ad Chriſtum citra ceremonias Judaicas converſionem, maximum myſterium, & ab orbe condito huc usque non vulgatum, ſed* ἄῤῥητον, *quod non licebat nudo homini, ſed initiato, ſummoque Apoſtolo eloqui.* Erudite, fateor, ſed ſubtilius, hæc cogitantur, atque iis ſuperſtruuntur, quæ huc dum non ſatis a viro docto video firmata. Inter ea id inprimis numero, quod ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ p. 627. pro *homine viliori non renato*, accipi vult, in oppoſitione ad *hominem per Chriſtum Gal.* I. 1.

Com-

Comma hoc occaſionem procul dubio fecit, fingendi, & Paulino nomine inſcribendi libros a veteribus hæreticis ſub titulo Ἀναβατικȣ̃ & Ἀποκαλύψεων jactatos. De his lege præſtantiſſimum *Fabricium* noſtrum in Codice Apocrypho N. T. p. 943. ſqq. Cordatiores vel ex ipſa hac phraſi Paulina intellexerunt, & intelligere reliqui poterant, fraudem hic factam eſſe. Qui enim deſcriberet Paulus, quod enunciari vel *poſſe*, vel *debere* ipſe negaverat? Non magis probari debent illi, qui ex hoc loco dicere conſueverunt, Paulum Theologiam ſuam in tertio cœlo didiciſſe. Diſputat rectiſſime contra eos Rev. *Schamelius* de formulis caute loquendi p. 1. ſqq.

Verſ. 5-9. ab abuſu profanorum hominum vindicantur a *Spenero* in Vindiciis locorum Scripturæ Sacræ, germanice editis, p. 332. ſqq.

Ἐν ταῖς ἀσθενείαις μȣ) *de adflictionibus meis*, quæ ſcilicet antea erant enarratæ. Confer *Spenerum* l. c. & Patres apud *Suicerum* Tom. I. p. 547.

Verſ. 6. Μήτις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με, ἢ ἀκȣ́ει τι ἐξ ἐμȣ̃) Diſplicent hæc Auctori Anglo duarum epiſtolarum de nova N. T. editione, quam *Rich. Bentlejus*, vir doctiſſimus, olim parabat. Itaque ea ſic audacter refingit: μήτις ἐμὲ λογίσηται, ὑπὲρ ὃ βλέπει εἰς ἐμὲ, ἢ τι ἀκȣ́ει ἐξ ἐμȣ̃, quæ quidem ita convertit: *abſtineo autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut* ſupra *quid audit ex me.* Fraudi illi inprimis fuit phraſis λογίσηται εἰς ἐμὲ, cum Paulus alibi ſcribere ſoleat λογίζεσθαί τι aut τινά. Subjiciam his, quæ Cl. *Jo. Henr. Majus*, vir Græce peritiſſimus, illi oppoſuit in Vindiciis Græcæ veritatis ſtilique Apoſtolici p. 18. ſq. Εἰς ἐμὲ, ait, *hoc loco dictum pro* περὶ ἐμȣ̃ *ex ſolemni præpoſitionum iſtarum permutatione. Vide* Matth. VI. 34. *coll. cum* v. 28. Actor. II. 25. Eph. V. 32. *Ulterius animadverte, quam graviter impingat in Græcum dicendi genus, committatque vitium, quod Sanctiſſimo Apoſtolo adſcribere haud erubuit. Quando enim V. C. verba ſic ordinat, atque hanc ſeriem orationis nobis obtrudit:* ὑπὲρ ὃ βλέπει ἐμὲ ἢ ὑπέρ τι ἀκȣ́ει ἐξ ἐμȣ̃, *duplex peccatum Grammaticale committit. Dici quippe debet* ὑπὲρ ὃ βλέπει, *non vero* ὑπὲρ ὅ, *quod tamen geminata vice ſcripſit Noſter. Tum quis diceret* ὑπέρ τι ἀκȣ́ει, *quod minime Græcum eſt, ſed egregia Syntaxis ex Solonis urbe. Etenim dicendum eſt vel ſimpliciter,* ὑπὲρ ὅ ἀκȣ́ει, *vel addito* τι, ὑπὲρ ὅ, τι ἀκȣ́ει, *non omiſſo ſigno* τῆς ὑποδιαστολῆς, *vel etiam* ὑπὲρ τȣ̃το ὃ ἀκȣ́ει. Addo his, τὸ εἰς ἐμὲ, idem hic eſſe, quod Latine dixeris, *quod ad me ſpectat*, hoc ſenſu, ne quis de me rebusque meis præclarius ſentiat. Hanc enim notionem habet paſſim τὸ εἰς ἐμέ. Huc pertinet phraſis εἰς τὰ πολεμικὰ καταφρονεῖσθαι, *quantum ad rem militarem attinet, contemni.* Vide *Vigerium* de Idiotiſmis p. 473. Similiter *Pauſanias:* τὰ μὲν εἰς Μέδȣσαν ȣ̃τως ἔχει, *ea quæ ad Meduſam attinent*, quod affert *Devarius* de Particulis Græcæ linguæ p. 125. Idem eſt, ac ſi Paulus ſcripſiſſet: Μήτις τὰ εἰς ἐμὲ λογίσηται. Sic 1. Cor. III. 5. ait λογίσασθαι τι & *Philip.* III. 13. ταῦτα λογίζεσθε.

Verſ. 7. Ἐδόθη μοὶ σκόλοψ ἐν σαρκί) De *palo* illo Pauli, quem Zeltnerus recte *crucem Criticorum* vocat, lege ex noſtratibus ſingulares diſſertationes *Chriſt. Heinſii*, Witteb. 1697. *Seb. Kirchmaieri*, in Theſauro Diſputatt. Theologico

logico Tom. II. p. 596. recuſam, *Jo. Godofr. Lakemacheri*, ſeorſim primum Helmſtad. 1722. editam, hinc Bibliothecæ Bremenſi Claſſ. VI. p. 635. ſqq. ac denique Auctoris doctiſſimi Obſervationibus Philol. Part. I. p. 109. inſertam, *Jo. Henr. Maji* Obſſ. Sacr. lib. IV. p. 77. *Guſtavi Georg. Zeltneri*, Altorf. 1707. & *Wilh. Zeſchii* Jenæ 1681. Adde *Georg. Vechneri* libellum ſingularem, ſine mentione loci 1678. 8. editum ſub tit. Σκόλοψ *ſeu paulus Pauli ex alluſione*, & *vocis Chaldaicæ* דרבן, *qua ſtimulus alias vocatur*, *ſignificatione oſtenſus*, *Amelium* part. II. p. 601. *Joſ. Arndii* Miſcell. pag. 21. Wolfg. Franzii de Interpr. Script. Orac. 78. *Georg. Wedelii* Exercit. Medic. Cent. I. Dec. VII. Exerc. 5. *Thom. Bartholinum* de morbis Biblicis p. 106. de dolore Pauli pungente, *Carpzovium* in Anti-Maſenio p. 577. *Thom. Ittigium* in Selectis capitibus Hiſt. Eccleſ. p. 166. ſqq. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas pag. 251. *Starckii* Notas Selectas p. 136. & Auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom. II. p. 868. ſq.

Ex Reformatis huc ſpectant *Jo. Arowſmith* in Tacticis Sacris p. 171. ſqq. *Lamb. Bos* Obſſ. Miſcellan. p. 104. *Anton. Borremanſius* de Poëtis & Prophetis p. 84. qui nihil in hac cauſa definit, *Jo. Crojus* Obſervatt. in N. T. c. 34. *Caſaubon.* in Caſaubonianis p. 82. & 284. *Iſaac. Voſſius* ad Catullum p. 223. & qui cum eo facit *Almeloveenius* in Opuſculis p. 136. *Jac. Elsnerus* in Obſſ. Sacr. p. 167. *Theod. Haſæus* in Biblioth. Bremenſe Claſſ. VI. p. 648. ſqq. *Jo. Hoornbeckius* Miſcell. Sacr. lib. III. c. 9. *Gotthardus Heideggerus* in Recreationibus Sacris Parte II. p. 127-151. *Joh. Marckius* in Diſp. ſingulari Lugd. Bat. 1703. primum edita, & in Exercitt. ejus Biblicis p. 894. ſq. recuſa. *Alex. Morus* in Notis p. 373. *Frid. Vlricus Ries*, Prof. Marpurgenſis, in diſput. de morbo Pauli, Marpurg. 1714. (de qua Hiſtoria eruditionis Haſiriæ, german. edita Trimeſtri II. p. 228. ſq. legatur) *Guil. Saldenus* in Otiis Theolog. lib. I. Ex. IX. *Pet. von Sarn* in Bibl. Bremenſ. Claſſ. VII. p. 551. & *Suicerus* Tom. II. Theſauri pag. 133. 942. & 975.

Ex Pontificiis denique *Tillemontius* in Memoriis Hiſt. Eccleſ. Tom. I. pag. 555. & *Jo. Steph. Menochius* in Trattenimenti eruditi Part. IV. p. 382.

Inter eos nonnulli in hac cauſa nihil definiunt, inter quos eſt *Borremanſius* l. c. & *Lockius* in Commentario. Noſtrates plerique ſpirituales & ſublimiores tentationes a Satana profectas indicari arbitrantur, in quam ſententiam ſpeciatim lege B. *Mart. Chladenii* diſputat. de ſummo gradu tentationum ſpiritualium Witteb. 1723. Eandem amplectitur *Jo. Arrowſmith*, l. c. p. 172. qui cum monuiſſet, per σκόλοπα alludi ad ſudes illas aſſulasque, quibus ſub Paulinis temporibus perforata ſint corpora Chriſtianorum, ita pergit: *Angelus Satan in caſu recto quidni deſignet ipſum diabolorum Principem, quem Adamum in paradiſo, Chriſtum in deſerto, Paulum in hoc agone graviſſimo credibile eſt exercuiſſe? Colaphi vero, quos impegit, ſunto, quos Theologi vocant Injectiones, quæ inſtar colaphorum in pugna ſolent eſſe creberrimæ, & vel immodico temporis ſpatio decies, centies, imo millies repetitæ.* Ita addit ſenſiſſe *Jo. Gerſonem* Tomo IV. Opp. p. 973. ed. Pariſ. qui eum de horrendis cogitationibus *per ſolam ſuggeſtionem inimici phantaſiam turbantis*, *obtingentibus*, v. c. *Nega Deum: maledic Deo*, mo-

monuiſſet, ſubdit: *Datus fuit ſtimulus talis Apoſtolo, ſecundum multos Doctores.* Dum recogito, ſingulare aliquid, divino nutu, procul dubio fuiſſe, quod illuſtri illi revelationum beneficio ab altera parte oppoſitum ſit, & Paulum ipſum de hoc momento tam graviter & efficaciter loqui, in hac ſententia perſiſtendum eſſe puto, cum ceteræ illæ nimis parum dicere videantur. Idem adſtruit *Vechnerus* in libro laudato, nunc quidem rarius obvio. Is p. 112. per *angelum Satanæ* intelligit *quendam ex Spiritibus malignis, ſupremo illorum duci Satanæ ſubjecto,* quamvis non neget p. 117. τὸ Σατᾶν etiam in caſu recto accipi poſſe. Hunc Paulo quaſi adjunctum fuiſſe putat p. 127. eo fine, ut percelleretur gravius, ſiquidem revelationes ſuas inſolentius jactaret, perinde ac brutum animal appenſo palo percuſſionem ſibi & alliſionem excitat, cum petulanter exſilire geſtit, quam *pali* ſignificationem adſtruere conatur p. 128. ſq. Tandem vero p. 148. putat præſtare, ut σκόλοψ ad modum vocis Chaldaicæ ארדבן *notet caſtigatorem quendam cum ſtimulo, aculeo, ſude vel palo ad pungendum plectendumque paratum,* hoc ſenſu: *datus eſt mihi ſtimulator carnis meæ angelus Satanæ, ut mihi colaphos intentet, ſive interminetur.* Itaque colaphizandi poteſtatem magis, quam colaphizationem ipſam indicari exiſtimat. Vide p. 173.

Ex reliquis ſententiis, quas hic recenſere nec vacat, nec lubet, illæ potiores ſunt, quæ rem omnem vel ad *morbum* quendam *corporis* moleſtiſſimum, vel ad *calamitates* varias ab adverſariis, eorumque potiſſimum uno, concitatas referunt. Ad priores illos pertinet *Th. Bartholinus, Georg. Wedelius* & *Frid. Ulr. Ries* ll. cc. *Wedelius* intelligit morbum, melancholiæ hypochondriacæ ſimilem, cum dolorum ſtimulis, & anxietatibus animi ac caſtigationibus conjunctum, quæ ſæpe Satanæ impulſu auctæ ſint. Idem hoc erudite & diligenter adſtruere inſtituit Cl. *Ries* in diſputat. laudata, eadem opera oſtendens, alios morbos, de quibus alii cogitarunt, locum hic non æque tueri poſſe. Veterum non paucos de quodam capitis dolore hic cogitaſſe, obſervat *Jo. Baptiſta Cotelerius* in Notis ad Tom. I. Monumentorum Eccleſ. Græc. p. 756. ex quibus nominatim monet, *Servatum Lupum* in lib. de tribus Quæſtionibus teſtari, incertum eſſe, corporis an mentis incommodo Paulus laborarit. Idem vero ſuſpicatur, Auctorem Vitæ Syncleticæ, quam in hoc tomo exhibet, pag. 252. ubi præcipit, συναφείλωμεν αὐταῖς, (ſcil. θριξὶ) καὶ τοὺς ἐν τῇ κεφαλῇ σκόλοπας, *una abſcindamus & capitis ſcolopes,* per σκόλοπας animalcula, quæ caput pungunt, tanquam a Paulo h. l. intellecta, indicare. Qui τῷ σκόλοπι *calamitates* varias innui contendunt, illi τὸν ἄγγελον Σατᾶν per *emiſſarium Satanæ* interpretantur, eumque vel de adverſario quovis, cujuſmodi plures habebat Paulus, vel de uno aliquo eminentiore, qualis erat Alexander 1. *Tim.* IV. 14. accipiunt. Poſterius hoc placuit ex noſtratibus *Franzio, Zeltnero* in gloſſa ad Biblia Lutheri Germanica, & in laudata diſputatione, denique & *Starckio* l. c. Viciſſim adverſarium quemvis indicari putant, *Morus, Lamb. Bos,* & *Elsnerus* ll. cc. ex noſtratibus vero *Heumannus* in Pœcile Tom. III. lib. 1. p. 743. *Rambachius* in Bibl. Bremenſ. Claſſe VII. p. 1026. & *Lakemacherus.* Hic quoque ut ſpeciatim phraſibus hujus

jus commatis ad flagellationem Judaicam alludi putat, ita adverſarium illum de emiſſario Synagogæ intelligendum cenſet, quamvis cetera τὸν κολαφισμὸν de omnis generis adflictionibus, Paulo ab ejuſmodi hominibus oblatis, interpretetur. Atque hoc in tantum rectius dici puto, quam quod *Pet. von Sarn* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VII. pag. 551. ſq. de *lictore* aliquo *Romano*, Paulum flagellante, cogitat. Quemadmodum nec veri ſimilis videtur *Theod Haſæi* conjectura, exiſtimantis, omne hoc ad flagellationem Judaicam pertinere, quam tanta cum ignominia tantoque cum cruciatu copulatam, a ſe remotam eſſe Paulus voluerit.

Qui de ἀφροδισίοις hic cogitant, illi quidem minime omnium ſunt audiendi. Eos potiſſimum confutatos dedit *Heideggerus* l. c.

Fuerunt etiam, qui ex h. l. contenderent, Satanam ut Paulo, ita cuique homini Chriſtiano, malum jungere angelum, qui boni angeli, tanquam tutelaris, conſiliis & auſpiciis reſiſteret. Vide, quæ contra hos diſputat *Amelius* Parte II. p. 601.

Ἵνα μὲ κολαφίζῃ) Verbum κολαφίζειν, apud Scriptores Atticos, apud quos tamen κολάπτω legitur, fruſtra adhuc quæſitum, diligenter exponunt *Crojus* in Obſſ. Sacris c. 34. *Vechnerus* de palo Pauli p. 180. & *Theod. Haſæus* in Bibl. Bremenſe Claſſ. VI. p. 656.

Ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι) Hæc in Codicibus nonnullis non leguntur, nec in verſionibus aliquot antiquis expreſſa ſunt. Ideo *Zegerus* ex interpretatione marginali nata, *Millius* autem in Prolegom. §. 1205. & ante eum *Muſculus* ex initio hujus commatis repetita, *Kuſterus* denique in præfatione ad novam N. T. Milliani editionem p. 6. ex contextu prorſus omittenda judicat, quod ipſum fecit nuperus editor Novi Teſtam. Græco-Anglicani. Viciſſim γνησιότητα eorum diligenter & recte vindicat *Vechnerus* p. 177. ſqq. libri laudati. Inter cetera id urget, quod hac formula *conſilium finisque permiſſæ ſeu mandatæ colaphizandi poteſtatis notabiliter exprimatur.* Et p. 179. addit: *Nempe non morbus hic ſignificatur immiſſus, ut ne ſeſe efferret, ſed caſtigator aliquis ea gratia, ne ſe efferret, additus eſſe indicatur: atque de illo preſſim ſimul commemoratur, quali omnino actu, ſeu actus intentatione, efficere valuerit debueritque, ut efferre ſeſe Apoſtolus quoque exhorreſceret.*

Verſ. 9. Ὑπὲρ τούτου τρὶς τὸν Κύριον παρεκάλεσα) *Vechnerus* pag. 193. trinam hanc precum repetitionem, ad Chriſtum, Dominum, ipſius Domini in monte oliveti precantis, exemplum, factam eſſe rectius arbitratur, quam Cl. *Pet. a Sarn* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VII. p. 555. ſuſpicatur, ad triplicem flagellationem reſpici, quam Apoſtolus ſe perpeſſum teſtatur 2. *Cor.* XI. 25.

Ἵνα ἀποστῇ ἀπ' ἐμοῦ) i. e. ut non tam prope ſibi ſit, inſtar militis cuſtodis. Ita *Vechnerus*, qui conferri vult *Luc.* IV. 13.

Verſ. 9. Καὶ εἴρηκέ μοι, κ. τ. λ.) Totum comma illuſtrant *Vechnerus* p. 209. ſq. *Heideggerus* in Hiſtoria Patriarcharum Parte II. p. 519. & *Bernh. Sommerus* in concione ſingulari Amſtelod. 1684. 12. edita belgice.

Ἀρκεῖ

Ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου) *Sufficit tibi gratia mea*, *ſatis gratiæ habes.* Vide *Alethæi* Erläuterung Tomo I. p.23. Per gratiam illam *Vechnerus* intelligit omne illud, quod Deus Paulo contulerat, inprimis reſpectu muneris graviſſimi. Malim ego intelligere gratiam, qua Dominus Paulum vel ſic complectatur, & perpetuo fulciat, ut perferendis omnibus illis tentationibus par ſit. Huc ſpectat phraſis ſequens: ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, de qua lege *Andr. Schottum* in Adagial. N. T. p. 124.

Τελειοῦται) *perficitur*, i. e. ut perfecta proditur, & agnoſcitur.

Ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ) Eodem verbo utitur *Polybius* lib. IV. p. 399. & 466. ubi ait: μετὰ δὲ ταῦτα ταῖς οἰκίαις ἐπισκηνώσαντες κατεῖχον τὴν πόλιν. *Deinde in civium domicilia immigrantes urbem tenebant.*

Verſ. 10. Διὸ εὐδοκῶ) Vide *Svicerum* Tom. II. p. 1240.

Verſ. 11. Γέγονα ἄφρων καυχώμενος) Poſtrema vox in Codd. nonnullis omiſſa, & in verſionibus aliquot antiquis neglecta, ex ſuperioribus explicationis gratia addita videtur *Millio* in Prolegom. §. 989. Ex contextu prorſus expunxit recens Editor N. T. Græco-Anglicani, ac præterea ex conſilio Scholiaſtæ Græci apud *Oecumenium* τὸ, γέγονα ἄφρων; interrogative expreſſit, & explicavit. Nihil ego video cauſæ, cur non Paulus ἄφρων καυχώμενος hic æque conjungere potuerit, atque ſupra id fecit XI. 17. Ὃ λαλῶ, οὐ λαλῶ κατὰ Κύριον, ἀλλ' ὡς ἐν ἀφροσύνῃ, ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως. Si vero hoc admittatur, exulat omnino interrogandi nota, qua nec alias opus eſt.

Ὑμεῖς με ἠναγκάσατε) Sic fere *Joſephus* contra Apionem II. pag. 1069. cum negaſſet, ſe gentis ſuæ laudes perſequi inſtituiſſe, addit, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ψευδῆ κατηγορημένοις ἡμῖν ταύτην ἀπολογίαν δικαιοτάτην εἶναι νομίζω.

Οὐδὲν γὰρ ὑστέρησα τῶν ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλων) Lege *Coccejum* Tom. VI. Operum p. 68. in fine.

Εἰ καὶ οὐδέν εἰμι) *Arrianus* Epictet. p. 320. Οὐδὲν ἦν ὁ Ἐπίκτητος, ἐσολοίκιζεν, ἐβαρβάριζεν. Confer ſupra ad 1. *Cor.* I. 28.

Verſ. 13. Τί γάρ ἐστιν, ὃ ἡττήθητε ὑπὲρ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας;) *Nam quid eſt, in quo fuiſtis inferiores reliquis Eccleſiis?* Ita recte *Beza* & *Eraſmus Schmidius.* Τὸ ὑπὲρ idem h.l. eſt, quod ὑπὸ, quemadmodum & Hebræorum על nonnunquam in Sacris literis pro *ſub* uſurpatur. Vide *Noldii* Concordantias Particularum Hebraic. p.707. Eadem vero notione exſtat apud *Herodotum* lib.I.c.57. τῶν ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρηστῶνα πόλιν οἰκεόντων, *qui ſub Tyrrhenis, vel infra Tyrrhenos urbem Creſtonem incolunt.* Vide hæc, itemque alia loca, in Cl. *Samuelis Maſſoni* Hiſtoria Critica Reipubl. Literar. Tom. XIV. p.263. ſqq. & adde Cl. *Chriſtoph. Wollii* diſſertat. de vera fictaque particularum emphaſi, ejusdem Commentationi de Eccleſia Phariſaica & Chriſtiana ſubjunctam p. 327.

Ἐγὼ οὐ κατενάρκησα ὑμῶν) Vide ſupra ad XI. 9.

Verſ. 14. Ἰδοὺ, τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς) Apoſtolus hic illud dicere inſtituerat, quod cap. XIII. iterum affert, & perſequitur. Suſpicionem

vero, in quam incidere poterant nonnulli, quaſi ſua quæreret Paulus, occupaturus, commata ſequentia ſapienter interjicit. Hoc recte puto admonitum a *Lockio* in commentar. ad h.l. De re ipſa vide paulo poſt ad XIII. 1. Τὸ τρίτον hic ad ἑτοίμως ἔχω, non ad ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς referri debet.

Ὀυ γὰρ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσι θησαυρίζειν κ. τ. λ.) Vide *Speneri* Vindicias locorum Scripturæ S. ab abuſu hominum profanorum p. 512. ſq.

Verſ. 15. Ἐγὼ δὲ ἥδιστα δαπανήσω, καὶ ἐκδαπανηθήσομαι, κ. τ, λ.) Conſule huc *Gatakeri* Adverſar. p. 128. & ad *M. Antoninum* X. 14. pag. 365. *Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. p. 223. & *Sviceri* Theſaurum Tom. I. p. 823.

Verſ. 16-18. exponit *Gatakerus* in Adverſariis p. 294. ſqq.

Verſ. 16. Ἔστω δὲ, ἐγὼ ȣ̓ κατεβάρησα ὑμᾶς, ἀλλ' ὑπάρχων πανȣ̃ργος) Hæc ex ſententia adverſariorum ſuorum inſtar objectionis vel calumniæ potius affert Apoſtolus, qui cum negare non poſſent, Apoſtolum Corinthiis oneri non fuiſſe, ſubdole tamen aliis in aures quaſi ſuſurrabant, Paulum ſibi rebusque ſuis per alios, illuc miſſos, proſpexiſſe. Hæc calumnia v. 17. diluitur. Lege huc *Franzium* de Interpretat. Scripturæ Sac. p. 574. & *Franckium* in Obſervationibus ad quædam Scripturæ loca germanice editis p. 42. ſq.

Ἀλλ' ὑπάρχων πανȣ̃ργος) Πανȣ̃ργος inter vocabula μέσα ponendum eſt. *Hermogenes* p. 408. ita præcipit: πανȣ̃ργος κυρίως μὲν ὁ πᾶσιν ἔργοις ἐπιβάλλων, ὁ δραστήριος καὶ ἐνεργής· κατεχρήσαντο δὲ τῇ λέξει οἱ παλαιοὶ ἐπὶ τȣ̃ ἐν κακοῖς νοήμασι καὶ ἔργοις ἐπιβȣ́λȣ. Hinc in bonam partem vox hæc accipitur *Prov.* I. 4. ἵνα δῷ ἀκάκοις πανȣργίαν, in malam vero hoc loco, ceu ex ſuperioribus patet. Confer doctiſſimi *Fabricii* noſtri notas ad Sextum Empiricum p. 358.

Δόλῳ ὑμᾶς ἔλαβον) Ita prorſus *Sophocles* in Philoctete: λέγω σ' ἐγὼ δόλῳ Φιλοκτήτην λαβεῖν.

Verſ. 17. Μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, δι' αὐτȣ̃) Per ἀντίπτωσιν hæc ita dici recte monuit *Eraſmus Schmidius*, quaſi eſſet, μὴ διά τινος (ἐκείνων) ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς. Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas, p. 506. qui alia antiptoſeos, Herodoto etiam licenter adhibitæ, exempla affert.

Ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς) Vide ſupra ad 2. *Cor.* VII. 2. Adde *Svicerum* Tom. II. p. 747. & 749.

Verſ. 19. Ἐν Χριστῷ λαλȣ̃μεν) Voces duæ priores omittuntur in Latinis verſionibus, Codd. duobus Græcis oppoſitis, ideoque adjectitiæ cenſentur *Millio* in Prolegomenis, ſine ulla veri ſpecie, ut vel commemoraſſe ſuffecerit.

Verſ. 20. & 21. Obſervationibus quibusdam Exegetico-Practicis illuſtrat B. *Georgius Henricus Gœtzius* in Meletematibus Annæbergenſibus pag. 651. ſqq.

Verſ. 21. Μὴ πάλιν ἐλθόντα με ταπεινώσῃ ὁ Θεός μȣ πρὸς ὑμᾶς) *Ne rurſus, quando venero, Deus me vilem reddat apud vos.* Ita *Knatchbullus*. Alluſiſſe ſcilicet putat Paulum ad X. 1. ὁ κατὰ πρόσωπον μὲν ταπεινὸς, *qui coram vilis ſum*, ut idem interpretatur, h. e. qui antea me pro vili habuiſtis. At ſicut

nec

nec ibi hæc ſignificatio obtinet, ita multo minus verbum ταπεινῶν h.l. in ea accipiendum eſt. *Triſtitia* enim animi demiſſi potius, & hinc ortus *dolor*, qui ſtatim appellatur, infertur. Ita loquuntur veteres, *Polybius* & *Arrianus*, quorum locos produxit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis p. 505. Afferam unum, ex Arriani Diſſertat. lib. II. p. 196. κἂν μὲν τύχῃ, ἐπῆρται, καὶ λέγει· πῶς γὰρ ἡμεῖς καλῶς ἐβουλευσάμεθα, ὡς ἔλεγόν σοι, ἀδελφὲ, ὅτι ἀδύνατόν ἐστιν ἡμῶν τι σκεψαμένων μὴ οὕτως ἐκβῆναι; ἂν δὲ ἑτέρως χωρίσῃ, τεταπείνωται. Vides hic τὸ ἐπαίρεσθαι, *efferri*, opponi τῷ ταπεινοῦσθαι, *dejici*, & contriſtari ex rebus male cedentibus. Non magis probo *Hombergium* p. 272. Parergorum, τὸ ἐλθόντα με cum vocibus πρὸς ὑμᾶς proxime conjugi volentem. Recte enim, imo Græcæ linguæ & ſtilo inprimis Paulino convenienter τὸ πρὸς ὑμᾶς verbo ταπεινῶ jungitur. Idem enim eſt quod ἐν ὑμῖν, *apud vos*. Sic 1. *Cor.* II. 3. ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς ubi v. 2. οὐ γὰρ ἔκρινά τι εἰδέναι ἐν ὑμῖν. Sic XVI. 7. ἐπιμεῖναι πρὸς ὑμᾶς. 2. *Cor.* X. 9. καὶ παρὼν πρὸς ὑμᾶς. Nulla itaque opus eſt trajectione.

CAPUT XIII.

Verſ. 1. Τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς) Diverſas Interpretum de his verbis ſententias ita ſummatim comprehendit *Steph. le Moyne* in notis ad Varia Sacra p. 341. *Quod quidam*, inquit, *intelligunt de adventu corporis, quaſi Apoſtolus innuat, ſe jam tertio conſilium iniiſſe ad illos veniendi, ſed varia huc usque interceſſiſſe negotia & impedimenta. Alii de adventu per literas, & quidam exiſtimant, revera Apoſtolum tertia vice, & ternis epiſtolis Corinthios adortum fuiſſe. Tertiam vero epiſtolam periiſſe, niſi cum quibusdam apud Armenos illam tertiam ad Corinthios epiſtolam adhuc hodie latitare exiſtimemus.* Ipſe duabus his ſententiis tertiam ſuam adjungit, quod ſcilicet adventus ille Pauli tertius ad literas ſpectet, poſterior autem hæc ad Corinthios epiſtola ſecundam & tertiam ſimul complectatur: *quia ſcilicet ſecunda hæc epiſtola ſat longa videtur, &, quæ jam addit* (cap. XIII.) *Apoſtolus, pro tertia haberi poſſint, licet prioris ſint tantum appendix, & pars ultima. Sic poteſt*, addit, *intelligi locus Polycarpi, qui epiſtolas Pauli ad Philippenſes memorat, non quod plures epiſtolas ad Philippenſes ſcripſerit Apoſtolus, ſed quod epiſtola ad Philippenſes in duas poſſet dividi, & revera divideretur, & duæ eſſent ad Philippenſes epiſtolæ, ſicut duæ erant epiſtolæ ad Corinthios, & duæ ad Theſſalonicenſes. Conjecturam* hanc Celeb. *Jo. Alb. Fabricius* in Codice Apocrypho N. T. Tom. I. p. 921. *ingenioſam quidem, ſed a ſententia Pauli haud dubie alienam* merito appellat. Nec feliciores ſunt, qui hinc aliam quandam epiſtolam, ad Corinthios a Paulo ſcriptam, cum *Sandio* in Nucleo Hiſt. Eccleſ. p. 8. exſculpunt, contra quos illos legi velim, quos ad 1. *Cor.* V. 9. laudavi. Reſtat igitur tertia ſententia primo loco a *Lemonio* commemorata, & reliquis omnino præferenda. De conſilio ſcilicet exponit, quod tertium jam ceperit Paulus Corinthum altera vice proficiſcen-

ciſcendi. Idem eſt, quod ſupra dixit XII. 14. Ἰδοὺ τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, quod ipſum etiam hoc loco Codex Alex. MS. & *Syrus* Interpres procul dubio per interpretamentum ex l.c. natum exhibent. Prima vice hoc conſilium inierat & expoſuerat Corinthiis in epiſtolæ prioris XVI. 5. Impeditus vero ſe excuſat 2. *Cor.* I. 16. quod quidem indicio eſt, Paulum de conſilio ſuo alio modo & alia via quam qua olim ſe uſurum profeſſus erat, cogitaſſe. Jam denique h. l. tertium ſe idem animo volvere profitetur. Sunt, qui Apoſtolum ante, quam hæc ſcriberet, bis Corinthi fuiſſe, adeoque tertia vice, ubi ad eos ſit venturus, præſentem futurum fuiſſe, exiſtimant. Eſt etiam, qui illud ex 2. *Cor.* I. v. 16. elucere putat. Sed ut de duplici Pauli ad Corinthios, ante hanc iis inſcriptam epiſtolam, adventu Lucæ Actus Apoſtolici & ipſa Pauli ſcripta nihil tradunt, ita idem nec l. c. præſidium invenit, cum ibi de inſtituto Pauli, non de eventu, ſermo ſit. Recte *Millius* ad præſentem locum: *Nempe haud tertio venerat Corinthum Apoſtolus, imo nec ſecundo quidem, niſi paulo poſt ſcriptam hanc epiſtolam.* Idem apparet ex ſerie itinerum Apoſtoli, quam alii ex ſacris monumentis expoſuerunt. Firmatur hoc ex phraſi verſus 2. ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, quam recte per enallagen præſentis pro futuro explicat *Grotius: velut iterum apud vos futurus*; vel propius: velut altera vice apud vos futurus. *Millius* in Prolegomenis ad N.T. §. 22. alia adhuc ratione hujus commatis verba illuſtrat. Si de conſilio capias, Apoſtolum ait cap. I. 16. expreſſe dicere, quod in ſuo itinere bis ad Corinthios venire voluerit, per ipſos ſcilicet in Macedoniam tranſeundo, & e Macedonia rurſus ad ipſos veniendo. Sin de *adventu* ipſo intelligendum putes, dici poſſe monet, Apoſtolum bis Corinthum veniſſe ante quam Epheſum peteret, & hanc epiſtolam interjecto longiori tempore, exararet. *Sedit enim ibi*, inquit, *annum & ſex menſes*, Act. XVIII. 11. *& ibidem v.* 18. *adhuc* multos dies *vel in vicina aliqua parte Aſiæ manſiſſe dicitur. Videtur igitur tunc Paulus non continuo Corinthi hæſiſſe, ſed ſemel in vicina loca ſeceſſiſſe, vel ad prædicandum Evangelium, vel ob metum Judæorum, de quo ipſe* 1 Cor. II. 3. *Timore igitur adactus forte ſeceſſit in vicina loca, ibique Evangelium prædicavit, & iterum Corinthum rediit, ſicque bis apud Ipſos fuiſſe dici poterat.* Malim equidem in iis perſiſtere, quæ modo expoſui.

Vox τρίτον non *tertia vice*, nec *tertio*, ſed *tertium* vertenda eſt, prout *Scaliger* ad Bezæ N. T. manu ſua notavit, teſtante *Schurzfleiſchio* in Actis Literariis p. 30.

ἐπὶ ςόματος δύο μαρτύρων καὶ τριῶν ςαθήσεται πᾶν ῥῆμα) Plerique Interpretes hic recte exiſtimant alludi ad *Deut.* XIX. 15. *Lockius* vero in commentario Paulum ad *Matth.* XVIII. 16. reſpexiſſe putat, eo quidem ſenſu, ut Corinthiis teſtetur, ſe hactenus cum ipſis egiſſe ad præceptum Domini, & leniter eos tractaſſe, adhibitis, teſtium inſtar, duabus ſuis epiſtolis: inpoſterum vero, ſi his nihil effecerit, durius acturum. Subtilius hæc ita cogitari oſtenderunt *Clericus* in Biblioth. Selecta Tom. XIII. pag. 103. ſq. & Anonymus auctor Anglus in *Remarks on ſome books* p. 153. Tota interpretatio ſuperſtruitur vano funda-

fundamento, ac ſi per adventum Pauli ad ſcriptas epiſtolas reſpectus habeatur, ut non dicam, inſtitutum Domini noſtri *Matth.* XVIII. minus recte opponi divino illi per Moſen, cum ipſe Dominus noſter ad illud reſpexerit. Itaque nec audiendus eſt *Guil.Surenhuſius*, in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 565. opinatus, Paulum hic *tres ſuas admonitiones & correctiones tanquam teſtes contra ipſos* producere *teſtaturas*, *ſe omnia ut fidelem Chriſti miniſtrum in converſione ipſorum & in fidei confirmatione peregiſſe.* Idem *Junii* ſententiam recte alioquin deſerit & confutat. Non rectius alii conſilium itineris ter repetitum hic afferri cenſent, ut indicetur, tertium illud æque ratum fore, ac olim cauſa aliqua effatis duorum triumve teſtium fuerit definita. Ita poſt *Grotium*, *Clericus* & alii. Rectiſſime illi agere exiſtimandi ſunt, qui Paulum ajunt ſignificare, quomodo, ubi venerit ipſe, in cauſis cognoſcendis ſit verſaturus, nempe non temere, nec timide, ſed adhibita omni circumſpectione & cura, divina lege definita, teſtibus ſcilicet ad partes vocatis, & condemnatis graviter iis, qui refractarios ſe præſtiterint. Hanc Apoſtoli mentem eſſe, vel comma ſecundum oſtendit. Confer ex noſtratibus *Calovium* in Bibliis Illuſtratis, & Anonymum illum Anglum l. c. contra *Lockium* non minus, quam *Clericum* diſputantem.

Verſ. 2. Ὡς παρὼν τὸ δεύτερον) *Eraſm. Schmidius* vertit: *ſicut* feci, *cum ſecundo* vobiſcum *eſſem.* At temporis rationes repugnare, quo minus ſecundum cum Corinthiis Apoſtolum, ante hanc epiſtolam ſcriptam, fuiſſe exiſtimemus, ad v. 1. diximus, ubi vide. Confer infra v. 10.

Καὶ ἀπὼν νῦν γράφω) Τὸ, γράφω in codd. nonnullis deeſt, ideoque *Millio* in Prolegomenis *inſertum videtur ad abſolvendam ſententiam.* Recens editor N. T. Græco-Anglicani in contextu prorſus omiſit, quamvis in verſione, αὐτοκατάκριτος ipſe, expreſſerit. Si ea voce opus eſt ad ſenſum, cur a Paulo ſcriptam non exiſtimabimus? Præterea τὸ, γράφω ἀπὼν opponitur, τῷ, προείρηκα καὶ προλέγω ὡς παρών.

Verſ. 3. Ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος Χριστοῦ, ὃς εἰς ὑμᾶς οὐκ ἀσθενεῖ, ἀλλὰ δυνατεῖ ἐν ὑμῖν) *Chryſoſtomus* ad h. l. τὸ ἀσθενεῖν tripliciter accipi poſſe monet, nempe, vel de imbecillitate corporis, vel de infirmitate fidei, vel de calamitatibus, ut v. 3. At præter hæc *aliud dari ἀσθενείας genus, nempe id, cum quis ea non pollet vi docendi, qua poſſit iis, ad quos diſſerit, ſententiam ſuam probare, atque perſuadere*, oſtendit productis *Arriani* ex lib. I. cap. 5. & lib. II. cap. 12. p. 175. locis, Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 506. ſqq. exiſtimans, hanc dicendi ἀδυναμίαν & ἀσθένειαν h. l. de Chriſto negari, qui, cum inter homines δυνατὸς ἐν λόγῳ fuerit *Luc.* XXIV. 19. & *Joh.* VII. 46. ita non minorem exſeruerit efficaciam, in hominum mentibus, per Pauli ſermonem promovendis.

Verſ. 4. Καὶ γὰρ εἰ ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας, ἀλλὰ τῇ) Lege ad hoc comma *Jo. Georgii Dorſchei* Pentadem Diſſertatt. Theol. pag. 604. ſqq. ubi de crucifixione & vita Jeſu Chriſti, & *Joſephi Frider. Heuſſingeri a Waldegk* Chriſtologiam Jenæ 1668. Τὸ ἀλλὰ, reſpondens particulæ εἰ, idem eſt, quod *tamen.* Ita *Herodotus* lib. II. pag. 216. οἶδας μὲν καὶ αὐτὸς, εἰ μὴ ἰδὼν, ἀλλ' ἀκούσας.

σας. *Ipſe etiam noſti, ſi non auditu, tamen viſu.* Vide *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 507. Ita quoque *Xenophon* Cyropæd. VIII. p. 643. editionis nuperæ Hutchinſonii, quem ibi vide.

καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς ἀσθενοῦμεν ἐν αὐτῷ, ἀλλὰ ζησόμεθα σὺν αὐτῷ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ) Nova eſt expoſitio, quam affert perſpicaciſſimus *Jo. Conr. Schwarzius* in Monumentis Ingeniorum Tomo II. p. 79. ſqq. Habe eam ex ipſius verbis p. 83. *Si cruci eſt affixus Chriſtus pro voluntaria illa infirmitate ſua, id eſt, humilitate animi, quam erat amplexus, at nunc tamen per potentiam divinam vivere ſe demonſtrat: etiam nos ei devoti nullam nunc vim nec poteſtatem officii noſtri declaramus, ſed tamen una cum ipſo per potentiam divinam vim vitæ noſtræ & officii vobis declarabimus.* Itaque τὸ ζῆν idem vult eſſe, quod *vitam facto aliquo demonſtrare, ſeu vitæ, officio conjunctiſſimæ, vim oſtendere factis officio propriis, officio dignis, officio neceſſariis.* Eandem verbo ζῆν poteſtatem ex *Æliani* Var. Hiſt. lib. III. c. 23. p. 239. vindicat, ubi de Alexandro: ἕκτῃ ἐκάθευδεν ἐκ τοῦ πότου, καὶ τοσοῦτον ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἔζησεν, ὅσον ἀναστὰς χρηματίσαι τοῖς ἡγεμόσιν ὑπὲρ τῆς αὔριον πορείας. *Sexto poſt convivium die dormire cœpit, & tantummodo illo die vixit, id eſt,* vivere ſe demonſtravit, *ut, quum ſurrexiſſet, ducibus, profectionem in poſterum ediceret.* Hanc interpretationem contextui orationis Paulinæ ait reſpondere. Paulus enim v. 1. edicit, ſe, ubi advenerit, peccata cœtus Chriſtiani cogniturum, &, gravibus remediis, peccandi libidinem repreſſurum, & tum fore apertum, ineſſe ſibi facultatem vel per miraculum quoddam caſtigandi improbos. Deinde monet v. 6. ſqq. ſibi vim ad coercendum flagitiorum curſum non defore, ſed ſe optare, ut nemo Corinthius cuiquam crimini affinis reperiatur, ne vi illa divina in quenquam utendum ſibi ſit. Jam ſi quis nexus commati noſtro quarto cum antecedentibus & ſequentibus conſtare debet, neceſſe eſt, ut verba illa ea, quam diximus, ratione accipiantur. Eadem occaſione copioſius oſtendit vir doctus, *Grotii*, de *vita immortali* cogitantis, expoſitionem admitti non poſſe, quod & *Calovius* monuit. Non puto hic ampliandum: tanta eſt in dictis evidentia. Idem vero & alii viderunt, quamvis fidem dictis non admodum fecerint. *Bezam* non credo aliud voluiſſe, quando reddidit: *vivi erimus cum eo, ex potentia Dei apud vos:* & in notis monet, hic ſignificari, *quod a Chriſto in miniſtros vis promanet, per quam divina, in ipſis virtus illa inhabitans in media illorum infirmitate emineat.* Clarius idem expreſſit B. *Ægid. Hunnius,* Interpres dexterrimus, ad h. l. obſervans, Paulum certos eſſe velle Corinthios, ipſos potentiæ ſuæ experimentum non obſcurum in acceſſu ſuo capturos eſſe, ubi perfracti illi piarum admonitionum contemtores ſenſuri ſint, *quod ex virtute Dei cooperantis non invalidus ſit, tanquam mortuus, ſed vivat, & comminationes ſuæ apud Deum ratæ habeantur, cumque ſolido effectu conjunctæ ſint.* Comparari hæc poſſunt cum effecto Paulino X. 3.

ἐκ δυνάμεως Θεοῦ εἰς ὑμᾶς) Poſtremas duas voces omiſerunt aliquot codices, inprimis vero Interpretes, ideoque eas ex v. 3. huc relatas opinatur

Mil-

Millius in Prolegomenis recte repugnante *Whitbio* p. 67. Illis vero adeo opus eſt, ut ex iis etiam conſtet, quid phraſis ζῆν σὺν Χριϛῷ hic ſibi velit, nempe quod non de vita glorioſa & immortali, cum Chriſto aliquando perfruenda, ſed illa, quæ ſe ex Chriſto per Apoſtolum in Corinthios exſerere debebat, vitæ virtute, ſermo ſit. Interpretes quoſdam hæc verba omiſiſſe, mirum non eſt. Non enim videntur intellexiſſe, quid ſibi vellent, cum τὸ ζῆν de immortalitate acciperent. In his ipſe eſt *Chryſoſtomus*. Is enim τὸ ζησόμεθα interpretatur per σωζόμεθα, modo genuina hæc ſit lectio, de quo eſt, quod dubitem. Videtur enim nuda contextus Græci verba repetere voluiſſe ſine interpretatione, conſueta ſibi formula uſus: διὸ καὶ ἐπήγαγεν· σωζόμεθα ἐν αὐτῷ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ. Si enim τὸ σωζόμεθα interpretamentum eſſe debuiſſet, auguror fere, ſcripturum fuiſſe σωθησόμεθα. Itaque malim ibi legere ζησόμεθα, tanquam verbum contextus.

Verſ. 5. Ἑαυτοὺς πειράζετε, εἰ ἐϛὲ ἐν τῇ πίϛει) Ad hæc verba de exploratione ſui ipſius commentatur *Steph. Charnock* Tomo II. Operum p. 824-833. De δοκιμασίᾳ ſeu ſcrutinio fidei ſingularibus diſputatt. expoſuerunt *Jo. Guil. Baierus* Jenæ 1692. & *Jo. Henr. Majus* in Exercitationibus Selectis Tomo II. n. IX. tum vero *Gottlieb Wernsdorfius* Witteberg. 1701.

Ἑαυτοὺς δοκιμάζετε) Gentilium ad explorationem ſui ipſius cohortationes affert *Gatakerus* ad *Antonin.* X. 37. ubi ipſe præcipit: σεαυτὸν πρῶτον ἐξέταζε. Sic *Epictetus* de Socrate l. 2. c. 1. ἑαυτὸν ἤλεγχε καὶ ἐξέταζε. Quod ad rem præſentem attinet, recte puto obſervaſſe *Knatchbullum*, quod Paulus præcepto hoc, δοκιμάζετε ἑαυτοὺς, reſpexerit ad v. 3. quo dixerat, Corinthios ζητεῖν δοκιμὴν τοῦ ἐν ἑαυτῷ λαλοῦντος Χριϛοῦ. Vult igitur de eo potius ſolicitos eſſe, ut Chriſtum in ſe habitare & operari certo experimento diſcant.

Ὅτι Ἰησοῦς Χριϛὸς ἐν ὑμῖν ἐϛι;) Ex his non effici, Chriſtianum fidelem dicere poſſe: *ego ſum Chriſtus*; oſtendit B. *Jo. Fechtius* in Philocalia Sacra p. 27.

Εἰ μή τι ἀδόκιμοί ἐϛε;) Memini me legere, *Bernhardum Somerum* in epiſt. ad Lud. de Dieu ita hæc diſtingui voluiſſe: εἰ μή. (ſcilicet Χριϛὸς ἦν ἐν ὑμῖν) τί ἀδόκιμοί ἐϛε, eo quidem ſenſu, ut Paulus innuat, non Dei, ſed ipſorum hominum culpa fieri, ſi reprobi ſint, & nihil penſi habentes. Non ſatis hæc capio: de eo vero certiſſimus ſum, receptam lectionem fruſtra ſolicitari. Nam particulæ illæ, εἰ μή τι, etiam alias occurrunt ita conjunctæ, & commodum afferunt ſenſum. Utrumque ex ſequentibus intelligetur. Knatchbullus ita convertit: *ſi*, vel, *utrum non ſitis ſine probatione*, ſcilicet loquentis in vobis Chriſti, quam in me quærere non veremini. In eundem ſenſum etiam accipit v. 6. Spero autem vos cognituros, quod nos non ſumus ἀδόκιμοι, i. e. ſine probatione in me loquentis Chriſti. Adplaudit illi more ſuo *Carolus le Cene* in Specimine novæ verſionis pag. 678. Nec diſſentit *Lockius* in Commentario, per τὸν ἀδόκιμον ex nexu ſermonis eum hic intelligens, qui non poteſt dare argumentum Chriſti in ſe exiſtentis, adeoque talem, qui ſupernaturali virtute

ſit

ſit deſtitutus, quemadmodum viciſſim Paulus v. 6. dicat, Corinthios intellecturos eſſe, ſe non eſſe ἀδόκιμον, ſeu deſtitutum ejusmodi ſpecir ..ibus. Admitti & hæc poſſunt. Vox enim ἀδόκιμος non ſemper generatim infert *reprobatum*, & condemnationi penitus obnoxium, ſed & talem, qui *fucatus* eſt, *vitiatus, corruptus*. Vide, quæ ſcripſimus ad 1. *Cor*. IX. 27. & *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. p. 46. ſqq. *Chryſoſtomus*, cujus cetera interpretatio ad hanc, quam attulimus, itidem accedit, ita explicat: ἐι μὴ βίον διεφθαρμένον ἔχετε, *niſi vitam corruptam agitis*. Nec aliter accepiſſe videtur B. *Lutherus*: **es ſey dann, daß ihr untüchtig ſeyd.** Nihilominus tamen Anonymus Anglus in *Remarks on ſome books* p. 155. alteram illam notionem, quæ *reprobatum* infert, teneri vult ex *Hebr*. VI. 8. contra Lockium. At vide tu *Tit*. I. 16. Interim in eo non probo *Knatchbullum*, quod τὸ ἐι μή τι, per *ſi non*, vel *utrum non* converterit. Fieri hoc poterat, ſi ſimpliciter ſcriptum fuiſſet, ἐι μὴ, vel μή τι. Hæ enim particulæ paſſim interrogative uſurpantur. Altera vero illa phraſis, quotiescunque occurrit, exceptionem infert, & per *niſi* exprimenda eſt. Vide *Luc*. IX. 13. & 1. *Corinth*. VII. 5. Et ſic quoque accepit *Chryſoſtomus*. Hoc modo ſermo Apoſtoli non luxatur, quod alioquin fieri neceſſe eſt. Quærit enim Paulus: ἢ ὐκ ἐπιγινώσκετε ἑαυτὺς, ὅτι Ἰησῦς Χριςὸς ἐν ὑμῖν ἐςι; Jam reſpondet, omnino eos id perſpecturos, modo ne ſint ἀδόκιμοι. Hinc factum eſt, ut *Knatchbullus* in illa ſua interpretatione quæſtionis illius Paulinæ nullam prorſus rationem habuerit, ſed poſtrema hæc verba, ἐι μή τι ἀδόκιμοί ἐςε, cum illis, ἑαυτὺς δοκιμάζετε, immediate conjunxerit.

Verſ. 6. Ἐλπίζω δὲ, ὅτι γνώσεσθε, ὅτι ἡμεῖς ὐκ ἐσμὲν ἀδόκιμοι) Spero, vos intellecturos, non deeſſe nobis experimenta & argumenta poteſtatis & virtutis, qua in refractarios uti poſſimus. Vide ſuperiora.

Verſ. 7. Ὀυχ ἵνα ἡμεῖς δόκιμοι φανῶμεν) Sic *Herodotus* lib. VI. p. 383. verbum φανῆναι de eo uſurpat, qui, qualis eſt, talem ſe facto ipſo oſtendit. Νῦν τις ὑμέων εὖ ποιήσας φανήτω τὸν βασιλέως οἶκον. Confer *Raphelium* p. 507.

Verſ. 8. Ὀυ γὰρ δυνάμεθά τι κατὰ τῆς ἀληθείας) Non licet, non decet, non convenit quicquam agere contra veritatem: quo ſenſu vox ἀδύνατον etiam uſurpatur. Confer *Suicerum* Tom. I. p. 964. qui & pag. 188. de voce ἀληθείας exponit.

Verſ. 9. Χαίρομεν γὰρ, ὅταν ἡμεῖς ἀσθενῶμεν, ὑμεῖς δὲ δυνατοὶ ἦτε) Hæc laudatus ad v. 4. *Schwarzius* ex ante deductis ita παραφράζει: *Gaudemus nos, ſi nulla nobis occaſio ſit Apoſtolica auctoritate utendi, & per miraculum aliquod animadverſionis poteſtatem declarandi: ac vos per virtutem Spiritus divini, per fidem intemeratam & vitæ ſanctitatem noſtræ poteſtati & animadvertendi facultati locum nullum relinquatis.* Sic ait apud Latinos interdum *imbecillitatem* poni pro *fuga offendendi quempiam*, & pro *uſu parco vel potius nullo poteſtatis ſuæ*. Ita *Cicero* I. epiſt. IV. *Ego tibi a vi, hac præſertim imbecillitate magiſtratuum, præſtare nihil poſſum* i. e. tibi polliceri non

non poſſum, vim nullam fore, quum magiſtratus poteſtate ſua non utantur, nec auctoritatem interponant ſuam.

Τὴν ὑμῶν κατάρτισιν) Quidam Codices prave habent: κατάρτησιν. Eſt enim a καταρτίζω. Vocem hanc ex re athletica interpretatur *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris p. 127. Indicari ea ait *perfectionem* & conſummationem, *quam* athletæ *labore, ſudore & patientia invicta conſequebantur, adeo, ut quo ſæpius certamen adirent, eo fortiores exercitatione fierent, ſolidiſſimaque pars corporis eorum redderetur, quam frequens uſus agitaverat.* Confer *Senecam* de Providentia cap. IV. Adde *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. p. 428.

Verſ. 10. Διὰ τοῦτο ταῦτα ἀπὼν γράφω, κ. τ. λ.) Vide *Saldeni* Otia Theologica p. 456.

Verſ. 11. Χαίρετε) *Beza* vertit: *valete*, quod nec *Raphelio* in Annotationibus Xenophonteis p. 252. diſplicere videtur.

Καταρτίζεσθε) Verti hoc poteſt cum *Jac. Lydio* pag. 126. Agoniſtic. Sacrorum: *integri & perfecti eſtote.* Conf. *Luc.* VI. 40. Sic accepit *Chryſoſtomus:* τέλειοι γίνεσθε, καὶ ἀναπληροῦτε τὰ λειπόμενα. Nec minus alii Patres apud *Svicerum* Tom. II. p. 60. Malim tamen ita accipere, ut *inſtaurationem*, & reſtitutionem in priſtinum ſtatum inferat. Luxata enim in cœtu Corinthiorum membra erant, quæ reſtitui oportebat. Conf. *Galat.* VI. 1. Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. **laſſet euch wieder zu rechte bringen.**

Παρακαλεῖσθε) de *conſolatione* plerique accipiunt, & inter hos *Chryſoſtomus.* Non minus tamen convenienter de admittenda, quam ante fecerat, exhortatione intelligi poteſt. Frequentius ſane in ſacris literis *admonendi* quam *conſolandi* ſignificatu vox pollet. *Harpocration* παράκλησιν explicat per προτροπήν. Confer in hanc ſententiam *Lydium* p. 104. Agoniſtic. Sacr. & Cl. *Pet. Zornium* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 870. Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. **nehmet gute Vermahnung an.**

Τὸ αὐτὸ φρονεῖτε) Sic *Herodotus* lib. V. p. 378. τοὺς Κᾶρας τὠυτὸ τοῖς Ἴωσι φρονήσαντας laudat.

Καὶ ὁ Θεὸς τῆς ἀγάπης καὶ εἰρήνης) De ratione hujus appellationis lege ex Patribus differentem *Svicerum* Tom. I. pag. 1371. & *Braunium* in epiſt. ad Hebr. pag. 960.

Verſ. 12. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους) Oſculum hoc ſanctum ex antiquitate ediſſerunt *Amelius* Parte I. p. 48. & *Svicerus* Tom. II. p. 1430.

Verſ. 13. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου κ. τ. λ.) Vide ad 1. *Cor.* XVI. 20. & confer *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. II. ubi de Trinitate II. 14. 8. & VII. 12. 2.

Πρὸς Κορινθίους δευτέρα ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων τῆς Μακεδονίας) Subſcriptionem hanc, quamvis non θεόπνευστον, recte ſe habere, oſtendunt *Jo. Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 20. ſqq. præſtantiſſimus *J. A. Fabricius* noſter in Biblioth. Græc. lib. IV. pag. 154. & M. *Jo. Chriſt. Herzogius* in Diſput. de Subſcriptionibus epiſtolarum Paulinarum §. 13.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

Epiſtolam hanc non ad unum aliquem Chriſtianorum cœtum, ſed ad omnes qui Chriſto nomen in Galatia dederant, ſcriptam eſſe, Interpretes rectiſſime monuerunt. Illa vero *Galatia* in media fere Aſia ſita erat. Hinc *Polybio* οἱ ἐκ τῆς Ἀσίας Γαλάται vocantur p. 1292. & 1434. Venerunt autem in Galatiam ex Gallia Europæa, quæ & ipſa Galatia vocatur p. 268. & 846. Confer Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 508. Propterea Γαλατία ἑλληνὶς dicitur *Themiſtio* Orat. XXIII. pag. 299. & Gallo-Græcos Γαλάτας vocari a *Callimacho* hymno in Delum v. 184. oſtendit ibi *Ezech. Spanhemius* p. 439. *Julianus* quoque Orat. III. pag. 124. Γαλατίαν καὶ τὴν Κελτίδα conjungit, ubi Petavius in notis monet, per illam *Galliam*, per hanc vero *Germaniam* denotari. Illam Gallorum in Aſiam excurſionem poſt Ptolomæi Lagi mortem contigiſſe probare inſtituit *Humfr. Hody* de textibus originalibus lib. II. cap. VII. p. 182-187. De lingua *Galatarum* leges doctiſſimum *Paulum Erneſtum Jablonskium* in diſſert. de Lingua Lycaonica p. 23. ſqq. oſtendentem, eos præter Græcam ea quoque uſos eſſe, qua Treviros. Indolem eorum, ingenium & mores infra ad cap. III. 1. adumbrabimus.

Propius ad noſtrum inſtitutum ſpectat diſquiſitio, utrum hæc epiſtola ad Galatas Ex-Judæos tantum, an etiam Ex-Gentiles ſit exarata. Prius placet *Jo. Braunio* in Selectis Sacris lib. I. cap. V. & *Theod. Haſæo* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. pag. 1014. Poſterius plerisque aliis Interpretibus, quod & mihi verius videtur. Niſi enim in Galatarum cœtu fuiſſent Ex-Gentiles, præputiati, quorum circumciſio adhuc urgeri potuiſſet, neſcio, qui Pſeudo-Doctoribus & legis zelotis occaſio naſci potuerit, tantas turbas inter eos ciendi. Taceo, comma 8. capitis IV. a violenta, quam nonnullis arriſiſſe ibi monebimus, interpretatione liberari non poſſe, niſi inter eos exſtitiſſe dicamus, qui olim ut pagani deaſtris cultum præſtiterint. Et cur, quæſo te, Ἰουδαῖον & Ἕλληνα v. 28. capitis III. conjunxiſſet ad tollendum omne hominum in ipſorum cœtu diſcrimen, niſi ex utraque gente is fuiſſet collectus? Contra *Braunium* lege *Vitringæ* Prolegomena commentarii belgici in hanc epiſtolam p. 2. ſqq.

De *loco* & *tempore* ſcriptionis commentabimur infra ad ſubſcriptionem epiſtolæ.

Primarium Apoſtoli *ſcopum* eſſe, ne jugo legis Moſaicæ Galatæ, aliorum perſuaſionibus inducti, collum ſubjiciant, *Braunius* ſtatuit l. c. A circumciſione ſpeciatim ſuſcipienda eos avocari contendit *Lockius* in limine commentarii. Ex noſtratibus nonnulli articulum de *Libertate Chriſtiana* urgeri contendunt, rectius aliis articulum de *Juſtificatione* tractari affirmantibus.

Vide

Vide inprimis B. *Joſ. Schwarzium* in ſcripto vernaculo contra Chiliaſmum, Parte III. in appendice.

Commentatorum indicem dabit præter *Schwindelium* in Bibliotheca Paſtorali, *Joh.Chriſtoph. Wendlerus* in Prodromo Bibliothecæ Biblicæ perfectioris.

Notas quaſdam *Hieronymi* in hanc epiſtolam recitat & expendit *Rich.Simon* in Hiſtoria Critica N.T. ubi de commentatoribus, pag.223. ſqq.quemadmodum idem pag. 690. ſqq. *Lutheri* nonnullas ſiniſtro & infelici examini ſubjicit.

De ceteris, quæ hic dici poterant, lege *Millium* in Prolegomenis ad N. T. §. 30. ſqq. & *Jo.Alb. Fabricium* in Bibliotheca Græca lib. IV. p. 155.

CAP. I.

Verſ. 1. Παῦλος Ἀπόστολος οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου) Vocationis ſuæ originem immediate divinam demonſtraturus Apoſtolus utraque voce ἀπὸ & διὰ Deum, ut cauſam illius *principalem* & *inſtrumentalem*, ſiquidem ita loqui fas eſt, deſignat, tanquam qui nec auſpiciis humanis, nec interventu hominis ullius, ſe de hac vocatione amplectanda monentis,in Apoſtolorum numerum ſit cooptatus, ſed a Deo Patre & Jeſu Chriſto ipſi apparente. Ubi inprimis notandum eſt, τὸ διὰ de Chriſto æque ac Patre enunciari, atque adeo omne diſcrimen reſpectu operis hujus producti e medio tolli. Hinc veteres Eccleſiæ doctores inſigne argumentum pro Deitate Chriſti petierunt. Compara *Georg. Mylii* diſput. de æterna Filii Dei Deitate, Regiom. 1624. & Diſputt. Theologorum Gieſſenſium Tom.IX. Diſput.V. Subtilius autem hic verſatus eſt *Auguſtinus*, quando in commentario ad h. l. diſcrimen vocationis Pauli & ceterorum Apoſtolorum in eo collocat, quod hi a Deo per Chriſtum, hominem tunc adhuc mortalem, Paulus autem per Chriſtum, *totum jam Deum poſt reſurrectionem*, ſit vocatus. *Priores*, inquit, *ſunt ceteri Apoſtoli per Chriſtum, adhuc ex parte hominem, i.e. mortalem; noviſſimus eſt Paulus Apoſtolus per Chriſtum, jam totum Deum, i. e. omni ex parte immortalem.* Sed vide, quæ in hæc monet *Rich. Simon* in Hiſt. Critica Interpretum N.T. p.257. poſtquam ipſe Auguſtinus in libris Retractationum interpretationem ſuam emollivit. Confer *Frider. Spanhemii* Dubia Evangelica Part. III. p. 791.

καὶ Θεοῦ Πατρὸς) *Jo.Clericus* in Annotationibus ad Hammondum vel ſubintelligi, vel ſuppleri vult præpoſitionem ἀπὸ ante Θεοῦ, nullo codice, verſione nulla, præeunte. Suffragatur illi *L.M. Artemonius*, i. e. *Samuel Crellius* in Initio Evangelii Joannis reſtituto p.211. Conſilium facile cuique patet, quod tamen alio modo, quam conjecturis & ingenio, erat provehendum, ſi quidem id fieri poſſet.

Verſ. 3. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη) *Lockius* in commentario ad h. l. χάριν vertit per *favorem*, quod & alias facit in epiſtolis Paulinis, quamvis nonnunquam etiam per *gratiam* interpretetur. Poſterius vero hoc ſemper tenendum fuiſſe, cum non tantum *favor* quidam provida cura a Deo converſis demonſtrandus, ſed gratia Dei interna ſpiritualis omnimoda indicetur, recte monet Anonymus Anglus in Remarks on ſome books p. 230.

Verſ. 4. Τοῦ δόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν) Codices nonnulli MSS. hic pro ὑπὲρ legunt περί. At cave, quicquam mutes. Eadem phraſi utitur Paulus 1. *Cor.* XV. 3. ubi nulla in Codd. varietas obſervatur. Confer *Whitbii* Examen p. 67.

ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ) Sic *Polybius* p. 508. ἐξελόμενοι τοὺς Κιανοὺς ἐκ τῶν περιεστώτων κακῶν, obſervante *Raphelio*. Aliorum locos ſimiles affert Cl. *Elsnerus* p. 170. qui evincunt, phraſin hanc adhiberi, ubi quis alterum ex impendenti periculo & calamitate magna vi eripere dicitur.

ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος αἰῶνος πονηροῦ) Mirum eſt, *Lockium* τὸν ἐνεστῶτα αἰῶνα de *eccleſia* ſeu œconomia *Judaica* accipere potuiſſe, quæ opponatur Eccleſiæ Chriſtianæ. Hanc enim ait appellari *ſeculum futurum*, Hammondum ita alibi pronunciantem procul dubio ſecutus. Quemadmodum vero nec Hammondus, nec *Lockius* hujus appellationis, ſtatui eccleſiæ Chriſtianæ accommodatæ, exemplum ullum ex ſacris literis adduxit, ita obſervatio hæc merito ut precaria rejicitur. Confer *Jo. Clerici* Biblioth. Selectam Tomo XIII. pag. 78. ſqq. & Anonymum Anglum in *Remarks on ſome books* pag. 132. qui itidem *Lockium* deſerit, quamvis exiſtimet, Eccleſiam Chriſtianam *ſeculum futurum* appellari poſſe, cum *Jeſ.* LXV. 17. & LXVI. 22. *nova creatura* vocetur, ac præterea conſtet, Judæos regnum Meſſiæ עולם הבא vocare conſueviſſe, quod & Paulus faciat *Hebr.* VI. 5. De hoc argumento, ut alibi nos diximus, ita h. l. ſolicitos eſſe non oportet, cum, etiamſi hoc præſtruatur, vel ſic tamen huc accommodari non poſſit. Neque tamen exiſtimo, vim dictionis ſatis exprimi, ſi corruptos ſeculi mores, vel homines illius temporis ſceleratos intelligi exiſtimemus. Ita *Clericus* l. c. & Cl. *Elsnerus*. Latior omnino eſt phraſeos ambitus, & αἰὼν πονηρὸς appellatur ſtatus ſeu conditio hominum in hoc mundo naturalis, peccato ita obnoxia, ut præter reatum & pœnas dominium ejus ſentiat. Hoc ſenſu S. Johannes 1. epiſt. V. 19. ait: ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. Atque hæc peccati momenta omnia Paulus hic comprehendere exiſtimandus eſt, quando Chriſtum ait liberare nos a corrupto hoc ſæculo & viventium in eo hominum ſocietate voluiſſe. Anonymus Anglus l. c. idem procul dubio ſibi voluit, quando hæc ex 1. *Joh.* IV. 4. 5. 6. interpretatur, ubi illis, qui ſunt ἐκ τοῦ κόσμου, opponuntur, qui ſunt ἐκ τοῦ Θεοῦ. Hanc, quam diximus, Pauli mentem eſſe, vel ex verbis proxime antecedentibus intelligitur, quibus Chriſtum ait ſe δοῦναι ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν. Hoc enim non tantum aut potiſſimum ſanctitatem in hominibus procurandam ſpectavit, ſed inprimis conciliandam Dei gratiam, & peccati reatum ac pœnas amovendas reſpexit. Compara

para *Luc.*I. 74. 75. In hanc ſententiam egregie *Chryſoſtomus* ad h. l. *δείκνυσιν, ὅτι καὶ τῶν προτέρων ἡμᾶς ἀπήλλαξεν ὁ Χριςὸς ἁμαρτημάτων, καὶ πρὸς τὸ μέλλον ἠσφαλίσατο, oſtendit, quod Chriſtus nos & a prioribus liberaverit peccatis, & etiam de futuro tutos reddiderit.* In totum hoc comma lege commentantem *Jacobum Bernardum* in libro de Pœnitentia ſera, germanice converſo, p. 189. ſqq.

Verſ. 6-9. illuſtrantur a M. *Godofr. Chriſtiano Boſe* in Diſputat. de unico Jeſu Chriſti Evangelio, a Paulo adverſus deſtruentes & deſerentes anathemate defenſo, Lipſ. 1663. ed. & in Theſauro Diſputatt. Tom. II. pag. 606. recuſa.

Verſ. 6. *Θαυμάζω, ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε*) Ita *οἱ* LXX. quod *Hieronymus* jam notavit, 1. *Regg.* XXI. 25. *μετέθηκεν αὐτὸν Ἰεζάβελ ἡ γυνὴ αὐτοῦ*, de Achabo a cultu veri Dei ad deaſtros traducto. Scriptores externos eadem phraſi uti de hominibus, in aliam ſententiam traductis, evicerunt *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 509. & *Elsnerus* p. 171. qui poſterior præterea opportune monet, reſpondere hoc, quod Paulus ipſis exprobrat, indoli gentis hujus, quam mira cupiditate nova diſcendi & ea inprimis, quæ ſapientiæ quadam ſpecie ſeſe commendarent, *Strabo, Pauſanias* & *Themiſtius* Orat. XXIII. p. 299. teſtentur. Pertinet huc, quod Hieronymus obſervat, Paulum alluſiſſe ad *Galatarum* nomen, quod Hebræis Galatia *translationem* inferat, atque adeo Galatæ tanquam *promti transferri* repræſententur. Reſpexit procul dubio Pater optimus ad Hebr. גלל *volvere*, unde *Galilæa*. At falſus eſt in hac nominis origine *Galatis* tribuenda, de qua aliter eruditi judicarunt. Vix *triennium* inter converſionem Galatarum & perverſionem hanc interceſſiſſe, ſunt, qui exiſtiment. Vide quæ infra ad Subſcriptionem epiſtolæ hujus monebuntur. De verbo *μετατίθεσθαι* lege præterea *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. Part. II. p. 18.

ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριςοῦ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον) Eadem ſtructura ſermonis exſtat apud *Polybium* pag. 1420. ubi proditores eſſe negantur *οἱ κατὰ παραςάσεις μετατιθέντες τὰς αὐτῶν πατρίδας ἀπό τινων ὑποκειμένων πρὸς ἑτέρας φιλίας καὶ συμμαχίας.* Obſervandum hic eſt, vocem *Χριςοῦ* vel immediate cum voce *χάριτι*, quæ ſcilicet a Chriſto parta ſit, conjungi, vel ad antecedentem *καλέσαντος* referri poſſe, ut Chriſtus eſſe dicatur, qui eos per Paulum vocaverit. Poſterius hoc *Grotio,* & nuperrime *Campegio Vitringæ* in commentario Belgico ad h. l. placuit, prius autem B. *Luthero* noſtro, & Theologis noſtratibus tantum non omnibus, qui proinde *τὸν καλέσαντα* ſeu *vocantem* de Deo Patre accipiunt. Neque ego aliter ſentiendi cauſam video. Patri enim frequentiſſime vocatio cœleſtis in ſacris literis adſcribitur, & quidem in Chriſto. Illuſtris inprimis locus eſt *Petri* 1.epiſt. V. 10. *ὁ δὲ Θεὸς πάσης χάριτος ὁ καλέσας ἡμᾶς εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ δόξαν ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ.* Videtur vero præterea Paulus ad v. 1. reſpexiſſe, quo ſuam ad Apoſtolatum vocationem Deo Pa-

tri & Chriſto acceptam refert, Galatiſque adeo in memoriam revocare voluiſſe beneficium ſimile, quo a Patre in Chriſto ſint per vocationem ad Chriſtianiſmum affecti. Id inprimis certum eſt, audiendum non eſſe *Wilh. Wallium*, quando in Notis Criticis Anglicanis in N. T. p. 165. per τὸν καλέσαντα, ipſum Paulum intelligit, ac ſi Paulus ſcripſiſſet: miror, vos a me, qui vos vocavi, averti. Idem placuit B. *Godofr. Oleario* in Prælectionibus MSS. Nunquam ego video vel Paulum, vel ullum Apoſtolorum, vocationem hominum ad gratiam & ſpem cœleſtem ſibi tribuiſſe. Nec id fieri hoc inprimis loco poterat, ubi τὸ καλέσαι emphaticum eſt, nec nudam invitationem, ſed talem, quæ cum effectu conjuncta apud Galatas fuerit, denotat. Hunc vero effectum non homini, ſed Deo ipſi, per Spiritum & verbum ſuum ex gratia operanti, adſcribi fas eſt. Denique non tam mirabatur Apoſtolus, quod Galatæ mentem nunc mutarint, quam illos ipſos percellere volebat, ubi recogitarent, a quo, nempe *Deo* ipſo, vocante, ad quos, nempe Pſeud-apoſtolos, a Deo non miſſos, deflexerint; imo a qua *gratia*, adhuc agnita, ad quæ legis Moſaicæ inſtituta & opera, gratiam deprimentia, & excludentia, ſe averterint. Nec juvat Virum doctum v. 8. ubi Paulus Evangelii præconem ſe apud Galatas fuiſſe profitetur. Hoc enim ſe, ad inſtar Johannis vocantis, Dei vocem, vel inſtrumentum profitetur.

Verſ. 7. Ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο) *Quod* tamen, (ſcil. Evangelium) *non eſt aliud.* Idem eſt, ac ſi ſcriptum ſit, μὴ ὄντος ἄλλου, **ſo doch kein anders iſt**, ut B. *Lutherus* convertit. Confer *Starckii* Notas Selectas p. 137.

εἰ μή τινές εἰσι) *Sed ſunt aliqui.* Τὸ εἰ μὴ idem h. l. eſt, quod ἀλλὰ, ut *Matth.* XII. 4. & *Luc.* IV. 27. Confer *Glaſſii* Grammat. Sacram p. 499. Reſpondet ſcilicet Hebræo כי אם & Talmudico ac Syriaco אלא, quo Syrus Interpres in allatis locis uſus eſt. Confer, quæ Vol. I. p. 208. 519. & 957. ſunt allata. Neglecta hæc particulæ notio effecit, ut poſt *Grotium*, & ejus exemplo *Lockium* ac *Clericum*, *Hombergius* p. 272. Parergorum τὸ ὃ non ad proxime antecedens εὐαγγέλιον, ſed ad totam rem v. 6. expoſitam, nempe *traductionem ad Evangelium aliud*, referret, hoc ſenſu: *quod* (nempe aliud Evangelium transferri) *non eſt aliud*, (i. e. non eſt aliunde,) *niſi quod quidam ſunt, qui vos terrent.* Impeditiora hæc eſſe nemo dubitat, qui alteram illam expoſitionem cum his contenderit. Nec præſidium illa inveniunt in v. 8. ad quem *Hombergius* ſe recipit. Sicut enim hac ipſa phraſi, ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο, Paulus in univerſum negaverat, dari aliud Evangelium, ita ſpeciatim v. 8. graviter inficiatur, vel ſibi, vel angelo de cœlis, fas eſſe aliud annunciare.

μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ) *invertere Evangelium Chriſti.* Ita plerique Interpretes convertunt, nec incommode, modo hæc *inverſio* ita intelligatur, ut *everſionem* ipſam ſecum ferat. Hoc ſenſu, puto, *Clericus* reddidit per *renverſer.* Eodem modo hoc verbum accipi debet *Jac.* IV. 9. ὁ γέλως ὑμῶν εἰς πένθος μεταστραφήτω, ubi ſane pleniſſima doloris cum gaudio, ceu penitus abolito, permutatio innuitur. Hinc Paulus infra c. V. 4. κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ

ςȣ̃, *Chriſti jacturam feciſtis.* Minus, quam par eſt, dicunt, qui id Apoſtolum ſibi velle cenſent, quod Pſeud-apoſtoli illi Evangelium *inverſo ordine doceant*, cum bona opera cauſam ſtatuerint juſtificationis, cujus tamen ſint effectus. Ita ſentit *Starckius* in Notis Selectis p. 134.

Verſ. 8. Ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ ȣ̓ρανȣ̃ εὐαγγελίζηται ὑμῖν) Hyperbolice dici monuit olim *Chryſoſtomus*: Οὔτε αὐτὸς, inquiens, ȣ̓́τε ἄγγελος ἔμελλε τȣ̃το ποιεῖν, ἀλλ᾽ ἵνα δείξῃ τὴν ὑπερβολὴν τȣ̃ πράγματος, καὶ τὸ μηδ᾽ ὅλως ἐσόμενον τέθεικε. *Neque ipſe, neque Angelus id facturus erat: ſed ut hujus rei magnitudinem oſtenderet, etiam id, quod nullo modo futurum eſt, poſuit.* Conſentientes Patres alios lege apud *Petavium* Tom. I. Dogmat. Theolog. ubi de Angelis lib. I. c. 12. §. 2. ſqq. pag. 37. ſq. Idem ſentiunt ex noſtratibus *Glaſſius*, *Calovius*, alii. Viciſſim Celeb. *Val. Erneſtus Læſcherus* in Stromatibus p. 38. agnoſci hic tantum vult conditionem διδακτικὴν & medicinalem, qua occurratur pravæ hominum curioſitati, nova ſemper & meliora exſpectantium, cum optima jam habeant, quemadmodum Apoſtolus Galatis nihil quicquam concedat, ſed fortiori modo opinionem iſtam reſcindat. Patrum loca alia lege apud *Svicerum* Tom. I. p. 46.

Ἀνάθεμα ἔςω) Lege *Seldenum* de Synedriis Hebræorum pag. 142. & *Svicerum* Tomo I. pag. 46.

Verſ. 10. Ἄρτι γὰρ ἀνθρώπȣς πείθω, ἢ τὸν Θεόν;) Lege M *Dav. Henr. Kæpkenii* diſputat. Roſtoch. 1701. Τὸ γὰρ hic eſt non cauſale, ſed expletivum, & interrogationi, fortius inſtituendæ, inſervit. Hoc ſenſu Germani vocula denn frequenter utimur, quam etiam h. l. B. Lutherus adhibuit. Eadem eſt notio particulæ כי apud Hebræos, quam in rem lege B. *Starckii* Notas Selectas Parte I. p. 50. Nec profanis Scriptoribus τὸ γὰρ eodem modo inſuetum eſſe ex *Xenophonte* oſtendit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis ad *Matth.* XXVII. 23. quibus in Herodoteis pag. 508. alium ex *Herodoto* addit lib. III. pag. 236. ita interroganti: σὺ γὰρ ἐν ἀνδρὸς λόγῳ; *tune pro viro habendus es?* Conferatur idem in Semicenturia Annotatt. Philologic. in calce Annotationum Herodotearum recuſa pag. 699.

Ἀνθρώπȣς πείθω ἢ τὸν Θεόν;) Hæc *Jo. Clericus* ad Hammondum ita convertit: *an perſuadeo Deo vel hominibus*, ſcilicet, mihi non iraſci? At ipſe, in verſione Gallica aliam ingreſſus viam, ſic reddit: *Car enfin ſont ce les hommes, ou Dieu, que je tache de perſuader*, qu'il faut ſuivre? Et ſic olim *Beza*: & ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius*, ac *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitat. Bibl. N. T. Tom. II. p. 109. *utrum homines (audiendos) ſuadeo an Deum?* Nec aliter *Vatablus* & *Coccejus*, quos ſequitur *Campeg. Vitringa* in commentario ad h. l. per Deum *res divinas*, per homines autem *res humanas*, intelligens. Nec abit *Beauſobrius*, ita gallice interpretatus: *Car la doctrine que je veux perſuader icy, eſt elle des hommes ou de Dieu?* Ita quoque B. *Lutherus* noſter in commentario priori

priori ad h.l. *Numquid humana ac non potius divina doceo, quibus omnia cœleſtia & terreſtria merito ſileant, & cedant?*

Videtur tamen in verbo πείθειν aliquid amplius latere, quod & B. *Lutherus* in verſione Germanica eleganter expreſſit: **Predige ich denn jetzt Menſchen oder GOtt zu Dienſt,** h. e. ut *Flacius* noſtras, explicat: *Homines aut Deum ſuadere ſignificat, ſuadendo & docendo mihi devincire conor. Per metalepſin enim hic non proprie ipſam inſtitutionem, ſed id, quod conſequitur, ſibi nempe placare, devincire, conciliare ſignificat. Nam in ſuadendo id potiſſimum captatur, ut auditorum animos favoremque & applauſum nobis conciliemus, illisque nos approbemus. Ait igitur, ſe docendo non hominum, ſed Dei favorem approbationemque venari, quod mox clarius exponit, cum inquit:* Aut quæro hominibus placere? *Sic &* Theophylactus *intelligit.* Eadem ratione accepit hæc *Grotius.* Πείθω, inquit, *bic ſignificat* propitium mihi facio, *ut diximus ad Matth.* XXVIII. 14. *Sic in Græco* 1. *Sam.* XXIV. 8. καὶ ἔπεισε Δαβὶδ τοὺς ἄνδρας αὐτοῦ ἐν λόγοις. Nec aliter viſum eſt *Grotio, Heinſio,* & *Hammondo, Carolo le Cene* in Projet d'une nouvelle verſion p. 613. *Millio* in Prolegom. ad N. T. §. 1216. *Lockio* in commentar. (qui in exemplum hujus ſignificationis affert *Actor.* XII. 20. πείσαντες Βλάστον,) & noviſſime Cl. *Elsnero* p. 172. ſq. Hic pro verſione ſua: *utrum hominum, an Dei gratiam conciliare mihi conor?* præter ipſam Pauli expoſitionem ſequentem: ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν, 2. *Cor.* V. 11. & *Actor.* XII. 20. affert, una cum locis quibusdam *Demoſthenis, Herodiani* & *Juliani. Demoſthenes* pro Corona p. 338. ita: τοὺς δ' ἀπ' ἀρχῆς ἀνθεστηκότας αὐτῷ, καὶ νῦν ἐναντιουμένους οὐδαμῶς πεῖσαι δύναται. *Eos autem qui principio illi reſtiterunt, & adhuc adverſantur, nequaquam conciliare poteſt.* Addit idem, de conatu hoc accipiendum eſſe, quem etiam Apoſtolus ſequenti: ζητῶ ἀρέσκειν, exprimat.

Rev. *Raphelius* in Semicenturia Annotatt. Philolog. l. c. p. 699. ita potius explicat: *num homines falſis perſuaſionibus decipio? an Deum* puto me poſſe *decipere,* vel latere. *Certe,* (hæc addit) *alterutrum neceſſe eſt, ut vel, ſi homines erroribus involvo, Deum celare fraudem meam, ejusque judicium effugere me poſſe ſperem, vel, ſi Deum a me decipi poſſe deſpero (id quod utique deſpero) neceſſe eſt, ut neque homines decipere audeam.* Scilicet τὸ πείθειν idem h. l. eſſe cenſet, quod ſupra 2. *Cor.* V. 11. ἀνθρώπους πείθω, ubi vide, quæ de ſententiæ hujus argumentis diximus. Quemadmodum vero ibi ab ea diſceſſimus, ita nec huic loco convenientior nobis videtur, inprimis, cum τὸ πείθω hac ratione reſpectu Dei idem eſſe dicatur, quod, *puto me poſſe decipere* vel *latere,* nec præterea appareat, quomodo Apoſtolus ab adverſariis in ſuſpicionem adduci potuerit, quaſi in Deum ipſum ſit injurius. Procul dubio τὸ πείθω eundem ſenſum hic habebit reſpectu Dei, quem habet reſpectu hominum. Jam vero non poteſt eſſe ſermo de Deo, falſis perſuaſionibus decipiendo, itaque nec de hominibus. Placuit tamen idem B. *Henr. Bened. Starckio* in Notis Selectis p. 136. qui id iisdem argumentis, & interdum verbis, quibus vir doctiſſimus uſus eſt, repetiit, ut non dubitem, illi, quamvis non nominato, hæc omnia deberi.

Meo

Meo quidem judicio, illa ſententia potior eſt, quam proxime ante hanc commemoravi, ſive in pudorem Pſeud-apoſtolorum, id, quod Paulus de ſe negat, agentium, ſive ex eorum clandeſtina calumnia dici & repelli exiſtimetur.

ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν) Hæc unus *Æthiops* in verſione ſua omiſit. *Millius* in Prolegom. §. 1216. a Scholiaſte repetit, qui ea ex ſequentibus illuſtrationis cauſa ad oram codicis ſcripſerit, in contextum poſtea temere illata. Quaſi vero inſuetum ſit Apoſtolo, ea clarius dicere, quæ obſcurius erant propoſita, (vide hic v. 12. ὃ παρέλαβον, ὅτε ἐδιδάχθην,) nec vel ex ipſa illa oratione, εἰ γὰρ ἔτι ἀνθρώποις ἤρεσκον, ſi Paulus antecedens illud non ſcripſiſſet, mens ejus patere potuiſſet!

Εἰ ἀνθρώποις ἤρεσκον) Vid. *Andr. Schotti* Adagialia N. T. p. 132.

Verſ. 11. Ὅτι οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον) *non eſt ſecundum hominem*, i. e. ab homine profectum. Hinc v. 12. Οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον. *Polybius* pag. 683. Lycurgi leges celebrans, ait, ſe θειοτέραν τὴν ἐπίνοιαν ἢ κατ' ἄνθρωπον αὐτοῦ νομίζειν, *inventum divinius cenſere, quam ut ab homine ſit profectum.* Confer *Raphelium* p. 511.

Verſ. 12. Οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον) Ita prorſus *Polybius* p. 1385. ταύτην δὲ τὴν ἱστορίαν ἐγὼ παρέλαβον μὲν καὶ παρ' αὐτῶν Καρχηδονίων. Vide ſcripta ad 1. *Cor.* XI. 23.

Verſ. 15. Ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ Θεὸς) Vocem Θεὸς Patres nonnulli omittunt, atque hoc nomine Millius pro interpretamento marginali habet, rectius ſentiente *Whitbio* p. 67. Hunc & ſequentem verſum illuſtrat B. *Jo. Godofr. Schubartus* in Diſput. de gratia Paulo data ad Miniſterium, Gieſſ. 1728.

Ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου) Vide ad *Rom.* I. 1.

Verſ. 16. Οὐ προσανεθέμην) *non adhibui in conſilium.* Ita *Lucianus* in Jove Tragœdo pag. 128. Ὦ Ζεῦ -- ἐμοὶ προσανάθου, λάβε με σύμβουλον πόνου. *O Jupiter -- me adhibe in conſilium, me ſume conſiliarium in moleſtiis tuis.* Vide *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 172. Caſaubonus in Caſaubonianis p. 75. hæc affert ex *Euſebio*, προσανέχοντες αὐτῷ οἷα διδασκάλῳ, item ἀνατιθέμενος τοῖς ἀδελφοῖς. Patres quidam, locum hunc ex memoria citantes, afferunt προσανεῖχον. Vide *Jo. Croji* Obſervatt. ad N. T. p. 136. ſq.

Σαρκὶ καὶ αἵματι) i. e. *hominem ullum.* Vide, quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* XVI. 17. & confer infra *Epheſ.* VI. 12. Adde *Jac. Cappelli* Obſſ. p. 79. & *Ludovici Cappelli* Spicilegium p. 105. Latiorem phraſeos ambitum, qui illi hodie tribui conſuevit, exponit Venerab. *Valent. Erneſtus Læſcherus* in Decimis Evangelicis Parte VI. p. 1. ſqq.

Verſ. 18. Ἱστορῆσαι Πέτρον) Latine hoc quidam vertunt *videre*, quod eſſet ἰδεῖν, alii ſignificantius *viſere.* Ἱστορῆσαι autem aliquid amplius eſſe, quam viſere, *Chryſoſtomus* ad h. l. monuit. *Camerarius* ex Herodoti Euterpe p. 108. probat, *ſignificationem* habere *percunctationis & cognitionis, narrationis quo-*

que compertorum. Budæum aptiora illis exempla attuliſſe inCommentariis monuit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 508. Adde Cl. *Elsnerum* p. 174. Luculentus eſt *Plutarchi* in Cicerone locus p. 861. a pluribus allatus, ubi parentes condiſcipulorum Ciceronis dicuntur ὄψει τε βȣλόμενοι ἰδεῖν τὸν Κικέρωνα, καὶ τὴν ὑμνȣμένην αὐτȣ̃ περὶ τὰς μαθήσεις ὀξύτητα καὶ σύνεσιν ἱςορῆσαι. Ita ἱςορῆσαι dicebantur, qui ſtudiorum cauſa itinera ſuſciperent. Vide *Creſollii* Theatrum Sophiſtarum p. 163. Germani dicunt, **einen kennen lernen, mit einem bekannt werden.** Adde *Jo. Conr. Dieterici* Antiquit. Biblicas N. T. Tom. I. p. 402. *Heſychius*: ἱςορεῖ, ἐρωτᾷ, πύθεται, ἀνακρίνει. Hinc *Svicerus* Tom. I. p. 1465. conficit, *Paulum adiiſſe Petrum, ut de quibusdam eum conſuleret, ut de profectu ſuo in Eccleſiis cum eo ageret, atque conferret.* Quod ſicut in tantum admitti poteſt, ut utrique communibus conſiliis incrementa Eccleſiæ eo felicius proveherent, ita minime inde conſequitur, quod Paulus Petri fuerit diſcipulus, qui viſus eſt *Heinſio*, *Carolo le Cene* in Projet p. 615. Lege contra eum diſputantem *Jac. Guſſetium* lib. V. Conſiderationum Theologicarum. Si id indicare hic Paulus voluiſſet, contra ſe ipſum dixiſſet. Probaturus enim erat, ſe doctrinam Evangelicam a nemine hominum accepiſſe. Mireris vero inprimis *Schelſtratium* fictum illum Petri primatum tam confidenter huic loco ſuperſtruere potuiſſe. Lege præterea de hoc loco *Spanhemium* in Dubiis Vexatis Parte III. p. 150. ſq.

Verſ. 19. Ἐι μὴ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τȣ̃ Κυρίȣ) Sic prorſus *Joſephus* Antiquitt. XX. 8. ἀδελφὸν Ἰηςȣ̃, τȣ̃ λεγομένȣ Χριςȣ̃, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ. Quam inter hæc Pauli verba, & *Joh.* VII. 15. ubi *fratres Jeſu in ipſum credidiſſe* negantur, pugnam finxit auctor τȣ̃ *Chiſſuk Emuna*, eam in cerebro hominis tantum deprehendi, oſtendit *Jac. Guſſetius* in Confutatione illius libri Parte II. p. 439. De hoc *Jacobo* lege *Svicerum* Tomo I. pag. 1430. & *Petavium* Tomo IV. Dogmat. Theolog. ubi de Hierarchia I. 7. 2.

Verſ. 22. Ταῖς ἐν Χριςῷ) i. e. in Chriſtum credentibus. Conf. *Rom.* XVI. 7.

Verſ. 23. Μόνον δὲ ἀκȣ́οντες ἦσαν) Τὸ ἀκȣ́οντες non ad vocem ἐκκλησίαι antecedentem, ſed ad homines, ex quibus illæ conſtabant, conſueto more pertinet.

ἥν ποτε ἐπόρθει) Omittit *Æthiops* ideoque ex ſuperioribus, nempe ὁ διώκων ἡμᾶς, additum putat *Millius* in Prolegomenis, recte repugnante *VVhitbio* p. 67. Quis, quæſo te, adderet aliquid, ſine quo ſenſus ipſe percipi poterat? Et ſi quis quicquam addere de ſuo voluiſſet, nonne exiſtimandus eſt ſcripturus potius fuiſſe ἣν ἐδίωκε, quam ἥν ποτε ἐπόρθει.

Verſ. 24. Καὶ ἐδόξαζον ἐν ἐμοὶ τὸν Θεόν) *Et laudarunt propter me Dominum.* Conf. *Epheſ.* IV. 1. & 1. *Pet.* IV. 14. Adde *Svicerum* Tom. I. p. 446.

CAPUT

CAPUT II.

AD priora hujus capitis commata nonnulla lege, ſodes, *Jo. Harduini*, Ordinis Ignatiani, differt. ſingularem, quæ exſtat in Operibus ejus Selectis p. 921. ſqq. qua probare potiſſimum conatur, Cepham, qui a Paulo v. 11. reprehenſus dicitur, non eſſe Petrum Apoſtolum. Adde Celeb. *Jo. Laur. Mosheimii* Vindicias antiquas Chriſtianorum diſciplinæ adverſus Jo. Tolandi Nazarenum p. 214. ſq.

Verſ. 1. *Ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν*) *Lud. Cappellus* in Append. ad Hiſt. Apoſtolicam contra Codicum omnium fidem mavult legere *διὰ τεσσάρων ἐτῶν*, eo inprimis conſilio, ut evinceret, epiſtolam ad Romanos anno Claudii ultimo ſcriptam eſſe. At hoc, ſtante recepta lectione, fieri poſſe, adeoque nulla mutatione eſſe opus, oſtendit Cl. *Georg. Lud. Oederus* in Syntagmate Diſſertationum p. 545. ſq. modo illud *διὰ* per *intra* vertatur, hoc ſenſu: *porro intra quatuordecim annos Hieroſolymam profectus ſum*; quod Germanice diceres: **ich bin auch noch ferner die 14. Jahr über gen Jeruſalem gezogen.** A converſione enim Pauli ad tempus ſcriptæ epiſtolæ ad Galatas tot annos videri effluxiſſe. Tertium iter, quod Paulus Hieroſolymam ingreſſus ſit, hic innui, & cum eo 14. annos, hic commemoratos, ſtare poſſe diligenter oſtendit *Vitringa* in Comment. belgico ad h. l. p. 46. ſqq. Ceterum *τὸ διὰ* pro *poſt* uſurpari ab *Herodoto* lib IV. p. 254. oſtendit *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 510.

πάλιν) Deeſt in Patribus nonnullis, ſuſpectumque *Millio* eſt in Prolegomenis §. 479. ſed vide *VVhitbium* p. 67.

Verſ. 2. *κατὰ ἀποκάλυψιν*) Quomodo conciliandum hoc ſit cum Act. XV. ubi Paulus ex communi Eccleſiæ Antiochenæ conſilio Hieroſolymam dicitur profectus, oſtendit *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 268.

καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον) *Alex. Morus* vertit *retuli*, vel, *communicavi*, præeunte *Chryſoſtomo*, per *κοινώσασθαι* interpretanti. Opinatur etiam, Paulum ad *τοὺς* LXX. reſpexiſſe *Mich.* VII. *καὶ ἀπὸ τῆς συγκοίτου σου φυλάξαι τοῦ ἀναθέσθαι τι αὐτῇ.* At prior eſt *exponendi* ſive *enarrandi* notio, Actor. XXV. 24. nec minus apud profanos Scriptores, quorum loca Cl. *Elsnerus* affert p. 175. obvia.

κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι) *privatim vero eminentioribus*, ſive iis, qui in pretio habebantur. Iidem enim v. 6. dicuntur *οἱ δοκοῦντες εἶναί τι*, & ibidem ſimpliciter *οἱ δοκοῦντες*. Vide, quæ ibi ſcribentur. *Jac. Triglandius* p. 171. Diatribæ de Karæis locum ex Scriptore Karæo affert, in quo חשובים i. e. *æſtimati* ſive *οἱ δοκοῦντες* appellantur. At Cl. *Hombergius* p. 175. vertit *putantibus*, & hoc verbi participium *ἀμέσως* jungi vult ſequentibus, hoc ſenſu: *privatim vero iis, qui putabant, num forte in vanum currerem.* Niſi enim ita acceperis, Apoſtolus ſibi ipſi videri poſſet contradicere, qui *Philip.* II. 16. diſerte profiteatur, ſe non in vanum currere. Jam negari non poteſt, *τὸ μήπως* vel *μήποτε* eodem

ſenſu verbis jungi ſolere, v. c. *Luc.* III. 25. *Gal.*IV. 11. 1. *Theſſ.* III. 5. Sed id nondum efficit, ut voci δοκοῦσι eam, quam vir doctus vult, ſignificationem tribuamus, cum altera illa, ab Interpretibus, quos ſciam, omnibus recepta, & a Paulo ipſo in ſequentibus eidem ſubjecta, (quod nec ipſe negat) rectius locum tueatur. Obvertit quidem, *metuendum non fuiſſe Apoſtolo, ne erronea opinio aliorum, putantium, ſe non vocatum currere, efficeret, ut in vanum curreret.* At vereri omnino debebat Apoſtolus, ne id fieret, ſi forte adverſantes ſibi inter doctores, auctoritate valentes, inveniret, qui legi Moſaicæ plus, quam par erat, tribuebant. Si enim vel contradictione ſua publice facta (hinc privatim etiam cum iis ſermones conferebat) vel præconio Evangelii contrario efficere poterant, ut ceteri, quos ipſe docuerat, & inprimis Antiocheni, a ſe & vera Evangelii doctrina averterentur, ipſe vero inpoſterum impeditum ſe videret a vera doctrina cum fructu promulganda. Hoc autem caveri poterat, ſi recte intelligerent, qua ratione præconio ſuo ſit defunctus, quibusque illud fundamentis ſuperſtruxerit. Sic enim invidorum, aut aliter ſentientium, calumniis occurri poterat. Viciſſim non pugnat ſecum Apoſtolus, quando *Philip.* II. 16. ſe non fruſtra laboraſſe profitetur. Qui enim ſedulo cavet, ne fructus muneris ſui intervertatur, eum fructum illum jam cepiſſe neceſſe eſt; nec is in univerſum fructu excidit, qui apud nonnullos, inter quos Galatæ erant, obicem ſibi ad tempus poni intelligit. Imo nec ipſe Apoſtolus timere poterat, ne hactenus fruſtra fuiſſet, cum alia omnia ampliſſimis experimentis didiciſſet, ſed vereri debebat, ne id inpoſterum fieret, quandoquidem legis Moſaicæ ſectatores non Evangelici ad Apoſtolorum quorundam conſenſionem provocabant. Recte itaque hanc *Hombergii* ſententiam deſerendam judicavit Cl. *Elsnerus.*

μήπως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον) De phraſi lege ſupra ad 1. *Cor.* IX. 26. & adde *Andr. Schotti* Adagialia N. T. p. 125. *Knatchbullus* verba hæc usque ad finem commatis tertii περιτμηθῆναι, a ceteris per parentheſeos notam ſejungi vult, ideo, ne Titus propter irreptitios fratres, (quippe qui tum non adfuerint,) ad circumciſionem non adactus exſtimetur. Hujus enim rei cauſam ait fuiſſe partim veritatem Evangelii, quæ vel ſic adſerenda erat, partim, ne Paulus fruſtra laboraſſe videretur. Sed recte illi jam occurrit Cl. M. *Chriſtoph. Wollius* in Commentatione de Parentheſi Sacra p. 98. & 93. Contortam enim eſſe hanc parentheſin facile quisque per ſe intelligit. Prima illius verba, μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον cum verbo ἀνεθέμην arctiſſime cohærent, tanquam cauſam itineris & colloquii Paulini cum Apoſtolis exhibentia. Tum vero particula οἷς verſus 5. male refertur ad remotum illud δοκοῦσι, verſus 2., cum aliud ſit in promtu & propius, ad quod per bonas interpretandi leges pertineat. Hi vero ſunt παρείσακτοι ψευδάδελφοι v. 4. Atque ad hos ipſos in caſſum ad παρένθεσιν ſuam ſtabiliendam provocat *Knatchbullus,* tanquam qui non interfuerint colloquio Pauli, cum Apoſtolis eminentioribus habito. Itane vero Apoſtolus ad illos tantum ſermones & rationes prædicati Evangelii retulit? Nonne potius easdem publice in cœtu Chriſtianorum Hieroſolymitano peroraſſe

raſſe cenſendus eſt, qui diſerte dicat, ſe *illis*, qui ſcilicet Hieroſolymis Chriſtum profitebantur, præter hos autem inprimis & privatim iis, qui auctoritate pollebant, ſua ediſſeruiſſe? Sufficit igitur, *παρεισάκτους* tales exſtitiſſe Hieroſolymis in cœtu Chriſtianorum, qui legem Moſaicam & inprimis circumciſionem urgerent. Tales fuerant Antiochiæ, Hieroſolymis illuc delati. Dicebant enim: *ὅτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωυσέως, οὐ δύνασθε σωθῆναι. Act.* XV. 1. Tales vero erant etiam Hieroſolymis, qui Paulum adventantem, & perorantem his excipiebant verbis: *ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς, παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωυσέως*, ibid. v. 5.

Si qua igitur parentheſis ſtatuenda eſt, rectius illi v. 3. 4. & 5. includuntur. Apoſtolus enim v. 2. ait, ſe cum Apoſtolis eminentioribus, Jacobo, Petro & Joanne, v. 9. conſilia contuliſſe, hujus vero colloquii eum fuiſſe fructum, ut pateret, non intercedere inter ſeſe & illos quicquam diſcriminis, adeo quidem, ut nihil illi haberent, quod vel addendum vel mutandum in rationibus Paulinis cenſerent, *οὐδέν μοι προσανέθεντο, ibid.* Huic narrationi ea, quæ v. 3-5. leguntur, interjicit Apoſtolus, quæ ad circumciſionem Ex-Gentilium, qualis *Titus* erat, ſpectant. Hanc enim ex inſtitutis Moſaicis falſi fratres inprimis urgebant. Et vel ſic tamen *Titus*, quem Paulus ſecum duxerat, non fuit ad circumciſionem ab Apoſtolis ceteris adactus, inſigni documento, eos cum Paulo, eadem opus non eſſe cenſente, egregie conſentire. Et commate quarto largitur Paulus tacite, Titum circumcidi potuiſſe, id vero ait propterea non fuiſſe factum, ut ne haberent falſi fratres, quo abuterentur, & ex quo diſſenſum Pauli & reliquorum Apoſtolorum perſuadere aliis poſſent. Quod ſi ſeries orationis Paulinæ hoc modo nectatur, nihil in ea vel impeditum eſt, vel diſtortum. Filum ſcilicet ſermonis, per v. 3-5. nonnihil interruptum, v. 6. retexitur. Indicio eſt initium ejus. *Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι.* Hoc enim legentes revocat ad v. 2. *κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι*, hoc ſenſu. Quod ad Apoſtolos illos & doctores eminentiores attinet, ab iis quidem nulla in re diſſentio. Similis *παρενθέσεως* exemplum habes 1. Cor. IX. 1. ſqq. Cum enim ibi Apoſtolus *τῶν εἰδωλοθύτων* mentionem feciſſet, & ex occaſione phraſeos, *οἴδαμεν ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν*, de *γνώσει* parenthetice aliquid usque ad v. 3. finem monuiſſet, ad ſuperiora regreſſurus, ait v. 4. *Περὶ τῆς βρώσεως οὖν τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν, κ. τ. λ.*

Verſ. 3. *Ἀλλ' οὐδὲ Τίτος, ὁ σὺν ἐμοὶ -- ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι*) Comma hoc una cum ſequentibus 4. & 5. illuſtrat B. *Jo. Hulſemannus* in diſſert. de libertate Chriſtiana Lipſ. 1651. & 1706. ed. Miror, Cl. *Sam. Battierium*, impetrare a ſe potuiſſe, ut pro *Τίτος* legendum *Τιμόθεος*, ac præterea *οὐδὲ* omittendum cenſeret. Vide Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VII. pag. 56. ſqq. Conjectura hæc adeo tum commemorationi Titi v. 2. factæ, tum Codicibus penitus conſentientibus, tum nexui & ſcopo orationis Paulinæ adverſatur, ut retuliſſe hæc ſit refutaſſe. Interim tamen opera hac dextre perfunctus eſt Cl. *Harenbergius* Claſſe VIII. p. 104.

Ἑλληνῶν) De voce hac pro ornanda hypotheſi ſua commentatur *Salmaſius* in Funere Linguæ Helleniſticæ p. 351.

Verſ. 4. Διὰ δὲ τὺς παρεισάκτυς) Τὸ δὲ ſupplementum orationis neceſſarium ſubindicat, ut ſenſus ſit: Factum vero hoc eſt, ut ſcilicet Titus non circumcideretur, propter falſos fratres. Sic ſupra *Rom.* XIII. 11. Fortaſſe etiam cum *Beza* τὸ δὲ pro δὴ poſitum exiſtimari debet hoc ſenſu, *atque hoc vel maxime propter falſos fratres.* Notionis hujus exempla habes apud *Vigerium* de idiotiſmis Græcæ Linguæ pag. 229. Confer, quæ ſcripſimus Vol. I. p. 1163 & *Glaſſii* Grammaticam Sacram pag. 610. Καὶ τῦτο εἰδότες i. e. *Hoc vero* faciendum eſt, *cum ſciamus.* Παρείσακτοι ſunt *irreptitii.* Cl. *Gerhard. Cræſius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. II. pag. 103. vertit *emiſſarios, ſubornatos, inſidiatores, peregrinos, adventitios.* Videtur ſcilicet exiſtimaſſe vir doctus, hos, de quibus Apoſtolus loquitur, aliunde & fortaſſe Antiochia, Hieroſolyma, emiſſariorum inſtar, miſſos fuiſſe, qui ſpecularentur, quid ibi ageretur, & cauſam contrariam tanquam ἀγωγοὶ, ſive actores litis tuerentur. Si vero conferamus, quæ *Act.* XV. 5. in Concilio Hieroſol. acta dicuntur, nullum ibi veſtigium legationis ejusmodi inveneris, cum v. 5. tantum commemorentur homines, Phariſaicæ ſectæ olim addicti, qui in fraudem libertatis Chriſtianæ circumciſionem urſerint. Itaque rectius hic intelliguntur homines, qui ſua ſponte & ſuis auſpiciis, Phariſaicorum præjudiciorum pleni, cœtui Chriſtianorum ſe obtruſerunt.

οἵτινες παρεισῆλθον) παρεισέδυσαν, ut *Jud.* v. 4. Ita *Polybius* p. 9. παρεισελθόντες δ᾽ ὡς φίλιοι, καὶ κατασχόντες τὴν πόλιν, ὓς μὲν ἐξέβαλον τῶν πολιτῶν, ὓς δ᾽ ἀπέσφαξαν. Huic ſimiles locos ejusdem Scriptoris affert Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 511.

κατασκοπῆσαι) Verbum hoc militare eſſe, & de exploratoribus ſpeciatim dici conſtat. Recte tamen monuit *Chryſoſtomus*, hic amplius aliquid, quam quod exploratorum eſt, inferri. Ὀυ τῷ τῶν κατασκόπων, inquit, ὀνόματι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ τρόπῳ τῆς λατραίας εἰσόδυ καὶ παρεισδύσεως τὴν ἐπιβυλὴν αὐτῶν ἐνδεικνύμενος h. e. *Non tantum exploratorum vocabulo, ſed etiam eo, quod clam introierint, & furtim ingreſſi ſint, inſidias eorum demonſtrat.*

τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν Χριςῷ) Vide huc *Svicerum* Theſauri Tom. I. p. 1088.

Sunt, qui in hoc commate ἀνακόλυθον obſervare ſibi viſi ſunt, cum nihil ſit quod indicet, quid propter illos falſos fratres factum ſit. Inter hos ſunt *Eraſmus* & *Hammondus* ad h. l. At nihil eſt, quod ad abſolvendam ſententiam requiratur, ſi ita hæc capiamus, quomodo accipienda eſſe ad v. 4. monuimus. Compara Cl. *Laur. Mulleri* diſputat. de Stilo Pauli minime idiotico §. X. p. 32. & *Hombergium* p. 274. qui de hac particula δὲ tam ſolicite non quærendum eſſe exiſtimat. At in ea non parum momenti ſitum eſſe, ex iis apparet, quæ ad v. 4. diximus. Nec probandi ſunt Codices, qui illud, *Eſtio* teſte, omiſerunt, multo minus *Hieronymus*, qui pro ſuperfluo habet.

Verſ.

Verſ. 5. Ὁις ȣ̓δὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν) Τὸ ὁις ȣ̓δὲ omittit unus Codex Claromontanus Græco-Latinus, nec habent *Irenæus* lib. III. c. 13. *Tertull.* lib. V. c. 3. contra Marcion. plures vero recentioris ætatis, ex quibus tamen nonnulli τὸ ὁις *quibus*, retinent, & τὸ ȣ̓δὲ tantum expungunt. Vide hæc fuſe expoſita a *Millio*, qui τὸ ȣ̓δὲ, tanquam *Apoſtolicæ dictionis tenori & ipſi rei veritati* adverſum, itidem tolli vult, &, qua ratione in Codices ceteros illatum ſit, more ſuo ſubtiliter, ſed minus feliciter, inveſtigat. Viciſſim τὸ ȣ̓δὲ retinet *Grotius*, τὸ ὁις vero, tanquam ſuperfluum, omittit. Utrumque abeſſe vult *Claud. Sarravius* in Epiſtola CLXXIV. pag. 178. edit. Burmannianæ. At *Millio* recte ſe oppoſuit *VVhitbius* in Examine p. 36. hac uſus epicriſi: *Quicquid igitur* Morinus & Millius *e contra litigent, certo certius eſt, tum ipſam rei veritatem tum Apoſtolicæ dictionis tenorem poſtulaſſe negationem.* Idem ante feceratGerh. van Maſtricht in Prolegomenis ad edit. N. T. Amſtelod. an. 1711. *Video nunc*, inquit, *D. Mill omiſſionem illam τȣ̃ ȣ̓δὲ, tanquam vetuſtiſſimam, probare. Verum ejus rationes & allegata me non movent, cenſeo enim contra mentem Pauli omitti, & mutari, qui hiſce libertatem a lege ceremoniali aſſertam voluit, & paulo ante per verba : ȣ̓δὲ Τίτος ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι.* Idem in Canone Critico XXII. ait: *Lectio abſurda*, (ſi nempe τὸ ȣ̓δὲ omittatur) *& quam antecedentia vel conſequentia abſurditatis convincunt, rejicienda eſt.* Repetit hæc *A. Blackwall*, itidem Anglus, & contra eandem corruptelam diſſerit in *Sacred Claſſicks* Tomo II. pag. 300. Nec ſecutus h. l. Millium eſt, quod alias frequenter facit, recens editor N. T. Græco-Anglicani, forte ideo, quod pag. 689. Millium ipſum omiſſionem τȣ̃ ȣ̓δὲ improbare opinatur. *VVilh. VVall* in Notis Criticis in N. T. pag. 167. nihil in hac cauſa definit.

Grotio, qui τὸ ὁις abundare, τὸ ȣ̓δὲ vero retinendnm cenſet, hoc ſenſu: *falſorum Apoſtolorum cauſa non ceſſimus ſubjectioni*, reſpondit *Lamb. Bos*, his omnino verbis: *Verba illa verſus quarti, διὰ δὲ τ. π. ψ. pendent a præcedentibus, ȣ̓δὲ Τίτος ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι, & vocula ὁις omnino ſervari & referri debet ad ψευδαδέλφȣς. Præterea τῇ ὑποταγῇ non eſt Dativus, qui pendet ab εἴξαμεν, ſed Ablativus, qui ſuppreſſam habet præpoſitionem ἐν, eſtque τῇ ὑποταγῇ idem, quod ἐν τῷ ὑποταγῆναι*, ſubjectione, *ut recte* Vulgatus.

Non repetam ego tædioſe, quæ ab aliis pro γνησιότητι utriusque vocis ὁις ȣ̓δὲ dicta ſunt. Ad eam aſſerendam, ſi alia omnia deeſſent, ſufficere poterat, quod Apoſtolus contra inſtitutum ſuum acturus fuiſſet, ſi eo tempore, quo inprimis de circumciſionis neceſſitate in Ex-Gentilibus diſputabatur, & diſputari debebat, per συγκατάβασιν quandam, quam hic nonnulli cauſantur, *Titum* circumcidi paſſus fuiſſet. Cum id de Timotheo alias fieret, non erat periculum, ne in abuſum raperetur. Illud vero hoc tempore vel maxime imminebat, cum res, in diſceptationem vocata, ad liquidum perducenda & definienda eſſet. Præterea non video, quomodo Paulus ad Titum provocare potuiſſet, tanquam per συγκατάβασιν circumciſum, apud Galatas, quibus fidem jam

jam facere volebat, Hieroſolymis a doctoribus non aliter in hoc negotio ſentiri, quam ipſe ſemper ſenſerit, apud Galatas, inquam, qui adverſæ ſententiæ ſemina imprudenter ſuſceperant. Quomodo infra cap. V. 2. ſcribere poterat? Ἴδε, ἐγὼ Παῦλος λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν περιτέμνησθε, Χριςὸς ὑμᾶς ὐδὲν ὠφελήσει. Lege de hac cauſa præter ceteros *Jo. Morinum* in Exercitatt. Biblic. p. 34. & *Rich. Simonem* in Hiſt. Critic. Verſionum N. T. p. 34.

Πρὸς ὥραν) Vide ad 2. *Cor.* VII. 16.

Τῇ ὑποταγῇ) i. e. ἐν ὑποταγῇ vel διʼ ὑποταγῆς *per ſubjectionem.* Vide *Boſii* dicta modo allata. *Lockius* quidem in commentar. itidem pro dativo habet, quia ſcilicet τὸ οἷς in pleonaſmis Hebraicis numeraverat, quod præter rem fieri oſtendimus.

ἡ ἀλήθεια τῦ Ἐυαγγελίυ) i. e. doctrina Evangelica de libertate a lege. Vide v. 14.

Verſ. 6. Ἀπὸ δὲ τῶν δοκύντων εἶναί τι) i. e. *Ab iis vero, quorum magna erat exiſtimatio.* Sunt iidem, qui v. 2. δοκῦντες ſimpliciter vocantur, quosque *Theodoretus* per ἐνσήμυς, *illuſtres*, interpretatur. In eadem ſignificatione δοκῦντες εἶναί τι, & δοκῦντες, ſimpliciter a profanis Scriptoribus dici multi evicerunt; ex noſtratibus quidem Rev. *Raphelius* in Semicenturia Annotatt. Philolog. p. 18. *Wolfburgius* p. 138. Obſſ. Sacr. & *Chriſtoph. VVollius* de Parentheſi Sacra p. 94. tum vero Cl. *Elsnerus* p. 176. & 178. *Plutarchus* τὸ δοκεῖν per νομίζεσθαι exprimit, quando in Vitis Parallelis Tomo I. p. 89. edit. nuperæ Londinenſis Thaletem vocat ἕνα τῶν νομιζομένων ἐκεῖ σοφῶν καὶ πολιτικῶν.

Et hic iterum nonnulli ἀνακόλυθον videre ſibi viſi ſunt, illique aliis alii modis conſulere ſtuduerunt. In his eſt *Beza*, *Hammondus*, *Clericus*, & qui eos ſequuntur: ex noſtratibus vero *Eraſmus Schmidius.* Illi ſcilicet ſubintelligi volunt, ὐδὲν ἔλαβον, *nihil accepi.* Secuti illi ex parte ſunt *Grotium*, qui ita ad hæc commentatur: *Cœperat ita inſtituere ſermonem Apoſtolus, quaſi dicturus eſſet,* ἀπὸ τῶν δοκύντων εἶναί τι, ὐδὲν προσελαβόμην. *Sed interjecta parentheſi repetiit vocem* δοκῦντες, *& ſubintulit:* ὐδὲν προσανέθεντο i. e. addiderunt. Approbat hæc Rev. *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis p. 510. ſqq. eademque opera varia ex *Herodoto* exempla affert, quæ evincunt, in illo æque ac in diſertiſſimis Græciæ Scriptoribus, anomalias ejusmodi occurrere, quas alii *Solœciſmos* vocent, & Sacris Scriptoribus præter rem impingant. In eandem ſententiam conceſſit Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* loco mox citando.

Contra hæc alii nihil inveniunt, quod a rationibus Grammaticis ſit alienum. Inter hos eſt *Hombergius* pag. 275. Parergorum, ita hæc convertens, ut τὸ ὐδέν μοι διαφέρει ad phraſin, ἀπὸ δὲ τῶν δοκύντων εἶναί τι, immediate referatur hoc ſenſu: *ab illis vero, qui videntur eſſe aliquid, non differo. Vult enim*, ita pergit, *ſe non eſſe minorem reliquis*, ὁποῖοί ποτε ἦσαν, *quanticunque etiam fuerint.* Hoc fine præpoſitionem ἀπὸ, æque abundare pronunciat, atque

que in illis, *ἀπὸ τῶν αἰσχρῶν κωλῦσαι*, & *καπνὸν ἀπ' αὐτοῦ*, i. e. *fumum ejus*. Ita prorſus *Theophilum* ait eadem phraſi uti Paraphraſi Inſtit. §. 4. d. Jur. Nat. Gent. & Civ. *τὸ δὲ χυδαῖον πλῆθος τοῦ δήμου τούτῳ διενήνοχε, ᾧ διενήνοχε γένος ἀπὸ τοῦ εἴδους. Plebs a populo differt, quo genus a ſpecie.* Cumque *τὸ μοὶ* huic expoſitioni obſtare videatur, id quoque redundare exiſtimat, & idem eſſe, ac ſi ſcriberetur, *οὐδὲν διαφέρω*, i. e. *οὐδὲν πρᾶγμα, μέρος μοι διαφέρει ἀπὸ τῶν δοκούντων*, vel, *ἐγὼ κατ' οὐδὲν μέρος διαφέρω.* Amplectitur hæc *Laur. Mullerus* in diſp. de Stilo Pauli minime idiotico §. X. p. 33. & *Chriſtoph. Wollius* de Parentheſi Sacra p. 99. & de vera fictaque particularum emphaſi, in calce Tractatus de Eccleſia Phariſaica & Chriſtiana p. 312.

Eandem vocum ſtructuram probat, ſed ſententiam alia ratione exprimit Cl. *Elsnerus* p. 177. Obſſ. Sacr. Vertit enim ita: *qui videbantur eſſe aliquid*, nihil ad me, ſeu nihil mea refert, quicunque tandem fuerint, nulla ab illis ad me pervenit utilitas, ut ipſe ſtatim exponit. *Plene autem,* ita pergit, *dixit Apoſtolus, adjecta vocula ἀπὸ, cujus crebrior eſt ellipſis, ut apud* Ælianum XII. *Var. Hiſtor.* cap. 25. *διαφέρει δέ μοι καὶ τούτων, εἴγε Ῥωμαῖός εἰμι·* mea vero intereſt etiam res illorum, cum ſim Romanus: *quemadmodum ita dicunt χωρίζεσθαί τινος & ἀπό τινος, & ἀπολαύειν τινὸς & ἀπό τινος.* At non videtur allatus *Æliani* locus id velle, quod vir doctus cupit. Hinc præſtantiſſimus *Perizonius* in notis ita potius convertit: *Illi vero etiam pertinent ad me, quamvis Romanus ſim.* In Addendis Cl. *Elsnerus* alia duo promit *Polybii* & *Plutarchi* loca; ſed illa alio ſenſu accipienda eſſe, & tantum ellipſin *τοῦ ἀπὸ* probare fatetur. Expoſitio illa: *mea nihil refert*, locum egregie tuetur, ſi, quod nonnulli faciunt, voces: *ὁποῖοί ποτε ἦσαν, οὐδέν μοι διαφέρει· πρόσωπον ἀνθρώπου Θεὸς οὐ λαμβάνει*, per parentheſin a reliquis ſeparemus, hoc ſenſu: *quales illi fuerint, nihil mea refert: perſonam enim hominis Deus non accipit.* Ita ſcilicet agunt *Camerarius*, *Grotius*, *Beza*, *Er. Schmidius*, nec alienus admodum eſt Cl. *Hombergius* pag. 276. Acceſſit his non ita pridem doctiſſimus *Jo. Conr. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 119. ita totum comma interpretatus: *Ab iis autem, qui videntur eſſe aliqui (quales aliquando fuerint, nihil ad me; Dei libera ſunt judicia) mihi, inquam, magni illi nihil addiderunt oneris.*

Heinſii ſententiam enarrat & firmare conatur *Svicerus* Tom. I. p. 888.

Non ita pridem in alia omnia abiit Rev. *Guſtavus Georgius Zeltnerus* in notis ad calcem verſionis Biblicæ Lutheri germanicæ pag. 202. ita rem inſtituens: **Was iſt aber (endlich) von denen, die man beſonders hoch hielte (für ein Beſcheid erfolget?) Wer ſie weyland geweſen (ob ſie eine andere Meynung gehabt, oder nicht, wie von Petro bekannt) darum bekümmere ich mich nicht: bey GOTT iſt kein Anſehen der Perſon. Mir zum wenigſten haben auch jene ſo angeſehene Männer (v. 9.) bey der (angeſtellten) Unterſuchung (meiner Lehre v. 2.) weiter nichts geheiſſen oder (zu beobachten) beygefüget.** Scilicet vir doctus ſtructuræ conſuli non poſſe putat, niſi prima illa commatis

verba interrogative legantur ita: *ἀπὸ δὲ τῶν δοκȣ́ντων εἶναι, τί; quid vero ab illis, qui in pretio habebantur, reſponſum eſt?* At, dum ita τὸ τί ſeparat a δοκȣ́ντων εἶναι, tollit ſignificationem phraſeos, quam non niſi cum addita voce τι aut τινα habere poteſt & apud Scriptores habere ſolet. Vide *Actor.* V. 36. & quæ ibi ſcripſimus. Nec unquam alias me ellipticam interrogandi rationem per τί apud Scriptores obſervare memini.

B. *Calovius* noſter in Bibliis Illuſtratis ad h. l. ita: *Simplicior tamen videtur hic ſenſus, juxta quem nec parentheſi, nec* ellipſi, *nec* epanalepſi, *nec* enallage, *vel alia ſermonis forma opus eſt, ſi præpoſitio ἀπὸ reddatur* de, *& de objecto intelligatur, uti a B.* Glaſſio *accipi notatur Grammat. Sacra pag.* 358. *De iis vero* (*vel* quod ad eos,) qui auctoritatis magnæ eſſe cenſentur, quales quondam illi fuerint, mea non intereſt: perſonam Deus hominum non ſuſcipit: Mihi enim illi auctoritate conſpicui nihil communicarunt. Quem B. *Glaſſius* lib. III. Tractat. VI. Can. XIX. in Appendice pag. 570. affert locum, is *Luc.* VIII. 2. legitur: καὶ γυναῖκές τινες, ἁι ἦσαν τεθεραπευμέναι ἀπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων. Pertinet quoque huc alter 2. *Corinth.* VII. 13. ὅτι ἀναπέπαυται τὸ πνεῦμα ἀυτȣ̃ ἀπὸ πάντων ὑμῶν, *quod refocillatus ſit ſpiritus ejus ab omnibus vobis,* h. e. ex intuitu & conſideratione veſtrum omnium. Non aliud de hoc loco viſum eſt *Knatchbullo*, & qui eum ſecutus videtur, *Lockio*, qui tamen ante ἀπὸ τῶν δοκȣ́ντων ſubintelligi volunt ὁι, hoc ſenſu, quem Knatchbullus exprimit: *quales vero aliquando illi fuerint, qui videbantur eſſe aliquid, nihil mea refert.* Eadem ellipſis articuli ὁι, judice *Beza* & *Grotio*, locum habet *Matth.* XXVII. 9. ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ, i. e. *Iſraelitæ.* Et ſic ſæpe Græci alias ὁι ἀπὸ τῆς ϛοᾶς, i. e. *Stoici,* ὁι ἀπὸ τῆς φιλοσοφίας, *Philoſophi,* ὁι ἀπὸ Πλάτωνος, *Platonici* &c. Ita *Actor.* XV. 5. τινὲς τῶν ἀπὸ τῆς ἁιρέσεως τῶν Φαρισαίων &c. Nec aliter interpretatus eſt B. *Lutherus* noſter, quod nec mihi diſplicere profiteor, niſi illos ſequi velis, quos primo loco attuli, ſine ulla tamen ἀνακολȣ́θȣ vel σολοίκȣ criminatione, quippe quam præſtantiſſimorum Græciæ Scriptorum auctoritas & exempla, ab illis, quos laudavi, allata, procul eſſe jubent, cum Scriptoribus Sacris illud ſcribendi genus vitio verti non poſſit, quod præcipuis linguæ magiſtris idoneum & probatum viſum eſt.

Ὁποῖοί ποτε ἦσαν) Ita *Demoſthenes* in Philippica de Pace pag. 119. ὁποία ποτ᾽ ἐϛὶ, *qualis, qualis eſt*, honeſta an turpis, commoda an incommoda. Atque hoc ſenſu *Dounæus* in notis pag. 119. hoc quoque loco phraſin accipi vult. *Beza*, inquit, *vertit:* quales olim fuerint, nihil mea refert. *Vetus*: quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt. *At neque* aliquando, *neque* olim *hic locum habet. Vertendum:* qualescunque erant. *Nec obſtat verbum præteriti temporis. Apoſtolus enim de re præterita loquitur: de congreſſu ſuo cum inſignioribus Apoſtolorum Hieroſolymis ante aliquot annos habito. Baſilius* (*in epiſt.*) πλὴν ὁποῖά ποτ᾽ ἂν ᾖ, ȣ̓κ ἐξȣδενωτέον ἡμῖν, niſi quod, qualiacunque ſint, non ſunt contemnenda nobis. Per τὸ ὁποῖοι plerique reſpici exiſtimant ad externas quasdam magnorum Apoſtolorum prærogativas, quando v. c. *Ja-*

cobus

cobus Domino noſtro ſanguine fuit junctus. Alii, inter quos eſt *Zeltnerus* modo commemoratus ad ſententias, quas olim de præſente argumento habuerint, reſpici volunt.

οἱ δοκȣ̃ντες) Deeſſe alicubi, monuerat *Curcellæus*; hinc ex v. 2. hic repetitum putat *Millius* in Prolegomenis, præpropere, cum verbum προσανέθεντο, tanquam ab antecedentibus, ἀπὸ δὲ τῶν δοκȣ́ντων, pendens, illum participii caſum requirat. Et videtur Paulus deſtinato conſilio τȣ̀ς δοκȣ̃ντας frequentius repetiiſſe, ut adverſariorum, ad eos confidenter provocantium, criſtas deprimeret.

ȣ̓δὲν προσανέθεντο) *Alex. Morus* p. 146. vertit: *nihil ultra aperuerunt.* Optime *Chryſoſtomus*: μαθόντες τὰ ἐμὰ ȣ̓δὲν προσέθηκαν, ȣ̓δὲν διώρθωσαν, καὶ ταῦτα εἰδότες, ὅτι διὰ τȣ̃το παρεγενόμην, ὥστε αὐτοῖς κοινώσασθαι.

Verſ. 7. ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον) Vide ad *Rom.* III. 2.

τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας, καθὼς Πέτρος τῆς περιτομῆς) *Evangelium a me gentilibus, ſicut a Petro Judæis, annunciandum.* Nihilominus tamen & Paulus Judæis & Petrus Gentilibus data occaſione Chriſtum prædicavit. Vide *Jo. Pearſonium,* contra *Salmaſium* diſputantem, in Operibus Poſthumis pag. 44. ſqq. ubi de Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum. Adde præſtantiſſimi *Fabricii* noſtri Lucem Evangelii ſalutarem toti orbi exorientem p. 57. Rectiſſime de utroque *Tertullianus* de Præſcription. cap. XXIII. *Inter ſe diſtributionem officii ordinaverunt non ſeparationem Evangelii, nec ut aliud alter, ſed ut aliis alter prædicaret.* Itaque nec audiendus eſt *Jo. Tolandus*, in Nazareno ſuo c. X. p. 31. contendens, hæc de diverſis modis Judæis & Gentilibus Evangelium annunciandi ita accipi debere, ut illis quidem perennis rituum Moſaicorum neceſſitas, his autem immunitas ab illis traderetur. Lege contra eum dicentem Vener. *Jo. Laur. Moshemium* in Vindiciis antiquæ Chriſtianorum diſciplinæ p. 318.

Verſ. 8. Ὁ γὰρ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν) Conſule *Iſaaci Caſauboni* Exercitatt. adv. Baronium p. 661.

Verſ. 9. Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης) *Salmaſius* in Apparatu de Primatu Papæ p. 5. miratur, Jacobum h. l. Petro præponi, & obſervat p. 13. in nonnullis iisque vetuſtiſſimis exemplaribus, mutato ordine, legi, Πέτρος, Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης. Binos ejusmodi Codices attulit *Millius*, præter Patres aliquot Latinos.

Jacobum hunc a binis hujus nominis Apoſtolis, ſicut & *Johannem* ab Evangeliſta diſtingui, vult *Jo. Harduinus* in Diſſertat. ſingulari ad h. l. pag. 930. Operum Selectorum, quem confutatum dedit *Jo. Marckius* in Diſſertationibus tribus, Lugd. Batav. 1718. editis. Nec felicius idem in eo verſatus credi debet, quando Cepham itidem a Petro Apoſtolo vult diſtingui. Evicerunt id data opera, præter *Marckium,* ex noſtratibus Rev. *Salomon Deylingius* in Obſervati-

onibus Sacris Parte II. p. 397. & in edit. II. auctiore p. 520. (ubi eadem opera infallibilem, quæ fingitur, Romani Pontificis auctoritatem evertit; quam in rem lege quoque Venerab. *Chriſtoph. Matth. Pfaffii* Origines Juris Eccleſiaſt. p. 34.) ex Pontificiis vero *Tillemontius* in Memor. Eccleſ. Tom. I. Parte I. *Jac. Boilavius* ſingulari diſſertatione, cujus ſummam habes in *Journal Literaire* Tomo I. p. 476. Contra veteres, qui Martialem quendam per Cepham intelligi cenſuerunt, vide B. *Thomæ Ittigii* diſſert. de Patribus Apoſtolicis pag. 74. & *Samuel. Basnagii* Annales Politico Eccleſiaſticos Tom. I. fol. 594. Harduinus quidem Deylingio, omnia ejus præſidia dejicienti, *magno conatu nugari voluiſſe* recte exiſtimatur. Veteribus illis, quos *Harduinus* pro ſe affert, alii veterum pridem ſe oppoſuerunt, quos laudat *J. B. Cotelerius* ad Tom. I. Patrum Apoſtolicorum p. 174.

οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι) *Qui exiſtimabantur columnæ eſſe.* Ita recte *Beza*, *Er. Schmidius*, & alii. Viciſſim τὸ δοκοῦντες otioſum hic eſſe & abundare poſt *Hammondum* alii affirmarunt, contra quos lege *Wolfburgium* pag. 136. Obſſ. Sacrarum. Recte Scholiaſtes Græcus: οἱ ὄντες στύλοι τῆς πίστεως, καὶ πᾶσι δοκοῦντες, quemadmodum *Chryſoſtomus* ait, τὸ, δοκοῦντες, οὐ τὸ εἶναι ἀναιρεῖν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἄλλων γνώμην παραλαμβάνειν. Quæ in eandem ſententiam profanorum loca exſtant, eorum aliquot attulit *Hombergius*.

Apoſtoli illi στύλοι appellantur, judice *Chryſoſtomo*, ὅτι τὸν ὄροφον τῆς πίστεως ἐβάστασαν, *quia culmen fidei portarunt.* Ex hoc loco procul dubio factum eſt, ut doctores veteris Eccleſiæ Apoſtolos nunc στύλους, nunc πύργους, nunc στερεώματα, nunc στηρίγματα, nunc κίονας frequenter appellarent. Loca lege apud *Svicerum* Tom. II. p. 1046. Adde *Alex. Mori* notas ad 1. *Tim.* III. 15. p. 186. *Junii* notas ad Clementis ep. I. §. 5. p. 145. Tomi I. Patrum Apoſtolicorum Cotelerii, & *Gatakeri* Adverſaria Miſcellanea lib. II. c. 20. Pertinet huc locus Gemaricus ad *Berachoth* cap. IV. §. 11. fol. 28. b. ubi *Jochanan* a diſcipulis ipſius עמוד הימיני *columna dextra* vocatur, qua quidem appellatione columna, quæ in templo ante porticum ad dextram conſtituta erat, יכין dicta, reſpici videtur *Vitringa* in Obſervatt. Sacr. lib. III. cap. 13. 200.

δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας) Hanc dexterarum conjunctionem συμφωνίας ἀπόδειξιν ἀναντίῤῥητον, *conſenſus demonſtrationem clariſſimam*, appellat *Chryſoſtomus* ad h. l. Et illius ſymbolum omnino apud populos alios fuiſſe variis veterum locis conſtat. Vide eos allatos a *Svicero* Tom. I. p. 836. & *Dougtæo* in Analectis ad h. l. p. 123. *Lud. Cappellus* p. 105. Spicilegii phraſin credit eſſe Rabbinicam שותפות ידא, quæ exſtet apud Eliam in *Tisbi*, voce שתף (i. e. *communicare*,) ubi adducit *Levit.* V. 21. או בתשומת יד, quod Targum explicat בשותפות ידא h. e. κοινωνία χειρὸς ſive δεξιᾶς.

ἵνα ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη) *ſcilicet Apoſtolatu fungeremur. Ex* Herodoto *ita ſuppleri poſſet*: ἀπόστολοι γενώμεθα *lib.* V. p. 344. αὐτὸς ἐς Λακεδαίμονα τριήρεϊ ἀπόστολος ἐγίνετο. *Ipſe Lacedæmonem triremi legatus miſſus eſt.* Ita Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 514. *Eraſmus Schmidius* ex v. 7. ſupplet per:

τὸ

τὸ εὐαγγέλιον πεπιςευμένοι ὦμεν. Pro *ἡμεῖς* nonnulli Codd. habent *ἡμεῖς μὲν*, quia ſcilicet ſequitur *δὲ*. Sed eo non eſt opus. Nam *τὸ μὲν* a Scriptoribus æque ſolet omitti, quando ſequitur *δὲ*, quam apud eosdem deeſt *δὲ*, ubi anteceſſit *μέν*. Vide, quæ ſcripſi ad *Actor.* I. 1. p. 1001.

Verſ. 10. Μόνον) ſcil. *monuerunt*, *ὑπέθεντο τῦτο* ex v. 6. ut *Schmidius* hic obſervat. Frequens ſane in ejusmodi argumentis eſt ellipſis, etiam ſine obſcuritate, cujusmodi exemplum affert *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 512. quando p. 1473. Annibal, alia petens, tandem ſubjungit: *μόνον ἀποσχέσθαι*, (vel, ut alii legunt *ἀπόσχεσθε*) *τῆς ταλαιπώρυ πόλεως ταύτης*. Conf. infra V. 13.

Ὃ *καὶ ἐσπύδασα αὐτὸ τῦτο ποιῆσαι*) Recte ita hæc accipit *Er. Schmidius*: *Sed hoc jam antea ſemper ſtudioſe feci, ut illa admonitione opus non fuiſſet. Ita plane nihil doctrinæ meæ contulerunt.* Scilicet *aoriſtus* plusquamperfecti locum hic tuetur, quam temporum enallagen admodum obviam nemo, puto, negaverit. Vides hic egregium candoris & prudentiæ Paulinæ argumentum, qui nihil eorum omittit, quæ eo pertinebant, ut Galatis fidem faceret, ſibi cum Apoſtolis ceteris probe convenire, ſeque non ſubleſte hæc, ſed, prout acta erant, ipſis exponere. Interim Paulum pauperum rationem ſemper habuiſſe teſtantur ea, quæ in epiſtolis paſſim leguntur.

Verſ. 11. Ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος) Codices nonnulli, *Vulg.* item & *Coptus* hic legunt Κηφᾶς. Atque ita veteres legiſſe certum putat *Jo. Pearſonius* diſſert. I. de Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum, cap. 7. in Opp. Poſthumis p. 44. ideo, quod inde controverſia orta ſit, utrum Apoſtolus, an unus ex LXX. diſcipulis hic ſit intelligendus, quæ oriri non potuerit, ſi v. 11. & 14. Petri nomen lectum fuiſſet. Idem ante opinatus erat *Jo. Bapt. Coteleriius* ad Patres Apoſtol. Tom. I. pag. 174. in epiſt. I. Clementis ad Corinth. §. 47. n. 63. *Videntur*, inquit, *qui hoc modo ſenſerunt* (quod nempe Cephas hic a Petro ſit diverſus,) *habuiſſe nomen* Cephæ *in Codicibus ſuis* (*Galat.* II. 1. 14.) *ut colligere licet cum ex* Euſebio; *tum ex quibusdam editionibus ac Interpretibus.* Non diſſentit *Millius* ad h. l. & in Prolegom. §. 735. Atque hoc ipſum tantum potuit apud recentem N. T. Græco-Anglicani editorem, ut nomen Κηφᾶς hic in contextum intruderet, ſibi certe in eo non conſtans, quod vel ſic v. 14. Πέτρυ nomen expreſſit. Recte hoc illi exprobrat *Leonh. Twells* in Examine Critico illius verſionis Parte I. pag. 47. qui tamen & ipſe animum in hanc ſententiam inclinat. Cautiorem ſe præbuit *Whitbius* in Examine pag. 36. quando in communiore lectione acquieſcit. Sic Interpretes Galli Montenſes, neglecta Vulgati auctoritate, *Petri* nomen pro *Cephæ* illo in verſione ſua expreſſerunt, notati ideo a *Rich. Simone* in Hiſtoria Critica verſionum N. T. p. 475. quem & vide de Interpretibus pag. 406. Largimur, in nonnullis Codicibus olim lectum fuiſſe Κηφᾶς pro Πέτρος, largimur etiam, eandem lectionem occaſionem feciſſe diſputationi commemoratæ. Ex eo tamen non ſequitur, genuinam hanc & ab Apoſtolo ipſo profectam eſſe lectionem.

εἰς Ἀντιόχειαν) De hoc *Petri* itinere lege *Lud. Cappellum* in Hiſtoria Apoſtolica, *Witſium* in Meletematibus Leidenſibus p. 64. & *Jo. Pearſonum* in Annalibus Paulinis p. 10. qui illud poſt Concilium Hieroſolymit. de quo Act. XV., eveniſſe exiſtimant. Ab quorum tamen ſententia *Sam. Baſnagium* Tom. I. Annalium Politico-Eccleſiaſtic. f. 600. diſceſſiſſe, totamque hanc de anno, illi definiendo, diſputationem impeditam eſſe monuit Rev. *Deylingius* l. c. p. 404.

κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην) *Chryſoſtomus* & *Hieronymus* τὸ *κατὰ πρόσωπον*, *ſecundum ſpeciem*, quaſi *σκιαμαχία* hæc fuerit, explicant, quemadmodum viciſſim *Auguſtinus* veram & ſeriam reprehenſionem hic intellexit, contra *Hieronymum* diſputans in epiſt. VIII. IX. & XIX. Ipſe quoque *Hieronymus* ſententiam mutavit lib. I. dial. adv. Pelagianos cap. VIII. & candori ſuo & rei ipſi & phraſi Paulinæ convenienter. Apud Scriptores enim *κατὰ πρόσωπον* eſt, quod Latini dicunt *coram, in faciem*. Loca bene multa ex uno *Polybio* affert Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 513. Accipe vel unum ex p. 1448. *ἐλεγχόμενοι γὰρ κατὰ πρόσωπον ὑπὸ τῶν ἰδίων χειρογράφων καὶ τῶν ὑπεργῶν. Nam eorum convicti ſuismet ipſorum chirographis ac miniſtris non infelices, ſed impudentiſſimi eſſe videbantur.* Sic p. 1109. *εἰ μὲν γὰρ αὐτοφθαλμῆσαι κατὰ πρόσωπον καὶ σωτῆρα προσφωνῆσαι βουλόμενοι*. Alia aliorum loca habes apud *Elsnerum*, p. 179. Et quid multis opus eſt, cum ſententiam phraſeos ipſe Paulus v. 14. per *ἔμπροσθεν πάντων* explicet? Inſpice etiam *Andr. Schottum* in Adagialibus N. T. p. 125.

ἀντέστην) Verbum eſt athleticum, de quo lege *Fabri* Agoniſt. I. 12. & *Pet. Zornii* Biblioth. Antiquario-Exegetic. Tom. I. p. 890.

ὅτι κατεγνωσμένος ἦν) *eo quod condemnandus eſſet*. Ita *Beza*: an recte, merito dubitat *Hombergius* p. 277. Rectius omnino *Eraſm. Schmidius*: quod reprehenſionem incurriſſet, *ὅτι καταγνώσεως ἄξιος ἦν*. Sic Vulg. *reprehenſibilis*. Ita vero non ſolum Poëtæ, v. c. *Homerus* Iliad. *α*. v. 388. *ὃ δὴ τετελεσμένον ἐστὶ*, i.e. *τελεσθῆναι δυνατὸν*, *quod perfici poteſt*, quem locum *Schmidius* & *Pfochenius* de puritate dictionis Græc. N. T. Sect. 67. attulerunt; ſed & proſarii Scriptores, quos producit Cl. *Elsnerus* l. c. v. c. ex *Luciano* de Saltat. pag. 952. *ἀληθῶς ἐπὶ μανίᾳ κατεγνωσμένος*, *vere ob inſaniam notandus*. Nihil igitur egiſſe cenſendus eſt *Gatakerus* de Stylo N. T. cap. XXI. quando & Homeri locum aliter accepit, & totam hanc dicendi rationem Hebræis vindicare conatus eſt. *Alex. Morus* p. 148. vertere mavult: *quia condemnatus erat*, non ſine eximia veri ſpecie, reſpectu ſcilicet habito ad Synodum Hieroſolymitanam *Act.* XV. in qua cauſa hæc ab ipſo Petro & aliis ita definita erat, ut ſecum ipſe Petrus, aliter poſtea agens, pugnare dici poſſet. Hæc autem poſt Concilium illud Hieroſolymit. Antiochiæ acta eſſe, *Morus* non dubitat, quam plerorumque ſententiam eſſe antea monuimus. Amplectitur hæc Cl. *Wolfburgius* p. 311. Obſſ. Sacrar. Duo tamen obſtant, quo minus in has partes concedere poſſimus. Primum enim nondum extra dubium poſitum eſt, quod hæc Apoſtolorum diſceptatio Concilum illud Hieroſolymitanum inſecuta ſit. Vide *Sam. Baſnagium* l. c. Deinde Paulus v. 12. illam Petri *κατάγνωσιν* i. e. rem reprehenſione dignam exponit, nem-

nempe ὑπόκρισιν. Ita accepit *Chryſoſtomus:* Τίς ὖν, inquit, ἡ κατάγνωσις; πρὸ τῦ γὰρ ἐλθεῖν τινας ἀπὸ Ἰακώβυ κ. τ. λ. Denique admodum improprie Petrus a Paulo dici poterat in Concilio Hieroſol. condemnatus, qui ſententiam ibi latam omnino tenebat animo & ſententia, quamvis in vitæ uſu ab ea diſceſſiſſet. Hoc ipſum vero erat, cur Pauli reprehenſionem merito incurreret, & ſe *dignum animadverſione* præſtaret. B. *Godofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. vertit, quod ſe ipſum a recta ſententia abalienaſſet, ut ſit ſignificatus, qualis eſt in Hebr. *Hithpael.* At non video, Græcos unquam τὸ καταγινώσκεσθαι uſurpaſſe de eo, qui rectam ſententiam non ſequitur.

Ad comma hoc ex noſtratibus diſſerit *Henr. Mullerus* in Quæſt. Select. Semi-Centur. I. pag. 175. Totam vero hanc diſceptationem, quæ uſque ad v. 14. enarratur, commentationibus ſingularibus illuſtrarunt *Tob. Wagnerus* in Actione Pauli Antiochena cum Petro, Tubing. 1668. *Jo. Andr. Quenſtedius* de Paulina Petri increpatione Witteb. 1687. *Jo. Georg. Richterus* de illuſtri correptionis fraternæ exemplo, Lipſ. 1708. Auctores Menſium Reſervatorum p. 178. & noviſſime Rev. *Jeſ. Frid. Weiſſenbornius* in Program. ad Rev. D. *Adolphi Gohrenii,* Diſp. Inauguralem, de Paulo Petri animadverſore, Jenæ 1728. Ex Reformatis conſuli velim *Chamierii* Panſtrat. Catholic. II. 12. 36. ſqq. *Jo. Henr. Heideggeri* Diſſertatt. Dogmat. Tom. III. diſſ. XV. pag. 622. *Jo. Marckii* diſpp. III. ſupra laudatas, *Tac. Hajon. van den Honert* de hypocriſi Petri a Paulo reprehenſa, Lugd. Bat. 1720. & *Herm. Witſii* Miſcellanea lib. I. c. 22. §. 22. item Meletemata Leidenſia p. 64. ſqq. Ex Pontificiis denique, mire ſe hic torquentibus, lege *Jo. Launoji* epiſtolas pag. 381. ſq. 435. & 817. ed. Cantabrig. in fol. *Eman. a Schelſtrate* pag. 140. Antiquit. Illuſtratæ, *Nic. Abrami* Pharum Vet. Teſtamenti pag. 549. ſq. lib. IV. de mendacio & veritate §. XI. & *Jo. Stephani Menochii* Trattenimenti eruditi Parte I. p. 101. ſqq.

Verſ. 12. Πρὸ τῦ γὰρ ἐλθεῖν τινας ἀπὸ Ἰακώβυ, κ. τ. λ.) Hinc ex Ebionæorum ſententia conſequi, quod Jacobus ipſe in hoc capite a Paulo diſſenſerit, ſecus ac v. 9. traditum erat, obvertit *Tolandus,* & difficulter admodum averti poſſe exiſtimat, in Nazareno cap. X. p. 32. Niſi enim Jacobus diſſenſiſſet, cur a Jacobi nuntiis aut domeſticis, a gentilium convictu abſtinentibus, ſibi metueret, Petrus cauſam non habuiſſet. Et ſic etiam *Salmaſius* in Epiſtola de cæſarie virorum & coma mulierum pag. 495. *Jacobus etiam,* inquit, *Domini frater, in eadem una cum illis videtur fuiſſe ſententia, qui tamen aliter pronunciaverat in Concilio Hieroſolymitano primo.* At ſalva res eſt, cum fieri omnino poſſit, ut Jacobi familiares, tanquam Hieroſolymitani, inter quos multi patriis inſtitutis nimis indulgebant, aliter ſentirent, quam quidem *Jacobus* ipſe. Hinc ſequitur φοβύμενος τὺς ἐκ περιτομῆς i. e. circumciſos, quod oſtendit, Petrum ita egiſſe, non tam ex eo, quod eſſent Jacobi familiares, quam quod Ex-Judæi eſſent.

Ὑπέστελλε) *ſubduxit ſeſe,* præ timore ſcilicet: hinc ſequitur φοβύμενος. Atque ex hoc inprimis loco, puto, factum eſt, ut *Heſychius* & *Suidas* τὸ, ὑποστειλά-

στειλάμενος per *φοβηθεὶς*, prior etiam τὸ, ὑποστέλλεται per *φοβεῖται* interpretarentur.

Καὶ συνυπεκρίθησαν) Hoc *Syrus* vertit, ac ſi legiſſet συνυπεκλίθησαν, quod legi etiam voluit *Grotius*, ſiquidem Codicum auctoritas præſto eſſet. Sed recte illi ſe oppoſuit *Alex. Morus* in Notis p. 149. obſervans, vocem eſſe Polybianam, quanquam non in eundem omnino ſenſum a *Polybio*, apud quem συνυπόκρισις idem propemodum ſit, quod οἰκονομία, uſurpatam. *Polybii* locum nullum *Morus* attulit, plures vero Rev. *Raphelius* p. 514. & alios *Plutarchi* ex Mario p. 415. & 413. *Elsnerus* pag. 179. En tibi unum *Polybii* ex pag. 285. συνυπεκρίθη τίθεσθαι φιλίαν πρὸς αὐτοὺς, *amicitiam velle ſe cum illis jungere pariter ſimulavit*; quo quidem loco non dubito eundem, qui h. l. eſt, ſignificatum obtinere. Itaque nec cum *Moro* verterim: *& conſenſerunt ei*; ſed potius; *& ſimularunt cum eo.*

Ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη) *In epiſtola Barnabæ multa Judaicæ ſuperſtitionis veſtigia impreſſa hodieque videri* pronunciat *Salmaſius* in epiſtola de virorum cæſarie p. 495. Pro συναπήχθη Codices quidam habent συναπαχθῆναι. Alteram tamen illam formam cum τῷ ὥστε occurrere apud *Ariſtophanem* Pluto v. 141. & *Æſchinem* Dial. III. c. 5. oſtendit Cl. *Elsnerus* p. 180. Idem vim verbi hujus per *una abreptus eſt*, recte exprimit, allatis itidem veterum locis. *Morus* l. c. idem eſſe ait ἀπάγεσθαι, quod ἀναγκάζεσθαι, h. e. *non tam duci, quam rapi, nec rationibus perſuaderi, ſed exemplo, & vi quadam pertrahi.* Ex quo idem recte conficit, hic a Paulo nullam vocem adhiberi non graviſſimam, nec levem proinde fuiſſe reprehenſionem.

Ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι) De verbo ὀρθοποδεῖν ejusque vera notione h. l. commentatur *Tanaqu. Faber* in epiſtolis lib. II. ep. 29. Summam dictorum habes apud Cl. *Pet. Zornium* in Biblioth. Antiquario-Exeget. Tom. I. p. 243. adjectis nonnullis in Fabrum animadverſionibus, quales etiam dedit *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 926. & inprimis Rev. *Salomon Deylingius* in Obſſ. Sacr. Parte II. p. 520. edit. repetitæ. *Faber* ſcilicet a curſu nautico & itinere, quod mari conficitur, petitum exiſtimat, quod ceteri rectius ad curſum & viam pedibus calcatam referunt. Adde in eandem ſententiam *Cornel. Adami* in Obſervatt. Theol. Philol. p. 402. *Deylingius* eos ait dici οὐκ ὀρθοποδεῖν, *qui curvos faciant greſſus, recte via non incedant, hypocritice agant in religionis negotio, & a veritate recta agendi ratione deflectant.* Ad Pancratium, quod e pugilatu & lucta mixtum erat, Paulum reſpexiſſe exiſtimat *Zornius* l. c. p. 886. & ex *Luciano* in Dial. de gymnaſiis ſpeciatim monet, ὀρθοστάδην ſive *erecto corpore* Pancratiaſtas pugnaſſe, & tantum non omnia in manuum, pedumve robore poſuiſſe. Confer de hoc verbo *Andr. Schotti* Adagialia N. T. p. 125. *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. Tom. II. p. 69. Similiter *Marc. Antoninus* IV. 18. dicit ὀρθὸν τρέχειν, & lib. V. 14. κατορθώσεις, ait, ὀνομάζονται, τὴν ὀρθότητα τῆς ὁδοῦ σημαίνουσαι, item VIII. 57. κατ' εὐθὺ φέρεσθαι & X. 11. εὐθεῖαν περαίνειν.

Πρὸς

Πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ Ἐυαγγελίου) Vide *Tanaqu. Fabrum* l. c. *Flacius* in Gloſſa recte: *Veritas Evangelii hic non ſignificat verum Evangelium, nec ſignificat juxta præſcriptum aut normam Evangelii, ſed ad ſinceritatem ac puritatem Evangelii retinendam.* Confer ſupra v. 5. Reſpicitur vero ſpeciatim doctrina Evangelii de libertate Chriſtiana, vel potius illius doctrinæ uſus prudens & legitimus. Doctrinam Petrus & alii non quidem abjecerant ipſam, ſed tum temporis uſum ejus neglexerant, auctoresque ſic exſtiterant aliis offendiculi, ex quo nonnulli ſaltem doctrinam ipſam non ſolum ſuſpectam habebant, ſed & deſerebant. Placent *Herm. Witſii* cogitata in Meletematibus Leidenſibus p. 65. *Non licet*, inquit, *ex hac hiſtoriæ ſacræ parte concludere errorem in fide in alterutro Apoſtolorum, vel diſſenſum in doctrina inter utrumque. Indubium enim eſt, quod doctrinam attinet, Petrum in hoc negotio ejusdem ſententiæ fuiſſe cum Paulo: fas ſcilicet Judæo homini eſſe familiaritatem colere cum Gentilibus, fide Chriſtiana præditis. - - Tota ergo hæc controverſia fuit non de* doctrina *libertatis Chriſtianæ; ſed de illius* uſu hic *&* nunc: *in qua re Paulus prudentiæ regulas melius perſpectas habuit, quam Petrus.*

Ἔμπροσθεν πάντων) Lege *Svicerum* Tom. II. p. 1060.

Τί τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις;) Pro τί Codices nonnulli legunt πῶς, eodem ſenſu. Hoc vero poſterius pro illo in contextum recepit recens editor N. T. Græco-Anglicani. Quaſi vero inſuetum Paulo eſſet, τὸ τί in ſignificatu πῶς adhibere. Vide, quæſo, 1. *Cor.* IV. 7. X. 30. & *Galat.* V. 11.

Ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι, καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί.) Opponuntur hic Judæi *natura* i. e. nativitate, gentilibus, tanquam *peccatoribus* κατ᾽ ἐξοχήν. Atque ita paſſim ſacræ literæ loqui amant. *Matth.* XXVI. 45. dicitur: ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς χεῖρας τῶν ἁμαρτωλῶν, quod *Luc.* XVIII. 32. explicatur per παραδοθήσεται τοῖς ἔθνεσι, *tradetur Gentibus.* Paulus 1. *Cor.* VI. 1. Gentiles, ut ἀδίκους, opponit Chriſtianis, ut ἁγίοις. Sic in Talmud & libro חסידים triplex ſtatuitur hominum genus, aliud τῶν צדיקים ſeu *piorum*, aliud τῶν רשעים ſeu *peccatorum*, aliud τῶν בינוניים ſeu *intermediorum.* *Pios* ſeu juſtos vocant homines inter Judæos ſanctitate eminentes, *peccatores* autem appellant *gentes*, *medios* vero, qui inter Iſraëlitas vel probi ſint vel improbi. Lege huc *Hackſpanium* in Notis Philolog. ad Luc. V. 8. p. 287.

In hac tamen expoſitione id nonnullis diſplicuit, quod hac ratione gentiles ut peccatores Judæis opponantur, cum tamẽ utrique æque peccatis ſint obnoxii, ſicut & Paulus, ubi de juſtificatione coram Deo loquitur, Judæos in eandem hominum, peccatis obnoxiorum, claſſem referat, ut *Rom.* IX. 9. 22. 24. Itaque maluerunt hoc loco vocem ἁμαρτωλοὶ referre ad Judæos, & phraſin καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν, ab illa per interpoſitam diſtinguendi notam ſejungere: ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι, καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν, ἁμαρτωλοί: *nos natura Judæi, licet non ex gentibus, peccatores;* ſicut *Epheſ.* II. 3. καὶ ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς, ὡς καὶ οἱ λοιποί. Sic vero & commia ſequens 16. cum noſtro 15. continua ſerie compingunt, hoc ſenſu: *cum ſciamus, non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti,*

ſti, etiam nos credidimus in Chriſtum Jeſum, ut juſtificemur. Ita rationes inſtituit Cl. *Elsnerus* pag. 180. ſq. Eadem ratione ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius* & interpunxit hæc, & convertit: *Nos natura Judæi, & non ex Gentibus, peccatores* ſumus. Idem quoque voluit *Crocius* in commentario ad h. l. pag. 53. quando ait: *Judæi de gentibus contemtim ſentiebant, & inde peccatores appellabant. Non is Pauli ſenſus, qui ab hac ambitione alienus: nec videtur ſpectaſſe hanc opinionem Judæorum, quod* Auguſtino *placet. Profitetur, ſe eſſe natura filios iræ, prout & ceteri,* Epheſ. II. 3. Itaque tandem ſic idem παραφράζει: *Cum nos, qui ſumus nati Abrahami poſteri, circumciſi, & non ab extraneis orti, in lege non quæramus juſtitiam, cur cogis gentes judaizare?* B. *Calovius* noſter in Bibliis Illuſtratis hanc interpretationem itidem admitti poſſe cenſet, quamvis in communiori illa acquieſcat. *Poteſt ergo,* inquit, *vox ἁμαρτωλῶν hic accipi* generaliter: *poteſt etiam* ſpecialiter *de iis, qui κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicti, ſalva συνεχείᾳ.* Non repetam, quæ vel ille, vel alii pro receptiore expoſitione attulerunt, cum res tanti non ſit momenti, nec referat, utram amplectaris. Vide tamen, quæ pro illa a me ad v. 17. afferentur. Hoc loco obſervandum puto, *Schmidium* convenienter ad v. 15. ſubintellexiſſe ἐσμέν. Illud enim paſſim omitti, tum alias, tum ad ſuperiorem Pauli epiſtolam monuimus. Vel ſi hoc non placeat, certe ad ſequens, εἰδότες, ſupplendum erit, quod Bezam feciſſe video.

Verſ. 15. Εἰδότες, ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου) Codd. nonnulli legunt εἰδότες δὲ, quo ſcilicet ad ſenſum opus eſſe exiſtimabant. Idem in verſione ſua expreſſit *Clericus: Mais ſachant, que l' homme n' eſt pas juſtifié, par les oeuvres de la loy, mais par la foy de Jeſus Chriſt; nous avons cru auſſi* &c. Mihi quidem ſubintelligendum potius videtur οὖν, hoc ſenſu: *Scientes igitur, hominem non juſtificari* &c. *etiam nos in Chriſtum credidimus,* qui ſcilicet alioquin *in* lege, quam ſectabamur, & bonis operibus, quæ præſtabamus, potuiſſemus acquieſcere. *Grotius* hic monet, in MS. ante voces ἐξ ἔργων legi ὅτι, idque idem vult eſſe, quod ὡς 2. *Cor.* III. 5. Nihil ejusmodi *Millius* obſervavit, & videtur, librarii obſcitantis vitio, τὸ ὅτι antecedens hic repetitum. Eo certe adeo non eſt opus, ut, ſi eo, quem Grotius vult, ſenſu capiatur, Apoſtoli ſententiæ repugnet, id quod *Calovius* evicit.

Ἐὰν μὴ διὰ πίστεως) *ſed per fidem.* Hac ſignificatione τὸ, εἰ μὴ pollet *Apocal.* IX. 4. ubi *Vulgatus: niſi tantum.* Conf. *Matth.* XII. 4. *Marc.* XIII. 32. 1. *Cor.* VII. 17. &c. Eundem ſignificatum habet Hebraicum כי אם Propterea Paulus *Rom.* III. 27. de eodem hoc argumento diſſerens, τὸ ἀλλὰ diſerte adhibet in oppoſitione ad ἔργα νόμου. Firmata hæc amplius lege a *Jac. Cappello* in Obſervatt. in N. T. p. 80. *Gatakero* in Cinno lib. I. c. 3. & ex noſtratibus a *Theodor. Hackſpanio* in Sylloge Diſputatt. pag. 262. ſq. contra Pontificios maſcule diſputante. B. Lutheri verſionem hujus loci & alterius ad Romanos a Trillerianis exceptionibus immunem præſtat *Schœnlandius* in Vindiciis Trillero oppoſitis p. 316. ſq.

Verſ.

Verſ. 17. *Ἐι δὲ ζητȣ͂ντες δικαιωθῆναι ἐν Χριςῷ εὑρέθημεν καὶ ἀυτοὶ ἁμαρτωλοὶ*) Senſum horum verborum & nexum cum antecedentibus, in quibus Paulus juſtificationem per ſolam fidem omnibus in Chriſtum credentibus tam ex Judæis quam Gentilibus communem adſtruxerat, optime mihi expoſuiſſe videtur B. *Calovius* ad h. l. ita diſſerens: *Si illi*, qui quærunt juſtificari in Chriſto, *i. e.* per Chriſti juſtitiam fide apprehenſam, *adhuc & ipſi inveniuntur peccatores, ut opus ipſis ſit ad juſtificationem obſervatione legis* & juſtitia propria, Chriſtus *utique* peccati miniſter erit. Abſit. *q. d. At conſequens hoc eſt abſurdum. Ergo & antecedens. Majoris conſequentia in eo ſita eſt, quod Chriſtus propitiatio factus ſit pro peccatis noſtris, quodque nobis factus ſit juſtitia, adeoque ſatisfactio pro peccatis noſtris, ut legis complementum ad juſtitiam cedat credentibus, qui quærunt in Chriſto unice juſtificari: quod ſi non ſufficit, ſed adhuc tales in peccato ſunt, nec juſtificari poſſunt coram tribunali Dei, niſi opera legis præſtent, Chriſtus non erit propitiator pro peccato, aut juſtitia nobis a Deo factus, ſed miniſter peccati, non tollens aut abluens ſuo ſanguine peccatum* &c. Si hæc ita accipiamus, patebit in commate antecedente vocem *ἁμαρτωλοὶ* non ad *Φύσει Ἰȣδαίȣς*, ſed ad Gentiles referendam eſſe. Illis enim, ut adhuc peccatoribus, opponit Judæos, jam per fidem in Chriſtum juſtificatos. Huc ſpectat phraſis emphatica, *και ἀυτοὶ ἁμαρτωλοὶ*, hoc ſenſu: *ſi & nos ipſi* (ſicut v. 16. *καὶ ἡμεῖς*) jam per Chriſtum juſtificati, *peccatores ſimus*, qui ex lege & ejus operibus juſtitiam conſequi debeant, *Chriſtus peccati miniſter cenſebitur.* Senſum & nexum alium verbis his vindicare conatus eſt Cl. *des Maizeaux* in Novis Reipubl. Literar. Bernardinis, gallice editis an. 1700. Tom. II. p. 495. Putat ſcilicet, referenda hæc penitus eſſe ad Petrinam fugam conſuetudinis cum Ex-Gentilibus Chriſtianis, eo quidem fine, ut Petrus a Paulo dicatur Ex-Gentilibus occaſionem præbuiſſe cogitandi, ſe adhuc impuros eſſe, ac proinde inſtitutis & ritibus Moſaicis ad conſquendam veram ſanctitatem adhuc indigere. Si vero hoc ponatur (ita pergit) conſecuturum, Chriſtum peccati miniſtrum eſſe, qui homines ad eam doctrinam pelliciat, in qua, loco ſperatæ ſanctitatis, impuritati ſint obnoxii. Vir doctus preſſius, quam par eſt, urget id, quod Paulino ad Petrum ſermoni occaſionem fecerat, nempe fugam commercii cum Chriſtianis Ex-Gentilibus. In eo vero momento Paulum loquentem non hæſiſſe, ſed doctrinam de operibus legis, a juſtificationis negotio prorſus excludendis, ſimul urſiſſe, ſequentia evincunt. Id autem non tam Petri, qui de eo non dubitabat, quam illorum, qui aliter Antiochiæ ſentiebant, & Petrina hypocriſi ad errorem ſuum palliandum abuti poterant, cauſa ſapienter factum eſſe, per ſe patet. Tenendum quoque hic eſt, Apoſtolum ſummam tantum referre eorum, quæ olim Antiochiæ pluribus ediſſeruerat.

Verſ. 19. *Ἐγὼ γὰρ διὰ νόμȣ νόμῳ ἀπέθανον*) Ego vero per legem, (terrentem ſcilicet & minantem, condemnationemque omnibus prævaricatoribus intentantem) *legi ſum mortuus*, h. e. ab ea avocatus & liberatus, ut a Lege Moſis ad Chriſtum, tanquam finem legis, me converterem. Confer *Gal.* IV. 24.

& *Rom.* VII. 4. Alii per νόμον priorem doctrinam Chriſti Evangelicam, Moſaicæ ſubſtitutam, non inconvenienter intelligunt. Ita enim Paulus *Rom.* III. 27. νόμον τῶν ἔργων opponit νόμῳ πίςεως. Lege huc *Calovium* ad h. l. Nil intereſt, utram expoſitionem ſequaris. Ex utraque vero id conſequitur, *Wilh. Wall* ingenio abuſum eſſe, quando in Notis Criticis Anglicanis p. 169. ſuſpicatur, Paulum ſcripſiſſe ſimpliciter: Ἐγὼ γὰρ διὰ νόμȣ ἀπέθανον, librario vero cuidam viſum eſſe rectius & clarius: ἐγὼ γὰρ νόμῳ ἀπέθανον, adeoque in ora codicis τὸ, νόμῳ, notaſſe, quod ab alio deinde reliquis in contextu junctum fuerit. Itane vero ambagibus opus eſt, ubi codices & verſiones omnes rectam viam tenent & commonſtrant? Præterea hac corruptela elegantiæ & δεινότητι Paulini ſermonis detrahitur. Paulus enim amat vocem νόμος in diverſo caſu repetere, v. c. *Rom.* II. 12. ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, διὰ νόμȣ κριθήσονται. II. 14. ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τȣ̃ νόμȣ ποιῇ, ȣ̃τοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσι νόμος. Adde v. 23. Neque præter rem Apoſtolus legis facit mentionem, tanquam quæ ipſa auctor ſibi fuerit, ut ab illa ad Chriſtum ſe reciperet. Hoc ipſo enim diſſentientes adducere volebat Paulus, ut intelligerent, longe alium in hac cauſa legis uſum eſſe, quam quem ipſi commendatum ſibi haberent.

Verſ. 20. Χριςῷ συνεςαύρωμαι· ζῶ δὲ, ȣ̓κ ἔτι ἐγὼ, κ. τ. λ.) Lege *Bernh. Wagnerii*, Theologi quondam Argentorat. diſput. de vita renatorum in fide, Argentor. 1701. & aliam *Joach. Juſti Breithauptii* de vita Chriſti in fidelibus, Halæ 1701. item *Phil. Jac. Speneri* Conſilia Theologica Germanica Parte I. p. 192. & II. p. 113. Cur de horum verborum interpunctione ambigi merito poſſe cenſeat *Gatakerus* ad Antoninum IX. §. 40. p. 347. non intelligo.

καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμȣ̃) Vide *Petavii* Dogmata Theologica Tomo VI. p. 153. ſq. ubi de Incarnat. XIII. 2. §. 2.

Verſ. 21. Ὀυκ ἀθετῶ τὴν χάριν τȣ̃ Θεȣ̃) Vim verbi ἀθετῶ tradit *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitt. Biblicis N. T. Tom. I. p. 51. *Polybius* p. 200. τὴν πρὸς τὸ ἔθνος χάριν καὶ φιλίαν ἀθετεῖν *beneficii & mutuæ amicitiæ memoriam delere*, dicit. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 515.

ἄρα χριςὸς δωρεὰν ἀπέθανε) Τὸ δωρεὰν *Grotius* verti mavult per *ſine cauſa*, quam per *fruſtra*. Vide eum Tom. III. Operum Theol. p. 298. & adde *Gerh. Jo. Voſſii Opera* Tom. VI. p. 896. Confer ex noſtratibus *Eraſm. Schmidium*.

CAP. III.

VErſ. 1. illuſtratum lege a *Roberto Gello* in *Remains* Tom. II. p. 232-241. *Jo. Henr. Urſino* in Analectis I. p. 75. ſq. & *Amelio* Parte II. p. 617.

Ὦ ἀνόητοι Γαλάται) Galatæ ἄφρον φῦλον audiunt *Callimacho* hymno in Delum v. 184. ubi illuſtris *Ezech. Spanhemius* in Obſervatt. p. 439. monet, D. Paulum Galatas ſimiliter ἀνοήτȣς vocare: *quod partim e nativa veterum illorum*

rum Gallorum, quorum erant traduces hi Galatæ, *feritate ſeu ἀνοίᾳ, de qua paſſim Auctores; partim e ſoli, quod iidem inſederant, genio ac proprietate veluti adhæſerit. Unde ad eum,* ita pergit, *locum Hieronymus tradit*, Apoſtolum Galatas regionis ſuæ proprietate pulſaſſe. *Themiſtium* tamen Orat. XVI. 211. & XXIII. p. 299. *eosdem acutos ac ſolertes, iisque, quo maxime ſint Græci, ad capeſſendas diſciplinas dociliores* appellaſſe docet. Confer de iis *Schefferum* de Pythagorica Philoſophia pag. 18. & *Eraſm. Schmidium* in limine hujus epiſtolæ. De lingua eorum commentatur doctiſſimus *Paulus Erneſtus Jablonski* in diſſert. de Lingua Lycaonica p. 23.

Τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε;) *Βασκαίνω dicitur tanquam Φασκαίνω, fiebat enim harum literarum transpoſitio, ut Φίλιππος Βίλιππος dictus eſt apud Macedonas. Etymon ἀπὸ τῦ Φάεος καίνειν, quod oculis potiſſimum noceat, & per oculos; quemadmodum & auribus, & per aures. - - Ad utrumque videtur Paulus reſpexiſſe, cum Galatas faſcinatos dixit, ne obedirent veritati, quod eſt aurium; atque hinc eſt, quod com. 3. περὶ τῆς ἀκοῆς πίςεως loquitur; & ne viderent Chriſtum coram depictum, & crucifixum, quod eſt oculorum.* Ita *Alex. Morus* p. 152. Notarum. Faſcinum oculis potiſſimum fieri gentiles credidiſſe, ex *Plutarchi* Quæſt. Sympoſ. lib. V. quæſt. 7. aliisque obſervat Cl. *Elsnerus* pag. 181. ac videri jubet *de Prado* in Pentecontarcho p. 187. Adde ſingularem *Vincentii Alſarii* de Faſcino libellum Tomo XII. Antiquitt. Roman. Grævii recuſum & *Alberic. Gentilem* de variis faſcinandi modis differentem in Lectionibus Virgil. c. XVIII. p. 165. *Lamb. Boſius* p. 173. ſq. de origine & uſu verbi hujus diligenter commentatus, Paulinam phraſin commode Plautina ex *Amphitruone* reddi poſſe cenſet: *quis præſtigiator aut veneficus excantavit vos?* cumque eandem rem Paulus V. 7. per ἀνακόπ]ειν exprimat, alludere ipſi videtur ad agitatores in ludis Circenſibus, qui veneficiis quibusdam & magicis artibus inhibuerint & impedierint in curſu equos adverſariorum, hoc ſenſu: *quis obſtitit, quo minus pergeretis in religionis Chriſtianæ curſu?* Cl. *Jo. Chriſtoph. Harenbergius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VIII. p. 411. reſpici putat ad morem Numina & genios urbium, cœtuum & exercituum evocandi, quem hoſtes frequentare conſueverint, ut incantationibus & diris nocerent, milites redderent pigros & obſtinatos, Deos averſos. Vide etiam *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Bibl. N. T. ſuo loco, & adde infra ad V. 7.

Τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι) Deſunt hæc in aliquot Codd., verſionibus item & commentariis Græcis ac Latinis. Itaque ex cap. V. 7. illuſtrandi cauſa huc relata eſſe contendit *Millius* ad h. l. & in Prolegom. §. 692. conſentientem ſibi nactus *Ludolphum Kuſterum.* Utriuſque veſtigiis inſiſtens recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani totam phraſin ex contextu expunxit. At rectius *Whitbius* in Examine ita ſtatuit pag. 67. *Et cum rei propoſitæ apta ſint, & concinna, & absque illis ſenſus claudicaret; hoc ſatis argumenti eſt, cur ſint retinenda.* De eo hoc minus ego dubito, quod Apoſtolus in hac epiſtola frequenter ἀληθείας evangelicæ, tanquam deſertæ, mentionem facit. Vidimus

præterea *Lamb. Boſium* utramque phraſin, hanc nempe & quæ V. 7. exſtat, ſecum invicem ſcite comparaſſe. Taceo, Apoſtolum de argumento gravi & momentoſo iisdem phraſibus ſæpius uti ſolere, quod patet, ſi, quæ de juſtificatione paulo ante II. 16. tradidit, cum locis παραλλήλοις conferamus. Quod autem verba illa h. l. ſint omiſſa, fieri potuit vel unius antiqui Codicis præeuntis, & ſequentibus offendiculum ponentis, exemplo. Sufficit, plerosque & Codices & verſiones ea exhibere.

ὃις κατ' ὀφθαλμὒς) Id *Polybius*, ſenſu itidem metaphorico, dicit πρὸ ὀφθαλμῶν p. 226. 360. & alias: ἔτι δὲ και τὸ μέγεθος καὶ τὸ κάλλος τῶν ἐσομένων ἄθλων ἐκ τῦ πολέμυ πρὸ ὀφθαλμῶν θέμενος. Confer *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 516.

Ἰησῦς Χριςὸς προεγράφη) Vulg. *Jeſus Chriſtus proſcriptus eſt*, h. e. ut doctiſſimus *Elsnerus* p. 182. explicat, *palam & publice ſcriptus, quem tam clare & evidenter deſcripſerat Apoſtolus, ut eum quaſi in tabula* oculis ſuis viderent. Quam in rem idem iſtam hujus verbi notionem ex *Luciano* in Timone p. 91. *Ariſtoph.* in Avibus p. 450. evincit, & hoc ſenſu *proſcriptos* olim dictos eſſe commode monet, quorum nomina in tabula publice in foro proponebantur. Mentem itaque Apoſtoli non adſequuti ſunt, qui cum *Beza*, *Grotio* & *Eraſmo Schmidio* vertunt: *ante*, vel, *prius fuit depictus*, quemadmodum & Interpretes Belgæ: *te vooren geſchildert.* Poſtremi illi tamen *pingendi* notionem commode adhibuerunt. Ita enim veteres frequenter *pingere* dixerunt γράφειν. *Arrianus* Expedit. Alex. VII. 13. p. 291. γέγραπται ἡ Ἀθηναίων καὶ Ἀμαζόνων μάχη. Plura ejusmodi exempla attulit Cl. *Jo. Alberti* pag. 361. ſqq. qui & πρὸ illud, per *publice* convertendum eſſe, totamque ſententiam ita belgice confirmandam ſtatuit: *dien Jeſus Chriſtus in't openbaar voor de oogen geſchildert is.* Atque ita B. *Lutherus* noſter: **welchen Jeſus Chriſtus vor die Augen gemahlet.** Magnus *Salmaſius* in Exercitationibus Plinianis ad Solinum pag. 4. verbo γράφειν *pingendi* ſignificatum ait eſſe proprium, unde & *pictores* γραφεῖς & *tabula* γράμμα appellentur. Ita *Philoſtratus* ep. II. γράφειν παρειὰν *pingere genas* dixit, & ibidem γραφὴν eadem ſignificatione adhibet: μὴ καὶ γράψωμαί σε γήρως ἐπὶ τῇ τῦ προσώπυ γραφῇ, *ne te, quod faciem pingas, ſenectæ accuſem.* Adde *Pomponii Gaurici* libellum de Sculptura ſive Statuaria, Tom. IX. Antiquit. Græc. Gronovii p. 731. recuſum, ubi cap. I. oſtenditur, τὸ γράφειν Græcis & *Scribere* Latinis de pictura dici. Inſpice *Zornii* Biblioth. Antiquario-Exeg. Tom. I. p. 1139. Subtiliora ſunt, & longius petita *Gelli* cogitata, quando l. c. hac phraſi non ſolum ad prædicationem a Paulo ante factam, ſed & ad typos & ceremonias V. T. reſpici exiſtimat.

Emphaſin hujus phraſeos diligenter nuper inveſtigavit Cl. *Jo. Chriſtoph. Harenbergius* in Biblioth. Bremenſi Claſſe VIII. pag. 387. ſeqq. Is inter cetera oſtendit, per *figuram* Jeſu, Galatis deſcriptam, non reſpici a Paulo ad demonſtrationes veterum Mathematicorum per *figuras* fieri ſolitas, nec ad frontes

tes literatas ſervorum Græcorum & Romanorum, nec ad epiſtolam ante ſcriptam Galatis, nec ad figuram a ſcripto Scripturæ alicujus deſumtam. Ipſe potius p. 402. ſqq. alludi putat ad imagines, in vexillis Romanorum olim conſpicuas, ideo quod Galatæ armis ſtuduerint, Paulus vero iſtam figuram crebro inculcet, & alia quoque momenta huic expoſitioni reſpondeant. Mihi quidem ſimplicius & verius dici videtur, quod phraſi hac metaphorica claritas & perſpicuitas, qualis pictis imaginibus propria eſt, prædicationis Paulinæ, prototypo Chriſto exacte reſpondentis, & ab ipſis Galatis olim agnitæ, innuatur. Confer de hoc verbo Cl. *Pet. Zornium* in Biblioth. Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 1141.

Ἐν ὑμῖν ἐςαυρωμένος) Τὸ, ἐν ὑμῖν in aliquot Codd. & verſionibus omiſſum eſt, idemque tanquam ſupervacuum melius omitti videtur *Grotio*. Perperam ſane utrumque factum eſt, & dicitur. Nam in hac phraſi latet argumentum præconii de Chriſto crucifixo inter Galatas, a Paulo tam clare & perfecte inſtituti, & a Galatis olim agniti, ac ſi Chriſtum ipſum, pro ſe ex cruce pendentem, oculis conſpexerint. Ita enim hanc phraſin recte olim acceperunt veteres, interque eos *Chryſoſtomus*. Habe verba ejus: Καὶ οὐκ εἶπεν, ἐςαυρώθη, ἀλλὰ προεγράφη ἐςαυρωμένος, δηλῶν, ὅτι τοῖς τῆς πίςεως ὀφθαλμοῖς ἀκριβέςερον ἐθεώρησαν τῶν παρόντων ἐνίων, καὶ τὰ γινόμενα θεωμένων. Ἐκείνων μὲν γὰρ πολλοὶ θεασάμενοι, οὐδὲν ἀπώναντο· οὗτοι δὲ ὀφθαλμοφανῶς μὲν οὐκ εἶδον, διὰ δὲ τῆς πίςεως ἀκριβέςερον εἶδον. Recte optimus doctor vocem ἐςαυρωμένος cum τῷ προεγράφη immediate conjungit, ut ſcilicet appareat, quæ Chriſti effigies ſeu figura Galatis contemplanda ſit propoſita. Hoc ſenſu *Ignatius* epiſt. ad Philadelph. *crucem Chriſti,* nempe prædicatam, appellat τρόπαιον, ὅπερ ὁρῶν (ſcilicet ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου) φρίττει, καὶ ἀκούων φοβεῖται. Sunt, qui hæc verba ita accipiant, ac ſi Galatæ Chriſtum ſeceſſione ſua denuo inter ſe crucifixiſſe dicantur. Inter hos eſt *Gellus* l. c. At vide, quæ recte in noſtram ſententiam monet *Calovius* in Bibliis Illuſtrat.

Verſ. 2. Τοῦτο μόνον θέλω μαθεῖν ἀφ' ὑμῶν, κ. τ. λ.) Lege *Eraſmum* Tomo IX. Operum p. 1497.

Verſ. 3. Ἐναρξάμενοι πνεύματι, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε;) Illuſtrantur hæc ab *Amelio* Parte I. pag. 431. ſqq. & *Alethæo* Tomo II. pag. 435. ſqq. Vocem ἐναρξάμενοι per *initiatos*, ἐπιτελούμενοι vero per *perfectos* interpretatur *Alex. Morus* pag. 153. phraſi ſcilicet a myſteriis paganorum petita, hoc ſenſu: *vos initiati fuiſtis Evangelio per Spiritum, quæ vos igitur dementia cepit, velle conſummari per opera legis, & mandati carnalis?* At alia omnino phraſeos notio eſt, & *Chryſoſtomus*, ad quem *Morus* provocat, aliter de ea ſenſit. Gymnica eſt locutio, Paulo in epiſtolis admodum frequentata, & a *curſoribus* in ſtadio repetita, ad quos Paulus infra V. 7. clariſſime alludit: ἐτρέχετε καλῶς, quemadmodum τελεῖν τὸν δρόμον 2. *Tim.* IV. 7. dicit. Ita *Diodor. Siculus* lib. V. pag. 156. de curſu loquens, ait: τοῦτον τὸν ἆθλον ἐπιτελέσας. Confer *Lamb. Bos* Exercitatt. pag. 178. Hinc Apoſtolus, v. 4. calamitates eorum commemorans,

morans, ad ſudorem & labores curſorum reſpicere videtur, qui certe initiandis aut initiatis non æque conveniunt. Per τὸ πνεῦμα Evangelium, unum Chriſti meritum ad juſtificationem commendans, per σάρκα vero *lex* ejusque opera cum fiducia in illis collocata intelliguntur, quod a plerisque Interpretibus oſtenſum eſt. *Braunius* in Selectis Sacris p. 85. per σάρκα ad *circumſionem* inprimis reſpici vult, ita ſcilicet dictam, quia fieri ſolebat in ea corporis parte, quæ caro dicatur *Geneſ.* XVII. 11. *Rom.* II. 28. *Epheſ.* II. 11. & *Galat.* VI. 12. Adde conſentientem *Alethæum* l. c. pag 439. Admitti hoc in tantum poteſt, modo ſimul *opera* legis, quibus circumciſus quisque ſe adſtringebat (vide infra V. 3.) & fiducia, in illis, reſpectu juſtificationis obtinendæ, poſita, intelligantur.

Verſ. 4. Τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῇ) *Tam multa paſſi eſtis fruſtra?* Ita Interpretes, quos vidi, omnes. At Cl. *Hombergius* in Parergis de acceptis potius beneficiis, quæ *donatione Spiritus* contineantur, τὸ πάσχειν accipiendum eſſe contendit. Ea enim incitare debuiſſe Galatas, ut cerimoniarum jugum non iterum ſuſciperent. Idem ex noſtratibus ante *Hombergium*, B. *Schomerus* ad h. l. amplexus eſt, cujus integram expoſitionem repetit Rev. *Raphelius*, nihil ipſe definiens, in Annotatt. Polybianis pag. 517. *Hombergii* autem veſtigia ſecuti ſunt *Cornel. Adami* pag. 412. Obſervatt. Theologico-Philologic. & *Henr. Bened. Starckius* pag. 139. Notarum Selectarum. At *Hombergio* occurrit *Lamb. Bos* pag. 177. monens, Græcos τῷ πάσχειν, ubi in bonam partem ſumatur, τὸ εὖ, vel ἀγαθὸν, vel τερπνὸν jungere, Paulum etiam ſemper eo in malam partem uti, v. c. 1. *Theſſal.* II. 14. 2. *Tim.* I. 12. & alias, denique eundem hic, quod & nos ante monuimus, ad Agoniſticam, cum laboribus curſorum multis conjunctam, reſpicere. Primum quidem viri docti argumentum adverſarium non ferit, cum τὸ πάσχειν etiam ſine addito εὖ &c. ſimpliciter de rebus lætis a Scriptoribus dicatur. Vide loca a *Raphelio* l. c. & *Elsnero* pag. 183. ſqq. allata. Sic *Euripides* in Hecuba Actor. II. v. 35.

Ὅς ἐξ ἐμοῦ μὲν ἔπαθες, οἷα φῄς παθεῖν
Δρᾶς δ᾽ οὐδὲν ἡμᾶς εὖ, κακῶς δ᾽ ὅσον δύνῃ.

Similia veterum loca, in utramque partem facientia, lege apud commentatores *Ariſtophanis* in Acharnenſ. v. 322. in Plut. v. 551. & *Apollonii* epiſt. 21. & 48. nec omitte B. *Jo. Andr. Danzii* diſput. de Jure Talionis pag. 9. in notis. Rectius tamen h. l. in malam partem, & de calamitatibus, religionis cauſa adhuc exantlatis, accipitur. Ita olim *Chryſoſtomus:* Οὐ γὰρ οὕτως ἠδύνατο τῶν σημείων ἀνάμνησις, ὡς ἡ τῶν ἀγώνων ἐπίδειξις, καὶ ἡ τῶν παθῶν ὑπομονὴ τῶν διὰ Χριστόν. Πάντα γὰρ ἐκεῖνά, φησιν, ἅπερ ὑπεμείνατε, ζημιῶσαι ὑμᾶς οὕτω βούλονται, καὶ τὸν στέφανον ὑμῶν ἁρπάσαι. Pro hac interpretatione egregie facit duplex Boſii argumentum, quod & Cl. *Elsnerus* adſtruxit. Appoſitus inprimis, quem idem affert, locus eſt *Luciani* de Gymnaſiis pag. 392. μάτην τοσαῦτα πάσχοντες, *fruſtra talia perpeſſi.* Non crediderim, ullo

lo Sacrorum Scriptorum loco acceptionem verbi in bonam partem evinci poſſe. Quem enim huc facere *Starckius* putat, ex *Marc.* V. 26., eum aliter capiendum eſſe Vol. I. pag. 458. oſtendimus. Adde Cl. *Schœtgenium* ad Lamb. Bos de Ellipſi Græc. Linguæ pag. 91. & *Pet. Zornium* in Biblioth. Antiquario-Exeget. Tom. I. p. 964.

Ἐιγε καὶ εἰκῆ) *dummodo fruſtra*: h. e. non tantum perdidiſtis veſtrarum paſſionum fructum, ſed etiam in ſeverum judicium incidiſtis, ut cum *Coccejo* recte interpretatur *Elsnerus*, quem vide.

Ad 5 - 12. lege M. *Chriſtoph. Stralii* diſput. de metatheſi theſium & probationum §. 18.

Verſ. 6. Καθὼς Ἀβραὰμ ἐπίςευσε τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην) Vide nos ad *Rom.* IV. 3.

Verſ. 7. Γινώσκετε ἄρα, ὅτι οἱ ἐκ πίςεως, ἗τοί εἰσιν υἱοὶ Ἀβραάμ) Vide ad *Rom.* IV. 11. 12.

Verſ. 8. Προϊδ῀σα δὲ ἡ γραφὴ, ὅτι ἐκ πίςεως δικαιοῖ τὰ ἔθνη ὁ Θεὸς) Inſpiciendi ſunt *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tomo II. p. 242 - 245. & ex noſtratibus *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Priori p. 167. ſqq.

Προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ) Eodem verbo utitur *Philo* p. 7. Operum, de aurora Solis nuncia: ἡ μὲν προευαγγελίζεται μέλλοντα ἥλιον ἀνίσχειν.

Ὅτι ἐυλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη) Allegationem Paulinam cum *Geneſ.* XII. 3. & aliis παραλλήλοις comparant, & utriuſque loci ſenſum eruunt ex noſtratibus *Hackſpanius* in Notis Philologico-Theologic. Part. I. p. 158. ſqq. & *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico pag. 23. ſqq. ex Reformatis autem *Jac. Altingius* in Schilo lib. II. cap. II. Tom. V. Opp. pag. 35. *Guil. Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 567. & *Vitringa* lib. V. Obſſ. Sacrar. p. 56. ſqq. Poſtremus hic pag. 58. inter cetera oſtendit, Pauli hanc eſſe mentem, *quod per benedictionem intelligenda ſit Juſtitia Dei, gentibus in Chriſtum credentibus gratuito imputanda, & ſola obtinenda fide, ad exemplum & in communione Abrahami, qui hoc beneficio, a Deo ſingulari gratia impetrato, in Hiſtoria Sacra inſignis fuiſſe tradatur, & amicus Dei appellari meruerit: quam* ἐυλογίαν *comitaretur* ἡ ἐυλογία τ῀ πνέυματος, *ſive dona Spiritus S. aliaque beneficia gratiæ olim promiſſa, virtute Juſtitiæ Chriſti in Eccleſiam conferenda.* Socinianos ſenſu myſtico hæc precario accipere, quo ſcilicet gentes felicitatis una cum Abrahamo participes fore dicantur, oſtendit *Hackſpanius* l. c.

Verſ. 10. Ἐπικατάρατος πᾶς, ὃς ἐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις, κ. τ. λ.) Comparant hæc cum *Deuteron.* XXVII. 26. *Hackſpanius* l. c. p. 571. *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico I. pag. 7. 56. & 30. *VVokenius* in Moſe Harmonico p. 180. *Richard. Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Parte III. p. 134. ſqq. *Spanhemius* in Dubiis Evangelic. Parte III. pag. 542. 546. & *Guil. Surenhuſius* l. c. pag. 568. Apoſtolus ſequitur hic fere τ῀ς LXX. ſpeciatimque in eo, quod

ἐν πᾶσι exhibet, cujus in Hebræo non exſtat veſtigium. Cumque easdem voces *Samaritanus* & *Syrus*, ex Patribus vero *Juſtinus Martyr*, Deuteronomii locum excitans, repræſentent, *Hieronymus* jam olim ad h. l. Judæos fraudis ex omiſſa particula כל poſtulavit, ejusque veſtigiis non ita pridem poſt alios *VVhiſtonus* in Conatu textum Hebræum reſtituendi p. 101. & 309. *μετὰ πολλῆς φαντασίας* inſtitit. At cogitare illi quidem poterant, non minus Paulum, quam τὺς LXX. id clarius & diſertius expreſſiſſe, quod res ipſa ſecum ferebat, nec tam ineptos fuiſſe Judæos, ut, ſublata illa vocula, quicquam ſe lucrari poſſe exiſtimarent, eosque adeo præter rem in ſuſpicionem hujus facinoris, quod alias majori commodo tentare, ſi voluiſſent, poterant, vocari. Plura in hanc rem diſputant *Hackſpanius* & *VVokenius* l. c. Confer huc ſequentia.

Ὃς ὐκ ἐμμένει) In Hebr. eſt יקים *conſiſtere faciet*, i. e. rata habebit. Vim verbi Hebraici ediſſerit *Jac. Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebr. p. 738. oſtendens, illud opponi omiſſioni alicujus partis 1. *Sam.* XV. 13. 14. item commiſſioni ullius rei verbis comprehenſæ *Jerem.* XXXV. 14. intelligi etiam de pleniſſima impletione *Lev.* XXVI. 9. per omnia & in omnibus momentis *Pſ.* CXIX. 38. Idem opportune obſervat, addi hoc loco לעשות אותם, *ad faciendum illa*, ut etiam hoc modo pondus antecedenti phraſi conciliaretur, in eo inprimis negotio, quod homo libenter obiter tractat. Huic verbo Græcum *ἐμμένειν* eadem efficacia reſpondet. Significat enim continuam in mandatis legis eorumque uſu perſiſtentiam. Eundem illi ſenſum reſpectu mandatorum tribuunt Græci Scriptores, quorum locos affert Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 253. Eorum unum accipe ex lib. IV. p. 637. *ἵνα τοῖς νόμοις πείθωνται. Τύτοις γὰρ τῶν πολιτῶν ἐμμενόντων αἱ πόλεις ἰσχυρόταταί τε καὶ εὐδαιμονέςαται γίγνονται.* Ita Paulus 2. *Tim.* III. 14. *σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες.* Nec aliter *Virgil.* Æneid. II. 160. *manere promiſſis* dixit pro ſtare promiſſis, id quod *Servius* interpretatur *manere in promiſſis.* Ἐμμένειν ἐν ταῖς συνθήκαις *Polybius* pag. 1091. dicit, eodem *Raphelio* obſervante p. 518.

Verſ. 11. Ὅτι δὲ ἐν νόμῳ ὐδεὶς δικαιῦται, κ. τ. λ.) Lege *Jo. Nic. Hartſchmidii* diſſertat. de Juſtificatione ex fide, non ex lege, Argentor. 1696. & *Jo. Vorſtii* Diſſertatt. Sacr. lib. III. p. 126.

Δῆλον, ὅτι ὁ δίκαιος) Interpretes omnes adhuc τὸ δῆλον ad præcedentia retulerunt, hoc ſenſu: *quod vero nullus per legem juſtificetur apud Deum, manifeſtum eſt, quia* ſcilicet *juſtus ex fide vivet.* At Cl. *Hombergius* pag. 281. Parergorum ſpectare id potius vult ad ſequentia in hanc ſententiam: *Cum vero per legem nemo juſtificetur coram Deo, manifeſtum eſt, quod juſtus ex fide vivet.* Rationem ita ſentiendi hanc affert: *Dixerat enim ante*, eos qui ex legis operibus ſunt, ſub exſecratione eſſe. *Unde nunc ſubſumit*, manifeſtum eſſe, quod juſtus ex fide vivit: *Nam durum ſane eſt, ut illud δῆλον in fine commatis ponatur.* At durius mihi videtur, quod vir doctus in ſua expoſitione ſignificationem τῦ ὅτι per *cum* exprimat, quando communior illa, *quod*, in prom-

promtu eſt, & propius huc pertinere intelligitur. Deinde idem duo argumenta miſcet & jungit, quæ Paulus ſeorſim urget. Dixerat Paulus v. 7. Deum hominem juſtificare ex fide. Id probat ex promiſſione Abrahamo, itidem credenti, facta, v. 9. Adſtruit idem v. 19. ex natura legis, ita quippe comparatæ, ut homo ex illius operibus, nunquam a ſe perficiendis, benedictionem atque adeo juſtitiam ſperare non poſſit. Hoc autem demonſtrat allato iterum Scripturæ loco diſerto ex *Habac.* II. 4. quo non *legi* ejusque operibus, ſed *fidei* juſtificatio hominis vindicatur. Hoc enim ſcopo oraculum illud afferri vel præmiſſa particula ὅτι evincit: ὅτι ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. Idem enim hoc eſt, ac ſi ſcripſiſſet, γέγραπται γὰρ, ὅτι, κ. τ. λ. Hinc factum eſt, ut nonnulli Codices, a *Millio* allati, eadem illa verba, γέγραπται γὰρ in ipſo contextu exhibeant, procul dubio olim in Scholiaſte aliquo ad marginem ſcripta. Eadem ratione ſupra Rom I. 17. adhibuit eundem locum: δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, καθὼς γέγραπται· ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

ὅτι ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται) Vide ad *Rom.* I. 17. Adde *Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς p. 570. & *Hackſpanii* Miſcellan. p. 221. Quod ad rem dignus notatu locus eſt, qui legitur in Gemara *Maccoth* f. 23. a. ubi, poſtquam a Magiſtris admonitum eſſet, per Moſen præcepta multa, nempe 613. tradita, eadem vero deinde ad *undecim* a Davide, Pſ. XV. ad *ſex* a Jeſaia XXXIII. 15. ad *tria* a Mich. VI. 8. ad *duo* a Jeſaia LVI. 1. denique ad *unum* ab *Amoſo* V. 6. redacta eſſe, tandem R. *Nachman* ſubjungit: *Dicerem, per* quærite me, *intelligi, quod in tota lege hoc ſit faciendum. Quare potius dicendum erit, quod* Habacuc *venerit, & redegerit ea ad unum, quia dicitur Habac.* II. 4. Et juſtus per ſuam fidem vivet. Obſervavit hunc locum *Balth. Scheidius* in Præteritis Præteritorum quorum ſpecimen exſtat in Biblioth. Lubecenſi Vol. II. p. 199.

Verſ. 12. ἀλλ' ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς) Ita Hebr. codex & οἱ LXX. *Levit.* XVIII. 5. Compara *Surenhuſium* l. c. p. 572. Vocem ἄνθρωπος omittunt codices quidam, verſiones & Patres, ideoque eam ex LXX. huc injectam cenſet *Millius*. At habet etiam contextus Hebræus. Rectius itaque credideris, eam a librariis nonnullis inconſulto omiſſam, quam a S. Paulo neglectam eſſe. Imo vero Paulus eundem locum *Rom.* X. 5. eadem ratione affert, cui librariorum ingenium ita pepercit, ut nulli varietati occaſionem fecerit, ſi unum excipias Codicem *Bœrnerianum*, quem *Kuſterus* in repetita N. T. Milliani editione adducit, voce ἄνθρωπος deſtitutum. Confer *VVhitbii* Examen p. 67.

Verſ. 13. Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν, κ. τ. λ.) Inſpici ad hæc merentur *Alethæus* Tomo IV. der Erläuterung pag. 703. ſeqq. *Seb. Schmidius* Colleg. Bibl. I. pag. 234. B. *Jo. Frid. Mayerus* in Diſſertatt. Selectis pag. 275. B. *Theodor. Daſſovius* in diſſ. de ſuſpendio hominis lapidibus obruti, quæ recuſa eſt Tom. II.

 The-

Theſauri Diſputatt. ſuper N. T. p. 614.ſqq. & *Jo. Andr. Quenſtedius* de redemtione generis humani, Witteb. 1678. præter hos vero *Grotius* Tom. III. Operum p. 301. ac *Vitringa* Obſervatt. Sacr. lib. II. c. 12. p. 198. ſqq.

ἐξηγόρασεν) Eodem verbo utitur *Polybius* p. 1294. quando Caunum ducentis talentis redemtum dicit.

γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα) Lege huc Patres a *Svicero* Tomo II. p. 57. allatos. Abſtractum hic pro concreto cum efficacia poni tralatitium eſt. Eam Apoſtolus ſtatim ſignificat, quando locum Deuteronomii per ἐπικατάρατος exprimit, ubi in Hebræo eſt קללת אלהים. *Steph. le Moyne* in notis ad Varia Sacra pag. 487. interpretatur per *victimam piacularem, totius gentis Chriſtianæ peccatis gravioribus oneratam.*

Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου) Cum *Deuter.* XXI. 23. hæc conferunt ex noſtratibus *Hackſpanius* in Notis Philolog. Theol. Parte I. pag. 560. ſqq. *Schickardus* de Jure Regio Hebr. p. 248. & ibi *Carpzovius, Daſſovius* diſp. citata, *Franc. VVokenius* in Moſe Harmonico p. 172. & *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis p. 139. ex Reformatis vero *Guil. Surenhuſius* p. 572. & diligentiſſime *Vitringa* ll. cc. tum vero *Jac. Guſſetius* in Lexico Hebr. rad קלל & in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte II. c. LXXXIX. Inter Moſis & Pauli verba hoc diſcriminis intercedit, quod apud Moſen vox אלהים *Deus* exſtat, quæ apud Paulum non legitur, ſicut Paulus πᾶς addidit, quod apud Moſen non occurrit. Prioris omiſſio *Hieronymo* olim cauſam dedit ſuſpicandi, Judæos illam vocem addidiſſe, ut Chriſtianis reſpectu Meſſiæ, ex cruce ſuſpenſi, ægre facerent. Cum vero Apoſtolus hic rem ipſam magis, quæ eam per ſe ſubintelligi jubet, quam voces reſpexerit, ſuſpicio hæc collabitur. Unde nec *VVhiſtonus*, in easdem partes alioquin pronior, hanc varietatem urgendam cenſet in Conatu textum Hebraicum reſtituendi p. 295. & 310. Ab aliis quæſitum eſt, an non Judaica harum vocum interpretatio Paulinæ noſtræ præferenda ſit. Judæi enim קללת אלהים quod in Hebræo eſt, ad ſuſpenſum ita referunt, ac ſi is *maledicens Deo*, vel *opprobrium Dei*, dicatur. Vide eorum loca apud *Vitringam* l. c. p. 205. ſqq. qui idem p. 207. ſqq. Paulinam expoſitionem egregie vindicat, & inprimis *Glaſſium* noſtrum in Grammatica ſacra lib. III. Tract. I. cap. VII. conſuli vult. Quam inepte & infeliciter Judæi ipſum crucis ſupplicium in calumniam Sanctiſſimi Salvatoris noſtri, quem contumelioſe תלוי *ſuſpenſum* vocant, converterint, oſtendit poſt *Coccejum* ad Sanhedrin p. 252. *Wagenſeilius* ad Tela Ignea Satanæ in confutatione carminis Lipmanni p. 475. ſqq.

Verſ. 15-22. quibus ſectio epiſtolica, quæ in cœtu ſacro publice explicari ſolet, continetur, lucem accipient ex Cl. *Franc. VVokenii* Stromatibus Apoſtolicis, Parte II. p. 125. ſqq.

Ἀδελφοί, κατὰ ἄνθρωπον λέγω) Vox ἀδελφοὶ in duobus MSS. Græcis & Æthiopico Interprete deeſt, ideoque ex Lectionariis repetita videtur *Millio.*

Eum

Eum præpropere ſecutus recens editor N. T. Græco-Anglicani eam in contextu parentheſeos nota a ceteris diſtinxit. Itane vero inſueta eſt Paulo hæc compellatio, ut locum hic vix invenire credi poſſit ? At forte fraudi fuit illius ab initio commatis uſus, cum alias plerumque aliis quibusdam poſtponi ſoleat. Sed nec deſunt hujus collocationis apud Paulum exempla. Vide v.c. infra VI. 1. & *Philip.* III. 13. Imo, niſi vocem ἀδελφοὶ, hic poſitam admittas, manca erit Pauli oratio. Neque enim phraſis κατὰ ἄνθρωπον λέγω, initium ſermonis facere poteſt. Lege *Rom.* III. 5. ubi eandem hanc φράσιν illuſtravimus.

ὅμως) *quin imo.* Lege ſupra ad 1. *Cor.* XIV. 7.

Verſ. 16. Τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐῤῥήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ) Cum *Geneſ.* XII. 7. & parallelis aliis hæc contendunt *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 573. & *Franc. VVokenius* in Moſe Harmonico p. 40. ſqq. Adde *Herman. VVitſii* Oeconomiam Fœderum p. 595. ſq.

οὐ λέγει· καὶ τοῖς σπέρμασιν) Argumentum hoc Paulinum a cavillationibus Judaicis liberant *Richard. Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Parte II. p. 225. ſq. & *Jac. Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Part. II. c. XC. p. 442. ſq. Confer *Martini Feſſelii*, contra Socinianos diſputantis, Adverſaria Sacra Tom. II. p. 508. & *Nic. Abrami* Pharum Veteris Teſtamenti p. 221. & 235. Afferemus *Guſſetii* locum contra *Chiſſuk Emuna* p. 443. Ait is, per ſemen in hac promiſſione non poſſe junctim intelligi *fideles*, qualis erat Arahamus ipſe, & *Iſraelem corporeum*: ſic enim ſcribi debuiſſe non כזרעך, ſed לזרעיך aut בזרעיך. *Sic enim*, inquit, *loqui fas fuit, quicquid ajant Rabbini, vel linguæ avitæ ignari, vel peritiam ſuam diſſimulando mentientes. Nam* זרע ſemen *pluralem formam accipit, quæ legitur nimirum* 1. *Sam. VIII.* 15. וזרעיכם *& ſemina veſtra. Cum igitur lingua ſuppeditaret vocem ad dicenda ſemina diſtributive, hæc vero ſemina ita oppoſitis qualitatibus ac juribus differant inter ſe, ut nemo facile ſibi perſuadeat, unam ac eandem divinæ voluntatis diſpoſitionem ad utrumque ſpectare, niſi id Deus diſerta locutione extra dubium poneret; nec id tamen ſit elocutus: cum potuerit, nec fecerit, apparet noluiſſe. Si autem noluit extendere promiſſum ad ambo Abrahami ſemina; Ergo promiſſum ad unicum duntaxat ex illis ſeminibus pertinet. Ergo & Paulus id colligens, ſapienter verbi a Deo delecti proprietate nititur, ac formam ſingularem verbi* ſeminis *in argumentum trahit. Si autem jam habemus, unum ex duobus ſeminibus notari, altera quæſtio per ſe plana eſt. Quodnam enim potius, quam illud, quod refert Abrahamum? quodque inſtauratum & auctum Evangelio vocatur ſynecdochice Chriſtus?*

In his verbis rectiſſime adſtruit *Guſſetius* argumentationem Paulinam, ex uſu nominis זרע in numero ſingulari poſiti, quod alias in plurali collocari potuiſſet. Contra hæc *Hieronymus* ad h. l. (& ejus forte exemplo *Grotius*) vim argumenti infregit, quando negat, vocem זרע in plurium numero unquam poni, contra quem lege eundem *Guſſetium* in Lexico Hebr. voce זרע lit. I.

At in eo audiendus non eſt *Guſſetius*, quod ſemen illud de *fidelibus*, Abrahamum referentibus, accipit, qui hic *Chriſti* nomine appellentur. Vt enim taceam, hanc vocis χριςὸς ſignificationem fruſtra alias in toto N. T. quæri, nexus ſermonis Paulini prorſus ſibi non conſtaret. Præeuntes ille hac in parte habet Socinianos, qui itidem per ſemen Chriſtum, cum corpore ſuo myſtico ſeu Eccleſia, intelligunt. Vide *Crellium* in comment. ad h. l. Contra hos copioſius diſputant *Chriſtoph. Helvicus* in Vindicatione locorum V.T. p. 83. & *Balthaſ. Menzerus* in Conſiderat. Theolog. Photinian. cap. V. p. 750. Confer præterea Venerabil. *C.M. Pfaffii* diſputat. de ſemine monadico & promiſſionibus Abrahæ & huic ſemini datis, quam quidem nondum mihi videre licuit. Novi tamen, eum τὸ σπέρμα de *Chriſto* ſigillatim eſſe interpretatum, quam in rem conferatur ejuſdem Exercit. ad *Gal.* III. 19. de Lege Sinaitica.

ὅς ἐςι Χριςὸς) per enallagen generis pro ὅ ἐςι, qualis alias occurrit. Vide infra IV. 19. item *Eph.* I. 13. II. 11. *Col.* II. 19. &c.

Verſ. 17. εἰς Χριςὸν) Omittunt *Alex.* Colbert. & Barbar. codices, tum vero *Vulg. Coptus* & *Hieronymus.* Hinc omitti vult *Millius*, & ejus auſpiciis recens editor N. T. Græco-Anglicani duas has voces parentheſeos nota a ceteris diſtinxit, in verſione autem prorſus neglexit. *Millio* ſermo abſque illis videtur ſimplicior, quæ repeti ideo non debeant, cum commate antecedente jam dictum ſit, fœdus hoc in Chriſto eſſe firmatum; itaque pro ſcholio habet interpretis cujuſdam, inprimis cum, ſi in archetypo exſtiterint, nulla eas omittendi, retinendi vero ſat gravis, fuerit ratio. At facilius credo fieri potuiſſe, ut voces etiam momentoſæ εἰς Χριςὸν a tribus librariis omitterentur incurioſe, quam ut Scholion aliquod marginale in tot codices irreperet. Recte itaque *VVhitbius* pag. 67. eas tuetur, addita hac ratione, *quod ſenſum commodum pariant, nempe teſtamentum factum in Chriſto, & confirmatum a Deo, irritum a lege fieri non poſſe.* Plenius *Calovius* ad h. l. *confirmatum dici*, ait, *in Chriſtum, tum ut Chriſti, teſtatoris, morte ratificaretur,* Hebr. IX. 15. *tum quia beneficia eodem promiſſa, juſtificatio, adoptio, hereditas vitæ æternæ, non niſi fide in Chriſtum olim quidem exhibendum, nunc vero exhibitum, contingunt.*

ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γεγονὼς νόμος) In his cum *Exodi* XII. 40. conciliandis ſeduli fuerunt complures. Legi velim inprimis *Druſium* in Quæſitis per epiſtolas, ep. LI. *Altingium* Tomo V. Operum pag. 76. ſq. ubi de Sabbato, *Heideggerum* in Hiſtor. Patriarcharum Part. II. p. 812. ſeq. *VVitſium* Tom. II. Miſcellan. p. 623. *Jo. Walliſium* Tom. IV. Operum p. 25. ſq. ubi ſermo ſingularis de fœdere Evangelico habetur, tum vero *Simon. Epiſcopium* Tom. I. Operum p. 49. ſq. & *Nic. Abramum* in Pharo V. T. p. 221. 235. ſq. & 247. De eodem argumento non ita pridem actum eſt inter Viros eruditiſſimos, *Gothofredum Kohlreifium* & *Guſtav. Chriſtoph. Hosmannum*, illum quidem in Chronologia Sacra p. 278. ſqq. & Defenſione reſtitutæ antiquitatis temporum p. 4. ſqq. hunc autem in Hypotypoſi Chronologiæ Sacræ, hiſtoriam populi Iſraelit. a morte Iſaaci ad captivitatem Babylonicam illuſtrante. Adde Cl. *Franc. VVokenii*

kenii Moſen Harmonicum pag. 89. 101. in ſententiam Kohlreifianam nonnihil animadvertentem. Longior & impeditior eſt hæc cauſa, quam ut in illa definienda verſari poſſimus. Quæ *VVhiſtonus* in conatu textum Hebræum reſtituendi in fraudem veritatis Hebraicæ p. 63. & 310. dixit, ea idem *VVokenius* diluit.

Verſ. 19. Τί οὖν ὁ νόμος;) Comma hoc totum illuſtratur a Vener. *Chriſt. Matthæo Pfaffio* in Exercitat. de Legis divinæ Sinaiticæ cauſis, uſu, duratione & miniſtris. Tubing. 1719. Anonymus auctor Admonitionum amicarum & modeſtarum ad futuros N. T. editores, quæ exſtant in Actis eruditorum Lipſienſium Latinis an. 1729. p. 13. interpunctionem ita vult mutari: τί οὖν; ὁ νόμος τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη. Eam vero, quæ hodie obtinet, *ab homine Græce docto non profectam neque Græcis notam eſſe ait.* Τί οὖν; *enim eſſe formulam inſtantis & urgentis; itaque a reliqua oratione recte ſejungi, ut vis & vehementia diſputationis rite appareat.* Ibidem varia afferuntur hujus interrogationis exempla ex *Alciphrone* lib. I. ep. 36. p. 162. *Platone* Alcibiade I. pag. 29. aliis. Τί οὖν; inquit *Alciphron*, οὐ ποτήριά ἐστιν ἐπὶ τῆς σκιᾶς ὑμῖν; Nollem ex his exemplis id, quod ſcribit, virum doctum conficere voluiſſe, aut pronunciaſſe. Video, S. Paulum eadem, quam hic invehit, phraſi uſum eſſe, v. c. *Rom.* III. 9. Τί οὖν; προεχόμεθα; & VI. 15. τί οὖν; ἁμαρτήσομεν, ὅτι οὐκ ἐσμὲν ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν; item XI. 17. Vide vero, eundem hac interrogatione integram & plenam ſententiam inchoaſſe v. c. τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου *Rom.* III. 1. Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα. IV. 1. Adde VI. 1. VIII. 31. IX. 14. Ex his itaque conſequitur, utramque loquendi rationem æque Græcam eſſe, & interpunctionem hanc ab Apoſtolo profectam. Sic & infra IV. 15. τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; Neque video vim & vehementiam diſputationis quicquam ſic amittere. Utrinque enim eadem ſubjicitur reſponſio, in qua pondus argumentationis potiſſimum poſitum eſt. Imo vero nexus orationis Paulinæ vocem νόμος proxime τῷ, τί οὖν, jungendam requirere mihi videtur. Apoſtolus enim v. 15. νόμου diſerte fecerat mentionem, eamque nihil ad hereditatem conſequendam facere aſſeveraverat. Jam quæri poterat proxime: *quid igitur lex?* ſcilicet prodeſt. Et hinc convenientiſſime ſequitur reſponſio: τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη. Sic *Rom.* IX. 30. interrogationi, eadem ratione plene prolatæ, ſubnectitur reſponſio: Τί οὖν ἐροῦμεν; ὅτι ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην, κατέλαβε δικαιοσύνην. Paulo poſt v. 21. ſimiliter quæritur: ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ; Ne vero hæc loquendi ratio ſine exemplo Scriptoris Græci abeat, en tibi locum ex Demoſthenis oratione ad epiſtolam Philippi habita, quem *Henr. Stephanus* Tom. II. Theſauri p. 1546. obſervavit: τί ποτ' οὖν ἐκεῖνος ἐν τῷ προτέρῳ πολέμῳ πλείω κατώρθωσεν ἡμῶν; *qua tandem igitur de cauſa in ſuperiore bello res nobis felicius egit?* Hic Stephanus τὸ, τί οὖν, idem eſſe vult, quod διὰ τί. Nec dubito, idem de noſtro hoc optume dici, ut ſenſus ſit: *cui bono igitur lex?* Interim, ne quid diſſimulem, non nova eſt hæc interpungendi ratio. Eandem enim exhibet præter Codicem *Bœrnerianum Theophyl.*

in contextu, qui tamen in commentario alteram illam tuetur. *Auguſtinus* quoque in commentario ad h. l. novam illam affert, ſed & alibi deferendam judicat. Confer hic *Millium.*

Τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη) Pro παραβάσεων legit πράξεων Codex *Bœrnerianus* & *Irenæus* III. c. 7. & V. 21. Perperam vero id factum eſſe, præter conſenſum Codicum, ſi unum illum exceperis, evincit lectio *Clementis Alexandr.* Stromatum I. p. 390. & *Origenis* comment. in Joannem p. 427. hodiernæ conveniens. Confer *Grabii* notas ad *Irenæum* p. 210. n. 5. Vox πράξεων gloſſema eſt, ex margine tandem in contextum illatum. Indicio eſt codex *Bœrnerianus,* cujus Latina verſio utrumque exprimit: *prævaricationum* (*factorum*) Scilicet eruditulo cuidam, inepte ſedulo, convenientius videbatur, legem, tanquam normam agendorum, generatim *factorum* potius, quam *male factorum* cauſa latam eſſe dici. Si vero hoc voluiſſet Paulus, ſcripturus, puto, fuiſſet ἔργων. Facile vero intelligitur, peccatorum manifeſtationem hic intelligi, quam ex lege pendere Paulus alias *Rom.* III. 20. docet. Hæc enim manifeſtatio adducere hominem debebat, ut liberationem a peccatis apud Chriſtum per fidem eo promtius quæreret. Vide v. 22. Non puto rem acu tetigiſſe *Lockium,* quando in commentario ſuo ita Apoſtoli ſententiam exprimit: quia Iſraëlitæ æque ac alii homines legem erant transgreſſi. Accommodate ad hunc locum loquitur *Philemon* in Fragm. p. 290.

> Ὦ πῶς πονηρόν ἐςιν ἀνθρώπȣ φύσις
> Τὸ σύνολον! ȣ̓ γὰρ ἄν ποτ᾽ ἐδεήθη νόμȣ.
> *O quam mala eſt hominis natura penitus!*
> *Alioquin enim nunquam indiguiſſet lege.*

Obſervavit locum Cl. *Jo. Alberti* p. 363. Obſſ. Sacr. De argumento ipſo lege plura apud *Petavium* Tom. I. Dogmatum Theolog. ubi de Prædeſtinat. X. 25. §. 3. 6. & 10. Equidem Cl. *Georg. Ludov. Oederus* in Parte II. atque hinc in Syntagmate obſervatt. Sacrarum p. 637. his verbis ejusmodi legis *finem* ait indicari, *qui cum ipſo Chriſti adventu exſpirare debuerit,* ideo quod ſtatim addatur; *donec ſemen veniat, cui promiſſio facta eſt.* Itaque nec de *peccatorum agnitione,* nec de *normativo legis uſu* (utrumque enim adhuc locum obtinet) ſed de *ſcelerum ſeveriore coercitione* apud Iſraelitas accipit. Hos enim, indutis Ægyptiorum moribus, in ſummam malitiam degeneraſſe, teſtante *Ezech.* XX. 8. 12. 37. adeoque non amplius blanditiis meris & ſuavibus compellationibus regi potuiſſe perpugnax hominum genus, ſed novum fœdus ineundum fuiſſe, ab eo diverſum, in quod Abrahamus, quin Adamus ipſe recepti fuerant, *acceſſione* ſcilicet *accidentalium* quorundam. Interpretatio hæc eo inprimis nititur, quod τὸ ἄχρις ȣ̔ h. l. *tempus futurum* excludat. Largitur quidem vir doctus, non ſemper id fieri, teſtante exemplis *Glaſſio* in Grammat. Sacra lib. III. Tract. V. can XII. p. 454. At hoc loco omnino excludi ideo putat, quia futurum tempus tum demum comprehendi ſoleat, *ubi de præcedente tempore, de quo vel dubium aliquod eſſe*

pote-

poterat, *vel*, *quod maxime intereraſt ſcire*, *aliquid diſerte affirmandum negandumve eſt.* Hic autem nullum fuiſſe dubium, an lex uſque ad Chriſtum durare debuerit, ſed id diſputatum eſſe maxime, an poſt exhibitum Meſſiam eadem manſura eſſet legis auctoritas? Fateor, *Glaſſium*, vel potius *Chemnitium*, ex quo hæc *Glaſſius* recitat, canonem illum ita temperare, neutrum tamen id video feciſſe ita, ut non, niſi hac conditione poſita, per ἄχρις ȣ̃ vel ἕως ȣ̃ tempus futurum includatur. Sed id ſibi potius volunt, fieri hoc, iſta conditione, inprimis ſolere. Neque tamen hinc ſequitur, etiam alias non fieri. Et quid ſi dicamus, τὸ ἄχρις ȣ̃ h. l. non *terminum* vel *tempus* durationis legis inferre, ſed *ordinem* potius & *finem*, *quo* & *in quem* lex lata ſit. Hanc vim particulæ ἄχρις ȣ̃ habent *Apocal.* VII. 3. quam in rem lege B. *Calovium* in Bibl. Illuſtratis ad h. l. Itaque hoc modo non evicerit vir doctus, de eo legis fine hic cogitandum eſſe, qui cum Chriſto in carne apparente exſpirarit. Imo, ſi de ſcelerum ſeveriorum coërcitione ſermonem hic eſſe ſtatuamus, neceſſe fuerit, affirmare, Paulum hic tantum de lege ceremoniali agere. Hæc enim inter cetera, inter cetera inquam, ad coërcendos & in officio continendos Iſraelitas refractarios referebatur. Hanc video eſſe ſententiam *Jo. Spenceri* de Legibus Hebræorum ritualibus lib. I. cap. 1. p. 38. ed. Lipſ. Oſtenſurus enim, legem ceremonialem ad arcendam idololatriam inſtitutam eſſe, ad hunc locum provocat, *legemque appoſitam* ait *dici*, *quod mores idololatrici*, *ſummæ in legem transgreſſiones*, *plurimum invaluiſſent*, *adeoque lege peculiari* (*ut fere novis morbis nova quæruntur remedia*) *coërceri debuiſſent.* Abſit, ut Cl. *Oedero* hanc ſententiam tribuam, qui facile ex toto illo capite III. & inprimis v. 21. & 22. de omni lege divina atque adeo & morali ſermonem eſſe perſpiciat. Jam vero Decalogi præcepta non ſolum ad Iſraelitas, & ſeveriorem eorum diſciplinam, ſed ad homines omnes, æternæ ſcilicet & immutabili voluntati ac ſanctitati Divini Numinis conformia, pertinebant. Ideo peccatum dicitur fuiſſe in mundo etiam ante, quam lex daretur. *Rom.* V. 13. Lex vero deinde *ſubintraſſe*, *ut abundaret peccatum*, ibid. v. 20. h. e. ut peccati fœditas, culpa & pœna manifeſtior evaderet hominibus, ad quærendam in Chriſto gratiam & juſtitiam, etiam hoc modo, compellendis. Atque hic ipſe locus noſtro eſt παράλληλος. Quod enim hic dicitur: προσετέθη ὁ νόμος, id *Rom.* V. 20. effertur per παρεισῆλθε. Quæ etiam cauſa eſt, cur nudam *accidentalium* quorundam *acceſſionem* hic innui non putem. Proinde nil video cauſæ eſſe, cur receptam interpretationem de *agnitione peccatorum*, legis beneficio olim promota, & inpoſterum promovenda, deferamus. Cum enim Paulus in eo ſit, ut juſtitiam per ſolam fidem in Chriſtum quærendam urgeat, quod ſine interiore peccatorum agnitione fieri non poteſt, hæc vero agnitio ex lege pendeat, facile apparet, Paulum hoc ſibi voluiſſe, & non ſolum Judæis, ſed & ſecuturæ ætatis hominibus inculcaſſe.

Videamus jam de alia viri docti ſententia, non minus nova, ſed meo quidem judicio, non veriore. Verba Pauli ita cupit interpungi: Τί ȣ̃ν ὁ νόμος (τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις ȣ̃ ἔλθῃ τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται)

διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτȣ; ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ȣ̓κ ἔςιν· ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐςίν. In his verbis ea, quæ extra parentheſin leguntur, omnia non Pauli, ſed Pſeudo-doctoris alicujus, legis neceſſitatem & uſum ad juſtificationem urgentis, exceptionem, ſicut verba, parentheſi incluſa, Pauli reſponſionem eſſe, exiſtimat, quo fine etiam poſt vocem *μεσίτȣ* interrogandi notam primus ponit. Latine ita exprimit: *Quid igitur lex (transgeſſionum gratia addita fuit, donec veniret ſemen, cui promiſſio facta eſt) diſpoſita per angelos miniſterio mediatoris? mediator vero unius non eſt; atqui Deus unus eſt.* Ita rem inſtituendam cenſuit quoque B. *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis pag. 142. in eo tamen diſſentiens, quod ſine parentheſi illam, quam cum *Oedero* putat, interjectam Pauli reſponſionem legi, &, ad continuandam Pſeudo-doctoris cum majore orationis *δεινότητι* exceptionem, interrogativum *τί* ante vocem *διαταγεὶς* ſubintelligi velit, hoc ſenſu: *quid igitur lex? - - Quid diſpoſita per angelos?* Ad hæc recte monuit Cl. *Oederus* pag. 637. in adjecta nota, hoc modo parentheſin ipſam, quamvis ſublata nota ejus, ſalvam relinqui. Nec dubitarem ego, ſi cetera ferrent, Oederianam ſententiam præ altera illa amplecti. Cur vero neutri ſubſcribam, has habeo cauſas. Largior utrique, Apoſtolum in hoc commate omnino facere ſatis exceptioni, quæ ab aliquo legis ſectatore & patrono Judaico fieri poterat. Id vero fieri ajo ſtatim poſt interrogandi ſignum, voci *ὁ νόμος* ſubjectum, ita ut omnia, quæ uſque ad v. 21. ſequuntur, eo pertineant. Sic enim agere ſolet Paulus, ut formato dubio directe ſolutionem ejus ſubjiciat. Quam in rem tuto provocare poſſum ad inductionem exemplorum omnium, in epiſtolis Paulinis frequentiſſimorum. Hunc morem uno hoc loco deſeruiſſe Paulus dicendus erat, ſi obiter quaſi interjeciſſet reſponſionem, & ſtatim ad exceptionem adverſarii amplius urgendam rediiſſet. Hoc feciſſe Apoſtolum eo minus cogitari poteſt, quod ſic dicendum ſit, eum adverſarii objectionem validius urgere, quam ſuam ad eam reſponſionem, inprimis cum poſt illam objectionem, aliquot momentis auctam & munitam, nihil amplius in ſermone Paulino ſubjiciatur, quod ad eam penitus debellandam pertineat. Nam. v. 21. aliud adverſantis dubium movet, & ſolvit. Porro nemo dubitaverit, ſi cum Viris his doctis ſentiamus, neceſſe eſſe, ut affirmemus, orationem Pauli & impeditam admodum, & obſcuram evadere, ac præterea hinc addita particula *τί*, hinc, intruſo poſt vocem *μεσίτȣ* interrogandi ſigno, ſublevari debere. Nec ſufficit dicere, quod Cl. *Oederus* p. 637. facit, *Apoſtolo hoc loco maxime patheticam diſputationem eſſe, ut fere ſolet divino zelo accenſus fervide diſputare, adeoque interpellare adverſarium, & ſtatim ad quæſtionem:* quid lex igitur ſibi velit? *rationem ejus dicere* peccatorum coërcitionem. Si enim Apoſtolus fervide diſputare *ſolet*, quod non nego, vel unum afferri velim exemplum ex aliis ejus diſputationibus, quod huic ſit ſimile. Denique extra dubium apud me poſitum eſt, Apoſtolum ad objectionem: *τί ȣ̓ν ὁ νόμος;* ſtatim & directe reſpondere uſque ad v. 21. æque, ac aliam objectionem v. 21. profert, & ſtatim diluit. Cujus argumenti pondus ut ſentiatur, obſervari velim, Paulum in antecedentibus *ἐπαγγελίαν*

λίαν divinam æque ac *νόμον* divinum commemoraſſe, eo fine, ut oſtenderet, ſemper majorem *promiſſionum*, ex gratia factarum, quam *legis*, opera præſcribentis, rationem a Deo habitam, reſpectu hominum, fuiſſe. Jam dici poterat reſpectu *Legis: cui bono?* & reſpectu *promiſſionum: cui bono & illæ?* quippe quæ Legem prorſus abrogaſſe videantur, quæ tamen vel ſic juxta cum promiſſionibus propagata adhuc fuerit? Neutrum eorum ex dictis ſequi, aut admitti poſſe, oſtendit Apoſtolus: non alterum reſpectu legis, v. 19. 20. nec alterum reſpectu promiſſionum, v. 21. Poſt hæc v. 22. redit ad concluſionem, ex præmiſſis deducendam & explicandam, fidem ſcilicet in Chriſtum id unum eſſe, quo a peccatis, ex *lege* agnitis, liberemur, & *promiſſionis* reddamur participes. Scriptura enim, i. e. lex præcipue, omnia dicitur concluſiſſe ſub peccatum, i. e. omnes homines peccato pœnisque ejus obnoxios declaraſſe, eo fine ut *promiſſio*, fidei facta, a peccatoribus, & quæreretur, & obtineretur. Ita totum orationis Paulinæ filum ſine interruptione pertexitur.

Audiamus nunc, quæ vir doctus pro verbis, de quibus diſputatur, ad objectionem Pſeudo-doctoris referendis, afferat. Primum ait, phraſin, *διαταγεὶς δι᾽ ἀγγέλων*, ad laudationem legis, tam magnifice ſcilicet, angelorum etiam miniſterio, promulgatæ, pertinere (conf. *Actor.* VII. 53.) atque adeo ad Paulum referri non poſſe, qui hic non in amplificanda, ſed deprimenda legis auctoritate verſetur. At obverti hic poteſt, candidi diſputatoris has eſſe partes, ut nihil negligat eorum, quæ ad tuendam adverſarii cauſam pertinere videantur. Ex quo tamen non conficitur, diſputatorem ipſum in eadem cum adverſario ſententia eſſe, aut eandem confirmandam ſuſcipere, cum aliud ex præcipuo ejus inſtituto intelligi poſſit. Eodem modo Paulus *Rom.* IX. 4. prærogativas Iſraëlitarum etiam ſecundum carnem, ſeu ratione ortus ſui, egregie prædicat, cum tamen in eo eſſet, ut animos eorum, ad oſtentationem illarum proniſſimos, vel maxime deprimeret. Sed non opus eſt, ut hoc urgeamus, cum ex iis, quæ mox ad hæc verba dicturi ſumus, manifeſtum ſit futurum, ea ad oſtendendam Novi Teſtamenti præ Veteri, adeoque etiam doctrinæ Evangelicæ, præ legali illa, præſtantiam ab Apoſtolo referri.

Idem ſentiendum eſt de altera phraſi, *διὰ χειρὸς μεσίτου*, quam vir doctus ibidem ad auctoritatem legis refert, vel ſaltem non evincere ait, eam negligendam eſſe, cum ex eo, quod lex mediatoris, nempe Moſis, interventu lata eſt, non ſequatur, eam ſalvare non poſſe, quia Novi etiam Fœderis *mediatorem* Chriſtus, Dominus noſter, egerit. At ipſa hæc comparatio ſubjicit mihi, quod reſpondeam. Dum enim Apoſtolus Moſen, ut *μεσίτην*, hic commemorat, ſubinnuit collato v. 20. *μεσίτην* alium, nempe Chriſtum, adeoque Moſe præſtantiorem, requiri. Neque enim Iſraëlitæ, cum lex daretur, ex Moſis, mediatoris, interventu, terrore & timore omni liberabantur; quanto minus exſpectandum id unquam erat inpoſterum ab omnibus hominibus, quibus lex erat incubitura, niſi mediator præſtantior intercederet?

Denique p. 644. inſtat vir doctus, *ſi ab hac opinione diſcedatur*, verba ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ȣ̓κ ἔςι, *vix unquam commode explicari poſſe.* De hoc illorum eſto judicium, qui ceteras Interpretum expoſitiones expendere voluerint. Nobis quidem ſufficit, oſtendiſſe, totum hoc comma, præter objectionem: τί ȣ̓͂ν ὁ νόμος; ex ipſius Pauli, non autem Pſeudo-doctorum ſententia ſcriptum eſſe.

ἄχρις ȣ̔͂ ἔλθῃ τὸ σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται) Per σπέρμα *Chriſtum* intelligi, ipſo Apoſtolo interprete ex v. 16. conſtat.

διαταγεὶς δι' ἀγγέλων) Huc ſpectat erudita & elegans *Jac. Elsneri* diſſertatio Theologica de lege Moſis per Angelos data, qua *legem Moſis per angelos cæleſtes, nomine atque verbis Filii Dei, illuſtri modo præſentis, promulgatam eſſe, demonſtrare* inſtituit, Lugduni Batav. 1719. 4. Hæc commentatio otium nobis facit ab enarrandis & examinandis diverſis Interpretum ſententiis. Quid vero de *Elsneriana* ſententia ſtatuam, jam ſupra ad *Act.* VII. 53. dixi, quæ hic velim conferri. Hic addo, eam firmari nonnihil poſſe ex *Joſephi* phraſi: τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ Θεȣ͂ μαθόντων, Antiquitat. Judaic. XV. 8. Eam *Jo. Bapt. Ottius* in Annotatt. ad Joſephum Tom. II. ed. Havercampianæ p. 315. ita accipit, ut Joſephum illam vel ab Apoſtolo ex h. l. & *Hebr.* II. 2. vel a Stephano *Act.* VII. 53. ſenſum ejus didiciſſe exiſtimet, cum nihil tale *directe & ad literam* in V. T. tradatur. Addit ibidem, Joſephum Antiquitt. III. 4. Moſen, tanquam μεσίτην, repræſentare, quando ita introducat loquentem: ἀκροατὴς ἀφθάρτȣ φωνῆς ἐγενόμην, id quod Latine ita exprimit: *Ego nihil aliud ſum, quam tanti Numinis Interpres.* Interim omne illud Angelorum miniſterium his momentis conſtitiſſe, quod inſtar miniſtrorum & comitum montem cinxerint, tonitrua, flammas, procellas excitarint, tabulas legis Moſi tradiderint, ac denique teſtes totius ſolemnitatis exſtiterint, idoneis Scripturæ locis firmavit Vener C. M. *Pfaffius* in Exercitat. de lege Sinaitica p. 25. ſqq.

Propius ad nos ſpectat, quo fine Paulus angelorum miniſterium, quocunque demum ſenſu id interpretemur, hoc loco commemoret. Ex Cl. *Oederi* ſententia id omne ad evehendam legis divinæ auctoritatem pertinere, paulo ante admonitum eſt. E contra alii cum B. *Luthero* noſtro ad h. l. id ad illuſtrandum Evangelicæ doctrinæ decus referri ideo putant, quod Paulus hoc ipſo ad primum & illuſtrem Evangelii præconem, Chriſtum ipſum, reſpexerit, quem idem, in eodem argumento verſans, Angelis diſerte opponat & anteferat. Ita enim ait *Hebr.* II. 2. 3. Εἰ γὰρ ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος ἐγένετο βέβαιος, καὶ πᾶσα παράβασις καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν. Πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας; ἥτις ἀρχὴν λαβȣ͂σα λαλεῖσθαι διὰ τȣ͂ Κυρίȣ ὑπὸ τῶν ἀκȣσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη. Sententiam hanc præ ceteris ſummatim adſtruxit Cl. *Elsnerus* in laudata modo Diſſertatione, Sect. III. p. 44. ſqq. Poſtquam enim ex *Hebr.* II. 5. oſtenderat, Vetus Teſtamentum Angelis ſubjectum fuiſſe, idque ex legislatione ſpeciatim evicerat, p. 47. N. T. prærogativam præ Veteri ita deducit, quod in eo 1.) *major illa reverentia & metus Angelorum plane ceſſet, ſiquidem ne Legi quidem ſubjecti ſunt hujus temporis*

poris credentes, Rom. VI. 14. VII. 4. & Gal. III. 13. *nec ab ulla creatura, neque adeo ab Angelis vehementer timere debeant* Rom. VIII. 38. 39. *utpote qui nihil hic ſint, quam λειτȣργικὰ πνεύματα credentium* Heb. I. 14. 2) *quod Chriſtum habeant Evangelii ſui promulgatorem, in quem quidem omnem & infinito majorem cultum conferunt; ſed non in meram creaturam, ſed unigenitum Dei filium, ſummum Deum*, Rom. IX. 5. Tit. II. 13. *eique ſoli ὑποτάσσεται Eccleſia*, Eph. V. 24. *qui cultus tantum abeſt, ut ſervitutem inſerat, ut veram demum ſummamque libertatem conciliet*, Joh. VIII. 36. Hæc & ſimilia cogitari debere exiſtimo, quando Paulus Angelorum meminit in legislatione; tantum abeſt, ut phraſi illa legi ſingularis & perpetuus ſplendor vindicatus cenſeri debeat. Nec obſtat *Actor.* VII. 53. quem Cl. *Oederus* affert. *οἵτινες ἐλάβετε τὸν νόμον, εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, καὶ ȣ̓κ ἐφυλάξατε.* Non inficior equidem, in pudorem Judæorum illuſtre illud Angelorum miniſterium afferri, tanquam quo parvi habito immorigeros ſe majores eorum præſtiterint. Probe vero obſervandum eſt, Stephanum commate antecedente Prophetarum feciſſe mentionem, quos negligere conſueverint, atque hinc altius aſcendere, itemque de Angelis, legis Interpretibus, factum ab iis eſſe pronunciare. Et quamvis hinc legi ipſi gloria aliqua accedat, non tamen ſequitur, eandem circumſtantiam hoc loco eodem conſilio afferri, quo ſermo eſt de vita, gratia & juſtitia non ex lege, ſed ex Evangelio, obtinenda. Paulus alibi gloriam & ſplendorem legis ex lucente Moſis facie demonſtrat, & Evangelii ſplendori prærogativam eo ipſo nomine inſignem vindicat, 2. *Cor.* III. 7. 8. Poſito igitur diſcrimine inter id, quod dicitur ſimpliciter, & quod pronunciatur certo reſpectu, nemo affirmaverit, his verbis aliquid in laudem legis dici, quod ori Pauli, de omni re alia agentis, non conveniat.

Ceterum de Angelorum miniſterio hic commemorato legere etiam juverit *Coccejum* Tomo VI. Operum in calce, inter epiſtolas, pag. 26. & ex noſtratibus *Phil. Jac. Spenerum* in Tractatu vernaculo de Deitate Chriſti p. 247. ſqq. & *Chriſtian. Noldium* in Concordantiis Particularum Hebr. pag. 701. not. 1947. qui poſtremus *τὸ δι ἀγγέλων* idem eſſe vult, quod *inter Angelos*, quam ſignificationem *τὸ διὰ* habet 2. *Tim.* II. 2. & 2. *Pet.* III. 5. Idem placere video *Pet. Allixio* in Judicio Eccleſiæ veteris Judaicæ contra Unitarios p. 279. & Cl. *Oedero* l. c. p. 634.

ἐν χειρὶ μεσίτȣ) Hujus phraſeos verſionem, a B. Luthero profectam, vindicat *Ruarus* in epiſtolis pag. 578. ſqq. edit. Zeltnerianæ, qui & pag. 580. oſtendit, angelos hic commemoratos non homines fuiſſe, ad accipiendam legem ablegatos, ſed Spiritus cœleſtes. Non ſubſcripſerim B. *Oleario* in Prælectionibus MSS. ad h. l. per Angelos intelligenti præceptores legis, duroſque exactores, impletionem ejus urgentes. Sic ait in libro Judicum doctores Eccleſiæ Judaicæ ſæpe dici angelos, & Haggæum angelum Domini, imo *Hebr.* I. per angelos denotari miniſtros œconomiæ Vet. Teſt. His Deum præſentem *αἰῶνα* non feciſſe obnoxium, tanquam curatoribus, tutoribus, Magiſtris, Patribus carnis,

nis, & pædagogis, *Jeſ.* IX. 4. *Gal.* IV. 1-3. 9. qui erant διατάσσοντες, urgentes atque exigentes. *Convenientior*, inquit, *mihi videtur hæc explicatio, quod & hiſtoria non oſtendit, quod lex ſit διαταγεῖσα per Angelos, & Angeli illi ſubjunguntur cum Moſe μεσίτῃ. Præterea nulla cauſa hic reddi poteſt, cur h. l. Paulus Angelorum miniſterii mentionem faciat.* Erudite quidem hæc obſervantur, vereor autem, ut vere. Cur Apoſtolus Angelorum hic meminerit, clare oſtendiſſe mihi videor. Per Angelos autem nuncios cœleſtes intelligi, Stephani & alii loci Paulini, dubitare non ſinunt. Μεσίτην per ſequeſtrum convertit *Caſtalio*, approbante Scaligero in Actis *Schurzfleiſchii* Literariis pag. 31. Per μεσίτην illum *Moſen* intelligi, dubitari non poteſt ex *Exod.* XX. 18. & *Deut.* V. 5. Et pauci ſunt, qui de *Chriſto* interpretantur.

Verſ. 20. ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ὐκ ἔςι, Θεὸς δὲ εἷς ἐςί) Verba hæc præ ceteris difficilia illuſtrarunt ex noſtratibus B. *Jo. Wolfg. Jægerus*, Theologus quondam Tubingenſis in diſſ. de Chriſto mediatore, Tubing. 1706. Rev. *Chriſtianus Hagmajerus* ib. 1719. & D. *Henr. Waltherus Gerdes*, Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ Londinenſis Paſtor hodie meritiſſimus, in Diſſertatione Theologica Inaugurali, erudita illa & copioſa, *de Chriſto, unico Abrahami ſemine, cui abſque ulla alia mediatione, omnis κληρονομία ex promiſſione debetur*, Gieſſæ 1723. 4. His accedunt obſervationes quædam noſtratium hinc inde diſperſæ, nominatim Rev. *G. G. Zeltneri* in notis ad verſionem Lutheri German. & in Hiſtoria Crypto-Sociniſmi Altorfini p. 652. Rev. *Guſtavi Chriſtoph. Hoſmanni* in Biblioth. Lubecenſ. Vol. V. pag. 46. ſqq. Cl. *Oederi* in Syntagmate pag. 644. ſqq. *Starckii* in Notis Selectis pag. 141. *Franc. Wœrgeri* in Appendice ad Oedipum Sacrum, Lubec. 1675. 8. editum, & *Theoph. Alethæi* Tom. III. der Erläuterung p. 507. Ex Reformatis huc ſpectant *Pet. Du Boſc* in Concione quadam earum, quæ gallice exſtant, *Vitringa* de vetere Synagoga lib. III. Part. II. c. 17. p. 1085. *Jo. Weſſelius* in Diſſertatt. Sacris Leidenſibus diſſ. XIV. de mediatore non unius, ſed ipſo Deo uno, pag. 454. ſqq. & *Jo. Rudolfus Sterkius* in Biblioth. Bremenſi Claſſe VII. p. 585. ſqq. Ex Pontificiis denique *Dionyſ. Petavius* Dogmatum Theologic. Tom. VI. ubi de Incarnat. lib. XII. c. I. §. 7. ſqq. *Jo. Martianæus* in Conatibus novæ verſionis p. 350. ſqq. & *Mich. Mauduit* in Analyſi epiſtolarum Pauli gallice edita, Tom. I. Diſſert. VIII. p. 640. ſqq.

Ex Anglis ſingularis hic eſt *Jo. Lockii* ſententia, in commentario ad h. l. prodita, quam enarratam leges in Novis Reip. Literariæ Bernardinis an. 1705. Tom. I. pag. 452. refutatam autem a *Clerico* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 79. & anonymo auctore libri Anglicani, Remarks on ſome books Parte III. p. 133. ſqq.

Longum foret & tædii plenum, diverſas Interpretum ſententias vel appendere, vel expendere. Opera hac diligenter perfunctus eſt Rev. *Gerdeſius* in diſputat. citata Sect. II. pag. 14-140. Ille vero diſſentientes ad tres claſſes, ſuis

ſuis iterum ſubſelliis diſtinctas, refert. Alii enim τὸν μεσίτην de Chriſto Mediatore unico, alii de Moſe Mediatore V.T., alii de utroque, ita ut duplex indicetur Mediator, interpretantur. Ipſe vir doctus ſententiam ſuam Sect. III. p. 141. his verbis expreſſam dedit. Putat, *ad probandum, lege ſuccedanea non derogatum eſſe promiſſioni antecedenti, rationem petere Apoſtolum a comparatione Moſis in officio ſuo mediatorio legis promulgatæ, & Chriſti ſeminis monadici, ſecundum jus κληρονομίας ex promiſſione ſpectati*, qua indicetur, *Moſen quidem populi Judaici, παραβάσεων χάριν*, durante abſentia ſeminis, ſpeciali fœdere legali continendi, in danda lege *mediatorem fuiſſe*, Deut. V. 5. *non vero ſeminis illius benedicti*, cui proprie & ſpecifice ſoli κληρονομία promiſſa dicitur, (adeoque illius juri derogare non potuiſſe) utpote cui tum unitas ſeminis, cui promiſſum, tum unitas Dei promittentis obſtet. Hinc vertit: *Hic autem Mediator* (quocunque ſenſu nobis Mediator audiat, nam hoc perinde, cum ex omni conceptu Mediatoris arguat) *non eſt mediator unius, ſeminis* ſcilicet, cui promiſſum juxta v. 16. & 19. *nam Deus unus eſt.* Excepit contra hoc nonnulla Rev. *Hoſmannus* in Biblioth. Lubecenſi l. c. Nos utrique cauſam hanc amplius diſputandam permittimus, quod ſe facturum in ampliore, quam parat, commentationis ſuæ editione doctiſſimus *Gerdeſius* promiſit.

Mihi quidem in hac verborum obſcuritate, quam nemo prudens negaverit, detergenda, illa ſententia ſe adhuc probavit, quam Rev. *Hagmaieri* verbis ex diſſertatione citata p. 13. proponere juvat. Ille vero ita παραφράζει: *Lex quidem Moſis miniſterio promiſſioni adjecta eſt. At ſcire debetis, quod non unius tantum populi Mediator ſit Moſes, verum Deus ipſe altera pars ſit, inter quas medius tunc ſtetit Moſes, & utriusque voluntatem, tanquam interpres & referendarius, alteri retulit. Quod ſi autem Moſes non Iſraëlis tantum, ſed etiam Dei, hujus quidem ordinantis, illius autem ſe ſubmittentis, interpres in hunc ſenſum fuit, quod Lex promiſſioni propter peccata, eorundemque inprimis nondum actu expiatorum exprobrationem adjecta ſit tamdiu, quam diu ſemen, cui promiſſio facta eſt, Mediator ille generis humani & N. T. non venerit, cur quæſo, jam alium legis uſum quærere, & ea promiſſioni aliquid derogare, conſequenter ex ea juſtificationem & ſalutem a Deo exſpectare, & ſub ea porro ſtare vultis atque poteſtis? Ita Deus ſuam vobis voluntatem per Mediatorem neque declaravit, neque populus ita legi unquam ſe ſubjecit.* In eo tamen fateor me diſcedere a viro docto, quod μεσίτην verſ. 20. itidem de *Moſe* accipit, quem de *Chriſto* intelligere malim, tanquam qui v. 19. ut σπέρμα, cui promiſſio facta eſt, hic autem ut μεσίτης, qui promiſſionem illam recipere, & hominibus præſtare debuerit, repræſentetur. Interim, quæ tanquam de Moſe a Paulo v. 20. dicta vir doctus accipit, ad phraſin ἐν χειρὶ μεσίτȣ, illuſtrandam commode referri poſſunt & in commate 20. ad Chriſtum, quem Paulus κατ᾽ ἐξοχὴν μεσίτην appellat, applicari. Quo fine articulum ὁ emphatice per *ille* interpretandum puto, hoc ſenſu: *ille vero mediator*, (qui inprimis hic reſpiciendus eſt) *unius non eſt*, (ſed duorum) *quorum unus eſt Deus.*

Deus. Non contemnenda quoque ſunt *Franc. Wœrgeri* cogitata in Oedipo Sacro pag. 32. quæ verbis ejus proponam: *Paulus v. 19. dixerat, legem traditam eſſe in manu Mediatoris, i. e. Moſis, quomodo ſe ipſe deſcribit Deuteron. V. 5. Cumque populus ne vocem quidem legis, multo minus fulgura iræ divinæ ſuſtinere potuerit, patet, e lege non provenire juſtificationem, ſed opus eſſe mediatore (cujus tunc typum geſſit Moſes) qui inter duas perſonas, Deum ſcilicet iraſcentem, & ipſos, peccati reos, homines intercedat, & utriuſque naturæ, divinæ ſcilicet & humanæ, particeps ſit. Hunc igitur Mediatorem, qualem ſe ex parte geſſerat Moſes, ne de Moſe ſimpliciter interpretarentur Judæi, addit Apoſtolus. Mediator autem 1) unius non eſt, ſive populi, ut Moſes ipſe, & dux & pars populi Judaici: de vero enim Mediatore exſtat effatum Pauli ad Rom. III. 29. 2) Mediator autem unius non eſt etiam naturæ, ſed utriuſque, divinæ & humanæ. Idcirco non Moſen merum hominem, & quidem peccatis obſitum, ſed Chriſtum θεάνθρωπον conſtituit Deus, ut eſſet placamentum, Rom. III. 25.*

Verſ. 22. ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν) Τὰ πάντα hic ſunt οἱ πάντες, qui ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι dicuntur, *Rom.* III. 9. Videtur autem Paulus τὰ πάντα dixiſſe, ut non ſolum hominum perſonæ, ſed omnia, quæ ab ipſis proficiſcantur, indicentur. Ἡ γραφὴ *legem* potiſſimum innuit, quam propterea Interpretes Galli *Montenſes* in verſione ſua per *la loy ecrite* expreſſerunt, præter rationem notati a *Rich. Simone* in Hiſtoria Critica N. T. ubi de verſionibus, p. 475. Lege præterea ad hoc comma *Cloppenburgium* Tomo I. Operum p. 257. *Eraſmum* Tomo IX. Operum pag. 1352. & *Petavium* Tomo I. Dogmat. Theolog. ubi de Prædeſtinat. X. 25. §. 7. & 11.

Verſ. 23-29. illuſtrat. Cl. *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. p. 71. ſqq.

Verſ. 23. Πρὸ τῦ δὲ ἐλθεῖν τὴν πίϛιν) Conferenda fuerit diſputatio *Sam. Strimeſii* de fide incarnata, & lege carnali, Neo-Rupini 1706. Πίϛις hic commodiſſime de *doctrina fidei evangelica* accipitur, ut ſæpe alias, & ſupra I. 23. Similiter Græci nuntios ἐλθεῖν, *venire*, dicunt, v. c. *Herodotus* paſſim, lib. I. pag. 23. & 38. ἦλθε ἄλλη ἀγγελίη, *venit alius nuntius.* Conf. Rev. *Raphelium* in Annotatt. Herodoteis p. 515.

ἐφρȣρȣ́μεθα) Lex eſt φρȣρά, i. e. cuſtodia, ſive carcer aliquis, ſive arx, qua concluſi exercitabantur. Vide *Witſii* Ægyptiaca pag. 287. Confer etiam mox dicenda.

Συγκεκλεισμένοι εἰς τὴν μέλλȣσαν πίϛιν ἀποκαλυφθῆναι) Συγκλείειν εἰς πίϛιν, *Raphelii* judicio in Annotatt. Polybianis pag. 518. eſt, *ad fidem adigere,* ſeu, *eo neceſſitatis quem redigere, ut ad fidem, tanquam ſacram anchoram, confugere cogatur.* Hanc in rem idem luculenta *Polybii* loca affert, v. c. ex lib. XVII. pag. 1073. ἐκεῖνος μὲν γὰρ προκαταληφθεὶς εἰς αὐτὰς συνεκλείσθη

ϑῆ τὰς ἐν τοῖς ἰδίοις οἰκέταις καὶ φίλοις ἐλπίδας. Nam ille ab inimicis præventus, eo anguſtiarum eſt redactus, ut ſpes omnes ſuas in propriis duntaxat famulis & amicis haberet ſitas. Idem Excerpt. Legat. 22. pag. 1192. *φίλιππον καταπολεμήσαντες καὶ συγκλείσαντες εἰς ὅμηρα καὶ φόρους. Philippum bello victum, eoque neceſſitatis adactum, ut obſides dare, & tributa pendere conſentiret.* Hos & ſimiles locos ad præſentem ita accommodat *Raphelius* pag. 521. *Cum συγκλεῖσθαι εἰς φόρους, εἰς τὴν δικαιοδοσίαν, & quod exemplum huc maxime pertinet, εἰς τὰς ἐλπίδας, ſignificet, eo neceſſitatis aliquem redigi, ut tributum penſitet, ut cum altero diſceptet, ut ſpes ſuas omnes in aliquo ponat: dubium omnino nullum eſt, quin συγκλεῖσθαι εἰς πίστιν ſignificare poſſit ad fidem adigi, atque neceſſitate quadam impelli. Quam notionem verbi συγκλείειν agnoſcit etiam Græcus Scholiaſtes, cujus verba ſupra adduximus ad Rom. XI. 32. Ait enim συγκλείειν εἰς ἀπείθειαν, ſignificare poſſe, ἀπειθεῖς ποιεῖν.* Idem adſtruit verbo *φρουρεῖσθαι* antecedente, quo *Arrianus* Expedit. Alex. II. 1. 6. & IV. 3. 10. de iis utatur, qui ab hoſtibus undique clauſi tenentur, atque adeo neceſſe habent, ut ita circumſeſſi tandem in ſummas anguſtias adductos ſe ſentiant. Enimvero cum hic ſermo non ſit de *vi hoſtili*, ſed de pædagogo aſſiduo, nec a puerorum latere diſcedente, Cl. *Elsnerus* pag. 185. diſtinguere mavult poſt *συγκεκλεισμένοι*, & vertere: ſub lege cuſtodiebamur concluſi uſque ad fidem revelandam, vel uſque dum fides revelaretur, idque apparere putat ex v. 25. ubi, fide allata, deſiiſſe pædagogi dominium dicat, & cap. IV. v. 2. fuiſſe ſub œconomis dicantur, *ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρός.* Convenienter hæc dici mihi videntur, inprimis cum verbum *φρουρεῖν* a Scriptoribus etiam de copiis præſidiariis dicatur, quæ in tutelam urbis, arciſve, & civium ſecuritatem diligenter excubias agunt. Huc *Chryſoſtomus*, ni fallor, reſpexit, ita hæc explicans: *Τὸ γὰρ ἐφρουρούμεθα, καὶ συγκεκλεισμένοι, οὐδὲν ἕτερον δηλοῦντός ἐστιν, ἢ τὴν ἐκ τῶν ἐντολῶν τοῦ νόμου γενομένην ἀσφάλειαν· ὥσπερ γὰρ ἐν τειχίῳ τινὶ τῷ φόβῳ κατέχων αὐτοὺς καὶ τῷ βίῳ, τῷ κατ' αὐτὸν, ὁ νόμος ἐτήρει τῇ πίστει.* In eandem ſententiam lege *Vitringam* in commentar. Belgico ad h. l. p. 167. ſqq. & Cl. *Hombergium* p. 281. Parergorum. Eadem phraſi *Menandrum* in Fragmentis p. 250. uſum eſſe monuit Cl. *Alberti* pag. 363. *εἰς χαλεπὸν ὅταν ᾖ συγκεκλεισμένος βίον, cum ad duram vitam ſit coactus*, qui locus interpretationem modo commemoratam confirmare videtur. Confer etiam, quæ Cl. *Jo. Sigismundus Suſchke* in Biga tertia Diſſertatt. Sacrarum p. 37. ſqq. eodem inſtituto commentatur, quod ex illis, quæ ad v. 27. dicentur, amplius intelligetur.

Ἀποκαλυφθῆναι) Vide ad *Rom.* VIII. 18. *Ἀποκάλυψιν πίστεως* hic ideo dici ait *Alex. Morus* in Notis p. 154. quod lex velum fuerit, ſub quo latuerit fides, quemadmodum mors quaſi velum ſit, ſub quo lateat gloria filiorum Dei: & quemadmodum velum illud prius templi legalis per Chriſti mortem atque reſurrectionem ſciſſum, atque ſublatum ſit; ita & poſterius aliquando tollendum eſſe per omnium fidelium, h. e. Chriſti totius, reſurrectionem, quæ reſurrectio ideo dicatur *ἀποκάλυψις τῶν υἱῶν Θεοῦ. Rom.* VIII. 19,

Verſ. 24. ὥςε ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριςὸν) Lege dicenda ad IV. 2. *Merito*, inquit Cl. *Elsnerus* p. 185. *Lex cum Pædagogo comparatur. Ut enim erant pædagogi e ſervorum genere, quod oſtendit* Pignorius; *ita Lex eſt Agar ſerva cap.* V. 25. *Pædagogi ducebant pueros ad ſcholas, & Gymnaſia: vide* Ælian. *Var. Hiſt.* III. 21. & Petronium cap. 85. *Lex eſt* παιδαγωγὸς εἰς Χριςόν. *Illi ita cuſtodiebant pueros, ut nunquam fere diſcederent. - - Imperioſi erant denique pædagogi, qui etiam in exigui momenti rebus magna ſeveritate utebantur.* Hæc ibidem amplius confirmata videbis. Placet etiam hic *Chryſoſtomus*, ita commentatus: ὁ παιδαγωγὸς ἐκ ἐναντιῦται τῷ διδασκάλῳ, ἀλλὰ κ̀ συμπράττει, πάσης κακίας ἀπαλλάττων τὸν νέον, κ̀ μετὰ πάσης σχολῆς τὰ μαθήματα παρὰ τῦ διδασκάλῦ δέχεσθαι παρασκευάζων· ἀλλ᾽ ὅταν ἐν ἕξει γένηται, ἀφίςαται λοιπὸν ὁ παιδαγωγός. Hæc fuſius ediſſerunt *Theophylactus*, & alii Patres apud *Suicerum* Tom. II. pag. 421. & 544. & *Petavium* Tom. I. Dogmatum Theologic. ubi de Prædeſtinat. X. 26. §. 1. ſqq. Confer *Cloppenburgii* Opera Tomo I. pag. 515. & 654. ſqq. *Herodotum* lib. VII. p. 474. τὸν νόμον δεσπότην vocare, eo quod præcipiat, monuit *Raphelius* p. 515.

Verſ. 26. Πάντες γὰρ υἱοὶ Θεῦ ἐςε Lege *Zimmermanni* diſſertat. ad dictum Tertulliani: *Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani*, pag. 498. ſqq. Fideles hic non παῖδας, *pueros*, h. e. infantes & ſervos, dici ideo, quod lex παιδαγωγὸς, miniſtra eruditrix filiorum Dei, ſed infantium fuerit; nos autem jam ſub Evangelio, υἱῦς vocari, ideo quod, cuſtode remoto, & lege illa plagoſa, tanquam Orbilio, liberati, non amplius ut παῖδες, h. e. infantes & pueri, more ſervili, habeamur, eleganter monet *Alex. Morus* pag. 154. oſtendens præterea, cur nec νήπιοι, i. e. infantes, fari neſcii, vocentur, quia ſcilicet ut adulti non tantum loquantur, ſed clament, & libere loquentes μετὰ παῤῥησίας Deo familiariter utantur.

Verſ. 27. ὅσοι γὰρ εἰς Χριςὸν ἐβαπτίσθητε, Χριςὸν ἐνεδύσασθε) Legantur huc ex noſtratibus *Sebaſt. Schmidius* de Imagine Dei pag. 251. *Jo. Henr. Urſinus* in Analectis Tom. I. pag. 31. ſqq. & diſſertationes *Jo. Georg. Dorſchei* de Jeſu Chriſti in baptiſmo ineffabili indutione, item *Godofr. Wegneri* de indumento baptizatorum, quarum illa in Pentade Diſſertt. Theologic. pag. 153. ſqq. hæc in Diſſertationibus Sacris recuſa exſtat. Adde Rev. *Jo. Sigismundi Suſchke* Bigam tertiam Diſſertationum Sacrarum Lipſ. 1729. editam, quarum poſterior ad h. l. de Chriſto, fidelium N. T. toga virili, exponit. Ex ceteris vero *Thomam Gatakerum* in Adverſariis Miſcell. lib. I. cap. 9. *Jac. Nyloë* in Selectis Biblicis pag. 657. *Frid. Adolphum Lampe* Exercitatt. in Pſ. XLV. pag. 368. & quos ad *Roman.* XIII. 14. laudavi. His nunc junge doctiſſimi *Theodor. Haſæi* ſingularem ad h. l. diſſertationem in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 1007. ſqq. ubi præcipue in eo eſt, ut oſtendat, quo tandem phraſis Paulina, ἐνεδύσασθε Χριςὸν reſpiciat, ubi de baptiſmo in Chriſti nomen ſuſcepto ſermo eſt. Diverſas Interpretum ſententias ad tres ille claſſes refert. *Prima, inquit, eſt illorum,*

qui

qui iſthæc ex ritibus illuſtranda conjiciunt GENTILIVM, *inter quos, vel religionis cauſa, vel triumphum acturi, vel juraturi Deorum ſuorum veſtes induebant. Altera* CHRISTIANORVM *hic ritus baptiſmales reſpici autumat, quibus ſacro lavacro tinctos candido amicire veſtimento ſolebant. Tertia denique de* JVDAEIS *cogitat, ſolemnemque Pontificis Maximi inaugurationem, quæ ſub templo ſecundo Sacerdotalium veſtium indutione, quam Judæi vocabant* מרובה בגדים *multiplicationem veſtium, abſolvebatur, innui exiſtimat.* Ad primam claſſem ſpectant inprimis *Steph. le Moyne*, & *J. H. Majus* locis ad *Rom.* XIII. 14. citatis. Ad ſecundam idem *le Moyne*, qui præter alluſionem ad gentiles ritus, quam dixi, recens baptizatos, qui novis veſtibus indui conſueverint, ſpectari exiſtimat. Tertiam claſſem præcipue ornat Rev. *Salom. Deylingius* in Obſervatt. Sacris Parte III pag. 318. ſqq. edit. I. & pag. 480. edit. II. auctioris. Primæ ſe nuper junxit Cl. *Suſchke*, in Biga modo laudata ad *togam* Romanorum *virilem* reſpici exiſtimans, cujus rationes cum diligenter expoſuiſſet, tandem pag. 48. ita rem ſummatim complectitur: *Num autem Apoſtolus hac phraſi:* Chriſtum induiſtis, *ad omnia, quæ huc usque de toga virili diximus, reſpexerit, aſſerere non audeo; ad virilem tamen togam, ad majorennitatem & virilis ætatis præ pueritia prærogativas animum attendiſſe, omnesque viriles ritus, a nobis adductos, locutioni Paulinæ conſentire, neutiquam dubito.* Supra autem pag. 32. ait: *metaphoram hanc a* TOGA LIBERA PVRA & VIRILI *Romanorum deſumptam eſſe, quæ filiis adultioris ætatis eo, quod jam a pædagogo abducti, & in adultorum libertatem quaſi introducti eſſent, lætiſſimum majorennitatis indicium erat.* Simile quid monet ſuboluiſſe *Jo. Crocio* in commentario ad h. l., Paulum ad *togam Hebræorum & prætextam Romanorum alludere* exiſtimanti, *qua quaſi virum & virilem animum, virtutem atque decus induerint juvenes.* Non exiguam huic ſententiæ ſpeciem vir doctus conciliat ex phraſibus Paulinis verſ. 23. ſeqq. obviis, quibus Lex cum pædagogo, Judæi autem ſeu fideles V. T. cum infantibus h. e. quaſi prætextatis & toga virili nondum indutis, adeoque ſeveriori diſciplinæ adhuc obnoxiis, conferuntur. Placent inprimis, quæ de triplici lege Moſaica inſtar pædagogi fidelium, ceu minorennium, conſideranda pag. 37. recitat. *Lex moralis*, inquit, *inprimis pædagogus erat, per rigorem & ſeveritatem ſuam anxias animas ex accidenti ad Chriſtum Redemtorem compellens, Actor. XIII.* 38. 39. *Rom. VIII.* 3. 4. *Galat. III.* 23. 24. *Ceremonialis Lex, Judæorum quaſi prætexta, ſeu toga puerilis erat, de Chriſto toga virili ſpem faciens, & in extrema ora limboque purpuram habens, i. e. Chriſtum e longinquo monſtrans, togam quidem per ſe puram, ſed purpura tamen, ſeu coccino peccatorum noſtrorum probe tingendam, ut nos impuros puros redderet*, Jeſ. *I.* 18. *LXIII.* 1. 2. *Cor. V.* 21. *Col. II.* 27. & *Hebr. X.* 1. *Forenſis denique lex nutricis inſtar ſe habebat, ſedulo caventis, ne infantilis ætas noxium quid guſtet, e. g. ne per conjugia, absque ſingulari ſtemmatum diſcrimine inita, periculoſa tribuum commixtio fieret, Chriſtusque ex tribu Juda oriundus, Geneſ. XLIX.* 8. *ſqq. eo felicius dignoſci poſ-*

poſſet. Nec deſunt ab altera parte phraſes, quæ Galatarum, ad Chriſtum converſorum, majorennitatem, ſeu ætatem virilem innuant. Hinc Paulus ait, eos non amplius ſub Lege, tanquam pædagogo eſſe, v. 25. Hinc v. 26. *filii* i. e. adulti nominantur, ubi conferri poſſunt, quæ ibi ex *Alex. Moro* adduximus. Quemadmodum itaque liberi Romanorum, ex ephebis egreſſi, toga virili ætatis virilis & libertatis quoque argumentum præferebant, ita convenienter Chriſtiani, Chriſto per baptiſmum induti, cum iis, qui togam ejusmodi geſtent, comparari videntur.

Cl. *Jo. Doutrein* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. pag. 365. non tam ad certum *veſtium* genus, quam ad *veſtimentum*, quo quis indui conſuevit, reſpici exiſtimat, ita ut Chriſtus tum ad *juſtitiam*, tum ad *ſanctificationem* indui dicatur, tanquam qui ut *juſtitiam* unice pepererit, ita & *ſanctificationem*, tum *promeruerit*, tum *efficiat*, tum *promoveat*, tum in ſuis *urgeat*, tum *exemplo* ſuo illius conſequendæ rationem commonſtret.

Tertiam interpretum claſſem h. e. eorum, qui phraſin Paulinam ex *Judæorum* ritibus explicandam eſſe contendunt, auxit laudatus *Haſæus* l. c. p. 1014. ſqq. Reſpici itaque inprimis putat ad *illuſtrem illam populi Judaici in numerum fœderatorum Dei aggregationem, quam tertio, poſtquam ex Ægypto exiverant, menſe in deſerto propter montem Sinai factam eſſe* Exodus c. XIX. teſtatur. In hac enim ait a) apparere veſtigia non ſolum alicujus baptiſmi ſeu lotionis, ſed & ejuſcemodi, quam comitabatur b) veſtium indutio, & quidem c) talis, in qua Chriſtus ipſe, tanquam veſtis indui dici poterat, cujus etiam d) memoria illa tempeſtate, qua ſcribebat Paulus, nondum erat obliterata, neque apud Judæos, neque apud Chriſtianos, ſed vulgari quodam ritu ſæpius renovabatur, cui denique e) cum ſcopo Apoſtoli bene conveniat. Hæc per ſingula capita in ſequentibus erudite & diligenter enarrata leges.

Si meam tandem requiras ſententiam, non diffiteor, in Cl. *Suſchkii* expoſitionem inclinare animum, & præ ceteris illorum, qui ex *Gentilium* inſtitutis phraſin illuſtrandam cenſuerunt. Satius tamen puto, eam explicare vel ex Chriſtianorum ritu, qui, ubi ex aqua baptiſmali emergerent, aut priſtino illo, aut fortaſſe novo veſtimento induebantur; vel ex Judæorum inſtitutis, ad veſtium conditionem & diſcrimen in ſacris inprimis perſonis frequenter relatis. Hinc enim puto factum eſſe, ut Scriptores Sacri, & inprimis Paulus, verbo ἐνδύεσθαι crebro utatur, nunc reſpectu *Chriſti* ut h. l. & *Rom.* XIII. 14. nunc reſpectu *juſtitiæ*, *Epheſ.* VI. 14. nunc reſpectu novi hominis, *Epheſ.* IV. 24. & *Coloſſ.* III. 10. nunc reſpectu virtutum, *Rom.* XIII. 12. & *Coloſſ.* III. 12. Singulare vero aliquod momentum vel requirere vel afferre, cujus ratio inprimis haberi debeat, ut propter frequentiſſimum phraſeos uſum non neceſſe eſt, ita plenum eſt incerti & dubitationis. Suffecerit, ſi dicamus, omnibus illis in locis arctiſſimam quandam, quibus indui jubemur, rerum communionem, qualis in veſtibus uſu venit, inferri.

Mini-

Minime vero omnium probem eos, qui ad deum *Comum*, in cujus honorem uterque ſexus veſtes olim inter paganos miſcuerit, alludi opinantur, de quibus ad *Rom.* XIII. 14. dixi. Speciem exiguam in illo quidem loco hæc interpretatio habet, ob antecedentem vocem κῶμος, at ea noſtro loco penitus abſtergitur, quando de longe alio argumento h. e. de Chriſto, fide in baptiſmo ad juſtitiam inducendo, ſermo eſt. Hanc enim *juſtitiam* hic vel ſolam, vel præcipue, ſpectari, ex totius hujus capitis argumento & nexu conſtat, & ab Interpretibus, quos ſciam, omnibus agnoſcitur. Neque putem aliter de loco *Rom.* XIII. 14. ſtatuendum eſſe. Ibi enim v. 12. Paulus a vitiorum tenebris avocat, & ad ſanctitatis ſtudium cohortatur. Prius appellat ἀποθέσθαι τὰ ἔργα τȣ̃ σκότȣς, poſterius, ἐνδύσασθαι τὰ ὅπλα τȣ̃ φωτός. Utrumque illuſtrat v. 13. per περιπατεῖν εὐσχημόνως, & per μὴ περιπατεῖν ἐν κώμοις καὶ μέθαις. Denique v. 14. *indui jubetur Chriſtus*, certe non alio fine, quam ut recordarentur *juſtitiæ*, a Chriſto non ſolum partæ, ſed & per fidem adplicatæ, quæ & promtum & idoneum quemque faciat, imo & impellere debeat ad virtutum ſtudium alacriter urgendum, vitiorum vero averſandum. Idem Paulus exprimit *Rom.* VIII. 9. Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριςῷ Ἰησȣ̃, (i. e. *qui Chriſto ſunt induti*,) μὴ κατὰ σάρκα περιπατȣ̃σιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. Itaque *induere Chriſtum* nec ibi ad vitæ ſanctitatem, a vitiorum, κώμων, μεθῶν ſordibus liberam, & Chriſto adeo dignam, ſed inprimis ad juſtitiam Chriſti tenendam & ſolicite ſervandam ſpectat.

Verſ. 28. Οὐκ ἔνι Ἰȣδαῖος) Mirum eſt, *Bezam*, virum alioquin græce peritiſſimum, ſuſpicari potuiſſe, ἔνι librariorum vitio ſcriptum hic eſſe pro ἐςὶ, & exemplum Græci Scriptoris requiſiviſſe. Exempla certe hujusmodi plura dederunt *Stolbergius* ad Sophoclis Ajacem pag. 189. Illuſtris *Ezech. Spanhemius* ad Ariſtophanem in *Pluto*: Ἔνι γάρ τις, ἔνι κίνδυνος ἐν τῷ πράγματι. *Eſt enim, eſt periculum in hoc negotio*, Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 515. Cl. *Kirchmajerus* in Paralleliſmo dictionis Nov. T. & Polybii pag. 46. & *Elsnerus* pag. 187. Spectat huc ὡς ἔνι, quod *Heſychius* exponit per, ὡς ἔςιν, ὡς ἐγχωρεῖ. Et frequentiſſima loquendi forma, ὡς ἔνι μάλιςα, quam idoneis exemplis firmat *Jac. Perizonius* in Addendis ad Æliani Var. Hiſtor. pag. 981. Itaque vocem hanc cum *Eraſmo Schmidio* ex Poëtarum aut Atticorum more tantum derivare nolim.

Οὐκ ἔνι Ἕλλην) Per Ἕλληνα hic Gentilem ſeu paganum intelligi vel ex oppoſita voce Ἰȣδαῖος patet. Conf. *Rom.* I. 16. II. 9. 1. *Cor.* I. 22. 24. &c. *Jo. Coccejus* Tom. VI. Opp. inter epiſtolas pag. 56. edit. Francofurt. ita: *In epiſtola ad Galat III. 28.* Ἰȣδαῖος *&* ἕλλην *opponuntur, ut* Ἰȣδαῖος, *ſorte naſcendi & religione, & gentes ſorte item naſcendi & religione. Omnes enim amplectitur Chriſtus, & quando eos facit unum, non relinquit inter eos diſcrimen. Lex faciebat diſcrimen. Lex diſcrimen faciens non eſt amplius, & nulla ſimilis nova eſt data. Una eſt lex fidei & charitatis Galat. V. 6. Nulla lex, quæ diſtinguat ſer-*

vum & liberum, & alii det poteſtatem in alium, nulla lex, quæ in regno cœlorum aliquid permittat viro, quod neget mulieri.

ὐκ ἔνι δῦλος, ὐδὲ ἐλεύθερος· ὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ) Momenta hæc Judæis & paganis oppoſita eſſe, oſtendit Cl. *Elsnerus* p. 187. quandoquidem apud Judæos etiam in ſacris inter mares & fœminas, liberos & ſervos, diſcrimen fuerit; ſicut apud paganos a ſacris & templis arcebantur *ſervi* & *ſervæ*, quæ liberis hominibus patebant, *mulieres* item in ſacris nonnullis abigebantur. Confer Cel. *Fabricii* noſtri Bibliographiam Antiquariam p. 294. edit. I.

Verſ. 29. Εἰ δὲ ὑμεῖς Χριςῦ) *Claromontanus* legit: εἰ δὲ εἷς ἐςε ἐν Χριςῷ Ἰησῦ. At *Ger.* εἰ δὲ ὑμεῖς ἐςε ἐν Χριςῷ Ἰησῦ & *Bœrner.* εἰ δὲ ὑμεῖς πάντες ἕν ἐςε ἐν Χ. Ι. *Lockius* in Commentario ad h. l. præfert lectionem *Claromontani* codicis, tanquam quæ cum v. 28. πάντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐςε ἐν Χ. Ι. magis conveniat. At ibi *Alex.* habet ὑμεῖς ἐςε ἐν Χ. Ι. qui in hoc commate receptæ lectioni penitus reſpondet. Argumento hoc eſt, librarios nonnullos alterum comma ex altero refinxiſſe. Itaque præſtat in lectione, quæ plerorumque codicum, imo tantum non omnium, & verſionum quoque conſenſione firmatur, acquieſcere. Similiter c. V. 24. οἱ δὲ τῦ Χριςῦ. Sic *Polybius* p. 761. τὺς αὐτῦ *ſuos* dixit, obſervante *Raphelio* in Annotatt. Polybianis p. 523.

CAPUT IV.

Verſus 1-7. quibus ſectio epiſtolica, pro concione explicari ſolita, continetur, illuſtrantur a Cl. *Franc. Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. p. 64. ſqq. In verſus 1-3. commentatur *Jo. Marckius* in Exercitt. Exeg. p. 648. ſq.

Verſ. 1. λέγω δὲ) Ita infra V. 16. Formula eſt connectendi, qua etiam *Ariſtides* ad Themiſtoclem utitur apud *Herodotum* lib. VIII. p. 555. Vide *Raphelii* Herodoteas annotatt. p. 516.

ὁ κληρονόμος νήπιός ἐςιν) *Herodotus*, eodem obſervante lib. IV. p. 308. ἐόντων ἔτι τῶν παίδων τύτων νηπίων, ἐπιτροπαίην εἶχεν ὁ Θήρας τὴν ἐν Σπάρτῃ βασιληΐην. Per κληρονόμον νήπιον, *heredem infantem*, intelligi *pupillum*, communi Interpretum conſenſu receptum eſt. Cum vero idem ſtatim dicatur ὐδὲν διαφέρειν δύλυ, *nihil differre a ſervo*, id vero & legibus & conſuetudini adverſetur, (neque enim tanta tutoris eſt auctoritas & poteſtas in pupillum, quanta eſt domini in ſervum) fuerunt, qui alia atque alia ratione Pauli hæc verba vindicanda cenſuerunt. B. *Jo. Sam. Stryckius* in diſſertat. de Jurisprudentia Pauli Apoſtoli cap. I. §. 16. Apoſtolum reſpexiſſe ait *ad priſcum illum juris Romani ſtatum, quo filii familias parum vel nihil a ſervis differebant.* Sed id non ſatisfacit Cl. *Frid. Chriſtoph. Neubour* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. V. p. 40. Idem itaque per κληρονόμον νήπιον non intelligit hæredem orphanum, patre orbatum, aut pupillum, *ſed filium familias, nondum ex ephebis egreſſum*, p. 48. Hunc enim a JCtis pro-

proprie vocari κληρονόμον, ab Interpretibus vero legum ἀυτοκληρονόμον. Hunc, Patre etiam ſuperſtite, *Dominum* eſſe *omnium bonorum*, & heredem neceſſarium, ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento, qui nec ſine cauſa idonea exheredari poſſit, quo ſenſu Apoſtolus *Rom.* VIII. 17. & hic v. 7. υἱὸν & κληρονόμον, tanquam arctiſſime copulata, conjungat. At idem ille ex veteri jure nihil differebat a ſervo. Romuli enim lege Pater in eum jus habebat vitæ & necis, terque venundandi poteſtatem. Neque tamen ad illum rigorem, tum temporis antiquatum, reſpexiſſe Apoſtolum, vir doctus cupit, ſed potius ad adſtrictam & ſervilem quaſi puerilis ætatis apud veteres, præſertim Romanos, vivendi conditionem, quo conſilio *infantis* heredis ſpeciatim mentio fiat. Convenienter quidem hæc dici exiſtimo.

Verſ. 2. Ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπυς ἐςὶ ϗ οἰκονόμυς Has voces de *tutoribus* & *curatoribus*, tanquam pupillorum, communiter accipiunt Interpretes, quæ tamen ſignificatio vi dictorum h. l. latius ſpectat. Vide eundem *Neubourium* p. 50. Hic ſcilicet per ἐπίτροπον *pædagogum* ſive *cuſtodem*, filio infanti a Patre datum, per οἰκονόμον autem ejuſmodi ſervum intelligit, qui Latinis *diſpenſator*, *actor* vel *arcarius* dictus, tum rei familiari integræ, tum liberorum infantium ſuſtentationi proſpicere debebat. Hoc vero Paulum innuere voluiſſe, ex eo inprimis probat, quod cap. III. v.24. legem comparaverat cum *pædagogo*, quam allegoriam jam continuaturus, quod ipſa phraſis v. 1. λέγω δὲ, ſubindicet, jam redeat ad infantem ejuſmodi, tanquam ſub pædagogi ferula, & diſpenſatoris cura conſtitutum, efficaciter repræſentandum. Idem monet, vocem ἐπίτροπος apud Græcos nunc *villicum*, ut apud *Matth.* XX. 8. & *Xenophootem* Memorabil. V. nunc præfectum domus & familiæ, ut *Luc.* VIII. 3. nunc *Rectorem provinciæ*, ut apud *Herodianum* lib. VII. denotare, quemadmodum Judæorum magiſtri voces אפוטרופא vel אפיטרופוס de *præfectis*, aut, *quibuscunque aliquid committitur*, adhibere ſoleant. Lege in eandem ſententiam *Vitringæ* commentarium Belgicum in h. l. Idem video placuiſſe Cl. *Elsnero* p. 188. Is inter cetera monet, *Plutarchum* in Cicerone pag. 880. ἐπίτροπον τέκνων commemorare, οἰκονόμον autem *Luc.* XII. 42. in ſervorum familia cenſeri, quemadmodum dives apud *Alciphronem*, Epiſt. III. 10. pag. 300. ſervorum turbam in ſomnio contemplatus, eos οἰκονόμυς ϗ διοικητὰς ſibi habere videbatur. Οἰκονόμον a Vulgato ait *actorem* verti erudite, de quo ſervorum genere *Pignorius* & *Vavaſſor* in Antibarbaro expoſuerint. De utraque voce ἐπίτροπος & οἰκονόμος lege, ſi placet, quæ Vol. I. pag. 290. 639. & 671. a nobis admonita ſunt. De priore illa conferri quoque juverit *J. C. Dietericum* in Antiquitatt. Biblicis N. T. Part. I. pag. 323. qui tamen in *tutoris* notione h. l. minus recte acquieſcit. Ἐπίτροπον & κληρονόμον ſibi invicem opponit *Polybius*, obſervante *Raphelio*, pag. 1418. ubi ait, τὸν Τληπτόλεμον ϗ τὰ πράγματα ϗ τὰ χρήματα μὴ ὡς ἐπίτροπον, ἀλλ' ὡς κληρονόμον χειρίζειν. Patrum ſententiam affert *Petavius* Tom. I. Dogmat. Theolog. ubi de Incarnat. X. 26. §. 10.

Ἄχρι τῆς προθεσμίας) ſcilicet *ἡμέρας*, *uſque ad conſtitutum tempus.* Vide *Lamb. Bos* de ellipſi Gr. L. pag. 78. Externorum Scriptorum loca, v. c. *Luciani* in Nigrino pag. 39. & in Vera Hiſtor. lib. I. p. 758. &c. attulerunt *Hombergius* & *Elsnerus.* Eadem voce פרותיזמיא utuntur Judæorum Magiſtri, quod conſtat ex *Buxtorfii* Lexico Talmudico-Rabbinico. Qua quidem occaſione *Jac. Guſſetius* pag. 701. commentarii L. Hebr. ita de ea exponit: *Porro vocem ipſam ad τίθημι ſimpliciter referre non ſim contentus, tum quia hoc non ſolet derivata ſua facere cum σ ex præterito, tum quia etymon magis naturale majorem emphaſin habet, quæ ſine cauſa minui non debet, nempe a θεσμὸς lex, idem ac νόμος. Vide Lexicon. Nempe προθεσμία non eſt quovis modo determinata dies, ſed quaſi lege poſita, proindeque ab eo, qui legis ponendæ habeat auctoritatem, ſive a Magiſtratu, ut circa dies feſtos, ſive a teſtamentum condente: diſpoſitio enim Teſtamentaria Lex vocatur & cenſetur. Atque hinc Apoſtolus ſumit materiam ſeu protaſin comparationis, & id patet, tum, quia de tutoribus & curatoribus, minorenni præficiendis, loquitur, tum quia in voce προθεσμία præpoſitio πρὸ notat diſpoſitionem de tempore tutelæ finiendæ factam aliquamdiu ante exemtionem, ut Teſtamentum præcedit executionem ipſius.* Hæc *Guſſetius.* Sed obſervatio ejus nec Grammatica illa ratione ſatis fulcitur, nec Scriptorum Græcorum auctoritate & uſu firmatur, atque viro docto ex eo tantum ſubnata videtur, quod non videret, quomodo *προθεσμία* Patri, reſpectu pupilli, poſt fata ſua futuri ſuperſtitis, tribui poſſit in eo negotio, quod legibus alias definiatur. At ſalva res omnis eſt, ſi hic non de *tutoribus*, & *curatoribus*, ſed de *præfectis* & *diſpenſatoribus*, infanti a Patre adhuc vivo conſtitutis, ſermonem eſſe meminerimus. Fuerunt, qui, etiam priore vocum ſignificatu retento, verbis Pauli conſuli poſſe exiſtimarent, inter quos lege *Wiſſenbachium* ad Inſtit. Diſp. VII. §. 39. & *Stryckium* l. c. §. 3. Sed non ſufficere eorum obſervata nodo huic ſolvendo, idem *Neubourius* oſtendit l. c. pag. 45. ſq. qui porro pag. 55. commonſtrat, omnia ſibi probe conſtare, ſi de Patre adhuc vivente accipiantur: *Sub hiſce*, inquit, *directoribus filius familias erat uſque ad tempus προθέσμιον a Patre, h. e. donec Patri placeret, eum liberalius habere, ſibique ipſi relinquere; id quod olim, cum rigidior diſciplina obtinebat, tardius, poſtea diſſolutiori ſæculo nimis mature ſæpe accidit.* Idem denique p. 56. ſenſum verborum ita repræſentat: *Fidelibus, Dei filiis, & hæredibus æternæ ſalutis, ſub Veteri Teſtamento, quaſi in pueritia & prima juventute conſtitutis, a Lege, tanquam pædagogo, ne latum unguem recedere licuiſſe. Poſtquam autem divini Parentis gratia, tempore præfinito, ſcilicet Novi Inſtrumenti, fides advenit, eosdem a ſervili iſta conditione, in ſuam quaſi tutelam perveniſſe; illam igitur libertatem acriter eſſe tuendam, mordicus retinendam.* Copioſius hæc ediſſerere placuit, cum nihil mihi dici poſſe videatur, quod ad rem faciat magis.

Jam, ſi rem ipſam ſpectes, in quam Paulus hæc affert, non dubito, per τὺς ἐπιτρόπυς & οἰκονόμυς inſtituta legis Moſaicæ potius, quam Sacerdotes aut Seniores V. T. intelligere. Illi enim ἐπίτροποι & οἰκονόμοι iidem ſunt, qui, v. 3. στοιχεῖα

χεῖα τοῦ κόσμου appellantur. Lege in hanc ſententiam *Marckium* l. c. Neque tamen illos legis miniſtros prorſus excludi velim, tanquam quibus vi legis ipſius poteſtas erat in fideles V. T. in quantum inſtituta legis acriter urgebant.

Verſ. 3. Οὕτω καὶ ἡμεῖς, ὅτε ἦμεν νήπιοι, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ἦμεν δεδουλωμένοι) Vide huc B. *Jo. Guil. Bayeri*, Theologi quondam Altorfini, diſputat. de elementis mundi *Altorf.* 1719. & aliam *Jo. Weſſelii*, Theologi Leidenſis, in Diſſertationibus ejus Sacris p. 474. ſqq. recuſam. Sunt, qui illa στοιχεῖα cum *Auguſtino* de Civitate Dei lib. IV. cap. 11. de elementis corporum naturalium, igne, aëre, aqua & terra, & corpora ex his orta, *Solem*, *Lunam*, *aſtra*, quatenus illa a paganis Numinum loco habita fuerunt, interpretentur, adducti inprimis v. 8. ubi Galatæ *non Diis* olim ſerviiſſe dicantur. Sicut vero id nihil huc facere proxime oſtendemus, ita huic interpretationi alia objecit *Weſſelius* pag. 480. ſqq. Plerique in eo recte conſentiunt, inſtituta legis ceremonialis vel tantum, quod & mihi videtur, vel præcipue, morali tamen lege non neglecta, quæ Weſſelii eſt ſententia, indicari. Patrum loca huc ſpectantia attulit *Svicerus*, Tom. II. p. 1038. In eo vero diſſentiunt priores illi, quo reſpectu Paulus ſtatuta iſta στοιχείων nomine appellet. Conſtat, στοιχεῖα non ſolum de elementis *Phyſicis*, ſed & *Grammaticis*, ſeu literarum characteribus, tum vero etiam *diſciplinarum rudimentis* a Scriptoribus uſurpari. Vide omnino *Salmaſium* de Transſubſtantiatione p. 55. Στοιχεῖα proprie ſignificare *literas* earumque characteres, Platonem vero primum ad *mundi elementa* transtuliſſe, obſervat *Diogenes Laërtius* in Platone III. 24. ubi vide Interpretes, inter quos *Menagius* alibi, ad VII. 50. p. 288. de eo diſſerit ex veteribus, quomodo στοιχεῖον, de literis adhibitum, a voce γράμμα differat. De *ſignis Zodiaci* quoque dici, idem *Menagius* ad VI. 102. & *Valeſius* ad Euſebium p. 54. b. tum *Stymus Thirlby* ad Juſtini Martyris Opera p. 112. commonſtrarunt. Non minus autem literarum elementa, ſeu rudimenta diſciplinarum per στοιχεῖα innui, oſtendit *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitt. Biblicis N. T. Parte II. p. 182. Hinc Paulus *Hebr.* V. 12. τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ appellat. Inde ſimili ſenſu στοιχείωσις ab *Heſychio* & *Suida* per διατύπωσιν, vel πρώτην μάθησιν explicatur, quam vocem a Patribus frequentari, vel ex *Svicero* Tom. II. p. 1040. conſtat. *Euſebius* Hiſtor. Eccleſ. p. 75. στοιχείωσιν εἰσαγωγικὴν dicit.

Jam quæritur, ad quem potiſſimum ex tribus his ſignificatum Paulus alluſiſſe exiſtimandus ſit. B. *Bayerus* in diſputatione laudata ad *aſtra* cœli reſpectum habitum eſſe cenſet, tanquam ad quorum curſum leges ceremoniales & ritus Moſaici maximam partem ſint exacti & definiti. Alia momenta, quæ huc facere poſſint, affert *Weſſelius* p. 485. Ipſe tamen mavult reſpici ad *rudimenta diſciplinarum*, cum Paulus antea de ἐπιτρόποις, tanquam *informatoribus* & *præfectis*, locutus ſit, quibus in apodoſi reſpondeant τὰ στοιχεῖα, porro vero lex Moſaica *rudimenta* Eccleſiæ infantilis omnino ſiſtat, quæ denique ipſa a Paulo *pædagogi* nomine inſigniatur. Atque hæc recte dici exiſtimo. Ex veteribus quosdam ita accepiſſe, *Theophylactum* video teſtari: Τινὲς δὲ, inquit, στοιχεῖα τὸν στοι-

 χειώ-

χειώδη καὶ εἰσαγωγικὸν νόμον ἐνόησαν. Nonnulli per elementa elementalem & introductoriam legem intellexerunt. Huc pertinet etiam *Gennadius* apud Oecumenium.

Supereſt, ut intelligamus, quare ceremoniæ illæ legales *στοιχεῖα κόσμου*, *mundi elementa*, dicantur. *Lockius* quidem ad h. l. duram ſervitutem obedientiæ, legibus illis præſtandæ, & promiſſiones legis ſæculares innui cenſet, recte ideo a *Clerico* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 83. notatus. Alii nominis rationem in eo quærunt, quod vel tabernaculum & templum in vetere œconomia *mundi phyſici* figura fuerit, vel ſtatuta Moſaica a mundo ſeu gentibus antiquioribus orta ſint, eaque Judæi cum gentibus habuerint communia, (quæ *Grotii* ad h. l. & *Spenceri* de Legibus Hebræorum ritualibus p. 766. & 797. ed. Lipſienſis, ſententia eſt,) vel lex de *rebus terreſtribus* v. c. cibo, potu, frugibus &c. præceperit. Hæc ut & alia diverſorum cogitata recitat & diſpellit ex noſtratibus *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, & *Weſſelius* l. c. p. 488. ſqq. *Weſſelius* ipſe p. 492. ſq. *apparatum mundanum*, atque pompam & oſtentationem externam, in ceremoniis illis conſpicuam, innui exiſtimat, quo ſenſu cultus mulierum Paulo 1. Tim. II. 9. *καταστολὴ κόσμιος*, & Petro 1. ep. III. 3. *ἱματίων κόσμος* appelletur. Præeuntem ſibi is ex parte habuit *Jac. Altingium* Tomo V. Operum inter epiſtolas p. 400. ubi hanc ſententiam contra *Franc. Burmannum*, qui nonnihil illi obverterat ibidem, tuetur, præter loca modo allata ad *ἅγιον κοσμικὸν Hebr.* IX. 1. provocans. Subſcripſit ejus judicio *Henr. Pontanus* in diſputat. ſingulari. Id tamen inter *Altingii* & *Weſſelii* ſententiam intercedit, quod is quidem ad vocem *κόσμος*, unde *κόσμιος*, ex ſignificatu *ornatus*; hic vero ad uſum vocis *de univerſi hujus compage*, reſpexerit, quemadmodum ille *elementa decora*, hic vero *elementa pompoſa* interpretatur. Hoc ſenſu Paulum ait *Coloſſ.* II. 20. illos, qui ab elementis mundi per Chriſtum liberati ſint, interrogare; *quid ut viventes in mundo ritibus oneramini?* Eodem vero etiam tendere putat *τὸ ἅγιον κοσμικὸν* i. e. *Sanctuarium mundanum* Hebr. IX. 1. ubi *κοσμικὸν* id dicatur, in quo ſit mundana pompa & apparatus, ſicut *κοσμικοὶ* & *μονάζοντες* a *Chryſoſtomo* opponantur. Atque idem hoc puto B. *Lutherum* noſtrum voluiſſe, quando *στοιχεῖα τοῦ κόσμου* per *inſtituta externa*, äuſſerliche Satzungen, h. e. talia, quæ in oculos incurrant, & ſpecie alliciant, interpretatur. Non puto me erraturum, ſi dixero, Paulum per additam vocem *κόσμου* inprimis *interitum* inſtitutorum ceremonialium, cui deſtinata a Deo antiquitus fuerint, indicare. Illum enim alias valide urget, v. c. 2. *Cor.* III. 11. 13. & 14. ubi de *τῷ τέλει τοῦ καταργουμένου*, & de lege, quæ *ἐν Χριστῷ καταργεῖται*. Sic *Epheſ.* II. 15. Chriſtus dicitur *τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας*. Jam vero compertum eſt, mundi ipſius interitum a Sacris Scriptoribus inculcari, ubi in eo ſunt, ut animos a ſtudio rerum ſæcularium avocent. Sic Paulus 1. *Corinth.* VII. 31. *τὸ γὰρ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου παράγει.*

Ἦμεν δεδουλωμένοι) Vide huc *Witſii* Ægyptiaca pag. 286. qui lib. IV. p. 816. Oeconomiæ per *στοιχεῖα κόσμου* ceremonias veteris Oeconomiæ intelligit, hoc nomi-

nomine appellatas, ad indicandam earum ruditatem & imperfectionem, tranſlatione duplici, altera a natura, altera ab arte petita.

Verſ. 4. & 5. a noſtratibus ſingularibus diſſertationibus illuſtrati ſunt, puta, a *Calovio*, præexiſtentiam filii Dei ante nativitatem temporalem hinc demonſtrante, Witteberg. 1669. *Botſacco*, Gedani, 1642. *Feurbornio*, Gieſſ. 1621. *Mylio*, Regiom. 1618. *Tarnovio* in Exercitt. Biblicis pag. 1174. & *Weimanno*, Altorf. 1661. Adde Programma natalitium Wittenbergenſe anni 1715. quod recuſum exſtat in *Gabr. Terne* Sylloge Programmatum Tom. I. p. 717.

Verſ. 4. Ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τȣ̃ χρόνȣ, κ. τ. λ.) Egregie hæc contra Socinianos, quibus & *Calovium* occurriſſe monuimus, urget & vindicat *Spenerus* in tractatu vernaculo de deitate Chriſti, pag. 401. ſqq. Phraſis πλήρωμα τȣ̃ χρόνȣ Hebraismi falſo ſuſpecta plerisque fuit. Nam externis Græciæ Scriptoribus πλήρωμα de extremo temporis, quod præfinitum erat, ſpatio dicitur. Sic *Herodotus* lib. III. p. 192. ὀγδώκοντα ἔτεα ζώης πλήρωμα ἀνδρὶ μακρότατον προκέεσθαι, *perfectiſſimum diu vivendi ſpatium homini octoginta annos proponi*, ex Perſarum ſententia ſcribit. Idem lib. III. p. 214. vocem πλήρωσις de pleno tempore uſurpat. Lege Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas. Quod ad rem ſpectat, plerique Interpretes illam temporis plenitudinem ad tempus, nativitati Chriſti conſilio divino præſtitutum, referunt, alii vero ſpectari volunt ad προθεσμίαν πατρὸς v. 2. ut indicetur tempus illud, *quo infantia præſtituta Eccleſiæ finem ſuum acceperit.* Ita B. *Lutherus* in Poſtilla Eccleſiaſt. p. 256. & *Seb. Schmidius* ad h. l. cumque illis *Raphelius* l. c. Vtraque ſententia commode conjungi poteſt, cum alterum ex altero ſequatur. Ex Anglis *Robertus Flemingius*, natale Chriſti tempus hic innui exiſtimans, in Chriſtologia ſua Tom. II. p. 351-371. multus in eo eſt, ut oſtendat, Chriſtum tempore maxime idoneo carnem humanam induiſſe. Lege in eandem cauſam B. *Sandhagenii* Epiſtolas Theologic. Dec. I. p. 277. Nec omitte *Petavii* Dogmata Theologica Tom. V. ubi de Incarnat. II. 6. 20. V. 14. 8. & V. 16. 5. Proſtat etiam *Thomæ Woolſtoni*, olim melioris, tractatus Anglicus, quem de tempore adventus Chriſti in carnem opportuniſſimo inſcriptum, & cum paganis veteribus, tum incredulis recentioribus oppoſitum, Lond. 1722. 8. edidit. De eo in Supplementis ad Curas noſtras in Matthæum aliquando plura, ſi Deus annuerit, dicemus.

γενόμενον ἐκ γυναικὸς) *Tertullianus* cum aliis, Chriſtum *factum*, non *natum*, dici exiſtimat ad indicandam extraordinariam originis ſuæ conditionem. At eam quidem ex phraſi ipſa, ſi alia rei documenta deeſſent, non conſequi, cum profani quoque Scriptores communem naſcendi ſortem per verbum γενέσθαι exprimere ſoleant, ab aliis oſervatum eſt. Lege Rev. *Raphelium* in Annotatt. Xenophonteis ad *Rom.* I. 3. & Herodoteis p. 519. & Cl. *Jo. Alberti* in Obſſ. p. 364. qui vel ideo τὸ γενόμενον non per *factum*, ſed *natum*, convertendum eſſe cenſet. Confer *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. II. ubi de Trinitate lib. V. c. II. §. 6. Codices aliquot, a *Millio* appellati, legunt γεννώμενον, forte ideo, ut diſcrimen eſſet inter hoc & ſequens, γενόμενον ὑπὸ νόμον. Recepta tamen lectio,

 ut

ut communior, ita & proba eſt, quamvis alibi Dominus noſter γεννᾶϑαι & γεννηϑεὶς dicatur, *Matth.* II. 1. & 4. *Luc.* I. 35. &c. Γυνὴ Græcis pro generali ſua notione etiam virginem infert. Vide Vol. I. p. 20. & *Gatakerum* de Stilo N. T. p. 133. *Jac. Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* p. 93. phraſin hanc ex Geneſ. III. 15. deſumtam exiſtimans, inquit: *Occaſio tituli hujus*, γενομένȣ ἐκ γυναικὸς, *non alia datur, quam ejusdem tituli in Geneſi uſurpatio; & dum notat, hoc eveniſſe* in complemento temporis, *digito indicat promiſſionem ejusdem eventus datam* in principio temporis. Idem jam ante monuerat *Altingius* Tom. V. Opp. p. 30. b. ubi de Sabbato. *Atque ob hanc*, inquit, *cauſam dicitur* factus ex muliere, *quod interpretatio eſt deſcribentis eum tituli, Semen mulieris, quia mulierem deſponſam quidem, non tamen cognitam viro matrem habuit, Matth. I.* 18. *Luc. I.* 27. *conditione ſimillimam mulieri primæ, quo tempore hæc promiſſio ipſi facta fuit, quæ ipſa quoque virgo adhuc erat, (utpote demum cognita Adamo poſt ejectionem ex paradiſo (Gen. IV.* 1. *) attamen jam deſponſa ipſi mox a ſui creatione Gen. II.* 22. *quamobrem hic* אשה *uxor dicitur (ſicut Maria* γυνὴ *uxor Joſephi Matth. I.* 20. 24. *Luc. II.* 5. *Gal. IV.* 4. *) quod nomen mulierem Viro jugatam, adeoque ab ipſo denominationem ſortientem, denotat Gen. II.* 33.

Verſ. 5. ἵνα τὴν υἱοϑεσίαν ἀπολάβωμεν) *Elegans eſt*, inquit *Seldenus* de Succeſſionibus ad Leges Hebræorum cap. IV. p. 39. *ad receptos Hebræorum mores alluſio. Qui ſub lege ſervi erant, in libertatem, pretio a Chriſto numerato, redemti ſunt, adeoque in filiorum nomen aſſerti, ut jam, eo nomine & ratione libertatis acquiſitæ, rite poſſint invocare ſibi, ſeu adſciſcere patrem, quod ſervilis conditionis hominibus fas non erat. Filios autem ſeu liberos eos agnoſcit Spiritus S. ſeu Deus ipſe, cui, ut patri, prolem agnoſcenti, fides omnino habenda.* Lege ibi plura.

Verſ. 6. Ὅτι δέ ἐςε υἱοὶ, ἐξαπέςειλεν ὁ Θεὸς κ. τ. λ.) Spectat huc *Juſti Chriſtoph. Guntheri* diſput. de clamore Spiritus S. in cordibus fidelium, Jenæ 1718. Adde quæ nos ſcripſimus ad *Rom.* VIII. 15. *Alex. Morus* p. 155. commodius dici ait videri: *quia Deus miſit Spiritum ſuum in corda noſtra, ideo nos eſſe Dei filios.* Itaque τὸ ὅτι accipi poſſe pro διότι, *quia, propterea*, ut *Luc.* VII. 47. & *Joh.* XIV. 15. 16. quemadmodum ex adverſo διὰ τȣ͂το per ὅτι reddi debeat *Rom.* XV. 12. & *Hebr.* XI. 23. Sed nihil his opus eſt, ſicut & ipſe p. 156. oſtendit, quomodo communior illa τȣ͂ ὅτι notio & argumentatio Pauli retineri poſſit. Idem obſervat, τὸ, Ἀββᾶ Πατὴρ, hic a nonnullis Interpretibus male pro vocibus lallantium aut balbutientium puerorum haberi, cum potius de adultis & ætatis maturæ filiis ſermo ſit, quod vel ex verbo κράζειν, quod robuſtorum non tenellorum ſit, intelligatur. Ex quo ſimul patet, eum clamorem Spiritus S. recte de clamore, in cordibus fidelium a Spiritu S. excitato, interpretari.

Verſ. 7. καὶ κληρονόμος Θεȣ͂ διὰ Χριςȣ͂) Nonnulli Codd. & verſiones aliquot a Millio appellatæ, (quibus Cl. *David Wilkins Syriacam* & *Arabicam* in Prolegomenis ad verſionem Copticam N. T. addit,) hic legunt διὰ Θεȣ͂, ſine

Χρι-

χριϛȢ. Hæc vero omittenda non erat, vel reſpectu v. 29. capitis III. Conf. *Rom.* VIII. 17.

Verſ. 8. Ἐδȣλεύσατε τοῖς μὴ φύσει ȢἎσι θεοῖς) *ſerviiſtis illis*, *qui per naturam non ſunt Dii.* Intelliguntur deaſtri gentilium, hominum tantum conſilio & inſtituto in Deorum numerum relati. Similiter *Hierocles* in aurea carmina pag. 170. de Pythagora: ὅς Ȣκ ἦν τῶν ἀθανάτων Θεῶν, Ȣδὲ τῶν φύσει Ἡρώων, ἀλλ᾽ ἄνθρωπος ὡμοιώσει ΘεȢ κοσμηθείς. Hunc itemque alios locos allatos vide a Cl. *Elsnero* pag. 189. ſqq. Adde *Jo. Clericum* in Arte Critica Parte II. Sect. I. cap. 7. §. 4. eruditiſſimum *Jo. Alb. Frabricium* ad Sextum Empiricum pag. 9. & meas, ſi placet, notas ad Tomum I. Anecdotor. Græc. p. 186. Notanda ſunt ejusmodi loca contra Socinianos, & eos, qui hic per φύσιν neutiquam ad Summi Numinis eſſentiam naturamve reſpici, ſed id tantum dici volunt, quod dii illi fictitii nullam divinam auctoritatem aut dominium, nihilque ejus naturæ, quam gentes ipſis tribuant, habeant. Ita ſtatuit *Sam. Clarkius* in Reſponſione ad objectiones *Roberti Nelſoni* anglice edita, pag. 76. ſqq. Confer huc *Leonh. Tvvells* Examen Criticum novæ editionis N. T. Græco-Anglicani Part. I. pag. 136. qui recte monet, τὸν φύσει θεὸν dici, qui *originaliter* i. e. ex ſe & natura ſua Deus ſit, ſicut Judæi φύσει tales Galat. II. 15. dicuntur, qui tales erant non per proſelytiſmum, ſed natu & ortu. Confer *Rom.* I. 26. II. 27. & XI. 21. 24. Non magis probem Rev. *Zeltneri* interpretationem, cetera ingenioſam, quam in notis ad verſionem Lutheri Biblicam Germanicam p. 203. attulit. Opinatur enim per τȢς μὴ φύσει ὄντας θεȢς intelligi carnales illos præfectos & pædagogos v. 2. qui legem adhuc urgeant, & obſequium illi præſtandum gravibus ſuppliciis & pœnis exigant. Vult itaque, hic non tam agi de illa Galatarum ignorantia, cui in Gentiliſmo immerſi fuerint, quam de imperfecta Dei notitia, quæ in Chriſto tantum ſe manifeſtet, *Matth.* XI. 27. *Joh.* I. 18. XVII. 3. Impropria admodum & longius petita hæc phraſeos interpretatio nemini, puto, non videbitur, qui meminerit, Paulum ſæpius Ex-Gentilibus, quales Galatæ ex parte erant, priſtinam in paganiſmo conditionem miſeram repræſentare. Vide 1. *Cor.* XII. 2. Mens Pauli omnino hæc eſt, indignam & pudoris plenam rem eſſe, quam Galatæ nunc perpetrent. Cum enim ex denſiſſimis paganiſmi tenebris ad veritatis Evangelicæ lucem perduci ſe paſſi ſint, jam impetrare a ſe poſſe, ut luce illa perfuſi & colluſtrati ad infirma & obſcura Judaiſmi cerimonialis inſtituta revertantur. Commata 8. & 9. illuſtrantur in Diſputt. Gieſſenſ. Tom. XI. p. 1. ſqq.

Verſ. 9. Νῦν δὲ γνόντες Θεὸν, μᾶλλον δὲ) Particulis his duabus utuntur Græci, ut corrigant, quod modo dixerunt, & quaſi ſatis id non ſit, amplius quid addant. Ita *Polybius* pag. 196. χρήσιμον εἴη, μᾶλλον δ᾽ ἀναγκαῖον & pag 359. καὶ γὰρ ἄτοπον, μᾶλλον δ᾽ ὡς εἰπεῖν, ἀδύνατον. *Abſurdum enim foret, imo vero ne fieri quidem poteſt.* Latini dicunt: *vel*, *ſi mavis.* Germani, **oder beſſer zu reden.** Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 524.

γνωσθέντες ὑπὸ Θεȣ̃) Tres video diverſas hujus phraſeos interpretationes. Aliis enim idem eſt, quod *agniti a Deo*, ſcilicet cum affectu & amore. Ita plerique omnes. Vide nominatim *Gatakerum* de Stylo N. T. c. IV. p. 50. & *Lockium* ad h. l. Aliis idem videtur, quod, *honorati a Deo*. Inter hos eſt *Stephanus Soucietus* in Recueil des Diſſertations Critiques p. 433. ſqq. Hoc ipſo is Galatas putat efficaciter redargui, qui a Deo ipſo evecti, ſe jam, inſtar ſervorum, ſubjecerint vilibus & contemtu dignis legis ceremonialis inſtitutis, in quibus præterea nihil commodi inveniatur. Alii denique explicant per *ſcire facti*, vel, *edocti*. Inter hos eſt, *Beza*, *Schmidius*, & noviſſime M. *Chriſtoph. Wolle* de Parentheſi Sacra p. 77. Atque hanc interpretationem ceteris prætulerim, iis ex cauſis, quas ad 1. *Cor.* XIII. 12. attuli.

Phraſin illam, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ἀπὸ Θεȣ̃, parentheſeos nota a ceteris ſejungi vult *Wollius* l. c. ut ſcilicet amoveatur διλογία, quam, ut vitioſam, in *Cteſia* culpavit *Demetrius Phalereus* περὶ ἑρμηνείας §. 218. Mihi quidem parentheſi propterea opus eſſe non videtur, quod vox γνωσθέντες alium omnino ſenſum habeat, quam qui in voce γνόντες latet, ſive illam de amore, quo Deus Galatas, ſibi cognitos, complectatur, acceperis, ſive notitiam hanc, ut vir doctus vult, a Deo ipſo in illis excitatam eſſe dicas. Itaque nec umbra διλογίας hic conſpicitur, qualis ab illis Cteſiæ verbis: ἐγὼ μέν σε ἔσωσα, καὶ σὺ μὲν δι᾽ ἐμὲ ἐσώθης vix propulſari poteſt.

πῶς ἐπιςρέφετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ ςοιχεῖα) Per ςοιχεῖα hæc iterum ceremonias legales, ut verſ. 3. denotari, non eſt dubium. Mirum vero nonnullis viſum eſt, quomodo, eo poſito, Apoſtolus dicat, Galatas, olim quippe Gentiles, iterum ſervire *infirmis* iſtis *elementis*, cum illi non inſtitutis Moſaicis, ſed deaſtrorum cultui fuerint ſubjecti. Itaque alii alias attulerunt rationes. Nunc enim Galatas ante converſionem Judæorum *proſelytos* olim fuiſſe cenſuerunt, ſine ulla, ſi de omnibus id accipias, veri ſpecie; nunc τὸ πάλιν per *contra*, *e contrario*, reſpectu ſcilicet agnitæ antea juſtitiæ, & libertatis Evangelicæ, interpretati ſunt; quem tamen vocis ſignificatum ex ſacris literis nondum evictum eſſe, ſupra monuimus ad 2. *Cor.* XI. 16. hic autem per additum ſynonymum ἄνωθεν locum habere non poſſe cenſemus; nunc Galatas, ut unum corpus ſpirituale per fidem in Chriſtum conſtituentes, cum Eccleſia N. T. conſiderarunt; quod ipſum ideo admitti non poteſt, quia h. l. de ſervitute legis culpabili & intolerabili ſermo eſt. Itaque eos acu rem tetigiſſe exiſtimo, qui τὸ πάλιν & τὸ πάλιν ἄνωθεν non ad *objectum* idem, cui antea ſervierint Galatæ, ſed ad *actum* ſerviendi ipſum referunt. Hanc ſententiam inprimis ornavit *Weſſelius* l. c. pag. 480. ita mentem Apoſtoli repræſentans: *Nuper ex ſervitute idolorum egreſſi, & ad Chriſtum adducti, vultis, vos convertendo alio, ſervire iterum, & ſervitutem quidem non minus intolerabilem & pernicioſam, quam priſtinam illam, nimirum ſervitutem elementorum infirmorum & egenorum.* Commode idem affert 2. *Paralip.* XIX. 4. collatum cum XVIII. 2. Poſteriori loco Joſaphat *egreſſus* dicitur in *Samariam*, inde vero cum

cum Achabo *Ramoth* in Gilead v. 28. priori vero repræſentatur, tanquam qui ex domo ſua *πάλιν ἐξῆλθεν ἐις τὸν λαὸν a Berſabe uſque ad montem Ephraim.* Ibi manifeſtum eſt, *τὸ πάλιν* ad *egrediendi* actum tantum, non item ad ejus terminum, pertinere. Eandem ſententiam, ut alios taceam, amplexus eſt *Lockius* in commentario ad h. l. inter cetera monens, Paulum oſtendere voluiſſe, Galatas hoc modo nihil feciſſe aliud, quam quod unum Dominum, vel potius tyrannum, cum alio, unum jugum grave cum alio, æque gravi, permutarint.

Πάλιν ἄνωθεν) Synonyma ſunt, quemadmodum alias adverbia, inprimis temporis, idem ſignificantia, conjungi ſolent. Vide *Jeſ.* XXIX. 5. & XXX. 13. Sic *Cicero* I. in Verrem: *Sed repente e veſtigio ex homine, tanquam aliquo Circæo poculo, factus eſt Verres.* Conf. *Svicer.* I. pag. 398. qui recte deſerit *Heinſium*, *τὸ ἄνωθεν* per *prius* vel *ante* hic interpretantem. Idem voluit *Knatchbullus*, qui præterea *τὸ ἄνωθεν* per trajectionem avulſum, ad vocem *ϛοιχείοις* proxime pertinere opinatur.

Verſ. 10. *Ἡμέρας παρατηρεῖσθε, ϗ μῆνας, ϗ καιρὺς, ϗ ἐνιαυτὺς.*) Cum interrogandi nota, in fine commatis poſita, legi hæc vult Cl. *Sam. Battierius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. pag. 104. ad orationem vehementiorem aſperioremque reddendam, qualis ad reprehenſionem & objurgationem inprimis requiratur. In præſidium affertur Codex MS. libb. Origenis contra Celſum, in quorum lib. VIII. loco eo, (qui pag. 392. ed. Cantabrig. ſine tamen interrogandi indicio, legitur) eadem hæc verba interrogative leguntur. Mihi quidem recepta interpunctio per *τελείαν ϛιγμὴν* non videtur migranda. Probare enim hic Apoſtolus vult exemplis Galatarum ad *ϛοιχεῖα πτωχὰ* converſionem. Sunt, qui hanc dierum, neomeniarum, temporum, & annorum obſervationem Galatis, in quantum olim in Gentiliſmo illi indulſerint, exprobrari exiſtimant. Inter hos eſt *Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus lib. III. Diſſ. IV. cap. I. pag. 1057. ſqq. edit. Lipſ. ubi de neomeniis ſpeciatim, a paganis olim celebratis, adducto etiam hoc in fidem loco, diſſerit. Cum vero *ϛοιχεῖα* illa ceremonias Moſaicas omnino inferant, ad quæ Galatas converſos eſſe Paulus probare inſtituit, fieri non poteſt, ut hoc *fermenti* Galatas ex Gentiliſmo retinuiſſe dicamus. Rectius *dies* de Sabbatis Judaicis, *menſes* de Noviluniis, *tempora* de Feſtis, & *annos* de annis Sabbaticis accipimus, quamvis *Franc. Burmannus* in Apologia de moralitate Sabbati cap. VI. §. 15. per *annos*, non annos Sabbaticos, ſed Calendas annuas, ſive ſolemnia annorum initialia, de quibus *Levit.* XXIII. 24. 25. non incommode intelligi malit, ideo, quod annorum Sabbaticorum uſus apud Galatas nullus fuerit. Reprobatam a Paulo dierum, h. e. Sabbatorum Judaicorum, celebritatem nonnulli ad deſtruendam diei Dominici, inter Chriſtianos recepti, moralitatem pertinere exiſtimarunt. Inter hos ex noſtratibus eſt B. *Jo. Fechtius* in Schediaſmatibus Sacris Exercit. III. pag. 569. 572. & 375. & plures inter Reformatos doctores, inter quos hanc cauſam mutuis ſcriptis agitatam eſſe ſupra commemoravimus. Sed hæc

qui-

quidem ad Theologorum ſcholas remittimus, de contraria ſententia alias perſuaſiſſimi.

Verſ. 11. φοβȣ̃μαι ὑμᾶς) *Metuo de vobis.* Τὸ φοβεῖσθαι hic redundare, nec in verſione ſolicite exprimendum eſſe cenſet *Hombergius*. Mihi ſecus videtur. Paulus enim hac phraſi non tam in genere ſignificat, quid ipſe per ſe *vereatur*, quam mali aliquid ominatur Galatis, & deinde cauſam rei ſubjungit, quod ſcilicet fruſtra apud eos fuiſſe videatur.

Verſ. 12. Γίνεσθε, ὡς ἐγώ, ὅτι κἀγώ, ὡς ὑμεῖς· ἀδελφοί, δέομαι ὑμῶν.) Trajectionem ſermonis hic obſervat *Hombergius* pag. 282. verbaque hac ſerie conſtrui vult: *Fratres, rogo vos, eſtote ſicut ego, nam & ego ſicut vos.* Priorem phraſin nonnulli hoc ſenſu accipiunt: *Eſtote ſicut ego* (i. e. imitatores mei 1. *Corinth.* XI. 1.) *nam & ego* (eram) *ſicut vos.* (zelotes legis Philipp. III. 7.) Ita B. *Starckius* in Notis Selectis pag. 143. & Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad verſionem Lutheri Biblicam h. l. tum vero induſtrii N. T. Interpretes Galli, *Beauſobrius* & *Infantius*. Malim tamen hæc referre ad imitationem mutui in Paulum amoris & affectus, quem ipſe in eos teſtatum abunde fecerat. Hinc ſtatim commemorat, nulla ſe adhuc injuria ab illis affectum exiſtimare, ſcilicet quod ad res ipſius ſpectat, ſed memorem potius eſſe illius ſtudii, quo ſe olim ſint proſecuti v. 14. quodque cum maxime demonſtrare nunc poſſint, ſi dictis audientes fuerint. Vult itaque Paulus, certos eſſe Galatas, ſe amare ipſos, ut ſe ipſum, adeoque viciſſim operam dare debere, ut ſe ament, tanquam ſe ipſos. Ita Paulus Corinthiis ſuum in ipſos amorem commonſtrat, & par pari referri cupit 2. *Cor.* XII. 15.

Οὐδέν με ἠδικήσατε) Hæc ad initium commatis ſequentis referri vult *Hombergius*, in quo idem τὸ δὲ per *enim*, particulam cauſalem, convertit, cum ratio reddatur, quare ſe injuria ab ipſis affectum non exiſtimet.

Verſ. 13. Οἴδατε δέ, ὅτι δι' ἀσθένειαν σαρκὸς) *in infirmitate carnis.* Τὸ διὰ idem hic eſt quod ἐν, ut 1. *Tim.* II. 15. Infirmitas vero illa adflictiones tum corporis, tum animi, ex variis vexationibus ortas, indicat, quem ſignificatum Apoſtolo frequentem eſſe conſtat. Ideo verſ. 14. per πειρασμὸν explicat. Confer *Speneri* Conſilia Theologica German. Part. III. pag. 836. & *Svicerum* Tom. I. pag. 547.

Verſ. 14. Καὶ τὸν πειρασμόν μȣ, τὸν ἐν τῇ σαρκί μȣ) Deeſt in aliquot Codd. μȣ, pro quo alii habent ὑμῶν, quod in commentatoribus Latinis omnibus legi *Eſtius* teſtatur. Itaque hanc poſtremam lectionem, quamvis duriuſculam, & in ſpeciem abſurdam, pro genuina agnoſcit *Millius*, ut intelligantur afflictiones corporales, quas Paulus Evangelii cauſa ſuſtinuerit, ex quibus Galatæ vel tentati ſint, vel tentari ſaltem potuerint, ut Apoſtolum & Evangelium ab ipſo prædicatum contemtim haberent. Confer eundem in Prolegom. §. 921. Per ambages hic vix invenitur, quod in gratiam tuendæ lectionis omnino falſæ quæritur. Nec præterea ſibi conſtat *Millius*, qui alibi eam recte rejecerat. Vide *Whitbium* p. 93. Examinis.

Οὐδὲ

Ὀυδὲ ἐξεπ]ύσατε) *Conſpuere* & *deſpuere* contemtus & ludibrii notam fuiſſe tralatitium eſt. Veterum locos affert *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 669. *Lucian.* in Catapl. *καὶ κατὰ κόῤῥης ἔπαιε, καὶ καταπ]ύσας μȢ.* Et in Conviv. *προσέπ]υσε τὸν Ζυνότεμιν, καὶ ἔμελλε παίσειν κατὰ κόῤῥης.* *Petronius* in Satyrico: *conſpui me jubet.* Cl. *Trillerus* in Notis MSS. conſuli hic vult *Wolfg. Wedelii* diſſert. de morbo inſputato, & Virorum doctorum notas ad Petronium p. 743. Adde *Dougtæi* Analecta N. T. Exc. XXVII. & quæ ſcripſimus ad *Marc.* XV. 19. Emphatice hic ἐκπ]ύειν dicitur, quod Scriptores καταπ]ύειν, προσπ]ύειν, ant ἐμπ]ύειν dicere communiter ſolent. Ejici enim & expelli ædibus aut ſocietate ſolebant, in quos deſputum erat.

Ὡς ἄγγελον Θεȣ̃ ἐδέξασθέ με) Vide huc *Andr. Schotti* Adagialia Nov. Teſtam. pag. 126.

Verſ. 15. Τίς ȣ̓̃ν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν;) Τίς idem h. l. eſt quod *ποταπὸς*, *qualis*, admirationis indicium habens. Sic *Luc.* VIII. 25. de Jeſu: *τίς ἄρα ȣ̓̃τός ἐςιν, ὅτι καὶ τοῖς ἀνέμοις ἐπιτάσσει;* quod *Matth.* VIII. 27. effertur: *ποταπός ἐςιν ȣ̓̃τος κ. τ. λ.* Itaque neceſſe non eſt, ut cum *Eraſmo Schmidio* ſubintelligamus: *πλεῖςος*, *plurimus.* Neque enim hic ſimplex, ſed plena admirationis, interrogatio eſt. Idem cetera recte vertit: *quæ igitur erat prædicatio beatitatis veſtræ?* Id enim ſibi vult *μακαρισμὸς*, quo ſcilicet quis vel a ſe ipſo vel ab aliis beatus & felix agnoſcitur & prædicatur. Propterea *Clericus* recte ita vertit: *comment ne vantiez vous point votre bonheur?* Similiter *Beauſobrius* & *Infantius*: *comment vous felicitiez vous de votre bonheur?* Hoc ſenſu in Græcorum Liturgiis *μακαρισμοὶ* vocantur hymni, commemorandæ Sanctorum beatitati ſacri. Vide *Meurſii* Gloſſarium & *Sviceri* Theſaurum Tom. I. pag. 291. Græci quoque *μακαρισμάρια* vocant libellos beatitudinum Evangelic. quibus preces quædam interſeruntur. Vide Celeb. *Montfauconii* Palæographiam p. 386. De hoc non cogitavit *Lockius*, quando hic intelligi vult *benedictiones* & *bona verba*, quibus Galatæ Apoſtolum ipſum ſint proſecuti. Ex eo enim, quod Galatæ ſe ipſos felices prædicabant, fiebat, ut Paulum, felicitatis illius poſt Deum O. M. auctorem, efflictim amarent. Similiter *Anacreon*: *μακαρίζομέν σε φίλη τέττιξ*, & *Pindarus* Nem. II. 13. Hæc loca affert *Hombergius*, qui tamen vel ſic vertendum putat: *quam beati eratis*, vel etiam, *quam beati eratis prædicandi!* Senſus, fateor, exprimitur, ſed ſine illa efficacia, quæ in phraſi exſtat. *Ariſtoteles* lib. I. Rhetoricorum hoc laudationis genus, quo quis felix prædicatur, per *μακαρισμὸν* & *ἐυδαιμονισμὸν* exprimit. *Beatitatem* *μακαριότητα* Græci vocant, unde Heſychius: *μακαριότης, ἐυδαιμονία.*

Τȣ̀ς ὀφθαλμȣ̀ς ὑμῶν ἐξορύξαντες ἂν ἐδώκατέ μοι) Efficaciſſime ita Galatarum in Paulum amor exprimitur, cum nihil *oculis carius eſſe* dici ſoleat. Vide veterum loca ab *Elsnero* diligenter allata pag. 190. qui & conferri vult *Paſſeratium* ad Propertii lib. I. Eleg. 15. pag. 214. & *Janum Brouckhuſium* ad Tibulli III. 6. verſ. 47. item *Petronii* Interpretes cap. 133. Retulero huc, quod vete-

veteres, *tactis oculis* jurare conſueverunt. Vide *Lipſii* Electa l. 17. & *Lydium* de Juramentis IV. 12. Inprimis huc pertinet exemplum Dandamidis Scythæ, qui ad Amirocam, amicum, ab hoſtibus redimendum, oculos ſibi eruendos præbebat, quod ex *Luciano* in Toxari pag. 87. recitat *Elsnerus*. Hyperbolen recte amolitur Venerab. *Val. Ern. Læſcherus* in Stromatibus pag. 39. Conditio enim adjecta, εἰ δυνατὸν, h. e. ſi per bonos mores, & ſanam rationem quicquam commodi in me conferri potuiſſet, id quoque præſtituri eratis; eam procul eſſe jubet. Inſignem hujus & antecedentium commatum elegantiam & δεινότητα ex merito prædicat *A. Blackvvallus* in præfat. ad Tom. II. Claſſicorum Sacrorum pag. 9.

Ceterum phraſin Paulinam, ἐξορύττειν τὺς ὀφθαλμὺς, ſenſu phyſico acceptam apud *Herodotum* pag. 571. apud *Tatium* vero lib. VII. p. 453. & *Ælianum* in fragmento, quod Suidas v. ἀφίγμαι affert, exſtare, *Raphelius* & *Elsnerus* obſervarunt.

Verſ. 17. Ζηλῦσιν ὑμᾶς ὐ καλῶς) *Ambiunt vos non bene.* Ita recte *Eraſmus Schmidius*. Sic etiam verſio Gallica *Montenſis: ils s' attachent fortement à vous*, quam *Arnaldus* ab exceptionibus vindicat in Defenſione illius verſionis p. 180. *Hombergius* mavult: *zelo* vel *invidia tanguntur*, reſpectu Pauli ſcilicet, quem excluſum velint. Præſtare prius patet ex ſequenti ζηλῦτε. Sicut enim Pſeud-Apoſtoli illi volebant, ut Galatæ ſe conſectarentur, neglecto Paulo, ita & ipſi Galatas ambitu etiam importuno obnoxios ſibi facere tentabant.

Ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ἡμᾶς θέλυσιν) Ita *Curcellæus*, qui inter varietates lectionum τὸ ὑμᾶς refert. Atque hoc poſterius probum eſt, & tum in Codd. MSS. tum in editis ita obvium, ut *Millius* pro altera illa ἡμᾶς aliquot tantum editt. afferat, ipſe τὸ ὑμᾶς amplexus. Contra *Bezam*, ἡμᾶς amplectentem, lege præter *Schmidium*, *Raphelium* in Annotatt. Polybianis pag. 525. varia veterum loca producentem, quibus ἐκκλείειν idem eſt, quod ἐκβάλλειν, *ejicere*, *non admittere*, vel *excludere*. Idem vero præterea oſtendit, τὸ ἐκκλείειν etiam eſſe, *cogere*, *movere*, *impellere ad aliquid*, quo ſenſu *Arrianus* III. 22. pag. 351. Diſſert. de Philoſopho, ad varia munia avocato, dicat: εἰς νοσοκομίας λοιπὸν ἐκκλείεται, εἰς πορισμόν. *Ægrotos denique curare cogitur, & rem quærere.* Ex hac ſignificatione hic naſceretur ſenſus: *falſos iſtos doctores hoc agere, ut Galatas iſto quaſi faſcino æmulationis vi quadam ad mutuam æmulationem pertrahant.* Confirmari hoc puto phraſi ſequenti: ἵνα ἀυτὺς ζηλῦτε.

Verſ. 18. Καλὸν δὲ) Καλὸν δὲ, i. e. πρέπει. Sic *Lucianus* in Timone p. 135. Ὑμᾶς μὲν τῷ Πανὶ, τὕτῳ ἀναθεῖναι καλόν. *Vos huic Pani ſuſpendere* (me) *decet.* Lege plura apud *Lamb. Bos*, p. 178. Exercitt.

Τὸ ζηλῦσθαι ἐν καλῷ) *Lockius* ἐν καλῷ non in *neutro* ſed *maſculino* genere poſitum exiſtimans, de ſe hæc loqui Paulum opinatur, hoc ſenſu: *vos amabatis me præſentem, tanquam bonum; fas itaque eſt idem facere in abſentem.* At Græci ita non loquuntur, quod vel ex verſ. 17. intelligitur, ubi de homi-

hominibus, quos ſectari ſolemus, ita ſermo eſt, ut τὸ ζηλοῦν accuſandi caſum ſecum ferat. Confer 2. *Cor.* XI. 2. Sic etiam οἱ LXX. & Scriptores externi paſſim. Imo, ſi de re ſermo ſit, idem accuſandi caſus obtinet, ut 1. *Cor.* XII. 31. & XIV. 1. 39. Idem tamen procul dubio voluit *Vulg.* ita vertens: *Bonum autem æmulamini in bono ſemper.* Natum vero hoc eſt ex depravata, librariorum vitio, lectione ζηλοῦσθε, quam nonnulli Codd. exhibent. Ἐν καλῷ idem hic eſt, quod *bono fine*, *bono ſcopo.* Et hic opponitur τῷ, οὐ καλῶς verſ. 17. h. e. alio ſcopo, quam quidem fieri oportebat. Illi enim Pſeud-Apoſtoli vanæ gloriæ ſtudebant, & aſſeclarum ſuorum numerum locupletare conabantur, ἵνα ἀυτοὺς ζηλοῦτε. Ideo nolim, cum *Schmidio*, *paſſiva* notione, *ambiri*, accipere, cum *mediam* nexus ſermonis requirat. Paulus enim non id jam ait, quid ipſe faciat abſens in Galatas, ſed oſtendit, quid illos facere in ſe, etiam abſentem, deceat, cum præſentem tam arcte ſint complexi, v. 14. Non magis audiendus eſt *Hombergius*, quando verti vult: *pulchrum eſt certare de bono: non vero ſolum de eo, quod præſens apud vos ſum. Illud enim*, hoc addit, *erat cauſa zeli, quod Apoſtolus apud illos erat præſens.* Nimis parum tribuit vir doctus amori Galatarum in Paulum, quando ipſius præſentiam vel ſolam vel præcipuam amoris cauſam fuiſſe cenſet. Hic enim potiſſimum pendebat ex præconio Evangelii, quod ex eo cum perſuaſione audiebant, quamvis negari non poſſit, abſentiam ejus ex parte effeciſſe, ut Pſeud-Apoſtoli affectato ſuo ſtudio & mellitis verbis aſſenſum eorum extorquerent. Ad tempus itaque hic reſpici, quod nullam intercapedinem vel moram genuino amori objicere debeat, & particula πάντοτε, & cetera demonſtrant.

Verſ. 19. Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω) Lege huc Celeb. *Chriſtoph. Aug. Heumanni* Programma de Chriſto in ſcholis formando, & Programma natalitium Jenenſe anni 1721. Voces, τεκνία μου, cum antecedentibus, πρὸς ὑμᾶς, conjungi ἀμέσως debere exiſtimat *Lamb. Bos* p. 179. Exercitt. quia alioquin, poſita diſtinctione, Apoſtolus dicturus fuiſſet ἤθελον παρεῖναι, non autem ἤθελον δὲ παρεῖναι. Contra putem ego, vel omnem interpunctionem hic tollendam, & totum comma hoc cum præcedenti 18. conjungendum eſſe, vel in recepta diſtinctione acquieſcendum. Atque hoc omnino faciendum puto, ut totum hoc comma pro initio affectuoſæ compellationis habeatur, qua in ſequentibus graviter Apoſtolus defungitur. Neque obſtat particula δέ. Eam enim non pro particula adverſativa, ſed aſſertiva, habeo, ut idem ſit, quod δὴ, ſane, omnino, cujus notionis exemplum in ipſa hac epiſtola exſtare monuimus. Præterea nuſquam video appellationem, τεκνία, ſententiam claudere, ſed vel aliis verbis mediam interjici, vel initium facere compellationis. Vide v. c. *Joh.* XIII. 33. 1. Joh. II. 1. II. 12 III. 7. &c.

οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ ἐν ὑμῖν ὁ Χριστός) Horum verborum ſententiam diligenter excuſſerunt ex noſtratibus *Jo. Guil. Baierus* in diſputat. de formatione Chriſti in nobis Jenæ 1694. & *Mart. Chladenius* de formatione Chriſti in Galatis Wittemberg. 1710. tum vero *Sam. Benedict. Carpzovius*

vius in Societate frugifera Part. I. pag. 922. & Vener. *Valent. Erneſtus Læſcherus* in Notionibus Regenerationis Theologic. §. 10. Ex ceteris lege *Robert. Gell* in Reliquiis, Anglice editis Tomo II. pag. 246. 256. & *Jac. Bernardum* de ſera pœnitentia pag. 155. ſqq. verſionis Germanicæ. Ὠδίνειν *Heinſius* & *le Cene* in Projet pag. 617. interpretari malunt *in utero geſtare*, quam, *parturire*. Atque hoc ſenſu οἱ LXX. eo verbo uſi ſunt *Jeſ.* XXVI. 17. idque Heſychius per τίκτειν & ἐγκυμονεῖν explicat. Nec paritur infans, ut formetur, ſed formatur in utero, donec pariatur. Mihi vox in omni ſua amplitudine accipienda videtur, ut geſtatio in utero, formatio fœtus, & parturitio comprehendatur. Geſtatio in utero ſenſum verborum ſpiritualem ſane non exhaurit. Non ſolum enim id agebat Apoſtolus, ut Galatæ ad imaginem Chriſti iterum formarentur, ſed ut denuo formati, & filiorum nomine digni ederentur & omnium oculis comparerent. Hoc fine eos amoris viſceribus complectebatur, hoc fine verbo Evangelii eos formabat, hoc fine cum dolore & gemitu denique parturiebat. Patrum expoſitionem lege apud *Svicerum* Tom. II. p. 1253. & 1595.

Verſ. 20. Ἤθελον δὲ παρεῖναι) *Velim ſane præſens eſſe.* Vide ad v. 19. Similiter *Arrianus* pag. 46. ἤθελον αὐτὸν νῦν παραςὰς ὑπομνῆσαι τῶν λόγων. *Velim ei nunc coram in memoriam redigere ſermones.* Conf. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 526.

καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου) *Mutatio vocis* indicare poteſt vel *toni*, vel *verborum*, argumento accommodatorum, varietatem. Priorem hic ſignificari *Lockius* exiſtimat. Rectius ad utrumque referri vel inde patet, quod Apoſtolus in antecedentibus durioribus uſus erat verbis, quæ libenter cum lenioribus, quod & jam fecerat verſ. 19. permutaturus erat, ſi præſens eos alios eſſe conſpiceret, quam ex aliorum ſermonibus intellexerat.

Verſ. 21. λέγετέ μοι οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι, τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε;) Vide *Vorſtii* Philologiam Sacram Part. II. p. 99.

Verſ. 22. & ſqq. quibus allegorica commentatio continetur, explicati ſunt a compluribus. Ex noſtratibus lege *Jo. Sam. Bandecovii* Nodum exegeticum, Sara & Hagar, a recentiorum Criticorum corruptelis diſſolutum, Witteberg. 1711. & Rev. *Chriſtiani Hagmajeri*, Theologi hodie Tubingenſis, commentationem de Eccleſia V. atque N. T. per Hagaram atque Saram adumbrata, tribus comprehenſam partibus, Tubing. 1728. Ex Reformatis Doctoribus *Herman. Witſium* in Miſcellaneis Tom. II. p. 137. ſqq. *Jo. Marckium* in Sylloge Diſſertationum, Exerc. XXV. *Frideric. Adolph. Lampe* in Diſp. de Eccleſia Apoſtolica totius Eccleſiæ N. T. matre, Vltraj. 1724. *Herman. Deuſingium* in Demonſtrationibus allegoriæ hiſtoricæ Parte I. lib. II. & *Guil. Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 576. ſqq.

Verſ. 23. Γέγραπται γὰρ, ὅτι Ἀβραὰμ δύο υἱοὺς ἔσχεν, κ. τ. λ.) Vide huc *Schmidii* tractatum vernaculum de pietate Lutherana in præfat. & *Henr. Mori* Opera Theolog. Latina p. 839.

Verſ.

Verſ. 24. Ἅτινά ἐϛιν ἀλληγορȣ́μενα) Quodnam hoc ſit allegoriæ genus, oſtendit ex noſtratibus *Glaſſius* in Philolog. Sacr. lib. II. p. 291. ſqq. ex Pontificiis *Laur. Ramireſius de Prado* in Pentecontarcho p. 174. ſqq. & ex Reformatis *Henr. Heiſenius* in Muſeo Theologico-Philologico Bremenſi Vol. I. Parte IV. p. 565. ſqq. qui ad typos hiſtoricos refert, totamque argumentationem eadem opera evolvit. Rectiſſime *Jac. Perizonius* in originibus Babylonicis cap. IX. p. 145. inquit: *Omnia hæc erant* ἀλληγορȣ́μενα, *h. e. per allegoriam aliud quid inſuper denotantia*, duplex *ſcilicet* pactum, *h. e. Judaiſmum & Chriſtianiſmum*, *illum* in ſervitute, *hunc* in libertate *conſtitutum*, *illum* terreſtri Hieroſolyma *ſuperbientem*, & *perſequentem* cœleſtis Hieroſolymæ hæredes, *atque idcirco ejectum & excluſum cæleſti illa hæreditate. Nam hæc a Paulo fingi*, *vel* argumentationem *hanc arripi* ex conceſſis, quæ nihil intereſt, vera ſint & firma, *quin imo talia hæc eſſe*, ut pleraque, quæ a viris doctis dicta ſunt contra hoc interpretandi genus, etiam contra hæc ipſa dici poſſint, *quod tradit Clericus*, *vel*, *ut alibi ait*, eam allegoriam non eſſe exploratæ veritatis, *id vero quid aliud eſt*, *quam Paulum voluiſſe veritatem docere ac firmare argumentis*, *quæ ipſe ſciret nihil veri habere*, *imo eſſe vana & falſa? Nec enim Paulus ait Judæos ita argumentari ſolitos*, *& ideo hanc quoque allegoriam eos debere admittere*, *ſi ab aliis*, *aut a ſe jam proferatur*, *ſed diſerte affirmat*, *ea*, *quæ in Lege narrantur*, *de Sara & Hagare*, *ESSE figurato ſenſu ad alias quoque res denotandas dicta*, *atque adeo illas feminas ESSE duo Teſtamenta*, *&c. Quæ jam in his ſpecies vel minimi argumenti*, *non ex vera animi Apoſtolici ſententia profecti*, *ſed tantum apud Judæos illis argumentis adſuetos non incommodi.* Interim negari non poteſt, quod nec *Perizonius* facit, doctores Eccleſiæ Judaicæ antiquiſſimos hac docendi, argumentandi & interpretandi ratione delectatos fuiſſe. Allegoricas ejusmodi commentationes & veteres & recentiores Judæi etiamnum מדרשים i. e. diſſertationes vel conciones allegoricas, appellant. Illarum naturam *Maimonides* in More Nevochim, & *Aben Eſra* in commentariis ſuis paſſim exponunt. Compara *Campeg. Vitringam* de vetere Synagoga lib. III. Part. I. cap. 5. p. 673. Is in univerſum tradit, per מדרשים *expoſitum eſſe altiorem aliquem & profundiorem ſenſum*, *qui magis fuerit ſpiritualis*, *magisque*, *ſicuti videbatur*, *Sapientiæ divinæ conſentaneus.* Ejusdem exempla ex antiquitate & ſacris quoque literis affert, atque inter hæc noſtrum locum Paulinum, p. 677. illuſtratum, collocat.

Vocem ipſam ἀλληγορȣ́μενα, alioquin apud profanos rariorem, ex *Porphyrio* in Vita Pythagoræ p. 15. & de antro nympharum p. 250. affert Cl. *Elsnerus* p. 192. Poſteriori loco dicitur: manifeſtum eſt, ἀλληγορεῖν τι καὶ αἰνίττεσθαι διὰ τȣ́των τὸν ποιητὴν, *myſtici aliquid & occulti hisce involucris ſignificare Poëtam.* Compara *Eraſm. Schmidium* ad h. l.

ἅυται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι) Conſtat, Reformatos doctores hac phraſi abuti ad ſtabiliendam ſuam verborum inſtitutionis S. Cœnæ expoſitionem. Vide v. c. *Jo. Vorſtium* Diſſert. Sacr. lib. 1. p. 236. Oppone illis noſtrates,

 tes,

tes, *Schmidium* in Apologia contra Reformatos germanice edita p. 169. 174. *Calovium* Bibliis Illuſtrat. ad h. l. & *Buddeum* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ p. 939. & 971.

Verſ. 25. Τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐςὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, κ. τ. λ.) His illuſtrandis eruditam operam impenderunt ex noſtratibus, præter jam laudatos, *Aug. Pfeifferus* in Locis Exoticis N. T. p. 504. Operum Philolog. *Aug. Herm. Franckius* in Obſervationibus ad loca quædam Scripturæ vernaculis p. 132. ſqq. *Jo. Conradus Schvvarzius* ad Olearium de Stilo N. T. p. 358. *Hackſpanius* in Miſcellaneis p. 264. *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis p. 144. ſq. & M. *Chriſtoph. Wollius* de Parentheſi Sacra p. 45. Ex Reformatis *Lud. Cappellus* in Spicilegio p. 106-109. & *Jac. Haſæus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. p. 718-733. & II. p. 1045. Fuerunt, qui illi non niſi allata verbis, quæ pridem interpolata putant, medicina, conſuli poſſe cenſerent. Præiviſſe illis videtur, (codicibus Græcis, ſi unum *Bœrnerianum* excipias, hic penitus conſentientibus) *Vulg.* & tractatores Latini omnes, qui verba: τὸ γὰρ Ἄγαρ omittunt. Hinc, puto, factum eſt, ut alii de aliis omittendis hic cogitarent. Inter eos agmen ducit eruditiſſimus *Rich. Bentlejus.* Hic in epiſtola ad *Jo. Millium* data, & Chronico *Joannis Malalæ* ſubjecta p. 96. retentis vocibus τὸ γὰρ Ἄγαρ, proxime ſequentia, Σινᾶ ὄρος ἐςὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, tanquam ſcholion illuſtratoris cujusdam, ex ora in contextum temere relatum, una cum δὲ poſt verbum συςοιχεῖ expungi vult, ut hæc verborum ſeries exſtet: Τὸ γὰρ Ἄγαρ συςοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερȣσαλήμ. Applauſerunt huic conjecturæ viri aliquot eruditi. Inter hos eſt *Millius*, tum in notis ad h. l. tum in Prolegomenis inprimis §. 1306. ubi eam *lectionem intrepide ſe genuinam pronunciaturum* ait, *absque unanimi Codicum conſenſu ſi foret.* Longius eo proceſſit *Ludolphus Kuſterus* in notis ad repetitam N. T. Milliani editionem, & in præfatione ad eandem, dubius tamen, an verba controverſa parentheſi includenda, an penitus ejicienda ſint. In hanc vero poſteriorem ſententiam animus ejus inclinat, quando ex codice *Bœrneriano* conſultum putat legi: ἥτις ἐςὶν Ἄγαρ ἡ συςοιχȣ̃σα τῇ νῦν Ἱερȣσαλήμ. In eandem *Bentleji* conjecturam probandam pronum ſe ſiſtit Celeberr. *Chriſtoph. Matth. Pfaffius* in Diſſert. Critica de variantibus lectionibus N. T. p. 243. & p. 184. ſq. Audaciſſimus omnium recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani verba Pauli, reliquis omiſſis, in contextu ſuo ita repræſentat: τὸ γὰρ Ἄγαρ συςοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερȣσαλήμ, quamvis incertus conſilii p. 609. in notis exiſtimet, rectiſſime agi, ſi legamus: μία μὲν ἀπὸ ὄρȣς Σινᾶ εἰς δȣλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐςὶν Ἄγαρ, ἡ συςοιχȣ̃σα τῇ νῦν Ἱερȣσαλήμ. Idem præter ea, quæ *Bentlejo*, *Millio* & *Kuſtero* obſervata ſunt, nihil affert. Contra ea conjecturam hanc deſerendam cenſuerunt ex Anglis *Jo. Ern. Grabius*, civitate donatus, quem mihi coram profiteri memini, totius argumentationis Paulinæ nervum incidi, ſiquidem verba, de quibus diſputatur, omittantur. Ita enim is ſtatuebat: *Agar* Arabice petram ſignificare, atque hinc Sinam, montem quippe petroſum, κατ' ἐξοχὴν *Agar* fuiſſe appellatum. Huc itaque alludere Apoſtolum, atque Agar cum Sina eleganter confer-

ferre. Vide, quæ paulo poſt in hanc rem plura dicemus. Nuper *Leonh. Tvvells* in Examine Critico N. Teſtamenti Græco-Anglicani editori illius audaciam ſuam cordate exprobravit, Parte II. pag. 119. inter cetera obſervans, receptæ lectioni *communem ſenſum*, quod ille dixerat, adeo non adverſari, ut verba illa falſo ſuſpecta egregium potius ſenſum fundant, modo parentheſeos nota a ceteris diſtinguantur. Diſceſſit etiam anonymus auctor, (quem *Zachariam Piercium* eſſe ajunt) in duabus epiſtolis de nova Novi Teſtam. editione, quam *Bentlejus* olim moliebatur, p. 11. epiſtolæ prioris. At idem omiſſa voce Ἄγαρ totum comma parentheſi ex parte incluſum, ita legi vult: Τὸ δὲ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐςὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συςοιχεῖ δὲ τῇ Ἱερουσαλὴμ) δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Ἡ δὲ ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐςὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. Quæ quidem ita latine convertit: (*Hic enim* (ſc. mons) *Sina mons eſt in Arabia*, & *conjunctus eſt Hieroſolymæ*) *ſervit enim cum filiis ſuis: hoc autem* (ſcilicet fœdus) *ab Hieroſolyma liberum eſt*, *quod eſt* (Sara) *mater omnium noſtrum.* Idem tamen pag. 12. dubitat, utrum voces, parentheſi incluſæ, a Paulo, an a librario profectæ ſint, quæ tamen rejici non debeant ob communem codicum & verſionum conſenſum. Compara, ſis, Bibliothecam Anglicanam, gallice editam Tom. X. Parte I. pag. 88. ſq. Patet ex his, aliis caſſibus ſe irretire virum doctum, & plura pro lubitu, ſine ullo Codicum adminiculo, mutare, quam aliis unquam in mentem venit. Adde ejusdem epiſt. II. p. 16. Ex noſtratibus conjecturæ *Bentleji* occurrerunt *Bandecovius* in laudata ſupra diſſertat. & *Hagmaierus* pag. 12. ſqq. in notis. Ex Reformatis opera eam profligandi plenius perfuncti ſunt poſt *Witſium* in Miſcellaneis Tom. II. Exerc. V. §. 8. *Marckius* in diſſert. citata, & *Jac. Haſæus* Bibl. Bremenſis Claſſ. I. p. 721. Hic poſtremus recte & *Bentlejo* & *Kuſtero* obvertit omnium codicum conſenſum, qui gloſſemati fingendo locum non relinquat. Nec meliorem, ejectis illis, naſci ait ſenſum, quam quem, iisdem retentis, verba fundant. Denique τὸ δὲ, poſt συςοιχεῖ, ejectioni vehementer adverſari, quod Bentlejum etiam compulerit, ut non ſolum δὲ illud ejiceret, ſed & ſequens δὲ, poſt δουλεύει, in γὰρ mutaret.

Anonymus eruditus, qui Kuſterianam N. T. Milliani editionem in Actis Eruditorum Lipſienſibus Latinis an. 1710. pag. 422. enarravit, omnia probe ſibi conſtare exiſtimat, *modo unicam illam vocem* Ἄγαρ *v. 25. vel ex antecedenti v. 24. vel ab imperiti Scholiaſtæ annotationibus irrepſiſſe dicamus*, *cum reliqua non ſint* ἀσύςατα *cum ſequentibus. Apoſtolus ſcilicet*, ita pergit, *qui*, *per allegorias hic cum Judæis loquens*, *partum Agaris* τὴν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ διαθήκην *ſignificaſſe dixerat v. 14. pergit nunc:* Sina enim mons eſt quidem in Arabia (*poterant enim Judæi objicere*, *quid Sina Arabiæ mons ad nos?*) συςοιχεῖ δὲ, convenit autem cum Hieroſolymis noſtris. Invenit hæc ſententia præſidium in uno codice, quem dixi, *Bœrneriano.* Longe autem veri eſt ſimilius, unicum illius ſcriptorem dormitaſſe, quam tot alios parum curate hic egiſſe. Et fieri facile potuit, ut vox Ἄγαρ propter antecedens proxime γὰρ omitteretur.

Cau-

Cautius his omnibus & tolerabilius procedunt, qui verba: τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν Ἀραβίᾳ parentheſi, cujus alias Paulus amantior eſt, includi cupiunt. Atque id Kuſtero, quamvis in omiſſionem eorum ſtatuendam deinceps abrepto, & *Tuvelſio*, ex noſtratibus vero M. *Wollio* de Parentheſi Sacra pag. 45. placuit. Idem ante viſum eſt *Roberto Conſtantino* in Lexico ſuo Græco-Latino voce συστοιχία, & *Ludov. Cappello* in Spicilegio notarum in N. T. pag. 108. ex noſtratibus autem *Eraſmo Schmidio*, qui tamen præter hæc, etiam ſequentia: συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ, ad eandem parentheſin refert, quod & *Piercium* in epiſtolis ante allatis feciſſe monuimus.

Vindicata receptæ lectionis γνησιότητι ſupereſt, ut de ipſa verborum ſententia paucis exponamus. Atque hic placent mihi illi ex noſtratibus & aliis Interpretibus, qui prima verba hujus commatis ita convertunt: *Agar enim ſignificat*, ſeu ſubindicat, *montem Sina*, ut Hagar ſic typus eſſe dicatur montis Sinai, *qui eſt in Arabia*, reſpectu ſcilicet legis, in monte Sinai datæ, cui Judæi deinde inſtar ancillæ Hagar erant ſubjecti. Pro hac ſententia, ut alios taceam, lege inprimis *Jac. Haſæum* l. c. p. 729. qui & in ceteris lucem huic loco affundit. Neque tamen negligendam prorſus autumem *Cappelli* conjecturam pag. 108. *Et forte*, inquit, *in his verbis Apoſtolus alluſit ad ipſum vocis* Ἄγαρ *ſonum, quaſi* Ἄγαρ *idem eſſet, quod Arabice* חגר *ſive* חגרת, *quod illis ſignificat petram ſive lapidem. Unde etiam Petra* (*Arabiæ Petrææ metropolis*) *dicitur Arabice* חגרת, *a qua Petra metropoli Arabia Petræa nomen habet, non a petris & ſilicibus, quaſi tota ſaxoſa & confragoſa ſit. --- Quandoquidem ergo Arabice* חגר *petram ſignificat, jam vero petra & mons idem ferme ſunt, quaſi* Ἄγαρ *idem eſſet, quod Arabicum* חגר, *videtur Paulus, alludendo ad duarum illarum vocum ſoni affinitatem dixiſſe*, τὸ γὰρ Ἄγαρ ὄρος ἐστὶν ἐν Ἀραβίᾳ. Hanc conjecturam *Grabio* arriſiſſe ſupra monuimus, quemadmodum ſe etiam B. *Godofr. Oleario* in notis ad h. l. probavit. Adde in eandem ſententiam *Hackſpanium* Miſcellaneis lib. II. cap. 8. §. 7. *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 834. *Bochartum* in Geographia Sacra p. 312. & noviſſime Cl. *Georg. Jac. Kehr* in diſſert. de Saracenis, Hagarenis & Mauris pag. 23. ſqq. Apponam *Monachii* verba ex p. 834. *Loquitur Apoſtolus de Hagar, ancilla Abrahami & Saræ, quam dicit fuiſſe typum fœderis legalis, & eorum, qui erant ſervi fœderis, & qui nondum ad libertatem Evangelii aſſurrexerant. Erant fœderati legis moralis & ceremonialis, jugo graviſſimo obruti, inſtar mancipiorum, erant ut Agar & Iſmael in domo Abrahami, ſed non inſtar Saræ, & Iſaaci. Erant typus fœderis in Sina ſanciti.* Τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ. Agar autem eſt mons Sina in Arabia. *Pergit Apoſtolus. Quaſi Agar ſorte ac conditione ſervili non tantum repræſentaret fœdus legis, in Sina monte promulgatæ, ſed etiam nomine. Nam ſicut ancilla Abrahami vocabatur Agar; ſic etiam Sina a catena montium, petris ac ſaxis horrentium, vocabatur Agar.* τὸ γὰρ Ἄγαρ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ. *Revera montes in Arabia vocabantur* Agar & Petra. *Quia petris erant aſperi &*

quia

quia urbs סלע, Petra, *in iſtis montibus erat*, *eminebat*, *ac vicinis regionibus imperabat*, *&c.*

Συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ) Verbum συστοιχεῖν Interpretes recentiores omnes convertunt per *reſpondet Hieroſolymæ*, vel, *convenit cum Hieroſolyma*, ut ſcilicet non *loci affinitas*, ſed *convenientia typica* reſpectu ſervitutis, Agar ſeu potius montis Sina & Hieroſolymæ Judaicæ communis. Nec negari poteſt, eam eſſe verbi notionem etiam apud externos Scriptores. Vide, quos locos *Budæus* in Commentar. Gr. L. pag. 781. ed. Baſil. & quos ex *Polybio* affert Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. pag. 527. Is ſcilicet pag. 1402. ὅμοια & σύστοιχα ut Synonyma conjungit: καὶ τὰ λοιπὰ δ' ἦν τούτοις ὅμοια καὶ σύστοιχα κατὰ τὴν ἀρχήν. *Reliqua erant in ejus imperio his ſimilia ac conſentanea.* Contra ea veteres τὸ συστοιχεῖν de affinitate & convenientia ſitus locique acceperunt, ut Sina & Jeruſalem tanquam *loci* & *tractus contermini* ſignificentur. Ita *Chryſoſtomus*: συστοιχεῖ· τουτέστι, γειτνιάζει, ἅπτεται. - - Καὶ γὰρ ἡ Ἱερουσαλὴμ ἐκ γειτόνων κεῖται τῷ ὄρει τῷ ὁμωνύμῳ τῇ δούλῃ. *Hoc eſt, appropinquat, attingit. - - Nam Jeruſalem ſita eſt in vicinia montis, ancillæ* (i. e. *Agar*) *cognominis.* Eadem ratione acceperunt Interpretes Arabici tres, qui exſtant in Polyglottis Anglicanis, Novo Teſtamento Arabico Leidenſi, & Bibliis Arabico-Latinis, Romæ editis. Accedit illis Interpres *Syrus*, ita reddens: *Hagar enim mons eſt, qui* (vocatur) *Sinai, qui* (eſt) *in Arabia, &* (eſt) *finitus* (integer) *huic Hieroſolymæ*, ſeu finitur apud Hieroſolymam. Lege huc Cl. *Kebrium* l. c. p. 25. ſq. Horum veſtigiis inſtitit B. *Lutherus* noſter: **und langet bis an Jeruſalem**, quo verbo τὴν μακαρίτην *extenſionem localem* ſeu *Geographicam* exprimere voluiſſe, ipſa verbi Germanici ſignificatio certum me facit. Miror itaque, B. *Starckium* in Notis Selectis pag. 144. *extenſionem mentalem*, quæ ſit κατ' ἀναλογίαν *montis Sinæ & Jeruſalem*, tanquam ex mente Lutheri, hic intelligere potuiſſe. Aliter, & quidem recte, ut alios ex noſtratibus taceam, τοῦ μακαρίτου ſententiam accepit *A. H. Franckius* in obſervationibus ſuper aliquot Scripturæ loca vernaculis p. 133. qui & propterea aliter, nempe: **Kömmt über ein**, convertendum cenſet. Ego vero nil cauſæ video, cur in hac Lutheri verſione acquieſcere non poſſimus. Verbum ipſum adeo non adverſatur, ut propria ejus & primaria ſignificatione etiam fulciatur. Accipe *Henr. Stephani* verba ex Theſauro Græc. L. Tom. III. p. 987. Συστοιχέω inquit, *ejuſdem ordinis ſum, in eodem verſu ſeu ſerie collocatus ſum, ut milites* οἱ ἐφ' ἑνὸς τεταγμένοι, & οἱ τοῦ αὐτοῦ στοίχου ὄντες. *Polybius*: ἐφ' ἴσον συζυγοῦντας καὶ συστοιχοῦντας διαμένειν, ut ordines ſuos ſervarent, & ſeries, in quibus collocati erant. Adde *Budæum* l. c. Hæc notio in Lexico Græco-Latino, variorum opera conſarcinato, quod *Budæi* præcipue nomine inſcribi ſolet, verbo συστοιχέω ad hunc Apoſtoli locum ita accommodatur: *Quæ eſt Agar* (*Sina quidem, Agar figura, mons eſt in Arabia*) *in eadem ſerie cum præſenti Jeruſalem tum collocata eſt, tum etiam ſervit cum filiis ſuis.* Eidem interpretationi ſuppetias fert Geographia, & locorum ſitus. Hanc in rem *Kebrius* l. c. p. 28. ita: *Interim, qui capere illa nequeunt, evolvant omnes chartas Geographicas, Relandi*

landi Palæſtinæ inſertas, ubi montanum Sinai tractum non tantum ad Hieroſolymam, ſed uſque ad Libanum extendi videbunt. Eadem enim, quæ Alpium Europæarum, & montium iis annexorum, eſt ratio tractus Sinaitici. Confer itaque Bechmanni hiſt. orbis terrarum Geographic. & civilem p. 292. p. 285. & 298. ed. Lipſ. 1707. 4. Idem vir doctus ex dictis verba Paulina ita παραφράζει pag. 25. *NAM* quod attinet ad *ILLUD vocabulum ſeu nomen proprium tractus montani Arabiæ Petrææ, qui hoc ævo noſtro nominatur HAGAR, licet quidem illud nomen, ſeu ille tractus montanus nihil aliud niſi SINAI MONS SIT, qui IN regione ILLA* κατ' ἐξοχὴν, *& proprie ſic dicta ARABIA, ſcilicet in Arabia Petræa, ſitus eſt, ac licet itinera dierum aliquot ab Hieroſolyma diſtet: nihilo tamen minus ille tractus montanus Arabice Hagar, & Judaice Sinai dictus, cum perpetuis modo radicibus, modo jugis montium ſibi invicem contiguorum cohæret, atque pertingit uſque ad urbem Hieroſolymam, ideoque SIMUL IN UNA EADEMQUE SERIE tractus montoſi mons Arabiæ Sinai CUM HAC HODIERNA HIEROSOLYMA EST COLLOCATUS.* Si hanc expoſitionem amplectamur, γνησιότης verborum Pauli, quæ nonnullis ſuſpecta fuit, meridiana luce clarior evadit. Illis enim ratio comparationis Agaris ancillæ, & montis Sinai legalis, cum Hieroſolyma, itidem legali, duplex redditur. Altera petitur a nomine Hagar, quod montem petroſum inferat, altera a contiguo utriuſque, Sinai ſcilicet & Hieroſolymæ, ſitu. Hæc duo itaque cum ſibi invicem ita reſpondeant, eadem in eo præcipue momento conveniunt, quod ſervitus legalis populi Judaici in altero fundata, in altero vero propagata ſit, & adhuc obtineat. Itaque comma 15. uſque ad verba illa: δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς, & illuſtrant & probant comparationem allegoricam Hagaris ancillæ, cum populo vel potius Eccleſia Judaica inſtitutam. Hæc autem fundamenta librario alicui, cui illa nonnulli accepta ferunt, in mentem venire potuiſſe, ille demum crediderit, qui illorum elegantiam & efficaciam non perſpexerit. Ultima hujus commatis verba: δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς, reſpiciunt ad poſtrema commatis 24. ἥτις ἐστιν Ἄγαρ. Cum enim Agar alterum Teſtamentum, Sinaiticum nempe, allegorice repræſentaſſe dicta ſit, reſpectu ſcilicet latæ in monte Sinai legis, jam indicatur ipſa ſervitus, cui per illud teſtamentum populus Judaicus fuerit ſubjectus, atque ex hoc capite Agari ancillæ reſpondeat, hoc ſenſu: *ſervit enim cum filiis ſuis.* Itaque τὸ δὲ idem hic fuerit, quod alias eſt γὰρ, quæ particula in nonnullis codicibus exſtat, quemadmodum alias illius loco τὸ δὲ frequenter uſurpatur. Hac denique ratione omnia ſibi conſtant, nec ulli obſcuritati locus relinquitur.

Verſ. 26. Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ) Mirum eſt, *Zach. Piercium* in epiſtola, ad v. 25. commemorata, vocem ἄνω in ἀπὸ convertere potuiſſe. Itane fas eſt, codicibus, verſionibus, Interpretibus omnibus antiquis, imo ipſi ſermonis contextui exſerta manu repugnare? Nonne ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ *Hieroſolyma ſuperna*, opponitur τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, v. 25. *Hieroſolymæ præſenti terreſtri, oculis conſpicuæ?* Præterea Paulus hic convenientiſſime utitur phraſi, Judæorum Magiſtris

ſtris admodum recepta. Locos ejuſmodi attulerunt *Hackſpanius* de uſu librorum Rabbinicorum pag. 478. *Ligthfootus* Tom. I. Operum p. 355. *Hottingerus* ad Diſcurſum Gemaricum de Inceſtu p. 87. & *Balthaſ. Scheidius* in Præteritis Præteritorum, cujus ſpecimen habes in Biblioth. Lubecenſi Vol. II. p. 200. Illi Hieroſolymam *ſupernam* ירושלים של מעלה *infernam* vero ירושלים של מטה appellant. En tibi unum ex Gemara *Taanith* f. 5. 1. ad illuſtrandum *Hoſ.* XI. 9. *Sic dixit R. Johannes, dixiſſe Deum O. M. Non veniam in* ſupernam *Hieroſolymam, uſque dum veniam in Hieroſolymam* infernam. *Num autem eſt Hieroſolyma* ſuperna? *Ita ſane. Nam ſcribitur Pſ.* CXXII. 2. Hieroſolyma, quæ ædificatur ut urbs, cui ſocia facta eſt alia ſimul. Hæc gloſſa ita illuſtrat: *Hieroſolyma, quæ infra eſt, erit ædificata ut urbs, cui ſociatur ea, quæ eſt ejus generis, ſocia ejus & typus ejus, præſuppoſito, dari Hieroſolymam aliam. Ubi enim ea eſt, ſi non eſt ſuperne?* Phraſin illam Rabbinicam Paulus etiam exprimere videtur *Hebr.* XII. 22. Hieroſolymam ἐπουράνιον commemorans. Ex Scriptoribus *M. Antoninus* III. 11. πόλιν ἀνωτάτην, quamvis alio ſenſu commemorat. Lege ibi *Gatakerum* p. 113. b.

Proxime diſpiciendum eſt, quid per *Hieroſolymam ſupernam* indicetur. Non dubitem hic facere cum iis, qui montem *Sion* putant ſignificari. Eam ſententiam præ ceteris ornavit *Campeg. Vitringa* in Obſſ. Sacris lib. I. c. XVII. p. 208. approbatores nactus *Amelium* Parte II. p. 877. *Elsnerum* p. 192. & *Jac. Haſæum* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. I. p. 732. qui idem alibi ſe amplius probaturum eſſe pollicetur. Vitringæ rationes hæ fere ſunt. Joſephus Hiſtoriographus, de Hieroſolyma diſſerens, montem Sion ſexcenties appellat τὴν ἄνω πόλιν, quod nihil aliud eſſe videtur, quam τὴν ἄνω Ἱερουσαλήμ. Compara *Jo. Bapt. Ottii* obſervationem ſimilem in Annotatt. ad Joſephum ed. Havercampianæ Tom. I. p. 316. Similiter Græci Scriptores Athenarum arcem, quam alias ἀκρόπολιν appellant, etiam τὴν ἄνω πόλιν dicunt, reſpectu ſcilicet reliquæ partis, urbi deinceps additæ, & arci ſubjectæ. Illuſtris eſt Thucydidis locus, ab *Elsnero* allatus, quo p. 131. eam τὴν ἄνω πόλιν vocat. Eadem loquendi ratione, quod obiter moneo, *Philoſtratus* Heroicor. V. 3. p. 704. ed. Lipſienſ. τὸν ἄνω βασιλέα dicit. Suppetias fert huic expoſitioni ſcopus Pauli. Sara enim, ut mater olim ſterilis, cum ſuperiori Hieroſolyma, Hagar vero, ut mater antea fœcunda, cum monte Sinai comparatur. *Quid vero convenientius eſt*, audis Vitringam p. 210. *quam ut in hac comparatione per* Hieroſolymam ſuperiorem *intelligamus* montem Sion. *Nam mons cum monte optime comparatur, & mons* Sinai *monti* Sion *optime opponitur, &, quod maxime ad rem noſtram facit, Sion mons in vaticiniis proponitur ut* mater *eorum, qui ſub N. T. cederent.* Perpendi idem hanc in rem vult Pſalm. II. 6. & LXXXVII. 2. tum vero *Hebr.* XII. 18. 19. 20. ubi *Sinai* & *Sion*, tanquam emblemata Veteris & Novi Teſtam. ſibi invicem ex adverſo ponuntur. Rectius hæc admonita puto, quam quæ idem in Comment. Belgico ad h. l. affert, per *Hieroſolymam ſuperiorem* Patriarchas ante Moſen una cum ſanctis omnibus, eorum in fide ſociis, qui in cœlum recepti libertate &

 glo-

gloria cœleſti perfruatur, intelligi debere. Hic tamen id tenendum eſt, ex nexu totius allegoriæ, quod, ſicut Hagar typice repræſentavit primo generatim Vetus Teſtamentum, ſeu œconomiam legalem & ſervilem v. 24. tum vero montem *Sina* v. 24. 25. & Hieroſolymam terreſtrem v. 25. ita etiam *Sara*, ex orationis ſerie & maxime v. 24. ubi duæ mulieres cum duobus Teſtamentis conferuntur, intelligenda, typice ſiſtit Novum Fœdus, tum Hieroſolymam ſupernam, ſeu montem SION, denique vero *Eccleſiam Chriſtianam*, in quantum illa cum matre primum ſterili, deinde vero fœcundiſſima, & per totum orbem partu conſpicua egregie conferri poteſt. Vide *Haſæum* l. c. p. 725.

ἥτις ἐςὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν) Codices quidam, verſiones, & Patres non legunt vocem *πάντων*, quam propterea *Millius* ex interpretamento marginali natam cenſet. Cave, fidem habeas. Phraſis hæc, *πάντες ὑμεῖς* vel *ἡμεῖς* Apoſtolo eſt frequentiſſima. Vide v. c. ſupra III. 28. 2. *Cor.* II. 3. & 5. VII. 15. &c. Hic vero ea ideo præcipue uſus videtur Apoſtolus, ut indicaret Eccleſiæ Chriſtianæ præ Judaica fœcunditatem & amplitudinem, cum hæc ex *Judæis* ortu, tantum collecta adhuc fuerit, illa vero ex *Judæis* & *Gentilibus* partim coaluerit, partim inpoſterum amplificanda ſit. Huc omnino ſpectat locus Jeſaiæ, qui v. 27. affertur. Compara *Whitbium* pag. 68. Examinis, & Haſæum l. c. p. 732.

Ceterum Eccleſia Chriſtiana, monte Sion olim repræſentata, egregie & elegantiſſime cum *matre*, ſcilicet in Chriſtum credentium, confertur. Facit huc locus Targum ad *Cantic.* VIII. 5. a *Cappello* allatus. Poſtquam enim dixerat, futurum eſſe, ut tempore Meſſiæ findatur mons olearum, omnesque mortui Iſraelis egrediantur per fiſſuram illam, & reſurgant a mortuis, addit: עתידא ציון דאירת אימן דישראל, *futurum eſt, ut Sion, quæ mater eſt Iſraëlis, pariat filios, & Jeruſalem ſuſcipiat filios captivitatis.* Externos Scriptores ita loqui, vel *patriæ* & *μητροπόλεως* nomina evincunt. Vide loca apud Cl. *Elsnerum* p. 193. qui conferri etiam vult *Spanhemium* de uſu & præſtantia Numismatum Tom. II. p. 318. & ad Juliani Orationes p. 31. *Μητρόπολιν* tralate alias de re in ſuo genere præſtantiſſima, v. c. virtute eximia, dici conſtat ex iis, quæ *Ægid. Menagius* ad Diogenem Laërtium p. 244. notavit. Ex Sacris Scriptoribus phraſin hanc egregie illuſtrat *Frider. Adolphus Lampius* in Exercitatt. XII. ad Pſalm. XLV. p. 560. ſqq. Is inter cetera ad hunc ſpeciatim locum obſervat, in eo elegantiſſime *matris* & *civitatis* emblemata jungi, quia civitates frequentiſſime in ſacris ut parentes & educantes liberos proponantur, *Jeſ.* XXIII. 4. & præcipue Hieroſolyma terreſtris, *Thren.* II. 22. *Ezech.* XXIII. 4. *Matth.* XXIII. 37. *Similes*, inquit, *phraſes apud* Pindarum, Homerum, Euripidem *occurrere, notarunt Ravanellus in voce* civitas, *& alii. Quin ipſa Jeruſalem* Mater *dicitur* Jerem. XV. 8. *æque ac* Roma *apud Claudianum de II. Conſ. Stilic. audit* Mater Regumque Ducumque.

Verſ. 27. *γέγραπται γάρ. Εὐφράνθητι ςεῖρα, κ. τ. λ.*) Oraculum hoc *Jeſaiæ* præter *Vitringam* in commentario cum Pauli verbis confert *Guil. Surenbuſius*

in

in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 580. Singularem diſſertationem huc retulit *Mich. Manduit*, Presbyter quondam Oratorii, in calce Tomi I. Analyſeos epiſtolarum Pauli diſſert. IX. pag. 644-662. ubi relatis & rejectis *Cornelii a Lapide*, & *Fromondi* expoſitionibus, affirmat, Prophetam hic alloqui Eccleſiam ante J. C. h.e. parvam illam juſtorum ſocietatem, quæ, Synagogæ Judaicæ incluſa, unum cum ea corpus viſibile conſtituebat, eidem cerimonialem legalium jugo ſubjecta, & vel ſic pertinent ad Spiritum N. T. quo ad illas virtutes, quæ nos Chriſtianos reddunt. Hanc ſocietatem, hanc Hieroſolymam cœleſtem Prophetam ait ad gaudium excitare, quæ & egregiæ Saræ, ſicut altera illa Hagari, reſpondeat. Rectius omnino illos agere, qui ad Eccleſiam N. T., ex Judæis, & Gentilibus conflatam, hæc referunt, vel ex dictis intelligitur. Abſit etiam, ut cum recente editore N. T. Græco-Anglicani hæc putemus ad cœtum Gentilium, qui inſtar fœminæ ſterilis, ante Evangelii annunciationem liberos, Deo ſacros, parere non potuerit. Abſurde hæc dici res ipſa docet, oſtendit vero etiam *Leonh. Tvvells* in examine Critico illius N. T. Parte I. p. 17.

ῥῆξον καὶ βόησον) Sic *Herodotus* lib. I. p. 39. & lib. II. p. 100. ῥήσσειν φωνήν, *Virgilius* vero *rumpere vocem* dicunt. Vide Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 520.

Verſ. 28. Ἡμεῖς δὲ, ἀδελφοὶ, κατὰ Ἰσαὰκ, ἐπαγγελίας τέκνα ἐσμέν.) Phraſin κατὰ Ἰσαὰκ Latine recte expreſſeris, *ſicut Iſaac*, *ad exemplum Iſaaci*, qui, æque ac nos, filius fuit promiſſionis. Hoc ſenſu propoſitio κατὰ adhibetur *Rom.* XV. 5. & 1. *Pet.* I. 15. Nec minus apud externos Scriptores, v. c. *Xenophontem* Hiſt. Græc. lib. II. p. 363. item *Arrianum* de Expedit. Alex. III. 27. 10. ὁ κατὰ τοὺς ἄλλους βαρβάρους πολιτεύοντες, *non ſicut alii barbari viventes.* Vide *Raphelii* Annotatt. Xenophont. pag. 254. & Polybianas pag. 528. item *Starckii* Notas Selectas pag. 144. Nec aliud voluit B. *Lutherus* noſter in verſione vernacula: **wir aber, lieben Brüder, ſind, Iſaac nach, der Verheiſſung Kinder.** Ita enim hæc τὸν μακαρίτην accipi voluiſſe ex commentario ejus in Epiſt. ad Galatas patet. Id vero indicari in editionibus omnibus debebat interpunctione poſt vocem **nach** poſita, quam cum pleræque neglexerint, effecerunt, ut lectores exiſtimarent, fideles *Iſaaci* filios dici, qui tamen in Scriptura nusquam appellantur. Lege huc, præter *Raphelium*, auctores **des Freywilligen Heb-Opffers** Tom. III. p. 221.

Verſ. 29. Ἀλλ᾽ ὥσπερ τότε ὁ κατὰ σάρκα γεννηθεὶς ἐδίωκε) Reſpicitur ad *Geneſ.* XXI. 9. ubi proinde per τὸ מצחק non luſus aliquis puerilis ſed gravior aliqua injuria, quæ Saram ad iram commovit, intelligitur, quia hic exprimitur per διώκειν. Confer *Jac. Guſſetii* commentarium Linguæ Hebr. p. 714. qui malignitatem ſaltem in riſu & actu ludicro innui ſtatuit. Adde *Hackſpanii* Miſcellanea p. 291. & Notas Philologico-Theolog. Part. I. p. 220.

Verſ. 30. *Ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή;*) Ita *Herodotus*, obſervante *Raphelio* lib. 1. p. 68. *ἐνεκόλαψε δὲ ἐς τὸν τάφον γράμματα, λέγοντα τάδε. Inſculpſit autem ſepulchro litteras, quarum hæc erat ſententia.*

Ἔκβαλε τὴν παιδίσκην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς) Conferunt hæc cum *Geneſ.* XXI. 10. *Surenhuſius* in *Βίβλῳ καταλλαγῆς* p. 581. & *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico p. 33. ſqq. Nonnulla huc pertinentia docet *Seldenus* de Succeſſionibus ad Leges Hebræorum cap. III. p. 28.

Verſ. 31. *ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας*) His quædam ex initio capitis ſequentis codices nonnulli adnectunt, quod minus recte fieri oſtendit *Whitbius* p. 68. Examinis. Conferendus quoque hic fuerit *Dionyſ. Petavius* Tom. I. Dogmatum Theologic. ubi de Opificio ſex dierum IV. 7. 6.

CAPUT V.

VErſ. 1. *Τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε*) Libertatis Chriſtianæ vis & notio ediſſeritur a *Frid. Ern. Meiſio* in ſingulari hujus commatis expoſitione, Schleuſingæ 1699. & a D. *Philippo Mullero* in diſp. de adiaphoris, Jenæ 1675. edita. Patrum expoſitiones recitat *Svicerus* Tom. I. pag. 1088. Confer infra ad v. 13.

καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε) Hæc ad Chriſtianos, non Ex-Gentiles, quippe qui nunquam legi ſe antea ſubjecerint, ſed Ex-Judæos, quos illi *iterum*, ſuſceptis denuo inſtitutis Moſaicis, quibus antea obnoxii fuerant, ſubjici Paulus nolit, pertinere affirmat doctiſſimus *Thom. Mangejus*, Anglus, in Animadverſionibus ad Tolandi Nazarenum Anglice editis, c. X. p. 79. ſqq. Recte hæc dicuntur, ſi primarium Pauli ſcopum ſpectes. Si quis tamen eadem ad Chriſtianos Ex-Gentiles etiam referre voluerit, non erraverit, quia & illi ante, quam ad Chriſtum convertuntur, peccato atque adeo etiam maledictioni legis obnoxii fuerunt, cui & ſubjecturi ſe erant, ſi Ex-Judæorum exemplo inſtitutis legis, tanquam ad ſalutem neceſſariis, ſe addicerent, a quibus tamen per Chriſtum erant liberati. Quam inepte peſtilentiſſimus Scriptor libri Judaici *Chiſſuk Emuna* hoc loco ſit abuſus, ad tollenda ea, quæ Dominus noſter ipſe urſit, legis moralis præcepta, oſtendit *Jac. Guſſetius* in Confutatione illius libri egregia Parte II. c. XIX. Vox *ἐνέχεσθαι* emphatica eſt, qua *Herodotus* utitur, quando ait *ἐνέχεσθαι πάγῃ* aut *ἀπορίῃσι*, *laqueis irretiri*, aut *conſilii inopia detineri.* Vide Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 520. Ita *Plato* de Legibus *ἐνέχεσθαι ἐν νόμοις*, *legibus teneri*, vel *reum eſſe* dixit.

Verſ. 2. *ὅτι ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει*) Pugnare hæc Judæus in *Chiſſuk Emuna* Parte II. cap. 74. exiſtimat cum inſtituto Pauli ipſo, ex quo Timotheum circumcidi fecit, *Actor.* XVI. 3. cum tamen hoc loco circumciſione adeo non opus eſſe dicat, ut etiam noxia ſit ad ſalutem. Reſpondet ad hæc *Guſſetius* pag. 428. ſqq. Scilicet ſpectandus inprimis finis eſt, quo quis

quis circumciſionem admittat. Si id fiat eo conſilio, ac ſi Chriſti apprehenſio per fidem ad gratiam Dei & ſalutem non ſufficiat, ſine circumciſione, valet Pauli ſententia, hic eo tantum ſenſu, ceu ex tota argumenti tractatione perſpicitur, propoſita. Si vero fiat eo conſilio, quod ad Evangelii curſum provehendum, ad offenſionem, quam infirmiores hinc capere poterant, cavendum, & per συγκατάβασιν quandam, ab omni alio reſpectu liberum, quale quid in Timothei circumciſione uſu veniebat, Pauli regula huc non ſpectat.

Verſ. 3. Μαρτύρομαι δὲ) *Teſtor enim*, ita ut δὲ pro γὰρ poſitum ſit. Atque hunc illius particulæ ſignificatum *Herodotum* quoque lib. VII. p. 459. adhibuiſſe, oſtendit *Raphelius* p. 521. Confer Vol. I. pag. 539. 613. 665. Vel δὲ idem fuerit, quod δὴ, *ſane*, *omnino*: vide ſupra II. 3.

Πάλιν) Vox hæc a duobus tribuſve Codd. verſione item *Arabica*, & Patrum aliquot interpretatione, abeſt. Ideo Studioſi cujuſdam ſcholion eſſe cenſet *Millius* in Prolegomenis §. 480. qui ſcilicet notatum voluerit, id, quod aſſerit Apoſtolus, jam ſupra III. 10. dictum fuiſſe. At, nonne & Paulus ipſe eo reſpicere, atque hoc particula illa indicare poterat? Sed non puto tamen id ſpectaſſe Paulum, cum loco citato aliud ſit, quod tradit. Propius vero aliquid eſt, ad quod τὸ πάλιν ſe refert, nempe id, quod v. 2. expoſuit, ubi ait: *dico vobis*. Idem vero verſ. 3. dicturus emphaſeos cauſa ait: *teſtificor iterum*. Confer *Whitbium* p. 68. Examinis. Rectiſſime B. *Calovius* ad h. l. ita hæc παραφράζει: *Dixi, Chriſtum vobis non profuturum, ſi circumcidamini. Iterum dico, & teſtificor non nobis ſolum, ſed omni homini, qui circumciditur, debitor eſt totius legis.* Omiſſionis in nonnullis Codd. ratio hæc eſt, quod ſciolus aliquis e longinquo eandem Pauli ſententiam petendam ratus, nec inveniens, cum in propinquo exſtaret, particulam hanc prorſus putaret omittendam. Peſſime itaque egit recens editor N. T. Græco-Anglicani, quando eam ex contextu prorſus expunxit. Simul vero apparet, τὸ πάλιν non idem eſſe, quod *contra*, ceu viſum eſt *Eraſmo Schmidio*. Neque enim hic Paulus aliquid ait, quod antecedenti ſit adverſum, ſed quod ei ſit adfine, ita quidem ut ex eo conſequatur. Nam verſ. 2. ait Paulus, circumciſo Chriſtum nihil prodeſſe. Si hoc; ſequitur, hominem illum toti legi præſtandæ obnoxium eſſe, (quod verſ. 3. adfirmatur) quia nempe Chriſtum, ut *finem* legis atque adeo circumciſionis, ad ſalutem olim neceſſariæ, non agnovit, nec proinde ſubjectionis Chriſti, legi per circumciſionem factæ, & obedientiæ, ab ipſo præſtitæ, particeps evaſit. Confer, quæ ad 2. *Cor.* XI. 16. ſcripta ſunt.

Ὅτι ὀφειλέτης ἐςὶν, ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι) Circumciſio ſcilicet inter reliqua eo etiam pertinebat, ut homines religionis Judaicæ ſacris initiarentur, & ſe Jehovæ ſolius cultui devotos aperte profiterentur. Per eam enim, veluti pignore quodam, homines ſe legi obſtringebant, & fidei ejuſdem cum Judæis conſortes indicabant, imo ab alterius religionis cultoribus diſcernebantur. Hinc οἱ LXX. verba *Eſther.* VIII. 17. *& multi ex populis terræ* מתיהדים *ju-*

dai-

daizabant; ita reddiderunt: ϗ πολλοὶ τῶν ἐθνῶν περιετέμνοντο ϗ ἰȣδάιζον, *multi ex gentibus circumcidebantur*, & *ad inſtituta moreſque Judaicos ſe conformabant.* Propterea & illi, qui ex Phariſæis Chriſtiani circumciſionis in convertendis urgebant, pronunciabant: ὅτι δεῖ περιτέμνειν ἀυτȣ̀ς παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωυσέως. *Actor.* XV. 5. Confer *Jo. Spencerum* de Legibus ritualibus Hebræorum p. 62.

Verſ. 4. Κατηργήθητε ἀπὸ τȣ̃ Χριςȣ̃, κ. τ. λ.) Inſpice *Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. pag. 542. 546. & *Herm. Witſii* Miſcellanea Tom. II. Exercit. II. §. 18. pag. 67. ex noſtratibus vero *Jo. Conr. Klemmii*, Theolog. Tubing. διάσκεψιν πορισματικὴν, Tubing. 1710. & *Jo. Cypriani* Diſp. de apoſtaſia a Chriſto, Lipſ. 1717. De verbo κατηργήθητε lege Patres apud *Svicerum* Tom. II. p. 59.

Τῆς χάριτ☉ ἐξεπέσατε) *Gratia excidiſtis.* Externis Scriptoribus ἐκπίπ]ειν dici, qui e poſſeſſione ſua expelluntur, oſtendit Cl. *Elsnerus* pag. 194. ſqq. Vide etiam Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 528.

Verſ. 5. Ἡμεῖς γὰρ πνέυματι ἐκ πίςεως) Τὸ πνεῦμα hic iterum notat doctrinam Evangelii, ſive œconomiam Novi Fœderis, τῇ σαρκὶ ſeu doctrinæ legali oppoſitam. Vide ſupra III. 3.

Ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα) *ſpem juſtitiæ exſpectamus*, i. e. juſtitiam ſperandam, quemadmodum B. *Lutherus* accepit, aut *ſperatam*, ſicut *Crocius* intellexit, & ex noſtratibus Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem B. Lutheri Germanicam pag. 203. ſperatam ſcilicet a Patribus & Prophetis; confer *Jeſ.* LX. 1. & *Habac.* II. 4. jam vero per Chriſtum manifeſtatam. Alii beatitatem æternam tanquam juſtitiæ illius ſequelam, ſecundum *Coloſſ.* I. 5. & *Hebr.* XI. 1. intelligunt, de qua tamen Apoſtolo hic primario ſermo eſſe non videtur. Sic tamen accepit etiam *Theodoretus.* Simpliciter quoque verti poterat: *exſpectamus juſtitiam*, ſive, *ſperamus juſtificari.* Ita *Polybius* dicit ὀρέγεσθαι ἐλπίδων, *ad ſpem erigi*, lib. I. p. 11. & ἐλπίδ☉ τῶν ὅλων ἐφίςασθαι lib. V. p. 613. Eidem quoque, quod propius huc facit, προσδοκᾶσθαι ἐλπίδες ὠφελείας, *ſpes prædæ exſpectari* dicuntur lib. I. p. 746. quemadmodum *Suidas* ex eodem *Polybio* hanc phraſin affert, πᾶσαν ἐλπίδα σωματοποιεῖν ϗ προσδέχεσθαι. Vide Rev. *Raphelium* p. 530. Annott. Polybian. qui commode monet, Paulum non *aliunde, quam ex fide, juſtitiam exſpectari velle, ſicut legis aſſertores omnem juſtitiæ ſpem in operibus collocabant.*

Verſ. 6. Ἐν γὰρ Χριςῷ Ἰησȣ̃ ȣ̓́τε περιτομή τι ἰσχύει, κ. τ. λ.) Lege *Jo. Benedict. Carpzovii* Diſput. de fide per charitatem operante, in Diſpp. ejus Academ. pag. 1142. ſqq. recuſam, *Joh. Majorem* de aphoriſmo Apoſtolico, Gedani 1650. *Henr. Mullerum* in Quæſt. Select. Theolog. Semicenturia I. p. 7. *Aletheum* Tomo IV. p. 361. & *Spenerum* in Conſiliis Theologicis Germanicis Part. I. pag. 120.

Οὔτε περιτομή τι ἰσχύει ȣ̓́τε ἀκροβυςία,) Hæc ex libro quodam, Moſi ſuppoſito, & Ἀποκάλυψις Μωϋσέως inſcripto, petita eſſe *Gregorius Syncellus* pag.

pag. 27. falſo tradit, quemadmodum præſtantiſſimus *Bernh. Montfauconus* in Diario Italico p. 212. teſtatur, in Codice MS. membranaceo, Romæ obvio, locum hunc ex quodam Moſis apocrypho deſumtum eſſe ſignificari. *Grotius* librum illum a Chriſtiano quodam ſcriptum recte ſuſpicatur ad h. l. Compara Celeb. *J. A. Fabricii* Codicem Pſeudepigraphum V. T. p. 838. ſqq.

Ἀλλὰ πίστις δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη) *Bellarminus* lib. II. de Juſtific. c. 4. vocem ἐνεργουμένη *paſſive* hic accipi vult, ſicut & Interpretes Galli *Montenſes* eodem ſenſu verterunt: *la foy, qui eſt animée par la charité*, eadem vero opera in notis poſuerunt: *agiſſante par la charité*, i. e. operantem per charitatem. Nec aliter *Petavius* Tom. V. Dogmatum Theolog. ubi de Incarnatione VIII. 12. §. 16. & Tom. I. ubi de Prædeſtinat. X. 29. 8. Poſteriori modo i. e. active, interpretatus eſt *Cornelius a Lapide*, ad h. l. & alias, convenientius omnino & Græco contextui & ſcopo Paulino. Idem approbavit *Eſtius*. Confer *Rich. Simonis* Hiſtoriam Criticam N. T. ubi de verſionibus agit, p. 456. Huic interpretationi Interpretem Syrum adeo non obeſſe, ut illi potius velificetur, oſtendit *Hackſpanius* in Sylloge Diſputatt. p. 519. cujus & notas Philologico-Theolog. Part. II. p. 168. conferre juvabit. Pro activa verbi hujus ſignificatione pugnat etiam *Jac. Cappellus* p. 83. Obſſ. Ceterum Pontificios, quocunque modo acceperint, nihil hic præſidii pro adſtruenda, quam jactant, bonorum operum ad juſtitiam & ſalutem efficacia, invenire, oſtenderunt noſtrates, ex quibus conſultum fuerit legere *Hulſemannum* in Vindiciis p. 112. *Höpfnerum* de Juſtificatione pag. 1105. *Geierum* in Liebes-Sprüchen num. XXXVII. *Feſſelium* in Adverſariis Sacris Tomo II. p. 477. & alios, quos laudat *B. Sam. Bened. Carpzovius* in der Frucht-bringenden Geſellſchaft Part. II. p. 45. ſqq.

Verſ. 7. Ἐτρέχετε καλῶς) Vide ſupra ad III. 1.

Τίς ὑμᾶς ἀνέκοψε) Codices multi legunt ἐνέκοψε, quod malunt *Grotius*, *Vitringa* in commentar. Belgico ad h. l. & *Millius* in Prolegom. §. 899. qui poſtremus *clarius facile in locum obſcurioris admiſſum eſſe* exiſtimat. Sed nihil eſt mutandum. Utrumque enim verbum, ἀνακόπτειν & ἐγκόπτειν, a Scriptoribus adhibetur, quemadmodum ideo *Heſychius*, alterum per alterum explicans, ſcribit: ἐγκόπτει, ἀνακόπτει. Τὸ ἐγκόπτειν exſtat etiam *Actor.* XXIV. 4. & 1. *Theſſal.* II. 18. Locorum, ad ἀνακόπτειν pertinentium, meſſem collegerunt *Alberti* p. 364. & *Elsnerus* p. 194. Addi illis poteſt *Menagius* ad Diog. Laërtium p. 21. & *Eraſmus Schmidius* ad h. l. *Lamb. Bos* pag. 175. alludi vult ad agitatores in ludis circenſibus, qui magicis artibus inhibuerint in curſu adverſariorum equos, adſtipulantem nactus *Albertum*; ſed non præter rem in dubium id vocat *Elsnerus*, cum non de equorum, ſed hominum, curſu hic ſermo ſit, & ἵππον ἀνακόπτειν apud *Plutarchum*, qui advocatur, idem ſit, ac *manibus freno injectis inhibere equum currentem*.

Τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι.). Poterat etiam ſcribi ſine μή. Sed Atticum hoc eſſe dicendi genus, oſtendit Cl. *Alberti* ad *Joan.* II. 22. Adde *Eraſmum*

Schmidium ad h. l. qui τὸ μὴ in edito quodam, quod non appellat, exemplo deeſſe teſtatur. Totam phraſin omittunt *Chryſoſt.* & alii quidam Patres, eamque in vetuſtis Codd. non haberi teſtatur *Hieronymus*, *errore hoc Græca exemplaria circumfuſa eſſe*, præpropere judicans. Illud hinc puto factum eſſe, quia in ſuo *Vulgati Interpretis* exemplari poſt ἀνέκοψε legebat: μηδενὶ πείθεσθε, quod etiam Codex *Bœrner.* Græco-Latinus exhibet, quamvis ibi πείθεσθαι per errorem, ex pronunciatione ortum, legatur, per quam τὸ αι per ε vel η exprimi ore conſuevit. Hoc autem poſito communis lectio ſuſpecta videri poterat. At illud additamentum ex genuina & communiore lectione omnino natum eſt, quando librarius quidam ex pronunciationis vitio πείθεσθε ſcripſit pro πείθεσθαι, cumque hoc ipſum non reſponderet voci τῇ ἀληθείᾳ, ea omiſſa, τὸ μὴ in μηδενὶ mutandum cenſuit. Quo ipſo ut recepta lectio ſtabilitur; ita alteram illam ſpuriam eſſe *Millius* demonſtrat. Confer præterea ad h. l. *Amelium* Part. II. pag. 164. ſqq. & ejuſdem Bibliothecam Antiquario-Exegetic. Tom. I. p. 1122. quam ſub patrio *Zornii* nomine edidit.

Verſ. 8. Ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος. Codd. pauci omittunt τὸ οὐ, quod recte improbatum eſt ab *Hieronymo*, corruptelæ hujus originem eadem opera oſtendente, cui etiam applaudit *Rich. Simon* in Hiſtoria Critica N. T. ubi de verſionibus agitur, p. 35. ſqq. Articulum ἡ pro emphatico recte habet *Knatchbullus*, & vertit: *hæc perſuaſio*, cui ſcilicet locum fecerant Galatæ, pro illa, qua rectius ante ſe duci paſſi erant. Per *vocantem* Paulum hic intelligi vult *Lockius*, non rectius quidem, quam ſupra I. 6. ubi nos vide.

Verſ. 9. Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ) Vide ſupra ad 1. *Corinth.* V. 6. *Hieronymus* ad h. l. corruptum putat *Vulg.* Interpretem ita reddentem: *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, pro quo ſic potius interpretatur: *modicum fermentum totam conſperſionem fermentat.* *Vulgati* cauſam agit *Rich. Simon* in Hiſtor. Critica N. T. de verſionibus pag. 37. Adde & *Millium* ad h. l. De proverbio ipſo inſpice *Andr. Schottum* in Adagialibus N. T. pag. 108. Ex his verbis *Lockius* ad h. l. ſuſpicatur, totam hanc controverſiam inter Galatas ab uno homine ortam eſſe, qua in re non magis eſt audiendus, quam in epiſtola ad Corinthios, ad quam idem hoc aliquoties ab eo pronunciatum fuiſſe ſupra vidimus. Quomodo, quæſo, ſtare hoc poteſt cum τοῖς ἀναστατοῦσι, de quibus v. 12.

Verſ. 10. Ὅτι οὐδὲν ἄλλο φρονήσετε) *nihil aliud ſentietis*, lecta ſcilicet hac epiſtola. Incommode *Vulg.* vertit *ſapietis.* A mente vero Pauli prorſus aberravit, qui τὸ *ſentire* idem hic eſſe voluit, quo alias dicitur, *dolorem aliquem ſentire*, ita ſcilicet interpretatus: *quod nihil aliud mali paſſuri ſitis.* Recte is ideo notatur ab *Henr. Stephano* in diſſert. de Stylo N. T. pag. 8. Syntagmatis Honertiani.

Βαστάσει τὸ κρίμα) Ejectionem ex cœtu Eccleſiaſtico hic indicari exiſtimat *Lockius*, ideo, quod antecedens formula proverbialis etiam 1. *Corinth.* V. 6. itidem

itidem adhibeatur, ubi de inceſtuoſo homine expellendo agitur. Nemo hoc admiſerit, qui meminerit, vocem κρίμα in ſcriptis Paulinis amplius aliquid inferre, & tantum non ſemper de judiciis divinis accipi. Accedit, quod Apoſtolus v. 12. potius de excommunicatione, tanquam pœna, turbatoribus his Eccleſiæ debita, loqui videatur.

Verſ. 12. ὄφελον καὶ ἀποκόψονται) In hac phraſi σόλοικόν τι obſervaſſe ſibi viſi ſunt nonnulli, quandoquidem ὄφελον futuro indicativi junctum legitur. *Lucianus* ſcilicet in Solœciſta in ſimili phraſi ſolœciſmum notat Tom. II. Operum. p. 730. *Thomas* vero *Magiſter* τὸ ὄφελον non niſi *optativo* vel *præterito* vel *infinitivo* etiam græce jungi poſſe præcepit, cum quo conferri poteſt *Moſchopulus*. At recte contra horum Grammaticorum, alias non raro errantium, auctoritatem exceptum eſt ab eruditis. Hoc minus de emendatione cogitare debebat *Clericus* in notis ad Hammondum, & ad verſionem Gallicam, ita hæc verba legenda eſſe contendens: ὤφελον ἀποκόπτεσθαι, καὶ ὄντως ἀποκόψονται, *debuerunt abſcindi, & abſcindentur re vera*, cum ad vos venero. Lege contra eum Cl. *Elsnerum* p. 195, Meliore & mitiore ratione ſtructuræ conſuli poſſe cenſuit Cl. *Jo. Conr. Schvvarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 115. Accipe verba ejus: *Ergo fortaſſe diſtrahendum:* ὄφελον· καὶ ἀποκόψονται. *Optare cœperat Paulus: ſed mox optatione omiſſa, oſtendit, exitium impendere iis, qui Galatas conturbent. Quod ſi hæc interpunctio non placuerit:* εἴθε *ſubintelligendum fuerit* (*ut ſæpe cum* εἴθε *conjunctum repetitur*) *quod etiam de re futura indicativum habet. Ariſtæn. I. epiſt. 6. extr.* Εἴθε σοι γάμον ταχὺ, πρὶν κατάφωρος γένῃ, συνεπινεύσουσιν οἱ θεοί. *Utinam cito tibi nuptias procurent Dii, antequam deprehendare prægnans.* Malim amplecti poſterius, modo illud Grammaticorum præceptum ratum eſſe debere oſtendatur. De eo equidem vel ideo dubito, quod non videam rationem, cur vox ὄφελον futuro indicativi jungi non poſſit, quam nunc optativum, nunc præteritum indicativi, nunc infinitivum quoque ſecum ferre conſtet.

Quod ad ſignificatum verbi ἀποκόψονται attinet, ſunt, qui eo Apoſtolum illudere exiſtimant adverſariis, circumciſionem urgentibus, & optare, *ut ſeminale membrum illis abſcindatur.* Hoc ex veteribus ſcilicet voluit *Chryſoſtomus.* Εἰ βούλονται, inquit, μὴ περιτεμνέσθωσαν μόνον, ἀλλὰ καὶ περικοπτέσθωσαν (l. ἀποκοπτέσθωσαν) ποῦ τοίνυν εἰσὶν οἱ τολμῶντες ἀποκόπτειν ἑαυτοὺς καὶ τὴν ἀρὰν ἐπισπώμενοι, κ. τ. λ. Ita quoque *Theodoretus*, *Theophylactus*, & ex Latinis, *Hieronymus*, *Auguſtinus* & *Ambroſius.* Ex recentioribus vero *Grotius*, *Alex. Morus* pag. 157. & *Jo. Seldenus* de Synedriis lib. l. c. 8. p. 148. qui & de exſciſſionis ejuſmodi jure, ſeu recepta de ea apud Hebræos ſententia commentatur in de Jure Nat. & Gent. lib. VII. cap. 3. Speciem habet hæc interpretatio. Ἀποκόπτεσθαι enim a Græcis dicuntur, quibus virilitas exſcinditur, vel qui eam ſibi ipſi amputant. Locum ejuſmodi affert *Grotius*, alium vero ex *Arriano* lib. II. cap. 20. p. 227. promit *Raphelius* in Annotatt. Polybian.

p. 530. *οἱ ἀποκοπτόμενοι τάς γε προθυμίας τὰς τῶν ἀνδρῶν ἀποκόψασθαι ἐ δύναντ.* Præterea alias Apoſtolus *περιτομὴν* tantopere jactatam contumelioſe *κατατομὴν* appellat *Philip.* III. 3. Sed leviorem hanc eſſe ſententiam, quam ut Apoſtolo tribui poſſit, a pluribus eſt admonitum. Vide ex noſtratibus *Calovium* ad h. l. tum vero *Clericum* ad Hammondum, *Pfaffium* de originibus Juris Eccleſiaſt. p. 73. & *Elsnerum* l. c. Rectius alii *excommunicationem* reſpici volunt, qua ſcilicet digni ſint adverſarii. Ita poſt *Bezam* alii plures, interque eos *Jo. Conrad. Dietericus* in Antiquitat. Biblic. N. T. Part. I. p. 132. His accedit Vener. *Pfaffius* l. c. p. 74. hac addita ratione, *quod*, *ſi ἀποςατῦντες* (*ἀναςατῦντες* ſcribere voluit vir doctus,) *iſti in cœtu Corinthiorum permanerent*, *modicum fermentum totam maſſam corrupturum eſſe videbatur* v. 9. Interim huic acceptioni id adverſari videtur, quod, ſi de *excommunicatione* cogitaſſet Apoſtolus, eam ipſe non tam *optaturus*, quam *ſuaſurus* & *præcepturus*, vel potius ipſe pro ea, qua valebat auctoritate, exſecuturus fuiſſe videatur. Ita certe agebat in inceſtuoſum illum inter Corinthios. Ita etiam agere poterat ex muneris ſui Apoſtolici ratione. Neque alias ea optare ſolemus, quæ in noſtra ſunt poteſtate.

Nec magis probem illos, qui hanc Paulini voti ſummam eſſe volunt, ut ſingulari quodam judicio divino impoſtores illi ex vita mature abripiantur, quæ *Vitringæ* ad h. l. eſt ſententia. Quemadmodum enim Paulus id in hac epiſtola agebat, ut Galatæ, ab illis depravati, ad frugem redirent; ita non minus ipſorum impoſtorum mutationem optabat, cui cum vitæ jactura omnis ſpes præciſa fuiſſet.

Malim itaque in eorum ire ſententiam, qui id Paulum voluiſſe exiſtimant, ut ſeductoribus illis omnis *occaſio* & *facultas* vel aliunde, v. c. a Deo ipſo, vel ab ipſis Galatis præſcinderetur, doctrinis maleſanis animos Galatarum inpoſterum corrumpendi. Hanc ſententiam nuper ornavit Cl. *Elsnerus* pag. 196. allatis Scriptorum locis, qui *τὸ ἀποκόπτεσθαι* de *ſpe præciſa* adhibent. Ita *Polybius* lib. III. cap. 63. *ἀποκεκομμένης καθόλε τῆς τοιαύτης ἐλπίδος*, *omni ejuſmodi ſpe præciſa.* Simili ſenſu, eodem obſervante, Paulus 1. *Cor.* II. 12. ait: *ἵνα ἐκκόψω τὴν ἀφορμὴν τῶν θελόντων ἀφορμήν.* Ita, ſenſu paſſivo, Latine dicuntur *præcludi*, *intercludi*, quibus occaſio, vel aditus præcluditur. Propius etiam, ni fallor, huc ſpectat, quod Græci in re militari hoſtes dicunt *ἀποκόπτεσθαι*, qui e loco ſuperiore, ex quo ſcilicet inprimis vim facere & noxam inferre poterant, deturbabantur. Hoc ſenſu *Xenophon* Exped. lib. III. pag. 312. *προκατείληπται γὰρ ἡμῖν ὁ ὑπὲρ τῆς καταβάσεως λόφος, ᾗ ἐκ ἔςι παρελθεῖν, εἰ μὴ τέτες ἀποκόψομεν.* *Nam occupatus eſt collis ille, qui viæ imminet, quo deſcendendum erit, neque tranſire nobis licebit, niſi hos vi dejecerimus.* Confer idem IV. pag. 320. & 321. ubi dicitur *ἀπεκόπησαν ἀπὸ τῦ πρώτε λόφε.* Affert hæc loca eruditiſſimus *Ludolphus Kuſterus* ad Suidam Tomo I. pag. 252. ubi hæc legis: *ἀπεκόπησαν, ἀντὶ τῦ ἀνεβλήθησαν. Ξενοφῶν*, Interpres: *ex loco ſuperiore pulſi ſunt. Deturbati ſunt.* Quæ quidem interpretatio (*ἀνεβλήθη-*

βλήθησαν) non placet *Kuſtero*, quia non videat, quomodo ea voci ἀπεκόπησαν convenire poſſit, qua *Xenophon* ll. cc. ſenſu modo expoſito, uti conſueverit. Idem legi vult ἀπελάθησαν, ab ἀπελάυνω. De eo quidem diſputare nunc, quod fieri poterat, nihil attinet. Fortaſſe enim *Suidas* ad illa, quæ vir doctus Xenophontis loca attulit, non reſpexit, ſed id innuere voluit, Xenophontem τὸ ἀποκοπῆναι de iis dicere, quibus *remora injiciatur*, & occaſio præſcindatur nocendi. Ita Germani dicimus de hoſtibus, **ſie werden abgeſchnitten.** Adponam unam *Heſychii* gloſſam: ἀποκοπῆναι, ἐπὶ τῶν ἰχνευόντων λέγεται, ὅταν μὴ εὕρωσιν. Idem clarius tradit *Suidas* pag. 277. ἀποκοπῆναι τῶν ἰχνῶν τὸν κύνα λέγουσιν, ὅταν μηκέτι εὑρίσκῃ τὰ ἴχνη. *Dicitur de cane, cum veſtigia amplius invenire non poteſt.* Ut rem conficiam, videtur Apoſtolus alludere ad antecedens ἀνακόπτειν v. 7. & optare, ut, quemadmodum illi falſarii Evangelii curſum pro viribus cohibebant, ita ipſi exciderent omni facultate falſas doctrinas provehendi. Repræſentantur itaque ut copiæ doloſæ, quæ fraude circumvenire ſatagerent alios, dignæ ipſæ, quæ cohibeantur, & a nocendo prohibeantur.

Οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς) Ἀναστατοῦν eſt ſedibus ſuis ejicere aliquem, ut aliam ſedem quærere oporteat, quod alias dicitur ἀνάστατον ποιεῖν. Hinc ἀνάστατοι γίνεσθαι *Thucydidi* lib. VI. p. 413. *ſedibus ſuis ejecti* dicuntur. Vide Cl. *Elſnerum* pag. 197. & *Valeſium* ad Euſebium pag. 38. Egregie itaque hæc vox reſpondet phraſi antecedenti v. 1. τῇ ἐλευθερίᾳ, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, & v. 13. Ὑμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε. Libertas itaque Evangelica inſtar ſedis & patriæ repræſentatur, in quam Galatæ ſemel vindicati operam dare debebant, ne, ea ejecti, inſtar exulum inde inter opera legis vagarentur, neſcii, ubi tandem conſiſterent. Senſu neutrali vocem accepiſſe videtur *J. C. Dietericus* in Antiquitatt. Biblicis pag. 132. quando ait: *Tales ſunt* ἀναστατοῦντες, perpetuo trepidantes, *quod iis fieri neceſſe eſt, qui non in unico Chriſti merito acquieſcunt, ſed & legis opera fidei ſuæ immiſcent.* Senſum activum hic ſtatuendum eſſe, addita vox ὑμᾶς evincit.

Verſ. 13. Ὑμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε) *Vitringa* in commentario belgico ad h. l. verti vult: *vos enim in libertate*, i. e. in ſtatu libertatis, *vocati eſtis*, ſubintelligendo *ad vitam æternam.* At ellipſin hic locum habere non puto, cum de vita æterna hic cogitaſſe Apoſtolum ex ſcopo, ad quem hic tendit, nullo modo appareat Nec phraſis, ἐπ' ἐλευθερίᾳ, aliter explicari poteſt, quam debet, ſi ſcriptum eſſet, εἰς ἐλευθερίαν. Nam τὸ ἐπ' paſſim cauſam finalem denotat. Sic *Matth.* XXVI. 50. ἐφ' ᾧ πάρει; *ob quam cauſam, in quem finem hic ades?* Sic *Xenophon* dicit: ποιεῖν ἐπὶ τῷ κέρδει, *lucri cauſa aliquid facere.* Vocationem ad libertatem Evangelicam ſimpliciter hic reſpicere Apoſtolum antecedens contra Pſeudo-doctores, qui jugum ſervitutis legalis imponere Chriſtianorum collis tentabant, oratio evincit, ac præterea initium capitis, τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, i. e. *In ea igitur libertate, in quam Chriſtus vos vindicavit, perſiſtite.*

Verſ. 13. *μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκὶ*) Oratio eſt elliptica, quam alii per *παραλάβητε* cum *Eraſm. Schmidio*, alii per *ἐπιςρέφετε*, cum Cl. *Schvvarzio*, loco mox citando, ſupplent. Ita vero in ejuſmodi argumentis loqui amant Scriptores. *Arrianus* Diſſertatt. Epictet. p. 373. *ἀπὸ Ῥώμης τις ἥκει· μόνον μή τι κακόν. Advenit quiſpiam Roma. Modo ne quid mali*, ſcil. apportet. Ita pag. 380. *καὶ ἐνθάδε τῦτον θέλε ὁρᾶν, καὶ ὃν βέλει, ὄψει. Μόνον μὴ ταπεινῶς, μὴ μετ' ὀρέξεως, ἢ ἐκκλίσεως, καὶ ἔςαι τὰ σὰ καλῶς.* Vide Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 531. *Schvvarzius*, Vir doctiſſimus, de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 121. verba hæc *παρεντέσεως* nota a reliquis vult diſtingui, *tanquam communem & uſu tritiſſimam formulam præceptorum, diſcipulis aliquid concedentium ad animum recreandum.* Quod ut rectiſſime monetur, ita parentheſi opus eſſe non exiſtimen, inprimis cum ſequens ſententia, *ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δελέυετε ἀλλήλοις* ab antecedenti, *μόνον μὴ*, pendeat, adeoque una ſerie cum ea ſit connectenda. Nam *τὸ ἀλλὰ* reſpondet *τῷ μὴ*, & *τὸ δελέυετε*, verbo *ἀπολάβετε* vel ſimili, ſubintelligendo. De eo hoc certior mihi videor, quod poſtrema hujus commatis verba ad prima ejuſdem, *ὑμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε*, nec ratione ſtructuræ nec ratione ſenſus referri poſſint. Præterea alia quoque ellipſis animo ſupplenda eſt poſt vocem *μόνον*, ſive id per *ὁρᾶτε*, *cavete*, reſpectu Galatarum, ſive per *παραγγέλλω*, aut *βέλομαι*, ex perſona Pauli præcipientis, fiat. Ita Paulus ſupra II. 10. *μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν*, ubi vide, quæ ſcripſimus.

Verſ. 14. *ὁ γὰρ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πληρῦται*) Pro his *Epiphan.* habet: *ὁ γὰρ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ πεπλήρωται. Claromont.* vero & *Ger.* Codd. *ὁ γὰρ πᾶς νόμος ἐν ὑμῖν ἐν ἑνὶ λόγῳ πληρῦται.* Hinc *Millius* in Prolegom. §. 297. conficit, *lectionem ἐν ὑμῖν veram & genuinam Apoſtoli eſſe, alteram vero illam ἐν ἑνὶ λόγῳ huc traductam eſſe, explicationis uberioris gratia: certe D. Pauli eſſe, Epiſt. ad Rom. XIII.* 9. evincere. Non erravero, ſi *Millii* conjecturam invertam, & ita ſtatuam: phraſis, *ἐν ἑνὶ λόγῳ πληρῦται*, vera & genuina Apoſtoli eſt, quippe quam etiam alibi de eodem argumento loquens, expreſſit, *ἐν τύτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιῦται.* Altera vero illa *ἐν ὑμῖν* ad marginem primum poſita, & poſtea in contextum illata eſt, quibus ea clarior & ad inſtitutum accommodatior videbatur. Videbatur, inquam. Nam Apoſtoli conſilium jam non erat oſtendere, quomodo apud *Galatas*, vel a *Galatis* lex impleri poſſet. Id enim jam dixerat v. 13. *ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δελέυετε ἀλλήλοις.* Jam vero docere volebat, cur amoris præcepto inprimis inſiſteret, nempe, quod eo ſumma totius legis, quatenus ad hominem pertinet, comprehendatur. Viciſſim phraſis, *πληρῦσθαι νόμον ἐν ἡμῖν*, reſpectu hominum accepta, non eſt phraſis Paulina. Quæ enim huc referri ab imprudente poterat ex *Rom.* VIII. 4. eam huc omnino non pertinere ad illum locum oſtendimus. Itaque etiam hinc exulet, neceſſe eſt. Neque cauſam habuit recens editor N. T. Græco-Anglicani, cur pro *πληρῦται* hic cum aliquot MSS. ſcriberet *πεπλήρωται.* Paulus ſupra *Rom.* XIII. 9. ſcripſit, non, *ἀνακεκεφαλαίωται*, ſed *ἀνακεφαλαιῦται*, in præſenti, quo pro-

proinde eum etiam h. l. uſum eſſe, nil video, cur dubitare debeamus. Compara præterea ad h. l. *Henr. Morum* p. 331. Operum Theologic. Latinorum, & *Vitringam* Obſervatt. Sacrar. lib. VI. p. 457. item ex noſtratibus *Jo. Schmidii* diſput. de legis moralis tabula ſecunda. Argentor. 1653.

Verſ. 15. Εἰ δὲ ἀλλήλȣς δάκνετε, ϗ κατεσθίετε) Eleganter ad hæc *Jo. Henr. Majus*, doctiſſimus amicus noſter, lib. II. Obſervatt. Sacrar. p. 60. ed. I. & p. 86. II. auctioris ita: *Uti mordere ſe invicem canum eſt; ita devorare mutuo piſcium. Et hanc ſimilitudinem dubio procul ex animalium regno deſumſit Apoſtolus.* Utriuſque phraſeos idonea exempla ex Scriptoribus idem affert. De verbo δάκνειν idem ex *Arriano* & *Polybio* præſtat *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 531. ex aliis vero *Elsnerus* p. 197. qui τὸ δάκνειν idem ait eſſe, quod *convitiis proſcindere. Arrianus* II. 22. pag. 242. τὸ ποιȣ̃ν δάκνειν ἀλλήλȣς ϗ λοιδορεῖσθαι. In eandem rem plura lege apud Ill. *Spanhemium* ad *Ariſtophanis* Nubes v. 12. *Kuſterum* ad ejusdem Acharnenſes v. 1. *Gatakerum* ad Antoninum XI. 48. *Adrian. Junium* in Adagiis Centur. II. 58. *Barbeyracum* item in Novis Reipubl. Literariæ Bernardinis anni 1720. Januar. p. 25. & *Acolzerum*, i. e. *Lacrozium* in alia epiſtola ibidem exſtante. Ex Latinis Scriptoribus *mordere* in eandem ſententiam illuſtrat *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 605. ſeq.

Verſibus 16-24. pericope epiſtolica continetur, quam explicat Cl. *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Part. II. p. 132. ſqq.

Verſ. 16. Λέγω δέ· Πνεύματι περιπατεῖτε κ. τ. λ.) Inſpice *Guil. Saldeni* Otia Theologica p. 749. & *Aug. Herm. Franckii* Obſervationes in loca quædam Scripturæ Sacræ vernaculas p. 154.

Καὶ ἐπιθυμίαν σαρκὸς ȣ̓ μὴ τελέσητε) Apud *Herodotum* lib. I. p. 14. Solon divitem ait paupere eſſe ἐπιθυμίην ἐκτελέσαι δυνατώτερον, h. e. *ad cupiditates implendas faciliorem.* Patrum expoſitionem leges apud *Svicerum* Tom. II. p. 938. De eo, cur & quo ſenſu a Scriptoribus Sacris *concupiſcentia* adſcribatur *carni*, diſquirit copioſe *Vitringa* in Obſervatt. Sacr. lib. III. cap. X. & XI.

Verſ. 17. Η γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τȣ̃ Πνεύματος, κ. τ. λ.) Luctam carnis & ſpiritus ex hoc commate ſingularibus diſputationibus expoſuerunt *Herman. Schuckmannus*, Roſtoch. 1655. *Jo. Conr. Durrius*, Altorf. 1673. & *Jo. Meiſnerus*, Witteberg. 1677. A profanorum hominum abuſu verba hæc egregie vindicavit *Spenerus* in Vindiciis locorum aliquot Scripturæ vernaculis, pag. 350. ſqq. Vide etiam *Petavium* Tom. I. Dogmat. Theol. ubi de Opificio ſex dierum V. 5. 7.

Verſ. 18. Εἰ δὲ Πνεύματι ἄγεσθε, ȣ̓κ ἐςὲ ὑπὸ νόμον) Lege *Jo. Cypriani* differtat. de ſervitute legis, Lipſ. 1717. & Rev. *Salom. Deylingii* Obſervatt. Exegeticas, Miſſu II. p. 16.

Verſ. 19. Φανερὰ δέ ἐςι τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς) Ἔργα τῆς σαρκὸς alias vocantur ἔργα νεκρὰ, & ἔργα σκότȣς. Vide *Svicerum* ex Patribus differentem Tom.

Tom. I. p. 1209. & Tom. II. p. 936. item *Petavium* Tom. IV. Dogmatum Theologic. ubi de Hierarchia Eccleſ. II. 5. 15.

Μοιχεία) Deeſt in nonnullis Codd. & verſionibus, a Millio allatis, quibus addes etiam Interpretem Coptum. Confer *Millium* in Prolegomenis §. 298. & 901. item *Richard. Simonem* in Hiſt. Critica N. T. de verſionibus p. 37.

Verſ. 20. Θυμοὶ) Verſio Gall. Montenſis exprimit per *animoſitez*, notata ideo a *Malleto*, qui malebat, *colores*. Vide itaque *Arnaldum* in Nova illius verſionis defenſione p. 557.

Ἐριθεῖαι) Vide *Svicerum* Tom. I. p. 1213.

Verſ. 21. Φόνοι) Abeſt a nonnullis Codd. & verſionibus, approbante etiam jam olim *Hieronymo*. Vide *Millium* & *Simonium* ll. cc. Omiſſio vocis procul dubio ex affinitate antecedentis Φθόνοι nata eſt.

Μέθαι) Lege, quæ ad hanc vocem diſſerit Cl. *Georg. Guil. Kirchmaierus* de Paralleliſmo dictionis N. T. & Polybii p. 46.

Verſ. 21. Προλέγω ὑμῖν, καθὼς καὶ προεῖπον) Verbum προλέγω non caret emphaſi. *Demoſthenes* illud cum alias, tum in oratione pro corona, conjunxit cum verbo διαμαρτύρασθαι, annotante *Stephano*. Confer *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 532. Idem in Herodoteis p. 521. ex *Herodoto* IV. p. 300. locum affert, in quo προλέγοντες & προείπαντες de minis factis adhibetur.

Verſ. 22. Ὁ δὲ καρπὸς τοῦ Πνεύματος, κ. τ. λ.) Virtutibus hic commemoratis tres alias addit *Vulg.* nempe *caſtitatem*, *patientiam* & *modeſtiam*, ex quibus ἁγνείαν ſive *caſtitatem* etiam in Codd. aliquot Græcis & Patribus legas. Minus recte id fieri *Rich. Simon* oſtendit in Hiſtoria Critica N. T. ubi de verſionibus p. 38. ſq. & in Obſervationibus novis ad N. T. pag. 380. Ex interpretamento vocum Græcarum ἐγκράτεια, μακροθυμία & πρᾳότης eas ortas eſſe recte ſuſpicatur *Millius* ad h. l. *Nempe*, inquit, *cum variis vocibus exprimerentur Græca: Μακροθυμία enim ſignificat* patientiam *&* longanimitatem, πρᾳότης modeſtiam *&* manſuetudinem; *περιεργίᾳ librariorum factum, ut omnes iſtæ voces admitterentur demum in contextum.*

Verſ. 24. Οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ κ. τ. λ.) Illuſtrant hæc verba *Rob. Gell.* in Reliquiis Anglice editis Tomo II. p. 257-260. *Petavius* Tom. III. Dogmatum Theologic. ubi de Opificio ſex dierum V. 6. 7. & ex noſtratibus *Aug. Herm. Franckius* in Obſervationibus ad aliquot Scripturæ Sac. locos p. 48. ſq. Οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ ſcil. ὄντες, uſitata ellipſi, cujus exempla ex *Herodoto* affert *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 522.

Verſ. 25. uſque ad v. 10. capitis VI. quibus uſitata quædam Sectio epiſtolica continetur, illuſtratur a Cl. *Franc. Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Part. II. p. 136. ſqq.

Verſ. 25. Εἰ ζῶμεν πνεύματι, κ. τ. λ.) Ad hæc copioſe commentatur *Jo. d'Outrein* in libro Belgico, *Bibelſche Keurſtoffen* p. 325-366.

Πνέυ-

Πνεύματι καὶ ςοιχῶμεν) Habe ad hæc *Salmaſii* verba ex lib. de Modo uſurarum p. 518. Is enim cum erudite obſervaſſet, *ςοιχεῖν aliud eſſe, quam ςείχειν, cum ςοῖχος ſit ordo, ut in choro & militia, & is, qui ordinem ſervet, & in eo ſervando cum ſequentibus & præcedentibus conſentiat, nec extra ſeriem, in qua collocatus ſit, divertat, ςοιχεῖν dicatur*, hæc denique ad noſtrum locum ſubjungit: *Vetus Interpres vertit:* Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. *Nimirum accepit ςοιχεῖν pro ςείχειν, & pro περιπατεῖν, ut ſupra, πνεύματι περιπατεῖν. Perperam. Rectius* Syrus *Paraphraſtes* conſentire *reddit. Nec aliter* Ægyptius *vetus.* Arabs, *qui eum interpretatus eſt:* Et ut conſentiamus cum eo, quod eſt ſpiritus. *Erpenii Interpres vertit, quaſi legerit utrumque hortandi modo:* Et ut vivamus nunc in ſpiritu, & ſequamur eum, vel conſentiamus ei in operibus noſtris, quaſi legerit in Græcis: *καὶ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ ςοιχῶμεν. - - Fatendum tamen eſt, qui recte incedit, & rectam viam inſiſtit, ςοιχεῖν dici poſſe, & ſic per verbum* ambulare *non abſurde reddi. Nam qui ſpiritu incedit, vel ambulat, is vere ςοιχεῖ. Στοιχεῖν enim eſt ordine procedere, & rectam viam inſiſtere.* Hæc *Salmaſius.* Memini, præſtantiſſimum *Maturinum Veyſſerium Lacroze*, Armenicarum & Copticarum literarum ſtatorem hodie principem, amicum noſtrum, per literas me docere, Interpretem Coptum & Armenum ita omnino hæc reddidiſſe: *Si vivimus Spiritu, conſentiamus & cum Spiritu.*

Verſ. 26. *Ἀλλήλους προκαλούμενοι*) Provocatio ad pugnas vel reales, vel verbales innuitur. *Homerus* Iliad. έ. id dixit *προκαλίζεσθαι.* Verbo noſtro utitur etiam eodem ſenſu *Demoſthenes* contra Dionyſodorum. Vide utrumque locum in Biblioth. Bremenſi Claſſ. I. p. 257.

CAPUT VI.

VErſ. 1. *Ἐὰν καὶ προληφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι*) *etiamſi præoccupatus fuerit homo aliquo lapſu.* Indicatur lapſus ſeu error quicunque, quo homo circumventus ſit ante, quam ſentiat. Rectiſſime B. *Lutherus:* **ſo ein Menſch etwan von einem Fehl übereilet würde.** Ita *Herodianus* lib. II. c. 15. *τοῦτον ἠθέλησεν ὁ Σεβῆρος σοφίσματι προλαβὼν οἰκειώσασθαι. Hunc aſtu occupare atque ſibi adjungere volebat Severus.* Confer Cl. *Elsnerum* pag. 198. *Grotius* & poſt eum *Hombergius* in Parergis pag. 283. per *deprehenſum* interpretatur ex *Sapient* XVII. 17. eo quidem ſenſu, ut ad eum reſpiciatur, qui ante, quam Pauli epiſtola ad Galatas venerit, in aliquo delicto, nempe eorum, quæ ante dicta erant, præſertim *διχοςασίας*, aut hæreſeos, fuerit deprehenſus. Adplaudit his *Amelius* **in der Erörterung** Parte I. pag. 162. Sed illa quidem nec amplitudinem vocis exhauriunt, nec Pauli inſtituto reſpondent, qui in his non tam ad ante facta reſpicit, quam commonſtrat, quomodo & nunc & inpoſterum in illos agendum ſit, qui vel inſcii, vel incurioſi, vel ſaltem non ſponte ſua, in vitium aliquod ſint prolapſi.

Καταρτίζετε τὸν τοιῦτον) Verbum καταρτίζειν multis ab arte chirurgica petitum videtur, ut idem ſit, *quod membrum luxatum reconcinnare, ſive loco ſuo reponere, & adaptando rurſus componere.* Vide huc poſt *Bezam* & *Strigelium, Thomam Gatakerum* in notis ad Antoninum XI. 18. pag. 403. *Galenus* καταρτισμὸν vocat μεταγωγὴν τῶν ὀςῶν ἐκ τῦ παρὰ φύσιν τόπυ εἰς τὸν κατὰ φύσιν. Confer ejuſdem *Gatakeri* Adverſaria Miſcellanea cap. VI. *Eduard. Leigh* in Critica Sacra, *J. C. Dietericum* in Antiquitt. Biblicis N. T. Parte II. p. 428. qui hanc notionem contra *Henr. Stephanum* recte tuetur, tum vero *Jac. Lydium* in Agoniſticis Sacris p. 126. Ille quidem primum fere pro voce athletica habet, per quam lapſus refici jubeatur. Deinde vero pag. 127. ita ait: *Et certe cum Apoſtolus agat de prolapſo in peccatum, qui, inſtar membri luxati, in priſtinum ſtatum ſit reſtituendus, verbum iſtud admodum conveniens eſſe non eo inficias. Theodoretus* exponit per διορθῦσθε, ςηρίζετε, τὸ ἐλλεῖπον ἀναπληρῦτε. Compara *Svicerum* Tom. II. p. 60.

Ἐν πνεύματι πραότητ☉) Vide eundem Svicerum p. 546.

Σκοπῶν σεαυτὸν) Tranſitus hic fit a numero plurium, καταρτίζετε, ad ſingularem, quod non offendere debebat vel *Hieronymum* olim, vel alios poſt eum, adeo, ut de idiotico ſermone hic cogitarent. Similes Græcorum Scriptorum locutiones plena manu attulerunt *Stolbergius* in Exercitatt. Gr. L. p. 53. *Gatakerus* ad Antoninum IV. 19. pag. 154. & *J. C. Schvvarzius* de Solœciſmis Diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 106. ſqq. Latinis eaſdem frequentari oſtendit *Elsnerus* p. 198. qui videri jubet Cl. *Burmannum* ad Quintiliani Inſtitutt. Orator. IX. cap. 2. *Jo. Daviſium* ad Ciceronem de Natura Deorum lib. I. cap. 19. & *Cortium* ad Salluſtium in Catilin. c. 56.

Verſ. 2. Ἀλλήλων τὰ βάρη βαςάζετε, ϗ ὕτως ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τῦ Χριςῦ) Lege Rev. *Henr. Clauſingii*, Theologi Lipſienſis dexterrimi, diſput. de impletione legis Chriſti per portationem oneris alieni, Lipſ. 1730. Confer *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 119. & de portandis mutuo oneribus *Andr. Schottum* in Adagial. Sacr. p. 126.

Τὸν νόμον τῦ Χριςῦ) Evangelium *Chriſti legem* non niſi hoc loco a Paulo appellari tradit *Lockius*, ideo, quod Judæi legem quandam ad ſalutem neceſſariam eſſe putarint. Enimvero Paulus non indicat hic Evangelium, ſed de eadem lege amoris loquitur, quam V. 14. inculcaverat. Eam vero hic *legem Chriſti* appellat, non quod primus eam tulerit, aut quod ad Evangelium pertineat, ſed quod eam inprimis urſerit. Vide *Joh.* XIII. 34. 35. &c.

Verſ. 3. Εἰ γὰρ δοκεῖ εἶναί τι, μηδὲν ὢν) Ita *Arrianus* Diſſ. Epictet. II. 24. p. 258. δοκῶν μέν τι εἶναι, ὢν δ' ὐδείς. Hunc & alios locos lege apud *Raphelium* in Annotatt. Polybian. p. 532. Confer ſupra ad II. 2. & 6. Adde *Vitringæ* commentar. ad Jeſaiæ XXIII. 13. p. 686. qui ſubintelligit μέγα ex *Actor.* VIII. 9. & ſimiles Scriptorum phraſes affert.

Verſ.

Verſ. 4. Τὸ δὲ ἔργον ἑαυτȣ̃ δοκιμαζέτω ἕκαςος) Lege *Svicerum* Tom. I. pag. 936. *Schottum* in Adagial. Sacris pag. 127. & *Gatakerum* ad Antoninum X. 37. pag. 381.

τὸ καύχημα ἕξει) i. e. gloriandi materiam vel argumentum habebit.

καὶ ȣ̓κ εἰς τὸν ἕτερον) Sic *Polybius* p. 1415. jubet μὴ τὰς τῶν πέλας ἁμαρτίας ἴδια προτερήματα νομίζειν, *non ex alienis erratis gloriam captare*, obſervante *Raphelio*. Totum comma illuſtrat Vener. *V. E. Læſcherus* **in edlen Andachts-Früchten**, p. 352. ſqq.

Verſ. 6. Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχȣ́μενος τὸν λόγον τῷ κατηχȣ̃ντι) Lege *Auguſt. Herman. Franckii* Obſervationes in loca aliquot Scripturæ vernaculas, p. 164. ſqq. Ille quidem τὸ κοινωνεῖν de *communione* accipi vult, quæ inter doctores & diſcentes *in omnibus bonis operibus* intercedere debeat, atque hoc ſenſu ultima verba, ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, ad vocem proximam κατηχȣ̃ντι, non autem ad κοινωνείτω vult referri, quod Interpretes alias faciunt, & largitionem opum inprimis, ad ſuſtentationem docentium neceſſariarum, indicari contendunt. Provocat ad *Grotium*, tanquam ὁμόψηφον. Talis vero Grotius non eſt, nec hoc conſilio ὑποςιγμὴν poſt vocem κατηχȣ̃ντι tolli voluit. Ait enim: *de rebus omnibus bonis participem faciat doctorem ſuum.* Κοινωνεῖν, *ut Latinum* participare, *dicitur & de dante*, *ut* Rom. XII. 13. Phil. IV. 15. *& de accipiente*, *ut* Rom. XV. 27. *Reſpondet Hebræo* חבר. *Ἐν hic valet* per, *per omnes res bonas*, *i. e. non per alimenta tantum*, *ſed & alia obſequia & officia. Vide* 1. Cor. IX. 11. 1. Tim. V. 17. *Neceſſe erat dici hoc Galatis*, *quia illi novi Doctores non accipiebant a Chriſtianis*, *ſed a Judæis.* Non dubito, recte hæc a *Grotio* & aliis dici. Ita ex veteribus accepit *Chryſoſtomus*. Τȣτέςι, inquit, πᾶσαν ἐπιδεικνύσθω περὶ αὐτὸν δαψίλειαν. Τȣ̃το γὰρ αἰνιττόμενος ἔλεγεν ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Μηδὲν γὰρ ἔςω τȣ̃ μαθητȣ̃, φησιν, ἴδιον, ἀλλὰ πάντα κοινά· μείζονα γὰρ λαμβάνει ἢ δίδωσι, κ̀ τοσȣ́τῳ μείζω, ὅσῳ τῶν γηΐνων τὰ ἐπȣράνια ἀμείνω. Nec verba, ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, conjungi ἀμέσως poſſunt cum voce κατηχȣ̃ντι. Neque enim Græci dicunt κατηχεῖν ἔν τινι, ſed κατηχεῖν τινά τι, vel κατηχεῖν περί τινος. Vide *Luc.* I. 4. & *Act.* XXI. 21. 24. Eodem modo paſſive κατηχημένος τὴν ὁδὸν τȣ̃ Κυρίȣ dicitur *Act.* XVIII. 25. Hinc *Henr. Stephanus* in Theſauro Tom. I. p. 1484. ait: κατηχῶ σε τȣ̃το, *inſono tibi hoc*, *inſono tuis auribus -- adeo*, *ut* κατηχῶ *perinde ſit*, *ac ſi dicas:* viva voce dico, ſeu erudio. Idem poſt hæc hujus ſtructuræ exempla ex profanis Scriptoribus affert. Nec obverti poteſt, quod Suidas ex Piſide affert, κατηχῶν ἐν μάχαις. Id enim eſt, non, *inſtituens in præliis*, ſed, *adhortans in præliis*, ſcil. exiſtentem. In noſtro loco itaque poſt κατηχȣ̃ντι intelligi debet ἀπὸ κοινȣ̃, τὸν λόγον, quæ vox præceſſit. Ceterum, τὸ κατηχεῖν de inſtitutione quacunque, non autem ea, quæ fit in fundamentis doctrinæ, h. l. accipi oſtendit *Svicerus* Tom. II. p. 70.

Verſ. 7. Θεὸς ȣ̓ μυκτηρίζεται) Μυκτηρίζειν eſt, naſo adunco ſuſpendere, μυκτὴρ *eſt naſus*, *quod* irriſionis ſedes *eſſet*, *unde* σιλλοὶ *&* ſileni *naſo adunco* σκωπτικοὶ & σιλλαίνειν, *de quibus erudite Cl. Hemſterhuiſius* ad Pollucem *lib.* IX. cap.

cap. 8. p. 1132. Ita *Elſnerus* ad h. l. qui exempla hujus verbi ex Scriptoribus affert. Adde illis *Sextum Empiricum* adverſus Grammaticos cap. X. ubi τὸ μυκτηρίζειν recte negat idem eſſe, quod εἰς τὴν ῥῖνα τύπτειν, *naſum ferire*, vel cædere. Confer etiam *Brodæum* in Miſcellan. IV. 32. De ſententia phraſeos lege *Andr. Schottum* in Adagial. Sacris p. 128. qui inter reliqua hæc habet: *Paulus hortatur hic, ut velint iis, a quibus inſtituebantur, erudiebanturque ad res ſacras, victum ſuppeditare, & quia cernebat aliquot ex eis, forte divitibus, qui paupertatem aſtute excuſarent, idcirco admonet. Talis autem excuſatio homini imponi poteſt, non autem Deo, qui omnia ſcit.* Idem videri jubet *Muretum* in Variis Lection. apud quem ejuſmodi aliquid legere non memini. Ceterum paganos & Deos ſuos & eorum ſacra contumelioſe & leviter habuiſſe oſtendit ad h. l. *Amelius* Parte II. p. 170.

ὃ γὰρ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει) Idem & ſimilia huic Scriptorum externorum effata lege apud *Andr. Schottum* in Adagialibus p. 127. *Ezech. Spanhemium* ad Callimachum p. 749. & in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. p. 258.

Verſ. 8. ὅτι ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ, ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν) Lege B. *Theodori Daſſovii* Diſputat. de modis diverſa ſemina ſeminandi, Corollar. IV. *Eleemoſynæ*, inquit, *dicebantur ſeminari apud Judæos, ut legitur in libro* Ir. Gibborim *ed. Baſil.* f. 36. p. 2. *Vnde etiam eleemoſyna vocabatur radix omnis benedictionis ibid. fol.* 13. *p.* 2. *& qui obolum dabat pauperi, ſex dicebatur a Deo benedictiones (tanquam fructum) conſequi, ibid. fol.* 89. p. 2. *Unde Paulus etiam hanc metaphoram videtur eleemoſynis tribuere Gal.* VI. 8.

Verſ. 9. Τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν) Totum comma illuſtrat Vener. *V. E. Læſcherus* in Decimis Evangel. Part. VI. p. 307. & in Andachts-Früchten, p. 679. item *Tarnov.* in Exercitt. Biblicis p. 689. De verbo ἐκκακεῖν lege ad *Luc.* XVIII. 1. *Svicerum* Tomo I. p. 1048. & *J. C. Dietericum* in Antiquitt. Biblicis N. T. Parte II. p. 283. *M. Antoninus* id κάμνειν dicit VII. 74. ubi lege *Gatakerum*, quem & videbis ad V. 6. & VI. 29.

καιρῷ γὰρ ἰδίῳ θερίσομεν) Ita *Polybius*, obſervante *Raphelio*, p. 1003. ait ἐγενήθησαν ἀμφότεροι κατὰ τοὺς ἰδίους καιροὺς τύραννοι Συρακουσῶν.

μὴ ἐκλυόμενοι) *non ceſſaturi, non defatigandi*, i. e. ſine fine. Similiter *Lutherus*: ohne Aufhören. Confer nos ad *Matth.* IX. 36. & XV. 32.

Verſ. 10. Ἄρα οὖν ὡς καιρὸν ἔχομεν) *Prout habemus opportunitatem*; ita *Hombergius* cum *Knatchbullo*, recte. Indicat enim Paulus, quandocunque & quotiescunque occaſio naſcatur aliis inſerviendi, eam eſſe amplectendam. *Polybius* p. 1485. ait: μέγαν καιρὸν ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἔχων, καὶ μεγάλην ἐξουσίαν *maximam opportunitatem & licentiam in Achaia nactus.* Ad hæc verba *Andr. Schottus* in Adagialibus p. 128. externorum recitat præcepta, occaſioni & tempori ſerviendum eſſe admonentia.

ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως) Ita *Julianus* in Fragmento pag. 290. κοινωνητέον οὖν τῶν χρημάτων ἅπασιν ἀνθρώ-

ἀνθρώποις, ἀλλὰ τοῖς μὲν ἐπιεικέσιν ἐλευθεριώτερον. Quod a Paulo eum didiciſſe auguratur Cl. *Elsnerus* p. 200. ſimilem *Hieroclis* in aurea carmina pag. 58. locum promens. Alios habes apud *Gatakerum* ad Antoninum III. 4. p. 97.

Verſ. 11. Ἴδετε πηλίκοις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ) *ecce quantis* i. e. *quam multis literis vobis ſcripſi.* Ita recte *Grotius*, addens, adjectiva magnitudinis pro adjectivis, ad numerum pertinentibus, poni ſolere, quemadmodum & Græcum τόσοι utroque ſenſu uſurpetur. Idem vero, quamvis præeunte *Hieronymo*, errat, quando hæc verba non ad totam hanc epiſtolam, ſed ad ea tantum, quæ inde uſque ad finem leguntur, vult referri. Rectius *Chryſoſtomus*: ἐνταῦθα οὐδὲν ἄλλο αἰνίττεται, ἀλλ᾽ ὅτι αὐτὸς ἔγραψε τὴν ἐπιστολὴν ἅπασαν, ὃ πολλῆς γνησιότητος σημεῖον ἦν. Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ὑπηγόρευε μὲν αὐτὸς, ἔγραψε δὲ ἕτερος - - ἐνταῦθα δὲ αὐτὸς ἔγραψε πᾶσαν. Addit idem cauſam, cur totam epiſtolam ſua ipſe manu exararit, ut nempe omnis νοθείας ſuſpicio ἰδιογράφῳ hoc præcideretur iis, qui dicere alioquin poterant, nonnulla illi eſſe inſerta, quæ Apoſtoli ſententiæ non reſponderent. Quomodo vox πηλίκος ad ſequentia tantum verba, quæ non ita multa ſunt, referri poſſint, nullus video. Longius autem a vero aberrant, qui τὸ πηλίκος ad deſignandam *characterum*, quibus uſus ſit, *magnitudinem* ſpectare putant, ut πηλίκα γράμματα ſint literæ majuſculæ. Ita poſt *Heinſium*, *Carol. le Cene* in *Projet d'une nouvelle verſion* pag. 618. Provocat is etiam ad *Hieronymum* & *Grotium*, tanquam conſentientes. Sed neuter eorum id quidem dixit. In ſententiæ ſuæ præſidium inſuper affert, quod proprie γράμματα inferant *characteres* literarum, non autem epiſtolam. Prius recte quidem monetur. Sic enim & *Ammonius* Grammaticus: γράμμα στοιχείου διαφέρει· στοιχεῖον μὲν γάρ ἐστιν αὐτὴ ἡ ἐκφώνησις, καὶ ὁ φθόγγος, οὐ τὸ γράμμα σημεῖον, ἢ τύπος, σχῆμα. Adde *Diog. Laërtium* VII. 56. & ibi Interpretes. Sed hinc non magis conſequitur, γράμματα in plurium numero non poſſe ſignificare epiſtolam, quam Latine *literas* de epiſtolis non dici. Addit, Apoſtolum hanc epiſtolam non potuiſſe appellare πηλίκην reſpectu *longitudinis*, cum longiores ſcripſerit alias. Imo vero ſcriptionem non tam ratione multorum verborum, quam quod eam totam ſua manu ſcripſerit, qui alias ceteris pauca quædam ſubſcribere conſueverit, longam appellat. Præterea hæc ad Galatas, ſi tres priores & unam ad Hebræos exceperis, reliquas omnes longitudine antecedit. Cl. *Zornius* tamen in Programmate de Philoſophiſmis N.T. p. 8. eandem amplexus eſt ſententiam, in quam p. 9. urget, πηλίκα ab *Heſychio* explicari per διάφορα, i. e. ut ipſe quidem interpretatur: *Quæ reliquis majora ſunt.* At *Heſychius* varias voci ſignificationes tribuit: πηλίκον, οἷον, ὁποῖον, ποταπὸν, διάφορον. Quid vero nos jubet, ultimam illam ceteris h. l. præferre? Imo, ſi eam admittamus, quid eſt cauſæ, cur διάφορον illud ad characterum, non autem epiſtolæ ipſius, tanquam ἰδιογράφου, magnitudinem referamus. Denique non intelligo, cur Paulus ultima illa commata ſua manu majoribus literis exarare voluerit, vel, ſi voluerit, cur mirabundus ipſe legentibus illarum magnitudinem

cum admiratione ſpectandam commendaverit. Atque eadem cauſa eſt, cur nec *Chryſoſtomum* ſequar, qui per τὸ πηλίκον non μέγεθος, ſed ἀμορφίαν τῶν γραμμάτων, *deformitatem characterum* indicari cenſet. Idem videtur voluiſſe *Vulg.* vertens: *qualibus literis.*

Τῇ ἐμῇ χειρὶ) Exempla præſtantium virorum, qui epiſtolas ſua manu ſcriptas, ab aliis pro pignore vel amoris vel zeli ſui haberi voluerunt, affert *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 606.

Verſ. 12. Ὅσοι θέλουσιν εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ) *Quicunque volunt ſpecioſi apparere in carne*, vel, *juxta carnem.* Εὐπρόσωπος alias *formoſum* & *amabilem* denotat, ſicut apud *Ariſtophanem* Pluto 976. & alibi μειράκιον dicitur εὐπρόσωπον. Deinde, *quodcunque ſpecie ſe commendat*, *ſpecioſum.* Sic λόγοι εὐπρόσωποι ſunt *ſpecioſi ſermones* apud *Demoſthenem* pro Corona p. 334. Confer *Lucianum* Apolog. pro mercede cond. pag. 505. & Hermotimo pag. 583. Hæc erudite docet Cl. *Elsnerus* pag. 200. Quod ad poſteriorem ſignificatum attinet, *Strigelius*, illius ad h. l. memor, ait, εὐπρόσωπα *argumenta apud Rhetores vocari popularia & plauſibilia : εὐπροσωπῆσαι aſſentatores dici, qui alludunt ad affectus principum aut vulgi.* In fidem affert *Herodotum* Polymnia p. 228. vel p. 500. edit. Stephani, ὑπεκρίναντο μὲν οὕτω εὐπρόσωπα, *Corcyræi hanc plauſibilem ſpeciem præ ſe ferebant.* Quem locum Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 522. amplius illuſtrat. Similiter *Philoſtratus* de Vitis Sophiſtarum l. 18. §. 2. εὐπροσώπους λόγους *ſpecioſos ſermones* dixit. Prioris vero ſignificatus meminit *Suidas* Tom. I. pag. 904. Εὐπρόσωπος, εὐπροσήγορος *qui eſt læto & hilari vultu*, *ſeu comis*, & mox, εὔμορφος, *formoſus.* Ad utrumque ſignificatum Paulum reſpexiſſe putat Cl. *Elsnerus* pag. 200. *Itaque hi*, inquit, *Pſeudo-Apoſtoli ſpecioſi apparere volebant* in carne, *i. e. læte lauteque vivere,* μὴ διωκόμενοι τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ. *Alii eadem opera amabili ſeſe ſpecie commendare aliis, quibus faciliorem, nec adeo Judæis inviſam moleſtamque religionem ſuadebant, quomodo* Chryſoſtomus εὐπροσωπεῖν ἐν σαρκὶ, *exponit*, εὐδοκιμεῖν παρ' ἀνθρώποις. Ad poſterius crediderim Paulum hic tantum reſpexiſſe, atque id innuere voluiſſe, quod falſarii illi Evangelii auram popularem tum Judæorum, tum Ex-Judæorum, inſtitutis ceremonialibus adhuc inhiantium, captarint. Id ut credam, eo adducor, quod τὸ εὐπρόσωπον & εὐπροσωπῆσαι de lauta vivendi ratione, ſine qua ſane vultu & ſpecie *formoſus* aliquis eſſe poteſt, nuſquam adhibitum inveniam. Deinde Paulus per ἐν σαρκὶ non ſimpliciter ad *corpus* hic reſpicit, ſed ad ſæculares rationes in univerſum, & inprimis ad carnalia legis Moſaicæ inſtituta, quæ voce σαρκὸς aliquoties tum in hac epiſtola, tum alias indicare conſuevit. Hinc v. 13. ait, eos, qui Chriſtianos adhuc circumcidi velint, gloriam ex eorum *carne* i. e. ſuſcepta circumciſione, captare. Itaque in illa *Chryſoſtomi* interpretatione malim acquieſcere. Atque hanc expreſſit B. *Lutherus* noſter ita interpretatus: **die ſich wollen angenehm machen nach dem Fleiſch.** Interim εὐπροσωπεία illa pro ſcopo habebat lætam lautamque vivendi rationem & immunitatem a perpeſſionibus, ex prædicata

cruce

cruce Chriſti metuendis, quod Paulus innuit, dicens, μόνον ἵνα μὴ τῷ ςαυρῷ Χριςȣ διώκωνται. Sic *Philip.* III. 19. ait: ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν. Vides hic delicias carnis ſeu fugam vexationum, & vanæ gloriæ affectationem, ſeu εὐπροσωπείαν & καύχησιν conjungi.

Verſ. 14-16. illuſtrantur a *Jo. Henninges* in Diſſertatt. Exeget. Parte II p. 73. ſqq.

Verſ. 14. Ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι, ἐι μὴ ἐν τῷ ςαυρῷ τȣ Κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ Χριςȣ) Lege B. *Caſp. Læſcheri* diſſertat. de gloriatione Chriſti Paulina, Witteb. 1697. & *Seb. Schmidii* myſterium gratiæ divinæ p. 406.

Ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο) Ita *Polybius*, obſervante *Raphelio*, p. 973. ὧν μηδενὶ γένοιτο πεῖραν ὑμῶν λαβεῖν.

Ἐι μὴ ἐν τῷ ςαυρῷ) Per *crucem Chriſti* hic non *lignum ſignumve crucis*, cui in Papatu non modo expiatio peccati, ſed & medela morborum, & ſanctificatio rerum præternaturalis ſuperſtitioſe tribuitur, ſed per metonymiam ſubjecti, tam hic, quam 1. *Corinth.* I. 17. 18. II. 2. &c. *crucifixionem & mortem Chriſti* intelligi recte monuit *Mart. Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tomo I. p. 316. Atque hoc ſenſu capienda omnino ſunt verba in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 1102. ubi de ſignaculo crucis agitur, ita concepta: *Crux Chriſti certa ſecuritas, piorum gloria*, Gal. VI. 14. *unctorum merito & doctrina Chriſti, quod ipſum nomen indicat, & ritus primorum Chriſtianorum, ſignaculo crucis frontes terrentium, ut eſt apud* Tertullianum.

Δι' ȣ ἐμοὶ κόσμος ἐςαύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ) Paulum hic inter cetera ſignificare mutuum contemtum, quo res mundi in ſe & ipſe in res mundi feratur, obſervarunt Interpretes. Vide inprimis *Amelium* Parte I. p. 57. Paulus ſcilicet mundum ſibi ſpeciem cadaveris, ex furca ſuſpenſi, referre ait. Huc fortaſſe pertinet illud *Ignatii:* ὁ ἐμὸς ἔρως ἐςαύρωται, *amor meus* (ſcil. in mundum) *crucifixus eſt.* Ita ſane verba accipi voluit *Thomas Smithus* in epp. Ignatii p. 101. approbante *Amelio* l. c. Vide, quæ præterea de his verbis monet *Svicerus* Tom. I. p. 446. & II. p. 153.

Verſ. 15. Ἐν γὰρ Χριςῷ Ἰησȣ ȣ̓́τε περιτομή τι ἰσχύει) Vide ſupra ad V. 6. ubi eadem exſtat ſententia. Unde mirum eſt, *Millium* in Proleg. §. 884. approbare hic potuiſſe Interpretis *Æthiopis*, *Syri*, & Patrum quorundam lectionem, qui ſimpliciter legunt: ȣ̓́τε περιτομή τι ἰσχύει. Vide *Whitbii* Examen p. 68. Inſpice præterea *Seb. Schmidium* de Imagine Dei p. 250. & Spanhemii Dubia Evangelica Part. III. p. 720.

Verſ. 16. Καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τȣ́τῳ ςοιχήσȣσιν) *Quicunque ſecundam hanc regulam incedent.* Scilicet κανὼν externis quoque Scriptoribus *regulam* & *normam* infert, ad quam quis & *ſententiam* & *vitæ rationes* componat. Nubem exemplorum in utramque partem produxerunt viri eruditi, nominatim *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 180. *Jac. Elsnerus* pag. 201. & *Cornel. Adami* in Obſervatt. p. 400. ſqq. Afferemus ex Elsnero unum & item alterum locum. *Euripides* in Hecuba v. 602.

ὅιδεν τόγ᾽ αἰσχρὸν, κανόνι τῷ καλῷ μαθών.

Novit quod turpe eſt, ex regula honeſti cognoſcens. Hierocles ἀληθείας κανόνα dicit pag. 124. quemadmodum *Iſidorus Peluſiota* lib. IV. Ep. 114. τὰς θείας γραφὰς dicit κανόνα τῆς ἀληθείας. Idem *Hierocles* Apoſtolicam phraſin pag. 126. ita exprimit: ἐςώσῃ τῇ γνώμῃ πρὸς τοὺς θείους κανόνας τὸν ἑαυτοῦ βίον ἀπευθύνει *mente intenta ad divinos canones vitam ſuam dirigit.* Ita prorſus & *Lucianus*, a Boſio productus, in Reviviſcentibus pag. 407. Ἐι τις μὴ παραβαίνοι αὐτὰ, μηδὲ διολισθάνοι, ἀλλ᾽ ἀτενὲς ἀποβλέπων εἰς τοὺς κανόνας, οὓς προτεθείκατε, πρὸς τούτους ῥυθμίζοι καὶ ἀπευθύνοι τὸν ἑαυτοῦ βίον. De verbo ςοιχεῖν, voci κανόνι aut ſimilibus, v. c. ἴχνεσι, πνεύματι, συνηθείᾳ, φορᾷ, φιλοσόφοις, in *conſectandi* ſenſu juncto, lege quæ ſcripſi ad *Rom.* IV. 12. & præſtantiſſimum *Fabricium* noſtrum ad Sext. Empiricum, contra Grammaticos I. 10. pag. 255. Scriptores Eccleſiaſticos κανόνα nunc Scripturam Sacram, nunc religionem quoque Chriſtianam appellare, tralatitium eſt, & idoneis locis commonſtratum a *Svicero* Tom. II. pag. 37. *Valeſio* ad Euſebium IV. 23. & VII. 30. p. 156. & *Cornel. Adami* in Obſervatt. p. 400. Nec dubium eſt, hinc *canonem Scripturæ* dici cœpiſſe, quam in rem lege Rev. *Jo. Frickii* Commentationem de cura Eccleſiæ veteris circa canonem Scripturæ Sacræ p. 43.

Sunt, qui phraſi hac Paulum alluſiſſe putant ad curſores veterum, quos ςαδιοδρόμους vocabant. Illi enim a *linea* quadam præſcripta curſum auſpicari ex æquo ſolebant, quam Latini *lineam albam*, item *regulam*, Græci vero, ut *Pauſanias* lib. II. Eliac. & *Pollux* III. 3. κανόνα appellant. Lege in hanc ſententiam *Jo. Fellum* in notis ad *Clementis* Romani ep. I. ad Corinthios §. 7. & *Cornel. Adami* l. c. p. 401. Alii malunt Architectonicam ſpectaſſe Apoſtolum. Inter hos ſunt *Halenius* & *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris p. 33. quibus tamen nonnulla opponit *Adami.* *Steph. le Moyne* interim pro Hebraica phraſi habet in notis ad Varia Sacra p. 926. *Sic,* inquit, ὁδὸς *Chriſtiana eſt religio Chriſtiana, & doctrina Evangelica. Via Ægypti, Aſſyriæ, eſt religio,* דרך *conſuetudines, dogmata Ægyptiorum & Aſſyriorum. Via Samariæ eſt religio & traditiones Samaritanorum. Sic etiam* ὁδὸς ἀληθείας *eſt religio vera & orthodoxa. Ideo Chriſtus ſe vocat, & religionem ſuam, viam. Sic apud Hebræos* דרך *ſumitur pro doctrina. Et ideo Doctores Judæi tractatus dogmaticos ſuos ſæpe dividunt in* הלכות *in vias & inceſſus, & in* בבות *portas &c.*

Longe aliam viam ingreſſus eſt Cl. *Georg. Ludov. Oederus* in Programmate ſingulari, quo natalem B. Lutheri orationibus celebrandum, Onoldi 1730. indixit. Is enim ita antecedentia quædam ut & noſtra verba interpretatur: *Apud Chriſtum Jeſum non jam quæritur, utrum circumciſus aliquis ſit, an minus? modo ſit tota mente mutatus i. e. regenitus. Quicunque ergo in hoc canone meo,* in his terris, *quibus ego evangelium annuntiavi, porro pergent, his Dei gratiam & miſericordiam apprecor. Mihi non eſt cur quis porro moleſtiam creet, ego enim mox ex hac terra abiturus ſum beata morte, cujus prænuntia vulnera, qualia Chriſtus paſſus eſt, toto corpore accepi.* Τὸν κανόνα itaque

que vir doctus accipit, de *terris*, *tractibus & regionibus*, in quibus Paulus, tanquam in admenſo ſibi ſpatio, Evangelium prædicarit, ideo præcipue, quod Apoſtolus eandem notionem huc voci ſupra 2. *Corinth.* X. 13. 15. 16. tribuerit, nec diverſus ſignificatus hoc loco admittendus videatur. *Nam*, inquit, pag. 5. *ubi conſtat, auctorem aliquot locis voce aliqua certo ſenſu uſum eſſe, quid æquius, quam cenſere, & in reliquis locis eundem auctorem eandem vocem eodem ſenſu accipi velle, niſi manifeſtis rationibus contrarium evinci poſſit?* Jam quod ad 2. *Corinth.* X. 13. attinet, ſupra oſtendimus, ſignificatum, quem vult, obtinere. Sed ideo tamen non efficitur, alium ab illo heic admitti non poſſe. Quid, quæſo, ſi hoc ponas, fiet de tot aliis vocibus, quibus Scriptores Sacri in eadem orationis ſerie diverſas ſignificationes tribuerunt? Quid de vocibus λόγος, σάρξ, πνεῦμα, quas duas poſtremas Apoſtolum diverſa omnino ratione adhibere vir doctus nunquam negaverit. Nec ſufficit, Apoſtolum eandem ſignificationem uno eodemque loco in epiſt. ad Corinth. voci ter ſubjicere. Id enim mirum non eſt, cum ibi in eodem argumento perſiſtat. Sufficit, eundem Apoſtolum alibi alium ſignificatum amplexum eſſe, v. c. *Philip.* III. 16. quem Cl. *Oederum* non felicius, quam hoc loco factum eſt, ad ſuam ὑπόθεσιν pertrahere, infra oſtendemus. Effecturus aliquid erat vir doctus, ſi illa ſignificatio vocis κανὼν, qua *regulam* ſive κανόνα infert, adeo infrequens eſſet, & ceteris Scriptoribus vel Eccleſiaſticis, vel externis ignorata. Talem vero non eſſe nec ipſe, nec alius quiſquam negaverit. Imo vero largitur, jam *Clementis Romani*, Viri Apoſtolici, ætate, *vocem hanc in uſum tropicum flexum eſſe, atque* limitati *aliquid &* terminis ſuis deſcripti *ſignificare.* Ita enim Clemens epiſt. I. ad Corinth. §. 41. ἕκαστος ὑμῶν, ἀδελφοὶ, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω θεῷ ἐν ἀγαθῇ συνειδήσει ὑπάρχων, μὴ παρεκβαίνων τὸν ὡρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτοῦ κανόνα ἐν σεμνότητι. Quod Interpres ita reddidit: *Unusquiſque veſtrum fratres, in ſuo ſtatu gratias Deo habeat, in bona conſcientia degens, non transgrediens præſcriptam muneris ſui regulam in honeſtate.* Suo ſcilicet quemque officio, quod inſtar regulæ & normæ ſibi præſcriptæ habere debeat, ſe continere vult Vir ſanctiſſimus, atque eam in rem ante §. 40. provocaverat ad ordinem a Deo in V. T. tum *ſacris rebus*, reſpectu ſtatutorum temporum, tum *perſonis ſacris*, Sacerdoti nempe Summo, Sacerdotibus gregariis, Levitis denique præfinitum; quemadmodum poſt allata verba ſacrificiorum meminit, quæ non omni loco, ſed Hieroſolymis tantum offerri fas erat. Sicut itaque olim ſua ſingulis munia aſſignata erant, ita S. Clemens ſuas quemque partes obire, easque pro *norma* præſcripta habere præcipit. At habet vir doctus, quod objiciat iis, qui *regulam aliquam dogmaticam hic intelligant, quam ſequentes gratia & pax maneat.* Ait enim, nec totam ad Galatas epiſtolam, nec verba proxime præcedentia: *in Chriſto nec circumciſio aliquid valet*, &c. pro *canone* haberi poſſe. Largior & ipſe prius, quamvis non ex ea ratione, quam ipſe attulit. *Nam totam*, inquit, *epiſtolam bene longam* CANONEM, *quæ vox ubi regulam ſignificat, breve aliquid deſignat,*

quis dixerit? Improbandi igitur maxime fuerint, qui ex veteribus & recentioribus totam Scripturam Sacram *canonis* nomine appellant. Id vero factum video a *Chryſoſtomo* homilia XXXIII. in Acta, & a *Clemente Alexandrino* Stromatum VI. pag. 676. Κανὼν ἐκκλησιαςικὸς ἡ συνῳδία ϰ ἡ συμφωνία νόμȣ τε ϰ προφητῶν τῆ κατὰ τὴν τȣ̃ Κυρίȣ παρȣσίαν παραδιδομένη διαθήκη. Omitto alia loca, a *Svicero* & *Frickio* ll. cc. allata. Similiter *Joſephus*, Apoſtolicæ ætati proximus, lib. II. contra Apionem pag. 1072. ὅρον ἔθηκεν αὐτὸς ϰ κανόνα τὸν νόμον ait, atque adeo legem divinam totam canonem vocat. Sed, quod dixi, nolim & ipſe τὸν κανόνα de tota hac epiſtola accipere, ideo, quod Apoſtolus per vocem τȣ́τῳ ad comma proxime præcedens digitum quaſi intendit, quemadmodum & eodem ſumma eorum, quæ in ſuperioribus tractaverat Apoſtolus, continetur. Sed inſtat vir doctus: *Illa proxime verba, etſi probe obſervanda, non tamen* regula *ſunt, ex cujus præſcripto incedendum ſit, neque enim dicitur: quid credendum faciendumve ſit, ut in regulis fieri ſolet, ſed nude exponitur, quid apud Deum valeat.* Quidni autem aſſertio aliqua *regula* ſit, quocunque demum modo efferatur, modo ita comparata ſit, ut ad eam & ſenſa animi, & vitæ actiones componere poſſimus? Nonne vero effatum Paulinum tale eſt? Nonne conſequitur, ſiquidem apud Deum nec circumciſio aliquid valeat, nec præputium, ſed tantum nova creatura; circumciſionem non eſſe pro inſtrumento Deo placendi habendam, præputium autem non in ſe vilipendendum, novæ vero creaturæ indolem conſectandam eſſe? Excipit denique vir doctus: *Quod ſi Apoſtolus omnibus ex regula viventibus pacem apprecari voluiſſet, non* futuro *tempore, ſed* præſenti, *eſſet uſus, quo pertinet* Syriaca *verſio, quam non ſatis accurate* Imman. Tremellius *reddidit:* Et qui juxta hanc ſemitam incedunt. *Non attendit ad vocem* שׁלמין; Syrus *igitur ita tranſtulit locum:* qui hac via abſolvunt, *i. e. qui me excipient & ſequentur in hoc munere. Hinc & vale quaſi dixit, ut ex mundo abiturus.* Subtilior eſt omnino, quando in forma temporis *futuri* præſidium expoſitionis ſuæ quærit. Non latet ipſum, & Hebræos & Græcos Scriptores, inprimis Sacros, *futuro* tempore uti ſolere, tum alias, tum præcipue, ubi agitur de re, quæ perpetuo tenenda eſt, & quæ non minus in præſenti quam futuro tempore fieri debet. Vide v. c. *Geneſ.* II. 10. *Pſalm.* I. 2. & *Rom.* III. 30. Compara *Glaſſii* Grammat. Sacr. lib. III. Tract. III. Can. 49. Hinc B. *Lutherus* tanquam in *præſenti* convertit; **und wie viel nach dieſer Regel einhergehen.** Imo Interpretes, quos vidi, tantum non omnes, v. c. *Clericus* & *Beauſobrius*, in verſionibus ſuis Gallicis. Ponamus autem, ſignificationem temporis futuri hic tenendam eſſe, nonne vel ſic Apoſtolus pacem precari potuiſſet iis, qui regulam hanc impoſterum animo & vita ſint expreſſuri. Scribebat ad Galatas, quorum nonnulli normam hanc hactenus neglexerant, alii autem, non admoniti, eorum exemplo neglecturi erant. Eos igitur Apoſtolus a priſtinis inſtitutis avocaturus, certos eſſe jubet divinæ gratiæ illos, qui aliam inpoſterum viam ſint ingreſſuri. Cumque alii inter ipſos procul dubio viæ, ab Apoſtolo

ante

ante oſtenſæ, adhuc inſiſterent, illis quoque idem votum impertit. Atque hoc credo *Syrum* voluiſſe, quando, ut cetera modo adducta taceam, in præſenti convertit. Eundem vero ea mente id feciſſe, quam vir doctus tenet, tum mihi patiar perſuaderi, ubi ipſe ſuam interpretationem argumentis dignioribus, vel aliis, vel mihi approbarit. Nihil itaque eſt, quod receptæ expoſitioni adverſetur. Sunt autem viciſſim, quæ novam illam viri docti evertant. Eſtne aliquid, quæſo te, in tota Paulinæ orationis ſerie, quod vel ſpeciem præferat, Apoſtolum hic de *canone ſuo*, i. e. *terris illis*, *quibus ipſe evangelium annunciarit*, loqui, & velle, ut alii eodem modo in illis pergant? Certum eſt, Apoſtolum de terris & regionibus, tanquam ſibi in munere Apoſtolico divinitus definitis, nullam feciſſe mentionem. Cur itaque nos de illis cogitabimus? Num vero illis, qui Apoſtolum in docendi munere ex Cl. *Oederi* ſententia ſequi debebant, in iis tantum, quas ipſe obierat, Evangelium ita annunciare oportebat, & non item in aliis, quas Paulus vel non viderat, vel tantum eminus quaſi ſalutaverat? Quid porro eſt, quod credere nos faciat, Apoſtolum hic *vale* quaſi *dixiſſe*, tanquam mox *ex hac terra beata morte abiturum?* Id ſane *ςίγματα* ſeu *vulnera* corporis commemorata non efficiunt, quæ alio conſilio Paulum huc advocaſſe mox videbimus. Si denique ad doctores votum Paulinum tantum pertinet, cur adjunxit Apoſtolus, *καὶ ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ*, quæ vir doctus in interpretatione ſua omittere non debebat. Hæc enim jubent precationem hanc ad omnes referre, qui normam præſcriptam conſectentur.

Vide jam, quam egregie toti epiſtolæ, cui colophonem nunc impoſiturus erat divinus præco, verba v. 15. conveniant, ſi ea pro *norma* aliqua tanquam perpetuo obſervanda, Galatiſque & omnibus aliis præſcripta accipiamus. Apoſtolus id per totam epiſtolam urſerat, non eſſe amplius in fœdere gratiæ ſtandum inſtitutis ceremonialibus, & ſpeciatim circumciſione, ſed juſtitiam noſtram in Chriſto, per fidem apprehenſo, quærendam eſſe. Monuerat vero etiam, ſalutarem hanc doctrinam de libertate Evangelica in licentiam carnis abripi non debere c. V. 13. quo fine in ſequentibus & a vitiis avocat, & ad virtutes graviter & copioſe cohortatur. Nonne, his poſitis, manifeſtum eſt, ipſo hoc commate 15. ſummam ante dictorum exhiberi, totamque tractationem convenientiſſime pio voto obſignari reſpectu eorum, qui huic normæ, tum fidei, tum morum, inhæreant? Ad errores cavendos pertinet; *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, οὔτε ἀκροβυστία*, ad fidem vero genuinam, & vitam fide dignam cetera, *ἀλλὰ καινὴ κτίσις*.

Abſit itaque, ut deſeramus communem expoſitionem, quæ & phraſi ipſi, & contextui ſermonis reſpondet, imo antiquiſſimorum, ut recentiores taceam, auctoritate ſe tuetur. Ex his vide inprimis *Chryſoſtomum*, *Theodoretum* & *Oecumenium*. *Theodoretus* ait: *Κανόνα ἐκάλεσε τὴν προκειμένην διδασκαλίαν, ὡς εὐθύτητι κοσμουμένην, καὶ μήτε ἐλλεῖπόν τι, μήτε περιττὸν ἔχουσαν.* Regulam *vocavit propoſitam doctrinam, ut quæ rectitudine ornetur, & nihil*

habeat, quod ſit mancum vel ſuperfluum. Oecumenius ita reddit: ὅσοι τῷ κανόνι καὶ τῇ διδαχῇ ταύτῃ ἀρκεσθῶσι. *Quicunque in hac regula & doctrina acquieſcent.*

Fuerunt, qui de *canone*, quem vocant, *interno* ſermonem hic eſſe contenderent, nominatim *Godofr. Arnoldus* & *Chriſtianus Democritus*, ſeu *Dippelius*. Contra hoc diſputat B. *Jo. Fechtius* in commentatione de Canone interno, externo & Scripturario oppoſito, Roſtoch. 1707.

εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος) Ad hæc *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 926. ingenioſe quidem, ac minus, ſi quid judico, vere ita commentatur: *Videtur hoc eſſe ad Hebræorum* אשר incedere, *unde* אשרי *quaſi* greſſus *recti & beati, qui recta ad ſcopum tendunt, & collimant.*

καὶ ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ) i. e. *& ſuper Iſraelem*, non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum; quo ſenſu vocem *Iſrael* interdum accipi oſtendit ex *Mechilta* Abarbanel in *Jeſ.* XLIV. 5. fol. 68. Confer *Altingii* Schilo V. 2.

Verſ. 17. Τοῦ λοιποῦ) Deeſt ἀπὸ & χρόνου *poſthac, ex hoc tempore*, quod recte monet Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis pag. 254. Ita *Xenophon* Oecon. p. 669. τοῦ λοιποῦ τοιοῦτον μὲν οὐδὲν πώποτε ἔτι ἐπραγματεύσατο. *Ex eo tempore nihil ejuſmodi unquam inſtituit.* Similiter *Herodotus* lib. I. p. 87. & lib. VI. p. 385. eodem obſervante in Herodoteis p. 523.

κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω) *moleſtiam mihi nemo exhibeat*, vel, *negotium faceſſat*, aut, *me vexet*. Satis ſcilicet habebat ærumnarum Apoſtolus, quas doctrinæ Chriſtianæ cauſa, a Chriſti hoſtibus illatas, patienter ferebat, & indigna fuiſſet res, ſi ab illis, qui ipſi nomen Chriſti profitebantur, cumulus acceſſiſſet. Hinc provocat ad ϛίγματα Ἰησοῦ, non autem, quod Cl. *Oederus*, ceu modo obſervatum eſt, contendit, ut mortem, tanquam ex vulneribus illis ſibi imminentem, ominaretur.

ἐγὼ γὰρ τὰ ϛίγματα Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαϛάζω) Stigmata illa Jeſu vexationes omnes, ob doctrinæ Chriſtianæ profeſſionem & publicum præconium exantlatas, denotare nemo, quem ſciam, adhuc dubitavit. Confer Biblioth. Bremenſ. Claſſ. III. pag. 212. De eo vero inter Interpretes non convenit, quare eas ϛιγμάτων nomine appellarit. Στίγματα enim ſeu *notæ* certæ tum animalibus, tum hominibus, atque inter eos, partim ſacris gentilium initiandis, partim ſervis, partim militibus, partim facinoroſis, partim certo cuidam officio deſtinatis, nunc inuri, nunc inſculpi, nunc inſcribi, nunc alia ratione inprimi ſolebant. De *ſervorum* & *facinoroſorum* notis complures ex antiquitate expoſuerunt, quos præſtantiſſimus *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria, pag. 513. & Cl. *Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tomo I. pag. 461. attulerunt, quibus adde *Jo. Aug. Græbelii* obſervat. de ϛιγματισμῷ veterum tam Græcorum quam Latinorum in Miſcellaneis Lipſienſ. Tom. X. pag. 79. & *Jo. Gottlob Derlingii* diſſertat. de more inurendi ſtigmata.

De

De *militaribus* vero copioſus eſt *Jac. Lydius* de re militari pag. 30. ſqq. Atque ad hæc a Paulo reſpici idem *Lydius* exiſtimat, nec non *Dougtæus* Parte II. Analectorum p. 125. *Jo. Potterus* in Archæolog. Græc. lib. III. cap. 2. & ex noſtratibus *Vrſinus* in Analectis Part. I. p. 91. Ad *vulnera* inprimis militum, alludi *Aringhius* Tomo II. Romæ ſubterraneæ p. 134. cenſet, quod omnino præſtat ſententiæ *Guil. Saldeni* in Otiis Theolog. lib. II. p. 344. de *triumphi indiciis* cogitantis, quamvis idem viſum ſit *Chryſoſtomo* ad h. l. qui Apoſtolum repræſentat, ὥσπερ ἐπὶ τροπαίοις μέγα φρονȣ̃ντα ἢ σημείοις βασιλικοῖς. Hoc ſenſu *Deylingius* p. 336. ait: *Quemadmodum autem diverſorum herorum ſervi ejuſmodi ſtigmatis & notis, fronti aliisve corporis partibus inuſtis, facile dignoſcebantur; ita Pauli vulnera, plagæ & ærumnæ, Chriſti cauſa ſubeundæ, declarabant, ſe fidelem Chriſti ſervum eſſe.* Ad *ſervorum* notas referre malunt plerique, nominatim *Jo. Coccejus* in Operibus ἀνεκδότοις Tomo II. pag. 210. Quomodo hæ *notæ*, ſive *ignominiam* ex judicio ſcilicet imprimentium, ſecum ferre, ſive *militem* aliquem ſtrenuum, ſive denique *ſervum* fidelem repræſentare videantur, ad Apoſtolum accommodari poſſint, diligenter oſtendit Rev. *Salom. Deylingius* in Obſſ. Sacris Part. III. p. 331. ſqq. Mihi quidem illorum rationes ſe inprimis probant, qui ad *notas ſervorum* alludi arbitrantur. Appoſitus tamen etiam videtur *Herodoti* locus de ſervo, ſacris ſtigmatibus notato, quem nefas violare, a Cl. *Elſnero* ex lib. II. cap. 113. allatus: Ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ἠϊόνος, ὃ καὶ νῦν ἐςι, Ἡρακλέος ἱρὸν· ἐς τὸ ἢν καταφυγὼν οἰκέτης ὅτεω ἀνθρώπων ἐπιβάληται, ςίγματα ἱρὰ ἑωϋτὸν διδȣ̀ς τῷ θεῷ, ȣ̓κ ἔξεςι τȣ́τȣ ἅψασθαι. *Erat in eo littore templum Herculis, quod nunc quoque eſt: ad quod ſi quis cujuscunque hominis ſervus confugerit, atque inuri ſibi curet notas ſacras, eum nefas eſt tangere.* Nolim tamen cum *A. Blackvvallo* in Sacred Claſſicks Tom. II. p. 67. aſſerere, Apoſtolum ad illum Ægyptiorum morem & hunc Herodoti locum reſpexiſſe. Adde Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 524. ſqq. Ad phraſin Paulinam proxime accedit illa Alexandri phraſis apud *Arrianum* de Expedit. Alex. VII. 10. 3. nullum teli genus eſt, ȣ̓́γε ȣ̓κ ἴχνη ἐν ἐμαυτῷ φέρω, *cujus in meo corpore aliqua veſtigia non exſtant.* Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 534.

Qui plura cupiat, legat, quæ ad hoc comma dixerunt ex noſtratibus *Vrſinus* l. c. *Dilherrus* in Farragine rituum lib. II. c. 10. *Jo. Baptiſta Hammericus* diſſ. de Stigmatibus Chriſti in corpore Pauli, Hafn. 1701. Cl. *Bucherus* in Antiquitatibus Biblicis p. 255. ſq. & *Pet. Zornius* in Biblioth. Antiquario-Exeg. Tom. I. p. 268. 272. & 461. in notis. Addantur his *Jo. d' Outrein* Heilige Sinnebeelden Tom. II. p. 132. ſq. in Introductione ad illa p. 55. nec non *Cornel. Haſæus* de ςίγματι veterum, Bremæ 1704. qui inde a §. 25. ad finem oſtendit, quomodo ſtigmata *nobilium, perſonarum ſacrarum, militum, ſervorum, facinoroſorum & victimarum* denique ad Pauli perſonam accommodari poſſint.

Denique nec illud hic omittendum eſt, quod *Mich. Manduit*, presbyter quondam Oratorii Pariſienſis, in ſingulari diſſertat. quæ Tom. I. Analyſeos epiſtola-

ſtolarum Pauli gallice editæ pag. 662. ſqq. exſtat, verba hæc non de Paulo, ſed de Galatis ipſis, perſona Pauli accipienda eſſe exiſtimat. Eo enim judice Paulus ad v. 12. oculos hic refert. Ibi vero monuerat, Pſeud-Apoſtolos velle, ut circumcidantur, tum ad evitandas vexationes, & placendum Judæis, tum ad gloriationem de ſignis cruentis, corpori ipſorum per circumciſionem impreſſis. Hos duos fines Apoſtolum ait ſuo exemplo evertere v. 14-16. atque idem ut Galatæ faciant, v. 17. præcipere. Dicere ſcilicet quiſque eorum Pſeudapoſtolis ex Pauli conſilio debebat: *Nemo mihi moleſtus ſit*, (id quod reſponderet τῷ ἀναγκάζειν v. 12.) *ego enim ſtigmata Domini in corpore meo circumfero*, quod oppoſitum eſſet τῷ περιτέμνεσθαι, ſeu *circumcidi*. Senſus foret: ſi qua ſigna ſervitutis adverſus Chriſtum circumferenda ſunt, habeo ſignorum ſatis ex moleſtiis & vexationibus, quas Evangelii cauſa ſuſtineo. Longius hæc petita eſſe nemo non dixerit. Sicut Paulus de ſe loquitur v. 14. & 15. quod *Manduitius* non negat; ita interjecta v. 17. regula, tanquam ex iisdem commatibus conſectarii inſtar fluens, non efficit, ut v. 17. tanquam ad perſonas Galatarum pertinentem, accipiamus. Et num Galatarum quiſque calamitatibus, religionis cauſa perlatis, ita notatus erat, ut dicere poſſet, ſe ſtigmata Chriſti in corpore ſuo portare.

Verſ. 18. Μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν) i. e. *cum parte veſtra nobiliori & ſpirituali, ſeu, cum anima veſtra. Modus loquendi uſitatiſſimus in Eccleſia, qui fluxit ex ſalutatione Apoſtoli.* Ita *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 927. Idem tamen p. 928. addit: *Sed poſſet, nec ſine veriſimilitudine aſſeri,* πνεῦμα *notare perſonam integram, more loquendi Hebræis familiari, qui animam &* נפש *pro perſona uſurpant. Adeo ut dicatur, ſit gratia Domini cum ſpiritu, cum anima tua, i. e.* עם נפשך *cum tua tota perſona. Sicut* נפש *apud Hebræos &* ψυχὴ *apud Græcos ſumitur pro perſona. Sic* πνεῦμα *eodem ſenſu facile poteſt uſurpari, ſicut etiam* σῶμα corpus *pro* perſona *ſimiliter apud Græcos, &* עצם *Hebraice os, ſubſtantia, pro* perſona. *Sic* עצמי ego, עצמך tu, perſona tua, os tuum, corpus tuum, i. e. tu ipſe.

Subſcriptio: Πρὸς Γαλάτας ἐγράφη ἀπὸ Ρώμης, quamvis *Euthalio*, Codd. item Syriacis & Arabicis recepta, ſuſpecta videtur *Jo. Henr. Heideggero* in Hieromnemonico Biblico p. 878. Aliis in ſe vera, quamvis non ab ipſo Apoſtolo profecta. Inter hos eſt *Salmaſius* in Apparatu ad librum de Primatu Papæ pag. 19. qui eam *Romæ* vere ſcriptam eſſe exiſtimat. Plerique tamen pro falſa habent, & epiſtolam non *Romæ*, ſed *Epheſi* ſcriptam eſſe aſſeverant. Inter hos eſt *Lud. Ellies du Pin* Tom. II. Prolegom. Bibl. pag. 49. cui ad A. C. 56. vel initium anni 57. referenda videtur. Cenſentit ratione temporis & loci *Millius* ad h. l. at in Prolegomenis §. 30. ſcriptionem epiſtolæ ad an. 58. refert, locum vero *Troadem* fuiſſe opinatur. Accipe verba ejus ex Prolegomenis: *In itinere verſus Hieroſolymam verſatus D. Paulus alicubi hanc epiſtolam exaraſſe videtur, & quidem Troade fortaſſis, ubi ſeptem dies moratus eſt* (Act. XX. 6.) *poſtquam*

quam in Aſiam veniens comperiſſet, Galatas ad aliud Evangelium οὕτω ταχέως translatos fuiſſe. Audita nempe jam, ut videtur, ab appulſu ejus in Aſiam iſta ἀποστασία, arrepto calamo, propria manu, contra quam factum in aliis epiſtolis (excepta forte una ad Philemonem) totam illam ſcripſit epiſtolam, acrem & objurgatoriam, nomine ſuo omniumque, qui cum ipſo erant fratrum jam Troade, Sopatri, Ariſtarchi, Secundi, aliorum. (Vid. *Actor.* XX. 4. 6.) In argumentum ſententiæ urget verba cap. II. v. 10. ὃ καὶ ἐσπούδασα ποιῆσαι, ex quibus pateat, ipſum epiſtolam hanc poſt miniſterium ſeu ſtudium, quod eleemoſynis pro Eccleſia Hieroſolymitana colligendis impendebat, ſcripſiſſe, dum aoriſto utatur, ἐσπούδασα ποιῆσαι. In notis ad locum urget præterea verba cap. I. 6. quibus ait, mirari ſe, eos οὕτω ταχέως *tam cito* transferri ſe ad aliud Evangelium paſſos eſſe, quod ipſum intra intervallum biennii aut triennii, a quo Paulus eos viderat, factum eſſe exiſtimat. Ex noſtratibus Celeb. *Jo. Alb. Fabricius* in Biblioth. Græca lib. IV. p. 155. ſimiliter eam in itinere verſus Hieroſolymam A. C. 58. paulo poſt exaratam ad Romanos epiſtolam, ſcriptam eſſe cenſet. Pro *Epheſo*, tanquam ſcriptionis loco, propugnant ex noſtratibus D. *Joach. Langius* in Commentatione Hiſtorico-Hermenevtica de vita & epiſtolis Pauli p. 119. *Jo. Chriſt. Herzogius* in diſput. de Subſcriptionibus epiſtolarum Paulinarum §. 11. & M. *Henr. Gottl. Reime* in harmonia Actorum Apoſtolic. & epiſtolarum Paulinarum, quæ exſtat in Bibliotheca Theologica Selecta, vernacula lingua edita, Parte LVIII. p. 892. qui epiſtolam hanc in annum tertium a converſione Galatarum, Chriſti vero 49. refert.

EXAMEN LOCORUM
QUORUNDAM PAULI IN SUPERIORIBUS EPISTOLIS, QUORUM RECEPTAM LECTIONEM
L. M. ARTEMONIUS
IN INITIO EVANGELII S. JOANNIS RESTITUTO INFELICITER SOLLICITAVIT.

ROMAN. I. 4.

CUm intelligam, ſpatii quicquam mihi ſupereſſe, otium meum impendam examinandis illis, quæ *L. M. Artemonius*, i. e. *Lucas Mellerius*, ſive patrio nomine, (quod in iſto ἀναγραμματικῶς latet) *Sam. Crellius*, ad emendandos, vel pervertendos potius S. Pauli in ſuperioribus epiſtolis locos attulit. Homo cetera eruditus eſt, ſecta autem maximam partem *Socinianus*, vel, qui ipſe appellari mavult, *Artemonita*, cum in doctrina *de Satisfactione Chriſti* a Socinianis diſſentiat, quod ipſe in præfatione ad *Initium Evangelii S. Johannis Apoſtoli ex antiquitate Eccleſiaſt. reſtitutum* p. XV. candide profitetur, in ceteris, & inprimis in doctrina de *Deitate Chriſti*, iiſdem ὁμόψηφος. Evolveram librum illum obiter, cum primum ad nos perferretur. Ex quo factum eſt, ut pervolutantis oculos ſubterfugerent loci, præter rem, ſed data opera, ab eo ſolicitati, qui, cum opera hæc ad finem perducta eſſet, aliud quærenti ſe obtulerunt. Conſtat eruditis, *Crellium* in commentatione illa hoc inprimis agere, ut verba S. Joannis cap. I. v. 1. Evangelii obvia, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, ita legenda eſſe evincat: καὶ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος. Nullum ſibi hujus conjecturæ præſidium vel ex Codicibus manu exaratis, vel verſionibus antiquis, vel allegationibus etiam veterum ſuppetere ipſe fatetur. Præcipuam igitur ita ſentiendi rationem in eo collocat, quod, qui illis verbis Joanneis uſi in ſcriptis ſuis ſint, veteris Eccleſiæ doctores, eo conſilio & inſtituto illa attuliſſe ſibi videantur, ut, niſi ita, prout ipſe vult, legerint, nihil, quod ad rem faceret, attuliſſe exiſtimari debeant. Exinde facile intelligitur, quam latum ſibi aperuerit campum, in quo ingenii & acuminis vires explicare poſſet, ſapientius, credo, acturus, ſi perſuaſum ſibi habuiſſet, veri eſſe ſimilius, quod unus alterve Patrum Scripturæ quodam oraculo, loco non opportuno, uſus ſit, quam, quod lectio aliena in omnes omnino Codices, verſiones & allegationes irrepſerit. Non dicam, Crellium Patribus illis præter rem ſapientiorem ſibi videri, ipſos vero in uſu hujus loci prout hodie legitur, eam, in quam tendebant, metam feliciter eſſe adſecutos. Hoc enim egregie evictum dedit Cl. *Pet. Weſſelingius*, qui Academiam Franequeranam induſtria & eruditione ſua cum maxime ornat, in libris duobus *Obſervationum Variarum*, quarum magna pars receptæ lectioni vindicandæ ex Patri-

Patribus ita deſtinata eſt, ut eadem opera intelligatur, Patres non aliter olim legiſſe, iisque, quæ legerunt, verbis recte, & ſcopo ſuo convenientiſſime uſos eſſe. Rectius ſibi procul dubio conſuluiſſet *Crellius*, ſi, quod ipſe in eruditiſſimo *Frider. Adolpho Lampio*, nullo jure, reprehendit, ſibi dictum putaſſet. Quando enim *Lampius* Tomo I. Commentarii in Evangelium Joannis p. 179. verba quædam *Irenæi* ex Latina, quam habemus, verſione emendare inſtituit, noſter inſtitutum ejus hoc judicio proſequitur: *Verba quidem Irenæi, prout ab ejus Interprete reddita habemus lib.* III. *cap.* XI. volens per Evangelii annunciationem auferre eum, qui a Cerintho inſeminatus erat, errorem, *ſolicitat Lampius, & corrigit, ſed eo ipſo cauſæ ſuæ debilitatem oſtendit. Nullam enim re ipſa aliam verſionis Irenæi corrigendæ rationem habet, quam quia hypotheſi ejus novæ contraria eſt.* Ipſum conſtituo judicem, numne *Lampius* in verſione, quæ alias ex comparato contextu Græco, ubi is exſtat, erroris convicta eſt, ſecurius & excuſatius tentare illud potuerit, quod ſibi in contextum S. Joannis Græcum tam audacter ſumſit. Judicet ipſe, an de injuria ſibi facta conqueri poſſit, ſi quis tentatæ, quam vocat, *reſtitutionis* cauſam in δȣλείᾳ τῇ ὑποθέσει collocet? In hoc cum eſſet, facile, qua eſt perſpicacia, intelligebat, lectoribus audax facinus viſum iri, violentas manus verbis illis inferre conari, quæ omnis adhuc probaviſſet antiquitas, & quæ nec Sociniani ipſi, ſi unum exceperis, alia ratione legenda eſſe, vel lecta olim fuiſſe, contendiſſent. Hanc itaque invidiam & indignitatis ſuſpicionem a ſe qualicunque modo amoliturus, ſolicitus fuit de conquirendis locis nonnullis Novi Fœderis, quibus, invitis codicibus omnibus, & repugnantibus aliis antiquitatis præſidiis, ex ingenio hodie medicina afferri debeat. Quo ipſo utrum cauſam ſuam ornarit, an potius ingenium ſuum reddiderit ſuſpectius, aliorum eſto judicium. Nos quidem nunc, quod deſtinavimus, agemus.

Primus, in quem involat, Paulinus locus, legitur *Roman.* I. 4. Hujus enim *veram lectionem nullibi exſtare, adeoque ſolo ingenio emendari debere* exiſtimat. Accipe verba ejus ex Parte I. cap. XLI. p. 214. ex libro, in paucorum manibus verſante, vel ideo a me curate deſcribenda, ut intelligat lector, bona me in auctorem fide agere. *En autem*, inquit, *novum exemplum! illuſtrem nempe locum*, Rom. I. 4. *eſſe mendoſum, nec ullam tamen in aliquo Codice, quod ſciam, imo nec in allegatione Veterum reperiri veriorem lectionem. Dicitur ibi* Chriſtus definitus filius Dei in potentia, ſecundum Spiritum Sanctificationis, ex reſurrectione mortuorum. *Atqui jam ante reſurrectionem a mortuis fuit Filius Dei* in potentia, *ut ex Act.* X. 38. II. 22. *apparet. Atqui jam ante reſurrectionem, cum in mundum mitteretur, a Patre fuit* ſanctificatus, *Joan.* X. 36. *adeoque jam tunc* ſecundum Spiritum ſanctificationis *Filius Dei erat. Unde ergo illa connexio Spiritus ſanctificationis cum reſurrectione demum mortuorum? Denique, atqui jam apud Jordanem verbis illis*, Tu es filius meus ille dilectus, *declaratus, &* definitus, *aut conſtitutus erat filius Dei. Vidit hoc ipſe* Celſus, *ac proinde in ſua infidelitate quærit apud Origenem contra Celſum lib.* I. p. 31. Lavanti tibi apud Jordanem

ais advolaſſe ſpiritum ex aëre: quis - - audivit *vocem e cœlo facientem te Deo Filium?* Τίς ἤκουσε ἐξ οὐρανοῦ φωνῆς εἰσποιούσης σε υἱὸν τῷ Θεῷ; *En clariſſimam* definitionem *& declarationem, quæ eum ante reſurrectionem a mortuis Filium Dei faciebat! Ubi vero legitur in Evangelio, ex reſurrectione aut propter reſurrectionem mortuorum Chriſtus declaratus, aut definitus fuiſſe Filius Dei? Hinc locus iſte Pauli ita omnino diſtinguendus & emendandus eſſe videtur:* περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ (τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης) ἐξαναστάσεως ἐκ νεκρῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. *Verba autem hæc ita vertenda:* De Filii ſui, (facti ex ſemine David ſecundum carnem, definiti Filii Dei in potentia ſecundum Spiritum Sanctificationis) exſuſcitatione (*exſurrectione*) a mortuis, Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Excidiſſe videtur hoc loco poſt vocem* ἐξαναστάσεως (*quæ etiam Philip. III. 11. reperitur*) *vocula* ἐκ *per librarios ſciolos, qui, cum locum Apoſtoli non intelligerent, & vocem iſtam* ἐξαναστάσεως, *tanquam duæ eſſent voces* ἐξ ἀναστάσεως, ex reſurrectione, *legerent, ac proinde ſequentes voces* ἐκ νεκρῶν *ſuperfluas eſſe putarent* (*idem enim* ex reſurrectione, *quod* ex mortuis *ſignificare probat, & Chriſtus alibi* primogenitus ex mortuis *vocatur, quod idem eſt, ac ſi primogenitus* ex reſurrectione *vocatus eſſet,*) *idcirco ſaltem voculam* ἐκ *omiſerunt, ut eſſet* ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. *At vero ſi quid mutandum eſſe putabant, ſatius fuiſſet, voculam* ἐξ *omittere, remanſiſſent enim verba* ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν, *ſenſu ſane commodo. Sed non datum eſt temerariis S. Scripturæ corruptoribus, ut genuino ſenſui Verbi Dei ſublato commodum aliquem ſubſtituant.* Huc uſque *Crellius.*

Hic primo obſervari velim, locum hunc non admodum accommodatum eſſe ad palliandam illam, qua Vir doctus in locum Joanneum graſſatus eſt, audaciam. Ponamus enim, verba illa eo modo, quo ipſe cupit, παρενθέσεως nota a ceteris diſtinguenda eſſe, tale tamen id non eſt, quale quid in locum Joanneum ſibi ſumſit. In hoc enim mutat vocem integram, caſum caſui ſubſtituendo, multo magis vero ſenſum: in illo vero Pauli voces ipſas maximam partem intemeratas relinquit. Conſtat præterea illis, qui codices Græcos veteres, manu exaratos, volverunt, in his παρενθέσεως ſigna fruſtra quæri. Jam vero illa in libris editis recte addita fuerunt. Abſit autem, ut ii, qui primi ea ſigna expreſſerunt, in contextu quicquam mutaſſe exiſtimentur. Contextus ipſe ſibi relinquitur, & intelligi quoque ſine parentheſibus illis recte poterat, ſenſus vero clarior evadit lecturis; quemadmodum hodienum aliorum ſcripta, in quibus interpunctionum ratio interdum negligentius habetur, intelligi, ſed difficulter, poſſunt. Compertum porro eſt, & libri editi teſtantur, parentheſes in primis illis Pauli, ad Romanos ſcribentis, commatibus, aliquoties occurrere. In pleriſque enim libris editis v. 2. & ſqq. ita repræſentantur cum parentheſeos notis. Verſ. 2. (ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις) Verſ. 3. περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ (τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν) Ἰησοῦ Χρι-

Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Verſ. 5. Δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ. V. 6. ἐν οἷς ἐστε καὶ ὑμεῖς, κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ.) Verſ. 7. Πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ, κ. τ. λ. Iſtas parentheſium notas verſiones nonnullæ omittunt, aliæ vero addunt, non quod quicquam in textu mutandum eſſe cenſent, ſed quod ſermonis ſeries, perſpicuitatis cauſa, requirat, & intelligentiæ illius rectius ſic conſulatur. Itaque nihil hic in mentem venit *Crellio*, de quo non alii pridem cogitarint. Duo, fateor, habet præcipua, quæ alii nec ſomniarunt. Alterum eſt, quod parentheſin claudi vult poſt vocem ἐξαναστάσεως νεκρῶν; alterum, quod voces duas ἐξ ἀναστάσεως in unam compingit, & particulam ἐκ ante νεκρῶν infarcit. Quo vero jure, & quam feliciter utrumque fecerit, ex dicendis intelligetur. Nunc quidem mihi ſuffecerit oſtendiſſe, id, quod in Paulino loco tentat Crellius, comparari non omni ex parte poſſe cum eo, quod auſus eſt in Joanneum.

Altero loco oſtendam, nihil cauſæ fuiſſe, cur verba hæc corruptelæ ullius ſuſpecta haberet. Nihil enim efficit, quando Chriſtum ait, jam ante reſurrectionem ex mortuis, & *potentia* indutum, & *ſanctificatum*, & miſſa cœlitus voce Filium Dei *declaratum*, vel, quod ſæpius inculcat, *factum* fuiſſe. Itane vero fieri non poteſt, ut idem *diverſo tempore*, & in *diverſarum perſonarum* gratiam fiat? Scilicet Chriſtus Filius Dei erat ex *natura divina* per generationem æternam, quam naturam h. l. per πνεῦμα ἁγιωσύνης indicari ſupra ad locum hunc oſtendimus, intelligendam vero eſſe ex antecedente phraſi κατὰ σάρκα, *ſecundum carnem*, i. e. *humanam naturam*, patet. Talis autem, nempe ut Filius Dei æternus, cognoſci debebat ab hominibus, in quorum ſalutem a Patre in carnem mittebatur. Itaque neceſſe erat, ut talis eſſe argumentis non inficiandis demonſtraretur. Hoc fiebat ab ipſo editis inſignibus & copioſis miraculis, quæ de *potentia* Divina, ipſi propria, teſtimonium ferebant, *Actor*. II. 22. Fiebat etiam ante a Patre ſub baptiſmum ſuſceptum, *Matth*. III. 17. in gratiam ſcilicet eorum, qui eo tempore vivebant. Repetebatur idem illuſtri illa apparitione, de qua *Matth*. XVII. 5., in gratiam diſcipulorum, ut in ea, quam ingreſſi erant, fide firmarentur. Fiebat denique luculentiſſime, cum præter hoſtium Judæorum, & ipſorum quoque diſcipulorum Chriſti exſpectationem vivum ſe ex morte ſiſteret. Atque hoc argumentum tale erat, quo & Judæorum & Gentilium animi adduci poterant, ut Chriſtum pro vero Dei Filio, & promiſſo Meſſia haberent. Ex quo factum eſt, ut divini præcones in prædicanda ſalutari de CHRISTO doctrina illam ex mortuis reſurrectionem inprimis urgerent. Vide *Act*. II. 24. & 32. XVII. 18. &c. Compara, quæ de horum verborum ſenſu ſupra in his Curis ad locum ipſum a nobis dicta ſunt. Intelligere itaque *Crellius* poteſt, *unde* ſit *illa connexio Spiritus Sanctificationis cum reſurrectione demum mortuorum*. Scilicet priora illa *declarationis*, ſeu potius *demonſtrationis* argumenta ad Judæos, Chriſti tempore viventes, poſtremum vero ad univerſam hominum gentem, cui Evangelica doctrina cum efficacia nuncianda erat,

pertinebat. Excipit Vir doctus, nullibi in Evangelio legi, *ex reſurrectione aut propter reſurrectionem mortuorum Chriſtum declaratum aut definitum eſſe Filium Dei.* Ponamus, fruſtra hanc teſtificationem in Evangelio quæri. Nonne ſufficere ipſi debebat Pauli hoc loco teſtimonium? Nonne Apoſtoli erant Evangelii interpretes? Nonne a Spiritu S. *omnem veritatem edocti* Joh. XVI. 13. ea ad homines perferebant, quæ ipſi antea ex ore Chriſti non ſatis, qua homines erant, habebant perſpecta? Sed ſalva vel ſine hoc res eſt. Nam nec in Evangelica hiſtoria deſunt exempla, quæ Chriſti perſonam, dignitatem & potentiam ex reſurrectione a mortuis inprimis cognoſcendam & æſtimandam eſſe tradunt. Non afferam hic omnia, quæ legi poſſunt in B. *Godofredi Olearii* diſſertatione de Reſurrectione Jeſu Chriſti ad 1 *Cor.* XV. 3. Lipſiæ 1709. habita, & in calce Obſervationum ejus ſacrarum in Evangelium Matthæi recuſa. Dominus ipſe Judæos ad imminentem reſurrectionem ſuam ablegabat *Matth.* XII. 39. cum in miraculis ab ipſo editis acquieſcere nollent, & alia ſcioli requirerent. Thomas, Chriſti diſcipulus, Magiſtrum *Dominum & Deum ſuum* pleniſſima animi perſuaſione profitebatur, quando ex mortuis vivum complecti poterat, *Joh.* XX. 28. Hinc Paulus ait, Deum hominibus omnibus fidem feciſſe, & demonſtraſſe, Chriſtum Dominum eſſe, qui judicaturus ſit hominum genus, poſtquam eum ex mortuis ſuſcitavit. Vide *Actor.* XVII. 31. & compara, quæ in Curis his ad locum allata ſunt. Dubitabitne amplius cum ratione *Crellius*, legi in Evangelio, Chriſtum ex reſurrectione declaratum eſſe Filium Dei? Et vel ſic tamen a ſe impetrare potuit, ut in alia omnia abiret. Mutat in pejus parentheſin, ab aliis rectius conſtitutam, de qua mox videbimus. Mutat etiam voces ἐξ ἀναςάσεως, easque in unam vult compingi, & ἐκ ante νεκρῶν poni, hanc ſcil. librariorum imperitorum vitio excidiſſe exiſtimans, *qui cum locum Apoſtoli non intelligerent, & vocem* ἐξαναςάσεως, *tanquam duæ eſſent voces,* ἐξ ἀναςάσεως, ex reſurrectione, *legerent, ac proinde ſequentes voces* ἐκ νεκρῶν, a mortuis, *ſuperfluas eſſe putarent, idcirco ſaltem voculam* ἐκ omiſerint, *ut eſſet* ἐξ ἀναςάσεως νεκρῶν. Nimis imperitos ſibi fingit librarios, qui voculam ἐκ tantum omiſerint, cum totam phraſin ἐκ νεκρῶν ſuperfluam putarent. Cur, quæſo, quod ſuperfluum putabant, non integrum omittere maluiſſent, & vocem præcipuam νεκρῶν ſartam tectamque ſervaſſent? Deſtituit hic omnino *Crellium* acumen ſuum. Rectius ille rationibus ſuis, quamvis non ex vero, conſulturus erat, ſi ſtatuiſſet, librarios legiſſe & ſcripſiſſe ἐξαναςάσεως, voce una, & τὸ ἐξ ad vocem νεκρῶν referri voluiſſe. Ita enim prodiiſſet lectio, quam ipſe fingit, ἐξαναςάσεως νεκρῶν. Sic Latini æque dicunt *excidere ex gratia*, quam *excidere gratia*, priori illo *ex* ad poſteriorem vocem relato. At cave, putes, librarios hic quicquam mutaſſe, vel omiſiſſe. Eos voces binas ἐξ ἀναςάσεως legiſſe largitur Crellius. At non minus eos legiſſe, quam expreſſerunt, vocem νεκρῶν ſine ἐκ, fatebitur, qui meminerit, ἀνάςασιν νεκρῶν de *reſurrectione ex mortuis* etiam alibi reſpectu Chriſti dici. En tibi Pauli locum *Actor* XVII. 32. Ἀκούσαντες δὲ ἀνάςασιν νεκρῶν. *Dicuntur ibi Athenienſes audiviſſe* ἀνάςασιν νεκρῶν; *atqui audiverant tantum de*

de reſurrectione Chriſti *in terminis Paulum diſſerentem.* Verba habes Cl. *Jo. Weſſelii* in Diſſertationibus Sacris Leidenſibus pag. 430. Nec repugnat hoc Græcæ linguæ rationibus. Accipe *Eraſmi* verba in h. l. *Porro*, inquit, *ſi quem etiam ille ſcrupulus habet, quod juxta noſtram ſententiam Græca præpoſitio fuerit addenda, ἐξ ἀναστάσεως ἐκ τῶν νεκρῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, huic reſponderi poteſt, præpoſitionem, quæ præceſſit, facile repeti poſſe, præſertim cum eadem fuerit repetenda, & vel ob hoc omiſſam videri poſſe. Deinde paſſim apud Græcos omitti præpoſitiones ἐν, σὺν, κατὰ, ἐξ, ἀπό. Id quod hic quoque fit mollius propterea, quod ἀνάστασις vim obtineat præpoſitionis, & motum a loco quopiam ſignificet. In quod genus verbis* Latini *quoque non infrequenter omittunt præpoſitionem, ſi libeat, ut* ſurrexit terra, & ſurrexit a terra; dejecit cœlo, &, dejecit e cœlo. Recte pronunciaſſe Eraſmum de frequenti Præpoſitionum, & ſpeciatim τοῦ ἐκ, omiſſione, copioſe docuit *Lamb. Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ. Neque eſt, quod obvertatur Petrinus locus 1 epiſt. I. 3. *δι᾽ ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν.* Id enim argumento eſt, plene ita dici & ſcribi poſſe, quod nemo negaverit. Cauſa vero etiam in promtu eſt, cur Petrus τὸ ἐκ hoc loco addiderit. Obſcurior enim & impeditior futura erat dictio, ſi ſcripſiſſet *δι᾽ ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ νεκρῶν*, tribus ſcilicet Genitivis eadem ſerie ſe excipientibus, quorum proinde extremus ad lucem & ornatum ſermoni conciliandum a prioribus duobus erat diſtinguendus.

Vidimus adhuc, nihil fuiſſe, quod Crellium permovere debuerit ad ſollicitandam receptam verborum Pauli lectionem. Jam oſtendendum fuerit, verbis ita lectis ſenſum idoneum conſtare. Id enim vero variis argumentis in dubium vocare conatur Vir doctus. *Quid enim*, inquit pag. 315., *hoc eſt, Filius Dei* ex reſurrectione *mortuorum? Chriſtus non poterat dici* Filius Dei ex reſurrectione mortuorum, *quia unius perſonæ aut hominis, unius Filii Dei reſurrectio, non potuit vocari reſurrectio* mortuorum, *in plurali. Si hic Filium Dei ex reſurrectione deducere voluiſſet, dixiſſet procul dubio* Filium Dei ex reſurrectione a mortuis. Atqui poſtremum hoc etiam in recepta hodie & genuina lectione dixit Apoſtolus, quod ex modo allatis apparet. Itaque non opus eſt, ut cum *Hammondo* vocem νεκρῶν per enallagen numeri pluralis pro ſingulari de *uno* Chriſto, tanquam olim mortuo, interpretemur. Nec neceſſe nunc habemus in genuinum ſenſum loci Philip. III. 11. εἰς τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν, eorumque Crellianam interpretationem inquirere. Id enim inpoſterum ſuo loco, cum ab hoc alienum ſit, rectius & opportunius fiet, quod de aliis locis *Actor.* XXIV. 15. & 1 *Cor.* XV. 20. quos ex occaſione hic affert *Crellius*, in Curis his factum eſt.

Inſtat *Crellius* pag. 217. §. III. *Deinde cum Chriſtus, jam ante reſurrectionem a mortuis, fuerit Filius Dei, cur ergo hic, miſſis aliis divinæ hujus filiationis cauſis, tantummodo iſtius meminiſſet, quod Filius Dei eſſet factus ex reſurrectione a mortuis?* Diſtinguere hic primum debebat *Crellius* inter *eſſe*, & *cognoſci*, atque adeo, ut cognoſcatur, *declarari* & *demonſtrari*. Chriſtus

Dei Filius erat *natura*, nec talis vel *fiebat*, vel *fieri debebat*, ſuſcitatione & reſurrectione a mortuis, quod hominum Socinianorum eſt commentum. Contrarium docet Joannes I. 10. ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, ſed mundus illum non cognovit.* Homines ſcilicet non cognoſcebant talem, qualis vere erat. Ut itaque cognoſceretur, opus erat certa *demonſtratione.* Hæc autem ut in aliis argumentis inde a prima nativitate & inprimis tempore miniſterii, quo ſe Judæis potiſſimum tanquam *unigenitum Patris filium* (Joh. I. 14.) ſiſtebat, prolatis, repoſita erat; ita in cumulum denique accedebat reſurrectio ex mortuis, quæ documenta antecedentia omnia obſignabat. De hac *domonſtratione* loquitur Paulus in voce ὁρισθείς. Id ad ipſum locum ſupra oſtendi, & non parum miror, quod *Crellius* de verbi hujus ſignificatione nil quicquam moneat. Ab eo vero procul dubio ſibi ideo cavit, quod alioquin fieri tuto non poterat, ut tam frequenter *filiationis cauſam*, aut *Chriſtum Filium Dei factum eſſe*, lectori etiam cum tædio occentaret. His ita poſitis non obſcura aut e longinquo petenda fuerit reſponſio ad ea, quæ ſequuntur. *Sed minime credibile eſt*, inquit, *Paulum hic Rom.* I. 4. *compendium totius Evangelii ſolenniſſime proponentem, aliis clare in Scriptura expreſſis, & quidem præſtantioribus ac prioribus Chriſti filiationis cauſis, alto hic ſilentio preſſis, aut ſaltem obſcuriſſime indicatis, & leviſſime tactis, hanc obſcuriorem & aliis omnino poſtponendam, & poſteriorem, clare memorare voluiſſe.* Alibi ſcilicet quærit *Crellius*, quod ante pedes poſitum in oraculo Paulino videre debebat, ſi per κυρίας δόξας & opinionem ante cœptam potuiſſet. Paulus Chriſtum θεάνθρωπον filium Dei appellat, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Appellationis hujus reddit rationem, naturam ejus *humanam* commemorans per, κατὰ σάρκα, *divinam* autem per, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης. Per hanc enim phraſin *Deitatem* Chriſti indicari ſupra ad locum ipſum oſtenſum eſt, & ab aliis contra Socinianos diligentius demonſtratum. *Naturam* hanc *divinam* non niſi per generationem ab æterno habere poterat Dei Filius. En tibi veram *filiationis cauſam*, a Paulo h. l. indicatam! Habitabat itaque in Chriſto homine, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, *Coloſſ.* II. 9. Hæc *Deitatis plenitudo* perſtringere debebat certis documentis hominum oculos, ut latentem perſpicerent. Hoc variis fiebat modis, quibus finis denique in his terris imponebatur glorioſiſſima illa ex mortuis reſurrectione. Hæccine adeo obſcura ſunt, ut querendi cauſam juſtam invenerit *Crellius*? Imo vero, num ultimum hoc demonſtrationis genus pro *obſcuriori, & aliis omnibus poſtponendo* recte habetur? Apoſtolos, Chriſtum Judæis & Paganis prædicantes, ad illud inprimis provocaſſe; modo oſtendimus. Caveat ſibi *Crellius*, ne ſapientior ſibi videatur hominibus, quos Spiritu divino actos eſſe non inficiabitur. Nihili eſt, quod idem urget, *nullibi Paulum vel aliquem alium Novi Teſtamenti Scriptorem, Chriſtum factum eſſe Filium Dei ex reſurrectione a mortuis, expreſſe aut in ſpecie docere, vel urgere.* Recte id quidem ait. Qui enim vel Scriptor Sacer alius, vel Paulus dicere

dicere poterat Chriſtum ex reſurrectione *factum eſſe* Filium Dei, quem noverat ab æterno κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης talem fuiſſe? Huic vero non obſtat, quod ut Filius Dei ex reſurrectione *cognoſci* ab hominibus debuerit & potuerit. Hoc Paulus & alii N. T. Scriptores ajunt. Quæ idem de Pſalmo II. a Paulo *Actor.* XIII. 33. allato, inculcat, ea tum ab aliis, tum a me ad h. l. diſpulſa ſunt, ut in his nunc quidem hærere nihil ſit neceſſe.

Objectionem, quam ipſe ſibi format p. 220. alius fortaſſe non erat allaturus. *Dices*, inquit, *juxta vulgarem lectionem & diſtinctionem hujus loci videmus claram inter* τὸ, ex ſemine Davidis, *& inter*, ex reſurrectione mortuorum *oppoſitionem. Si vero legemus unica voce* ἐξαναςάσεως exſuſcitatione, *aut reſurrectione* a mortuis, *verbaque iſta extra parentheſin ponemus, diſparebit iſta oppoſitio, & nihil erit, quod vocibus iſtis* ex ſemine Davidis *in antitheſi reſpondeat.* Niſi alia parentheſi illi, & conjunctioni vocum ἐξ ἀναςάσεως, prout Crellius utramque formavit, obſtarent, tolerari tantiſper poterat. Non vidi adhuc ullum Interpretem, qui phraſes, *ex ſemine Davidis*, &, *ex reſurrectione mortuorum*, ſibi invicem a Paulo opponi ſtatueret, nec intelligo admodum, cur quisquam ita cogitare potuerit. E contra exſtant plures, qui τὸ, κατὰ σάρκα, & τὸ, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ſibi invicem reſpondere exiſtimant, quod totius commatis ſeries & adhibita in utraque formula præpoſitio κατὰ fieri jubet. Prior phraſis *humanam* Chriſti naturam, ex Patribus per Davidis poſteros acceptam, poſterior *divinam*, quæ æternæ ex Patre generationi debetur, indicat. Utraque in Chriſto conjuncta, quamvis altera ab altera diſtincta, ὁρισθῆναι h. e. *demonſtrari* ſeu conſpicua fieri tum aliis momentis, tum inprimis reſurrectione ex mortuis debebat. Oppoſitionem hanc Crellius ipſe ex parte recte agnoſcit, quamvis eam ex præjudicii vitio, adeoque ſua culpa, in alia omnia abripiat. Quicquid hujus erit, umbram ſibi fingit, quam debellet.

Nec vero ſapientiorem ſe præſtat in afferenda & propellenda alia exceptione pag. 220. §. 5. *Dices*, inquit, *cum vero jam ante deſcenſionem de cælo, iſtius Spiritus* ſanctificationis *apud Jordanem, & ante miſſionem in mundum* in potentia, *fuerit Filius Dei propter illam conceptionem ex virtute Altiſſimi in utero Virginis Mariæ, cur ergo, hac ſilentio involuta, illam apud Jordanem factam ſolummodo urget? Reſpond.* (ita pergit) (α.) *hanc conceptionem Paulus hic tacite ſupponit, eo ipſo quod non dicat, ſimpliciter, factum eſſe Filium Dei ſecundum Spiritum; ſed factum Filium Dei ſecundum Spiritum* in potentia; *innuens, antea quidem etiam fuiſſe, aut potuiſſe eſſe factum Filium Dei ſecundum Spiritum, nempe, quoad illam conceptionem miraculoſam, ſed Filium* in debilitate, *& infirmitate magna, & ſimul ſecundum carnem ex ſemine Davidis, & Angelis tunc factum minorem, ac ante deſcenſionem illam Spiritus Sancti apud Jordanem nullas* δυνάμεις, *nulla feciſſe palam miracula.* Quod hic reſpondet *Crellius*, adeo præſidio non eſt interpretationi, ut eam potius majoribus difficultatibus involvat. *Spiritum* enim *ſanctificationis* eo refert,

fert, quod Spiritus S. in Chriſtum, baptiſmum ſuſcipientem, deſcenderit. Primus autem, ni fallor, hominum eſt, qui hanc *ſanctificationem* eo referat, quod ipſum ex parte argumento eſt, explicationem illam, etiam ſuæ ſectæ hominibus, veriſimilem non eſſe viſam. Id igitur agendum Crellio potiſſimum erat, ut eam idoneis argumentis firmaret, & ad eorum reſponderet rationes, qui *divinam* Filii Dei *naturam* per πνεῦμα ἁγιωσύνης intelligendam eſſe recte aſſeverarunt. Id vero nullibi ab eo, hujus tamen interpretationis, in antiquis & recentioribus Interpretibus frequenter obviæ, non ignaro, factum eſſe video, non ſine indicio malæ cauſæ, & diſſimulationis minus candidæ. Porro ait p. 221. *Paulum non ſimpliciter dicere, factum eſſe Filium Dei* ſecundum Spiritum, *ſed factum Filium Dei ſecundum Spiritum* in potentia. Atqui neutrum ait Paulus. Fraudulenter agit Crellius, quando vocem γενομένου refert ad vocem τοῦ υἱοῦ, tanquam *filius factus* dicatur, cum illa vox γενομένου referenda ſit ad ſequentem phraſin ἐκ σπέρματος Δαβίδ. Nonne meminit Crellius, ſe ipſum vocem γενομένου una cum ſequentibus nonnullis a voce υἱοῦ ita ſeparaſſe, ut illam per parentheſin interciperet, & diſtingueret? Quo, quæſo, jure eam nunc huic proxime jungere poteſt? Quod ſi jam τὸ γενομένου, ad ſequentia, ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, pertinet, nonne perſpicuum eſt, τὸν υἱὸν jam fuiſſe, adeoque non demum *factum* eſſe, cum ex ſemine Davidis ſecundum carnem naſceretur, h. e. *humanam naturam* indueret? Nonne itaque Paulus hoc ait, quod Joannes I. 14. dixit? ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο. Num Crellius ratione uti cenſendus erit, ſi hæc ita vertat: *Verbum tunc demum factum eſt, cum carnem aſſumeret?* Itaque Paulus non affirmat ullo modo, *Filium Dei factum eſſe.* Nec affirmat, eum factum eſſe talem ſecundum Spiritum *in potentia.* Voces enim ἐν δυνάμει, in potentia, junguntur in oratione Paulina phraſi, ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ i. e. *qui demonſtratus eſt Filius Dei potenter, efficaciter.* Scilicet Filius Dei ex ſemine Davidis carnem aſſumſit, in carne autem demonſtratus eſt Filius Dei, ſecundum naturam divinam, iis argumentis, quibus reſiſtere nemo cum ratione poſſit, inprimis reſurrectione ex mortuis facta. Hæc eſt Apoſtoli mens. Itane credi poteſt Paulus affirmare, quod Chriſtus Filius Dei *factus* ſit per miracula ab ipſo facta? In ſequentibus nonnulla affert Crellius, quæ, fateor, non ſine indignatione legi, quæque ut hic ipſius verbis repetam, impetrare a me vix poſſum. Summa eſt, Paulum de conceptione Chriſti in utero Virginis aperte agere noluiſſe, quia illa ab Apoſtolis non fuerit prædicata, & Ebionæi, qui Jeſum ex Joſephi ſemine deducebant, in Eccleſia Apoſtolica tolerati fuerint. Idem hoc amplius urget Parte II. cap. XII. & XIII. Nihil in hæc dicam, tanquam quæ Chriſtiano homine prorſus ſint indigna, & quæ nemini temere in mentem venire, aut a quoquam approbari poſſint. Quid denique hoc eſt, ne quid gravius dicam, quam doctrinam de illibata Sanctiſſimi Domini noſtri conceptione & nativitate ſuſpectam reddere hoſtibus? Enimvero, qui CHRISTUM verum Deum negare poteſt, reclamantibus tot diſertis Scripturæ oraculis, illi religio non fuerit, humanæ CHRI-

STI

STI naturæ violentas manus inferre. Denique colorem quærit Crellius, quo verſionem ſuam verborum Pauli ita ab ipſo conjunctorum: *περὶ τοῦ ὑιοῦ ἀυτοῦ ἐξαναστάσεως νεκρῶν*, ornet. Illa vero ita verterat: *de Filii ſui exſuſcitatione a mortuis.* Hanc in rem ita ſcribit pag. 222. *Non mirum eſt autem, quod Paulus hic ſummam totius Evangelii verbis iſtis*, de Filii Dei &c. exſuſcitatione a mortuis, Jeſu Chriſti, Domini noſtri, *complexus fuerit*, *ſeu comprehenderit: nam & infra* cap. X. 9. *dixit:* Si confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. Addit quoque, Paulum ideo apud *Clementem Alexandrinum* cap. X. Excerptorum Valentinianæ doctrinæ *ἀποστολὴν Ἀναστάσεως* i. e. *Apoſtolum Reſurrectionis* vocari. At illa quidem cauſam ejus non juvant. Oſtendere primum omnium debebat, quas haberet has voces ita conjungendi rationes. Monſtrare decebat, hæc, quæ ita conjungit, Græca eſſe. Talia enim non ſunt. Si enim Paulus ita hæc conjungere voluiſſet, ſcripſiſſet omnino: *περὶ τῆς τοῦ ὑιοῦ ἀυτοῦ ἐξαναστάσεως νεκρῶν.* Quando enim Græci Subſtantivum aliquod, vel participium nonnullis vocibus interjectis adhibent, articulum *ὁ, ἡ, τὸ*, qui ad Subſtantivum vel participium illud pertinet, vocibus interjectis præmittere ſolent. Provoco ad illorum judicium, qui vel prima Græcæ linguæ elementa imbiberunt. Sed, ne quid precario dixiſſe videar, ex ipſo hoc epiſtolæ ad Romanos capite I. duo afferam exempla. Verſ. 12. ita lego: *διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως.* Idem verſ. 18. *τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων.* Hæc ſtructuræ ratio hoc magis obſervanda a Paulo erat hoc loco (ſi quidem id, quod Crellius ingerit, voluiſſet) quia quatuor Genitivi diverſi ſe invicem in phraſi, qualem Crellius format, excipiunt: *περὶ τοῦ ὑιοῦ ἀυτοῦ ἐξαναστάσεως νεκρῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.* Legat hæc aliquis, & candide dicat, num, ſi hæc ita in Codice uno alterove exarata legiſſet, non fuiſſet cogitaturus de conſulendis aliis, eorumque ope alteris illis, tanquam depravatis, emendandis? Itaque Græca non ſunt, quæ Crellius nobis obtrudit, adeoque vel eo nomine ipſi relinquenda. Viciſſim legat aliquis verba Pauli, prout in Codicibus omnibus leguntur: *περὶ τοῦ ὑιοῦ ἀυτοῦ (τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, Τοῦ ὁριοθέντος ὑιοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν) Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, Δι᾽ οὗ κ. τ. λ.* Legat, inquam, hæc aliquis, & dicat ſententiam. Num quid in his occurrit, quod impeditum aut a Græcæ linguæ rationibus alienum judicari poſſit? Exinde patet etiam, voces *ἐξ ἀναστάσεως* prave a Crellio compactas eſſe in unam *ἐξαναστάσεως.* Prior lectio habet aliquid in contextu, a quo pendeat, nempe a participio *ὁριοθέντος.* Poſterior nihil habet, ad quod referri poſſit. Neque enim Græcæ linguæ rationes permittunt, ut ad phraſin *περὶ τοῦ ὑιοῦ ἀυτοῦ* referantur.

Non rectius ſibi conſuluit idem, quando præpoſitionem *ἐκ* ante vocem *νεκρῶν* intrudit. Si Græce ſciviſſet, perſpecturus erat, illa non opus eſſe, & vel ſic interpretationem ſuam, niſi alia obſtarent, locum tueri poſſe. Audiat *Eraſmum Schmidium*, noſtratem, Virum omnium judicio *ἑλληνικώτατον*, in

commentario ad h. l. Is ſcilicet convertit: *per reſuſcitationem mortuorum*, eamque accipit de *reſuſcitatione mortuorum*, a Chriſto olim præſtita. Interpretationis ſuæ has reddit rationes. *Poſterius* ἐξ ἀναςάσεως νεκρῶν *non ſignificat* Reſurrectionem a mortuis *paſſivam*, *ſed* Reſuſcitationem mortuorum *activam, quam Chriſtus aliquoties exercuit, quæque Deitatis indicium manifeſtiſſimum eſt. Non enim dicitur* ἐξ ἀναςάσεως ἐκ νεκρῶν, *Paſſive, ſed* ἐξ ἀναςάσεως νεκρῶν. *Ita enim &* ἀνάςασις *pro* erectione *ſeu* ſurrectione (*a ſurrigendo*) *active accipitur Luc.* II. 34.

Nil opus eſt, ut quicquam dicam de eo, quod *Crellius* ἐξανάςασιν non per *reſurrectionem* Chriſti, propria virtute factam, ſed per *reſuſcitationem* a Patre effectam converterit. Ad ipſum enim locum ſupra diximus, cur prior interpretatio hic ſit præferenda. Abundare eum ſenſu ſuo facile patior, cum neutra expoſitio Deitati Chriſti fraudi eſſe poſſit. Conſtat enim, Codicem Sacrum reſurrectionem Chriſti, nunc Chriſto ipſi, nunc Patri tribuere, iis ex rationibus, quæ in Theologorum ſcholis audiuntur.

Quæ intempeſtivo verborum Pauli Critico adhuc obverti, ea & videre is poterat, & diluere debebat ante, quam, re quaſi bene firmata, e longinquo peteret, quæ palliandæ corruptelæ ſuæ inſervire videbantur. Huc refero illud, quod ait, Paulum his verbis, quibus manus intulit, ſummam totius Evangelii complecti voluiſſe, quemadmodum eadem ratione id fecerit *Rom.* X. 9. Gratiſne hæc ita pronunciat? Ponamus vero, rem ita habere, num hæc quicquam faciunt ad confirmandam, quam afferre auſus eſt, novam ex parte pravamque verborum interpunctionem interpolationemque, imo adhuc pejorem expoſitionem? Rogatum ipſum velim, ſi forte hæc legerit, ut meminerit verborum, quæ ſua facit p. 215. *Sed non datum eſt temerariis S. Scripturæ corruptoribus, ut genuino ſenſui Verbi Dei ſublato commodum aliquem ſubſtituant.*

ROMAN. IX. 5.

ACcedamus ad alterum exemplum *loci in mendo cubantis, & ſolo ingenio reſtituendi*, quod inveniſſe ſibi Crellius videtur *Rom.* IX. 5. Audi eum cap. XLII. pag. 223. ſqq. ita perorantem: *Nempe inter prærogativas ac dignitates Iſraëlitarum præ aliis gentibus, ab Apoſtolo Rom.* IX. 4. 5. *enixe enumeratas, & coacervatas, præcipua, atque adeo neutiquam prætermittenda fuit, quod Deus ille Opt. Max. illorum fuerit Deus. Ergo Apoſtolum ſcripſiſſe oportuit* verſ. 5. *ὧν ὁ ἐπὶ πάντων, Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τὺς αἰῶνας, poſt vocem πάντων diſtinctione facta, ut ſit ſenſus:* Quorum *Iſraëlitarum* eſt is, qui eſt ſuper omnes (*prærogativas,*) nempe Deus benedictus in ſecula. Amen. *Atqui nunc per tranſpoſitionem unius literæ, mendoſe legitur,* ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, &c. qui eſt ſuper omnia Deus, &c. *ut titulus* Dei qui eſt ſuper omnia *ad Chriſtum detorqueatur, qui tamen, ut Parte II. cap. III. & ſqq. patebit, nulli-*

libi in Scripturis Sacris Deus *expreſſe vocatur*, *nedum Deus*, *qui eſt ſuper omnes, benedictus in ſecula; imo* Deo *innumeris locis contradiſtinguitur*, *ac proinde hic contradiſtingui debuit omnino. Adeo ut hodiernam lectionem mendoſam eſſe clare liqueat.*

Crellius, fucum lectori incurioſo facturus, primo loco operam dat, ut facinus, quod audet, levius & excuſatius videatur. Perſuadere enim vult legenti, emendationem, quam vocat, in unius literæ transpoſitione potiſſimum poſitam eſſe. Et nihilominus tamen participio ὢν ſubſtituit pronomen ὧν, poſt vocem πάντων diſtinguit, & ſub ea intelligi vult vocem, quæ nulli unquam in mentem venit; cetera denique pro ſubjecto orationis habet, quæ aliis doxologiam complecti viſa ſunt. Transponit itaque verba, aliis accentibus onerat, eadem opera transformat, aliter interpungit, mutat quadrata rotundis. Nullum fere ſupereſt artis Criticæ præſidium, quo non abutatur, & in voces paucas graſſetur, ſingulisque fere novam vim inferat. Credine vero cum aliqua veri ſpecie poteſt, exſcriptores Codicum omnes, auctores verſionum veterum omnes, commentatores denique veteres omnes in ſcriptione & interpretatione vocum paucarum ita dormitaſſe, ut in plerisque earum ad hanc uſque ætatem adeo fuerint hallucinati, adeo nihil viderint? Non poteſt in excuſationem obverti, agi hic tantum de accentibus & interpunctionibus; utrumque vero in primis & antiquiſſimis codicibus deſiderari. Largior hoc tantiſper. Ergone in illis accentibus & interpunctionibus vel retinendis vel mutandis ingenioſo cuique eſſe licet, prout lubet, homini inprimis poſt XVII. a Chriſto nato ſecula inter homines viventi? Itane in primis illis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis, inter doctores etiam Græcos, nemo fuiſſe credendus eſt, cui de nova illa accentuatione & interpunctione quicquam ſuboleret? Tanta hæc mihi videntur, &, niſi fallor vehementer, cordato cuique videbuntur, ut cauſam omnem ſuſpectiſſimam reddant, & vel hoc nomine ſuadeant deſerendam. Nihilominus tamen *Apoſtolum ita ſcripſiſſe*, ſi Crellium audis, *oportuit.* Quæ ratio eſt? Paulus affert prærogativas ac dignitates Iſraëlitarum. Inter eas vero præcipua eſt, quod Deus O. M. *illorum fuerit Deus.* Hæc itaque *non erat prætermittenda.* Quid ſi dicam, eam prærogativam a Paulo primo loco in his verbis commemoratam eſſe, in vocibus, ὧν ἡ υἱοθεσία, *quorum eſt filiatio.* Quos enim Deus in filios ſuos adoptavit, eorum ſpeciali modo Deus eſt. Hinc *Deuteron.* IV. 1. Moſes ait: *Vos eſtis filii Domini*, DEI *VESTRI: non debetis ſtigmata vobis inuri facere.* Quid ſi dicerem, prærogativam illam non debuiſſe diſertis verbis enunciari, cum ex ipſis illis præſtantiæ præ ceteris populis momentis, tanquam argumentis gratiæ divinæ eximiis, per ſe conſequatur, Deum Iſraëlitis olim ſe Deum potentem & beneficum præſtitiſſe? Quid ſi dicerem, Paulum non omnia Iſraëlitarum privilegia enumerare voluiſſe? Omiſit enim hic illud, quod *Rom.* III. 1. 2. *primum* appellat, nempe ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. Quomodo porro Apoſtolum ita hoc loco ſcripſiſſe oportuit, quod in initio commatis quarti jam ſcripſit, imo, quod commata 4. & 5. oratione

tione ſua præſtruunt, & in ceteris involvunt. Supra *Crellius* pag. 221. non obſcure malebat, ut Paulus, *Rom.* I. 4. *Spiritum Sanctificationis* de Chriſto commemorans, conceptionis Domini, ex Maria per Spiritum S. factæ, mentionem injeciſſet. Cum vero eam fruſtra, alieno ſcilicet loco, quæreret, Paulum *eam tacite ſupponere* ajebat. Id rectius & convenientius facturus erat hoc loco, niſi alia omnia quæſiviſſet, quæ ſine hoc figmento conſequi non poterat. Non repetam hic, quod ſupra pag. 178. monui, Paulum, ſi novam hic Judæorum prærogativam afferre voluiſſet, ſcripturum fuiſſe ϗ ἄν.

Res non felicius ei procedit in exponendis vocibus ſequentibus: ὁ ἐπὶ πάντων. Eas ita vertit: *quorum* eſt is, *qui eſt ſuper omnes*, (prærogativas) & addit; nempe *Deus benedictus in ſecula.* En triplicem ellipſin, quam ſtatuit, ut violentam & coactam interpretationem mitiget: *eſt is*, *prærogativas*, *nempe.* Quis unquam vocem ſupplevit in ſermone, quam in antecedentibus vel conſequentibus non invenit, aut quam frequens uſus non ſuggerit? Neutrum horum de voce *prærogativa* quisquam affirmaverit. Si Paulus id, quod Crellius cupit, indicare voluiſſet, ita ſcripturus erat: ὧν, ὃ ἐπὶ πάντων τȣτων, Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τȣ̀ς αἰῶνας. *Quorum, quod omnia illa ſuperat, Deus eſt benedictus in ſecula.* Ita *Lucas* XXIV. 21. in diſcipulorum Emaunticorum ſermone antecedentibus unum aliquod, quod præcipuum illis videbatur, additurus, ait: αλλάγε σὺν πᾶσι τȣτοις τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον. Et, ſi naſum Criticum haberet Crellius, procul dubio ita, ut dixi, verba Paulina refícturus erat. Cur enim religioni ſibi duceret, articulum præpoſitivum ὁ in poſtpoſitivum ὃ convertere, qui eundem poſtponere voci ων, & ex participio ὢν, pronomen relativum ὧν formare auſus ſit? Scilicet non omnibus datum eſt, cum aliqua veri ſpecie corruptelas adfricare codicibus ſacratiſſimis. Jam, quæſo te, lector, compara verſionem verborum, prout hodie leguntur: *qui eſt ſuper omnia Deus, benedictus in ſecula;* cum iſta ex nova lectione exſculpta: *quorum eſt is, qui eſt ſuper omnes* (prærogativas) nempe *Deus benedictus in ſecula.* Nonne in priore illa omnia ſunt expedita, in hac vero omnia contorta & obſcura, quibus nec ſupplementa putatitiarum ellipſium conſulere poſſint?

Inſtat *Crellius*, de CHRISTO hæc verba cum aliis neutiquam accipi poſſe, qui nullibi in Scripturis Sacris *Deus* expreſſe vocetur, nedum Deus, qui eſt ſuper omnes, benedictus in ſecula. Hoc autem eſt nodum ſcindere non ſolvere. Amplior vero hæc eſt diſputandi materia, in quam per inſtituti rationem digredi nunc non licet. Hoc affimare generatim poſſum, eum Parte II. cap. III. ſqq. commentationis ſuæ, ad quam lectorem hic ablegat, nihil in hanc ſententiam attuliſſe, quod a ſectæ ſuæ hominibus non ſit allatum, & ab aliis maſcule profligatum.

Ante, quam ulterius progreditur *Crellius*, duos affert idem ſecum ſentientes, *Guil. Whiſtonum* ſcilicet, & *Jonam Schlichtingium*, illum in ſuis *Three Eſſays*,

Eſſays, in à Collection of the antient Monuments, p. 107. hunc in Commentario ad h. l. Habemus itaque fontes, ex quibus recens editor Anglus Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, ſupra p. 178. commemoratus, conjecturam ſuam hauſit, in eo illis prudentior, quod non temere amplexus eſt, quam codicum MSS. auctoritate deſtitutam videret. Imo nec amplexus eſt *Schlichtingius*, ſed ſatis habuit, eam in medium attuliſſe. Poſtquam enim id fecerat, prudenter ita pergit: *Sed huic conjecturæ duo obſtare poſſint, unum, quod nullius Codicis exemplo, quantum ſcimus, nitatur; alterum quod Scripturæ phraſis non ſit, unum illum Deum ſuper omnia Deum nominare, cum Deo abſolute, vel cum articulo excellentiæ indice nominato, eo ipſo, quod ſuper omnia ſit, ſignificetur.* Prudenter idem hæc omnia ad Chriſtum, ſenſu tamen Socinianis proprio, refert & diſerte ait: *Chriſto rectius hic titulus convenerit, ut intelligeretur, Chriſtum non ſuper quædam tantum, ſed ſuper omnia Dominum ac Deum effectum eſſe.* Hæc adeo diſplicent Crellio, ut p. 225. manus cum eo conſerat, & rerum ſuarum ingeniique ſecurus, modo ſarcaſtice quærat: *Satisne ſerio rem agis, vir acute, Schlichtingi?* modo contemtim exclamet: *At vero quam frivolum eſt, & Schlichtingio indignum iſtud adverſativum*, ſed &c. modo interroget iterum: *quid ineptius proferri potuit?* Si viveret *Schlichtingius*, vereor, ne majori jure hæc in ſinum Crellii ex iis refunderet, quæ eum etiam contra ipſius Græcæ linguæ rationes pro corruptelis ſuis diſputaſſe vidimus. Sed ne longior ſim, non interponam me utrique, modo duo monuero. Alterum eſt, Crellium in ſcriptis Criticorum evolvendis parum verſatum videri; alioquin enim non ſcripturus erat, quæ p. 225., ubi contra Schlichtingium diſputare aggreditur, leguntur: *Atqui* OMNES, *ni fallor, Criticæ artis periti, etiam Scripturam Sacram, ut jam dictum, ſolo ingenio, absque ullius Codicis exemplo, nonnunquam emendari poſſe decernunt; quando nempe emendationem graves cauſæ requirunt, quales ſane hic indicavit Schlichtingius.* Abſit, adeo male cum arte Critica agi, abſit, egregiæ arti hoc dedecus inurere, ut ſtatuatur, OMNES *Criticæ artis peritos* id ſibi in Sacras literas licere arbitratos. Verſatus in Anglia eſt Crellius. Laterene eum potuit, Viros emunctioris naris, nec e fæce vulgi doctorum in *Richardo Bentlejo*, Viro alioquin eruditiſſimo, in publicis ſcriptis hanc licentiam, quamvis in profanos Scriptores potiſſimum exercitam, etiam acerbius caſtigaſſe? Ignoratne, Theologis Anglis vehementer diſplicuiſſe conſilium, quod idem olim de edendo in lucem Novo Inſtrumento ceperat, veritis ſcilicet, ne eadem ingenii libertate in ſacras literas uteretur? Legat, ſi volet, *Whitbium* in *Examine* Novi Teſtamenti Milliani, legat *Leonhardi Twells Examen Criticum* Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, & intelliget, ab illo *Millium*, ab hoc editorem anonymum N. T. frequenter eſſe reprehenſos, quod nunc in recipiendis lectionibus inſolentioribus, quamvis in uno alterove codice obviis, nunc in afferendis novis, faciliores ſe præſtiterint. Dum Cl. *Twelſii* modo memini, operæ pretium duco, ejus animadverſiones in novam hanc lectionem, Editori anonymo oppoſitas, ex Anglico hic Latine exhibere, ut intelligat, ſi auctoritatibus pugnan-

pugnandum ſit, eas nec nobis deeſſe. Vir doctiſſimus Parte II. *Examinis* p. 121. ſqq. ita infit: *Hic locus, puto, nunquam emendatione indigere viſus eſſet cuiquam, niſi hodierna lectio* Supremi Dei *nomen* Filio *vindicaſſet. Hic ſcilicet lapis molaris eſt, Arianiſmi cóllo impoſitus, quem ſectæ hujus homines cupiunt devolutum. Sed fruſtra illi ſunt. Regula enim, ad quam hæc ſpei plena* emendatio *exigitur, nec* idonea *eſt in ſe, nec huic loco* accommodata. *Continuata enim ſermonis ſimilitudine nusquam opus eſt. Apoſtolus phraſin ſuam mutandi initium alicubi facere debebat, & cur non id faceret hoc loco in hodierna, quæ exſtat, legendi ratione? Præterea, ſi hoc principium alias ſtare poſſet, locum certe hic habere non poteſt. Convenientia enim phraſium in proxime præcedente jam interrupta erat. Phraſis enim* ἐξ ὧν ὁ *diverſiſſima eſt a ſequente* ὧν ὁ. *Propoſita igitur emendatio pugnaret cum regula ipſa, cui ſuperſtruitur. Orationem enim parit diſſimilem verbis proxime antecedentibus, & eam loquendi rationem invehit, a qua jam ſemel erat receſſum.* Contra *tranſpoſitionem* vocum, *quæ hic tentatur, id pugnat, quod ſenſus, qui ex illa naſcitur, jam ante efficaciter eſt expreſſus. Verum enim Deum Judæorum Deum fuiſſe, perſpicue indicatum eſt illis verbis:* ὧν ἡ υἱοθεσία. *Ita Grotius hæc verba accipit. Idem, ſuo modo, de ſequentibus Iſraëlis prærogativis dici poteſt. Quod ſi itaque relatio, quæ inter Deum & populum Iſraëliticum intercedit, in prærogativis ante recitatis, tanquam præſtructa latet, in omnes recte ſcribendi regulas peccatum fuiſſet, ſi ultimo loco hujus momenti expreſſis verbis mentio fuiſſet injecta. Hoc vero fieret, ſi emendationi iſti relinqueretur locus. His poſitis, tantum abeſt, ut emendationem hanc pro ingenioſa habeam, ut eandem potius deſerendam eſſe judicem, ſi vel maxime uno alterove Codice MS. firmari poſſet.* Addam in cumulum *A. Blackwalli*, non obeſæ naris Critici, verba, quibus eidem anonymo editori N. T. conjecturam hanc, & *ſermoni Paulino convenientem, & ingenioſam eſſe* exiſtimanti, prudenter remiſit. Accipe ea ex Tomo II. Claſſicorum Sacrorum Anglice ſcriptorum p. 256. ſq. Latine converſa: *Quam ingenioſa ſit emendatio aliqua, a Criticis ſanioribus raro quæritur, frequentius vero, quam firmata ea ſit, quam vera, & quam conveniens Scriptoris ſtilo, atque hic ſpeciatim, quam analogiæ fidei conformis. Qui creduli illi viri ſint, qui eam non difficulter admitterent, prudens lector facile conjectura adſequetur. Licebit vero nobis modeſte interrogare, quot numero, & cujus conditionis Codices modeſti hi Critici requirant, ut ingenioſæ huic emendationi, in honorem approbationis & ſuffragii ſui, locum in contextu Græco largiantur? Num forte duo, aut tres, aut pauci quidam alii viris his, ſtudio partium non addictis, contra reliquos codices, numero longe plures, ſufficerint ad ſententiam pro ea dicendam? Num palmam illi daturi ſunt recentioribus, corruptis & ſequioribus codicibus, præ nobiliſſimis antiquitatis monumentis, quibus auctoritas non inficianda apud omnes conſtat?* Hæc falſe non minus, quam erudite obvertit *Blackwallus* conjectoribus his intempeſtive ſedulis, nec ſatis ingenioſis.

Alte-

Alterum, quod in *Crellii* contra *Schlichtingium* diſputatione obſervandum puto, eo continetur. Provocat pag. 226. ad *Epheſ.* IV. 6. Ἑις Θεὸς, καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, κ. τ. λ. hujusque loci tantam cum noſtro hoc ait eſſe convenientiam, ut alter ex altero explicari debeat, & inprimis ſua illa diſtinctio, qua phraſis ὁ ἐπὶ πάντων, a voce Θεὸς ſeparatur, adſtrui poſſit. Enimvero ipſa illa utriusque loci comparatio Crellii tum corruptelam tum phraſeos ipſius explicationem penitus evertit. Primum enim non poteſt is inficiari, in loco ad Epheſios voces ὁ ἐπὶ πάντων proxime pendere a voce Θεὸς & πατήρ. Itaque neceſſe eſt, ut vi conceſſorum in noſtro loco easdem voces a voce Θεὸς non ſeparet, quod fecit interpoſito diſtinctionis ſigno. Porro phraſin, ὁ ἐπὶ πάντων, ficta vocis alienæ ellipſi, interpretatur, per, *qui eſt ſuper omnes* (prærogativas.) Hoc vero ſupplementum in loco Epheſino admitti poſſe nunquam dixerit, cum, de perſonis ibi ſermonem eſſe, vel cœco appareat. Proinde illud hinc quoque exulare neceſſe eſt. Quod denique hinc efficere cupit, phraſin, ὁ ἐπὶ πάντων, hoc loco de Deo Patre accipiendam eſſe, cum in altero illo ad eundem referatur, id quidem nauci eſt, &, ut ipſius verbo utar, *frivolum.* Chriſtum Κύριον appellari *Epheſ.* IV. 5. & tot aliis N. T. locis non inficiabitur. Ergone vox Κύριος nunquam de Deo Patre accipi poterit?

Ut oſtendat Crellius, Paulum hic Deum, ut *Judæorum Deum*, commemorare diſertis verbis debuiſſe, p. 227. provocat ad *Epheſ.* II. 12. ubi Paulus prærogativas Judæorum non ita accurate, nec omnes, prout hic, recitet, hanc tamen non omittens, quando gentes in hoc mundo ἀθέους fuiſſe profitetur. Id omne in noſtrum commodum verti poteſt, ſi dicamus, Paulum in hoc ad Romanos loco non magis omnes Judæorum prærogativas afferre vel voluiſſe, vel debuiſſe, quam ad Epheſios fecit. Sed non indigemus hac ipſius ope. Apoſtolus ad Epheſios gentes ἀθέους appellans, id ſibi voluit, quod verum Deum non cognoverint. Hoc vero aliud eſt, quam quod Deus ipſorum Deus, ratione ſcilicet gratioſæ & ſpecialis curæ, qua Judæos complectebatur, non fuerit. Itaque nec illo loco privilegium illud Judæorum commemorat, quod Crellius ibi videre ſibi videtur. Eadem pagina elidere conatur, quod ſupra ipſi a nobis oppoſitum eſt, nempe, *prærogativam iſtam in præcedentibus* v. 4. & 5. *jam tacite contineri.* Gratis ſcilicet hoc putat obverti, *cum Chriſtus ex Iſraëlitis, ſecundum carnem exoriturus, jam in* fœderibus *&* promiſſionibus v. 4. *absque dubio contineatur* (Act. II. 30.) *& tamen ejus expreſſam faciat mentionem* v. 5. Interrogare ipſum ipſius verbis liceat: *ſatisne ſerio rem agat?* Si ita argumentari fas eſſet, mirari etiam poteramus, cur Apoſtolus in commemoratione υἱοθεσίας & δόξης non acquieviſſet. Ex his enim momentis cetera omnia conſequuntur, & per ſe fluunt. Jam vero placuit Paulo, non ſolum iſta, ſed reliquorum nonnulla commemorare. Hoc prudenti cuivis debebat ſatisfacere. Teſtor præterea Viri conſcientiam, an non ipſe per ſe intellexerit, υἱοθεσίαν populi Judaici ita proxime inferre, quod Deus illius fuerit Deus, ut alterum ſine altero

eſſe

eſſe non poſſit, quemadmodum Moſes ipſe *Deuter.* IV. 1. in eadem ſerie Deum *Deum Judæorum*, ipſos autem *Dei filios* appellat. Num viciſſim *fœderum* Legis ſcilicet & Evangelii, commemoratio tam prope de eo cogitare quenquam facit, quod Meſſias naſciturus ſit ex Judæis? Num etiam *promiſſiones*, ad gentem Judaicam in univerſum ſpectantes, illam, quæ tribum Judaicam & Davidis ſpeciatim familiam de humana Meſſiæ origine ſpectabat, (*Actor.* II. 30.) tam prope in mentem ingerunt?

Addit p. 228. *Attamen quemadmodum fœdera a promiſſionibus differunt, licet promiſſiones in fœderibus comprehendantur, imo fœdus ſine promiſſione eſſe nequeat; ſic ſaltem differt etiam τὸ, Deum eſſe alicujus, ab illa prærogativa, Patrem alicujus eſſe. Quod ſi ergo inter prærogativas iſtas diſtinctam facit & fœderum & promiſſionum mentionem; ergo & Deum eſſe Deum illorum diſtincte & expreſſe ponere debuit, licet jam eorum adoptionis in filios (Patris cœleſtis) mentionem feciſſet.* Aliquod inter utrumque diſcrimen intercedere nemo negaverit. Sed non majus illud, quam, quod intercedit inter phraſes, *Joannem Crellium avum eſſe Samuelis Crellii*, &, *Samuelem Crellium Joannis Crellii nomen gerere.* Alterum ſcilicet ex altero proxime conſequitur. Quis vero utrumque dixerit eſſe diſerte commemorandum? Et nihilominus tamen, Crellii judicio, Paulus utrumque illud, de quo diſputatur, *diſtincte & expreſſe ponere debuit. En cor Zenodoti! en jecur Cratetis!* Criticos inſolentiores & ex parte naſutulos imitari mihi videtur, qui vel ſuperiore vel noſtra memoria ſcripta veterum pro lubitu urunt & ſecant, plorantibus librariis omnibus, temeritatisque ſuæ cauſam reddituri ingeminant: *ita ſcribere oportuit auctorem.* At in illis quidem hoc audaciæ genus non tulerunt eruditi. Num impune feret Crellius, quod Paulo cogitata ſua tam imperioſe vindicare audet? Sed hæc eſt illa Socinianorum Venus, quam baſiant, vel, ut rectius loquar, hoc eſt offendiculum, quod ſibi ipſis in interpretanda Scriptura Sacra ponunt. Quærunt ſcilicet primo omnium ex ſe, quid ſcriptum eſſe velint. Hoc ubi non invenerint, ajunt: *ita ſcribi oportuit.* Eo præſtructo vel ſcribunt ita, ut volunt, vel, ſi, prout ſcriptum eſt, relinquunt, ita interpretantur, ac ſi ſic ſcriptum eſſet.

Denique pag. 229. pro interpolata ſua lectione, ita pugnat: *Denique ut ὧν ὁ legamus, ſuadent etiam ſequentia* v. 6. & 7. *quæ ita cum hoc quinto commate optime, ſi non unice, connectuntur:* Quorum eſt ille ſuper omnes, Deus nempe benedictus in ſecula. Amen. Non poteſt autem fieri, ut ὁ λόγος ille Sermo Dei: *Ego ſum Deus Abrahami, & ſeminis ejus, quo nempe ſe in æternum Iſraëlis Deum fore promiſit*, exciderit; *id ego Paulus fateor ſane libens. Suſpendi tamen iſta prærogativa potuit, & patitur exceptiones.* Non enim omnes, qui ex Iſraële ſunt, ſunt (*ſemper, aut, ſunt verus*) Iſraël, *cui ſe Deus fore Deum fœdere obſtrinxerat.* Neque, quia ſunt Abrahæ ſemen, ideo omnes ſunt filii, promiſſionis nempe, adeoque filii Dei. *Præmium ergo eorum, qui ſe a Deo generari, in filios adoptari patiuntur, & ſemen promiſſionis ejus admittunt, eſt, quod iſte Pater eorum ſit eorum Deus ratione peculiari. Unde iterum mani-*

manifeſte patet diſcrimen inter Patrem, & inter Deum eſſe alicujus. Aut nihil ego video, & fungus ſum, aut hæc ita impedita ſunt, & tot erroribus ſcatent, ut eorum pudere debeat Auctorem. Quando voces primores ὀυχ οἷον δὲ, per: *fieri non poteſt*, convertit, Græcæ linguæ ignorantiam prodit. Aliud enim eſt Græcis ὀυχ οἷον δὲ, aliud ὀυχ οἷόν τε, ſcilicet ἐστι. Poſterius hoc Græcis ſignificat, quod ipſe vult, non item prius, id quod ſupra ad h. l. obſervatum eſt. Non rectius τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ad ſpecialem illam promiſſionem, Abrahamo a Deo factam, refert. Nullum enim vel in antecedentibus, vel in conſequentibus indicium apparet, ex quo colligatur, Paulum eo reſpexiſſe. Nec ipſe *de illo Dei ſermone* cogitaturus erat, niſi hypotheſi ſuæ ſerviendum cenſuiſſet. Non poteſt ſe recipere ad v. 7. ubi dicitur, ὀυδ' ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραάμ. Illa enim verba non ad priora omnia pertinent, ſed eo tantum ſpectant, ut objectio, quæ fieri poterat, diluatur. Nonne vero magis in promtu eſt, ut λόγον illum in univerſum de verbo Dei, ad Judæos facto, interpretemur? Hæc enim eſt communior vocis acceptio. Nec juvat noſtrum articulus ὁ voci λόγος præmiſſus. Hoc quidem perſuaſum ſibi habuit, atque ideo convertit per, *ſermo ille.* Perperam vero id ab eo factum eſt. Non enim ignorat, credo, ipſe, articulum illum non ſemper eſſe emphaticum, & ſpeciale quidquam indicare. Et, ſi Paulus ad ſpecialem illam, quam affert ipſe, promiſſionem reſpexiſſet, ſcripturus erat, ὁ λόγος τῆς ἐπαγγελίας, quod ait v. 9. addito præterea pronomine demonſtrativo, οὗτος. In hoc autem commate provocat ad τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, h. e. ad Scripturam Dei Sacram, ſeu ad λόγια, ἃ ἐπιστεύθησαν οἱ Ἰουδαῖοι, quod inter prærogativas Judæorum Apoſtolus primo ponit loco *Rom.* III. 2. Atque hæc interpretatio antecedentibus Pauli verbis egregie reſpondet. In his enim, fatente *Crellio*, commemoraverat varias Judæorum prærogativas. Hæ autem non uno aliquo Scripturæ loco, ſed hinc inde diſperſæ, & diverſo tempore Judæis collatæ leguntur. Ad has itaque prærogativas omnes, non autem ad ſpecialem illam de υἱοθεσία Iſraëlitarum, quæ *Crellii* eſt ſententia, Apoſtolus oculos reflectit, hoc omnino ſenſu, non inficiari ſe egregia illa commoda & munera, Iſraëlitis olim a Deo in verbo ſuo collata, ſed id omne non efficere, quo minus nunc quidem illis excidiſſe exiſtimentur, ſalva interim & intemerata verbi divini veritate. Iſta enim omnia dicta eſſe ad Iſraëlitas vere, h. e. ſpiritu, tales, non autem ad Iſraëlitas *carne*, ſeu ortu tales. Hanc eſſe Pauli mentem, ſermonis nexus, per caput IX. & X. continuatus, evincit. Patet etiam, divinum Apoſtolum his verbis ſpeciatim ad illam reſpexiſſe prærogativam, qua Judæi *Iſraelitæ* erant, & dicebantur, & quam mirum quantum jactare conſueverant. Hanc etiam ideo primo loco recitaverat v. 4. Οἵτινές εἰσιν Ἰσραηλῖται. Tantum abeſt, ut reſpectum habuerit ad verba extrema v. 5. ὁ ὢν (vel, quod ipſe ſubſtituit, ὧν) ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Omitto monere, quod ſint, qui illum λόγον Θεοῦ de vaticiniis Scripturæ Sacræ, ad futuram Judæorum incredulitatem pertinentibus, accipiant. De his ſupra ad locum ipſum dixi. Eat nunc Crellius,

 & in-

& ingeminet, hanc, quam fingit, *connexionem* v. 5. & 6. *optimam, ſi non unicam eſſe.* Imo vero non poterat ſomniare pejorem, & alieniorem a verbis Pauli.

Crellius p. 229. ſqq. contra *Eraſmum*, & ipſi ὁμοψήφους diſputare non minus copioſe, quam obſcure, adeoque cum legentis tædio, inſtituit. Diſtinctionem illi plenam fingunt poſt verba: Χριστὸς κατὰ σάρκα, & reliqua, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. tanquam doxologiam ad Deum Patrem referunt hoc ſenſu: *Ille, qui eſt ſuper omnia Deus,* (ſit) *benedictus in ſecula! Amen.* Ad Deum Patrem hæc pertinere Crellius cum illis opinatur, viciſſim vero negat, iis *doxologiam* contineri. Negat autem ideo, quod alioquin illa, quæ pro firmanda corruptela & calumnia loci copioſo, ſed levi, apparatu antea attulerat, ſua mole ruerent, & uno quaſi impetu proſtrata jacerent. Sic enim fieri non poterat, ut p. 226. affimaret, & quaſi præſtrueret, τὸ, quorum ille eſt, qui eſt ſuper omnia, *eſt prædicatum*, Deus in ſecula benedictus, *eſt ſubjectum.* Miror vero, eum hic doxologiam negare potuiſſe. Vel ſola vox ἀμὴν addita convincere eum potuiſſet. Hac enim δοξολογίας obſignari in ſacris literis conſueverunt, nec locum hic habere poterat, niſi verba proxime antecedentia celebrationis inſtar prolata a Paulo fuiſſent. Vox ἀμὴν enim ad illa non quadrat, quæ de prærogativis Iſraëlitarum ante affirmaverat. Hæc enim non in laudem Dei, ſed in prædicandam Iſraëlitarum felicitatem dicebantur. Quando igitur Paulus de Chriſto ait, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. idem eſt, ac ſi ſcripſiſſet, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμὴν, qua formula itidem de Chriſto utitur *Rom.* XVI. 27. Conf. *Hebr.* XIII. 21. & 1 *Pet.* IV. 11. quemadmodum de Patre eadem adhibetur *Philipp.* IV. 20. & 1 *Pet.* V. 11. Vide mihi & mirare Pauli ſapientiam. Verba illa commatis quinti: ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς, τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. ita omnino ſecundum analyſin Logicam ſunt accipienda, ut ſubjectum ſit: Χριστὸς ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, prædicatum vero conſtituant, ὧν (i. e. ἐστὶ) ἐκ τῶν πατέρων κατὰ σάρκα. Hunc Logicum verborum ordinem jam immutat Paulus, & voces, ad ſubjectum Χριστὸς proxime, ratione ſenſus, pertinentes ultimo loco collocat. Quo, quæſo te, conſilio? Nonne ideo, ut eo ampliorem haberet occaſionem, verba hæc ſub doxologias forma proponendi, & conſueta formula ἀμὴν obſignandi? Id enim vero fieri non poterat, ſi verba hæc in media oratione poſita fuiſſent. Sic 2 *Cor.* XI. 31. ait Paulus: Ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οἶδεν, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ὅτι οὐ ψεύδομαι. Vides ibi conſuetam formulam doxologicam, ſed ſine particula ἀμήν. Eam enim non admittebat verborum ſequentium nexus ἄμεσος. Et fuit hæc particula ἀμὴν ſudes in *Crellii* oculis. Ideo enim, quaſi non videret, adeo illius in copioſiore ſua tractatione rationem non habuit, ut eam bis tantum commemoraret. Aut valde ego fallor, aut malæ cauſæ, & animi minus candidi hoc eſt indicium. Cetera, quæ contra *Eraſmum* affert, ad nos non pertinent, quibus hoc tantum negotii datum fuit, ut corruptela Crellii, verbis his intentata, in luce collocaretur. Ad Patrem vero hæc verba referri ex mente Pauli non

non poſſe, quod Eraſmo viſum eſt, tum a nobis ſupra fuit oſtenſum, tum ab illis, quos ibi ad partes vocavimus. Miraberis interim, lector, ſi legeris, quantopere ſe torqueat, & in quas ambages ſe præcipitem det, quando p. 235. negare non poteſt, *Irenæum* jam olim ita legiſſe. Judica vero etiam, quam violente & infeliciter ſe his caſſibus, quibus irretitum ſe probe ſentiebat, expedire conetur. *Apparet ergo*, inquit in notis, *hanc mutationem & transpoſitionem ὧν ὁ in ὁ ὢν jam ſecundo ſeculo in Codice, quo uſus fuit Irenæus, fuiſſe repertam; num vero τῇ ἀβλεψίᾳ & fortuito idiotæ alicujus librarii errori, an vero piæ fraudi alicujus falſarii, ex Juſtini Martyris ſchola profecti, & in pejus proficientis, adſcribendam, definire nequeo.* Nihil ſcilicet penſi habet Crellius, nunc *ignorantiæ* & *erroris*, nunc *fraudis* poſtulare antiquitatem, librarios & veteris Eccleſiæ doctores, modo obtineat, quod quærit. Utinam interim ſui non fuiſſet oblitus, & ſecum habitare didiciſſet! Sed nec ſic deſerendus erat *Irenæus*, quin potius invitus & obtorto quaſi collo in ipſius ſententiam pertrahendus. *Sed cum Irenæus* (inquit p. 235. in contextu) *jam ὁ ὢν hic legerit, & tamen locum iſtum ad Deum Patrem retulerit, nec doxologiam aliquam agnoviſſe videatur, videtur voculam ὧν ex ſuperioribus hic ἀπὸ κοινοῦ repetiiſſe, & ſic locum intellexiſſe: ὧν οἱ Πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, (ὧν) ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, κ. τ. λ.* Quid facias de ejuſmodi conjectore? Irenæus legit ὁ ὢν. Id planum & certum eſt. Sed idem ἀπὸ κοινοῦ repetiit voculam ὧν. Unde hoc liquet *Crellio?* unde illi ſubnatum eſt ſuum *videtur?* Scilicet, Irenæum ita cogitare *oportuit*, niſi Crellio ſtupidus, hebes, bardus haberi vellet. Cave autem, putes, a Crellio inprimis monitus, Paulum non ſcripſiſſe ὧν ὁ. *Cum enim ſimpliciores*, (audis eundem loquentem p. 235.) *in quorum, non ſubtiliorum tantum ingeniorum gratiam, ſcripſerunt Apoſtoli, non ſint idonei ſubintellectionibus formandis; res autem magni momenti eſſet, Chriſtusne an Deus Pater dicendus ſit ſuper omnes Iſraëlitarum prærogativas Deus in ſecula benedictus, &c. omnino* videtur *ipſe Apoſtolus ὧν ὁ ἐπὶ πάντων, Θεὸς, &c. poſuiſſe. Videtur* ipſe Crellius incertus de ſua conjectura fuiſſe, qui ſub finem amplioris commentationis ſuæ, quam ad confirmandam corruptelam ſuam totam omni virium contentione retulerat, tandem in τῷ *videtur* acquieſcat. Prodit idem Junonem ſuam, quæ ipſum ad audendum hoc facinus pellexerit. *Magni* ſcilicet *res erat momenti*, in gratiam plerorumque Socinianorum, locum hunc omnem Chriſto rapaci manu ſubducere, qui, ſi ſtaret, Chriſtum æque, ac alias Patrem, Deum ſuper omnes ſiſteret in ſecula benedictum! At prudentiores ſe præſtiterunt *Schlichtingius*, & *Catechiſmi Racoviani* auctores, qui Sect. IV. 1. locum hunc CHRISTO ſartum tectumque, quamvis calumnia in interpretando perverſum, reliquerunt. Valeat itaque Crellius cum Junone ſua, rem cum fidei ſuæ ſociis conficiat, caveatque, ne iidem ſibi occentent illud: *Næ! intelligendo facit, ut nihil intelligat.*

I. CORINTH. XVI. v. ult.

AUdaciam ſuam ornaturus amplius *Crellius* in locum 1 *Corinth.* XVI. v.ult. ἡ ἀγάπη μȣ μετὰ πάντων ὑμῶν ἐν Χριςῷ Ἰησȣ̃, involat cap. XLVI. p.261. ſqq. Cauſam ſuam ita orditur: 1 *Cor.* XVI. v. ult. *legitur in omnibus Codicibus* ἡ ἀγάπη μȣ, Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu; *ſolus Alexandrinus vocem* μȣ mea *non habet. Et omnino male hic eſſe inſertam probo.* Proxime ante hæc mire paratragœdians quærit: *ſi hic Codex Alexandrinus periiſſet, & in Angliam non perveniſſet, teneremurne, falſam omnium, qui in notitiam noſtram veniſſent, Codicum lectionem retinere, & minime licuiſſet, textum ſolo ingenio corrigere atque emendare?* Tantum itaque tribuit huic codici, ut illum ceteris omnibus, qui adhuc conſpecti ſunt, confidenter opponat; inductionem vero particulæ μȣ pro tam certa & neceſſaria habet, ut illam ſine illius ope ex ingenio faciendam fuiſſe exiſtimet. Jam, quod ad Codicem illum ſpectat, magna quoque ejus apud *Millium* cum antiquitatis, tum curæ & induſtriæ nomine, fuit auctoritas, quod partim ex notis ejus in N. T. partim ex Prolegomenis illi præmiſſis §. 1341. perſpicitur. At alii de eo non ita præclare ſentiunt, inter quos numero Cl. *Jo. Jac. Wetſtenium*, qui in Prolegomenis ad N. T. Græci editionem Amſtelod. 1730. 4. editis, p. 10. ſqq. recte obſervavit, eum hinc inde *mutilatum eſſe, & plurimas exhibere lectiones prorſus abſurdas & falſas, quod conferentibus Varias Lectiones editas non poſſit non liquere.* Imo ipſe *Millius* diffiteri l. c. non poteſt, *præter vitia* γραφικὰ, *& ſcholia, in textum introducta, rara quidem ipſa, textusque vere* ἐξηγητικὰ, *tranſpoſitiones verborum* in eo occurrere. Et *Daniel Whitby* in Examine Variantium Lectionum N. T. Milliani oſtendit, Millium in approbandis illius lectionibus ſæpe faciliorem ſe & nimis credulum præſtitiſſe. Quod ad hunc locum attinet, Millius lectionis *Alexandr.* adeo nullam rationem habuit, ut ſatis habuerit, eam recitaſſe. *Grotius*, qui eodem codice libenter utitur, varietatis illius ne meminit quidem. Cordati itaque Lectoris judicium eſto, ſatisne cauſæ habuerit Crellius, ut illius libri auctoritate & exemplo adduci ſe pateretur ad receptam particulæ μȣ lectionem in νοθείας ſuſpicionem vocandam, imo penitus expungendam. Cumque non magni momenti res foret, ſi in admittenda illa conſentire, veritate coacti, deberemus, palam eſt, receptis hodie lectionibus ſuam conſtare fidem, cum in conquirendis exemplis contrariis tam ſedulum ſe præſtiterit Crellius, & vel ſic ad hunc etiam locum recipere ſe, eventu quamvis fruſtratus, neceſſe habuerit.

Videamus, num rationes, quas affert, examen ſuſtineant. Prima eſt, *quia nullam ſuam epiſtolam Paulus ſuæ propriæ, ſed Dei aut Chriſti charitatis mentione vel apprecatione omnes finire ſolet.* Obſtare huic canoni videt clauſulam epiſtolæ ad *Romanos* XVI. 25. ſqq. ita conceptam: Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς ςηρίξαι κατὰ τὸ εὐαγγέλιον μȣ, κ. τ. λ. Nam in hac charitatis Dei vel Chri-

Chriſti nulla eſt mentio. At aqua illi nunquam hærere poteſt, qui nefas non putat, mutare, tranſponere, auferre denique ea ex Sacro Codice, quæ in rem ſuam non eſſe intelligit. *Hoc ipſum*, inquit, *argumento eſt*, *tria iſta commata ab ipſo Paulo hic non eſſe poſita*, *ſed ex fine capitis XIV. a ſciolis & temerariis hominibus huc translata.* Ita ſentit cum Millio, atque in hanc ſententiam plura diſputat, nihil autem affert, quod a nobis ſupra pag. 295. ſqq. non ſit diſpunctum. Itaque eam diſputationem hic miſſam facere poſſumus. Habet interim Crellius exemplum canoni ſuo contrarium. Ponamus vero illud nobis deeſſe, num idem vel ſic regulam hanc, tanquam certiſſimam, formare poterat? Paucas habemus Pauli epiſtolas a vetere Eccleſia in canonem receptas. Sunt, qui putent, Paulum plures olim ſcripſiſſe, quæ, ut in canonem non receptæ, temporis injuria perierint. Numquid certo affirmaverit Crellius, eas omnes eadem ratione eſſe finitas? Si Paulus alicubi affirmaſſet, ſe ſalutandi formula epiſtolis ſuis colophonem ſemper imponere ſolere, tum quidem haberet, in quo niti poſſet. Id vero nullibi invenerit. Id Paulus tradit 2 *Theſſ.* III. 17. ſe ſalutationis verba ſua manu exprimere, atque hoc vult epiſtolarum ſuarum omnium eſſe indicium & *κριτήριον*. At ſicut non ſemper eadem h. e. iiſdem prorſus verbis concepta ſalutatione uſus eſt, ita nec credibile, ſaltem non certum eſt, eum ſalutatione ejusmodi ſemper etiam *αὐτογράφου* ſui finem feciſſe, ſed, prout res ferebat, nonnulla vel ſua, vel aliena manu, inſtar *poſtſcripti* ſubjeciſſe.

Hujusmodi *poſtſcripti* exemplum ipſum hoc comma exhibet. Neque enim illud ad ſalutationem & *apprecationem*, ſed ad *ſignificationem* & *teſtificationem amoris* pertinet, atque ita eſt convertendum: *amor meus* (eſt) *vobiscum omnibus in Chriſto Jeſu.* In Græco nec ἐστὶ, nec ἤ legitur, alterutrum itaque ſuppleri neceſſe eſt, quod etiam ab omnibus Interpretibus video eſſe factum. Utrum vero horum ſupplendum ſit, ex *περικειμένοις* æſtimandum eſt. Multi, fateor, formulam *optativam* per τὸ ἤ i. e. *ſit*, adhibuerunt; ſed nec pauci *aſſertivam* illam, ἐστὶ *eſt*. Poſteriores hi præeuntem ſibi habent *Chryſoſtomum*, egregium Interpretem, & fontem quaſi eorum, ex quibus Græci, ætate poſteriores, libenter hauſerunt, *Theodoretus*, nominatim, & *Theophylactus*. *Chryſoſtomus* ait: *καὶ γὰρ ἐπειδὴ διειστήκει τῷ τόπῳ, καθάπερ δεξιᾶς τινος ἐκτάσει, ταῖς τῆς ἀγάπης αὐτοὺς χερσὶ περιλαμβάνει, λέγων, ἡ ἀγάπη μου μεθ' ὑμῶν, ὡσανεὶ ἔλεγε, μετὰ πάντων ὑμῶν ἐγώ.* h. e. *Cum enim loco ab ipſis remotus eſſet*, *extenſa quaſi dextra*, *amoris manibus illos complectitur*, *dicens:* amor meus vobiſcum eſt; *quaſi diceret:* ſum vobiſcum omnibus. Idem viſum eſt *Grotio* ita exprimenti: *Ego propter Chriſtum vos omnes ſincere idligo. Et vim habet illa locutio*, *μεθ' ὑμῶν. Dicuntur amicitiæ diſſolvi intervallis locorum. Hoc negat apud ſe fieri: ſe animo ipſis eſſe præſentem*, *res eorum curare.* Ex noſtratibus indicativum ſenſum optativo præfert, ut ceteros taceam, *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Eadem veſtigia premit *Jo. Clericus*, non ingratum ex parte Socinianis nomen, in verſione Gallica. Vertit enim:

Je vous aime tous, en Jéſus-Chriſt. Nec alienus eſt recens interpres Anglicanus, editor N. T. Græco-Anglicani, homo omnino Socinianus. *Preſent my love*, ita interpretatur, *to every Chriſtian among you.* Et habent illi cauſas, cur ita vertant. Accipe earum unam ex ore Chryſoſtomi l. c. Δι' ὧν δείκνυσιν, ὅτι ȣ̓ θυμȣ̃, ȣ̓δὲ ὀργῆς ἦν τὰ γραφέντα, ἀλλὰ κηδεμονίας· ὅπȣ γε μετὰ τοσαύτην κατηγορίαν ȣ̓κ ἀποςρέφεται, ἀλλὰ καὶ φιλεῖ, καὶ περιλαμβάνει πόῤῥωθεν αὐτȣ̀ς ὄντας, διὰ τῶν ἐπιςολῶν καὶ τῶν γραμμάτων τȣ́των αὐτοῖς περιχυθείς. *Quo ipſo oſtendit, ſcriptionem ſuam non ex affectu vehementiori aut ira, ſed ex ſuo in eos ſtudio curaque ſingulari profectam eſſe, quandoquidem poſt vehementem reprehenſionem adeo eos non averſatur, ut potius amet, & remotos etiam epiſtolis ſuis & literis, ipſis quaſi circumfuſus, complectatur.* Eadem repetunt *Theodoretus* & *Theophylactus.* Egregium eſt, cui ſua illi ſuperſtruunt, fundamentum. Frequens in eo eſt Paulus, ut de amore & ſtudio ſuo ſincero Corinthios certos reddat. Id inprimis agit in epiſtola ſecunda ad eos data, v. c. cap. XII. 15. εἰ καὶ περισσοτέρως ὑμᾶς ἀγαπῶν, ἧττον ἀγαπῶμαι & XI. 2. Ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς Θεȣ̃ ζήλῳ. Jam in priore epiſtola ex merito in eos invectus quaſi erat reprehenſionibus, quas ipſi varie provocaverant. Has reprehenſiones nuſquam, qua erat prudentia, quove zelo, temperaverat teſtificatione ſui in eos amoris. Itaque neceſſe putabat, ut illius indicium ſub ipſius epiſtolæ finem faceret, ſive hæc verba ipſe ſua manu poſt ſalutationis formulam expreſſerit, ſive per alium ſubſcribi fecerit. Addo huic aliam rationem non minus idoneam. Credine poteſt Paulus Corinthiis amorem ſuum adprecatus? Nonne in ipſius poteſtate poſitum erat, ipſos amare? Nonne fas erat, ut ipſos amaret, & læſus etiam bono malum vinceret? Nec præter rem additur, ἐν Χριςῷ Ἰησȣ̃. Ita enim profitetur, cur eos vel ſic amet, nempe in honorem & ad mandatum Chriſti, qui inimicos etiam & refractarios amari, & ad agnitionem veritatis ac ſalutem perduci voluerit. Sunt, qui *amorem* de eo accipiunt, quo Paulus a Corinthiis mactari ſe voluerit, quaſi ſcripſerit: *valete, & me amate.* Ita *Eſtius*, olim, tum *Beza*, & recentiores N. T. Interpretes Galli, *Beauſobrius* & *Infantius.* Huic autem interpretationi obſtat phraſis μεθ' ὑμῶν. Expendat hæc, velim, *Crellius*, & ipſe ſibi relictus judicet, num rationem habuerit, cur *apprecationem charitatis* his verbis contineri aſſeveraret, quod facit p. 265.

Ipſi Crellio ſuboluit, hoc cum ratione ſibi obverti poſſe. Hinc novum affert contra particulam μȣ arietem pag. 264., hunc nempe: *quod Paulus jam v. 21. ſcripſerat:* ſalutatio mea manu Pauli; i. e. *ego Paulus ſaluto vos, & precor vobis omnia fauſta, idque propriæ manus meæ adſcriptione teſtor, & charitatis meæ certos vos eſſe jubeo. Cur ergo ſtatim poſtea idem fere aliis verbis proferret, & iterum eos ſuo nomine ſalutaret, ac diceret:* charitas mea cum omnibus vobis. Hoc ſcilicet vult, ſi quid video, verba hæc etiam de teſtificatione ſui in Corinthios amoris accipi non poſſe, quippe quem jam teſta-

teſtatum fecerit ſalutatione ſua, propria etiam manu ſcripta. Enimvero hoc argumentum nimium probat, adeoque hoc loco nihil. Sic enim effeceris, Paulum nuſquam ſuum in Corinthios amorem verbis diſertis teſtatum facere debuiſſe. Is enim vel ex eo exploratus illis & perſpectus eſſe debebat, quod ad ipſos ſcriberet, & ſalutem eorum provehere inſtitueret. Jam vero Paulus tum Corinthiis in poſteriore epiſtola, tum aliis Chriſti cœtibus in epiſtolis, ad ipſos datis, amorem in eos ſuum ſedulo & diſerte inculcat. Quomodo igitur idem hoc loco, ex ea inprimis, quam attulimus, cauſa feciſſe non cenſebitur?

Sed nondum cauſam conclamatam deſerit pertinax. Pergit ibidem ita: *Abſurdum eſſe, & cum Apoſtoli modeſtia pugnare videtur, ſi, poſitis jam iſtis, verſu immediate antecedente, verbis:* Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum; *poſtea ſuper & præter gratiam Chriſti, etiam ſuam charitatem, tanquam rem ſingularem, & maximi momenti, quæ in finem ipſum reſervari ſolet, proponeret, aut precaretur.* At Paulus non *precatus* eſt Corinthiis amorem ſuum, quod ex dictis conſtat. *Proponere* autem h. e. teſtatum facere illum potuit, ſicut alias fecit: fecit vero ſub finem, poſt gratiam CHRISTI voto illis collatam, ideo, quod hic locus ipſi maxime idoneus videbatur, & Corinthiorum oculi & animi in illa verba involare quaſi poſſent, quod in *poſt ſcripta* fieri ſolemne eſt. Hoccine vero cum modeſtia Pauli pugnare cenſendum eſt, quod *apprecationi gratiæ Chriſti* amoris ſui ſignificationem proxime ſubjungit? Quid videtur *Crellio* de verbis, quibus Apoſtoli, Presbyteri & tota concio Chriſtianorum Hieroſolymitanorum in literis ſuis ad alios CHRISTI confeſſores utuntur *Actor.* XV. v. 28. Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, καὶ ἡμῖν. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, &c. Si hoc non *pugnat cum modeſtia*, (quod nunquam puto affirmaturum Crellium,) quando Spiritui Sancto Apoſtoli ſe ad latus quaſi collocant; quomodo illius oblitus cenſeri debet Paulus, qui poſt Chriſti gratiam ſui amoris fecit mentionem?

Supereſt quarta ratio, *quam* ipſe *cum tertia coincidere* fatetur. *Apoſtolus*, inquit pag. 264., *2 Corinth. XIII.* 13. *ſcribit:* Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Charitas Dei -- ſit cum omnibus vobis; *hic vero 1 Corinth.* XVI. 23. 24. *ſcriberet;* Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas *mea* ſit cum omnibus vobis: *Quis hoc credere poſſit?* Imo, bone Vir, nec ipſe hoc credo. Paulus enim ita non *ſcripſit. Adprecatus* Corinthiis eſt gratiam Chriſti; hoc facto ſuum in eos amorem eſt *teſtatus.* Itaque hic locus cum altero illo minime omnium pugnat.

Sed videor mihi videre exſultantem Crellium, quando illius loci 2 *Cor.* XIII. 13. ipſi venit in mentem recordari. Lege verba ejus pag. 265. & judica. *Imo*, inquit, *ex collatione hujus loci* 2 Cor. XIII. *patet*, *Paulum Corinthiis in fine prioris epiſtolæ gratiam Chriſti apprecatum, cum poſtea juxta Alexandr. Codicem addit:* ἡ ἀγάπη μετὰ πάντων ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, Charitas cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu, *licet non expreſſe addat, cujus charitatem*

tatem in Chriſto Jeſu ſitam aut exhibendam apprecetur, non aliam niſi Dei Patris charitatem intelligere.

Enimvero locus 2 *Corinth.* XIII. 13. huic noſtro non omni ex parte eſt παράλληλος, atque adeo ex altero de altero judicium ferri non poteſt. Non vero eſt παράλληλος, quia ille voto totus conſtat, in hoc vero præter votum, *aſſertio* rei alicujus continetur. Ponamus tamen, eſſe παράλληλον, etiam ſic conſtabit, per ἀγάπην charitatem Patris intelligi non poſſe. Si enim hanc indicatam voluiſſet Paulus, vocem Θεοῦ æque additurus fuiſſet, quam quidem id fecit 2 *Corinth.* 13. Nam nomen χριστοῦ non minus hic, quam ibi, antecedit. Nec ſequitur, quod porro urget, *quia Paulus alias GRATIAM ſimpliciter, non nominato iſtius gratiæ auctore, fidelibus precatur, & gratiam ipſius Dei Patris ſubintelligit, videlicet* Epheſ. VI. 24. Coloſſ. IV. verſ. ult. 2 Tim. IV. ult. Tit. III. ult. 1 Tim. VI. ult. hinc *amorem*, ſimpliciter appellatum, de amore *Patris* intelligendum eſſe. Primo enim a voce χάρις ad vocem ἀγάπη non licet omnimodo argumentari. Deinde vox χάρις tantum non ſemper in ſcriptis Apoſtolicis ad CHRISTUM refertur, tanquam per ipſum parta, & in ipſo apud Deum quærenda. Hinc ut plurimum in Paulina ſalutandi formula vox χριστοῦ vel Κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ voci χάρις ſubjicitur. Vide *Rom.* XVI. 24. 1 *Corinth.* XVI. 23. 2 *Corinth.* XIII. 13. *Galat.* VI. 18. *Philipp.* IV. 23. 1 *Theſſal.* V. 28. 2 *Theſſal.* III. 18. *Philem.* v. 25. Atque hi ſunt omnes loci, quibus præter illos a Crellio citatos, Paulus eos, ad quos ſcribit, ſalutaturus utitur. Quos Crellius attulit, quinque ſunt, in quibus vox χάρις ſimpliciter adhibetur; quos ego excitavi, octo exſtant. Nonne veri eſt ſimilius, ex octo illis ſtatuendum eſſe, Paulum *gratiam Chriſti* potius, quam *Patris* intellectam voluiſſe? Itaque tertio loco ajo, falſam eſſe Crellii regulam, qua confirmatum cupit, *gratiam*, ſimpliciter laudatam, de illa Patris intelligi debere. Quam falſo itaque de *gratia* hoc dicit Crellius, tam falſum eſt, quod de *amore*, ad Patrem hoc loco referendo, pronunciat. Miror interim, eum, qui ſe *de Satisfactione Chriſti* rectius, quam Sociniani alias faciunt, ſentire profeſſus eſt, & *per Jeſum Chriſtum mortemque ipſius vitam noſtram ortam eſſe* cum Ignatio dixit (vide Præfationem ejus p. 11.) χάριτι illi Chriſti, quæ Satisfactioni ab eo præſtitæ innititur, hic ſe ita inimicum præſtare, ut de CHRISTO nolit cogitari.

At videtur ſibi Crellius ingentem gratiam a ſtudioſis Scripturæ Sacræ promeritus, qui in lucem protracta & vindicata, ut putat, particulæ μοῦ omiſſione, prohibuerit, quo minus eam alius lubitu ſuo *omitteret*, *aut alius loco μοῦ voces τοῦ Θεοῦ insereret.* Et ſane poſteriori modo agi voluit *Eſtius* ad h. l. partim ad convenientiam vocum μοῦ & Θεοῦ, partim ad 2 *Corinth.* XIII. 13. provocans. Nec falli me putem, ſi dixero, Crellium, quem Criticum non eſſe aliquoties oſtendimus, & locum illum & conjecturam iſtam ex *Eſtio*, quamvis non appellato, didiciſſe. Interim gratiam a nobis fruſtra exſpectat Crellius. Non excuſatius is peccat, qui lectionem genuinam in unius Codicis, procul dubio hallu-

hallucinati, gratiam ex contextu expellit, quam qui ex ingenio ſuo prorſus novam intrudit. Ingenii enim abuſus utrinque dominatur.

I. CORINTH. II. 11.

ALia lectio, inquit *Crellius* cap. XLVII. pag. 266. omnino genuina occurrit mihi in ſolo Codice Alex. 1 *Corinth.* II. 11. Τίς γὰρ οἶδε τὰ τȣ̃ ἀνθρώπȣ, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τȣ̃ ἀνθρώπȣ, τὸ ἐν αὐτῷ; *Quis enim ſcit, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt?* *Alii omnes Codices interſerunt vocem* hominum: Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis &c. *Quæ ſenſum abſurdum infert.* Hanc lectionem Codicis etiam obſervavit Millius, ſed nullam prorſus ejus rationem habuit, homo alioquin minime abſurdus, & quem Crellius in arte Critica Sacra longe ſe peritiorem, uſuque ſubactiorem fuiſſe negare non auſit. Eum itaque nihil hic abſurdi vidiſſe neceſſe eſt. *Grotius*, fateor, conſentit Crellio ex parte, quando ad idem MS. provocans ait: *nihil opus illo ἀνθρώπων.* De abſurdo tamen nihil meminit. Videamus igitur, an emunctioris naris ſe præſtiterit *Crellius.* *Nam ſic*, inquit, *oporteret in oppoſitione etiam vocem* Deorum *inſeri*, ita & quæ Dei ſunt, nemo Deorum novit, niſi Spiritus Dei. *Et per Deos intelligendi eſſent Dii huic Deo, cujus Spiritus eſſe dicitur*, ὁμοȣ́σιοι, *conſubſtantiales, prout ibi homines ſunt conſubſtantiales ei homini, cujus Spiritus ea, quæ ſunt hominis, noſſe dicitur.* Bella ratio! Idem hoc eſt, primo intuitu, ac ſi Crellius ſcripſiſſet, *abſurdum* fuiſſe Paulum, quando ita ſcripſit, & hac comparatione uſus eſt. Ponamus enim, Paulum ſimpliciter ſcripſiſſe: τίς γὰρ οἶδε τὰ τȣ̃ ἀνθρώπȣ; num per τίς *quis*, alium intellexiſſe putandus eſt, quam hominem quemcunque? Ita ſane Interpretes, quos ſciam, adhuc acceperunt. Sic accepit olim *Chryſoſtomus*, Interpres minime abſurdus. Εἶτα περὶ τῆς τȣ̃ Πνεύματος γνώσεως μετὰ ἀκριβείας εἰπὼν, καὶ δείξας, ὅτι ȣ̃τως ἐξιτάζει πρὸς τὴν τȣ̃ Θεȣ̃ γνῶσιν, ὡς ἡ ἀνθρώπȣ γνῶσις αὐτὴ πρὸς ἑαυτήν. Apoſtolus, fateor, ſcribere ſimpliciter poterat τίς ſine ἀνθρώπων, eundem vero utramque vocem conſulto adhibuiſſe inde mihi perſuaſiſſimum eſt, quod ejusmodi loquendi ratio Paulo alias recepta eſt. Amat divinus ſcriptor πολύπτωτα in brevi orationis ſerie. Accipe hic duo ex pluribus exempla. Alterum exſtat 2 *Corinth.* X. 12. ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτȣ̀ς μετρȣ̃ντες καὶ συγκρίνοντες ἑαυτȣ̀ς ἑαυτοῖς. Alterum *Galat.* II. 19. Ἐγὼ γὰρ διὰ νόμȣ νόμῳ ἀπέθανον. Junge ibidem v. 20., ubi ſimile quid in verbo ζῶ occurrit. Eadem ratione & eodem more Paulus hic vocem ἄνθρωπος eleganter in diverſis caſibus repetit. Sed oculatior eſt *Crellius.* *Cum enim*, pag. 267. inquit, *inferat, hic de hominibus tantummodo, ea, quæ ſunt hominis, excepto Spiritu hominis, qui eſt in eo, ignorantibus rem eſſe, infert etiam, per iſtum Spiritum hominis, qui ſolus ea, quæ ſunt hominis, novit, non niſi Spiritum humanum, ſeu homini naturalem & concreatum, nempe animum & mentem hominis, aut animam ejus rationalem deſignari; unde etiam ſequitur, in oppoſito orationis Paulinæ* mem-

membro, per Spiritum Dei, qui ſcit ea, quæ ſunt Dei, nihil niſi Spiritum Dei naturalem, eſſentialem adeoque ipſum Deum intelligi debere. Atqui hoc falſiſſimum eſt, Paulus enim Spiritum iſtum Dei in proxime præcedentibus a Deo realiter diſtinxerat, cum diceret, Spiritum etiam profunda Dei ſcrutari, adeoque a Deo diſtinctum & diverſum eſſe.

Recte hic affirmat *Crellius*, per *Spiritum Dei*, non intelligi ipſum Deum, ſi nempe de Deo οὐσιωδῶς, ut Theologi noſtrates loqui amant, de *Spiritu* vero ὑποςατικῶς loquatur. Quando vero ait, Spiritum hunc *a Deo realiter diſtingui*, patet, eum Socinianorum more de *Spiritu S.* ſentire & loqui. Sed hoc quidem, tanquam a noſtro inſtituto alienum, nunc mittimus. Noſtrum eſt oſtendere, vel ſic oppoſitionis rationem in oratione Paulina ſibi conſtare. Sermo ibi eſt in priore parte de homine, & anima ejus, cogitationum & actionum ſuarum unice ſibi conſcia. Ibi anima diſtinguitur ab homine, in quantum is corpore etiam conſtat, a quo anima realiter & eſſentialiter eſt diverſa. In poſteriore diſtinguitur Deus, οὐσιωδῶς acceptus, a Spiritu ὑποςατικῶς ſumto, & in tantum a Patre æque ac Chriſto vere diſtincto. Eſtne in his aliquid, quod ſibi non probe conſtet? Si obverterit *Crellius*, longe aliam eſſe rationem diſcriminis, quod intercedit hinc inter animam hominis, & hominem, reſpectu corporis ſpectatum; hinc inter Deum οὐσιωδῶς, & Spiritum S. ὑποςατικῶς conſideratum; non habebit me diſſentientem. At ſic meminiſſe debet, comparationem non eſſe extendendam ultra tertium. Alioquin enim nec comparatio a Paulo inſtitui poterat inter cognitionem, quam vel Angelus ullus, vel anima ipſius hominis habet de rebus ſuis, & inter cognitionem, quam Spiritus S. habet de conſiliis & rebus, ad divinam Majeſtatem pertinentibus. Hanc enim & interiorem, & longe alia ratione comparatam eſſe, quam quæ in rem ullam conditam cadere poſſit, ipſe non negaverit, ſi perpenderit, quantopere omnia nihil ſint, ſi cum Summo Numine comparentur. Id innuit efficaciter Paulus, quando ait, τὸ Πνεῦμα ἐρευνᾷν καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ. Nihil itaque eſt, quod adducere Crellium cum ratione potuerit, ut de alio Spiritu, quam hominis anima, hic cogitaret. Sed cogitavit tamen.

Spiritus itaque *hominis*, inquit, *qui eſt in eo, etiam Spiritum adventitium, Spiritum ab extra venientem, qui in hominem illabitur, & eum occupat, ei intime conjungitur, ſignificare poteſt, & hic omnino ſignificat. Ex. gr. qui Spiritu malo obſidetur, dicitur eum* Spiritum habere, *Marc.* IX. 17. VII. 25. Luc. XIII. 11. *Spiritus ergo iſte, Spiritus eorum hominum erat, licet adventitius, & ipſis minime concreatus. Sic infra in eadem ad Corinthios epiſtola cap.* XIV. Spiritus Prophetarum *non ſunt illorum mentes, aut animæ rationales, ni fallor, ſed Spiritus adventitii.* Omitto, quæ in eandem ſententiam de *Spiritu Moſis* ex *Num.* XI. 17. de *Spiritu Chriſti*, qui in Prophetis erat, 1 *Pet.* I. 11. de *Spiritu Chriſti Rom.* VIII. 9. & *Marc.* II. 8. & *Spiritu Eliæ* in Johanne Baptiſta, affert. Non erat, cur in his locis cumulandis otium perderet. Unus enim ſufficiebat, ut appareret, τὸ πνεῦμα, ſeu Spiritum, adventitium interdum ſignificare & ſigni-

ſignificare poſſe. Id enim nemo unquam in dubium vocaverit. At ſi ſimilia his mille loca promeret, illis non efficeret, hoc loco de Spiritu, in hominem illabente, & ab anima ejus diſtincto, Apoſtoli verba accipi debere. Paulus enim non tantum dicit, τὸ πνεῦμα τὸ ἐν αὐτῷ, ſed ait, τὸ πνεῦμα τȣ̃ ἀνθρώπȣ, τὸ ἐν αὐτῷ. Nonne, ſi Paulus ſimpliciter ſcripſiſſet, τὸ πνεῦμα, τὸ ἐν αὐτῷ, intelligi ſatis poterat, de eo Spiritu ſermonem eſſe, *qui in homine ſit?* Id negari non poteſt, cum proxime antecedat, τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τȣ̃ ἀνθρώπȣ, ad quam vocem omnino referri debebat, ſequens relativum, ἐν αὐτῷ. Cur igitur Paulus ἀνθρώπȣ iterum meminit, ante phraſin, τὸ ἐν αὐτῷ? Num alia reddi ratio poteſt, quam illa, quod extra dubium voluerit eſſe collocatum, ſe de ſpiritu i. e. *anima* loqui, quæ hominis ſit propria, & in corpore ejus inſtar inquilini & domeſtici habitet, eorum, quæ in homine agantur, ſibi conſcia. Virum ſe præſtiterit Crellius, ſi vel unum attulerit locum, in quo de ſpiritu adventitio, ſive bono, ſive malo illo, hæc loquendi ratio uſurpetur. Mireris merito, non tam, quod hæc cogitata tam ſolicite ornare & pingere conatus ſit, quam quod in ea incidere, & hujusmodi quicquam ſomniare potuerit.

Quid vero tandem ex his, precario præſtructis, elicit? Intelligi vult a parte hominis *Spiritum* aliquem certum & aliunde *adventantem*, a parte Dei vero Spiritum Sanctum, *qui in Deum ipſum quaſi illapſus ſit.* Lege verba ejus ex p. 268. *Et quemadmodum*, inquit, *nemo, id eſt nulla creatura vulgaris, & ſibi ſoli relicta; nam a creaturis iſtis petitur hic ſimile, nec Angelus, nec homo, novit, quæ ſunt hominis, mente & corpore præditi, (nempe N. B. hujus vel illius hominis in ſpecie, ſeu hominis alicujus particularis) niſi Spiritus ille hominis, ab extra & aliunde in eum illapſus, & ei intime junctus; ſic nemo, nulla creatura, etiam diviniſſima ac perſpicaciſſima, novit ea, quæ ſunt Dei, niſi Sapientia illa, Proverb. VIII. 22. ante omnes alias res a Deo creata aut producta, Spiritus ille Dei, qui Deus quidem ipſe non eſt, ſed Deo intime eſt junctus, & quem Deus in arcana ſua, & intimam ſui communionem admiſit, qui, Deo permittente, & admittente, in Deum ipſum, ut ſic dicam, illapſus eſt.*

Non dicam hic, Crellium præter veri ſpeciem locum, *Proverb.* VIII. 22. de Spiritu S. accipere, qui ad Chriſtum a plerisque Interpretibus recte relatus eſt. Nec animadvertam in jejunas, frivolas leveſque phraſes, quas de Spiritu Sancto adhibet. Illa enim cogitata jam pridem in Socinianis a Theologis, inprimis noſtratibus, debellata ſunt, & eadem opera oſtenſum, Deitatem Spiritus Sancti vere talem ex Paulina phraſi, τὸ γὰρ πνεῦμα ἐρευνᾷ πάντα, καὶ τὰ βάθη τȣ̃ Θεȣ̃, conſtare cuique poſſe. Sufficit nobis hoc loco, Crellium, τὸ πνεῦμα τȣ̃ Θεȣ̃ de Spiritu S. accipere. Quando vero idem præfracte iterum negat, τὸ πνεῦμα τȣ̃ ἀνθρώπȣ de anima hominis interpretandum, & ad ſpiritum adventitium referendum eſſe contendit, ea utitur ratione, quæ antea ab ipſo allatis levior eſt. Ait enim Spiritum ejusmodi illapſum *tantum noſſe, quæ ſunt hominis, mente & corpore præditi*, h. e. ut interpretari res ipſa jubet, quæ ab homine cogitantur, cupiuntur & quæruntur. Illa enim ſunt hominis, hæc ſunt interiora & *profun-*

 da

da hominis, quæ Paulus hic omnino indicata voluit. Nam ea, de quibus hic agitur, reſpondent *τοῖς βάθεσι τȣ̃ Θεȣ̃, profundis Dei*, quæ non ſimpliciter eſſentiam Summi Numinis, ſed inprimis conſilia ejus, deſtinata, voluntatem &c. Apoſtolis ſcilicet revelata, & aliis hominibus revelanda, ſpectant. Jam quæſiverim ex Crellio, num præſtare auſit, Spiritum aliquem *creatum, in hominem illapſum, illique intime junctum*, profunda hominis ante commemorata ita noſſe *ἀμέσως* & intime, quam quidem ea novit hominis animus, illorum, quæ in ſe aguntur, penitiſſime conſcius? Quæ & quantæ Spirituum creatorum vires & facultates in cognoſcendis rebus ſint, fateor, admodum eſt obſcurum; veri tamen ſimilior ſemper mihi viſa eſt illorum Philoſophorum ſententia, qui inficiati ſunt, v. c. dæmonem, in hominem etiam illapſum, cogitationes & deſideria animæ hominis *ἀμέσως* & certo perſpecta habere, quippe quæ ex *περικειμένοις* potius aliquot & inprimis actionibus cognoſcat, & conjiciat magis, quam perſpiciat. Viciſſim alterum illud *Spiritui infinito*, non finito & creato, competit. David *Pſ.* VII. 20. hoc Deo tribuit, quod *ſcrutetur cor & renes*, ut de aliis Scripturæ locis ſimilibus non dicam. Idem vero Crellius Spiritui creato, in hominem illapſo, nunquam cum certa animi perſuaſione vindicaverit. Hanc autem facultatem in anima hominis eſſe reſpectu eorum, quæ a ſe & in ſe aguntur, negare non auſit Crellius. Itaque vel ideo largiri tenetur, de hominis animo, non autem ſpiritu creato externo & adventitio, ſermonem hic eſſe.

Atque hæc quidem ſufficere putem ad retundendam Crellii corruptelam, & *ψευδερμηνείαν*, quam loco huic non uno modo intentavit. Idem aliis N. T. locis labis alicujus ſuſpicionem adfricare conatus eſt, qui partim in Sanctis Evangeliis, partim in ſequentibus Pauli aliorumque Apoſtolorum epiſtolis, leguntur. Hos nunc, tempore excluſi, non tangimus, cum inpoſterum futura nobis ſit opportunitas, eoſdem partim in ſupplementis ad Curas Evangelicas, partim in Continuatione earum, quæ reliquis Sacri Codicis Græci libris a nobis deſtinatur, ab importuna emendandi vel potius corrumpendi libidine vindicandi. Interim certum eſſe Lectorem velim, rem ei in ceteris non ceſſiſſe felicius, nec dubito, facile quemque per ſe ex his ſpeciminibus intellecturum, quid de reliquis ſit judicandum.

Δόξα Θεῷ ἐν ὑψίστοις.

I. In-

I. INDEX VOCUM HEBRÆARUM.

א

אבא 143
אבן שתייא 449
אחרית merces. 115

ג

גמר *docere.* 284
גמור 325

ה

הבין 517
העמיד 191
הקים 722
התמכר quid? 129

ז

זכה de eo, qui vincit alium. 51
זנות 395
זרע 725

ח

חבר collega. 287
חול 149
חוש 204
חטאת ſacrificium pro peccato. 139. 626
חכמי מחקר Philoſophi. 311
חכמים doctores Judæorum. 384
חלילה abſit. 103
חסד 560
חסיד *beneficus.* 85
חרה 463

ט

טוב *benignus.* 85

י

ישראל 179

כ

כ *vere.* 204
כי *propterea.* 599. expletivum eſt interdum. 695
כבוד de Deo. 27. *pondus & dignitas.* 601
כלי 269
כפרה 169. 359
כפורת 63

מ

מלא מקום 518

נ

נאלח 56
נפל occidi. 452
נצח 356
נר *doctor.* 46
נשא 662

ס

סקל 670
סדר 220
סופר 310

ע

עבד de cultu religioſo. 184
על 542
עלל 628
עקב merces, præmium. 115

פ

פנים 569
פתר interpretari. 339

צ

צבאות elliptice. 202
צדק 58
צדקה *eleemoſyna*, apud Hebræos. 639
צעיר 529

ק

קן varia denotat. 217
קול 217
קנא 463
קנה 652
קרן 583

ש

שדים 460
שטר *tabula contractus.* 303
שכינה 349

ת

תלוי *ſuſpenſus.* 724
תמים 325
תרדמה 223

II. INDEX VOCUM ET PHRASIUM GRÆCARUM.

A.

Ἀβαρὴς. 663
Ἀββᾶ. 143
ἀγαθὸς. 85
ἄγαμος. 397
ἄγγελος, varia ſignificare poteſt. 478. ſqq. an *exploratorem?* 480
ἁγιάζεσθαι, baptiſari. 401
ἅγιος, *inviolabilis.* 350. *non impurus.* 402
ἁγιωσύνη. 623
ἁγνὸς. 656
ἁγνότης. 657
ἀγριέλαιος, Græce dicitur. 225
ἄγω de *motu* & *impulſu.* 38
ἀγωνίζεσθαι. 436
ἀδήλως. 440
ἀδικία, *mendacium.* 20
ἀδόκιμος. 32. 443. *fucatus, corruptus.* 688
ἀθετέω. 716
αἷμα, vox πολύσημος. 553
αἰνεῖν de Deo, ἐπαινεῖν de hominibus. 282
αἴνιγμα. 509
αἰχμαλωτίζειν, vox proba. 132. 645
αἰὼν οὗτος num Vetus Teſtamentum? 325
αἰῶνες an anni Judæorum Jubilei? 297. variæ temporis œconomiæ. 454
ἄκακος, *ſimplex.* 294
ἀκαταστασία. 524
ἀκοὴ, *concio.* 216
ἀκούειν, *intelligere.* 512
ἀκρασία. 394
ἀκρατεύεσθαι. 398
ἀκροατὴς, lector. 41
ἀλαζὼν. 34
ἀλαλάζειν. 504
ἀλάλητος. 153
ἀλήθεια Θεοῦ quid? 29. κατ' ἀλήθειαν, revera. 37
ἀλλὰ & tamen. 92. 426. 600
ἀλλὰ καὶ, *nimirum etiam.* 106. *inſuper.* 212. 214
ἀλλ' ἤ, 343. exaggerativum eſt. 409. *imo.* 459. 568. *itaque.* 631. poſt εἰ eſt *tamen.* 685
ἀλλάσσω de mutatione in pejus. 28
ἀλληγορεῖσθαι. 757
ἁμαρτάνειν, *errare.* 548
ἁμαρτία, *hoſtia pro peccato.* 139. 616
ἀμεταμέλητος. 232. 627
ἂν per ellipſin omittitur. 165
ἀναγινώσκειν, de lectione Scripturæ ſimpliciter dicitur. 570
ἀνάγκη, *incommodum.* 411. calamitas. 617
ἀναγκάζειν, *permovere.* 681
ἀνάθεμα. 168. 695. diverſum ab ἀνάθημα. 169
ἀνακεφαλαιοῦν. 260
ἀνακόπτω. 769
ἀναλογία. 242
ἀναπολόγητος. 25
ἀνάστασις νεκρῶν, *reſurrectio ex mortuis.* 11. 530
ἀναστατοῦν. 773
ἀνατίθημι, *expono.* 699
ἀνέχεσθαι. 654
ἀνέῳγε. 561
ἀνήκει interdum deeſt. 390
ἀνὴρ, maritus. 395
ἄνθρωπος ſimpliciter poſitum hominem nihili notat. 37
κατ' ἄνθρωπον. 53. 546

ἀνθρώ-

ἀνθρώπινον. 113
ἄνθρωποι, gentiles. 410
ἀνόμως, ſine lege. 41
ἀντιλαμβάνεσθαι. 152
ἀντιλήψεις. 500
ἀντιστῆναι. 710
ἄνω, ἡ ἄνω πόλις, &c. 763
ἄνωθεν. 750
ἀπάγεσθαι, *ad ſupplicium duci.* 495
ἀπαρχὴ de pluribus. 288
ἀπειπεῖν. 589
ἀπερίσπαστος. 415
ἁπλότης, *liberalitas.* 244. *ſimplicitas.* 657
ἀπὸ, *poſt*, vel, *ex.* 23. varia alia notat. 168. interdum deeſt. 705
ἀπ᾽ αὐτοῦ, *ejus.* 705
ἀποδείκνυμι, *facio.* 356
ἀποδιδόναι, de mercede non ex merito data. 39. in amoris negotio adhibetur. 396
ἀποκαραδοκέω. 149
ἀποκόπτεσθαι. 771. 772
ἀπόκριμα. 568
ἀπολλύειν, de damno externo. 277
ἀπορία, ἄποροι & ἀπορεῖσθαι. 595
ἀπόστολος, latiore ſenſu. 288. 356. 635
ἀποστυγεῖν. 245
ἀποτίθεσθαι. 269
ἀποτομία. 227
ἀπρόσκοπος. 468
ἅπτεσθαι de uſu conjugii. 394
ἄρα, 191. *certe.* 216. utplurimum voci cuidam poſtponitur. ibid. *ſcilicet.* 376
ἄρα οὖν. 391
ἁρμόζειν & ἁρμόζεσθαι, *deſponſare.* 655
ἀῤῥαβὼν. 608
ἄῤῥητον vario adhibetur ſenſu. 675
ἀρσενοκοῖται. 385
ἀρχαὶ, magiſtratus, primates. 161
ἄρχοντες, per ellipſin omittitur. 259.
num Judæorum primates? 325. 326. 327
ἀσέβεια & ἀδικία quomodo differant? 19
ἀσέλγεια. 271
ἄσημος. 514
ἀσθενής. 84
ἀσθενεῖν. 685. 688
ἀσθένεια, *calamitas.* 752
ἄσπονδος. 35
ἀσύνθετος. 34. 35
ἀτενίζω. 583
ἀτιμάζειν. 486
αὐλὸς. 514
αὔριον, *aliquando.* 547
αὐτάρκεια animi *contenti* virtutem infert. 638
αὐτὸς ἐγὼ. 134
αὐτὸς de Deo, aut magnæ auctoritatis viro. 609
ἄφεσις & πάρεσις. 67
ἀφορμὴ, occaſio, cauſa. 125
ἄφωνος. 515
ἀφωρισμένος. 6
ἀχρεῖος. 56
ἄχρις οὗ. 728

B.

βάθος de ſumma ſapientia. 329
βαθὺς, *amplus, copioſus.* 234
βαθύκληρος, & ſimilia compoſita. ibid.
βαπτίζεσθαι εἰς τινα. 307
βάρβαροι, qui & quo ſenſu dicantur? 15. 515. opponuntur ἕλλησι. ibid.
βάρος, de *gravitate* & *honore.* 601
βασιλεύειν de peccato. 110
βασκαίνω. 717
βιωτικὸς. 383
βλασφημεῖν. 47
βλέπω emphaticum eſt. 315. interdum omittitur ab initio ſententiæ, ubi *ſtudium* alicujus rei inculcatur. 631. 643

βραβεῖον & ἆθλον quomodo differant? 437
βυθὸς. 670. an carcerem quoque denotet? ibid.

Γ.

γὰρ, itaque. 48. quamvis. 68. &c. 257. interdum eſt expletivum. 695
γάλα de primis doctrinæ Chriſtianæ elementis. 342
γενόμενος, factus. 7
μὴ γένοιτο. 51. 103
γινώσκω, decerno. 129
γινώσκομαι. 420. 750
γλῶσσα. 511
γνώμη. 411
γνωστὸν quid? 21
γνῶσις, bono ſenſu. 662
γραμματεὺς. 311
γράμμα, lex. 48. 583. 781
γράμμα & πνεῦμα quomodo ſibi opponantur? 49. 583
γραφῆναι, non tam ſcriptum quam miſſum eſſe notat. 298. 565
γράφειν, pingere. 718
γυνὴ, uxor. 414. de virgine. 748

Δ.

δαιμόνια, deaſtri, vel mali Spiritus. 459
δαίρω. 667
δάκνω, metaphorice. 775
δὲ, pro ἢ, 621. pro δὴ, 702. pro γάρ. 767
δέρω. 667
δευτερόπρωτοι. 111
δέχεσθαι. 336. 339. recipere, tolerare. 666
δὴ pro ἄρα, igitur. 393. omnino. 674
διὰ etiam cum accuſativo eſt per. 69. in. 74. 105. 560. 609. intra & poſt. 699. inter. 733
διαδιδόναι. 244
διακονεῖν de ſubminiſtratione, vel adminiſtratione eleemoſynarum. 634
διακονία varia notat. 243. 286. etiam eleemoſynas. 631
διάκρισις. 272
διαλογισμὸς. 272
διαφέροντα. 45
διδόναι viri in amoris negotio dicuntur. 396. pro polliceri. 557
δικαιοκρισία. 39
δικαιοσύνη Θεοῦ. 60. 66
δικαιοσύνη, an beneficentia? 638
δικαιοῦσθαι. 62. 107
δικαίωμα varia ſignificat. 35. 47. 99. 139. inter cetera vero ſatisfactionem judicialem. 100
δικαίωμα, δικαιοσύνη & δικαίωσις quomodo differant? 101
δικαίως, jure, merito. 548. vel ſerio, plene. ibid.
διώκω, conor aliquid conſequi. 203. 248
δοκέω, exiſtimo. 356. de certa ſcientia dicitur. 417. interdum abundat. 454. non autem ſemper. 486
δοκιμάζειν, explorare & approbare. 31. 279. emphaticum eſt. 492
δοκιμὴ, probatio, experientia, non autem approbatio. 81
δοκοῦντες, quorum magna exiſtimatio eſt. 704. 708
δολόω. 369
δόξα Dei. 27. 62. potentia glorioſa. 105. varia alia inferre poteſt. 174. 472
δοξάζω, emphaticum. 26
δύναμαι. 461. 688
δυνατὸς. 464
δοῦλος, miniſter, de Apoſtolis. 5
δοῦλος, δουλεία & δουλεύειν, reſpectu peccati. 112
δύναμις, miraculum. 321. ſignificatus vocis. 515

δυνα-

δυνάμεις, *angeli.* 161. *magiſtratus.* ibid.
δωρεά. 97
δωρεάν. 716

E

E interdum pro η, & viciſſim in MSS. & numis. 170
ἑαυτὸν pro σεαυτόν. 261
παρ' ἑαυτῷ quid? 559
ἐγείρεσθαι, ſenſu paſſivo & reciproco. 526
ἐγκαταλείπεσθαι in prælio. 596
ἐγκεντρισμὸς & ἐγκεντρίζεσθαι quid? 226
ἐγκοπή. 431
ἐγκόπτω. 769
ἐγκρατεύεσθαι. 398. 439
ἐγκρίνειν. 649
ἑδραῖος. 357
ἐθνάρχης. 674
εἰ pro *num* interrogative. 195. pro ὅτι. 308
εἰ μὴ, *ſed.* 408. 694. 714
εἰδέναι, *æſtimare.* 563
εἴδωλον varia denotat. 421
εἰδωλεῖον, templum idolorum. 425
εἰκῇ. 526
εἰκὼν & ὁμοίωμα, idem. 28. elliptice omittitur. 221
εἰμὶ *habeor.* 350. interdum deeſt, inprimis poſt participia. 572. 664. 714
εἷς *primus.* 89
εἰς, abundat. 353. varia denotat. 444 pro εἰ, *in.* 654. pro *ad.* 674. εἰς ἐμὲ, *de me.* 677
ἐκ, pro διὰ, *per.* 10. vel ἀπὸ, *à.* 11. 582. 602. *in.* 603
ἐκβολή. 529
ἐκγαμίζω, *eloco.* 415
ἐκδημέω. 608
ἐκκαθαίρω. 370
ἐκκακέω. 780
ἐκκλείω. 754
ἐκκλησία. 287. etiam locum ſacri conventus infert. 487. 489
ἐκνήφω. 548
ἐκπίπτειν, *irritum fieri.* 179. 507
ἐκπτύω. 753
ἐλάσσων. 183
ἐλεεινός. 531
ἐλθεῖν *venire*, de nunciis. 736
ἕλληνες & βάρβαροι, oppoſiti, 14. item ἕλληνες & ἰουδαῖοι. 16. 741
ἐλπὶς, promiſſio ſpem faciens. 78
ἐμμένειν, *perſeverare.* 722
ἐμπερπερεύεσθαι. 506
ἐν, *inter.* 21. 323. pro εἰς *ad.* 38. 66. alii ſignificatus. 138. *per.* 143. 163. pro μετά. 361. *a.* 380. *quod ad me.* 515. interdum deeſt. *ibid.* interdum abundat. 564
ἐνδέχεσθαι. 339
ἐνέχεσθαι. 766
ἕνεκα, *reſpectu.* 584
ἐνεργεῖσθαι, an ſemper paſſive adhibeatur? 121. 769
ἔνι. 741
ἐντρέπω. 360
ἐντυγχάνειν, *accedere.* 220
ἐξαπατᾷν, verbum palæſtricum. 657
ἐξαπορεῖσθαι. 568
ἐξελεῖν. 692
ἔξεστι. 388
ἐξόν. 676
ἐξουσία, *magiſtratus.* 255. varia denotat. 474. ſq. an etiam *facultates*, ſeu *opes?* 430. *velamen.* 477
ἐξουσιάζεσθαι. 388
οἱ ἔξω. 377
ὁ ἔξω ἄνθρωπος. 599
ἔπαινος, vox μέση. 354
ἐπαινεῖν vide ſupra αἰνεῖν.
ἐπεὶ, *alioquin.* 376. 536

ἐπὶ cum *dativo* diverſa ſignificat. 89
cum *accuſativo* eſt *contra*. 572. 586.
cauſam finalem infert. 773

ἐπιγινώσκεσθαι. 510. 564

ἐπιδημεῖν. 608

ἐπιείκεια. 642

ἐπιθάνατος, vel ἐπιθανάτιος, *morti vicinus*, item *beſtiarius*. 357

ἐπικαλεῖσθαι, *invocare*. 301

ἐπισύστασις. 672

ἐπίτροπος, *pædagogus*, ſive *cuſtos*. 743

ἐργάζεσθαι, *ex labore vivere*. 428. an de uſu conjugii? ibid.

ἔργον νόμου. 43. idem quod νόμος ſimpliciter. 44. *doctrina*. 345. de re venerea. 628

ἐρευνᾷν. 329

ἔσοπτρον, *ſpeculare*. 508

ἑστᾶναι. 454

ἔσχατος vox athletica. 356. homo infimæ conditionis. ibid.

ἑταιρεῖν de venere maſcula. 392

ἑτεροζυγεῖν. 620

ἔτι. 82

εὐαγγέλιον, late de doctrina cœleſti. 45. an præmium pro bono nuncio inferat? 432

εὐδοκέω. 286

εὐδοκία, *ſummum deſiderium*. 205

εὐλογεῖν, de precibus. 518

εὐλογία, *laudatio*. 292. *S. Cœna*. 457. *collecta*. 637

εὔνοια, *debitum conjugale*. 395

εὐοδοῦσθαι. 559

εὐοδωθῆναι. 13

εὐπρόσωπος, & εὐπροσωπεῖν. 784

εὑρίσκειν, *adipiſci*. 71

εὑρίσκεσθαι, *eſſe*. 353. 530

εὔσημος, *clarus*. 514

εὔχομαι. 169

ἐφ᾽ ᾧ. 89. 606

ἔχειν, *conſequi*. 14. de re venerea. 364. 395. *agnoſcere*. 475

ἕως οὗ. 729

Z.

ζηλοῦν, *ſectari ſtudioſe*. 501. 511

ζῆν τινι, arbitratu alicujus vivere. 274

ζητεῖν, *intente quærere*. 206

ζητεῖν ἔν τινι. 352

ζητήσεις, *diſputationes*. 311

ζυμόω. 369

H.

ἢ interdum omittitur, quando etiam aliud ἢ præceſſit. 399. idem nonnunquam eſt, quod καὶ, &c. 492

ἡμέρα de tempore futuro quocunque. 345. 346. an ſpeciatim excidium Hieroſolymitanum notet? 346. interdum ſubintelligitur. 670

ἥττημα. 384

Θ.

θάνατος, mortis periculum. 569

θάνατος χριστοῦ totum opus mediatorium infert. 103

θέατρον, *ſpectaculi vice*. 357

θεῖον de *Deo*. 24

θεότης & θειότης, *deitas* & *divinitas*. 24

θεοστυγὴς & θεοστύγης. 33

θηριομαχεῖν. 546

θησαυρίζω etiam de rebus malis congeſtis. 38

θλίβεσθαι de *inopia*. 594. num vox athletica? ibid.

θλίψις. 41. num de *inopia?* 594

θριαμβεύειν, triumphum largiri, vel triumphantem circumducere. 575

θυμὸς & ὀργὴ quomodo differant? 40

θύρα, *occaſio*. 561

I.

ἰδία. 497

ἰδιώτης. 518. 659. opponitur interdum

ut

ut *privatus*, homini, *publico munere* cum auctoritate fungenti. 660
ἰδιωτεύειν. 661
ἱλαστήριον operculum arcæ fœderis, & victima piacularis. 63. 65
ἵνα interdum eſt tantum ἐκβατικόν. 232 pro *ſi*. 353. cum indicativo verbo. 355. 434. interdum εἰδικὸν, ſeu *modale*. 516
ἱστορῆσαι. 697
ἰσχυρὸς. 464
ἰχνεύειν. 234

K.

καθαιρεῖν & καθελεῖν, verbum militare. 645
κάθαρμα. 359
καθίζειν & καθίζεσθαι de Judicibus. 383
καθορᾶν an emphaticum? 24
καὶ explanativum, *eo quod*. 69. 348. 374. *igitur*. 378. *vel ſic*. 567
καιρὸς, *opportunitas*. 780
κατὰ καιρὸν, *ſuo tempore*. 83
καιρῷ δουλεύειν. 246
κακοήθεια. 33
καλεῖν, *invitare ad convivium*. 467
καλὸν, *bonum*. 394. *decet*. 754
καλῶς. 658
κανὼν, varia notat. 651. 783. an terrarum tractum? 652. unde? *ibid*.
καπηλεύειν. 579
καραδοκέω. 149
κατὰ, *propter*. 38. *de*. 530. *ante*. 718. varia alia notat. 625. *ad exemplum*. 282. 765. per ellipſin interdum deeſt. 131. 284. 430. 469. καθ' ἑαυτὸν, ſuo conſilio. 626. κατ' ἄνθρωπον, *ab homine*. 697
καταβάλλεσθαι, verbum athleticum. 596
καταλαμβάνειν, *aſſequi*. 203. 437
καταλλάσσειν. 614
καταναρκᾶν. 663
κατάνυξις. 222
καταργεῖσθαι. 768
καταρτίζειν. 304. 689. 778
κατασκοπῆσαι. 702
καταχρᾶσθαι. 412. 434
κατεγνωσμένος, notandus. 710
κατέναντι. 77
κατέχω, *prohibeo, cohibeo*. 10
κατηχεῖσθαι. 46
κατηχεῖν. 779
κατοπτρίζειν. 588
κατόρθωμα & καθῆκον. 33
κείρασθαι & ξυρᾶσθαι. 472
κεφαλὴ αὐτοῦ, homo ipſe. 254
κήρυγμα de oratione publica. 319
κηρύσσω, *victorem proclamo*, & *publice dico*. 443
κιθάρα. 514
κλάω. 490
κλητὸς de Apoſtolo quo ſenſu? 5
κοιλία. 390
κοιμᾶσθαι, mortuum eſſe. 494
κοινωνία. 458. 460
κοινωνεῖν. 782
κοῖτος & κοίτη quid, & quomodo differant? 181
κοῖται. 271
κολαφίζειν. 358. 680
κόμη, κομᾶν. 484
κόσμος, gentiles. 223. alii ſignificatus. 746
κότινος, oleaſter. 225. 440
κρῖμα, *judicium*, & *reatus*. 98. *pœna*. 257. 493
κρίνω, præfero. 273. 354
κριτήρια *cauſæ judiciariæ*, non *ſubſellia*. 382
κτίσις varia ſignificat. 147. ſq.
κυβερνήσεις. 500

κυρόω. 574
κῶμος & κωμάζω. 270. 741

Λ.

λαμβάνειν fœminæ in amoris negotio dicuntur. 396. quæſtum ſectari. 667. obnoxium aliquem ſibi facere. *ibid.*
λάρυγξ. 57
λατρεύω & δουλεύω idem. 13
λέγω, *quæro.* 217. *præcipio.* 239. *explanandi* ſenſu. 305
λέγω δὲ, formula connectendi. 742
λείπεσθαι. 596
λειτουργοὶ, λειτουργία, λειτουργεῖν. 283. 286
λειτουργία, beneficentia in pauperes. 641
λογία, *collecta.* 558. an etiam *rationes pecuniariæ?* ibid.
λόγια θεοῦ. 50
λόγια ſimpliciter. ibid.
λογίζεσθαι, *computare.* 506. *cogitare*, ſeu *conſtitutum habere.* 643
λογικός. 237
λογιστικόν. 132
λόγος, *res.* 201. *ſumma.* ibid. ſermo familiaris. 319. num de vocis *ſono*, ſeu *pronunciatione?* 648
λόγον τιθέναι, an calculum conſtituere? 614
λυπεῖσθαι *damno affici.* 276
λύπη, *ira*, & indignatio. 276

M.

μακαρισμοὶ, hymnorum Eccleſiaſticorum genus. 753
μακαρισμός. 753
μάκελλον. 466
μαλακοί. 385
μᾶλλον. 157
μᾶλλον πάντων. 519. interdum debet ſubintelligi. 520
μᾶλλον δὲ, formula corrigendi. 749
μανθάνειν, docentem percipere. 522
μαρτύριον Χριστοῦ, teſtimonium de Chriſto. 303
μάταια gentilium idola vocantur. 27. 30
ματαιότης, idololatria. 150
μάχαιρα. 159
μέθυσος. 377
μεθύω. 488
μέμφομαι, incuſo. 192
μὲν & δὲ ſibi invicem non ſemper reſpondent. 709
μενοῦνγε, ab initio orationis. 192
μερίζεσθαι. 307
μεσίτης. 734
μετατίθεσθαι. 693
μεταδιδόναι. 244
μετασχηματίζειν. 664
μετρεῖν ἑαυτόν. 649
μητρόπολις. 764. etiam ſenſu metaphorico. ibid.
μισεῖν *minus amare*, *poſtponere.* 184
μόνον interdum omittitur. 70. 73
μόρφωσις. 46. 47
μυκτηρίζειν. 779
μύριοι, multi. 360. 520

N.

νεκρὸς, *cadaver.* 530
νέκρωσις. 597
νήπιος, inſipiens. 46. 521
νικᾶν, ſuperiorem eſſe in judicio. 52
νοεῖσθαι, νόημα. 24
νοήματα, inſidiæ, fraudes. 575. ratio hominis depravata. 645
νομοθεσία, *legis latio.* 175
νόμος late ſumitur. 59. de lege matrimonii. 117
τὰ τοῦ νόμου. 42
νοῦς ſenſus, ſeu, intelligentia ſermon. 517
νυνὶ *jam*, explanative. 373
νὺξ, de vita *præſente*, forte & de *vitioſa.* 268

ξυρᾶ-

Ξ.

ξυρᾶσθαι. 472

O.

o pro Ω. in numis. 553. o ſimplex pro ȣ in MSS. 587
ὁ pro τὶς, *aliquis.* 658
ὁδὸς, *vitæ ratio.* 361
ὁδοποιεῖν. 425
οἶκ@, *familia.* 307
οἰκοδομεῖν. 425
οἰκεῖ@, per ellipſin omittitur. 289. 305
οἰκονόμ@, *arcarius.* 295. *diſpenſator.* 352. 743. de miniſtro verbi? ibid.
οἷόν τε quid? 178
ὅλως, *omnino.* 362. in univerſum. 544
ὁμιλία, *converſatio.* 547
ὁμοίωμα. 92. 93
ὁμολογία. 642
ὅμως quin &, vel *atqui.* 513
ὁμῶς. 513
ὀνομάζεσθαι. 363
ὁποῖ@. 706
ὀργὴ & θυμὸς quomodo differant? 40
ὀργὴ, pœna. 53. 87. 258. ira *Dei.* 252
ὀρθοποδεῖν. 712
ὁρίζεσθαι varia denotat. 8. 9
ὃς an pro τίς? 341
ὃς μὲν, ὁ δὲ. 272. ſq.
ὅτε. 263
ὅ, τε an ſcribi poſſit? 268
ὅτι, redundat. 179. *quia.* 412. 748
ȣδεὶς, *homo nihili.* 316. 420. 505. 681
ȣκέτι, ſimpliciter interdum negat. 110
ȣτ@ elliptice deeſt. 284
ȣτως per ellipſin deeſt. 32
ȣχὶ. 378. interdum deeſt, ex ſenſu ſupplendum. 458
ὀφείλω, *oportet.* 376. decet. 473
ὄφελον. 771
ὀχύρωμα. 644
ὀψώνιον. 115. 429

Π.

παθήματα quid? 145
παίζω, de re venerea. 452
πάλιν, *contra.* 665. 750. 767
πανȣ̃ργος, vocabulum *μέσον.* 682
παρὰ varia ſignificat. 30. in comparatione inſtituenda adhibetur. 273
παρὰ τȣ̃το. 498
παράγω, decipio. 413
παραδιδόναι. 32. de Chriſto in crucem agendo. 79
παράδοσις. 469
παράκειται. 130
παρακμάζω. 416
παραλαμβάνειν, diſcere. 489
παραζηλȣ̃ν. 224. 462
παράκλησις. 243. *inſtitutio:* 281. 689
παραςῆσαι. 111
παρακαλεῖν. 358
παραυτίκα, *in præſenti.* 600
παραφρονεῖν. 668. *admonere.* 689
παρεισέρχεσθαι. 102
πάρεδρος & παρεδρέυω. 415
παρεκτὸς. 671
πάρεσις & ἄφεσις non differunt. 67
παρθέν@, virgo nubilis. 411. non denotat virginitatem. 415
παριςάνειν de ſacrificiis aræ admovendis. 235
παρίςημι *commendo.* 424
πᾶς dicitur, qui multa poteſt. 536
πάσχειν, bono & malo ſenſu. 720
εὖ πάσχειν. ibid.
πειθὸς, πειθὼ. 319
πείθω. 610. *propitium mihi facio.* 696. num idem, quod *decipio?* ibid.
πεποίθησις, vox bene Græca. 635
περικάθαρμα. 358
περίψημα. 358. 359
περιπατεῖν, verſari, de moribus vitæ. 105. 136

περιτιθέναι, metaphorice, v. c. τιμήν. 498
περπερεύεσθαι. 505. quomodo differat a φυσιοῦσθαι? 506
πηλίκος. 781
πικρία. 57
πίπτειν interdum ſubintelligendum. 73. occidi. 452
πίστις de fide miraculoſa, vel fiducia ſingulari. 496
πιστεύω, committo alterius fidei. 507
πιστεύεσθαι, rem aliquam ſibi commiſſam habere. 50. 433
πιστὸς, *fide dignus.* 411. 455
πλάσσειν, de figulo. 193
πλεονέκτης, fraudator. 375
πλεονεκτεῖν. 575
πληγὴ interdum ſubintelligitur. 670
πληροφορεῖσθαι. 69. 274
πληρόω de impletione muneris. 284
πληροῦν τόπον, locum tueri, loco eſſe. 518
πλήρωμα. 229
πλήρωμα τῆς γῆς. 466
πλήρωμα τοῦ χρόνου. 747
πλοῦτος, *multitudo.* 223
πνεῦμα de divina Chriſti natura. 10. varia denotare ſolet. 516. Evangelium. 583
πνευματικὸς homo. 132. 331. 494. ſpeciatim is, qui, ut Apoſtoli, immediate a Spiritu S. eſt illuminatus. 337
ποιεῖν *liberos procreare.* 468. 628. commorari. 671
ποιεῖν & ποίημα de *creatione & creatura.* 23
πόλεμος, prælium. 514
πολλοὶ, pro πάντες. 97. 102
πορνεία de quovis impudicitiæ genere. 362. 375
πόρνος. 375
πρᾶγμα. 379. *negotium.* 627. an etiam de re venerea? ibid.
πράττειν, *facere*, de re venerea. 628
πρὸ ſæpe a Paulo verbis ſimplicibus præponitur. 281
προάγω, *proveho.* 245
προγράφειν. 718
προθεσμία. 744
προϊστάμενοι. 244
πρόκειται. 632
προκόπτω. 268
προλέγω. 776
προλαβεῖν. 777
προνοεῖσθαι, *procurare.* 249
πρόνοιαν ποιεῖσθαι. 272
πρὸς, *cum.* 80. in comparatione inſtituenda uſurpatur. 146. *de.* 156. 219. *apud.* 683
προσαγωγή. 80
προσανατίθεσθαι. 697
πρόσεδρος & προσεδρεύω. 415
πρόσκομμα & σκάνδαλον quomodo differant? 276
προσκόπτειν. 278
προστάτης, προστάτις, προστατῆσαι. 287
πρόσωπον, perſona. 569. εἰς πρόσωπον, erga. 635. κατὰ πρόσωπον, *coram.* 642. 710. τὰ κατὰ πρόσωπον, quæ in conſpectum veniunt. 647
προτίθεσθαι, publice ſpectandum proponere. 63
προφητεία, *donum interpretandi.* 241
προφητεύειν. 470. 511
πρῶτον præcipuum. 49. per ellipſin omittitur. 263
πταίω. 223
πῦρ, ignis explorationis metaphoricus. 347
πυροῦσθαι, de libidinoſis. 398. vehementer adfligi animo. 672
πωροῦσθαι. 222

ῥῆμα,

Ρ.

ῥῆμα, negotium. 214

Σ.

σαλπίζω, *clango.* 555
σαργάνη. 674
σαρκικός. 128. 332. 341
σὰρξ num de V. T. reſpectu Novi dicatur? 121. ἐν σαρκὶ εἶναι quid? 140. varia vox denotat. 271. 553. corpus. 368. κατὰ σάρκα. 666
σὰρξ καὶ αἷμα, *homo.* 697
σεαυτὸν (κατὰ) 279. cum ἑαυτὸν permutatur. 261
σημεῖα & τέρατα differunt. 284
σκάνδαλον & πρόσκομμα differunt. 276
σκανδαλίζεσθαι. 279
σκεῦος, corpus. 593. & totus homo. ibid.
σκηνὴ & σκῆνος de *corpore.* 601
σκόλοψ. 677
σοφία λόγου. 308
σοφία, de Chriſto. 317. capita doctrinæ Chriſtianæ. 321
σοφός. 311. homo cujusvis artis peritus. 343. doctor aliorum. 383
σπέρμα metaphorice de *occaſione* rei alicujus. 641. de *poſteris.* 668
στέγω, *ſuſtineo.* 507
στενοχωρεῖσθαι. 595. 618
στενοχωρία. 41
στίγματα. 788
στοιχεῖν conſectari. 57. *ordine procedere.* 777
στοιχεῖον varia denotat. 745. 750
στοιχείωσις. 745
στύλος, *columna.* 708
συγγενής. 294
συγκλείειν. 736
συγκρίνειν, *interpretari.* 330. *comparare.* 649
συζητητής. 311
συλᾶν. 663
συμβιβάζειν. 340
συμφῦναι & σύμφυτος. 106
συναγωνίζεσθαι. 286
συναπάγεσθαι 712
συνέκδημος, *popularis.* 634
συνεργεῖν. 155
συνέρχεσθαι de uſu conjugii. 396
συνέχω. 612
συνήδομαι, *gratulor & delector.* 131
συνιέναι. 650
συνυποκρίνεσθαι. 712
συντελεῖν, *exſequi.* 201
σύστασις. 672
σύστοιχος, συστοιχεῖν. 761
συντρίβειν. 293
σχῆμα. 413
σχίσμα, fiſſura. 498
σῶμα non *corpus* tantum, ſed totum *hominem*, ſeu *perſonam* denotat. 236
σώματα de *militibus*, & *ſervis.* 236
σωτηρία de ſalute externa. 264
σωφρονεῖν. 240. 611

Τ.

τάγμα, vox militaris. 532. 535
ταλαίπωρος quid, & unde? 133
τάξις. 535
ταπεινοῦσθαι, *contriſtari.* 683
τέλεια, an dogmata? 322. 323
τέλειοι, Chriſtiani. 322. interdum perfectiores aliis. ibid. & 324
τελεῖν, verbum athleticum. 719
τέλος, merces, præmium. 115. 664. *impletio*, de lege. 207. 208. *vectigal.* 207. 259
τίς, *quantus.* 753
τί ἐμοί. 377. *quomodo?* 713
τί οὖν. 727
τιθέναι, *facere.* 433
τιμὴ, debitum. 498

τὸ pro ὅ. 137. nunquam pro τοῦτο ſimpliciter. ibid. τὰ πάντα, pro ταῦτα πάντα. 156
τοιοῦτος pleonaſticum interdum eſt. 675
τολμᾶν, *ſuſtinere.* 86. 284
τοῦτο (καὶ) *idque.* 384
τόπον διδόναι. 250. 252
τρέχειν, *certare.* 436
τύπος varie ſumitur. 94. de forma doctrinæ. 113. exemplum commonitorium. 451

Υ.

Ὑβριστής. 34
ὑπακοὴ πίστεως, *fides.* 12
ὑπακοὴ, *fides.* 292
ὕπανδρος. 119
ὑπὲρ, *loco, vice.* 86. *pro.* 156. *propter.* 543. *de.* 200. in locum alterius. 541. *ultra.* 542. frequens Paulo in compoſitis. 659. ubi ſignificationem auget. 160. pro ὑπό. 681. abſolute inſtar adverbii pro *præſtantior.* 669
ὑπερβολή. 594
καθ' ὑπερβολήν. 128
ὑπερεκτείνειν. 653
ὑπερνικᾶν. 159
ὑπηρέτης. 352
ὑπόστασις, *firma fiducia.* 636. 666
ὑποστέλλω. 711
ὑποτάσσεσθαι. 256. *ordine ſuo ſubſequi.* 535
ὑπωπιάζω. 441
ὑστερεῖν. 61. 62
ὑστερόποτμοι. 111
ὑψηλοφρονεῖν. 227
ὑψοῦσθαι. 662

Φ.

φάσκω, jacto, præ me fero. 27
φθάνειν, aſſequi. 204
φθείρειν, in malas partes trahere. 624
φιλεῖν an *adorare?* 565
φθόγγος. 218. 513
φιλοτιμεῖν de ſingulari ſtudio, ut & φιλοτιμία. 285
φοβεῖσθαι, *modeſte de ſe ſentire.* 227
φόρος. 259
φορεῖν. 552
φρονεῖν quid? 140. φρονεῖν αὐτό. 281. ſuperbe ſentire. 355
φρόνημα & φρόνησις. 140
φρόνιμοι. 456
φρουρεῖν. 737
φύσις varia denotat. 483. an obſcœnas partes? 484
φύσει θεός. 749
φύσει, ſponte ſua. 42
φυσιοῦσθαι, *efferre ſe.* 355. 506
φωνή. 513
φῶς, *doctor.* 46
φωτίζειν, manifeſtare. 354

Χ.

χάρις, doctrina Evangelica de gratia Dei. 81. gratia, qua quis apud alterum fruitur. 97. gratiarum actio. 467. beneficium alteri collatum, ſpeciatim eleemoſyna. 561. utplurimum in ſalutationibus Paulinis ad *Chriſtum* refertur. 816
χρεία. 248
χρῆμα, interdum deeſt. 574
χρηματίζειν, *appellare.* 119
χρηματισμός, *reſponſum divinum.* 220
χρῆσθαι, in bonam & malam partem. 410
χρηστολογία. 292
χρόνος nonnunquam omittitur. 788
χώραν διδόναι. 252

Ψ.
ψεῦδος, impietas, item *idola* gentium. 30
ψεῦσμα. 53
ψυχὴ, homo. 41. 255
ψυχικὸς, de homine. 132. 331. ſq.
Ω.
ὠδίνω. 756
ὥρα, *tempus*. 261. ſpatium *horæ*, vel modici temporis. 625
ὡς, *quod*. 13. *vere*. 204. *quatenus*. 582. *nempe*. 613. nonnunquam tranſponitur. 240
ὡς ἔνι. 741
ὥσπερ, *fere*. 88. redundat. 179

III. INDEX RERUM.

A.
Ablativus apud Græcos. 131
Abortivi, i. e. ſupernumerarii. 528
Abraham, pater credentium a Judæis vocatur. 74. 227
Abſtractum pro concreto. 257. 316
Accipere, pro, *circumſcribere*, *dolo capere*. 667
Accommodatio ad aliorum ingenium quomodo fieri licite poſſit? 434. 435
Accuſativus in initio ſententiæ abſolute ponitur. 457
Adamus an typus Chriſti? 94. 96. Adamus *primus* Hebræis. 550. corpus ejus an primum fuerit lucidum? 551
AdverbiaGræcorum nonnunquam pro adjectivis ponuntur. 143. 562. 659
Aërem verberare, proverbialiter. 514
Agapæ veterum Chriſtianorum. 488
Alexandrinus Codex N. T. MS. qualis? 812
Allegoriæ quæ? 757. Eas amant Judæi. ibid.
Ambitio ſacra. 502
Amen precibus publicis à Judæis & Chriſtianis ſubjici ſolitum. 519. doxologiæ indicium. 810
Amplias, viri nomen ex *Ampliatus*. 289
Anaphoræ exemplum. 671
Anathematis diverſæ ſpecies. 168
Angelorum diverſa nomina apud Judæos, Græcos & Latinos. 161. diverſi ordines. ibid. Angeli mali ab electis aliquando judicandi. 382. ſacris & precibus faciendis adeſſe crediti Judæis. 480. Angelorum linguæ. 503. an corpora habeant? ib. Angelus bonus & malus an homini præſto eſſe ſoleant? 680. Eorum in lege lata miniſterium. 732
Anima impiorum non penitus abolenda. 41
Antanaclaſis verborum. 275
Antiptoſeos exempla. 682
Aoriſtus pro *præſenti* ponitur. 372. 373
Apelles, viri nomen. 289
Apollo Corinthiorum doctor. 305
Apoſtoli præter Paulum uxorati. 427. Apoſtolorum tituli & elogia inScriptoribus Eccleſiaſt. 708. *Apoſtolorum* nomen latius acceptum: vid. ſupra ἀπόστολος.
Aquila, viri nomen. 287

Arca fœderis lapidi cuidam, ut fundamento, ſuperimpoſita. 449
Arcarii veteribus ærarii diſpenſatores. 295
Ardere libidinoſi dicuntur. 398
Aretas, ethnarcha Damaſcenus. 672
Aſyncritus. 289
Athletarum diæta exactiſſima. 438. Iidem tamen erant voraces extra tempus certaminis. 439. Athletica res veterum deſcripta. 440

B.

Baal. 221
Baptiſmus olim per immerſionem factus. 104. an fuerit apud Iſraelitas veteres? 445. in V. T. adumbratus. 445. ſuper mortuis. 536. ſq.
Beatitas hujus vitæ & futuræ quomodo diſtincta? 152. Beatitatis cœleſtis gradus. 549
Belial & *Beliar.* 621
Beſtiarii qui? 357. 546
Beverlandi (Adrian.) Otia Oxonienſia MSS. eorumque Specimen. 483. ſq.
Bonorum communio in vetere Eccleſia non univerſalis erat. 302
Boves ad trituram adhibiti. 429. iidem capiſtrari conſueverunt. ibid.
Brabeum in certaminibus. 437

C.

Cadere aut *ſtare* in judicio, pro, *condemnari*, & *abſolvi.* 273
Canon de Scriptura Sacra unde? 784.
Canon internus. 788
Capilli & coma: de illis diſputatum eſt. 474. 486
Capillitii uſus apud veteres. 486
Capitum diſtinctio in N. T. an interdum mutanda? 134
Caput in ſacris nunc apertum, nunc opertum apud gentes varias. 469
Carnes non comedebant Nazareni. 273
Cephas eſt *Petrus*, Apoſtolus. 306. 428
Chreſtus Suetonii quis? 266
Chriſtiani Magiſtratibus olim morigeri. 263. Chriſtiani an impiis imo beſtiis infeliciores, abſque vita æterna ſi foret? 531
Chriſtus cur primogenitus? 155. Cur imago Dei vocetur? 592. Cur Κύριος vocetur? 215. in Chriſto eſſe vel inveniri, quid? 135. non idem eſt, ac eſſe Chriſtianum. 163. Chriſtus Paſcha eſt. 371. an idem interdum, quod eccleſia? 497. Chriſti anima an præexſtiterit? 552. Chriſti nativitas tempore maxime idoneo facta. 747
Cinædorum gentiliſmus plenus. 385. contra eos quidam Gentilium dixerunt. 392
Claudii edictum contra Chriſtianos. 265
Cœlibatus ab utilitate magis quam honeſtate in ſacris commendatur. 412
Cœlum tertium quod? 675
Cœnæ Sacræ doctrina Evangelica adſerta. 456. varia nomina apud veteres. 457. ſq. 462. 488. an doctrina de ea ex conviviis Gentilium ſacris illuſtrari poſſit? 460. an privatim ea uti liceat? 489. an ea abſtineri poſſit? 491. frequenter illa utendum. 491
Comæ uſus apud veteres. 484. 486
Communio in S. Cœna quotuplex? 460
Communio Chriſtianorum. 497
Comparativus pro Superlativo. 531
Comus, gentilium deus. 271. 741

Con-

Concionandi ratio methodica. 309. 321
Concupiſcentia prava. 124. Judæorum de illa ſententia. ibid. num Gentilibus nota? 125
Conjugii fines qui? 394. variis phraſibus per euphemiſmum exprimitur. 395. 396. eſt vinculum. 412
Conſcientiæ vis. 45. conſcientiæ tranquillæ commoda. 569
Conſiliis aliorum utendum. 249
Conſpuere, & *deſpuere*, contemtus nota. 753
Contentum oportet eſſe rebus ſuis. 638
Continentia etiam in conjugio apud Chriſtianos. 396
Converſationis pravæ incommoda. 547
Convivia ſacra Gentilium. 460
Cordis tabulæ. 582
Corinthiorum res. 299. obſervationes in ep. Pauli ad eos datam generales. ibid. an quædam Pauli epiſtola, ad eos ſcripta, perierit? 374. Corinthii impudicitiæ dediti. 628
Corona præmium athletarum. 437. 440
Corpus inſtrumentum animæ. 111. Corporis humani membra ſapientiſſime ſtructa. 498. inter ea arctiſſimus nexus. 499. corpora beatorum. 549. corpus a Platonicis σκεῦος dictum. 593. 602. item σκῆνος. 601. item veſtis. 604
Critici naſutuli qui? 808
Cymbala veterum. 504

D.

Dæmonum apparitiones ex Gentilium ſcriptis. 664
Damaſci res tempore Pauli. 672
Dativus, ſimpliciter in ſententia poſitus, præpoſitionem *adverſus* ſubintelligi jubet, ut Θεῷ *adverſus Deum.* 641
Deus τὸ πᾶν. 536
Dei notitia innata. 22. 44. naturalis acquiſita. 25
Deum unum Gentilium quidam agnoverunt. 26
Dei ſimulacra ab ipſis Gentilibus exploſa. 28
Deus a Judæis in precibus benedictus vocari ſolet. 177
Dei nomen Subſtantivo junctum num *magnitudinem* rei inferat? 205. 630. 643
Deſponſationum legati apud Hebræos. 655
Devovendi ſe pro aliis ritus. 169. 173. 359
Dexterarum conjunctio amicitiæ ſymbolum. 708
Diabolus cur a Judæis *Sammaël* vocetur? 591. primos Parentes ſeduxit. 656. *Serpens* vocatur. 657
Diaconi & *Diaconiſſæ* veteris Eccleſiæ. 286
Divortii cauſa non ſolum adulterium, ſed etiam malitioſa deſertio. 403. ſq.
Doctor aliorum ad bonum, ipſe malus. 47
Doctores *Patres* vocantur. 361
Dominica dies ſacra habenda vi præcepti divini. 275. 558. in N. T. prima hebdomadis dies vocatur. 558. Ea collectæ fieri ſolitæ. 558
Dona hominibus varie ſunt diſpertita. 501
Doxologiæ Paulinæ. 5

E.

Ebionæi an a paupertate ita dicti? 558
Eccleſia Chriſtiana virgo. 656
Ecſtaſes exempla ex Judæorum & Gentilium ſcriptis. 675
Edamus & *bibamus*, formula inter potum gentilis. 547

Eleemoſyna Hebræorum. 558. an Sabbato collectæ vel potius die prævio? 559. hilariter dandæ. 637
Emendatio Scriptorum Sacrorum ex ingenio qualis? 805
Epiſtolæ commendatitiæ ſeu ſyſtaticæ in vetere Eccleſia. 580
Epulæ Gentilium in ſacris. 270
Ethnici in cultu divino ἄλογοι. 238. epulis ſtudentes in ſacris. 270
Evangelium per totum orbem nunciatum. 13. quomodo in V. T. dicatur fuiſſe abſconditum? 297
Evocatio Numinum ex urbibus. 717
Excommunicationis ritus in vetere Eccleſia. 367
Exploratio ſui S. Cœnæ prævia. 493. Exploratio fidei. 687. neceſſaria eſt. ibid.
Extremum judicium an Paulus ſuo tempore exſpectarit? 606
Exuvia an velamen? 474

E

Facies coruſca viris magnis tributa. 584
Factus & *natus* an differant? 747
Faſcinum oculis fieri creditum. 717
Fermentum inficit maſſam, proverbium. 369. 770. Fermenti expurgatio Paſchalis. 370
Fides carbonaria vana. 646
Fidei analogia. 241. defectus omnia perdit. 280
Fideles cur victimæ vocentur? 236. cur templum Dei? 348. templum Spiritus S. 393. cum *pane* comparati. 370
Filii cur vocentur credentes? 145. 738
Flagellationes religioſæ Pontificiorum. 442. apud Judæos. 669. in illis. 39. verbera adhuc recepta. 670
Fœminis docere publice non licuit. 470. 524. illæ velari ſolebant. 471
Fratrum & Sororum titulus inter Chriſtianos. 286

G

Galatia. 690
Galatarum lingua. 690. qui illi? ibid. ingenii curioſi. 693. aliis etiam ſtupidi. 710. unde dicti? 693
Gentiles ex lumine naturæ veritates varias cognitas de Deo habuerunt. 21. eorum notitia Dei naturalis 25. impudici. 29. coram Deo inexcuſabiles. 37. apud Judæos contemti. 316. 713. Gentiles Philoſophi affectibus indulgebant. 333. Chriſtianorum ſacra explorare ſolebant. 480
Gradus Eccleſiaſticorum munerum apud veteres Chriſtianos. 499
Gymnaſtica res veterum a multis deſcripta. 436

H

Habere pro *conſequi.* 14
Hæreſis quid? 487
Hermas, viri nomen. 290
Hieroſolyma ſuperna & inferna. 766
Hiſpania Græcis Σπανία. 285
Homicidæ Gentilibus exoſi. 378
Homo interior apud ſacros & profanos Scriptores. 132
Hypallage amota. 139
Hyperbole omnis an ex ſacris libris amolienda? 662. 754

I.

Jacobus quidam an a duobus Chriſti diſcipulis diverſus? 527. 707
Idola ipſa a ſe adorari negant Gentiles. 30. Idolorum vanitas. 420
Ignis de magno periculo. 347. *per ignem incedere*, proverbium. ibid.
Ignorantia quædam eſt laudabilis. 507

Illumi-

Illuminatio Spiritualis etiam in pravæ vitæ homines cadit. 336
Impii prava mente puniuntur. 33
Inceſtus Gentilibus etiam inviſus. 363. illius inter eos exempla. 364
Induere arma juſtitiæ quo ſenſu dicatur? 269. induere Chriſtum. 271. 742
Infinitivus, in eadem oratione ſubſiſtens, Nominativum junctum habet. 27. pro Imperativo. 248
Inſtitutio aliorum gratuita. 431
Interpunctionum in N. T. magna ratio habenda eſt, quæ ſæpe præter rationem mutantur. 3. 279. 281. 414. an interdum mutandæ? 639. Interpunctio in B. Lutheri verſione temere mutata. 765
Interrogandi nota recens juncta. 730
Ira alterius mitiganda. 250. Ira propria temperanda. 251
Ironiæ exemplum. 666
Iſrael unde dictus? 179
Judæorum præ gentibus præſtantia. 174. Judæi cur *ſemen ſanctum* dicti? 225. Judæorum converſio univerſalis an ſucceſſiva tantum? 228. Judæi עברים & עורים i. e. *cæci*. 229. Judæi an ſalvari omnino debeant? 230. Judæi deſipere ſe fatentur. 309. Judæorum cauſa an mundus conditus? 351. Judæi falſo poſtulantur corrupti Codicis Sacri. 371
Junias viri nomen ex *Junilius*. 288
Judicia hominum quomodo æſtimanda? 353
Judicium extremum quomodo a Sanctis habendum? 379
Juſtificatio tantum, & ſimpliciter ex fide. 58. 69
Juſtitia Dei quotuplex? 16. 17

L.

Lex cur ſancta? 127. cur ſpiritualis dicatur? 128
Leges Romani *rubro*, aliæ gentes *atro* colore deſcribebant. 581
Liberi dicuntur *rami Parentum*. 225. qui puri vel impuri Judæis dicantur? 403
Liberorum minorennium durior apud Romanos conditio. 742
Libertas Chriſtiana. 766
Locum dare. 250
Lucius idem qui *Lucas*. 294
Lucta carnis & ſpiritus. 775
Ludere de re venerea. 452

M.

Magiſtratibus etiam malis obtemperandum. 255. Illi ſunt divinæ originis. 256. illis gladius præferri ſolitus. 257. religioni Chriſtianæ multum debent ex auctoritate per eam ſtabilita. 258. illis Chriſtiani jugiter obediebant. 263
Mali nihil faciendum eſt in bonum finem. 54
Mala etiam piis in bonum vergunt. 154. Mala bonis vindicanda. 254
Manere promiſſis. 722
Manna. 447
Meioſis. 460. 487
Miraculorum inſanum deſiderium. 313
Modeſtiæ ſtudendum. 249
Montium translatio an unquam facta? 504
Montes in Arabia *agar*, & *petra* vocati. 760
Mors num Chriſto ſit dominata? 109
Morte expiari peccata falſo ſtatuunt Judæi. 108
Moſes cornutus prave pingitur. 583

Mundus num ſecundum ſubſtantiam interiturus? 150
Mundi res fluxæ. 414
Muſica veterum inſtrumenta. 514.
Muſicæ in ſacris uſus. 522

N.

Natura etiam obſcœnas partes infert. 484
Nero primus Chriſtianos vexavit. 267
Nomina Propria a Græcis & Latinis frequenter decurtantur. 290
Nominativus a Græcis in orationis ſerie interdum abſolute ponitur. 181. 567
Notarum ſeu ſignorum olim in variis rebus uſus. 572. 788
Numerus : a numero plurali ad ſingularem, & viciſſim, fit interdum tranſitus. 778

O.

Oculis nihil carius. 753. Oculis tactis juratum. 754
Olympica certamina. 436
Oſculi mutui uſus inter Chriſtianos. 290. 689. Oſculantes manus adorare ſolebant. 565

P.

Pædagogorum mores & ratio apud veteres. 738
Pædobaptiſmus in veteri Eccleſia. 307. in antiquitate Judaica typus ejus. 445. 446
Paregmenon, ſchema orationis apud Græcos. 240
Parentheſium magna ratio habenda eſt, quas Paulus inprimis amat. 3. 196. 417. quomodo iis uti ſoleant Scriptores profani? 417. interdum mutanda. 633. 700. cur adhibeantur? 794
Paronomaſias amat Paulus. 32. 33. 575. 649
Participia Paſſiva ſæpe ſignificationem habent activam. 197. *Participia* pro verbo finito. 350. 572. 624. 714. Eadem interdum abſolute ſine habita ſtructuræ Grammaticæ ratione adhibentur. 642. Participia pro *infinitivis*. 650
Paſchalis agnus quomodo aſſatus? 371 Chriſti crucifixi typus. ibid. eſt Sacramentum V. T. ſacrificiale. 372
Patrobas, viri nomen. 290
Pauli vita, epiſtolæ, itinera, ſcripta ſuppoſita, ſtilus, eruditio. 1. ſq.
Paulus obſcurior interdum, & cur? 3. Stilus ejus. 659. parentheſes amat. 3. & paronomaſias. 32. non ſcripſit Evangelium. 45. an in Hiſpania fuerit? 285. num quædam ejus epiſtolæ perierint? 372. 373. 647. an cœlebs? 397. 427. Chriſtum oculis ſuis vidit. 527. ſtatura parvus. 648. ſepties in vinculis. 669. in cœlum raptus. 675. an *Petri* diſcipulus habendus? 698
Peccatum originale. 88. 101. a Judæis vocatur fermentum. 370. Judæorum de illo ſententia. 91. Gentilibus quodammodo notum. 91. Peccatum etiam in regenitis. 126. Peccatum involuntarium. 130
Peccato cur corpus tribuatur? 107. 133. Peccatum regnare dicitur. 110. Peccato venditum eſſe, quid? 129
Petrus non diverſus a *Cepha*. 306. 526. 707. uxoratus. 428. *Petri* primatus nullus. 698
Phariſæi unde dicti? 6
Piſcium caro aliis carnibus oppoſita. 548
Pleonaſmus unius ex duobus Subſtantivis

tivis conjunctis. 44. vocis τοιοῦτος. 675
Poculum ἀγαθοῦ δαίμονος apud paganos. 461. Pocula Diis libata. 462. defunctis libata in memoriam. 491
Polyptoton. 651
Poſtſcripta in epiſtolis Paulinis. 296. 813
Præputii attractio. 408
Preces Deo tribuunt Judæi. 153. Preces lingua Hebræa a Karæis factæ. 516
Primitiæ quæ? 151. metaphorice quomodo dicantur? 532
Pronomen relativum οὗτος &c. emphatice adhibetur. 382
Propitiatorium V. T. 64
προσδιασάφησις, figura Grammatica. 648
Proſcripti, quinam dicti? 718
Pugilum ventilatio. 441. de pugilatu Scriptores. ibid.
Pugna cum beſtiis. 546
Purgatio animorum ex Philoſophorum Gentilium ſententia. 370
Purgatorium Pontificiorum nullum eſt. 347. cum Judæis illis eſt commune. ibid.

R.

Ratio in res fidei non dominatur. 238. quis ejus uſus in rebus Theologicis? 644
Repetitio earundem vocum frequens eſt. 150
Reſtitutio rerum omnium vana. 535
Reſurrectio corporis a nonnullis negata. 530. adſtructa. 549. 610. novum pro ea argumentum. 389. doctrina de reſurrectione cum omnibus fidei ſpeique noſtræ partibus connexa eſt. 530
Reſurrectione Chriſti ad demonſtrationem Deitatis ejus uſi ſunt Apoſt. 796
Romanorum impietas & malitia. 25. 33. oſtentatio ſapientiæ. 27
ad Romanos epiſtola Pontificiis ſudes. 5. ad eam monita generalia. 4. quando ſcripta? 265

S.

Sacrificia pietate inferiora, ex Gentilium quoque ſententia. 239. apud Judæos & Gentiles ad convivia ex parte adhibita. 458. de ſacrificiis Sacerdotes Gentilium partem capiebant. 466
Salarium Clericorum. 432
Saliorum ſacra turpia & obſcœna. 269
Sali & *Mori.* 350
Sanctus pro inviolabili. 350
Satan unde dictus? 293. an etiam hominem adverſantem denotet? 294
Satisfactio, δικαίωμα. 100
Schisma quid? 304. 487. inter Corinthios. 305
Scortatio Gentilibus licita habebatur. 392
Scribere pro *pingere.* 718
Scriptura Sacra etiam quod ad verba inſpirata. 331
Sedere de judicibus. 383. de docentibus. 522
Sementem ut feceris, ita metes. 637. 780
Sermonis ſtructura interdum mutatur. 451. 454
Serpens *Satanæ* nomen. 657
Servi olim crucifigi ſolebant. 106. Servorum conditio inter Judæos. 129. & Gentiles. 130
Silvanus. 571
Solœciſmus abeſt a Sacris Scriptoribus. 706
Somnus in peccatis quotuplex? 261.
num

num de calamitate adhibeatur? 267
Soror de conjuge. 427. ſororum & fratrum appellatio mutua inter Chriſtianos. 427
Speculare. 508. Specularis lapis. ibid.
Spes etiam futura repræſentat. 152
Spiritus pro *Evangelio.* 137
Spiritus S. ductus. 142. Spiritus adoptionis & ſervitutis. 142. Spiritus S. teſtimonium internum. 144. Primitiæ. 151. interpellatio. 153. Spiritus S. Deitas. 329. inhabitatio. 349
Sponſalium nuncii apud Hebræos. 479
Stare & *cadere* in judicio pro *abſolvi*, aut condemnari. 273
Structuræ Grammaticæ in initio & fine ſententiarum negligentiores ſunt Attici. 635
Subſcriptio Paulina epiſt. ad Romanos falſo ſuſpecta. 299
Super, i. e. *ultra*, *præter*, *poſt.* 542
Synchyſeos in Sacris & profanis exempla. 258. interdum ſpuria, & falſo credita. 495

T.

Templa veterum Chriſtianorum an *eccleſiæ* dictæ? 287. an fuerint apud illos? 489. etiam inter Gentiles non temere violata. 350. in illis epulari ſolebant Gentiles. 425. magna eorum apud Judæos reverentia. 489
Temporis ratio habenda eſt. 246. 780
Tertius, nomen Proprium. 295
Toga virilis apud Romanos. 741
Tonſura & raſura apud nonnullos olim ignominioſa. 472
Tranſpoſitio vocum, v. c. ὅτι. 433
Transſubſtantiationis figmentum. 457
Tritura facta per boves. 429
Triumphantes ſuffitu excipi ſolebant. 576
Typica Theologia. 95
Typus quam varie ſumatur. 94

V.

Vaſibus fictilibus in Sacris uti ſolebant Judæi & Gentiles. 593
Velum, quo Judæi in Synagogis utuntur. 586
Ventis loqui, proverbialiter. 514
Venus præpoſtera inter Gentiles. 31
Verbum finitum, cum alio per & conjunctum, *infinitivum* infert. 319
Veſtium utriuſque ſexus inter paganos permutatio. 271
Vindicta cavenda. 249. 250. vindicta nulla eſt optima. 253
Viſio Dei beatifica. 510
Vita eſt *comœdia.* 357
Votum hyperbolicum Pauli. 167. ſq.
Urbes *matres* dictæ. 764

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google